ANALES de BARONIO.

37.

A
37·29

11a-3-5

4

9-1138

A
37
29

11a-3-5

Biblioteca Universitaria

4

9-1138

A
37
número 29

ANNALIVM
ECCLESIASTICORVM
CAES. BARONII
TOMVS SEPTIMVS.



TOMI I. SECTIO I.

CAES. BARONII

ANNALES

ECCLESIASTICI

Cth.A ap.t.C.3. - R.11474

SANCTISSIMO AC BEATISSIMO PATRI ET D.N. CLEMENTI VIII. PONTIFICI MAXIMO

CÆSAR BARONIVS S.R.E. CARDINALIS TIT. SS. MARTYRVM NEREI ET ACHILLEI SEMPITERNAM FELICITATEM.

BIBLIOTECA ERASMIANA GRANADA

PERSOLVO & ad pedes Sanctitatis tuæ, Beatissime Pater, septimum Annalium nostrorum tomum defero, sed tardiùs quàm solebam : vix enim tandem aliquando emergere licuit ex multarum difficultatum veluti spinetis, quibus explicandis diu multúmque laboraui. His accessit, quòd hoc tomo potissimùm narrẽtur multiplices Romanæ Ecclesiæ ærumnæ, nimirũ exilia & neces indignissimæ Summorum Pontificum à seditiosis & factiosis hominibus profectæ, qui sicut impiè, ita & ambitiosè in Sedem se Pontificiam

intruſerunt,nec minùs,ſed multo etiam magis ab illorum Principum temeritate&audacia,qui ſuos limites tranſilire, & ad ea quæ ipſis conceſſa non eſſent,manus admouere non dubitarunt:quibus incommodis acceſſerunt hæreticorũ & ſchiſmaticorum aduerſus Eccleſiam Catholicam machinationes & doli ac vexationes aſſiduæ. His igitur luctuoſis narrationibus pertexendis ſtylus noſter etiam retardatus atque defatigatus eſt.

Sed quoniam in illis quoque voluminibus,quæ hactenus à nobis ſunt edita, complura eiuſdem generis argumenta, aut certè non valde diſſimilia acciderunt: vereor ne parum idonea huius dilatæ editionis excuſatio à me afferri videatur. Quare vt verè & liberè dicam,honores & dignitates coaceruatæ, quibus breui tempore immeritum me & nihil tale cogitantem cumulaſti, accincto & expeditè currenti, tamquam laxæ nimis & lacinioſæ veſtes, impedimento fuere partim ipſa rei natura,partim nouitate.

Primùm enim me Notariũ tuum & ſanctæ ſedis Apoſtolicæ creaſti ex primo ordine eorum qui Numerarij dicuntur: cuius ſanè dignitatis indumenta etſi inſtituto noſtro non planè aliena viderentur, quòd tamen eſſent incongrua voluntati, impedimento potiùs,quàm tegumento fuere, & oneri,quàm honori. Vbi verò ampliſſimæ dignitatis laxiora fuſioráq.ornamenta purpuræ addidiſti, curſus noſter nouæ vitæ nexibus implicatus,

iam

iam multo magis est retardatus : adeò vt mihi non secus ac Dauid[a] acciderit, dum regiis indutus armis incedere non valeret, eo quòd (vt ipse dicebat) consuetudinem non haberet, qua eo magis ipse carebam, quo longiùs aberam à proposito: statueram enim, votísque nuncupatis & iteratis sæpe firmaueram (testis est Deus) in priuato illo simplicíque vitæ genere optimè instituto & hactenus feliciter ducto bene præcinctum mundi contemptu & expeditum vsque ad obitum permanere, vnà cum Iob illa decantans[b] : In nidulo meo moriar, & sicut palma multiplicabo dies.] quæ diminutione eorum quæ deorsum sunt foliorum, procera extollitur cælum versus dulcibus fœcunda fructibus.

[a] 1. Reg. 17.

[b] Iob 29.

Illud insuper Sapientis[c] assiduò mente voluẽs: Exiguo conceditur misericordia, potentes autem potenter tormenta patiuntur] & quod Dominus comminatus est[d], iudicium subituros fore grauius atque durius, maioremque condemnationem accepturos, qui primas indignè cathedras occupant: libentiùs me, sicut & tutiùs, intra domesticos parietes continebam: perterrebat namque me multo magis illa, quam videre meditabar, manus[e] hominis contra candelabrum in pariete publico, in ipso Ecclesiæ albo scribentis, stateram & pondera præferentis, quibus expendendi essent omnes ad Cardinalatus dignitatem assumendi: altam illam, inquam, S. Bernardi[f] ad Eugenium

[c] Sapien. 6.

[d] Marc. 12. Luc. 20.

[e] Dan. 5.

[f] Bernard. ad Eugen. lib 4.

Papam ſcriptam conſiderationem ob oculos omnium poſitam vnà cum recti iudicij ſtatera & ponderibus Sanctuarij : quibus ſi quis appenſus inueniatur minus habens , vt adulterinus procul eiiciatur ac reprobetur.

Ea quidem tam multa dum quis prudens perlegit, atque adeò magna, miráque & difficilia, arduáque conſiderat, eadémq. plurima numero & diuerſa recenſet, ac mente ſcrutatur eminentem ſublimémque omnibus abſolutam numeris ſanctitudinem vitæ, quam exigit durus exactor ab eo qui eligendus eſt Cardinalis : neceſſe eſt, vt timore perterritus, propriæ conſcius imbecillitatis, deſpondens animum (quòd nonniſi cum ſummo ſalutis æternæ diſcrimine adeò celſa petantur) omnino reſiliat, penitúſque refugiat, atque etiam precibus periculum redimat, illáque Loth verba proferat[a] : Non poſſum in monte ſaluari : ne fortè apprehendat me malum, & moriar. eſt ciuitas hæc iuxta , ad quam poſſum fugere, parua, & ſaluabor in ea .] quam iure dixerim priuatæ vitæ confugium. Iſta quidem prudens: ſed vir inſipiens[b] non cognoſcet, & ſtultus non intelliget hæc: iure enim congemuit Gregorius Theologus[c] , quorumdam hominum inſipientium ignorantia factum eſſe, vt quæ ardua & ærumnoſa , vallata periculis atque moleſtiis Eccleſiaſtica dignitas ſit, eadem lata , ampla , ac planè regia & ſingularis , plenáque voluptatibus iudicetur. At non

[a] *Gen.19.*

[b] *Pſal.91.*

[c] *Greg. Nazianz. orat. ad patr.*

non ita ſapiens cuncta diiudicans, addénſq. ſcientiam, addit dolorem, cùm pluribus cernit exemplis, iſtiuſmodi faſce omnes ſanctiſſimos viros nimium prægrauatos & curuatos eſſe pondere, quo portant [a] Orbem, atque robuſtiſſimos licet [b] gemuiſſe gigantes ſub aquis. [a] Iob 9 [b] Iob 26.

Iſta, inquam, conſiderans, non eſt quod queri poſſis, Pater ſanctiſſime, quòd Sanctitati tuæ ipſe adeò videar reluctatus: ſed ſi liceret, eſſet mihi iure expoſtulandum, quòd cùm à prædeceſſoribus tuis, qui me à priuatæ vitæ portu abſtrahere non ſemel voluerunt, tamen quam deprecatus eſſem obtinuerim honorum immunitatem; à te verò, à quo magis amari ſcirem, nequaquam potuerim impetrare: ſed quo mei amantiorem (venia petita dixerim) eo violentiorem expertus ſim, cùm per tuos ſeorſum abreptus, cubiculo clauſus, víxque tandem vt audirer, multum rogans, admiſſus ante cõſpectum tuum Angelis reuerendũ, poſt meam defenſionem, abs te reſponſum illud vnum tantùm acceperim, quo robuſta voce diram anathematis protuliſti ſententiam, ſi ampliùs reſiſterem, & niſi penitus acquieſcerem. Quem non terruiſſet, ac non penitus deieciſſet atque proſtraſſet talis erumpens è cælo repentè tanto fragore tonitrus, fulmen æternæ damnationis explodens?

Ita ſubactus, etſi manus dedi, non æquè animum: ſi enim licuiſſet, retraxiſſem illas, ſicuti Zara [c] olim, dum è materno vtero progreſſurus, vbi [c] Geneſ. 38.

ſe al-

se altera manu vinctum coccino sensit, primigenia non curans, eam retrahens, eumdem repetiit vterum, malle se non nasci significans, quàm vinctum purpura progredi. sed sicut naturæ tandem ille cessit imperio, qui supra naturam quiddam admiratione dignum visus fuerat operatus: ita & ego legibus Christi obtemperare coactus, tam-
[a] Psal. 21. quam abortiuus sum proiectus [a] ex vtero, illo videlicet, in quo semel conceptus spiritu, cupiebam formari in virum perfectum, nec exire donec trãsferrer ad tumulum
[b] Iob 10. [b], ne oculus me videret. Maternum iure dixerim vterum domũ illam, in qua post conceptionem illam meam coalescere cum fratribus meis, diémq. extremũ claudere absque aliqua lucis vsura, fulgore videlicet cuiuslibet dignitatis, in mẽtis firmo proposito erat, ne illud au-
[c] Iob 3. direm infaustum [c]: Quare misero data est lux? Lux
[d] Greg. Moral. lib. 5. c. 2. enim (inquit S. Gregorius [d]) miseris datur, cùm & tolerare honoris munera compelluntur.] Cùm ergo tanti etiam Patris sententia nonnisi miser homo ex collatis honoribus censeatur, pro huiusmodi minimè gloriabor.

[e] 2. Cor. 12. Quòd si gloriari licet (dicam cum Apostolo [e]) libenter gloriabor in infirmitatibus meis, vt inhabitet in me virtus Christi: propter quod placeo mihi in infirmitatibus meis.] vtpote quæ sint vera signa diuinæ vocationis, eiusdem Pauli ita stylo
[f] 1. Cor. 1. formata [f]: Videte vocationem vestram, fratres, quia non multi sapientes secundùm carnem, non

multi

multi potentes,non multi nobiles:ſed quæ ſtulta ſunt mundi elegit Deus, vt confundat ſapientes: & infirma mundi elegit Deus,vt cõfundat fortia: & ignobilia mundi & contemptibilia elegit Deus & ea quæ nõ ſunt, vt ea quæ ſunt deſtrueret,vt nõ glorietur omnis caro in conſpectu eius.] Quæ omnia humanæ imbecillitatis ſigna notis ampliſſimis in me expreſſa cognoſcens , ſi voluero pro huiuſmodi gloriari,non ero inſipiens. Quo etiã ſenſu licebit & illud eiuſdẽ Apoſtoli appoſitè vſurpare[a]: De cetero nemo mihi moleſtus ſit:ſtigmata enim Domini mei Ieſu Chriſti in corpore meo porto] illa inquã à Paulo eo modo imbecillitatis notis deſcripta,veluti indices diuinæ vocationis characteribus Apoſtolicis exarata; quibus impreſſus & inſignitus magis exulto,Deo gratias agens,quòd nihil in his ſit quod humana induſtria ſibi tribuat, ſed totum ſibi vendicet diuina prouidẽtia,ad hoc mouens tuæ,Clemens,clementiæ abundantiam. [a] Galat. 6.

Cuius rei gratia , magna eſt mihi parta de patrocinio diuino fiducia,eóq; maior, quo fideiuſſoresvidear nactus Apoſtolos ſuis ſcriptis id ipſum pollicitos:nam Paulus[b]: Qui cœpit(inquit)in vobis opus bonum,perficiet vſque in diem Chriſti Ieſu.]ac rurſum[c]: Fidelis eſt qui vocauit vos, qui etiam faciet.] addidit verò & Petrus[d]: Qui vocauit nos,ipſe perficiet, confirmabit, ſolidabítque.] Quod non pro me tantùm, ſed æquum eſt id ipſum ſentire pro omnibus aliis,quos vnà ſimul ampliſſima [b] Philip. 1. [c] 1. Theſſ. 5. [d] 1. Pet. 5.

pliſſima dignitate donans in ſacrum Cardinalium collegium cooptaſti.

Tu enim eoſdem quos conceperas diuino ſpiritu,diu mentis vtero continens, ſimul ipſos pariter peperiſti: Tu,inquam,qui nihil inconſulto numine aggredi, & annuente proſequi atq; perficere conſueueris: Tu ipſe,à quo nulla actio præcox, ſed aſſiduitate precum & conſiderationis maturitate decocta procedat, vt ſapiens architectus,videris ſuper illas ſexdecim baſes argenteas, quas [a]Beſeleel[a] diuino ſpiritu plenus ſtatuit ad tabernaculi angulos muniendos & exornandos, totidem modò deſuper erigere voluiſſe columnas. Quo nomine cùm ex toto Orbe Catholico gratiarum tibi inſonent actiones:quas ego dignè rependam, quòd me longè immeritum vnà cum eis ad tantam ſublimaueris dignitatem, & ad tam ſublime faſtigium honoris licet indignum euexeris? infimum aſſumpſeris in eminens illud collegium Apoſtolicum,infirmum verò ſtatueris in templo columnam: obſcurum licet, lucens tamen & ardens erexeris ſupra ſacroſanctum altare candelabrum: vilem rudémq; lapidem in Rationali collocaueris cum expolitis lapidibus pretioſis: annexueríſq;debilem Eccleſiæ ſanctæ cardinibus illis, ſuper quos quæ ſunt in terra cælóque vertuntur. Iſta tãta conſiderans,longè me imparem eſſe ſentio, vt dignè pro collato munere ſatisfaciam.

[a]Exod. 26. & 36.

Augendæ verò & ea quoque ex parte multiplicandæ

candæ ſunt magis gratiarum actiones, quòd ad menſuram bonam & confertam,coagitatã etiam & ſupereffluentem adieceris : bis enim me, cùm alterum me,meum vnanimem ad eumdem ampliſſimi honoris gradum extuliſti,quodammodo prouexiſſe videris; dum ſcilicet Archiepiſcopum Auenionenſem allegeris Cardinalem, Apoſtolicum virum,formam antiquæ probitatis, cui à ſpiritualibus incunabulis fuiſſe nexibus indiuiduæ charitatis obſtrictum glorior, fratrémque meum verè eſſe germanum exulto,ambos nimirum eodem parente,viro illo planè diuino Philippo Nerio ſecundùm ſpiritum generatos, eiuſdémq. ſuxiſſe vbera matris,licet ipſe primogeniti prærogatiua præcedat,atque multo magis meritis antecellat, cùm in ipſo virtutum progreſſu eius reſpectu ego quaſi pedes (vt vetus prouerbium habet) ad Lydium currum extiterim : adeò vt vix licuerit oculis conſequi ipſum ardua altáque virtutum petentem,nedum æquis paſſibus aſſectari : vt ſolatium ſit, eius ſaltem impreſſa relicta veſtigia ſequi, eíſque inſiſtere in reliquo qui ſupereſt vitæ curſu iam ad terminum prolabente.

Ad multiplicem rurſus gratiarum actionem ex tanta beneficiorum redundantia in chartis noſtris veluti in alueo iugiter fluxuram, illam haud mediocrem adiicimus ex eo beneficio ſimul addito, quo voluiſti eſſe benè conſultum futuræ Annalium ſcriptioni:adeò vt quem ad dignitatem promoueris,

moueris, non amoueris ab inſtituto ; neque cùm vocaueris, reuocaueris à cœpto ſcribendi munere, ſed opus vrgeas, quod exoptes ad finem perduci; cui vt ſolicitiùs vacem , vacare me velis ab ingruentibus negotiis meliori parte diei , quam ab interuentoribus liberam eſſe iubeas , & Annalibus integrè cuſtoditam.

Cuius rei gratia & hic ipſe tomus, qui ſeptimus mihi naſcitur partus , & poſtremus timebat fœcundæ claudere matris vterum , tibi lætus accurrit oblatus, ita iam de fratrum futura propagatione ſecurus (quantum tamen in humanis rebus ſecuritas eſſe poſſit) exultans pariter , quòd & tua benignitate progreditur ſanctorum Martyrum titulo glorioſus , incedens ſtipatus tantis cæleſtis curiæ Senatoribus, ſeptus nempe altero latere Nereo , altero Achilleo Petri diſcipulis , decoris triumphalibus palmis atque coronis , quos datos in itinere comites, ſuos etiam cupit eſſe patronos, atque perpetuò apud Deum interceſſores.

Finem verò dicendi facturus , Pater ſanctiſſime , audi , rogo , quæ adhuc maximè cuperem ſuperadiici. Ad tantum honoris verticem ſublimatus, tibíque ipſi vt magnæ aquilæ luſtranti Orbem pullus inexpertus inhærens, abs te peto duci, doceri, atque iuuari. Tu rectà ducas cælum verſus, ne declinans ad dexteram ſiue ſiniſtram, vel proſperis ventis alleuer , vel deprimar aduerſis : Doceas pariter quæ ſurſum ſunt ſapere, non quæ ſu-

per

per terram, oculóſq; ad Solem illum iuſtitiæ fixos tenere, neque deorſum ad ea quæ ſunt mundi habere reſpectum : Iuuéſque adminiculo alarum tuarum, imponens debilem ſuper humeros fortitudinis tuæ, quibus Orbem quoque ſuſtentas: vt ita à terra ſublimes diuina petentes (ſecundùm quod ait Apoſtolus[a]) reuelata facie gloriam Domini ſpeculantes, in eamdem imaginem transformemur à claritate in claritatem, tamquam à Domini ſpiritu] è præſenti videlicet claritudine purpuræ ad ſtolas illas candentes, dealbatas [b] in ſanguine Agni : ſicque per aſcenſum purpureum iſtum perueniamus ad reclinatorium[c] aureum, beatam illam requiem, vbi Deus cum Sanctis ſuis in æternum regnat.

[a] 2. Cor. 3.

[b] Apoc. 7.

[c] Cant. 3.

Demum verò, Summe Sacerdos, oblatum ſeptimum hunc Annalium tomum, nouæ primitias dignitatis, veteris verò agriculturæ fructus, tua benedictione dignum redde diuino conſpectu: vt cùm per eam Deo ipſi, cui in primis offertur, fit gratus, gratia diuina concilietur auctori. Vale, Beatiſſime Pater, téq; mente recta gradientem in omnibus viis tuis Deus cuſtodiat ſemper.

Præſens

Præſens Annalium tomus incipiens ab anno Domini quingenteſimo decimooctauo perducitur vſque ad annum quingenteſimum nonageſimum, nempe ab anno primo Iuſtini Senioris vſque ad quintum Mauritij Auguſti. Complectitur annos ſeptuagintatres.

Acceſſerunt ad finem tomi parerga de conuerſione Ruthenorum ad Chriſtianam religionem, & eorumdem ad Romanæ Catholicæ Eccleſiæ communionem reuerſione ſub Clemente VIII. Pont. Max.

ANNA-

ANNALES ECCLESIASTICI.

C



D ardua miro quodam tunc assurgit animus impetu, cùm de diuino auxilio spem concipit haud dubiam; qua roboratus Apostolus, Omnia possum, inquit, [a] in eo qui me confortat.] Ideoque ne gracilis natura hominis sub oneroso fasce succumberet, & labores, quos præsertim supergredi vires sentit, consternata pauesceret atque refugeret: magnũ illud olim Patriarchę Iacob [b] ostensum est signum de sublimis atque laboriosæ scalæ conscensu, cùm ad scandentium auxilium missas cælestis militiæ copias, ipsos administratorios [c] spiritus, Angelos descendẽtes, ascendentesq; conspexit, pariterque ipsum Dominum super scalam innixum, vigilem inspectorem, auxiliatorem fortem, remuneratoremque fidelem: quo de superna prouidentia certi, de diuino auxilio minimè dubitantes, atque de perenni retributione securi mortales omnes difficile licet immortalitatis iter per ardua virtutum, alta petentes, arriperent, atque obuios quosque labores facilè superarent.

[a] *Philip. 4.* PRAEFATIO AVCTORIS CVM NVMINIS IMPLORATIONE.

[b] *Genes. 28.*

[c] *Hebr. 1.*

Quod igitur nostra ista Annalium scriptio scalæ ascensionis similitudinem referat, dum per annos singulos, singulis veluti distincta gradibus, res gestas enarrans attollitur: par est, vt in ea positi, sursum ad Deum, vnicum propositum nobis scopum, mẽtis oculos fixos habentes, precibus ab eo diuinum auxilium imploremus, Angelorumque occursum cum accursu sanctissimæ Dei Matris. Adsit ergo ipsa, quam interpellare consueuimus, vnà cum obuijs Angelis Dei genitrix Virgo MARIA: descendat, vt subleuet; ascendat, vt eleuet; manuque prehensans ducat, atque perducat tandem ad eum, quem fide cernimus super scalæ vertiE cem præstolantem Dominum, laborum nostrorum finem, requiem, atque coronam.

IESV CHRISTI ANNVS 518.	HORMISDÆ PAP. ANNVS 5.	IVSTINI IMP. 1. THEODORICI REG. 26.

DECVRSIS rebus gestis anni quingentesimi decimioctaui Redemptoris nostri vsque ad septimum Idus Iulij, quo contigit obitus impij Anastasij Imperatoris; quæ sunt reliqua anni eiusdem sub Consulatu Magni atque Florentij, prosequamur; atque noui, eiusdemque maximè pij Imperatoris auspicijs nouum hunc septimum ordine Annalium tomum feliciter inchoemus; cùm pulsis tenebris atræ noctis impietatis, tandem fidei Catholicæ radij Orientali Ecclesiæ illuxerunt. Sed quomodo id factum sit, videamus.

IVSTINVS IMPERAT.

[a] *Luc. 1.* [b] *Psal. 112. 1. Reg. 2.*

Qui depoſuit potentem [a] de ſede, idem exaltauit humilem, & de ſtercore [b] erexit pau- A
perem, collocauitq; cum principibus populi, vt ſolium glorię teneat. Etenim Iuſtinum [c] poſt
Anaſtaſium ex ſtabulo (ſi primordia eius repetas) ad Imperij ſublime faſtigium euexit; cùm
primùm videlicet ex porcario ſiue armentario gregarius miles, & inde vbi in militia virtu-
tum meritis, fide Catholica præuia, qua pollebat, primos duxiſſet ordines, Prætorianorum
præfecturam accepit, atque demum Imperator effici meruit. de quo præterea Euagrius [d] ex
Zacharia Eutychiano iſta depromit: Poſtquam Anaſtaſius ex corporis ergaſtulo ad præcla-
rius domicilium (vt dixi) demigrauit, Iuſtinus genere Thrax, nono méſis Pauemi, qui à La-
tinis Iulius nominatur, anno autem quingenteſimo ſexageſimoſexto ex eo tempore quo
vrbs Antiochia primùm illud nomen accepit, purpura veſtitur Imperatoria; & à militibus
Prætorianis, quibus antè cùm eſſet Præfectus ordinum Aulicorũ præfuerat, Imperator de-
claratur. Qui quidem ad iſtam Imperatoris dignitatem præter omnem ſpem propterea B
aſcendit, quòd multi & præſtantes viri cum Anaſtaſio cognatione coniuncti adhuc ſuper-
fuerant, qui cùm omnibus rebus, quas proſper & beatus vitæ ſtatus poſtulat, abundare vi-
debantur, tum eam conſecuti potentiam, quæ homines in tam amplo honoris gradu lo-
care poſſit.] Ceterùm inuitũ ac renitentem Iuſtinum ipſum creatum fuiſſe Imperatorem,
ipſius litteræ ad Hormiſdam Romanum Pontificem, & aliæ huius ad eum redditæ atte-
ſtantur, quæ ſuo loco ponentur: ex quibus omnino redarguas quæ ex Zacharia Eutychiano
Euagrius recitat, nempe eumdem Iuſtinum ſtudia Amantij Præfecti cubiculi Anaſtaſij Im-
peratoris conantis creare Theocritum amicum ſuum Imperatorem anteuertiſſe, atque
vtrumque è medio ſuſtuliſſe: hæc enim Euagrius ita narrat [c]:

[c] *Euag. lib. 4. cap. 2.*

AMANTIVS NESCIENS IVSTINO PROCVRAT IMPERIVM.

Per idem tempus Amantius vir potens in primis cubiculo Imperatoris præfuit: qui,
quoniam nõ licebat eunucho Imperio Romano potiri, cupiebat Theocrito, homini ſecum C
fide & beneuolentia coniuncto, coronam donare Imperatoriam. Itaque Iuſtino accerſito,
magnam pecuniæ vim ei dat: quã iubet illis diſtribui, qui poſſent purpuram Imperatoriam
Theocrito impertiri, & ad id præſtandum maximè viderentur idonei. Iuſtinus autem, ſiue
quòd populum largitione ſuum planè reddidit, ſiue quòd Excubitorum beneuolentiam pe-
cunia ſibi conciliauit (vtrumque enim memoratur) Imperio ipſe potitus eſt, ac ſtatim pòſt
Amantium & Theocritum cum alijs nonnullis è medio ſuſtulit.] Dedit meritas impius
eunuchus pœnas de perfidia, qua per plura annorum curricula contra Catholicam fidem
patrocinatus eſt hæreſi Eutychianæ, eiusq; ſectatoribus fauit, deprimens Orthodoxos. Tali
namque miniſtro per omnia ſuæ impiæ voluntati accommodato vſus Anaſtaſius Impera-
tor, quod damnum intulerit Eccleſijs Orientalibus, vidimus. At Deus vindex eodem tem-
pore, diuerſo licet interitu, vtrumque ſuſtulit, Anaſtaſium videlicet, & Amantium eunu- D
chum potentiſſimum, Eutychianorum patronum: in cuius nece imitatus planè eſt Iuſtinus
Marcianum Auguſtum, qui (vt vidimus) Chryſaphium eunuchum eiuſdem hæreſis & hæ-
reticorum promotorem & defenſorem, mox vt creatus eſt Imperator, necandum curauit.
At hæc de Amantio poſt aliquot dies contigerunt.

Edidit tunc & non mediocre pietatis ſpecimẽ Iuſtinus Imperator, dum coniugem ſuam,
Lupicinam dictã, nomine Euphemiæ illuſtris martyris, pietatis ergo, appellari voluit, ante-
quam eam Auguſtæ titulo decoraret [f]. Quæ autem conſecuta tunc ſint, cùm Ioannes Con-
ſtantinopolitanus Epiſcopus vnà cũ populo in eccleſiam perrexit, Acta publica ad verbum
excepta indicant; quæ recitata in Synodo Conſtantinopolitana contra Anthimũ ſub Men-
na hîc opportunè ſuo loco deſcribenda putauimus, imitati Flauium Vopiſcum, dum pro
magno hiſtoriæ ornamento Acta publica de Conſulatu Aureliani in eius Vitam intulit: ſe- E
cuti pariter Ælium Lampridium, qui in Commodo ex Mario Maximo multiplices con-
geſſit acclamationes à Senatu proditas. Se habent enim iſta veluti ouatio quædam de ex-
pugnata perfidia, & de impietate compreſſa ac fide Catholica liberata triumphus, cùm vi-
delicet in ipſa magna Conſtantinopolitana eccleſia trophæa victoriæ eriguntur, dum ex-
punctum è ſacris tabulis nomen ſacroſancti Concilij Chalcedonenſis, & abraſa deletaque
penitus nomina S. Leonis Papæ, necnon Euphemij & Macedonij Conſtantinopolitanæ
Eccleſiæ Orthodoxorum Antiſtitum, expoſcente populo, in eadem ſacra Diptycha reuo-
cantur. Accipe ergo quæ tunc feliciter in eccleſia coram Epiſcopo & Imperatore die deci-
maquinta eiuſdem menſis Iulij & ſequenti acta ſunt [g]:

[f] *Zonar. & Cedren. in Iuſtin.*

PVBLICA ACTA INFERRI SOLITA IN HISTORIAS.

[g] *Conſtantinop. Synod. cõtra Anthimum. Act. 1. Tom. 2. Concil. vet. edit.*

Introitu facto ſecundùm conſuetudinem in ſanctiſſima magna eccleſia noſtra, die Do-
minica inſtantis menſis Iulij, Indictione vndecima à Domino noſtro Archiepiſcopo œcu-

menico

A menico Patriarcha Ioanne (sicut non ignorat vestra erga Deum dilectio) dum ipse vnà cum venerabili clero esse circa ambonem, voces factæ sunt à populo, dicentes: Multi anni Patriarchæ, multi anni Imperatori, multi anni Augustæ: Anni plurimi Patriarchæ. Quid manemus incommunicati? Per tot annos quare non communicamus? Ex cuius manibus communicare volumus? Ascende ad ambonem. Heus persuade populo. Post multos annos communicare volumus. Orthodoxus es: quem times, digne Trinitate?] hæc idcirco illi, quòd à tempore electi Macedonij Orthodoxi ipsorum Episcopi, populus Orthodoxus se à cõmunione impij Timothei subrogati successoris subduxerat. At prosequamur Acta, cùm rursus acclamat populus, & fidem Catholicam sartam tectam conseruatam exposcit:

ACCLAMATIONES IN ECCLESIA IN AVSPICATIONE IMPERII.

Multi sint anni Imperatoris, multi anni Augustæ. Seuerum Manichæum eijce. Qui non loquitur, Manichæus est. Effodiantur ossa Manichæorum. Sanctam Synodum modò
B prædica. Multi sint anni Imperatoris: Multi sint anni Patriarchæ digni Trinitate. Sancta Synodus modò prædicetur digna Trinitate. Maria θεοτόκος, *id est*, *Dei genitrix*, est digna throno. Sancta Maria Dei genitrix est.] idcirco inculcat hæc de genitrice Dei Maria populus acclamando, quòd ab Eutychianis calumniam pateretur hæresis Nestorianę. Sed pergunt: Sancta Synodus hoc dixit. Qui non loquitur, Manichæus est. Vincit fides Trinitatis. Vincit fides Orthodoxorum. Sanctam Synodum modò prędica. Orthodoxus regnat: quem times? Vincit fides Imperatoris. Vincit fides Augustæ. Noui Constantini multi sint anni.] Nescit (vt vides) frena gaudium: exuberans lætitia facit eadem sæpe repetere: quæ cùm audies toties repetita, non erunt tibi fastidio, si in memoriam reuoces eorumdem longissimi temporis suspiria, gemitus, luctum, eiulatum, exiccantemque eorum corda mærorem. Sed magis admirari non desines eorumdem æstuantes ardore fidei Catholicæ animos, cùm au-
C dies quibus rursum eumdem suum ipsorum Episcopum compellant, exagitant, vrgentque clamoribus: Vel exeas (clamant) vel prædicabis. Multi anni Imperatoris. Iustine Auguste tu vincis. Synodum Chalcedonensem modò prædica, quia Iustinus regnat. Quem times?] his plane vocibus compellat populus Patriarcham, quem scirent semper fuisse Catholicum, verùm sub Anastasio persecutore timore correptum ad tempus silentio obriguisse. Sed rursum in hæreticos ita exclamat populus:

EXCLAMAT POPVLVS IN HAERETICOS.

Seuerum Manichæum foras eijce. Synodum Chalcedonensem modò prædica. Qui non anathematizat Seuerum, Manichæus est. Eijce foras Seuerum: Nouum Iudam eijce foras. Insidiatorem Trinitatis eijce foras. Sanctam Synodum modò prædica. Heus, obtestor, vel prædicabis, vel exies. Fides est, non ὑπόθεσις. Fratres Christiani, vna anima. Iustine tu vincis. Si fidem amas, Seuerum anathematiza. Heus, heus, obtestor: Multi anni Imperatoris.
D Heus, traho te. Heus, portas claude. Qui non loquitur, Manichæus est.] Sed cur, dices, Manichæos aopellant Eutychianos hæreticos? duplici sanè ex causa: Primùm quidem, quòd Anastasius Imperator Eutychianorum patronus, Manichæorum hæresis (vt dictum est) infamia laborabat; ob idque & qui cum eodem aduersus Catholicam fidem conspirabant, Manichæi pariter dicebantur: deinde verò, quòd cùm veram naturam carnis post adunationem in Christo Eutychiani negarent, quamdam cum Manichæis negantibus pariter Christi carnis veritatem, affinitatem contraxerant. Sed rursus populi Orthodoxi conclamationes & compellationes in Patriarcham audi, cùm simul addunt:

CONTRA EVTYCHIANOS CONCLAMAT POPVLVS.

Heus congregationi, Synodo, heus. Modò prædica, per Euangelium nihil præter te. Heus obtestor. Multi anni Imperatoris. Noui Constantini multi anni. Orthodoxi Imperatoris multi anni. Nouæ Helenæ multi anni. Seuerum eijce foras: Nouum Iudam eijce: Insidia-
E torem Trinitatis eijce foras. Multi anni Imperatoris. Fratres Christiani, vna anima fides est, non est simpliciter *. Sancta Maria Dei genitrix est. Hæc & Synodus dixit.]

Has dum audis, lector, frequentes populi acclamationes, ne putes improuisos hos, incompositósve ac dissonos fuisse clamores tumultuantis ac perstrepentis in ecclesia multitudinis, sed potiùs sonoras ad rythmum & modos musicos voces attemperatas, longè suauiores quàm in Circo esse solerent: de quibus accipe quid Cassiodorus[a] dicat, cùm de Circensibus acclamationibus agit: Soletis enim aëra ipsa mellifluis implere clamoribus, & vno sono dicere, quod ipsas belluas delectet audire: profertis voces organo dulciores, & ita sub quadam harmonia citharæ concauum theatrum per vos resonat, vt tonos possit quilibet credere, quàm clamores. Numquid inter ista rixæ decent, aut inflammata contentio? &c.] Si ergo acclamationes in theatro tales esse solerent; quales nàm, quamque modestiores & magis harmonicæ esse in ecclesia debuerunt? Sed prosequamur Acta.

* singulariter ACCLAMATIONES QVALES ESSE SOLERENT.

[a] *Cassiod. lib. 1. epist. 31.*

BIBLIOTECA UNIVERSITARIA DE GRANADA

OVID PATRIARCHA AD POPVLVM.

Hæc cùm exclamassent, data est eis responsio à sanctissimo & beatissimo Archiepiscopo A
& Patriarcha œcumenico Ioanne: Hæc patienter sustinete, fratres, vt priùs adoremus sanctum altare; & post hoc do vobis responsionem. Et cùm intrassent in sanctum altare, mansérunt clamantes: Multi anni Imperatoris: Multi anni Augustæ. Heus obtestor, non exibis, nisi anathematizes Seuerum: Anathema Seuero apertè dic: Heus* resera: Heus obtestor: Multi anni Imperatoris. Et demum ascendens super ambonem sanctissimus ac beatissimus Archiepiscopus & Patriarcha noster œcumenicus Ioannes, acclamauit hæc: Scitis labores meos, dilectissimi, quos & in antiquitate existens subiui, & nunc sustinui pro fide, & sustineo vsque ad mortem. Non ergo opus est turbatione, aut tumultu. Neque enim aliquid prætergressum est de recta fide statuendum: neque sanctam Synodum quis anathematizare audet; sed omnes sanctas Synodos, quæ confirmauerunt trecentorum decem & octo Patrum in Nicæa congregatorum, Orthodoxas cognoscimus, & maximè ipsas tres sanctas B
Synodos, hoc est, Constantinopolitanam, Ephesinam & Magnam Chalcedonensem: nam specialiter Symbolum trecentorum decem & octo Patrum, in quo baptizamur, ipsæ sanctæ tres Synodi consonanter confirmauerunt.

Post acclamationes verò, insistentibus ipsis per plures horas in ipsis vocibus, addebant: Non discedes, nisi anathematizes. Multi anni Patriarchæ digni Trinitatis: Multi anni Imperatoris. Multi anni Augustæ. Congregationem Synodi Chalcedonensis modò prædica. Commemorationem Patrum ad crastinum prædica. Nisi responsionem accepero, vsque serò hîc sum. Congregationem Patrum Chalcedonensium crastina die prædica: Hodie si prædicaueris, cras perficietur. Non recedimus, nisi prædicaueris. Eos qui Nestorium & Eutychetem anathematizauerunt, ad crastinum prædica. Nisi responsionem accepero, vsque serò hîc sum.] hæc quidem toties inculcata, ac toties repetita, ingeminataque sæpiùs, C
ex industria facta esse videntur & ex composito prodita, quo vniuersi populi perseuerantia & ardor erga fidem Catholicam magis ac magis totius Orientalis Imperij oris innotesceret: non quidem vt ista cunctatione Ioannis Episcopi sincera fides, quam semper coluisset, in suspicionem adduci posset, quem probè nouerant etiam sub hæretico Imperatore perseuerasse Catholicum: sed magis vt hoc vno conuentu, tum populi, tum Episcopi, tum denique Imperatoris fides Catholica probaretur, ac probata omnibus nota fieret. Subdunt verò Acta de ipso Ioanne:

CONCLAMATA APPROBATIO QVATVOR SYNODORVM.

Et acclamauit sanctissimus ac beatissimus Episcopus noster Patriarcha œcumenicus Ioannes sic: Quoniam perfici petijstis congregationem sanctorum Patrum Chalcedonensium: cognoscentes scietis, quòd & hoc faciemus consilio pijssimi & Christo amantissimi Imperatoris nostri. Perseuerantibus autem ipsis, & easdem voces exclamantibus, & addenD
tibus: Non recedimus, per sanctum Euangelium: Congregationem Patrum Chalcedonensium in crastinũ prædica. Prædicata fuit congregatio per Samuelem diaconum sic: Notificamus vestræ charitati, quòd crastina die perficiemus memoriam sanctorũ Patrum nostrorum Episcoporum in Chalcedonensi metropoli congregatorum, qui vnà cum sanctis Patribus Constantinopoli & in Epheso congregati cõfirmauerunt Symbolum trecentorum decem & octo Patrum in Nicæa congregatorum. Congregabimur autem huc.

SEVERVS PVBLICE CONDEMNATVS.

Et post acclamationem congregationis iterum permansit populus, & vna voce quàm plurimum clamauit: Seuerus nunc anathematizatus est. Non exeo, nisi modò responsionem accipio: Obtestor: Orthodoxus es: Modò anathematiza. Aut anathematiza, aut nihil. Et insistentibus ipsis plurimum in ijsdem, præsentibus Theophilo Deo amantissimo Episcopo Hieracleano, Theodoto Episcopo Gangrenorum, Hypatio Episcopo Claudio- E
politano, Ioanne Episcopo Bosphorio, Pythagora Episcopo Synopeno, Isacio Episcopo Quinquepolitano Græciæ, Ioanne Episcopo Commanorum regionis Pamphiliorum, Amantio Episcopo Nicopolitano, Ammonio Episcopo Abydano, Platone Episcopo Gratianop.* Eustathio Episcopo Philadelphiæ, & Pelagio Episcopo Azanitano, & alijs amantissimis Deo Episcopis consentientibus sanctissimo ac beatissimo Archiepiscopo Patriarchæ œcumenico Ioanni, acclamata fuerunt hæc: Quod Seuerus, qui se ipsum ab hac Ecclesia separauit, iudicio se ipsum submiserit, omnibus manifestum est. Sequentes itaque & nos diuinos canones & sanctos Patres, alienum ipsum putamus, & à diuinis canonibus per suam blasphemiam condemnatum anathematizamus & nos.] hactenus huius dici Acta Seueri anathemate clausa.

* Cratiano

Sed antequam ad dici sequentis res gestas progrediamur, admonendum putamus lectorem, vt

A rem, vt inter læta hæc posterorum Græcorum caueant imposturam. Cùm enim ipsa Acta vera omnino atque legitima sint; haud tamen dubium putamus, ipsa quidem in eo esse falsata, dum quoties nominatus reperitur ipse Ioannes Constantinopolitanæ Ecclesiæ Episcopus, toties fermè additus est titulus Patriarchæ œcumenici. Haud enim recepisset Romana Ecclesia eiusmodi Acta, in quibus adeò frequens titulus eiusmodi legeretur, quo Episcopus Constantinopolitanus, Patriarcha œcumenicus diceretur. Etenim Pelagius Papa sancti Gregorij prædecessor, in Ioannem Constantinopolitanum Antistitem eius nominis tertium, qui sibi huiuscemodi titulum vsurpauerat, impugnator insurgens, cùm ad vniuersos Episcopos scribit [a], inter alia plurima in detestationem nouæ præsumptionis hæc habet: State fortes, state securi: scripta, quæ vniuersalis nominis falsitate condemnata sunt, nec dare vmquam, nec accipere præsumatis.] Idemque superiùs tradit nihil eiusmodi ab eius-
B dem Ioannis prædecessoribus Constantinopolitanis Episcopis aliquando tentatum fuisse: in quam sententiam sanctus etiam Gregorius Papa ad eumdem epistolam dedit [b]. Cùm igitur adeò graues extent testificationes Romanorum Pontificum de eiusdem tituli detestatione atque abrogatione; quonam pacto inter publica Acta Concilij illa reperiuntur esse descripta atque recepta Acta, in quibus idem damnatus reiectusque titulus toties legitur repetitus? Præterea si in eadem Synodo idem sæpe titulus lectus, nec reiectus ab aliquo fuit: cur hæc non citata fuerunt contra eosdem Romanos Pontifices Pelagium atque Gregorium? Sed quæ sequenti die itidem in ecclesia transacta sint, videamus. Hæc enim eadem quæ superiùs Acta publica habent [c]:

DE NOMINIS OECVMENICI IMPOSTVRA RECENTIORVM GRAECORVM.

[a] *Pelag. epist.* 1.

[b] *Gregor lib.* 4. *epist.* 38.

His secutis, sequenti Dominica *(immo sequenti die post Dominicam, vt infrà in Actis Concilij Constantinopolitani)* quæ est decimasexta mensis Iulij, Indictione vndecima, finita me-
C moria prædictorum sanctorum Patrum, rursumq; facto introitu à sanctissimo & beatissimo Archiepiscopo Patriarcha œcumenico Ioanne, statim dum ipse appropinquaret amboni, voces à toto populo venerunt sic: Multi anni Patriarchæ: Multi anni Imperatoris: Multi anni Augustæ: Noui Constantini multi anni: Nouæ Helenæ multi sint anni. Reliquias Macedonij Ecclesiæ restitue. Iustine Auguste tu vincis: Eos qui sunt in exilio propter fidem, restitue. Exhumentur ossa Nestorianorum: Exhumentur ossa Eutychianorum. Quis est Nestorianus, ego nescio: Anathema sit ipse à Trinitate. Quis est Nestorianus, ego nescio: Anathema sit ipse cum Eutychete. Exhumentur ossa Nestorianorum: Exhumentur ossa Eutychianorum. Manichæos eijce foras. Iustine Auguste tu vincis. Seuerum Iudam eijce foras: Manichæos de ecclesia eijce: Duos Stephanos eijce foras. Reliquias Macedonij modò fer. Nomen Macedonij modò ordinetur, totis vocibus Imperatori supplicamus. No-
D uum Ezumam eijce foras. Nouus Ezumas Amantius est. Maledicum eijce de Palatio. Euphemium & Macedonium Ecclesiæ scilicet restitue. Synodica Romana modò valeant.] ambo hi Constantinopolitani Episcopi, quòd Catholicæ fidei professores essent, eiecti ab hæreticis Imperatoribus fuerant. Sed rursum Acta:

[c] *Apud eamdem Synodii Act.* 1. *Tom.* 2 *Concil. vet. edit.*

PETITIONES POPVLI IN ACCLAMATIONIBVS.

Multi anni Patriarchæ noui Ioannis, multi anni, digni Trinitatis. Iustine Auguste vincas. Multi anni Augusto, Reliquias Macedonij Ecclesiæ restitue. In ijs semper vinces. Euphemij & Macedonij nomina modò ordinentur ad perfectam ordinationem Ecclesiæ. Falsos testes Macedonij eijce foras. Quatuor Synodos Diptychis. Leonem Episcopum Romanum Diptychis. Sancta Maria Dei genitrix est: hoc Synodus dixit. Diptycha amboni. Qui non loquitur, Manichæus est. Diptycha amboni. Modò Deum tibi. Iustine Auguste tu vincas: curatorem non habes. Diptycha modò porta. Orthodoxi Imperatoris multi
E sint anni: Nouæ Helenæ multi anni. Si habes dominium *, modò porta Diptycha. Si habes Augustum, Diptycha modò porta. Canones non reiecerunt istos. Heus ordina: Heus ordina.] Quæ autem Ioannes Constantinopolitanus Episcopus ad ista responderit, eadem habent Acta his verbis:

PERSISTIT POPVLVS ACCLAMANDO.

* Sic habes Dominum

Et acclamata sunt hæc: Hesterna die sufficienter satisfecimus vestræ charitati. Nunc verò zelum vestrum apertè cognoscentes, illa festinauimus & festinamus facere, quę & Deum colunt, & vobis per omnia & in omnibus satisfacient. Quòd autem debeat nihil nobis remoueri de recta fide, arbitror vestram dilectionem diuersis temporibus & modis experientiam accepisse. Et idcirco fundamentum fidei sanctum, sanctorum Patrum traditione firmum permanere, gratia Domini nostri & Saluatoris Iesu Christi studuimus, sperantes & per ipsum dissidentes Ecclesias vnire, & vndique ordinationem diuinorum canonum inuiolabiliter tenere. Neque enim conceditur aliquid remoueri, & de nouitate vocis, & sub-

QVAE PATRIARCHA AD POPVLVM.

Praecupare tilitate sermonis occupare * Fideles, sed adhærere sancto Symbolo, in quo omnes baptizati A
sumus,& cum sancto Spiritu Nicæna Synodus exclamauit,& sanctorum Patrum Constantinopoli congregatio confirmauit, & sancta Synodus Ephesina confirmauit, & sancta Magna Synodus Chalcedonensis similiter sigillauit; quam nullo modo aut ratione amouere quis poterit,cùm omnem malè opinantibus tollat occasionem. Hanc itaque fidem immobilem tenentes ad inuicem,non dubitemus; sed omnem vocis nouitatem, ac omnem sermonis subtilitatem abijcientes, vno ore sanctam & consubstantialem Trinitatem glorificemus, quæ custodiat in pace vitam pijssimi & Christianissimi Imperatoris nostri ac omnium nostrûm. Patri autem & Filio ac Spirituisancto gloria nunc & semper & in sæcula sæculorum. Amen.

Hac autem acclamatione facta, permanserunt ita clamantes: sed nullus modò egrediatur: Obtestor te,portas claude. Fratres Orthodoxi vna anima: Fratres per fidē vna anima.] B
ita planè mutua charitate iuncti erant;quòd quidem specimē vnitatis Catholicæ egregium ijdem antè ediderant sub Anastasio, cùm (vt diximus) sæpe sæpiùs eiusmodi acclamationibus & conclamationibus & Imperij statum & vitam ipsius in discrimen adduxerint. Sed audi reliqua, cùm rursus acclamant: Iustine Auguste tu vincas. Qui non loquitur,Manichæus est. Sanctus, Sanctus, Sanctus,Trinitas vincit. Et nunc non timeas Amantium, nec Manichæum. Iustinus regnat: quid times Amantium?] erat Amantius de quo dictum est, terror Orthodoxorum,eunuchus Prępfectus cubiculi Anastasij Imperatoris,per quem idem Augustus hæreticus aduersus Catholicæ fidei defensores tyrannicè agere consueuit. Sed ijdem rursus suum ipsorum Episcopum hisce compellant vocibus: Digne Trinitatis,& hoc bonum tibi reseruatum est. Qui Synodum amat, ita honoratur. Multi anni Imperatoris: Multi anni Augustæ: Multi anni Patriarchæ. Vincit fides Orthodoxorum. Et rursus perse- C
uerantibus ipsis in eisdem vocibus acclamantibus, sunt eis hæc dicta à Patriarcha:

DE NON CVRANDO AMANTIO.

DE COGENDO CONCILIO AGIT PATRIARCHA.

Quod omne studium posuerimus complacere vobis, & inscandalizatos vos conseruare, clarè cognoscitis. Sed quoniam omnia canonicè & bono ordine fieri oportet, permittite nos congregare Deo amantissimos Episcopos,vt secundùm diuinos canones omnia proueniant,consilioq; & iussu pijssimi Imperatoris nostri:Omnes enim acclamationes vestras suę serenitati aperiemus.Et cùm ipsi clausissent portas,in ijsdem acclamationibus permanentibus,accipiens Diptycha sanctissimus & beatissimus Archiepiscopus & Patriarcha œcume-

RESTITVTA NOMINA EPISCOPORVM DIPTYCHIS.

nicus Ioannes,iussit ordinari sanctas quatuor Synodos, sanctorum Patrum videlicet in Nicæa congregatorum, & in Constantinopoli similiter conuenientium sub Nectario sanctæ memoriæ, & in Epheso congregatorum super depositione Nestorij, necnon illorum de Chalcedona super deiectione Eutychetis & eiusdem impij Nestorij. Ordinariq; iussit no- D
mina in sancta memoria defunctorum Archiepiscoporum huius regiæ vrbis Euphemij & Macedonij,ac etiam Leonis Romani Pontificis.

Luc. 1. Tunc voce magna omnes de populo tamquam vno ore clamarunt[a]: Benedictus Dominus Deus Israël, quia visitauit & fecit redemptionem populo suo. Magna autem hora ex vtraque parte consistentibus, & psallentibus hanc psalmodiam, cantores superuenientes conuerterunt se dicere Trisagium. Et cùm ipsi incepissent, totus populus quieuit, & audiebat attentis auribus Trisagium. Et post lectionem sancti Euangelij ex more sancta Missa finita, *Catechumenorum videlicet*, & ianuis clausis, ac sancta lectione iuxta consuetudinem lecta, tempore Diptychorum, *cùm scilicet publicè recitarentur nomina defunctorum Episcoporum*,cucurrit omnis multitudo cum magno silentio circumcirca altare. Et cùm solùm lectæ fuissent à diacono appellationes prædictarum sanctarum quatuor Synodorum, & E
sanctæ memoriæ Archiepiscoporum Euphemij & Macedonij & Leonis, voce magna vniuersi clamauerunt: Gloria tibi Domine. Et post hoc cum omni modestia completa fuit cum Deo diuina Missa.] hactenus Acta, in quibus fraudulenta manus, quæ Constantinopolitano Episcopo titulum addidit Patriarchæ œcumenici, nomen S. Leonis Papæ post Constantinopolitanos Episcopos vltimo loco ponit: nam & sui ipsorum veteres libri rituales eiusmodi redarguunt impostura,in quibus primo loco descripta leguntur nomina Romanorum Pontificum, inde verò eius Ecclesiæ Antistitum. Certè quidem in ordine precum ante omnes Romanus Pontifex, ac deinde ciuitatis Antistes poni solitus erat. Sunt de
[b] *Extat Tom. 6. Biblioth. sanctorum Patrum.* his plura exemplain liturgia S. Marci,quæ vsui erat primariæ totius Orientis Ecclesiæ Alexandrinæ,& inter alia cùm ibi dicitur [b]: Sanctissimum & beatissimum Papam N. quē præsciuisti fore vt sibi sancta tua Catholica & Apostolica Ecclesia omnium suffragijs eligeret,

necnon

A necnon sanctissimum Episcopum N. conseruans, &c.] ita vetus vsus, quem recentiores schismatici peruerterunt.

Quòd autem quæ in magna ecclesia, exposcente populo, tumultuariè facta essent, minùs legitimè ex forma à sacris legibus præscripta gesta esse viderentur: vt eadem ritè, more maiorum, in conuentu Patrum agerentur, Ioannes Constantinopolitanus Episcopus procurauit. Sic igitur post dies quatuor à dictis publicis Actis in ecclesia habitis dicta die decimasexta Iulij, eiusdem mensis die vigesima collecta est Synodus Constantinopoli eorum, quos ibi reperiri contigit, Episcoporum, vel qui proximè degentes citò vocari potuerunt, numero quadraginta: Cui primùm oblatus est à monachis Orthodoxis libellus quinque continens petitiones, quæ cognitæ examinatæque in Synodo sunt, & ab eadem quinque pariter edita decreta; quæ simul iuncta sua relatione Synodus vniuerso Christiano orbi nota fieri voluit,

RESTITVTA IN DIPTYCHIS NOMINA EXPVNCTORVM EPISCOPORVM.

B publicis litteris ad ipsum Ioannem Episcopum datis, quæ sic habent[a]:

[a] *Apud eandem Synodii Act. 1. Tom. 2 Concil.*

Cùm Deus omnium Dominus pro commodo Orthodoxæ fidei & stabilitate Catholicę Ecclesiæ, præterita Dominica & feria secunda, expleta Missa in sancta Dei ecclesia huius regiæ vrbis, vna voce mouit innumerabilem & infinitum populum, & ad hoc diuino zelo accendit plurimum, & sedulò petere vestram beatitudinem ascendere ambonem, & exclamare pro recta fide, pro qua semper agonizastis & agonizatis: Et cùm hæc feciστis, factæ fuerunt (vt dictum est) exclamationes plurimæ & continuæ populi vos laudatis pro Orthodoxa fide, & Patres prędecessores nostros expulsos restitui expetentis. Cùm autem vester nuncius totum nostræ examinationi tradiderit, & opportuna considerare mandauerit: necessarium putauimus, quæ secuta sunt & à nobis formata, per relationem primùm vestræ beatitudini annunciare. sunt enim hæc:

SYNODVS CONSTANTINOPOLITANA.

C Vigesima instantis mensis Iulij, Indictione vndecima, Consulatu Magni clarissimi viri, vniuersus monachicus ordo huius à Christo amatæ Imperialis ciuitatis, qui ex diuersis monasterijs conuenit, hic quidem Archimandritarum, alius verò reliquorum libellos porrexit huic omni congregatæ nostræ Synodo: petieruntq; ipsos legi, & capitula in eis cõtenta examinata à nobis fini tradere, immo verò sub forma Synodali ponere. Cùm itaque ipsos libellos legeremus, quos & subordinauimus formæ prædictæ hæc continere: in ipsis legimus primam petitionem libelli habentis, vt sanctæ memorię Euphemius & Macedonius expulsi, & in exilio mortui, iustè & canonicè reuocentur, & tradantur catalogo prædecessorum Archiepiscoporum in Domino ibidem quiescentiũ; omnibus vacuis manentibus, quę contra ipsos quandocumque facta fuerint: ponanturq; in sacris Diptychis ipsorum vocabula, secundùm quod omnis populus & monachicus ordo sedulò & multum exclamauit.

DE RESTITVENDIS NOMINIBVS ORTHODOXORVM IN DIPTYCHIS.

D Nos autem ordinem optatum petitioni imponere studentes, quæsiuimus facta in ipsis. Et cùm cognouimus per lectionem, quamplurima horum neque cum diligentia prouenerunt, neque fideliter, neque per iustitiam memorati Patres eiectionem sustinuerunt, neque tamquam aliquid amouerint de his quæ in recta fide seruabantur: necessarium putauimus, petitioni totius populi simul cum mulieribus & pueris, ac totius dignitatis ac militiæ, atque etiam monachici ordinis sedulò clamantium secundùm exhibitos libellos cum omni veritate satisfacere; vt secundùm quod sanctæ memoriæ Paulus, & Ioannes, *nempe Chrysostomus*, & Flauianus Patres huius regiæ vrbis reuocati fuerunt, sic & ipsi huiusmodi honoris in sacris libris memoria digni facti sint. Quæ ergo considerauimus & reformauimus, honestum existimauimus ad vestram beatitudinem deducere, & per ipsam pijssimo Imperatori nostro.

E Secundum capitulum in libellis continebatur, vt qui propter causam prædictorum Patrum (Euphemij dicimus & Macedonij) banniti fuerunt & fugati, reuersi restituantur proprijs gradibus. Quoniam igitur iusta petitio est, & primæ cõsequens: deliberauimus, vt prædicti adiuuentur, & adducantur ad pijssimum & serenissimum Imperatorem nostrum.

DE RESTITVENDIS ALIIS ORTHODOXIS SVLIBVS.

Tertium capitulum in petitione continebatur, vt pro maiori scripturarum auctoramento sancta & Magna Synodus trecentorum decem & octo Patrum congregatorum in Nicæa, qui sanctum fidei Symbolum definierunt & acclamarunt, in quo baptizati sumus & baptizamus, & quæ Constantinopoli sub Nectario sanctæ memoriæ congregata est, & prædictum sanctum Symbolum trecentorum decem & octo Patrum confirmauit, ponatur in sacris Diptychis.] desideratur comprobatio duorum reliquorum Conciliorum Ephesini & Chalcedonensis, quæ pariter ab ipsis probata constat ex ijs quæ inferiùs in eadem epistola leguntur, in qua ista sequuntur: Quoniam igitur honesta petitio est (quod enim pro

vtilitate

vtilitate Eccleſiaſtici ſtatus factum ſit) dignum iudicauimus iuxta acclamationes populi, & A
acclamationem veſtræ beatitudinis, & ſecundùm porrectum libellum à venerabilibus Archimandritis & monachis, ipſas ſanctas Synodos in Diptychis prædicari.

DE NOMINES. LEONIS IN DIPTYCHA RESTITVENDO.

Quartum capitulum in petitione venerabilium monachorum continebatur, vt nomen ſanctæ memoriæ Præſulis Romanorum Leonis in ſacris libris ſimiliter prædicetur, iuxta quod exclamationes populi ſupra & ſedulò factæ ſunt. Quoniam igitur Chalcedonenſis Synodus non ſolùm Leonis ſanctæ memoriæ, verùm etiam & Cyrilli Alexandrinorum à Deo amati paſtoris memoriam in Orthodoxa fide fecit; & Cyrillus quidem Alexandrinus in Diptychis prædicatur, Leo autem ſanctæ memoriæ non prædicatur: iuſtum putauimus, vt quod deficit, ſuppleatur. Et quia æqualiter ab hac ſancta Synodo pro ſtatu Orthodoxæ fidei honorati ſunt, ſimiliter & in ſacris Diptychis pro vtilitate & pace Eccleſiæ prædicentur.] Quod autem ijdem in Synodo ſacerdotes tradãt æqualiter prædicatos eſſe Leo- B
nem in Concilio Chalcedonenſi, atque Cyrillum in Epheſino, ſic intelligas, quòd Cyrillus ei præfuit, vices (vt ſuo loco dictum eſt) gerens Romani Pontificis: cùm tamen magna ſit differentia inter primarios magiſtratus, & delegatos ab eis.

DE DAMNATIONE SEVERI EPISCOPI ANTIOCHENI.

Quintum capitulum in ipſis petitionibus continebatur, vt attentata contra ſanctam Chalcedonenſem Synodum remouerentur, & blaſphema verba cõtra ipſam auferantur*: per Seuerum dico, qui eſt in Antiochia, indiſpoſitè & perperam prolata anathemati ſubijciantur, ſicut ſedulæ acclamationes populi factæ ſunt. Quoniam igitur oportebat & de iſto formam conuenientem Eccleſiaſtico ſtatui proferre: neceſſarium iudicauimus, primùm blaſphema ipſius verba in medio totius Synodi legi ad redargutionem eorum quæ ab ipſo præſcripta fuerunt. Habent itaque ſic de verbo ad verbum attentata & blaſphemata ab ipſo aduerſus ſanctam Synodum: Quæ à Synodo eo tempore in Chalcedone congregata for- C
mata fuerunt ac ſtabilita, & eos qui pro ipſa pugnant, anathematizamus. Hæc eſt illius ſceleſtæ vocis blaſphemia: ſed non ſolùm immunis hæc, verùm etiam aliæ plurimæ blaſphemiæ in libris ipſius proclamantur in hac regia vrbe; quibus Orthodoxiæ amatores incidentes, derident ipſius phreneſim, qui ſpuriè fertur.

Quoniam igitur hoc accuſatum habet redargutionem non ſolùm ex prædicta voce, ſed ex eo quod ſcriptum eſt, & ex alijs pluribus blaſphemijs turpiſſimæ eius linguæ contra hanc ſanctam Synodum: idcirco hunc iuſtè perpetuò anathemati & nos ſubmittimus, omni honore, nomine, dignitate, & operatione, Chriſtiano, aut ſacerdoti conueniente, vel conuenire valente priuantes; & nudum diuinæ communionis ſecundùm Eccleſiaſticos canones ſtatuentes, contra quos & blaſphemare & calumniari ſanctam Chalcedonenſem Synodum conatus eſt, quæ ſpecialiter ſignauit Symbolum trecentorum decem & octo D
ſanctorum Patrum qui in Nicæa conuenerunt, & quæ immotum ac immutilatum ipſum exiſtere prædicauit; ſicut & ſancti Patres, qui Conſtantinopoli, & qui in Epheſo conuenerunt, ſimiliter confirmauerunt, cum quibus & ſancta Chalcedonenſis Synodus ſimilia defendit, & reſplendere vbique hoc iuſſit.

Quapropter non ſolùm tamquam blaſphemum, ſed & tamquam calumniatorem, & omnibus ſanctis Synodis per iſtam Synodum iniuriantem, prædictum Seuerum omni honore deſtitutum eſſe ſtatuentes, anathemati ſubijcimus. Hæc à nobis examinata & formata, ad ſanctum nuncium tuæ beatitudinis feſtinanter exarauimus, & propria manu ſubſcripſimus, & afferri ſubordinauimus exhibitos nobis libellos ad agnitionem veritatis: vt & hæc per veſtram beatitudinem veniant ad potentiſſimum & ſereniſſimum Imperatorem noſtrum, & ad piiſſimam ac Dei amantiſſimam Auguſtam, & ad glorioſum ipſorum ac E
magnum Senatum.] hactenus Synodalis relatio, cui poſt ſubſcriptionem quadraginta Epiſcoporum adiectus legitur monachorum libellus.

IN QVIBVS ORIENTALES ISTA SANCIENTES DEFECERVNT.

Fuerunt hi primi flores, quos poſt diuturnam hiemalem brumam Oriẽtalis terra produxit, quæ hactenus ſub maledictione diuina nonniſi tribulos atq; ſpinas genuerat. Vt meritò tunc Fidelibus illud Canticorum[a] occinere licuerit: Flores apparuerunt in terra noſtra: ficus protulit groſſos. Vineæ florẽtes dederunt odorem ſuum.] Verum flores & non fructus, groſſi & non ficus, odor & non ſapor iſta fuerunt, quouſque ſapientis manu agricolæ infructuoſi palmites non fuerunt exciſi. Intellexiſti enim vnà cum fidei Catholicæ profeſſione, approbationeq; ſacroſancti Chalcedonenſis Concilij, ſimulq; reſtitutione nominis S. Leonis Papę in ſacras tabulas, atque conclamata & in Synodo & in eccleſia damnatione Seueri & aliorum hæreticorum, his omnibus ſcitè probeque tranſactis, admiſta zizania eſſe tritico, cùm ab

[a] *Cant. 2.*

A cùm ab eisdem reddita sunt nomina Euphemij & Macedonij Constantinopolitanorum Antistitum propter fidem exulum, pariterque in sacra Diptycha reuocata; quos constat in schismate tanta passos, neque fuisse receptos in communionem ab Apostolica sede ob retentum ab ipsis pertinaciter nimis nomen Acacij schismatici & hæreticorum communione polluti. hi, inquam, infructuosi palmites Apostolica priùs fuerunt præcidendi falce, vt culta vinea dignos fructus afferret.

Quamuis enim alia cuncta cùm à populo rectè in ecclesia petita, tum ab episcopis in Synodo sanctè pieque definita videri possint; vtpote quæ pro defensione Catholicæ fidei, & alleuatione oppressorum ab hæreticis, & condemnatione hæreticorum statuta essent: illud tamen constat perperam à populo flagitatum, & à Synodo turpiùs concessum ac decreto sancito firmatum, vt nomina eorumdem Episcoporum, quæ iam antea licet ab hæreticis B è sacris Diptychis deleta fuerant, in easdem Ecclesiasticas tabulas inferrentur. Quamobrem cùm postea hæc rescisset Hormisda Pontifex[a] per legatos quos Constantinopolim misit (vt suo loco dicemus) egit Apostolica auctoritate, vt restituta in Diptycha eorumdem nomina Euphemij & Macedonij vnà cum nomine Acacij eiusdem ciuitatis Episcopi iterum è sacris tabulis expungerentur.

EVPHEMII ET MACEDONII NOMINA PERPERAM REDDITA DIPTYCHIS.

[a] *Ex suggest. Germani & Pulion. extat inter Hormisdæ epistolas Tom. 1. epist. Rom. Pontif.*

Est profectò magna admiratione dignum, quæ tantæ ciuitatis tam frequens populus vnà cum monachis atque clericis tanta instantia petijsset, & cõgregati in Synodis siue Constantinopoli, siue in Syria, & vbique locorum in Oriente Orthodoxi Episcopi stabilijssent, in vnam eamdemq; sententiam conspirantibus omnibus Orientalibus Orthodoxis Episcopis, consentiente præsertim Imperatore, cùm vnus tantùm dissentire inuenitur Romanus Episcopus, omnia mox labefactata, sua sponte nullo negotio corruere. Vnius itaque dumtaxat C facultas fuit Hormisdæ Romani Pontificis, vt quæ ab omnibus probata essent, irrita prorsus redderentur; qui potuit eosdem ad ea omnia abroganda atque penitus delenda compellere. Eluxit planè & ea in re, quantus esset in vniuersa Ecclesia moderanda vigor Apostolicæ sedis. Sed de his pluribus suo loco inferiùs agendum erit. Reliqua verò, quæ in eadem Constantinopolitana Synodo tum pro firmitate Chalcedonensis Concilij, tum etiam cõtra Seuerum & alios Eutychianos hæreticos decreta fuere, ab eodem Romano Pontifice rata habita sunt, & nouis accedentibus scriptis firmata, atque fortiùs roborata.

QVAE AB APOSTOLICA SEDE EIVS SYNODI SINT ABOLITA.

His igitur in Synodo Constantinopolitana decretis, curæ fuit Ioannis Constantinopolitani Episcopi de omnibus certiores reddere omnes Orientis Episcopos, ad quos etiam vna cum Synodalibus litteris Actorum publicorum exemplaria, tum rerum gestarum in magna ecclesia, tum quæ in Synodo definita fuissent, misit. Qualesnam autem eiusmodi litteræ D fuerint, ex ijs quas dedit ad Ioannem Hierosolymorum Episcopum, reliquas intelligere satis valeas. Extant ipsæ quidem perbreues recitatæ in eadem Synodo verbis istis[b]:

[b] *Eadē Synod. Act.* EPIST. IOAN. AD EPISCOPVM HIEROSOLYMITAN.

Christus Deus noster, qui eiusdem animæ & fidei hominibus vinculum charitatis in pace dedit, quę ab ipsis gesta sunt, communia esse, iustum ducit. Quoniam igitur diuinus quidam cælitus motus fuit Christianissimi populi huius regiæ ciuitatis; ac omnia ab ipso exclamata, & à me pronunciata, mundo manifesta sunt: necessariũ putaui tuę significare charitati, vt cùm hæc Spiritus sancti operatione cognoueris, verbo veritatis confirmeris: maximè quæ sancta Synodus congregata petitione totius monastici ordinis definiuit in scripturis, & quæ definiuit, tuæ sanctitati quàm celeriter mittere studuimus.] hactenus Ioannes ad Ioannem. Eiusdem planè sunt argumenti, quæ eodem tempore scripsit idem Constantinopolitanus Episcopus ad Epiphanium Archiepiscopum Tyri, quarum est exordium: Deus E qui omnia ad vtilitatem desuper dispensat, &c.]

Cùm igitur istiusmodi adeò læta per litteras Ioannis vniuerso orbi Orientali innotuissent: atque ex missis Actorum exemplaribus pariter certum exploratumq; in omnibus redditum esset, Iustinum nouum Augustum esse Catholicum, atque fidei Orthodoxæ patrocinari: mox erectus est animus Orthodoxorum Episcoporum, illorumq; potissimùm, qui timore persecutionis sub Anastasio Imperatore vel latebras captassent, vel communicationi hæreticorum se turpiter miscuissent. Illo itaque mortuo, vt cessauit exactor (sicut est sermo[c] propheticus) quieuit tributum: ad impertitam ex insperato pacem Ecclesiæ respirare [c] *Isa. 14.* cœperunt, & sub Orthodoxi Imperatoris patrocinio sumere ingentes spiritus Episcopi omnes, quibus vel exiguus saltem vitalis calor Catholicæ fidei reliquus adhuc erat. Excitati verò huiusmodi Constantinopolitani Antistitis litteris, veluti milites classico, exurgunt omnes, & in vltionem impietatis armantur, coëunt simul iungentes spirituales copias:

in diuersis

FREQVENTES SYNODI IN ORIENTE PRO FIDE CATHOLICA.

in diuersis enim prouincijs delectum habentes, Orthodoxos conuocant ad Synodos celebrandas Episcopos; in quibus aduersus impietatem & impios ardentioribus animis concertantes, hos & illam cum eius sectatoribus sternunt: sicq; stratam atque protritam fidem Catholicam erigunt, & in pristino maiestatis suæ throno honorificè collocant: simulq; Synodales reddunt ad Synodum Constantinopolitanã epistolas, quibus tum se confirmare cuncta quæ essent acta significant; tum etiam ipsam veluti aculeatis stimulis ad perfectam destructionem hæreticorum, Seueri potissimùm ac sociorum, impellunt.

Quot autem ea de causa hoc anno coiuerint Orthodoxorum Synodi in Oriente, nescitur quidem: sed in singulis prouincijs eas celebratas esse, collectus simul Episcoporum numerus, qui rebus gestis pro fide Catholica, ipsiq; veræ fidei subscripsere, facilè persuadet. Etenim Rusticus Romanæ Ecclesiæ diaconus Cardinalis huius sæculi scriptor luculentissimus, dum contra Acephalos per dialogismum disputat [a], testatur duo mille & quingentos sacerdotes sub hoc eodem Iustino Imperatore probasse Catholicam fidem; nam ait: Sufficeret tibi vnica auctoritas Synodi vniuersalis, quæ toties cunctarum Ecclesiarum consona sententia confirmata est tam per encyclicas epistolas, regnante Leone, quàm per libellos sacerdotum forsan duorum millium & quingentorum, imperante Iustino, post schisma Petri Alexandrini, & Acacij Constantinopolitani.] hæc ipse. Sed vt tantæ messis paucas saltem spicas, quæ superfuerũt, in aream inferamus; hîc duarum tantummodo Synodorum, quæ extant, Hierosolymitanæ videlicet atque Tyriæ, Synodales epistolas describemus, necnon litterarum clericorum & monachorum Apameorum & Antiochenorum fragmenta scitu dignissima ad horum temporum res ab hæreticis gestas pernoscendas, cùm ex ijsdem nefanda hæreticorum opera tenebrarum prodantur in lucem. Atque primùm quæ à Hierosolymorum Synodo, cui interfuerunt Episcopi triginta tres, & à Ioanne Hierosolymitano scripta est, hîc recitetur; quæ sic se habet [b]:

[a] *Extat Tom. 2. Bibliotb. sanct. nou. edit. col. 1174*

INGENS NVMERVS ORTHODOXORVM FIDEM CATHOLICAM PROBANTIVM.

[b] *Eadẽ Syno. contra Antimum Act. 1.* SYNODALIS EPIST. CONCILII HIEROSOL.

Domino meo, Deo amantissimo & sanctissimo comministro Ioanni, & sanctæ Synodo in Constantinopoli congregatæ, Ioannes Dei miseratione Episcopus Hierosolymorum, & sancta Synodus trium Palæstinarum existens sub sanctis locis Christi Dei omnium in Domino salutem.

Quoniam duplex est lacrymarum motus, alter quidem qui in dolorem fert, alter verò qui in lætitiam (nam Ioseph Patriarcha [c] cùm recognosceretur à fratribus, magno & intimo desiderio lacrymatus est; & Paulus vas electionis dicit [d] quòd tristitia mundi mortem operatur; quæ autem secundùm Deum est, salutem) incidentes nos illacrymabiliter in his quæ à vestra sanctitate gesta ac scripta sunt, repleti lætitia sumus, ita vt nos magno cum Propheta Dauid [e] dicamus: Lætati sumus in his quæ dicta sunt nobis, in domum Domini ibimus. & hoc [f]: Hæc est mutatio dexteræ excelsi. & illud [g]: Confitemini Deo deorum, qui facit mirabilia magna solus, quoniam in sæculum misericordia eius. & illud [h]: Quis loquetur potentias Domini, auditas faciet omnes laudationes eius? Ecce enim Deus dicit per Samuelem [i]: Facio opera mea in Israël, vt omnis qui audit, crepitent ambæ aures eius. Hæc & temporibus nostris opere prouenerunt.

[c] *Genes. 45.*
[d] *2. Cor. 7.*
[e] *Psal. 121.*
[f] *Psal. 76.*
[g] *Psal. 135.*
[h] *Psal. 105.*
[i] *1. Reg. 3.*

DE IMPIETATE SEVERI.

Nam abominationem illam desolationis, monstrum pestiferum, Seuerum dicimus, qui iniquitatem in altum locutus est per sua blasphema verba cõtra sanctam Magnam & œcumenicam Chalcedonensem Synodum dicta; cuius neque principium cognitum est nobis, neque quis sit; qui Antiochenam sedem iniquè ac tyrannicè ac contra Ecclesiasticos canones subripuit, & qui secundùm illum Ægyptium [k] in Actibus, concitauit; & induxit in eremum sicarios; anathemati subiecit, & alienũ fecit ab omni sacerdotali collegio & dignitate & honore per vestram sanctitatem, quæ malum odit. Qui enim dedit Hieremiæ [l] Prophetæ superædificare & demoliri, eradicare & plantare, & Petro Apostolorum [m] principi soluere & ligare; hic communiter donauit sacerdotio. Sanctissimos itaque & Deo dilectos monachos, qui sub magna illa & regia ciuitate habitant, atque etiam ipsius Deo dilectum populum propter Dei zelum laudamus: quoniam & vsque ad mortem perstiterunt, vt lupum Antiochenæ ciuitatis de pascuis ouium expellerent: qui se ipsum occultabat quidem, sed magis nocere conabatur, quàm ipse posset. Qui secundùm illud Balac [n], maledicere conabatur, quem Dominus non maledixit. In caput ipsius omnes maledictiones euenerunt: & benedictus est Israël, qui intelligit. Et perijt quidem Balac, simili modo & Balaam vates, qui opera actuum suorum suscepit, & anathematizatus est, & ille cum seruo otioso & malo pœnam sustinet.] his adijcit pluia, quibus se confirmare, rataque habere demonstrat

[k] *Act. 21.*
[l] *Hier. 1.*
[m] *Matt. 16.*
[n] *Num. 22. 23.*

A demonstrat cuncta quæ pro confirmatione Concilij Chalcedonensis, & pro restituendis nominibus Orthodoxorum, & damnatione hæreticorum ab ipsa Synodo Constantinopolitana acta essent. Ad finem verò eiusdem Synodalis epistolæ, symbola communicationis adiungens, hæc ait: Congratulantes itaque in his vestræ sanctitati, & cõsentientibus his quæ à vobis facta & scripta sunt, & vobis communicatiui existentes, propheticũ [a] illud eloquium dicimus: Celebra Iuda festiuitates tuas, redde Domino vota tua: ideo non apposuisti vt ires in vetustatem. Nobiscum ergo eadem orate, sanctissimi: communia enim sacerdotum sunt. Et sanctam & glorificatam Virginem Dei genitricem Mariam vnà nobiscum supplicate intercedere pro pace sanctarum Ecclesiarum, & victoria & perpetuitate pijssimi & serenissimi Imperatoris.] Hucusque Synodalis epistola Hierosolymitani Concilij. [a] *Num. 15.*

DE SYNODO TYRI COLLECTA.

B Quam autem Tyri conuenisse hoc anno Synodum diximus, habent Acta publica recitata, in dicta Synodo, celebratam esse decimasexta die mẽsis Septembris, hoc videlicet anno, inchoante Indictione duodecima. A qua itidem nomine Epiphanij Tyri Episcopi & collegarum sibi subiectorum Antistitum missæ sunt litterę Synodales ad Ioannem Cõstantinopolitanum Episcopum, à quo idem Epiphanius alias (vt diximus) antea acceperat. est harum exordium: Benedictus Deus pacis Dominus, &c.] quibus ea quæ benè gesta essent in Constantinopolitana Synodo comprobant, præsertim verò quæ aduersus impium Seuerum decreta essent; de quo nefario pseudoepiscopo ista subijciunt [b]:

[b] *Extant in eadẽ Synodi Tom. 2. Concil.*

QVAE SEVERVS CONTRA CANONES PRAESVMPSERIT.

C Quisnam sermo sufficiat ad enumerationem eorum, in quibus ille, *Seuerus scilicet*, peccauit contra diuinos canones & Ecclesiasticum ordinem? Erexit supercilium in arrogantiam, & fastuosus in anathematizationibus videtur, in homilijs & in impijs conscriptionibus aduersus sanctos Patres; & quod verius est, aduersus spiritualem doctrinam diuinorũ Apo-
C stolorum ipse se ipsum in redargutionem disponit in vniuersis vanis sermonibus, quos scripsit. Etenim conuenit in impia hæresi positos & mentem perturbare, & non sufficere vsque ad finem cooperire morbum quem habent, & qui ipsorum corrodit intellectum. Sed non fuit ita audax, vt imponeret vinculum ex auctoritate, quo separaret clericos aliarum ciuitatum à communione diuina, neque consilio, neque consensu suorum Episcoporum? Quid autẽ quod præsumpsit alienos clericos canonicè ligatos à proprijs Episcopis ad ipsum confluentes, per prædicationem animæ corruptiuam ab ipso subornatos, & ad suam cõmunionem assumptos, sine permissione eius qui ligauerat, permittere in Ecclesiasticis ministerijs ministrare? & vtrumque horum peregit in Tyrijs. Sed & eos qui dignitatem presbyteralem acceperant, & in principio se opponebant ipsi vanæ vociferanti impiam doctrinam, postea verò secum concordantes, parauit in habitu diaconatus ministrare, iniustè ipsos honore
D presbyteratus priuans. Cùm enim qui ipsos ordinauerat, non potuerit supplantare, vt suæ doctrinæ condescenderet; huius occasione ordinationem ab ipso impositam exuit: quod iam ab ipso in ciuitate Arcenensi factum fuerat.

ALIA EIVSDEM SEVERI IMPIA FACTA.

Insuper autem nónne fuit extendens temeritatem suam, qui adulterando diuinos canones, in alienis diœcesibus ordinat suffraganeos, alibi autẽ paramonarios, credens sufficienter habere? Hac via intendit impugnare & dissoluere iura ab Episcopis & sacris canonibus definita. Ad testimoniũ autem horum est accipere Tripolitanam, item & ipsam Arcenensem Ecclesias. Apparet etiã quod fuit ausus permittere Episcopos ordinare in diœcesi alterius ciuitatis, cuius Episcopus adhuc supererat. Minister autem fuit Stephanus Episcopus Orthosiensis, qui ausus fuit manum ponere in diœcesi Antaradensi, superstite adhuc Theodosio bonæ memoriæ Episcopo prędictæ ciuitatis. Quid autem dicemus & ad id quod per totum
E Orbem, vt ita dicamus) diuulgatũ est? si verum est quòd accepit ordinationem presbyteri sibi à schismaticis datam, & alijs rursum ipsam ordinationem communicat: quod cũ studio fecit, festinans nanciscirationaliũ ouium ouile Antiochenum & omnis alterius Orthodoxæ Ecclesiæ, & in perditionem traducere sua abominabili & sceleste voce, qua vermes portat, ex quibus ipse sibi thesaurizauit, nihil sanum aut rectum erga Orthodoxam fidem loquens, sed est ei turpissimarum actionum ambitio erga eos qui ab ipso prouisionati sunt, duplici exinde apparente peccato, quod ad maiorem damnationem ipsum repræsentat.

Primùm quidem collectio auri Ecclesiasticarum rerum Antiochenæ Ecclesiæ, quæ dissipantur & disperguntur, & ad incurabilem restaurationem constitutæ sunt. Secundũ, quod ijs qui ex prouisionibus aluntur, mandauit omnẽ concitare turbationem, & omnẽ tumultum in ecclesijs ciuitatis dispergere, ac etiam in claustris monasteriorũ: & semina schismaticorum ab ipso sparsa sunt. Ad quod est accipere ipsum apertè repugnare diuinis doctrinis

in sacris

[a] *Tit. 2.* in ſacris Euangelijs proclamatis magni [a] Dei & Saluatoris noſtri Ieſu Chriſti, ipſo quidem pacem prædicante, & ipſam inquirere, & ſcandala abominari, & ipſis qui ipſorum cauſa ſunt ligare ad collum lapidem molarem, & ipſum mergere in profundum, ſicut ſcriptum [b] *Mat. 18.* eſt [b]. At hæc quidem deſiderabilia ſunt Seuero impio. Pacis auctorẽ omnino refugit. Quod quidem ſi per quodlibet percurrere conaremur, infinita nobis eſſet oratio. Verumtamen hæc ediximus, & multitudinem prætermiſſorum alijs enarrare conceſſimus.] ita ſanè: etenim videntur iſta leuiſſima reſpectu aliorum quæ à clero narrantur, & ab Epiſcopis Secundæ Syriæ dicta reperiuntur, de quibus inferiùs erit ſermo. A

Adijcit his Epiphanius quæ Ioannes clericus paramonarius Tyriæ Eccleſiæ Seuero addictus nefanda patrarit: hic enim Tyro recedens, eidemque Seuero Antiochiam proficiſcens inhærens, rurſum Tyrum rediens more latronis in eam Eccleſiam graſſatus eſt; de

SACRILEGA FACTA HAERETICORVM IN CRVCEM INSANIENTIVM.

quo hæc præter cetera in eadem epiſtola habet: Inter alia & venerabilis Crux lapidata eſt ab his qui cum ipſo nidificant in prædicto oratorio Dei genitricis. Et quidam de multitudine Chriſtianorum & venerabilium clericorum flagellati fuerunt. Contigit autem & me Tyrorum Epiſcopum vſque ad mortem periclitari, propterea quòd ipſe cum ijs qui ſibi aſſentiuntur, inſidias parabant.] Vidiſti qualia eſſe ſoleant opera hæreticorum Crucis Chriſti inimicorum. Habent planè quibus manus exoſculentur recentiores hæretici, dum Crucis ſignum grauioribus afficiunt ignominijs; vtpote qui ex aduerſo contra Chriſtum bellantes, contraria à principe tenebrarum, ſub quo militant, accepta teſſera, aduerſus Chriſti ſignum & eo ſignatos inſaniunt. Hæc & alia Epiphanius cum ſuis coëpiſcopis profeſſus ſe cuncta rata habere quę in Synodo Conſtantinopolitana facta eſſent. Addit verò ad poſtremum ſe perfeciſſe quod ab eis decretum eſt, nempe vt nomina Euphemij & Macedonij exulum pro fide Epiſcoporum defunctorum in ſacras tabulas reſtituerentur: ſed rogat ita pariter agere, vt & S. Flauianus Orthodoxus Antiochenus Epiſcopus in exilio mortuus ſacris Diptychis redderetur. Hæc Tyri. B C

DE LITTERIS EPISCOPORVM SECVNDAE SYRIAE.

Sed & Epiſcopi Secundæ Syriæ probantes quæ Conſtantinopoli aduerſus hæreticos geſta eſſent, reddiderunt pariter litteras Conſtantinopolim ad Ioannem eius ciuitatis Epiſcopum. eſt ipſarum exordium [c]: Cùm adſpeximus ad ſaturam, &c.] quibus ſcelera Seueri & Petri Apameę inuaſoris Eccleſię ſummatim perſtricta paucis his narrant: Qualia enim ſunt, in libellis nobis oblatis à venerabili clero Apamearum, & ab ordine venerabilium monachorum, peræquè percurri, homicidia, ebrietates, actus præſumptuoſos, obſidiones monaſteriorum venerabilium, impudicarum mulierum introductiones in ſacris & intemeratis templis, periuria, blaſphemias, ordinationes cum datione pecuniarum, & his horridiora & maiora, quàm ſecundùm naturam humanarum rerum dici poſſint.] hæc & alia ipſi, quibus iunxerunt libellos oblatos à clero Apameæ & à monachis Syriæ. D

[c] *Extant in dicta Synodo cõtra Anthimum. Act. 1.*

ET LIBELLO CLERICORVM APAMEAE PETRI SCELERA.

Clericorum Apameæ libellus ſic incipit: proprium ſacerdotij & honeſtæ pollicitationis, &c.] quo quidem horrenda nefandaque perpetrata à Petro ſcelera enarrant; atque primùm ſunt queſti, ſacroſancta Eccleſiaſtica dogmata, quæ à ſancta Romana ſede in alias deriuata ſunt Eccleſias, opera nefandorum hæreticorum eſſe labefactata, penituſque corrupta per impium Seuerum Antiochenæ ſedis inuaſorem, & Petrum, qui ſe intruſit in Eccleſiam Apameæ; quo auctore ſicut fidei Catholicæ, ita & ſacrorum canonum profligatio facta eſſet, atque deſtructio paradiſi, cùm videlicet ſanctos, qui ex hac vita migraſſent, anathematizarit Epiſcopos, deleueritque eorum nomina ex ſacro Eccleſiæ Albo, eorumdemque imagines aboleuerit, pingique fecerit loco ipſorum Dioſcorum & alios hæreticos condemnatos: Inſuper quòd ira percitus, comminatus in lectores, eiuſmodi proruperit in blaſphemiam homo nefandus, dicens: Niſi tacebitis, in ſubdiaconos vos redigam: & ipſe qui crucifixus eſt, deſcendens non liberabit vos de manibus meis.] & alia occaſione illud etiam aliquando putidum os euomuit: Anathema ſit factis tranſactionibus, etiam ſi Paulus Apoſtolus reſuſcitatus poſt me ſedebit in ſede iſta, qui quæreret & peteret rationes iſtas; aut diceret ei quicquam.] ita teſtes depoſuere; dictumq; inſuper illud: Omnia altaria & eccleſias comburet * Deus, & faciet * vallem * vnam.] E

* comburat
* faciat
* collem

TVRPITVDINIS PETRI APAMEAE.

Quàm præterea monſtrum iſtud impuris eſſet moribus, totumque reſperſum cœno libidinum, ijdem ſubdentes oſtendunt ampliſſimis notis: nempe ipſum cum infamibus mulieribus ſermones miſcuiſſe in eccleſia impudicos: Et quòd in baptiſterio eccleſiæ ſanctæ Mariæ, poſita illic quadã femina Maria ad baptiſmum nudata, ipſe nefarius intrans in baptiſterium ſolus, eiectis omnibus, cũ illa permanſerit: Habuiſſeq; etiã in delicijs ſubintroductam

feminam

A feminam Stephanam cognomento Pterouolam degentem in monasterio, ad eamque introire pro animi voluntate, testati sunt: Quodque celebrans incruentum sacrificium, oculos ad mulieres conuersos haberet, excreationibusque eas ad reciprocum excitaret intuitum, sputis interea libidinis nuncijs inquinans sacrum altaris tegumentum: Sed & quòd armatis sceleratorum turmis impetum fecerit in monasterium S. Dorothei; in quod introduxerit, pulsis & flagellatis monachis, meretrices, illic saltantes, & obscœna quæque nefanda patrantes. Addiderunt & ab eodem corruptam vxorem militis, eamdemque fuga lapsam haud ferre sustinentem turpissimi hominis fœditatem. De ordinationibus insuper adiecerunt ab eodem venundari solitis, & alijs nefarijs eius operibus, quæ quidem textui corrupto menda inhærentia reddunt obscura. At non prætereundum illud inter alia ipsi Petro crimini datum, quòd candida indutus veste spectatus incederet præter sacerdotum
B morem. Vides quales esse soleant, quos ad destructionem Catholicæ fidei antiquus hostis immittit. Subscripserunt epistolæ clerici omnes eiusdem Ecclesiæ Apameæ professi fidem Catholicam. Addiderunt autem his litteris post subscriptionem iidem clerici ad eosdem Orthodoxos Episcopos Syriæ in Synodo congregatos contestationem, qua petierunt à se scriptam epistolam mitti Constantinopolim, atque operam dare, vt eadem ab ipsis scripta nota fierent Imperatori ac magistratibus: quod diligenter præstitum est: insuper & acclamationes ab ijsdem Apameæ Ecclesiæ clericis factas itidem subijci voluerunt, quibus & declamata fuere eiusdem Petri scelera, eademque omnia postea in Synodo contra Antimum habita recitata. Hactenus de his quæ à clericis sunt missæ querelæ.

Sed & à monachis eiusdem Ecclesiæ Apameæ oblatæ sunt (vt dictum est) litteræ, siue libellus ijsdem Syriæ Episcopis: est autem eius exordium [a]: Docuerunt nos diuinæ Scriptu-
C ræ.] qui & inferiùs de his quæ passi essent ab hæreticis sanctissimi monachi fidei Orthodoxæ cultores, historiam recitant memoria planè dignam; cùm eadem quæ narrant sceleratorum hominum impia facta, sint ipsa Sanctorum trophæa atque coronæ. Sed eos audi: Alios quidem (inquiunt) corripuerunt, alios verò in captiuitatem traxerunt, nonnullos nudos vestibus constituerunt, & alios detritis corruptisq; vestibus, tamquam in ignominiosa vita secundùm illorum opinionẽ triumpharunt. Nos quidem in his quę facta sunt, meritò gloriabamur, passiones & sanctas plagas pro Christo Deo nostro cum omni bona spe sustinentes. Verùm cùm tam magnas offensiones paruas putauerint, immittunt ad eremum exercitum rusticorum maiorem isto; & secundum impetum faciendo contra prædictum monasterium, partem muri diruunt, & noctis tempore subintrant, & quosdam interficiunt, plurimos verò verberant, & mediocrem substantiam monasterij subripiunt, & pro magnis la-
D mentationibus trophæa iniqua contra fidem faciebant.] & inferiùs: Iterum & Petrus contra ciuitatem Apamearum excitatur.] & paulo pòst: Irrationabilem audaciam iuuentutis immittit sæpiùs venerabili monasterio sancti Dorothei, protrahens multitudinem publicarum feminarum huic accommodatam: in quo illud dedecoris commiscuit in eis: nam meretrices erant & nullatenus nobiles: & percutiens ibi venerabiles monachos, trahit ad ciuitatem, & in carcerem detrudit, & hoc sæpiùs facere non cessauit.] ac rursum: Si autem & homicidia dicere audebimus, in quibus sæpiùs manus tinxit: quis Christianorum Orthodoxorum videns sanguinem altaribus respersum, non compungetur dicere, immo & silentio deligeret talia occultare?

[a] *Apud eandem Synod. Act. 1.*

QVANTA MONACHI PASSI SINT AB HAERETICIS.

Verùm si rursus renouaremus præcedentia facta & perpetrata in Oragorum monaste-
E rio: quæ charta sufficeret ad enumerationem tantorum delictorum? Non enim pigritauerunt, sicut in obsidione, destruere monasterium, & accipere causam captiuandi monachos ibidem psallentes: qui quamquam ad modicum lapsi sint, demum tamen veritatis verbum dilexerunt, & coniunctionem communionis nostræ amplexati sunt. Pugnam in Larissa factam, & nefandam furiam Fausti, & quos inhumaniter sagittis deiecit, habet & quorumdam gestorum fides: sicuti enim & in inuasione incertorum factum est, actus neminem habitantium prouinciam perlatuit. Quanta verò & qualia differenter in venerabili domo victorioſi martyris Antonini perpetrata sunt, quæ natura rationem habens sine lacrymis enarrabit? Ita enim in consuetudinem venerat interficiendi monachos: magnum lucrum putans, quod cunctis hominibus abominandum est, quòd per sequaces suos, quos iniquè conducebat, interfecit venerabiles ac Orthodoxos monachos, qui ibidem in honorem peragendæ celebritatis congregabantur; sicque cruentis manibus astabat altari.] hæc & alia de sceleribus Petri Archimandritarum litteræ, quibus Archimandritæ numero de-

QVAE IN MONASTERIA PETRVS HAERETICVS PERPETRARIT.

cem & octo subscripti habentur, atque inter eos primo loco Alexander Archimandrita A
monasterij S. Maronis, cuius monasterij monachi Maronitæ dicebantur, sicut & Studitæ à
monasterio Studij Constantinopoli, omnes professores & defensores Catholicæ veritatis.
Porrò ijdem scripserunt epistolam ad Synodum Constantinopolitanam, quæ sic incipit:
Curam quidem gessit vestra sanctitas rectæ fidei, &c.] extat eadem in dicta Synodo contra
Antimum congregata in prima eius Actione descripta, qua se confirmare atque recipere
profitentur, quæ ab eis Constantinopoli gesta essent.

Sed quæ clerici miserandæ Ecclesiæ Antiochenæ sub execrando Seuero eius sedis inua-
sore laborantis scripserint hoc eodem tempore ad Ioannem Constantinopolitanum Anti-
stitem & Synodum ibi coactam, videamus: intueberis sanè madidas lacrymis litteras com-
miseratione dignissimas non sine lacrymis scriptas, neque sine suspirijs lectas, nec sine im-
[a] Eadem Syn. Act. 1. tom. 2. Concil. mensо dolore postea in Synodo aduersus Antimum [a] recitatas: quæ quidem sic à lætis inci- B
piunt, vt maiorem excitent dolorem legentibus; ita enim se habent:

DE CLADE ECCLESIAE ANTIOCHENAE EPISTOLA.

Nunc est, si quando fuit, tempus, beatissimi Patres, omnes Orbis sanctas Dei Ecclesias,
[b] Psal. 95. tamquam ex vno ore, propheticum illud clamare [b]: Lætentur cæli, & exultet terra & om-
nia quæ in eis sunt: quoniam misertus est Deus populi sui. Quòd enim sceptra Romano-
rum pijs & à Christo amatis Imperatoribus sint commissa, sic & libertas ac fiducia Ortho-
doxam religionem colentibus donata sit, quomodo non meritò persuadet Fidelibus hanc
vocem clamare? At in tam communi festiuitate Orbis, vnà ex omnibus, vel admodum
cum paucis Ecclesia Antiochena mæstitia & luctu impleta est. Lupum enim pro pastore
(nescimus quomodo) suscepit, & affligitur. Quam enim tragœdiam non excesserunt ac su-
perarunt mala attentata à Seuero? Qui primum quidem (vt quomodo vixerit prætereamus,
vestris auribus parentes) nulli vmquam Ecclesiæ communicasse videtur: deinde cum ca- C
lumniæ sagittis sagittauit & præparauit exagitare iustissimum pastorem Flauianum, beatis-
simique illius sedem violenter & contra canones subripuit: & inde ad instar mercenarij
non solùm non pauit ouile Christi, neque fugit (quod amandum erat) sed ipse operabatur
ea quæ ferarum sunt, oues iugulando & dispergendo. Nouitates enim & blasphemias ad-
uersus Deum lingens, nulli sanctorum Patrum pepercit: perseuerat enim tota die sic dicen-
do, ablegans Synodos pro pietate congregatas.] & inferiùs:

MONACHI MARTYRES A SEVERO NECATI.

Quot quidem homicidia sanctorum monachorum fecerit, & cum manibus Iudaicis
eiusmodi iugulationem iniunxerit, neq; vos, sanctissimi, neque aliorum aliquem latuit. Di-
rum enim spectaculum fecerunt iacentes viri, qui religiosis certaminibus vsque ad cani-
ciem certauerunt, nudi & insepulti iactati, vltra trecentos existentes ex Secunda Syriorum
prouincia nati, canibus & auibus lacerandi proiecti. Similia autem & similiter miseranda D
sunt & quæ in xenodochijs, id est, hospitalibus ab ipso facta sunt. Vincula enim ædificat
nunc, & ita multos pro fide incarcerando in tenebris & flagellando interficit.

Talia, sanctissimi, & circa Fontes in Lauro facere præsumpsit; & veneficijs ibidem vtens,
scelestis sacrificijs dæmones colit: & hoc tota illa magna ciuitas cantat. Neque vtique ipsis
sanctis altaribus pepercit, neque sacris vasis parcens: alia autem conflans, similibus sui ero-
gat. Præsumptum est autem ab ipso & hoc, ô beatissimi: nam columbas aureas & argenteas,

SEVERI IM MENSA SACRILEGIA.

in formam Spiritus sancti super diuina lauacra & altaria appensas, vnà cum alijs sibi appro-
priauit, dicens, non oportere in specie columbæ Spiritum sanctum nominare. Pecunias qui-
dem & domos, & quæcumque in optimis fundis erant, exportauit & expendit, & grauissi-
mis vsuris Ecclesiam obruit.

At, beatissimi Patres, non est possibile omnia percurrere, quæ ab illo præsumpta fuerunt. E
Ideò his paucis ex magnis contenti, deprecamur vestram sanctam Synodum, etsi serò quasi,
sedare mala, quæ nostram Ecclesiam occupant & totum ferè Orientem; & ab isto nequissi-
mo viro nos liberare, exacta ab eo pœna eorum, quæ contra diuinos canones & politicas le-
ges fecit; prouidentiamque facere de his rebus quę relictæ sunt, si quid remansit: persuaden-
tes pijssimo Principi, vt mittat aliquos bonis moribus comprobatos, aliquo ex nostris simul
veniente, qui rebus superstet; vt teneant, & rationem exigant de his quæ à principio vsque
★ adhuc nunc fecerunt, & ad * multa quæ ipsi furati sunt, & custodiant quæ inuenientur, ne totaliter
omnia exportentur. Non enim cessat bonus homo aduersus ea quæ sunt Ecclesiæ Dei, & ea
quæ ipsi Ecclesiæ conferunt, dissipando. Cùm enim meritò ab omni spe Dei ceciderit: ad
viros iniquos, à quibus nutritur, spem habet.

Rogamus etiam oratores mittere, & pro fratribus nostris, siue Episcopi sint, siue
clerici,

A clerici, siue monachi, aut laici, vt relegati restituantur proprijs ciuitatibus & ordinibus. Insuper in his omnibus veniam petentes propter dolorem nos occupantem, adiuramus vestram beatitudinem per sanctam & consubstantialem Trinitatem, ac victoriam & perseuerantiam dominorum totius Orbis Iustini & Euphemiæ semper Augustorum, moueri, & nobis opportunè succurrere, & non despicere supplicationes nostras: Adducere autem & hæc omnia ad pios & Christianos Imperatores nostros, & persuadere ipsorum serenitati, vt omnia bona sanctissimæ Ecclesiæ nostræ per ipsorum ac vestram consequamur prouidentiam.] hactenus epistola clericorum Orthodoxorum Ecclesiæ Antiochenæ. QVAE SIBI VELINT AB IMPERATORE CONCEDI.

Accidit autem, vt cùm hæc perferrentur ad Iustinum Imperatorem, calumniati sint apud eum proceres Eutychiani, hos omnes, quorum querelę perlatæ essent Constantinopo- B lim, esse Nestorianos hæreticos, ob idque dignos qui pœnis subijcerentur. Quamobrem Imperator hæc audiens, scribens ad Syros ac Palæstinos, cuius essent fidei vt scriptis docerent, admonuit. Præstiterunt id illi abundè satis: & Antiocheni ac Hierosolymitani tam clerici, quàm monachi, vnà simul conuenientes, libellum scripserunt ad ipsum Iustinum Imperatorem, quo se esse verè Catholicos, absque vlla ambiguitate perspicue declararunt. est eius exordium [a]: Haurite aquas de fontibus salutis, vociferator Isaias [b] Propheta exclamat, &c.] & post exactam fidei doctrinam eorumdem professio hæc aduersus calumniantes habet in fine: Ita ergo cum Dei nomine semper sensimus: quapropter hanc satisfactionem vestræ obtulimus pietati. Iubere enim dignata est, nos proprium intellectum, & quemadmodum de sana fide sentimus, exponere: quia quidam hæretici, dum suam malam doctrinam occultare festinant, nostram in Christo libertatem, & nostrorum fidem detrectare C conantur. Supplicamus igitur clementiam vestram, solicitudinem de perfecta Ecclesiarum vnitione sanctarum habere debere, &c.] hæc ipsi. EXPLORATVR FIDES SYRORVM.

[a] *Extat to. 1. Concil. vet. edit. in Hormisda.*

[b] *Isai. 12.*

His acceptis, Iustinus Imperator pro ipsorum voto primum promulgauit edictum, quo iuberentur exules omnes fidei causa sub Anastasio condemnati ad propria postliminio redire debere, pristinosque gradus atque honores recipere, subrogati verò in ipsorum locum hæretici procul pelli, aliisque pœnis exagitari: Insuper addidit, vt lege pariter confirmaret sacrosanctum Chalcedonense Concilium, iuberetque ipsum in sacras inferri tabulas, & ab omnibus obseruari, vtque pax tutissima omnibus Ecclesijs redderetur. At licet non extet ipsum quidem edictum, mentio tamen eius habetur in Actis magni Sabæ. EDICTVM PROMVLGAT IVSTINVS IMP. DE RESTITVENDIS EXVLIBVS.

Vt autem eiusmodi Imperatoris rescriptum promulgatum est, vix credi potest quibus gaudijs affecti sint Orthodoxi omnes. Qui enim sub Zenonis & Anastasij Imperio plurimis annis iugiter laborauerant sub gladio hæreticorum: sub Iustino Augusto respirantes, ad D noui edicti promulgationem exultarunt. Tunc verò qui eximia fulgebat in Palæstina sanctitate diuinus Sabas, exiliens ex abditis eremi & penetralibus solitudinis, ipse effici voluit præco diuinitus concessæ gratiæ, & Imperatorij promulgator edicti. Audi autem quæ eiusdem Acta prodant his verbis [c]:

Cùm enim post Anastasium Iustinus piè assumpsisset Imperium, & per vniuersum orbem terræ misisset edictum, vt Orthodoxi quidem remitterentur ab exilio, Chalcedonensis autem Synodus scriberetur in sacris tabulis, & veteres honores redderentur Orthodoxis, & rursum tranquilla pace frueretur Ecclesia: his sic factis; & Iustino Imperatore, reuersa rursum fide Orthodoxa; erat quidem beatus Sabas natus plusquam octoginta annos ætatis, & corporis imbecillitate & senectute & longa illa & intensa virtutum exercitatione af- E flictus & maceratus: verumtamen etsi ita se haberet, prompto tamen & alacri animi studio florebat ac vigebat, & quos propter Christum suscipiebat labores præferebat omni quieti & animi relaxationi. Vnde etiam omnia postponens zelo, quo ducebatur pro fide Orthodoxa, statim profectus est per Cæsaream & Scythopolim, vbique prædicans pium illud edictum Imperatoris, & in tabulis Ecclesiarum inscribens quatuor Synodos; & alios quidem ex eis suasionibus & admonitionibus, alios etiam reprehensionibus reuocans, & omnes perfundens suaui melle suæ doctrinæ, & optimè inducens ad fidem Orthodoxam.] Sed quid contigerit cùm esset idem Sabas Scythopoli, paucis audi: S. SABAS EX ABDITIS PROGREDIENS PRAEDICAT EDICTVM IMPE

[c] *Extat apud Sur. to. 6. die 5. Decemb.*

Erat autem Scythopoli vir scholasticus nomine Ioannes, bonus animo, & vitam suam virtute exornans, qui de quodam Siluano, genere quidem Samaritano, auctoritate autem insigni, & multam aliam narrabat improbitatem & animi vitium, & dicebat etiam eum maximè insectari Christianos. Hæc cùm magnus ille audiuisset, quædam prædixit de Siluano,

uano,quæ non multò ita pòst effectum sunt consecuta: quo modo etiam,paulo pòst ostendet oratio:nempe igne in media vrbe accensò malum malè esse periturum.] ita planè perijt ex S.Sabæ prædictione igne combustus impius, vt decebat, cùm Iustinianus imperans cœpit exagitare eosdem impios Samaritanos,vt suo loco dicetur. A

SOLVITVR EXILIO S. THEODOSIVS ARCHIMANDRITA.

Inter alios autem exules,solutus liber dimissus est edicto Imperatoris ille sanctitate mirificus,de quo superiori tomo plura sunt dicta,Theodosius Archimandrita,rediitque ad suos monachos in Palæstinam:cui quidem magnus cùm sancto Saba familiaritatis vsus intercessit:ambo enim æquis passibus,iunctisque manibus ad fidei Catholicæ defensionem gradiebantur.At quid tunc acciderit,cùm vtrumque Ioannes Hierosolymorum Antistes hoc lætitiæ tempore excepit mensa, quídve lepidum inter eos iactatum, quibus item conuiuium illud salibus fuerit conditum, accipe à Cyrillo res Sabæ accuratè scribente, cùm tamen de mira eius abstinentia ista præmittit:

EPISC. HIEROSOL. EXCIPIT MENSA S. S. SABAM ET THEODOS.

Solebat autem semel tantùm in hebdomada vesci. Si verò aliquando ab aliquo vocatus esset ad cœnam, aut ipse rursus aliquos conuiuio exciperet; bis sæpe vescens in die, nihil damni aut detrimenti sentiebat stomachus. Deniq; postquam redijsset Scythopoli, admodum iucúdus,sed & optatus apparens Ioanni Hierosolymitano Pontifici (quòd interceserat enim tempus,auxerat desiderium,vt solet,amicorum) cùm ab ipso vocatus esset ad conuiuium:aderat Antonius Episcopus Ascalonitanus, qui erat frater Archiepiscopi. Cùm illi Sabam medium intercepissent,illi amicè propinabant,& pro viribus eum inuitabant & accipiebant.Sed neque rursus Sancto manus erant otiosæ;sed (vt par erat) remota omni fictione & simulatione,vescebatur appositis.Aderat autem diuinus quoque Theodosius,qui erat ei valde amicus & familiaris, vt iam à me sæpe dictum est: qui veluti quoddam condimentum vellet mensæ speciosam aliquam & gratam inijcere orationem, vrbanè autem & lepidè inferens, dixit diuinum Sabam ita esurire, vt ne vos quidem ambo, aiebat, qui sufficitis ad totam simul alendam Palæstinam, possitis eius ventrem alere ad satietatem. tale & tam validum ac robustum corpus beati Sabæ generosæ contigerat animæ.] cibum esuriebat ille quidem,perinde ac Petrus [a], cui ad comedendum, sub specie lintei pleni cunctis animalibus, ipsum vniuersum genus humanum cælitus proposita fuit mensa conuiuij. Vidistíne sanctas propinationes, suaues lepores, vrbanos iocos,iucunda scommata lætitiæ tempore versata ore sanctorum?ne quis tetricus putet, seruo Dei neque respirare licere. Similes habes iocos in S.Basilium à Gregorio Nazianzeno[b] ad Amphilochium scribente iactatos,cùm sancti viri voracitatem sugillat.Sed subdit auctor: B C

[a] Act. 10.

[b] Greg. Naz. epist. 46.

DIVERSA STVDIA SABAE ET THEODOS.

Erat Sabas summa modestia præditus,& moribus lenis & facilis:& ad eum quidem conueniendum facilis patebat aditus: erat verò in sermone iucundus,& moribus quidem simpliciſſimus,prudentia autem constantissimus;charitatẽ non fictam, sed sinceram apud omnes conseruans. Erat verò valde affectus erga Theodosium:adeò vt quotidie ad se inuicem ventitarent, & inter se de virtute conferrẽt,& essent ambo instar luminarium omnibus qui vitam amplectebantur monasticam:sed ille quidem eorum qui vitam exercebant communem; hic autem, Sabas inquam, eorum qui à congressione separatam & quietam susceperant præfecturam. Dicitur certè,beatum Sabam vrbanè sæpe dixisse diuino Theodosio, illum quidem puerorum,se autem esse præfectum perfectorum *.] at de iocis hactenus. Audi modò quæ seriò idem Theodosius de Seuerianis monachis propheticè prænunciauit. Cyrillus enim in rebus ab eo gestis,postquam egit de eius ab exilio reditu,& laboribus pluribus pro restituenda fide Catholica exantlatis,ista post nonnulla subiecit [c]: D

* præfectorũ

[c] Cyril. in Vit. Theod. apud Sur. die 11. Ianuarij.

Is ergo,*nempe Iulianus Bostrensis Episcopus*,de ipso quoq; Theodosio hæc narrabat,quòd cùm fuissent in ciuitate Bostrenorum, semper magnus Theodosius eum habebat socium vitæ ex Christo agendæ,volebatque cum eo philosophari & esse socius solitudinis.] & inferiùs: Monachi autem quidam ex monasterio Propinquorum, qui morbo Seueri laborabant, cùm nos vidissent accedentes, lignum quod conuocat ad ecclesiam,pulsabant ante horam consuetam, & synaxim significabant fratribus, quò eos colligerent. Magnus autem Theodosius, intellectis insidijs, cùm diuino zelo accensus esset eius animus, verbis Domini [d] opportunè est vsus;& eos qui ipsi insultabant, iustè est vltus; lapidem non esse remansurum supra lapidem in eo loco,ipse quoque minatus. Porrò autem minas consecutus est effectus. Breue tempus interceſſit, & quædam Agarenorum multitudo, nocturna facta incursione, illud quidem igni mandant monasterium, & diripiunt etiam quæcumque illic erant, & abducunt captiuos monachos. Et nunc proponitur locus, acerbum E

[d] Luc. 21.

DE SEVERIANIS MONACHIS A SARRACENIS DELATIS.

A bum oculis spectaculum, qui non magis meretur videri, quàm defleri.] hæc Cyrillus de Seuerianis hæreticis, in quos Catholicæ communionis hostes Deus Agarenos immisit, & iure quidem: cùm enim non audissent Catholicum Imperatorem edicto monentem, experiri barbaros sæuientes meruerunt.

SECVNDVM EDICTVM IVSTINIANI IMP.

Inter hæc autem idem qui zelo Catholicę fidei æstuabat Catholicus Imperator, post promulgatum primum edictum pro fide Catholica eiusque cultoribus, secundum adiecit, quo exagitauit Seuerianos hæreticos, vel alios Ecclesiæ Catholicæ perduelles; dum vetuit, ne hæretici fungi publicis muneribus possent, ab omnique essent militia alieni. non extat ipsum quidem, verùm eius meminit Iustinianus Imperator in constitutione à se sancita aduersus omnes hæreticos, vbi cauit, ne dotalia priuilegia hæreticis mulieribus prodessent.

Quoniam verò vt subsistere posset quod cum Imperatore Orientales Episcopi fidei Ca-
B tholicæ erigerent ædificium, super firmam petram scirent ipsum, monitione Domini, imponendum: etsi ad statuendam firmandamque fidem Catholicam, post communia totius populi vota acclamationibus patefacta, accessissent quoque frequentes vbique Synodi, atque ad eamdem corroborandam addita etiam essent Imperatoris edicta: tamen quòd omnia fulcienda essent communione Romani Pontificis, primus omnium Iustinus Augustus has de sua creatione, vt Ecclesiæ filius, dedit litteras ad Hormisdam [a]:

[a] *Extat to. 1. epist. Rom. Pont. in Hormisdæ.*

IVSTINVS IMP. SCRIBIT AD HORMISDAM PAPAM.

Iustinus Augustus Hormisdæ Papæ.

Dei beneficia, licet multis, maximè tamen Summis Pontificibus conuenit indicari. Pro-
C inde sanctitati vestræ per has sacras declaramus epistolas, quòd primùm quidem inseparabilis Trinitatis fauore, deinde amplissimorum procerum sacri nostri Palatij & sanctissimi Senatus, necnon electione firmissimi exercitus ad Imperium nos licet nolentes & recusantes electos fuisse atque firmatos. Precamur proinde, vt sanctis orationibus vestris diuinæ potentiæ supplicetis, quatenus initia nostri roborentur Imperij. Hoc enim & nos sperare, & vos decet implere. Data Kal. Augusti, Constantinopoli, Magno V.C. Consule.] Vides veterem morem Orthodoxorum Imperatorum, qui simulac essent creati Augusti, ad Romanum Pontificem, quem vt parentem venerarentur, litteras darent: nulla enim fortiori potentia, quàm communione cum Catholicæ totius Ecclesiæ primario Antistite, conciliari sibi populorum fidelium voluntatem posse sciebant. Porrò id ex debito præstare debere Orthodoxos Imperatores, vt eo modo primitias Imperij Petro Apostolo consecrarent, quæ sequitur ad eum reddita epistola Hormisdæ Papæ declarat, quæ sic se habet [b]:

[b] *Hormis. epi. 22. tom. 1. epist. Rom. Pont.*

HORMISDAE PAP. EPIST. AD IVSTINVM.

Hormisda Episcopus Iustino Augusto.

Venerabilis regni vestri primitijs, fili glorioßissime, loco muneris, gratulationem suam
D Catholica transmittit Ecclesia: per quas se post tantam discordię fatigationem, requiem pacis inuenire confidit. Nec est dubium ideo ad rerum summam cælesti vos prouidentia peruenisse, vt vestris temporibus impacta religioni in Orientis partibus aboleatur iniuria. Debitas beato Petro Apostolo Imperij vestri primitias reddidistis, quas hac ratione deuoti suscepimus, qui Ecclesiarum per vos proximè futuram credidimus sine dubitatione concordiam. Deus qui pietatis vestræ sensibus alloquendo nos vota concessit, ipse circa sincerum religionis suæ cultum præstabit (sicut optamus) effectum.

Significastis, nolentibus & recusantibus vobis Imperij pondus impositum: qua ratione electos vos cælesti constat esse iudicio, secundum Apostolum dicentem [c]: Non est potestas nisi à Deo: quæ autem sunt, à Deo ordinata sunt. Supereſt vt à Deo electi (sicut & credimus) Ecclesiæ, quam laborare cernitis, manus vestræ solatia porrigatis. Cessent qui paci eius
E obsistunt: obtumescant qui in forma pastorum conantur gregem Christi disperdere. Istorum correctio vires vestri firmat Imperij: quia vbi Deus rectè colitur, aduersitas non habet effectum. Hanc gratulationis paginam per Alexandrum V.C. non omisimus destinare; sperantes cum Dei nostri adiutorio, per Gratum V.C. filium nostrum, de singulis quæ ad vnitatem Ecclesiæ pertinent, nos clementiæ vestræ præbituros esse responsum.] hactenus Hormisda Papa ad Iustinum Imperatorem: quibus etiam declarare videtur ex verbis ad finem positis, præter dictam epistolam, alias ab eodem Imperatore additas litteras de vnitate Ecclesiæ concinnanda; de quibus paulo pòst sermo erit. dedit eas Grato V.C. cuius hîc mentionem in sua epistola Hormisda habet.

[c] *Rom. 13.*

EPISCOPI ORIENTALES AGVNT DE PACE ECCLESIAE CVM HORMISDA PAP.

Inter hæc autem Orientales Episcopi, à quibus Constantinopoli Synodus celebrata est, probè scientes, quæ in ea decreta essent, nullarum esse virium, nisi Romani Pontificis consensus accederet; & frustra pro Catholica fide instauranda laborare, nisi Catholica per

eumdem communione impartirentur: hanc vt ab Hormisda Papa consequi possent, Iustini A
Imperatoris primùm litteris agunt: insuper & ijdem ipsi ea de re scribunt litteras Synodales ad eumdem Pontificem: id enim ipse Imperator suis litteris testatur. non exstant illæ quidem Synodales, sed tantùm litteræ Ioannis Constantinopolitani Episcopi. quibus omnibus ijdem illud expetierunt, vt legati ab ipso Romano Pontifice mitterentur Constantinopolim, qui Apostolica auctoritate conciliarent Ecclesijs pacem, & lapsos in Ecclesiam restituerent. Sed quæ hac de re ab ipso Imperatore ad Hormisdam scriptæ sunt litteræ, videamus. Ipse igitur Iustinus Augustus ad eumdem Hormisdam scribens, rogat nomine totius Synodi de pace in Ecclesijs concilianda, mittitque ad eam rem legatum, quem diximus, Gratum V.C. Litteræ autem ipsius sic se habent[a]:

[a] *Extãt tom. 1. epist. Rom. Pont. in Hormisda.*

IVSTINI IMP. EPIST. AD HORMISDAM DE PACE ECCLESIIS CONCILIANDA.

Iustinus Augustus Hormisdæ Papæ.

Ioannes vir beatissimus huius regiæ sedis Antistes, & ceteri viri religiosi Episcopi de di- B
uersis locis & ciuitatibus hîc reperti nostram serenitatem docuerunt pro concordia veram & Orthodoxam fidem colentium, proque vniuersitate venerabilium eius Ecclesiarum, litteras tuæ sanctitati offerendas confeciſſe; ac magnopere postularunt nostras etiam epistolares paginas super hoc ad eam emanare. Quorum petitiones, vtpote semper vnitatis amatores, libenter amplexi, hos diuinos apices ad tuam beatitudinem censuimus prorogandos. Quibus scriptis, desiderijs supradictorum reuerendissimorum Antistitum subuenire, proque nobis & reipublicæ, cuius gubernatio nostræ pietati cælitus credita est, supernam maiestatem suis orationibus placare dignetur. Vt autem tuæ sanctitati pacis & vnitatis atq; concordiæ iura plenius patefiant, quosdam religiosissimos sacerdotes pacem amplectentes & desiderantes ad sacratissimum nostrum peruenire disponat Comitatum: ob hanc etenim causam Gratum V.C. sacri nostri Consistorij Comitem & Magistrum scrinij & memoriæ C
direximus, cuius præclaram opinionem multis antea notam habemus temporibus. Data VII. Idus Septembris, Constantinopoli, Magno V.C. Consule.] Iungendæ his Imperatoris litteris fuissent, quas datas à Synodo ipse testatur; sed non extant. Subijciemus tamen epistolam Ioannis Constantinopolitani Episcopi, qua suæ fidei Catholicæ professionem intexuit; quòd probè sciret, aliter se minimè recipiendum fore in Catholicam communionem ab ipso Romano Pontifice atque vniuersa Ecclesia. Epistola autem ipsa sic se habet, eiusmodi inscripta titulo[b]:

[b] *Extat inter epistol. Hormisdæ Papæ tom. 1 epist. Rom. Pont.*

Domino meo & per omnia Dei amatori sanctissimo fratri & comministro Hormisdæ Ioannes Episcopus in Domino salutem.] Ex huiusmodi planè inscriptione redarguas impostura illapsam in Acta publica superiùs recitata, in quibus semper ferè ipse Ioannes inscriptus reperitur Patriarcha œcumenicus, cùm in litteris ad Hormisdam neque Archiepi- D
scopum se nominet. Sed attende ipsam epistolam:

IOANNIS EPI. C. CONSTANT. AD HORMIS. PAPAM EPISTOLA.

Saluto vestram sanctitatem, charissime in Christo frater, & salutans prædico, quoniam recta fides salua est, & charitas fraternitatis firmata est. Hoc Deus solus potens per studium Christianorum & pijssimorum Imperatorũ fieri voluit. Scribere igitur Apostolicè, & scripta susc ipere fraternè, Dei amore dignemini. Ego enim inquisibili ratione doctrinam sanctissimorum Apostolorum secundùm traditionem sanctorum Patrum tenens, similiter honorem consubstantiali & per omnia sanctæ Trinitati offero, sicut in Niceą trecentorum decem & octo cœtus promulgauit, & in Constantinopoli centum quinquaginta conuentus firmauit, & in Ephesina ducentorum firmauit, & in Chalcedone conuentus sexcentorũ triginta Patrũ firmauit. Hanc ergo fidem vsq. ad vltimum anhelitum per gratiam Dei custodiens, spiritalibus amplexibus tam vestrã sanctitatem, quàm etiam Orthodoxas Ecclesias ex E
animo amplector, vnà tecũ in veritate sentiens, & vnà tecum sperans in illo die per hanc fidem saluari bona voluntate Patris & Filij & Spiritus sancti. Consubstantiali enim Trinitati omnis gloria debetur nunc & in sæcula sæculorum. Omnem in Christũ fraternitatem, quæ cum vestra est sanctitate, ego & qui mecum, plurimum in Domino salutamus. Tantùm ad satisfaciendum scripsimus, vt & venerabile nomen sanctæ recordationis Leonis quondam vrbis Romę Archiepiscopi in sacris Diptychis tempore consecrationis propter concordiam affigeretur, & vestrum benedictum nomen similiter in Diptychis prædicetur. Vt de omnibus autem satisfiat vestræ sanctitati (quoniam pacem vestram amplectimur, & de vnitate sanctarũ Dei Ecclesiarum curamus) rogamus vos pacificos viros destinare, & vestra dignos Apostolica sede, qui debeant satisfacere, & satisfactionem nostram susc ipere: vt & in hac parte Christus Deus noster glorificetur, qui per vos pacem hanc mundo seruauit. Accepta

XIII. Kal.

A XIII. Kal. Ian. post Consulatum Agapiti V.C.] hactenus literæ: in quibus illud obserua summa industria eumdem tacuisse Ioannem, restituta fuisse in sacras tabulas nomina Macedonij & Euphemij Episcoporum, qui extiterant Catholicæ Romanæ Ecclesiæ communionis expertes; ne videlicet de pace acturus, à discordiæ seminarijs auspicaretur. ASTVTE TACET DE RESTITVTIS IN DIPTYCHA SCHISMATICIS.

Præter hæc etiam, quòd res maximi ponderis tractaretur, nempe vnio Orientalis Ecclesiæ cum Occidentali, à qua defecerat: ad rem tantam peragendam, Iustinianus, qui post Iustinum imperauit, quique tempore Anastasij Imperatoris vnà cum Iustino (vt vidimus) steterat pro fide Catholica, atque ob eam causam in non leue vitæ discrimen adductus fuerat, benè modò vsus occasione Catholici Principis, omnem curam adhibet vt scissæ vnirentur Ecclesiæ: quamobrem & ipse summa qua apud Imperatorem polleret auctoritate, ad ipsum Hormisdam Romanum Pontificem de his scribit. extant ipsius litteræ, quibus huiusB modi in scripto Vaticano codice præfixus est titulus [a]:

[a] *Inter epist. Hormisd. post 24 tom. 1. epist. Rom. Pont.*

Per eumdem Gratum etiam Iustinianus Comes ad eumdem Hormisdam Papam has litteras dedit his verbis:

Iustinianus Comes Hormisdæ Papæ.

IVSTINIANI EPIST. AD HORMISD. PAP.

Desiderabile tempus, quod summis votis optauimus, diuina clementia dolores generis humani respiciens, largiri dignata est; quo omnes Catholici & Deo perfecti fideles maiestati eius se valeant commendare. Idcirco has ad Apostolatum vestrum libera licentia, iam mihi beneficio cælesti indulta, direxi. Dominus etenim noster inuictissimus Imperator Orthodoxam religionem semper amplectens ardentissima fide, cupiens sacrosanctas Ecclesias ad concordiam reuocare; mox vt adeptus est cælesti iudicio insulas principales, sacerdotibus hîc positis denunciauit, vt pro regulis Apostolicis vnirentur Ecclesiæ: & magna quidemC pars est composita, Deo auctore.] His præmissis, quòd probè sciret idem Iustinianus nomen Acacij impedimento fuisse, quo minùs exul concordia sæpe per alios prædecessores Romanos Pontifices tentata, reuocari aliquando potuisset: ne id ad sanciendam modò pacem impedimento esset, de eiusdem Acacij nomine ingerit mentionem; certumque reddit ipsum Pontificem, fore vt ex ipsius sententia illud exploderetur; ait enim:

DE NOMINE ACACII.

De nomine tantummodo Acacij vestrę beatitudinis conuenit audire consensum. Quam ob causam dominus noster sereniſſimus Princeps Gratum virum sublimem vnanimem mihi amicum cum paginis Augustis ad sanctitatem tuam transmisit, vt modis omnibus dignetur Constantinopolim ad reliqua concordiæ componenda venire. Sed absq; quaque dilatione vestrum expectamus aduentum: quem si qua tarditas (quod fieri non debet) forsitan retinuerit, interim vel sacerdotes idoneos destinare festinet: quia totus mundus partiumD nostrarum conuersus ad vnitatem moras non patitur. Accelerate ergo, domine sanctissime, ne vobis absentibus, quæ debet præsentibus, ordinari ..... Scimus enim litteras vestræ beatitudinis & antecessorum vestrorum ad Orientem directas, quid super hanc eamdem causam contineant. Vt autem nihil prætermittatur, propter causam sæpius memoratam ab inuictissimo Rege religionis quoque negotium filio vestro viro sublimi Grato est iniunctum, fauente Domino nostro Iesu Christo.] hæc Iustinianus de pace Ecclesiarum admodum solicitus ad Hormisdam Papam per eumdem legatum conscripsit. aliquid deest

Ista quidem hoc anno sunt gesta, vbi Iustinus habenas moderari cœpit Imperij, cùm de pace Ecclesiæ concilianda Romam misit ad Hormisdam Pontificem Imperatoriam legationem, optatam quidem illam, gratamque per Gratum. Quid enim gratius atque iucundius potuit accidisse, quàm intelligere, Christianam religionem scissam dispersamque abE hæreticis, Imperatorem nactam esse Catholicum; eumdemque pacis sequestrem, iam solidandæ concordiæ fundamenta iecisse? Actis igitur Deo gratijs, participataque cum fratribus lætitia, & cum eisdem de rebus agendis consultatione ex more adhibita, idem Hormisda Papa eo ordine, quo acceperat, litteras reddidit ad Iustinum Imperatorem: ad secundas enim per Gratum missas ita rescripsit [b]:

[b] *Hormisdæ epist. 23. tom. 1. epist. Rom. Pont.*

HORMISDAE PAPAE EPIST. SECVNDA AD IVST. IMP.

Hormisda Episcopus Iustino Augusto.

Sumptam de Imperij vestri ortu lætitiam, quamuis apud nos pollentẽ merito præcedenti, quoq; geminastis alloquio, reciproca deuotione testati. Iam tunc secutura præuidimus, quæ nunc de Ecclesiasticæ vnitatis affectu cælestis gratiæ inspiratione significastis. Habes ergo, clementissime Imperator, præsentem de tali voto iam gloriam: sed expectatur de perfectione perpetua. Hæc sunt validissima Imperij vestri fundamenta, quæ in ipso nascentis regni vestri principio diuinam vniuersis præferunt sancta dispositione culturam. Tenete

itaque

itaque hanc piæ ſolicitudinis curam;& pro Catholicorum pace,ſicut cœpiſtis,inſiſtite:quia A
Deus noſter, qui vobis hunc tribuit animum, elegit etiam per quos præſtet effectum. Nam & Epiſcoporum vota, precesque nobis effuſas gratanter amplectimur: qui tamen loci ſui conſideratione commoniti, ea deſiderant, quæ dudum vt ſequi vellent, ſedis Apoſtolicæ exhortatio crebra non defuit. Et quoniam clementiam veſtram id cupere, illos etiam hæc didicimus poſtulare; quæ res hactenus Eccleſiarum pacem ſub contentioſa obſtinatione diuiſerit, nec pietatis veſtræ, nec illorum refugit,velut latenti cauſa,notitiam.

Quid igitur facere debeant, & litteris noſtris, & libelli, quem direximus, ſerie continetur. Hæc ſi Deo noſtro & clementia veſtra adiuuante, ſuſcipiunt & ſequuntur; poterit ad eam,quã maximo deſideramus ardore,peruenìri concordiam. Filius præterea noſter V.C. Gratus ſacri Conſiſtorij Comes & Magiſter ſcrinij memoriæ oſtendit in ſe veſtrum allegationis ſuæ maturitate iudicium:cuius mora ſenſibus veſtris, eo referente,meliùs aſſeretur.] B
hæc ad Iuſtinum Hormiſda, inconcuſsè cuſtodita volens, quæ à prædeceſſoribus ſuis iuſtè Orientalibus præſcripta fuerant de Acacij nomine abolendo, deq; pace ea conditione inter Eccleſias ſancienda. Quamobrem & ad Ioannem Epiſcopum Conſtantinopolitanum, quæ agenda ſint pro eadem concordia ineunda,idem Hormiſda Papa ſcribit his verbis[a]:

[a] *Hormiſ. epi. 24.*

Hormiſda Epiſcopus Ioanni Epiſcopo Conſtantinopolitano.

EPIST. HORMISDAE AD IOAN. EPIS. CONSTANTINOP.

Spirituale gaudium directis charitas tua ſignificauit affatibus,docẽdo, vt Catholicæ religionis diſciplina ordinem ſuum veſtris paſtoribus, Deo noſtro iuuante, receperit. Hæc eſſe beneficia miſericordiæ ſupernæ, quis dubitet? Hæc quis dubitet venerabilis Principis trophæis adiungi? Quis ambigat,quia maior ei de hac parte quibuſlibet prœlijs triumphus acquiritur? Iſtius laboris gloria neſcit occaſum:quia vbi Deus rectè colitur,numquam aduer- C
ſariorum creſcit iniquitas. Dilectionis tuæ confeſſionem grantanter accepimus, per quam ſanctæ Synodi comprobantur, inter quas inſtauratione conſtitutorum omnium Chalcedonenſe Concilium prædicaſtis: & Catholicorum numero adiungi deſiderans, ſancti Papæ Leonis in Diptychis nomen aſſeuerans ſcriptum.] At licet ſic eius fidem Catholicam commendet Hormiſda,minimè tamen adhuc Catholicam communionem eidem impertiendam eſſe putauit, niſi hæreticorum communione pollutum nomen Acacij è Catalogo Orthodoxorum Antiſtitum omnino deleat: quamobrem mox ſubdit:

DE ACACII NOMINE ABOLENDO.

Iſta laudãda ſunt,ſi perfectionis ſubſequatur effectus. Quia recipere Chalcedonẽſe Concilium,& ſequi ſancti Leonis epiſtolas, & adhuc nomen Acacij defendere, hoc eſt, inter ſe diſcrepantia vindicare. Quis Dioſcorum & Eutychetem condemnans,innocentẽ oſtendere poſſit Acacium? Quis Timotheum,& Petrum Alexandrinum,& alium Petrum Antiochenum,& ſequaces eorum declinans(ſicut diximus)nõ abominetur Acacium, qui eorum D
* charitate communionem ſecutus eſt? De ciuitate* ſiquidem tua meliora Dei omnipotentis expectamus auxilio, habentes optimæ promiſſionis ſpem (ſicut ad nos quæ direxiſti tua ſcripta oſtendunt) tecum in veritate ſentiens, & ipſa defendens, ſperans in illo iudicio per ipſa te poſſe ſaluari.] ita planè Hormiſda, cùm quid agendum ſit docens, vt Catholicam Romanæ ſedis communionem demerere poſſit, ad id ipſum præſtandum erigit & hortatur: quæ ſi perficiat, mox ſit conſecuturus quod erat in optatis,vt communionem Romanæ Eccleſiæ conſequeretur. Vnde ad finem hæc habet:

QVID AGENDVM PRAESCRIBAT HORMISDA IOANNI.

Poſt hæc quid reſtat,niſi vt ſedis Apoſtolicæ,cuius fidem te dicis amplecti,ſequaris etiam ſine trepidatione iudicia? Igitur partibus Orientalibus oſtende per te, quod ſequantur exemplum: vt omnium laus,qui correcti fuerint,tuis laboribus applicetur. Ergo cùm magna denuncies, & fidem beati Petri Apoſtoli te amplecti ſignifices, rectè credens in ea ſalutem E
noſtram poſſe ſubſiſtere: libellum,cuius continentia ſubter annexa eſt, à charitate tua ſubſcriptum ad nos dirige: vt ſine conſcientiæ formidine vnam communionem,ſicut oramus, habere poſſimus. Pro perſona quoque filij noſtri Grati V.C. Deo noſtro gratias ſine ceſſatione perſoluimus, cuius fides & recta credulitas noſtrum circa ſe excitauit affectum: dignus re vera, qui tantæ curam ſuſciperet actionis, & maximi Principis ad os mandata perferret.] hæc Hormiſda ad Ioannem Conſtantinopolitanum Epiſcopum.

Interea verò ad cuncta faciliùs diſponenda idem Romanus Pontifex retinuit ipſum Gratum eo munere legationis fungentem Romæ vſque ad ſequentem annum,quo legatos miſit Conſtantinopolim. Totum autem illud paucorum menſium ſpatium, quod interceſſit, in tractandis ijs,quæ ad vniuerſalis Eccleſiæ pacem ſpectarent,inſumptum eſt. Cùm more maiorum idem Hormiſda Papa, collecto Epiſcoporum conuentu, quid in ardua atque difficil-

difficillima causa decernendum esset, cum ijsdem accuratè tractauit: num videlicet ob bonum pacis concedendum Orientalibus esset, vt nomen Acacij retineretur in Diptychis; eò quòd iam experientia fuerit demonstratũ, id impedimento fuisse maioribus, ne pax vniuersalis Ecclesiæ sanciretur: quòd si concederetur, nequaquam expungenda fore ex ijsdem Ecclesiasticis tabulis nomina Euphemij ac Macedonij Constãtinopolitanæ sedis Episcoporum, qui ob exilium & obitũ in exilio videri poterant satis esse confessionis gloria illustrati. ROMANA SYNODVS IN CAVSA ORIENTALIVM.

In his autem in Synodo decernẽdis opus fuit prædecessorum Romanorum Pontificum Simplicij, Felicis, Gelasij, & Symmachi eo argumento scriptas epistolas legere: quibus ex Ecclesiæ archiuo depromptis, cognitum fuit omnes semper in vnam eamdemque sententiam conspirasse, non recipiendam Orientalem Ecclesiam ad communionem Apostolicæ sedis, nisi Acacio schismatico condemnato. Quamobrem prædecessorum insistens vestigijs, immo & sui ipsius, quæ iam satis pressa reliquerat, inhærens vnà cũ alijs collegis in Synodo considentibus Hormisda Papa decernit, ita oblatam pacem ab Orientali Ecclesia suscipiendam, si Acacij nomen penitus abolerent, & delerent, quos apposuerant sacris tabulis, Euphemium & Macedonium eadem labe respersos. hæc sunt decreta in Romana Synodo, quæ per legatos ad hoc delectos voluit idem Pontifex innotescere Orientalibus: sed anno sequenti, quo sunt Roma dimissi, id fieri contigit, vt suo loco dicturi sumus. Hîc autem finem accipiant præsentis anni res transactæ inter Orientales atque Occidentales. QVID FVERIT DECRETVM IN SYNODO.

Perlata ista omnia fuisse Romam ante decimumtertium Kalendas Ianuarij, superiùs vidimus. Antè autem quàm hæc deferrentur in Occidentem, peruenerunt ad Catholicæ Ecclesiæ communionem Episcopi Dardanię & Illyrici, qui ab ea haud sponte, sed intuiti tyrannide Anastasij acerbè nimis exagitati desciuerant. Hi ergo vbi audierunt septimo Idus Iulij ipsum ex hac vita dirè sublatum, subrogatumque in locum eius Orthodoxum Imperatorem: statim detestati impietatem, scribentes ad Hormisdam Romanum Pontificem, in Ecclesiam Catholicam recipi flagitarunt, legatos ad eum eãdem ex causa mittentes. Annuit Pontifex, communionemque eisdem impertitus est. Quæ quidem adeò læta significare litteris voluit Ecclesiis Occidentalibus: interque alios de his scripsit ad S. Cæsarium Arelatensem Episcopum vicaria præfectura Apostolicæ sedis in Gallia tunc fungentem: quem enim habuerat doloris participem, eumdem voluit tanti gaudij esse consortem. Litteræ autem ipsius Hormisdæ ad eum hoc anno mense Septembri scriptæ sic se habent: HORMISDAE PAP. EPIST. AD CAESARIVM EPISC. ARELAT.

Dilectissimo fratri Cęsario, vel his qui sub dilectionis tuę ordinatione cõsistunt, Hormisda.

Iustum est, vt qui Catholica communione lætamini, nobiscum de Ecclesiæ, si qua prouenit, concordia gaudeatis: vt quemadmodum vnus nobis consensus est fidei, ita sit indiuidua gratulatio prosperorum. Nostis qualiter detestabilis Eutychiana hæresis per Orientales serpat Ecclesias, & quoties præfatæ superstitionis virus Synodus generalis extinxerit, vel quoties eius sequaces salubria monita Apostolicæ sedis spreuerint, & quasi erubescẽtes manus dare veritati, aut Apostolicæ sedis prædicationibus obedire, in hac tanta * obstinatione perstiterunt. Elatio enim semper affert saluti periculum, per quam ipsius inuentor diabolus angelica potestate priuatus est. Pro his nobiscum sæpissime fraternitas vestra condoluit, Apostolicæ non immemor lectionis, qua monstratur [a]: Si patitur vnum membrum, compatiuntur omnia membra. Sed Dominus, qui [b] vult omnes homines saluos fieri, & ad cognitionem veritatis venire, nunc multorum sensus illuminans, eis desiderium Apostolicæ communionis infudit, vt quod dudum intentione * prædicabant, hoc nunc correctionis professione condemnẽt. Quorum reditum ideo absque suspicionis morsu recipimus, quia dum peccatum sine aliquo excusationis velamine confitentur, manifestum desiderium correctionis ostendunt. Ergo Episcopi tam Dardani, quàm Illyrici penè omnes ne sint errore condemnandi præterito, petentes B. Petri Apostolorum principis communionem, & scriptis & legationibus destinatis, se Apostolicæ sedis regulis obedire confirmant. Pro quibus quantum nos oporteat gratulari, soli quorum fides feruet intelligunt. * tamen [a] 1. Cor. 6. [b] 1. Tim. 1.

Sciendum vobis est igitur, anathematizari nunc ab ipsis quoque Nestorium, qui diuidit incarnationẽ Domini nostri Iesu Christi, & per hoc duos Filios conatur asserere. Eutyches carnis negans veritatẽ, & duas naturas in vna persona non prædicans, vt Manichæam phantasiam Ecclesiis Christi (quemadmodum putauit) insereret, simili ratione damnatur. His adiungitur Dioscorus Alexandrinus, qui malitiæ præfatæ consentiens, in sancto Chalcedonensi Concilio particeps damnationis effectus est; & malorum seminum æquales fructus inueniens, in eam cecidit foueam, quam Fidelibus parabat. Facti sunt istorum successores * contentiose

Timo-

Timotheus Ælurus & Petrus,quorum ſibi vbique conſentit iniquitas;& mentientes,magiſtros in nullo deſerunt,ſed in omnibus prauitatibus antecedunt. Hi approbati ſunt generalis materia læſionis, quorum & manus ſacerdotalis ſanguinis maculauit effuſio , & vitam innocentium peremit interitus : habent per vniuerſum mundum à Catholicis infixa æternæ damnationis ſtigmata. quos Orthodoxi non ſolùm fecerunt communionis expertes, verùm etiam eos Chriſtianorum ſpoliauere vocabulo. A

Petrum Antiochenum cum ſuis (ſicuti ab his,de quibus loquimur, factum eſt) præfatis adiungite. De quibus,ne ſermonum prolixitas naſceretur, hoc tantùm dixiſſe ſufficiat,Petrum & eius ſocios in nullo ab eorum qui damnati ſunt dogmate diſcrepare . Quos Acacius aliquando condemnans , in laudes ſuas omnium Chriſtianorum ora conuerterat , & eos impugnans qui Eutychianam hæreſim vindicabant,fidem colentibus gratiſſimus apparuerat.Sed huic ſolitis inſidiator fraudibus,quod fraudabatur,inuidit: nam poſtea hos ſuos complices habere deſiderans, & in Catholicos arma conuertens,cum ipſis inuenit ſortem, quos optauit habere participes.Longum eſt epiſtolæ breuitate per vniuerſa diſcurrere.Vnde ex totius ſumma negotij partem aliquam pro inſtructione direximus : iudicantes, quòd tanta res veſtram non poſſit latere notitiam; præcipuè cùm hoc prædeceſſorum noſtrorum litteris , veſtris fuerit regionibus nunciatum . Quod & nos pro his quæ nuper acciderunt, fraternitatem veſtram curauimus inſtruendam , ne alicubi per ignorantiam Fidelium locum inuenire poſſit ſubreptio prædictorum; ſed qui nituntur talia vindicare, ſacræ conſortio communionis arcendi, euidentiùs innoteſcant. B

Igitur vbi intereſt fidei, quicquid ad gratiam huius pertinet ſæculi reſpuatur, cùm nec naturalis affectio rebus debeat cæleſtibus anteponi : vt illud præceptum Domini com-
[a] *Matt. 10.* pleatur[a] : Qui amat patrem aut matrem pluſquam me,non eſt me dignus. De ceteris quæ in religionis cauſa confidentes diuinis beneficiis præſenti tempore iterum de Orientis partibus ſperamus, & legatos direximus, Domino Ieſu Chriſto ſupplicate, vt ipſe, qui pro pietate ſua proſperum donauit initium,ſimilem concedere dignetur effectum. Vrbanum ſedis Apoſtolicæ Defenſorem etiam huic aptum negotio ad charitatem tuam direximus, per quem de vniuerſarum effectu cauſarum reſponſo congruo cupimus, quæ ſunt votiua cognoſcere. Dominus vos incolumes cuſtodiat, fratres chariſſimi. Dat. 1111. id Septemb. Florentio Conſ.] hactenus litteræ Hormiſdæ Papæ ad S.Cæſarium. Quæ autem poſt hæc acciderint, dicemus anno ſequenti. C

DE CONSVLATV IVSTINI ET EVTHARICI.

IAM verò ad ſequentis anni res geſtas tranſeamus : Notatus hic reperitur annus Conſulatu ipſius Iuſtini Imperatoris, qui collegam Euthericum cognomento Cillicam ſibi aſciuit: gener hic fuit Theodorici Regis, nupta ipſi Amalaſuenta (dicta vulgò Amalaſunta) filia ipſius Regis. Pax firma erat inter Iuſtinum atque Theodoricum Italiæ Regem ; cuius rei gratia mutuis ijdem Principes inter ſe certabant officijs. De Conſulatu autem Eutharici generi Theodorici collato ipſi à Iuſtino Imp. eſt perſpicua teſtificatio Athalarici Regis, filij eiuſdem Eutharici, dum inter alia ſcribens ad Imperatorem, hæc ait : Vos genitorem meum palmatæ claritate decoraſtis.] fuiſſe palmatam veſtem Conſularem , habes apud
[b] *Apud Caſſiod. lib. 6. epiſt. 1.* Caſſiodorum[b] . Sed & adoptionis gratia impertitum à Iuſtino Imperatore Eutharicum, idem Athalaricus in dicta epiſtola inferiùs ſubdit. E

LEGATIO MISSA AB HORMISDA CONSTANTINOPOLIM.

Quod autem ad anni huius res geſtas pertinet : planè memorabilis ex eo redditur, quòd poſt plurimorum annorum acerbiſſimam diſſenſionem Eccleſia Orientalis ſchiſmate ſciſſa ab Eccleſia Romana,pace compoſita, eidem parens, communione Catholica coniungitur. Quomodo autem iſta ſe habuerint, ordine rerum geſtarum ſunt pro temporis ratione pandenda: atque primùm de miſſa legatione ab Hormiſda Pontifice agendum erit. Licet autem (vt vidimus) ipſius Hormiſdæ præſentia ad rem tantam ab Orientalibus quæreretur: tamen more maiorum per legatos rem agere, conſultius viſum eſt . Delegit itaque ad munus obeundum Germanum Epiſcopum; quem non alium putamus , quàm mirificum illum S.Germanum Epiſcopum Capuanum, qui ad Anaſtaſium Imp. eodem munere functus eſt,vt ſexto Annalium tomo diximus.Miſſus cum eo eſt Ioannes Epiſcopus; ſed cuius

Eccleſiæ

A Ecclesiæ Antistes fuerit, hactenus mihi incompertum est. His adiunxit Blandum presbyterum, & Felicem atque Dioscorum diaconos: quibus eiusmodi dedit admonitionem, quæ continetur Indiculo ex eodem codice hîc descripto, ne vel transuersum vnguem à mandatis recederent: ipse autem sic se habet[a]:

Indiculus quem acceperunt legati Apostolicæ sedis qui suprà.

Cùm, Deo propitio, partes Orientales fueritis ingressi; si qui Episcopi vobis occurrerint, & libellum, cuius continentiam percepistis, à se subscriptum offerre voluerint, suscipite, eisque præbete sanctæ communionis consortium.] acceperunt enim ijdem legati ab Hormisda libellum professionis Catholicæ fidei, quo probarentur qui verè se esse Catholicos dicerent, nimirum vt secundùm formam illam ederent fidei confessionem. Vnde subdit: Si verò occurrentes Episcopi, eo quo superiùs diximus ordine profiteri noluerint; à vobis

B equidem sub sacerdotali affectione tractentur: sed neque vobis sit cùm his mensa communis, neque ab his vel victualia præsumatis accipere, nisi tantùm subuectionem, si causa poposcerit, & hospitalitatem: ne credant omnino fastidiosè despectos.] Habes, lector, quod obserues, ad quos vsque terminos se extendat prohibita cum hæreticis conuersatio. Hæc sunt quæ in via eisdem seruanda præscribit. Quæ verò, cùm peruenissent Constantinopolim, custodire deberent admonuit, accipe.

Cùm autem Constantinopolim, Deo adiuuante, veneritis, in eam accedite, quam Imperator præbuerit mansionem; & nullum ad salutationem vestram priùs permittatis accedere, exceptis his, quos ipse miserit Imperator, aut nostræ communionis esse cognoscitis, donec ipsum Principem videatis: cui præsentati, salutantes, litteras nostras offerte; suggerentes magnum nos de eius Imperio gaudium percepisse, & nimium gratulari, quòd cum

C Deus omnipotens ad hoc euexit, iuxta eius sacras litteras, vt secundùm ea quę sunt ab Apostolicæ sedis constituta Præsulibus, Deo auctore, & regno eius adnitente, Ecclesiarum & pax & vnitas his temporibus desiderata proueniat. Qui si vos hortatus fuerit, vt Constantinopolitanum videatis Episcopum: intimate, vos præfinita habere; quæ etiam ab eis sæpe sunt cognita, quæ ab vniuersis Episcopis Catholicam communionem amplectentibus professio debeat celebrari. Hæc si Episcopus Constantinopolitanus implere paratus est, ei gratulanter occurrimus. si verò sedis Apostolicæ adhortationem sequi contemnit; quid necesse est, vt ad occasionem contentionis salutatio nostra proficiat, quibus non est disputationis aut certaminis causa mandata?] Vidisti quàm prudenter cautum fuerit, vitare de fide vel communicatione disputationes & controuersias in ijs quæ iam antè fuerant decreto sedis Apostolicæ definita: vnde & intelligas, quanta insederit auctoritas Romano Pontifici, nimi-

D rum ipsum, quibusuis decretis Synodalibus antea ab ipsis Orientalibus editis (vt vidimus) non obstantibus, præscribere certam formam, quam ij, qui verè Catholici dici vellent, sequi deberent. Sed audi, quæ rursum eosdem Hormisda monuerit.

Si verò Imperator sibi aperiri voluerit, quid sit, quod ab Episcopo fieri postuletis: formam libelli, quam portatis, ostendite. Quòd si de anathemate Acacij consentiens, successores eius dixerit recitandos, ob hoc quod propter defensionem Chalcedonensis Synodi aliqui eorum, nempe Euphemius & Macedonius, fuerint exilio deportati: insinuabitis, nihil vos de libelli posse forma decerpere, in qua sequaces damnatorum pariter continentur. Sed si

E eos ab hac non potueritis intentione deflectere, saltem hoc acquiescite, vt anathematizato specialiter per libellum, quem vobis dedimus, Acacio, de prædecessorum eius nominibus taceatur, abrasis de Diptychorum inscriptione vocabulis.

Quo facto, Episcopum Constantinopolitanum in vestram communionem accipite. Libellum verò vel Episcopi Constantinopolitani, vel aliorum, quos vos suscipere, Deo volente, contigerit; primò agite, vt præsente populo recitetur. Quòd si hoc fieri non potuerit, saltem in Secretario, præsentibus clericis & Archimandritis, relegatur.] Probè, puto, intelligis, lector, quomodo vno resistente Romano Pontifice, in ventum penitus euanescant importunę acclamationes illæ populi, & Ioannis Episcopi Constantinopolitani decretum, & Synodalis pariter constitutio, quibus nomina Euphemij atque Macedonij in sacras inferri tabulas iussa sunt: vt perspicuè videas totius Ecclesiæ orbem in vno verti cardine, nempe Romani Pontificis auctoritate. Sed quæ his addat Hormisda, videamus.

Hæc omnia si Deo fuerint volente completa, Imperatorem rogate, vt destinatis Sacris per Metropolitanos Episcopos, adiunctis ipsius Episcopi Constantinopolitani litteris, innotescat, Episcopum Constantinopolitanum, suo quoque consensu celebrata professione, quam

[a] *Extat inter Hormisdæ epist. tom. 1. epist. Rom. Pont.*

COMMONITIO SCRIPTA LEGATIS.

QVAE IN VIA AB EIS AGENDA ESSENT.

QVOMODO SE GERERE CONSTANTINOPOLI LEGATI DEBERENT.

QVID DE ACACII NOMINE ET SVCCESSORVM AGERE DEBEANT.

DE FIDEI PROFESSIONE CATHOLICA PROMVLGANDA.

quam ſedes Apoſtolica deſtinauit, in vnitatem communionis fuiſſe ſuſceptum:quibus lit- A
teris etiam ipſos hortetur ſimilia profiteri. Quòd ſi in hac parte Imperator aliquid difficultatis attulerit;Epiſcopus Conſtantinopolitanus, directis præceptionibus Epiſcopis ſuis paræcialibus,vel ceteris Metropolitanis,ijſdem præſidentibus,qui à vobis pariter directi fuerint, quid ipſe fecerit innoteſcat: quod ab eo modis omnibus vos oportet exigere;vt facti huius teſtimonio peragrante, etiam vniuerſos, vel qui longè ſunt poſiti, latere non poſſit.] hucuſque legatis miſſis impertita admonitio ab Hormiſda Pontifice.

In qua obſerua,quàm amplè fidei profeſſionem præſtari velit Romanus Antiſtes ab Epiſcopo Conſtantinopolitano licet ſemper Orthodoxo, inquinato tamen communicatione prædeceſſorum Acacij nomini fauentium: nempe vt palàm coram populo, vel ſaltem coram Epiſcopis & Archimandritis illam ex ſcripto recitatam exhibeat; atque etiam publicis ad omnes ſibi ſubditas Orientis Eccleſias litteris datis,id ipſum cunctis faciat innoteſcere. B
Sed videamus quas per eoſdem legatos idem Hormiſda Papa ad Iuſtinum Imperatorem litteras dedit: de tanti enim momenti legatione nihil planè prætermittendum putamus, ſummas Deo gratias referentes, qui adeò nobilia monumenta, licet nonnihil obducta rubigine ob nimiam vetuſtatem, adhuc integra conſeruauit. Litteræ igitur Romani Pontificis ad Imperatorem ſic ſe habent ex eodem codice Vaticano depromptæ[a]:

[a] *Extant to. 1. epiſt. Rom. Pont. epi. 26. Hormiſdæ.* HORMISDAE PAPAE EPIST. AD IVST. IMP.

Hormiſda Iuſtino Auguſto.

In tantum pro gratia Diuinitatis gloriæ veſtræ famam conſtat extenſam, & ita vos, ſuffragante vitę merito,laudabiliter mundo contigit innoteſcere,probatiſſimorum hominum opinione vulgante, vt ſuper vos potiùs credatur dilatatum culmen Imperij, quàm per Imperium vos aliquis dicat agnoſci. Certum eſt quidem huiuſmodi prouectione veſtra priſtino ſplendori acceſſiſſe decoris cumulum: ſed ſicut tenuiſtis olim moribus principatum, ſic C
cùm vos per ora gentium impatiens ſecreti magnitudo detulerit*, ad nos quoque (ſicut myſticæ loquuntur Scripturæ) teſtimonijs ſuauitatis veſtræ odor aduenit. Et certè cùm latè prudentium hominum ſententia religioſæ vitæ veſtrę fuerint inſtituta diſperſa,habere non potuimus incognitum, quicquid de vobis fuerat mundi atteſtatione vulgatum. Quia ſicut mediocri laude digna in immenſum ſibi nequeunt vindicare præconia; ita ſine fine prædicandum rapitur in populum, quicquid bono fuerit admirationis ornatum. Vindicat enim ſibi quantitatis ſuæ iure magnitudo famæ teſtimonia: quia neſciunt latere miranda. Hinc eſt, quòd principatus vobis ac honores publica iura commiſerunt. Nam quòd meritorum inſignia generalitatis facta ſunt vota: nemo ita rerum arbiter iniquus extitit,qui paſſim vos æſtimet Arches inclytæ accepiſſe titulos; cùm negari nequeat, dignè vos meruiſſe Imperij culmen,quorum probitatem mundus agnouit. D

* defuerit

Sed parum eſt; quamuis iudicio vniuerſitatis, ſuſcipere loco præmij iura regnandi. Illud magis eſt admirabile,quòd ita vos hominũ laudabilitate firmatos ſuſcipiunt Imperia,vt iudicia ſint diuina. Non eſt dubiũ,electos ſuos venerabili prædeſtinatione Diuinitatis ad tantę poteſtatis ornamenta venire,quos ſinceræ fidei documenta circũuallant. Verè vobis prophetici ſpiritus conuenire verba dixerimus[b]: Priuſquam te formarem in vtero, noui te.]
[b] *Hier. 1.*
Ne putes, lector, adulatum Iuſtino Hormiſdam, tantis illum præconijs efferentem. Iuſtorum namque eſt (ſecundùm Prophetæ ſententiam dicentis[c]: Ad nihilum deductus eſt in
[c] *Pſal. 14.*
conſpectu eius malignus, timentes autem Dominum glorificat) pios viros laudum efferre ſermone, cùm Deus in his honoretur. Admiranda planè dona eidẽ Iuſtino Imperatori diuinitus impertita fulſere;cùm (vt quæ ſuperiùs dicta ſunt in eiuſdem Iuſtini primordijs,per-
[d] *Pſal. 112.*
ſpicuè manifeſtant) ſecundùm illud propheticum[d] euenerit: De ſtercore erigit pauperem,vt E
collocet eum nõ ſolùm cum principibus populi ſui,ſed ſuper omnes ſolium gloriæ tencat:] ſed quod magis præſtat,ad hoc (vt idem Pontifex ait) à Deo prædeſtinatus fuiſſe videretur, vt fidem & pacem exules ſanctæ Eccleſiæ reſtitueret. Sic more ſuo Deus infirma mundi elegit, vt fortia quæque confundat. Sed audi dignum Iuſtini laudum præconem.

Ad hanc vos gloriam,incomprehenſibili ſupernæ maieſtatis diſpoſitione procurante,obſequium naturæ mundo protulit, ſub cuſtodia fidei tranſactæ vitæ probitas inſtituit, atque ad Imperia clementia diuina prouexit: ob hoc ſcilicet, vt tandem aliquando diuiſores Dominici corporis fidei veſtræ executione compreſſi, Eccleſiarum concordia diabolica impedimenta ſuccideret,& vniuerſitas de adunatione gauderet. Hoc religioni, hoc fidei,hoc ſerenitati veſtræ ſpecialiter cælitus mandatur officium, quibus & poſſe omnia & perficere videmus indultum. Itaque ſicut inſtituiſtis facere, nauati ſuſcepti operis munus, quod

ſuperna

A suprema vobis prouidentia videtis iniunctum. Et verè sic decuit, vt per Principem pax debeat fieri, quam reuerentia Diuinitatis exposcit. Date has assumpti Deo nostro vestri oblationes Imperij, vt per vos possit pacis fructus impleri. Sine dubio quicquid tali facto animæ vestræ fuerit præstitum, à vobis mundo iudicatur impensum. Magnum & inæstimabile est, venerabilis Imperator, propter quod asciti estis iudicio Diuinitatis: extenduntur ecce vota pacem desiderantium: diuturni temporis tractu mæret Ecclesiarum indiuisibilis discissa communio: est in gemitu discerpta fraternitas, cùm circa Patrum dogmata varia sit voluntas.

Accingite ergo lumbos viribus fidei: videte cui vos Regi Diuinitas velit obsequi: quantum sit, quod per vos procurat impleri: Ecclesiæ venerandæ corpus, quod propria Christus noster passione fundauit, gloriæ vestræ adunare factis instituit. Non est quo magis
B circa vos gratia supernæ maiestatis eluceat, quàm si Ecclesiæ corpus per vestrum reparetur officium, sanguinis Dominici redemptione formatum. Est quidem causæ huius vetustissima calamitas, sed pro immanitate sui recentissimus dolor, & tanto Christianis animis fortior gemitus, quanto temporibus est dilatus. Videndum vobis est, in quantum quotidie antiqui hostis feruescat insania, cùm olim causa sit decisa fine sententiæ, pacis faciat tarditatem: & cùm Chalcedonensis Synodus, & beati Papæ Leonis constituta placeant, quo ad charitatem reuerti volumus, à certamine non desistas. Sequuntur quæ dogmatibus prædictis ascripta sunt; & ab eorum sequacibus, quos prædicta auctoritate damnatos intelligunt, non recedunt. Tenent adhuc in complexibus nomen Acacij, quem videt iudicio sedis Apostolicæ meritò pœnam subijsse damnati. Quis non intelligat, simulatè dici: Sanctorum Patrum sequimur dogmata, sed non diligimus facta? Quæ à sancta Synodo Chalcedo-
C nensi constituta sunt, & quæ beati Leonis epistola cõtinet, fouemus, veneramur, amplectimur: sed Acacio, qui damnatorum communionem secutus est, impendimus vota.

Sed quid opus est de iudicatis rebus verba facere, cùm nos hortari tantummodo deceat, vt expressa superiùs simulatione summota, sub omni puritate pacem debeant, à quibus hæc dicuntur optare? Apud vos mihi est omnis deprecationis causa, Imperator egregie: Vos his ac talibus religiosi operis resistite viua charitate: Vobis imminet, vt qui Ecclesiasticæ concordiæ habuistis sub priuata vita desiderium, sub principatu detis effectum. Non fuit quo magis gratiæ vestræ cumulus accederet, quàm quod vobis diuinitus delatum est, vt quod semper voluistis fieri, per vos ad terminum possit adduci. Nec breue specimen circa vos gratiæ Diuinitatis effulsit, quibus datur posse facere quod semper optastis. Quapropter quoniam vobis tantæ causæ titulum videtis esse seruatum: remouete quic-
D quid ambiguum remansisse creditur ad plenitudinem gaudiorum. Nos enim qua decuit affectione per Gratum V. C. cui pro moderatione sui congruè sensimus officium legationis iniunctum, litteris vestri principatus acceptis, causæ magnitudini conuenientes destinauimus viros, Germanum & Ioannem Episcopos, & Blandum presbyterum, nec non & Felicem diaconum; per quos, si (quemadmodum præsumimus) serenitatis vestræ fauor arriserit, secundùm quæ mandata sunt, Ecclesiarum adunatione generalitatis possint vota firmari. Hactenus Hormisdæ ad Iustinum Imp. epistola, in qua tamẽ desideratur Dioscori diaconi legati nomen, quod in reliquis eiusdem Pontificis datis ea de causa litteris atque ab alijs redditis expressum habetur, licet non hoc ordine, quo hic recensita eorumdem nomina reperiuntur: nam in ipsis post nomina Episcoporum legatorum, mox nominati reperiuntur ambo legati diaconi, & nouissimè Blandus presbyter. sed huius epi-
E stolæ auctoritate dici potest, errore librariorum factum, vt series nominum sit inuersa, & diaconi ante presbyterum positi. Quæ quidem præmonuisse lectorem oportuit, ne adeò miretur, cùm legerit diaconos ante presbyterum nominatos, & nouissimo loco presbyterum collocatum: id enim errore factum esse, ex hac Hormisdæ Papæ ad Iustinum Imperatorem data epistola redarguitur. Sed cœptam de legatione decreta historiam prosequamur.

Non satis id est visum Hormisdæ, qui nihil penitus voluit prætermissum officij, quo tanta legatio felicem consequeretur effectum; vt qui optimè mente retineret, complures antè missas à prædecessoribus Romanis Pontificibus legationes vel inanes redijsse, effectuq. vacuas, vel ignominij fugillatas. Quamobrem præter eas quas vidimus ad Iustinum Imperatorem litteras datas, addidit alias ad Euphemiam Augustam insignem pietate feminam, quæ accedebat Iustino viro suo adiutorium simile ipsi, vt pote quæ eidem fuerat

omnium bonorum ſua pietate conciliatrix: quæ & (vt dictum eſt) cum Imperio mutans priſtinum nomen, in memoriam illuſtris martyris Euphemiæ, in cuius baſilica fuerat celebratum ſacroſanctum Chalcedonenſe Concilium, Euphemia dici voluit, vt & eo pariter nomine declararet ſe eſſe eiuſdem Magnæ Synodi ſtudioſiſſimam. Epiſtola autem ipſa ſic ſe habet[a]:

[a] *Hormiſd. epiſt. 27.*

Hormiſda Epiſcopus Euphemiæ Auguſtæ.

HORMISD. EPISTOLA AD EVPHEMIAM AVG.

Eccleſiarum pax iam cæleſti ordinatione componitur, cùm vos ad Imperium Deus elegit, apud quos eſſe integrum ſemper religionis ſuæ cognouit affectum. Nam ſicut in priuata vita Deum ſemper recto dogmate coluiſtis, vt de religionis concordia cogitaretis; & multa quidem inter ipſa Imperij veſtri primordia facta ſunt, quæ ſpem nobis correctionis integræ pollicentur. Vnde quia in vobis amorem feruere fidei gratulamur: agentes Deo gratias quotidie pro vobis, beato Petro Apoſtolo ſupplicamus, vt votis veſtris apud Dominum ſuffragetur, & curſum bonæ voluntatis adimpleat. Nec dubium eſt, diuinis vos auxilijs adiuuari, quia tanto religionis ſtudio mandatis cæleſtibus obeditis. Hinc eſt, quòd quia ſanctum coniugij veſtri conſtat eſſe propoſitum, has fiducialiter ad veſtram clementiam litteras deſtinamus, vt per vos ad perficiendam Eccleſiæ pacem mariti veſtri pietas ampliùs incitetur.

COMPARATIO EVPHEMIAE CVM HELENA.

Magnum opus arripuiſtis, magna vobis cauſa commiſſa eſt: per vos etiam populos Chriſtus vult ad Eccleſiæ fœdera reuocare, quos per ſe voluit à morte redimere. Magna etiam veſtro ſexui parata eſt laudis occaſio, ſi vobis inſtantibus, Eccleſiæ ſuæ Chriſtus, quæ diuiſa fuerant, membra coniungat. Nec eius, *nempe ſanctæ Helenæ*, maior eſt gloria, quæ humanæ ſalutis lignum ſcrutata eſt, & ſola Crucem, quam omnis veneratur mundus, inuenit. Superabitis quinimo illius merita: quia Eccleſiæ vnitas per illam ſuum inuenit ſignum, per vos eſt habitura remedium. Agat igitur iugalis veſtri religioſa clementia, vt fratres & coepiſcopi noſtri ſub eo libelli tenore, quem dudum miſimus, fidem ſuam dignentur aſſerere; quatenus perfecta poſſit eſſe, quæ eſt inchoata correctio: quia irrita eſt quælibet in cultura Dei confeſſio, cui deeſt fidei plenitudo. Hoc enim quod à reliquis fieri popoſcimus, à multis iam ſacerdotibus conſtat effectum: & vnitas eſſe iuſta in communione non poterit, ſi non fuerit in reuerſione ſeruata.] hæc ad Auguſtam Hormiſda Papa.

Sed attende quæ ſcribat ad ipſum Conſtantinopolitanum Epiſcopum Ioannem, penes quem optimè ſciret reſidere totius pacis conciliandæ facultatem: vt ſi ipſe reſiliret, vt fecerant prædeceſſores, omnem operam & impenſam perijſſe nõ dubitaret. Quamobrẽ demulcere hominem lenitate, & reſilientem veritatis vrgere ſtimulis ad curſum, dubiumq; efficacioribus ſuadere & certum reddere argumentis, atque labantem animo rationibus ſtabilire non prætermiſit. Accipe igitur ipſas dignas tanto Pontifice litteras, quæ ſic ſe habent[b]:

[b] *Hormiſd. epiſt. 28.*

Hormiſda Epiſcopus Ioanni Epiſcopo Conſtantinopolitano.

EPISTOLA HORMISD. AD IOANNEM CONSTANTINOP.

Reddidimus quidem, frater, congruum litteris tuis ſub Eccleſiaſtica libertate reſponſum; & quid in his congratulati fuerimus inſertum, quid taciturnitate præteritum, euidenter expreſſimus. Ac licet cuncta ſenſibus tuis nunc crebra legatio, nunc vſu in Eccleſia diuturnæ conuerſationis tuę vetuſtas infuderit; iuuat tamen adhuc latiùs aperire noſtrum repetita ratione conſilium: quia tunc bene de fidei firmitate diſſeritur, quando ſimplicibus verbis conciliandæ pacis cupiditas explicatur. Deſideria quippe tua, quibus te ad Eccleſiaſticam teſtaris feſtinare concordiam, vt haberent partes illæ, ſemper optauimus: nec ſola votorum ambitione contenti, vſi etiam precibus ſumus. Veſtro ſunt hæc & mundi teſtimonio roborata, quæ loquimur: quia vt Catholicæ vnitatis reparatio fiat, auctoritatem noſtram intemeratæ fidei integritate ſubmittimus. Inclinet orationibus noſtris aurem ſuam diuina miſeratio, vt quod creditis poſtulandum, ſequamini & ametis oblatum. Nobis vna cauſæ ſolicitudo, vna cuſtodia eſt, ita pacem cupere, vt ſic religionis, ſic venerabilium Patrum conſtituta ſeruentur: quoniam quæ inter ſe conſona credulitate non diſcrepant, æquum eſt vt ſimili obſeruatione ſubſiſtant*.

* ſuſtineant

Sed cur diutiùs immoramur? Scis ipſe, vnitatis cauſa quid exigat: ſcis ipſe, qua via ad beatiſſimi Petri Apoſtoli debeas venire conſortium. Habes itineris tui ducem, quem te iam ſequi aſſeris, Chalcedone habitum pro religione conuentum. Iam te quoque, quod idem amplecti teſtatus eſt, beati Leonis redeuntem dogma comitabitur. Hæc ſi placent, Acacij defenſio damnati non placeat; hoc eſt, quod boni ſtudij à perfectione vota ſuſpendit. Si ſunt enim illa aduerſum Dei & legis eius inimicos venerabilium Patrum congregatione

A gatione disposita, vt quisquis eos in communione sequeretur, iam tunc latam subiret in sua damnatione sententiam: non sunt igitur noua, quæ constanter exequimur, sed temporibus illis facta iudicia iusta Patrum constitutione seruamus. Hortamur itaque, frater, & mentem tuam, Dei nostri misericordia adiuuante, pulsamus, vt ab omni te hæreticorum contagione, Acacium cum suis sequacibus condemnando, disiungens, vnà nobiscum Dominici corporis participatione pascaris. Si nobiscum vniuersa prædicas, cur nobiscum non vniuersa condemnas? Tunc enim nobiscum quæ veneramur amplecteris, si nobiscum quæ detestamur horrueris. Pax integra nescit aliquam habere distantiam; & vnius Dei vera esse non potest, nisi in confessionis vnitate, cultura.

Quapropter salutantes te fraternæ charitatis affectu, petitionem tuam missis (sicut speraſti) religiosissimis viris Germano & Ioanne Episcopis, Felice Diacono, Dioscoro diaB cono, atque Blando presbytero, significamus esse completam. Hi verò quibus fuerint mandatis instructi, ante allegationes eorum, si cogites, euidenter agnosces. Hi pacem tuam sub ea qua sæpe scripsimus professione suscipient. Imple ergo, frater charissime, gaudium nostrum, & tuum ad nos per eos rectæ fidei tuæ remitte præconium, vt per te vniuersis detur exemplum.] hæc per legatos ad Ioannem Patriarcham Hormisda. Quod autem dum Romæ ista tractarentur, contigerat aliàs ab eodem ipsum Hormisdam litteras accepisse, ad eumdem has reddidit breuiores, quæ sic se habent [a]: [a] *Hormisda. epist. 29.*

Hormisda Episcopus Ioanni Episcopo Constantinopolitano.

Ea quæ charitas tua destinatis litteris significauit, agnouimus, & gratulamur ad conscientiam nostram fidei tuæ indicia peruenisse: optantes, vt intentioni tuæ, quam rectam esse cupimus, plenum Deus noster circa Ecclesiasticam pacem cõcedere dignetur effectum, C cuius spem animo supernæ maiestatis assumpsimus: quia Imperatorem serenissimum ad hoc prouidentia diuina iudicamus electum, vt per eum Ecclesiarum reintegratio tantis temporibus desiderata proueniat. Quapropter licet quæ pro fidei vnitate facienda sunt, tuæ charitatis notitiam latere non possint, legatos tamen direximus, quos ratio causæ poscebat: quibus hortantibus, & quæ iampridem à nobis significata, & quæ nuper iterata sunt, ad effectum, Domino nostro auctore, perueniant.] hæc ad Ioannem. HORMISD. LITTERAE AD IOAN. EPISC. CONSTANTINOP.

Quòd verò idem Hormisda Papa optimè sciret, plurimum conferre ad pacis conciliationem, Constantinopolitanum demerere clerum, quem non ignoraret pro arbitrio vniuersum mouere populum posse, tantasque vno momento conflare discordias, vt etiam statum ipsius Imperatoris (quod pluribus exemplis vidimus) in discrimen adduceret: hos quoque amantissimis præuenire litteris non prætermisit. Extant ipsæ quidem æquè perbreues ad D Archidiaconum & reliquos eiusdem Ecclesiæ clericos scriptæ verbis istis [b]: [b] *Hormisda. epist. 30.*

Hormisda Episcopus Theodosio Archidiacono Constantinopolitano & vniuersis Catholicis à pari. AD ARCHIDIAC. CONSTANTINOP. ET ALIOS ORTHODOXOS EPISTOLA HORMISD.

Gratias misericordiæ diuinæ competenter exoluimus, quæ fidem vestram diu laborare non passa est: nam tempus oblatum est, quo fidos milites suos Catholica recuperare possit Ecclesia. Quæ enim maior animum vestrum potest obtinere iucunditas, quàm malorum commemorata depulsio? Gaudiis præsentibus compensate afflictionis incommoda: quia Deus noster, qui remedio fuit, aduersis opprimi charitatem vestram noluit, sed probari. Nam si transacti temporis mala cum præsenti, quæ diuina esse non ambigitur, retributione compensetis: quis dubitat ampliora vos præmia consecutos, quàm nocere potuisset aduersitas? Et quamuis pro statu fidei Catholicæ numquam solicitudo nostra cessauerit, tamen E serenissimi Principis sacris affatibus incitati, legatos destinare curauimus, quorum officio, Deo auctore, in his, quæ sæpe mandauimus, subsequi non dubitamus effectum. Et ideo competenter enitere, vt Ecclesiæ Catholicæ hoc præcipuum vestræ liberationis munus possitis offerre: quatenus repulsis omnibus quæ hactenus nocuerunt, in vna, quam semper optauimus, communione gratulantes, Deo nostro laudes referre sine cessatione possimus.] hactenus ad Theodosium Archidiaconum & reliquum clerum Ecclesiæ Constantinopolitanæ Hormisda.

Quod verò qui pietate fulgebat, & auctoritate in aula regia præstabat Iustinianus hoc tempore Comes Domesticorum, postea verò successor Iustini in Imperium, pacis cupidissimus esset, & post primas ad Hormisdam Papam datas eodem argumento litteras, alias quoque postea addidisset, misissetque Romam oblationes Apostolorum Principi offerẽdas per ipsum Romanum Pontificem: magnam ex his sumpsit Hormisda de pace concilianda IVSTINIANI PIETAS COMMENDATA.

fiduciam quamobrem qui binas ab eo acceperat litteras, totidem diuersis tamẽ diebus epi- A
[a] *Hormis. epi. 25.* stolas reddidit, quarum prioris est exordium [a]: Litterarum vestrarum serie religionis, &c.]
[b] *Hormis. epi. 31.* sed satis nobis sit hîc describere posteriorem, quæ sic se habet [b]:

Hormisda Episcopus Iustiniano V. I.

EPIST. HORMISDAE AD IVSTINIANVM V.C. Magnitudinis vestræ litteras sanctæ fidei plenas amore suscepimus, quibus ad exercendam apud vos prædicationis Apostolicæ firmitatem, opportunitatem nobis prouenisse diuinitus nunciastis. Vnde indesinenter Deo nostro agimus gratias, qui ad tam præclara remedia & tempus vobis & animum dedit. Et nos quidem desuper ista agnouimus ordinari, postquam ei detulit diuina maiestas Imperium, qui se ad componendam Ecclesiarum pacem indicat ordinatum. Ergo restat, vt vniuersi Episcopi partis Orientalis, iuxta libelli seriem, ad correctionis peruenisse se testentur effectum. Patet venerandæ via concordiæ: nota
* notata * sunt optatæ remedia sanitatis. Sacerdotes, qui Catholicam pacem desiderant, professionem Catholicam non recusent. Non enim opus est partibus errorem corrigi, sed radicitus amputari. Insistite igitur, sicut cœpistis: vt merces apud Deum vestra, quæ de boni operis inchoatione habet initium, de perfectione consequatur effectum. B

Animum quidem vestrum talem missa ad nos testantur alloquia, vt ad plenitudinem boni propositi non multum indigeatis hortatu: nostri tamen desiderij, ea quæ spem dedit
* ratio DE SVSCEPTIS OBLATIONIBVS IVSTINIANI. oratio *, amplius accendit ardorem; & auidius gaudia impleri cupimus, quæ instare iam diuinitus arbitramur. Hinc est quod beatum Petrum Apostolum quotidie suppliciter obsecramus, vt vobis, per quos integrari membra sua, sancta iam sperat Ecclesia, & effectum Deus celerem, & salutem tribuat longiorem. Nos quidem vestris animis obsequentes, viros direximus ad solidandam sub Apostolicæ dispositionis ordinatione concordiam. Vestrum est, vt sicut nos bonæ intentioni deesse noluimus, ita eos apud nos optatum referre fa- C
ciatis effectum. Munus vestrum veneranda sacraria susceperunt; quod amplius beato Petro Apostolo facietis acceptius, si per vos optatam Ecclesiæ receperint vnitatem.] hæc Hormisda ad Iustinianum.

Magno quidem Dei beneficio (vt diximus aliàs) factum sentio, vt tantæ legationis tantorum virorum in causa tanti ponderis missæ vetera in hanc diem seruata sint monumenta, vt nihil ferme perierit: vt plane contingat, eiusmodi frequentia epistolarum, quemlibet ipsas legentem, perfectius scire cuncta quæ in eadem causa contigerunt, quàm qui eodem tempore vixere, sed has epistolas minimè conspexerunt: ex quibus haud mediocris omni ex parte legenti vtilitas comparatur, si eas cunctas prudens lector accuratè & non oscitanter cursimve perlegat. Intueri porrò in eis licet summam Hormisdæ in rebus agendis solertiam, cùm nihil omni ex parte intentatum reliquerit, quo missa legatio optatam refer- D
ret concordiam. Nam præter illa quæ dicta sunt: quod idem sciret Hormisda, & pluribus esset doctus exemplis, aulicorum arbitrio res prosperè progredi, vel inuerti solere: vt qui essent apud Iustinum Augustum potentiores sibi litterarum commercio coniungeret, ad eosdem epistolas dedit: nam non ad Iustinianum tantùm quas vidimus litteras scripsit, sed & alios item aulicos clarissimos viros de eadem legatione scripsit, vt ad Celerem atque Pa-
[c] *Hormis. epi. 32.* tricium in hunc modum [c]:

Hormisda Episcopus Celeri & Patricio VV. CC. à pari.

AVLICOS IMPERATORIS LITTERIS HORMISD. PRAEVENIT. Quamuis pro loci nostri consideratione de causa fidei Catholicæ minimè tacere possimus: tamen ad hanc partem serenissimus Princeps magnopere directis affatibus nostrum incitauit studium, pro cuius legatos voluntate direximus. Et quia huiusmodi causa filiorum Ecclesiæ subleuari debet auxilio; salutantes vos cultu atque honorificentia competenti, po- E
scimus, vt pro Ecclesiastica pace allegationes eorum, qui directi sunt, apud animos serenissimi Principis adiuuetis: siquidem vestræ celsitudinis laborem non parua retributio subsequitur, cum omnipotenti Deo nos gratias persoluere de vestris operibus feceritis.] hęc Hormisda. Extant & aliæ ad eumdem Celerem litteræ in commendatione legatorum, quæ incipiunt: Cum necesse fuerit, &c.]

AD CIVITATVM PRAEFECTOS HORMISDA SCRIBIT. At non satis ipsi fuit, eos qui erant Constantinopoli apud Imperatorem magistratus admonuisse: sed voluit eos etiam, qui degerent in prouinciis, per quas legati transituri erant, ad opus hortari. Quod enim sciret Thessalonica eosdem transituros fore legatos: ad eum qui ibi gerebat prætecturam, & alios, litteras dedit. Satis quippe memor erat, illic degere Dorotheum eiusdem ciuitatis Episcopum, qui non à communione tantum Romani Pontificis, vt Anastasio morem gereret, se subduxerat, sed & alios ad id ipsum præstandum induxe-

A induxerat; immo & minis atque persecutione compulerat, vt quæ dicta sunt superiori tomo significant: ne igitur per eum turbæ aliquæ Thessalonicæ concitarentur, perbreues has ad eius ciuitatis Præfectum litteras dedit [a]:

[a] *Hormisd. epist. 33.*

Hormisda Episcopus Præfecto Prætorio Thessalonicensi & ceteris VV. II. à pari.

EPISTOLA HORMISD. AD PRAEF. PRAETORII THESSAL.

Licet pro causa Ecclesiastica numquam solicitudo nostra cessauerit: tamen Imperatoris sereniſſimi sacris affatibus promptius incitati, legatos cum cælestis misericordiæ fauore direximus, quorum officio bona, quæ de Principis mente præsumimus, impleantur. Et ideo salutantes amplitudinem vestram cultu & honore quo dignum est, poscimus, vt pro reintegratione fidei vestrum commodetis studium, nec tantis Fidelium tardari vota temporibus permittatis: quia non est dubium, celsitudinem vestram fructum tantæ laudis acquirere, si per eam, quæ ab omnibus bonis optantur, Dei nostri misericordia operante, pro-
B ueniant.] hactenus epistola, & quidem opportunè scripta: etenim contigit eosdem legatos Thessalonicæ contradicentium & altercantium turbis plurimum agitari, vt inferiùs suo loco dicetur.

FEMINARVM STVDIVM PRO FIDE CATHOLICA.

Ad postremum verò clarissimarum quoque feminarum Hormisda Papa, datis ad eas litteris, ad rem bene conficiendam implorauit auxilium: non enim despiciendas eas esse putauit, quæ tempore persecutionis Anastasij Imperatoris, pro Catholica fide non solum steterant inconcussæ, sed & virorum animos perstare in sententia suaserant, atque in pietatis officio continuerant: vt planè acciderit, sicut tempore Dominicæ passionis, cum, Apostolis fugientibus, mulieres Dominum Iesum numquam vsque ad obitum deseruerunt; ita in tanto fidei naufragiò, quamplurimis Episcopis fugam arripientibus, immo & ad hostium castra se conferentibus, feminæ fidem Catholicam profitentes inuicto steterint animo.
C Eminebant inter eas Anastasia atque Palmatia Senatoriæ ac Patriciæ clarissimæ feminæ, ad quas perbreuem hanc Hormisda Papa dedit epistolam [b]:

[b] *Hormisd. epist. 34.*

Hormisda Episcopus Anastasiæ & Palmatiæ à pari.

EPISTOLA HORMISD. AD ANASTASIAM ET PALMATIAM.

Bonæ voluntatis studium diuinæ semper comitatur prosperitatis effectus. Dei nostri prouidentia temporis facultas oblata est, in qua pro fidei vestræ præmio debeatis adniti. De superna primitus misericordia, deinceps de conscientia clementissimi Principis præsumentes, legatos pro religionis Catholicæ causa direximus, per quos amplitudinem vestram debitæ venerationis salutamus officio, postulantes, vt pro Ecclesiasticæ reintegratione concordiæ vestrum laborem atque operam non negetis: quatenus cùm repulsis remotisque ijs, quos Apostolicæ sedis damnauit auctoritas, ad vnam, quæ recta est, communionem plebs Christiana redierit, beatum Petrum Apostolum, pro cuius fide nitimur, in vestris habere
D possitis actibus adiutorem. Hucusque ad eas Hormisda, qui his omnibus datis litteris legatos ita munitos quàm citò dimisit: non enim expectato tranquilliori tempore nauigandi, ante Quadragesimæ tempus hoc anno eos esse profectos, quamuis litteræ incuria librariorum habeantur sine die & Consule datæ; ex relationibus tamen à legatis missis ad Hormisdam Pontificem, satis potest intelligi.

DE REBVS LEGATORVM IN ITINERE GESTIS.

Quod igitur, ex Prophetæ [c] sententia, valde specioſi sunt pedes euangelizantium pacem, annunciantium bona: periucundum erit eorumdem legatorum affectari vestigia, & quæ in via positis ijsdem acciderint, certa testificatione narrare. Dei quidem beneficio factum est, vt aliquæ relationes legatorum in archiuis asseruatæ, custoditæ remanserint ad hæc tempora, licet (vt accidit) mendis nonnihil labefactatæ, sed collatione duorum exemplarium facta, aliquantulum emendatæ. est autem secundæ relationis (prima enim excidit)
E eiusmodi scriptus titulus [d]:

[c] *Isai. 52.*

[d] *Inter epist. Hormisd. post 34. tom. 1. epist. Rom. Pontif.*

RELATIO LEGATORVM AD HORMISD.

Exemplum suggestionis Germani & Ioannis Episcoporum, Felicis & Dioscori diaconorum, & Blandi Presbyteri.

In ciuitate Aulonitana quo ordine cum Dei adiutorio peruenimus, & quomodo susceptus ab Episcopo ciuitatis ipsius, & quid est actum, vel quale responsum dederunt, & quia hæc promisit, vt cum Metropolitano suo faceret libellum, in alia epistola beatitudini vestræ significauimus.] At prima illa (vt diximus) desideratur à legatis facta relatio, secunda autem ita subijcitur: Quod in Scampina ciuitate factũ est vestris orationibus, tacere nõ permisimus. Antequam nos ingrederemur in ciuitatem ipsam, venerabilis Troius * Episcopus cum suo clero vel plebe in occursum nobis egressus est. Et quomodo Deus in ipsa die benedictus est, & quæ festiuitas per ipsius pietatem est subsecuta, ad notitiam Apostolatus vestri referimus. Nobis præsentibus, vel suo clero & nobilibus viris ipsius ciuitatis, libellum

* Troilus

subscripsit, porrexit: suscepimus, & præsente omni clero vel plebe, in gradu suo à seruo A
vestro Petro Notario S. Ecclesiæ Romanæ est relectus. Erat conuentus in basilica S Petri.

OCCVRSVS SCAMPINI EPISCOPI LEGATIS.

Confitemur beatitudini vestræ, tantam deuotionem, tantas Deo laudes, tantas lacrymas, tanta gaudia difficile in alio populo vidimus. Propè omnes cum cereis viri cum mulieribus, milites cum crucibus in ciuitate nos susceperunt.] exprimitur hic aliqua ex parte religiosè procedẽtium Christianorum forma, nimirum cereos atque cruces ferre solitos esse, & in fine processionis Missas agere. vnde & mox subdunt: Celebratæ sunt Missæ, nullius nomen obnoxium religionis est recitatum, nisi tantum beatitudinis vestræ.] Ex his considera, lector, miserrimum statum Orientalis Ecclesiæ, in qua nullus fuerit, qui non pollutus saltem communicatione hæreticorum, tutò verè Catholicus dici, & eius nomen in sacris publicè recitari potuisset. Sed pergunt: Noster Episcopus venerabilis Germanus Missam celebrauit. Et promiserunt nec postea recitari, nisi quos sedes Apostolica susceperit. Quanta B
à nobis operata sunt, Deus propitius in vobis conseruet. Istam epistolam ante triginta milliaria à Lignido fecimus, sperantes ipsa die in eadem ciuitate cum Dei adiutorio peruenire. Et quomodo ad nos peruenit Scampinus Episcopus, speramus & ipsius ciuitatis Lignidi Episcopum similia facere. Quod si factum fuerit, data occasione, rescribemus.

OBSEQVIA CATHOLICORVM PRINCIPVM ERGA ROM. PONT.

Scampis nobis positis, post Missas, hora cœnatoria, Stephanus & Leontius viri clarissimi ab Imperatore missi in occursum venerunt, adhuc nescientes, nos in partibus Græciarum positos: quia talia mandata fuerunt Comiti Stephano data, vt ad partes Italiæ transirent in occursum nostrum.] Vides, lector, qualia esse consueuerint obsequia Orthodoxorum Imperatorum erga Romanum Pontificem, vt missæ ab eo legationi per viros clarissimos occurri voluerint, antequam legati ex Italia egrederentur, licet interiacens transmittendum esset Hadriæ fretum eo potissimùm tempore ad nauigationem minimè opportu- C
no. Sed pergunt de Stephano dicere:

DE REBVS GESTIS CONSTANTINOPOLI.

Est Stephanus iste, qui modò dicitur, de parentela filij vestri Magistri militum Vitaliani. Hi nobis nunciarunt, Patricium Senatorem proscriptum & in exilium missum: pro qua tamen causa, nisi quo modo ad nos peruenerit, non possumus dicere: quia non est de talibus rebus facile deliberare. Dicitur tamen & Apocrisarius Thessalonicensis Ecclesiæ teneri, apud quos dicunt epistolas inuentas: pro qua causa, nescimus: cum ipsis & Philumenum, Demetrium Magistrianum, & alias personas, quarum nomina ignoramus. Ista sunt (quomodo prædiximus) quæ audiuimus. De causa tamen Ecclesiastica cum Dei misericordia prospera nunciantur. Cosmatem tamen medicum, pro qua causa in Italiam venit, penitus intelligere non potuimus; nisi hoc, quia fortiter quæritur, de quo debetis esse soliciti vt sciatis, pro qua causa ibidem venit.] hactenus secunda relatio scripta initio mensis Mar- D
tij, vt ex sequenti tertia relatione possumus intelligere, quæ sic se habet[a]:

[a] *Extat inter epist. Hormis. Papæ tom. 1. epist. Rom. Pontif.*

TERTIA RELATIO LEGATORVM APOSTOL. SED.

In alia epistola significauimus beatitudini vestræ de Scampina ciuitate, de venerabili Troio Episcopo, quo ordine libellum dedit, & qualis festiuitas est celebrata in ipsa ciuitate. Cum Dei misericordia venimus Lignidum, Theodoritus Episcopus venerabilis vir ipsius ciuitatis similiter libellum dedit: qui libellus in ecclesia est relectus, & omnia secundùm constitutionem vestram sunt facta. Rogate Deum: sperate ab Apostolis eius beatissimo Petro & Paulo, vt Deus, qui initia talia donauit orationibus vestris, similiter sequantur & prospera: vt tempora coronæ vestræ in correctione Ecclesiarum semper prædicentur. Quam epistolam ad Apostolatum vestrum direximus die Non. Martiarum.] hucusque tertia perbreuis legatorum relatio.

Sed his iungenda est epistola eiusdem ciuitatis Episcopi Theodoriti ad Hormisdam Pa- E
pam postea data: ex qua intelligas, quanta solerent reuerentia prosequi externi Episcopi ipsum Romanum Pontificem. Accepto hic ab Apostolica sede beneficio gratus existens, litteras ad ipsum Romanum Pontificem dedit: ex quarum inscriptione cognoscas pariter, quo cultu Orthodoxi Antistites venerarentur Romanum Episcopum. Est autem eius-

[b] *Extat inter eiusdẽ Horm. epist. cũ duobus exemplaribus collata.*

dem epistolæ iste titulus[b]:

THEODORITI EPISCOPI EPISTOLA AD HORMISDAM.

Domino sancto, beato, prædicabili, & adorando Apostolico Patri Hormisdæ Papæ vrbis Romæ, humilis famulus tuus Theodoritus.

Meæ quidem exiguitatis non esset, tam magna præsumere, & ad vestrum pium sanctum Apostolatum pusilli sermone præsentes paruulas destinare paginas. Sed quia pro insita vobis humanitate, pio propitiationis animo omnia nutu Diuinitatis protegere consueuistis: lucidum diem & totius festiuitatis repletum omni reddidistis mundo, & omnia vestris

prædican-

A prædicandis precibus ad pristinum veritatis reuocastis statum, & in vnum concordare vel subiugare vestris prædicabilibus & adorandis meritis annuistis. Ideoque etsi meis obrutus iniquitatibus & ab eis vndique oppressus, ex ipsis recreatus infernis, recurrente ad religiosa vestigia vestra famulo tuo viro religioso Pollione *, vsurpaui me tam per eum, quàm etiam his paruulis & exiguis chartis, vestris prædicandis & adorandis me præsentare vestigijs, diuinum omnibus viribus exhortans fauorem, & clara voce cum omnibus omnino canens: Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis: qui pro sua incomprehensibili pietate vestris mirificis operibus omnia illuminauit & liberauit, & lucidum & totius festiuitatis repletum diem in toro Orbe vestris dignis precibus præstitit, & ab omni iniquitate eripuit, & omnem nodum colligationis absoluit, & omnem semitam aperuit. Hanc itaque gratulationis repletam pio vestro pronus offerens Apostolatui, deprecor, vti pro meæ flebilitatis exiguitate vestris pijs precibus memores esse dignemini, domine sancte beate Apostolice Pater.] hactenus Theodoriti episcopi epistola, cui mox ista in codice subscripta erant: * Pollione

B

Accepta XIII. Kalendas Iulias, domino Eutharico V. C. Consule.] Quòd enim hæc Pollioni data dicatur; scire debes hunc missum post Pascha cum litteris legatorum de pace cum Orientalibus stabilita. Testantur id quidem ijdem legati in alia relatione ad Hormisdam Pontificem missa, cuius est exordium: Cum Dei misericordia, &c.] Porrò hanc Theodoriti epistolam hic descripsisse voluimus, quòd eiusdem cum superioribus sit argumenti. Sed vt cœptum iter legatorum Apostolicæ sedis prosequamur: quæ nam eisdem, cùm Thessalonicam peruenissent, acciderint, scripta tum à Dioscoro diacono vno ex missis legatis relatio notum facit, quæ sic se habet [a]:

C

[a] *Extat in eodem codice inter epist. Hormisd.*

RELATIO DE REBVS THESSALONICAE GESTIS.

Ineffabilis Dei omnipotentis misericordia, & pietas eius, quam super humanum genus clementer effundit, humanis viribus æstimari non potest, nec sermonibus explicari; sed sufficit eius tantùm consilia deuotis sensibus admirari, & scire omnia bona de eius tantùm gratiæ pendere remedijs. Est ista quotidiana probatio: audacter tamen præsumo dicere, domine meus beatissime Papa, quia præsens causa præterita cuncta transcendit, quam Deus vestris temporibus & meritis reseruauit. Quid in Aulone sit actum, quid Scampis, quid Lignidi fuerit subsecutum, anteriore significatione suggessi. Ad Thessalonicam peruenimus: quas intentiones * habuerimus cum Episcopo Thessalonicensi, & quæ dicta fuerint, vel etiam constituta, harum portitoris viua insinuatione discetis.

* intentiones *pro* contentionibus *vsurpat frequenter.*

Quod tamen non oportet præterire silentio, insinuare non differo. Post multa certamina præfatus Episcopus (*erat iste Dorotheus schismaticus, de quo plura superiori tomo*) ratio-

D

ne conuictus, libellum subscribere voluit: sed quia Episcopi, qui sub eius sunt ordinatione constituti, omnes non aderant; in præsenti hoc conuenit, hoc promisit, vt post dies sanctos, *Quadragesimæ scilicet*, vno ex nobis à sede Constantinopolitanæ vrbis directo, Episcopis congregatis, qui in eius sunt diœcesi constituti, libellum subscriberent: quod cum Dei adiutorio credimus esse complendum. Hæc sunt Thessalonicæ constituta.] Subijcit autem his idem Dioscorus legatus, quæ post hæc, cùm Constantinopolim peruenissent, ibidem fieri contigerint: ait enim:

RELATIO DE REBVS GESTIS CONSTANTINOPOL.

Vestris orationibus commendati ad Constantinopolitanam peruenimus ciuitatem feria secunda hebdomadis authenticæ, *quam Maiorem hebdomadam Latini dicunt*. Decimo ab vrbe prædicta milliario Sublimes & Magnifici viri nobis occurrerunt, inter quos sunt Magister militum Vitalianus, Pompeius, & Iustinianus, & alij Senatores: cunctiq; * Catho-

E

licæ fidei ardore ac desiderio redintegrandæ pacis ardebant. Quid plura? cum summis penè omnium gaudijs ingredimur ciuitatem.

* multiq.

QVAE CORAM IMP. SINT GESTA

Alia die, quæ est tertia feria, pijssimi Principis præsentamur aspectibus: cunctus illic aderat Senatus, in quo conuentu erant & Episcopi quatuor, quos Episcopus Constantinopolitanus pro sua persona direxerat. Obtulimus beatitudinis vestræ litteras, quas clementissimus Princeps cum grandi reuerentia susceptit. Dicta sunt quæ ante examinationem causæ oportuit intimare: mox causa cœpta est. Hortabatur nos clementissimus Imperator, hoc dicens: Videte ciuitatis huius Episcopum, & inuicem vobis pacifico ordine reddite rationem. Nos è contrà respondimus: Quid imus ad Episcopum certamina facere? Dominus noster beatissimus Papa Hormisda, qui nos direxit, non nobis præcepit certare: sed præ manibus habemus libellum, quem omnes Episcopi volentes sedi Apostolicæ reconciliari, facient *. Si præcipit pietas vestra, legatur: & si est in ipso quod ignoretur, aut verum

* fecerunt

esse

esse non credatur, dicant: & tunc ostendemus, nihil extra iudicium Ecclesiasticum in eodem libello esse conscriptum. Aut si illi possunt docere quia non conuenit religioni Catholicæ; tunc nobis incumbit probare. A

RECITATVR CORAM IMPER. LIBELLVS QVI EXCIPIENDVS ESSET.

Relectus est libellus sub conspectu Principis & Senatus. Non statim subiunximus: Dicant præsentes quatuor Episcopi, qui adsunt pro persona Constantinopolitani Episcopi, si hæc quæ in libello leguntur, gestis Ecclesiasticis minimè continentur? Responderunt, omnia vera esse. Post quæ nos subiunximus: Domine Imperator, & nobis grandem laborem Episcopi abstulerunt, & sibi conuenientem rem fecerunt, dicere veritatem. Mox clementissimus Imperator his qui aderant dixit Episcopis: Et si vera sunt, quare non facitis? Similiter & aliquanti de ordine Senatorio dixerunt: Nos laici sumus: Dicitis hæc vera esse: Facite, & nos sequemur.] hactenus res gestæ eius diei, relatione Dioscori significatæ, qui & de reliquis mox subdit:

Interm issa feria quarta, Episcopus Constantinopolitanus in Palatio suscepit à nobis libellum. Et in primis quasi tentauit epistolam potius facere, quàm libellum *(quod quidem maioris id sibi videretur esse dignitatis: nam libelli vt plurimum offeruntur à lapsis.)* Sed non post multa certamina hoc conuenit, procœmium modicum facere, & subiungere mox libellum, quemadmodum vestra beatitudo dictauit.] Libellus auctus procœmio sic se habet [a]: B

[a] *Extat inter epi. Hormisd.*

Domino meo per omnia sanctissimo & beatissimo fratri & comministro Hormisdæ Ioannes Episcopus in Domino salutem.

LIBELLO AFFIXVM PROOEMIVM.

Redditis mihi litteris vestræ sanctitatis, in Christo frater charissime, per Gratum clarissimum Comitem, & nunc per Germanum & Ioannem reuerendissimos Episcopos, Felicem & Dioscorum sanctissimos diaconos, & Blandum presbyterum: lætatus sum de spirituali charitate vestræ sanctitatis, quod vnitatem sanctissimarum Dei Ecclesiarum secundùm veterem Patrum requiris traditionem, & laceratores rationabilis gregis Christi animo repulsare festinas. Certus igitur scito, per omnia sanctissime, quia secundum quod vobis scripsi, vnà tecum cum veritate sentiens, omnes à te repudiatos hæreticos renuo & ego, pacem diligens. Sanctissimas enim Dei Ecclesias, id est, superioris vestræ & nouellæ istius Romæ vnam esse accipio; illam sedem Apostoli Petri, & istius Augustæ ciuitatis vnam esse definio. C

Omnibus actis à sanctis illis quatuor Synodis, id est, Nicæna, Constantinopolitana, Ephesina, & Chalcedonensi, de confirmatione fidei & statu Ecclesiæ assentior, & nihil titubare de bene iudicatis patior: sed & conantes aut enixos vsque ad vnum apicem placitorum perturbare, lapsos esse à sancta Dei generali & Apostolica Ecclesia scio; & tuis verbis rectè dictis euidenter vtens, per præsentia scripta hæc dico.] hactenus ad libellum fidei appositum à Ioanne procœmium. Libellus autem professionis à legatis oblatus, Roma ab Hormisda Pontifice missus, ita se habet: D

FIDEI LIBELLVS OBLATVS AB HORMISD. SCHISMATICIS.

Prima salus est, rectæ fidei regulam custodire, & à Patrum traditione nullatenus deuiare: quia non potest Domini nostri Iesu Christi prætermitti sententia dicentis [b]: Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. Hæc quæ dicta sunt, rerum probantur effectibus: quia in sede Apostolica inuiolabilis semper Catholica custoditur religio. De hac igitur fide non cadere cupientes, & Patrum sequentes in omnibus constituta: anathematizamus omnes hæreses, præcipuè verò Nestorium hæreticum, qui quondam Constantinopolitanæ vrbis Episcopus damnatus in Concilio Ephesino à beato Cælestino Papa vrbis Romæ, & à venerabili viro Cyrillo Episcopo Alexandrinæ ciuitatis: & vnà cum illo anathematizamus Eutychetem & Dioscorum Alexandrinæ ciuitatis Episcopum, damnatos in sancta Synodo Chalcedonensi, quam venerantes sequimur & amplectimur; quæ sequens sanctam Synodum Nicænam, Apostolicam fidem prædicauit. His coniungentes Timotheum parricidam, Aelurum cognominatum, anathematizamus, & huius discipulum & sequacem in omnibus Petrum Alexandrinum similiter condemnantes. E

[b] *Matt. 16.*

Anathematizamus similiter Acacium quondam Constantinopolitanæ vrbis Episcopum complicem eorum & sequacem factum, necnon & perseuerantes eorum communioni & participationi. Quorum enim quis communionem complectitur, eorum & similem adiudicationem in condemnatione consequitur.] hac enim clausula includitur Macedonius & Euphemius, vt ex his quæ dicentur, manifestiùs declaratur. atque subdit: Simili modo & Petrum Antiochenum condemnantes, anathematizamus cum sequacibus suis, & in omnibus suis.

Vnde probamus & amplectimur epistolas omnes beati Leonis Papæ vrbis Romæ, quas conscripsit

A conscripsit de recta fide. Quapropter, sicut prædiximus, sequentes in omnibus sedem Apostolicam, & prædicamus omnia quæ ab ipsa decreta sunt; & propterea spero in vna communione vobiscum, quam Apostolica sedes prædicat, me futurum, in qua est integra Christianæ religionis & perfecta soliditas. Promittentes in sequenti tempore sequestratos à communione Ecclesiæ Catholicæ, id est, in omnibus non consentientes sedi Apostolicæ, eorum nomina inter sacra non recitanda esse mysteria. Quòd si in aliquo à professione mea dubitare tentauero; his, quos condemnaui, per condemnationem propriam consortem me esse profiteor. Huic professioni verò subscripsi mea manu, & direxi per scripta tibi Hormisdæ sancto & beatissimo fratri & Papæ magnæ Romæ per suprascriptos Germanum & Ioannem venerabiles Episcopos, & Felicem & Dioscorum diaconos, & Blandum presbyterum. *& alia manu*. Ioannes misericordia Dei Episcopus Constantinopolitanæ nouellæ
B Romæ, hac mea professione consentiens omnibus supradictis, subscripsi sanus in Domino. Data mense Martio die vigesimaseptima, Indictione duodecima, consensu domini Iustini Imp. Augusti, Eutharico V. C. Consule. hactenus subscriptus à Ioanne libellus, ab Hormisda (vt dictum est) missus tamquam forma præfixa non ipsi tantum, sed omnibus qui coniungi vellent Catholicæ Ecclesiæ per Apostolicam sedem, eiusdemque Pontificem, cuius (auctoritate Domini dicentis ad Petrum [a]: Confirma fratres tuos) fuit semper rectè credendi præscribere formam, & rectè credentibus Ecclesiæ Catholicæ ostium reserare. Pergit verò Dioscori legati relatio verbis istis: [a] *Luc.22.*

Subscriptio ab eo facta est libello conueniens, similiter & Datarium, cuius exemplaria & Græcè & Latinè Apostolatui vestro direximus. Post factum libellum, nomen Acacij de Diptychis est deletum, similiter & Phrauitæ, Euphemij, Macedonij, & Timothei *Constan-*
C *tinopolitanorum Episcoporum, quorum primus fuit hæreticus, reliqui verò schismatici:* & non solùm hoc in ipsa sola Ecclesia in qua Episcopus manet, verùm etiam per omnes Ecclesias cum grandi diligentia, Deo adiutore, suggerimus fuisse factum. Similiter & deleta sunt de Diptychis Zenonis & Anastasij *Augustorum* nomina.] DAMNATVR MEMORIA HAERETICORVM IMPERATORVM ET PATRIARCHARVM.

Hic, amabo te, siste, lector, gradum, atque mente repete, quomodo Deo rebellium est obliterata memoria, succisique sunt atque auulsi radicitus cedri Libani & quercus Basan altis firmatæ radicibus impietatis. Sed à quo ista tam grandia? & cuius in terra tanta vis atque facultas? non alterius quidem, quàm vigentis in Petri sede potestatis, & inde auctoritate Apostolica fulminantis Romani Pontificis, sagittas accipientis è manu potentis ad faciendam [b] vindictam in nationibus & increpationes in populis, ad alligandos Reges eorum in compedibus, & nobiles eorum in manicis ferreis, vt faciat in eis iudicium conscriptum, [b] *Psal.149.*
D & dissipet funditus aduersarias potestates, quæ adeò sunt ab irruente desuper Petra protritæ, vt nec nominum memoria recolenda cum benedictione remanserit. Vbi modò Zenonis subdolæ artes, & Anastasij ad decipiendum conquisita commenta? Vbi nunc satanica Acacij arrogantia, & successorum obstinata durities? Quot belluæ istæ fatigarunt Romanos Pontifices, qui eas ex feris reddere mansuetas, ex lupis oues, & in ouile è ferarum latibulis reducere frustra conati sunt? Stat immobilis Petra, fremant licet & turgeant, vrgeantque vndique sæui fluctus: necesse tandem est, vt iidem rumpantur ad Petram illisi, & in spumam gracilem penitus dissoluantur. Sed cœptam à Dioscoro scriptam relationem prosequamur.

Episcopi (inquit) diuersarum ciuitatum, quanti inuenti sunt, *Constantinopoli scilicet*, libellum similiter obtulerunt: & cum grandi cautela suggerimus custoditum, ne quis no-
E biscum communicaret Episcopus, qui libellum primitus non dedisset. Pari modo & omnes Archimandritæ fecerunt: apud quos Archimandritas & certamina nos habuisse, suggerimus, dicentibus illis: Sufficit quia Archiepiscopus noster fecit: nos factum eius sequimur. Quid amplius? post multa certamina, ipsi quoque ratione conuicti, libellos modis omnibus obtulerunt.

Post hæc omnia, Deo adiuuante, in ecclesiam processimus: & qualia gaudia facta sint vnitatis, & quemadmodum Deus benedictus sit; quæ laudes quoque beato Petro Apostolo & vobis relatæ sunt, ipsius actionis consideratione perspicitis, quod mea lingua non valet explicare. Nihil est subsecutum secundum vota inimicorum, non seditio, non effusio sanguinis, non tumultus, quod veluti terrentes inimici antea prædicebant. Ipsi quoque Ecclesiastici Constantinopolitani admirantes, & Deo gratias referentes, dicunt, numquam se meminisse vllis temporibus tantam populi multitudinem communicasse.] SCHISMATICI AD COMMVNICATIONEM RECEPTI.

In ipso

In ipso namque sacrosancto die Paschatis factam esse coitionem, celebratamque communionem, & vnitatem Orientalis Ecclesiæ cum Occidentali contractam, testantur epistolæ Andreæ Episcopi, & Iulianæ Aniciæ ad Hormisdam, quæ inferiùs suo loco ponentur. Subdit verò ad postremum hæc in sua relatione Dioscorus: A

His adimpletis, etiam clementissimus Imperator ad beatitudinem vestram sua scripta subiunxit, ordinem rei gestæ significans; similiter & vir reuerendissimus Ioannes Constantinopolitanæ ciuitatis Antistes. Noueris etiam & Sacra generalia esse edita *; atque credimus, Deo propitio, & vestris sanctis orationibus, per vniuersas prouincias quantocyus destinari. Hæc Constantinopoli gesta sunt. Et nunc de Antiochena Ecclesia tractatur; & ideo adhuc laboratur, quia nondum persona congrua est electa. Oret ergo beatitudo vestra intentiùs, vt Deus, qui vestris precibus exoratus Constantinopolitanam Ecclesiam Apostolicæ sedi restituit, ipse & dignam personam donet in Antiochia ordinandam, & assiduas adunet Ecclesias. Rescribite Episcopo Constantinopolitano. Si videtur beatitudini vestræ, facite mentionem damnationum Seueri, & illorum, quos nominastis in epistola illa, quam scripsistis ad Secundam Syriam per Ioannem & Sergium monachos. hoc ipsum det ad Imperatorem rescribentes. Si feceritis, videtur mihi necessarium esse.] hactenus relatio Dioscori ad Hormisdam Pontificem missa Romam per Pollionem subdiaconum, vt alia relatione postea legati testantur. Nos verò eodem ordine, quo idem Dioscorus recenset, missas Constantinopoli litteras ad Hormisdam referamus. Fuerunt tanta hæc Dei beneficia quot litteris consignata, tot nobilibus testata monumentis; quæ voluit Deus posteris custodita, veluti de hæreticorum atque schismaticorum Imperatorum & Patriarcharum expugnata perfidia fornicem triumphalem viuis ex lapidibus structum, atque præclaris sculptum victoriis, inscriptumque tot titulis, quot reperiuntur tunc datæ à diuersis epistolæ: quarum primum locum obtinet illa, quæ à Iustino Imperatore ad Romanum Pontificem scripta reperitur, estque huiusmodi [a]: B C

* dicta

DE CAVSA ECCLESIAE ANTIOCHENAE.

[a] *Extat inter Hormisd. epist. tom 1. epist. Rom. Pont.*

IVSTINI AVGVSTI EPISTOLA AD HORMISDAM.

Victor Iustinus, pius, felix, inclytus, triumphator semper Augustus, Hormisdæ sanctissimo ac beatissimo Archiepiscopo & Patriarchæ.

Scias effectum nobis, Pater religiosissime, & quod diu summis studiis quærebatur, noueris patefactum; & antequam aduenerint qui à vobis destinati sunt, quod Ioannes vir beatissimus Antistes nouæ nostræ * Romæ vnà cum clero eius vobiscum sentiunt, nullis variantes ambiguitatibus, nullis diuisi discordiis: scias libellum ab eo subscriptum, quem offerendum indicaueras, sanctissimorum Patrum Concilio congruentem. Omnes concurrunt alacri opere ad suscipienda vota tam vestra, quàm Constantinopolitanæ sedis, quos veritatis coruscus fulgor illuminat: omnes accelerant libentissimè, quos oblectat via dilucida; sequuntur scita Patrum sanctissima, leges probatissimas: & consiliis quorumdam firmatis qui rectum tenebant tramitem, aliorum correctis qui vagabantur incerti, in eo res colligitur, vt vnitatem indiuiduæ Trinitatis ipsi quoque vnitate colant mentium. Negatum est inter diuina mysteria memoriam in posterum fieri (pro tenore libelli, quem diximus) Acacij præuaricatoris quondam huius vrbis Episcopi, necnon aliorum sacerdotum, qui vel primi contra constituta venerunt Apostolica, vel successores erroris facti sunt, nulla vsque ad vltimum diem suum pœnitentia correcti. D

* vestræ

Et quoniam omnes nostræ regiones admonendæ sunt, vt exemplum imitentur ciuitatis regiæ: destinanda vbique Principalia præcepta duximus. tanto flagramus religionis officio, tanto affectamus studio pacem Catholicæ fidei pro remuneranda cælitus pace nostræ Reipublicæ, pro conciliando subiectis meis superno præsidio. Quid autem gratius reperiri E potest? quid iustius? quid illustrius? quàm quos idem regnum continet, eiusdemque fidei cultus irradiat, eos non diuersa contendere, sed collectis in eodem sensibus, instituta venerari, non humana mente lata, sed diuini prudentia Spiritus? Oret igitur vestræ religionis sanctitas, vt quod peruigili studio pro concordia Ecclesiarum Catholicæ fidei procuratur diuini muneris opitulatio, iugi perpetuitate seruari annuat.] hactenus Iustini Augusti epistola ad Hormisdam Papam. Quam verò ipse Constantinopolitanus Antistes ad eumdem Pontificem tunc scripsit, accipe [b]:

DE PROMVLGANDIS VNIONIS FACTAE DECRETIS.

[b] *Eodem tom. 1. epist. Rom. Pontif. in Hormisd.*

Domino meo per omnia sancto & Deo amabili fratri & comministro Hormisdæ Ioannes in Domino salutem.

Quando Deus propria mirabilia in suis operatur, tunc oportet ea quæ diuinis litteris continentur, ipsius Scripturæ vocibus fiducialiter exclamare [c]: Quis loquetur potentias

[c] *Psal. 105.*

Domini,

A Domini, aut auditas faciet omnes laudes eius in omni tempore? Ecce enim talem pium Principem Romanæ Reipublicæ suscitauit, quali multo ante & Catholica indigebat Ecclesia, & omne genus hominum videre cupiebat. Ideoque ita etiam coronam *gratiæ super eum cælitus declinauit, vt affluenter in sacrum eius caput misericordia funderetur: omniqúe annunciationis eius tempore cum magna voce Deum omnium principem glorificauerunt, quoniam talem verticem meis manibus tali corona decorauit.] fuisse in more vides, vt Orientalis Imperij electi Imperatores ab Episcopo Constantinopolitano coronarentur. Sed pergit: IOANNIS EPISCOPI CONSTANTINOP. EPIST. AD HORMISD. *cornu

Is verò maximus Imperator primam suorum certaminum palmam, deuicto inimico, euidenter ostendit: secundùm virtutis eius meritum adunationem sanctissimis Ecclesiis sapientissimè comparauit regnum eius tertium bonum, dissipata coniunxit, & pacem mundi DE INITA
B sapientissimè procurauit. Idcirco in omnibus Deo magno gratias referens cuncta sapientissimè gubernanti, annunciare tibi pacem pacis filio nunciaui, in omnibus Deo amantissime, vt illud gaudium salias, quo Dauid [a] quidem secundùm legem in Arcæ Dei reuocatione figuraliter exultabat, Apostoli verò per gratiam veraciter lætabantur. Gaude itaque in Domino gaudium tuæ conueniens sanctitati, & scribe ea quæ vestrum benignum animum decent, homo Dei. Nam quæ fuerant diuisa, coniuncta sunt, & dispersa collecta sunt; & quæ longè erant, sibi inuicem adunata sunt: & sicut oportet dicere & olim scripsi, vtrasque Ecclesias tam senioris, quàm nouæ Romæ vnam esse, euidenter intelligens, & vtriusque earum vnam sedem rectè esse definiens, indiuisibilem adunationem, & vtriusque nostrum consonam confirmationem cum iudicij integritate cognosco. PACE GAVDIVM. [a] 2. Reg. 6.

Vnde rogo Deum semper eam inseparabilem permanere orationibus sanctorum Apo-
C stolorum & tuæ precibus sanctitatis, per quas donari nobis & vniuerso mundo clementissimum & Christianissimum Principem Iustinum, & piissimam eius coniugem, nostram autem filiam Euphemiam in pace multis temporibus comprecatur, per omnia beatissime & charissime frater. Gauisi igitur de præsentia reuerendissimorum Episcoporum, necnon & clericorum vestrorum, gratias agimus: quoniam secundùm petitionem nostram tales pacificos viros & dignos vestræ sedis Apostolicæ destinastis, regulam Patrum sine confusione seruantes, fidemque indiuisam custodientes. Quorum amplectentes in omnibus mentem, cuncta per eos ad satisfactionem vestræ egimus sanctitatis. Omnem in Christo fraternitatem, quæ cum vestra est sanctitate, ego quoque & mei plurimum salutamus.] hactenus Episcopus Constantinopolitanus Ioannes ad Hormisdam Pontificem.

Sed vt mærere solent dolore capitis cetera membra, ita & eius pariter felicitate congau-
D dent: quamobrem eidem vniuersalis Ecclesiæ capiti, primarioque Antistiti congratulati sunt alij Catholici Episcopi. Accipe igitur quæ hoc eodem tempore vnus ex eis Orthodoxæ fidei cultor eidem Hormisdæ Papæ breuiter scripserit [b] Andreas Prævalitanus Episcopus in Epiro, statum præteriti atque præsentis temporis simul iungens, quo gaudendi causa appareat manifestior, his verbis titulum inscribens: ROM. PONTIFICI CONGRATVLATI EPISCOPI ORTHODOXI. [b] Extat tom. 1. epist. Rom. Pont. in Hormisda.

Domino semper meo beatissimo & Apostolica sede intima veneratione præferendo, atque Angelicis meritis coæquando Patri Patrum Papæ Hormisdæ, Andreas.

Commendans me humillimè vestigiis vestris piissimis, indico propter Synodum Epiri Noui, quoniam finxerunt anathematizare intra semetipsos aliquas personas, hoc tantummodo ingenio vsi sunt, vt nos in sua malitia caperent: quibus restitit diuina Trinitas per ve- ANDREAS EPISC. AD HORMISD.
E stras sanctas preces: & cùm deprehensi fuissent in sua malitia, numquam potuimus Archiepiscopo suadere, vt ad viam veritatis & ad vestra præcepta verteretur. Sed modò cùm aduenerunt beatissimi atque sanctissimi domini Episcopi vel diaconi directi à sancta corona vestra: occurrerunt illis Scampinus Episcopus vir beatissimus Troius cum omni gaudio & luminaribus: & porrecto libello secundùm vestram præceptionem, statim recepti sunt in pace Christi, & Missas celebrauere cum Episcopo in Scampina ciuitate. Et videntes Lignidonenses quod fecit Scampinus, simili modo & ipsi secuti sunt. Nunc dum istas litteras ordinaremus, superuenit Magistrianus de vrbe Constantinopolitana; qui nunciauit, quia Deo propitio precibus sanctis vestris, & Constantinopolitani miserunt *anathema Acacio, *dixerunt
& cum pace Pascha celebrarunt. Iam quod sequatur, vestra interceſſio apud Deum laboret, vt ad perfectum serui sedis Apostolicæ inueniamur. Epistolas verò, quas destinauerunt ad meam humilitatem suprà memorati viri beatissimi Episcopi, pietati vestræ iunctas transmisi. Accepta die quo suprà.]

Ex

Ex magistratibus autem qui primum locum apud Imperatorem obtinebat Iustinianus & A
[a] *Extat inter epist. Hormisd.* ipse Hormisdæ Papæ congratulatus, ista perbreuiter scripsit[a]:

Domino meo sanctissimo Hormisdæ primo Archipontifici & Papæ vrbis Romæ, Iustinianus Comes salutem.

IVSTINIANVS AD HORMISD. Venerandæ sanctitatis vestræ prædicatio regularum, quæ Christo Deo pro Ecclesiarum pace & plebis concordia iugiter supplicat; quicquid nunc per beatissimos suos sacerdotes annuit peragendum, propitia Diuinitate cuncta effectui sociata sunt, nulla prorsus quorumdam valente discordia. Igitur vestris sacris orationibus ac præceptionibus Orthodoxorum fide muniti, supplices petimus, vt pro sanctissimo Augusto nostro totius fidei fautore, proque eius Republica, pro nobis quoque mandatorum vestrorum custodibus æterno Regi consueti impetrabiles preces offerre dignemini, nosque vobis fideliter supplices vestris salutiferis rescriptionibus visitare.] hactenus ad Hormisdam Iustinianus. Pompeius itidem, de quo B
suprà, ad eumdem scripsit epistolam, cui eiusmodi præficitur titulus:

Domino meo beatissimo & Apostolico Patri Hormisdæ Archiepiscopo vniuersalis Ecclesiæ, Pompeius.] ex quo vides Romanum Pontificem vniuersalis Ecclesiæ Episcopum semper cognitum atque vocatum. epistola autem sic se habet:

POMPEII V. C. EPIST. AD HORMISDAM. Sanctis beatitudinis vestræ precibus omnipotentis Dei pietas exorata, tantæ nobis fidei Principem condonare dignata est, vt religiosis clementiæ eius meritis reintegratio pacis Ecclesiasticæ, quæ votis Fidelium omnium poscebatur, iure videatur esse collata: in cuius Regis prouentu solidissima principatus sui fundamenta sancti Spiritus operatione constituit, quæ tantum roboris obtinent stabilitatis inuictæ, quantum actionis excellentia vnica & admirabilis æstimatur. Et ideo reuerendam Pontificatus vestri beatitudinem cultu reciprocantis alloquij salutantes, quæsumus, vt magis magisque pro clementissimi atque inuictissimi do- C
mini nostri Principis prosperitate orare dignemini: quatenus omnipotentis Dei pietas sua dona, in quibus etiam fructus vestræ agricolationis exuberat, iustis gratiæ opitulatione custodiat: nobis quoque filiis vestris spirituali vobis conglutinatis affectu, quos huius operis maximè semper solicitudo perstrinxit, suffragatrix intercessio sanctimoniæ Pontificalis assistat.] hæc Pompeius præcipuæ apud Imperatorem auctoritatis vir.

Scripsisse quoque ad eumdem Hormisdam reperitur clarissima femina Iuliana Anicia, ex nobilissimo illo stemmate Aniciorum familiæ propagata, ex quo præter Probas etiam Iulianæ plures claruere, de quibus suis locis mentio facta est, quando eodem ipsæ litterarum officio & pio obsequio prosecutæ sunt alios prædecessores Romanos Pontifices. Ista igitur prudentissima femina, probè considerans quanta esset insita Catholicis omnibus erga sedem Apostolicam reuerentia, quantusque hæreticis ab ea timor illatus; cùm necessariam D
iudicaret longiorem Constantinopoli moram legatorum, breuiter scribens ad eumdem Pontificem, ipsum rogat, ne eosdem legatos reuocet, donec cuncta stabilita relinquant. Epistola autem paucis concepta verbis est huiusmodi:

Domino beatissimo Patri Hormisdæ Iuliana Anicia.

IVLIANA ANICIA AD HORMISD. PAPAM. Precibus vestræ beatitudinis, aduentu legatorum principalis sedis Apostolicæ, elisis erroribus hæreticorum, in vnitatem fidei Catholicæ conuenimus congregati simul ad vbera materna Ecclesiæ in die sanctæ Resurrectionis. Quapropter stylo venerationis alloquentes sanctitatem vestram, admonemus, vt intimetis destinatis à vobis reuerendissimis viris, nullo modo abscedere, antequam sicut præuideritis, vt oportet, firmentur ea quæ bene disposita sunt ab eis: vt amputatis omnibus reliquiis transacti erroris, impendiis vestræ beatitudinis roborata vnitas ad effectum perpetuum deducatur.] hactenus Iuliana, vtpote quæ Græ- E
corum leuitatem pluribus demonstratam nosset exemplis. Sed quid Anastasia itidem clarissima femina, ad quam Hormisda litteras dederat, ad eumdem Pontificem scripserit, accipe[b]:

[b] *Extant inter Hormisd. epist. tom. 1. epistol. Rom. Pontif.*

ANASTASIAE EPIST AD HORMISDAM. Domino sancto & beatissimo Patri Patrum Hormisdæ Archiepiscopo vniuersalis Ecclesiæ Anastasia.

Diuini luminis illuxisse nobis gratiam meritò profitemur, Apostolatus vestri reuerentiam in sancto corde nostri tenere memoriam, paginali assertione noscentes: veraci namque spe confidimus supernæ misericordiæ propitiationem de Pontificali intercessione subsistere, domine beatissime & Apostolico honore suscipiende Pater. Peruigiles vestrarum orationum excubiæ, & miranda victoriosissimi Principis fides splendore Catholico semper irradians, diu expectatam sacrosanctis Ecclesiis concordiam pacis restituit, quam omnibus triumphis suis solidissimè firmatis inuictum iure exultat præcoluisse v illum. Ideoque

illibata

A illibata vestræ paternitatis sanctimonia pro incolumitate atque prosperitate prædicti domini nostri Augusti vota precesque omnipotenti Deo offerre indesinenti continuatione persistat: vt ineffabilem tantorum bonorum gratiam, quam pijs eius sensibus inspirauit, ad futuræ quoque beatitudinis profectum conseruare dignetur. Domino etiam iugali filio vestro, & mihi peculiari cultrici vestræ, cum sobole quam nobis Dominus donare dignatus est, à vestro Pontificatu oratio benigniter impendatur, cuius suffragio diuini fauoris protectio nobis clementer aspiret.] hic finis epistolæ Anastasiæ.

Inter hæc autem cùm tardiùs perferrentur Constantinopoli Romam epistolæ, minimè prætermisit litteris admonere legatos Hormisda de tanta causa solicitus: extant namque eius epistolæ[a] ad eos datæ. Cùm enim nequaquam certior redderetur de rebus Constanti- [a] *Hormisdæ epist. 35. 36. 37.*
B nopoli gestis, & iam elapsa esset sacra dies Ascensionis Domini, Paulinum Ecclesiæ Defensorem mittit Constantinopolim, cui præter eas quas ad Imperatorem litteras scripsit, hanc ad legatos epistolam dedit[b]: [b] *Hormisdæ epist. 76.*

Animus noster diuturna redditur expectatione solicitus. Præcipuè ad tantum Principem destinati, sub celeritate nos certiores debuissetis efficere. Nam ante diem Ascensionis Domini litteras vestras credebamus nos posse suscipere. Idcirco tam vestræ sospitatis indicia, quàm profectum causæ, quam peragendam cum Dei nostri iuuamine suscepistis, desideramus agnoscere. Paulinum Ecclesiæ Romanæ Defensorem cum scriptis præsentibus destinare curauimus, tam Principi litteras, quàm singulis, quibus oportuit, dirigentes. Quapropter Deum nostrum congruis precibus oramus, vt ipse salutem vestram sua propitiatione custodiat, & causæ qualem desideramus concedere dignetur effectum. Quia nihil maius
C inter titulos optimi Imperatoris adscribitur, quàm si eum Ecclesia Græca præsens & futura prædicare mereatur pacis auctorem. Data III. Kal. Maias, Eutharico V. C. Conss.] ad eosdem item legatos septimo Kal. eiusdem mensis alias eodem argumento litteras dederat, quarum est exordium[c]: Opinionum diuersitas, &c.] alias postea addidit per Magistrianum dicta die III. Kal. Maias. Extant ipsæ quidem: verùm illæ datæ per Paulinum ab Hormisda ad Iustinum Augustum, & aliæ ad alios scriptæ desiderantur. Quòd enim inter hæc litteræ tum à legatis, tum ab Imperatore & alijs Romam ad Hormisdam perlatæ sunt: eas, quarum nullus esset vsus, minimè redditas fuisse putamus, ac proinde nec inter alias asseruatas, neque in archiuo cum reliquis custoditas.

PAVLINVS MITTITVR CONSTANTINOPOLIM.

[c] *Hormisd. epist. 35.*

Cùm igitur his diebus tandem diutiùs expectatæ Pontifici redditæ essent Orientales litteræ pacis nunciæ, ingenti cum Hormisda Vrbs tota gaudio perfusa est: recitatisque ijsdem ex more publicè in ecclesia, ipsa nimirum Sacra Imperatoris, Ioannisq; litteris fidei profes-
D sionem continentibus, atque relatione legatorum; crebræ acclamatæ sunt Deo laudes, simulque Hormisdæ atque Catholico Imperatori præconia faustis sunt vocibus frequentata. Periucundè in primis auditum, damnatum esse nomẽ Acacij, cuius causa omnes scirent tot prædecessores Romanos Pontifices desudasse. Pro votis publicis publicæ redditæ sunt Deo gratiarum actiones. Visa est tunc Roma dè superata Orientalium perfidia triumphasse; & cùm premeretur à Gothis, de duobus tamen impijs Imperatoribus, Zenone videlicet & Anastasio penitus debellatis & extinctis atque cum execratione ignominiosè sepultis, gloriosa erexisse trophæa. Sensit noua tunc Roma miracula, maiore videlicet sine armis se præstare potentia, & posse imperare captiuam, & sub hostium iugo positam leges præscribere Imperatoribus, atque licet subiectam, exigere ab Orbe tributum longè præstantius auro, nempe fidem, rebellesque ducere captiuos hominum animos in obsequium veritatis. Sed
E nouit totum id se debere Christo, qui suas Petro vices legans, easdem propagauit in successores: experimentoque didicit, feliciter impletum mysterium petræ[d] è monte sine manibus scissæ, percutientisque pedes ferreos mystici simulacri, atque crescentis in montem, vniuersamque terram implentis: gauisaque est, dispendio idololatriæ & deiectione humanæ superbiæ, longè ampliorem atque firmiorem se esse potentiam consecutam. Rependit pro tanto munere gratias, & vnà cum suo pastore exultans laudes dignas Christo persoluit.

PVBLICA VRBIS LAETITIA.

[d] *Dan. 2.*

His verò impletis ex more solemnibus, Hormisda Pontifex, sui memor officij, ad Iustinum Imperatorem ista rescripsit[e]:

[e] *Hormis. epi. 38.*

HORMISD. PAPAE EPISTOLA AD IVSTINVM IMP.

Hormisda Episcopus Iustino Augusto.

Lectis clementiæ vestræ paginis, quæ restitutam fidei concordiam nunciabant: in diuinæ laudis canticum mens totius Ecclesiæ prorupit, quo canitur[f]: Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Huius igitur fiducia hymni dignam fidelibus meritis

[f] *Luc. 2.*

gloriam felicitatemq. præsumite. Neque enim te ita Deo placitum Principem ad Imperij A
verticem humanus tantùm consensus euexit:te sibi diuinus fauor antè formauerat. Tradidit enim tibi Orientis Imperium, vt eius operum fieres instrumentum; atque ideo vt hoc
[a] *Psal.44.* in te propheticum dictum iure conueniat,efficiatis[a] : Constitues eos principes super omnem terrã:memores erunt nominis tui,Domine,in progenie & generatione. Etenim cùm
delectum tibi sit Christianam pacem seruare propositum,quis te dubitet à Christo esse dilectum?.

QVAE SINT FIRMA IMPERII MVNIMENTA. Hæc prima sunt vestri fundamenta principatus, Deum placasse iustitia,& asciuisse vobis excellentissimæ maiestatis auxilia,dum aduersarios eius velut proprios comprimitis inimicos.Hæc nimirum maxima Reipublicæ fundamenta sunt, hoc solidum inuictumq; robur.
Neque enim humanis ictibus potest esse peruium, quod est diuinæ gratiæ firmitate vallatum. Testis est huic prophetica scriptura;ait enim[b]:Elegi Dauid seruum meum,oleo sancto
[b] *Psal. 88.* meo vnxi eum : manus enim mea auxiliabitur ei, & brachium meum confortabit eum. B
Contrà autem frustra arma,frustra sibi copias quærit,quem gratia superna destituit.Etenim
[c] *Psal.126.* veraciter scriptum est[c]: Nisi Dominus custodierit ciuitatẽ,in vanum vigilãt qui custodiunt eam.Bellabis tu quidem diuino tutus auxilio, excellentissime Princeps, & tuæ Reipublicæ iugo ferocissimarum gentium colla submittes : sed nulla victoria potest esse præstantior, quàm quòd humani generis hostem post quæsita tam longi temporis firmamẽta subuertis.
Enimverò ceterorum natura prœliorum distincta gentibus, regionibus terminata, cruore polluta:hæc omne genus humanum palma complectitur,hunc omnibus regionibus im-
imputabis portabis triumphum; & quod diuinæ proximum pietati est, qui paulo antè ductu diaboli
QVAE SIT PRAESTANTIOR VICTORIA. grassabantur,nunc ad propriæ salutis effectum sine sanguine vincuntur. Durabit igitur huius Christianæ victorię per æuum triumphus.Neque enim poterunt labe temporis aboleri,
quæ in sempiterna fidei stabilitate fundata sunt. Permanebit longè lateq́ue vestrorum fa- C
[d] *Psal.18.* ma factorum,& sicut diuinis designatur eloquijs[d] : In omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum. Et ceteris quidem bellis agros, vrbes, oppida, & quod supremum est, subiectorum libertatem tueris, quæ mortalium vsibus comparata, simili quadam mortalitate soluenda sunt: In hoc certamine vita ipsa defenditur,& quodammodo pro sempiternæ beatitudinis arce pugnatur.

HAERESES ET SCHISMATA PENITVS EXTIRPANDA. Quocirca continuam tanti operis apparatus clementiæ vestræ intentionem requirit.Facite,vt nullum prorsus receptaculum, ex quo rursum immanissimus hostis emergat, inueniat:cunctis eum nudate præsidijs;& si quid vsquam vestigiorum eius reliquum est, id omne clementi remedio purgate:omne nequitiæ germen funditus eruatur: aduersa Deo stirps ad viuum vsque resecetur, ne minùs compressa (quod absit) iniquitatis radix venenata latiùs iterum virgulta diffundat.Quorsum hæc? Quia supereſt adhuc vobis Alexandrinæ at- D
que Antiochenæ & aliarum Ecclesiarum nullo modo negligenda correctio : in qua si suam curam clementia vestra immiserit; spes est, quo auctore bona cuncta credimus incipi, eodem celeriter auxiliatore compleri.

LEGATOS MISSOS COMMENDAT. Commendamus præterea legatos ab Apostolica sede directos,& apud vestram fidem religionemq́ue deponimus:quos ita perfectis omnibus pietas vestra dimittat, vt diuinis, vestrisq́ue beneficijs ad Apostolicam sedem plenam referant de Ecclesiarum omnium pace lætitiam.Quæ scripta per Paulinum Romanæ Ecclesiæ Defensorem famulum vestræ pietatis ingerenda transmisimus.Data septimo Idus Iulij,Eutharico V.C.Consule.] hactenus ad Iustinum Augustum Hormisda, qui his similes scripsit litteras ad Ioannem Constantinopolitanum Episcopum, quarum est exordium[e] : Consideranti mihi tuæ scripta charita-
[e] *Hormisd. epist.39.* [f] *Hormis.epi. 40.41.42.43* tis,&c.]alias itidem reddidit ad Iustinianum[f], itemq́ue alias ad Pompeium, necnon alias E
ad singulas clarissimas feminas Iulianam & Anastasiam,datas omnes eadem die,nempe septimo Idus Iulias.Præter has omnes redditas post pacem nunciatam ad Orientales litteras,
[g] *Hormisda epist.46.* adiecit alias ad legatos, quæ incipiunt[g] : De his quæ charitatis vestræ relatio comprehendit.] monens eos laborare de pace Ecclesiarum Alexandrinæ & Antiochenæ.
Sed quæ post hæc consecutæ sunt litteræ legatorum ad eumdem Hormisdam Pontificem vt singulas huius anni res gestas singulis reddamus mensibus,hic describamus:complectuntur enim rerum Ephesinæ,Thessalonicensis, atque Antiochenæ Ecclesiarum, necnon tumultuantium monachorum historiam exactè descriptam.In primis igitur ita se habet re-
[h] *Extat inter epi.Hormisd. Papæ tom.1. epist. Rom. Pont.* latio Dioscori diaconi vnius ex Apostolicæ sedis legatis, cuius iste est in codice titulus[h] :
Suggestio Dioscori diaconi.] quæ est huiusmodi:Verum est,nulla esse gaudia magnopere spiritualia,à quibus ex toto tribulatio possit esse separata.Gaudemus de vnitate Constantino-

A tinopolitanæ Ecclesiæ, quæ facta est cum sede Apostolica: lætamur quotidie diuersorum Episcoporum libellos nobis satisfactionis offerri. Modicum in Ephesina ciuitate contigit scandalum, vbi contempta est & iniuriata Synodus Chalcedonensis. Est inuocatus clementissimus Imperator hoc corrigere, quod & sperat cum Dei adiutorio fieri. RELATIO DIOSCORI AD HORMISDAM.

Nunc etsi post labores, etsi post intentiones plures, Antiochena Ecclesia ordinata est, electus est quidam Paulus nomine presbyter Constantinopolitanæ Ecclesiæ, quem huic honori aptissimum Imperatoris testimonio comprobatum voluerunt & tentauerunt hic ordinare. Ego iussionis vestræ non immemor, contradixi, dicens: Iussit dominus noster beatissimus papa, secundùm antiquam consuetudinem, ibi eum Episcopum ordinari. Hoc obtinuit, quod præcepistis. Orate, vt Deus precibus Apostoli Petri, & ipsam ciuitatem cum pace faciat electum susc̃ipere sacerdotem. ANTIOCHENVS ANTIOCHIAE ORDINANDVS ANTISTES.

B Sed vnde, dices, altercatio ista? Hic meminisse debes quæ superiori tomo dicta sæpiùs sunt de iniustis conatibus Acacij & successorum Constantinopolitanorum Pontificum, quibus nisi sunt vsurpare sibi electionem Antiochenorũ Antistitum: vt non mireris, si de ordinatione Pauli noui Episcopi fuerit altercatum. Verùm prævaluit auctoritas Romani Pontificis temerarios ausus prohibentis.

Sed quod inter hæc, vigilantibus licet agricolis, venisset tamen inimicus homo, & superseminasset zizania (Leontius enim cum collegis professor, vt videbatur, Catholicæ fidei & defensor Chalcedonensis Concilij, sub specie quadam pietatis, quasi niteretur ipsum roborare Concilium, hæresim Eutychianam validare studebat) audi quæ reliqua sunt relationis Dioscori ad Hormisdam: Et quia (inquit) ista aguntur, & in his quotidie proficit Ecclesia: insidiator antiquus suscitauit monachos de Scythia, qui de domo Magistri militum Vitaliani DE MONACHORVM NOVO ERRORE PVLLVLANTE.

C sunt omnino * Christianorum votis aduersarij: quorum inquietudo non paruas moras generauit vnitati Ecclesiarum, & magnopere de prædictæ Ecclesiæ Antiochenæ ordinatione. Isti monachi, inter quos est Leontius, qui se dicit esse parentem Magistri militum, *Vitaliani scilicet*, Romam festinant, sperantes aliqua capitula à beatitudine vestra confirmari. Est in ipsis inter cetera, vbi volunt dicere, vnum de Trinitate crucifixum, quòd est nec in sanctis Synodis dictum, nec in epistolis S. Papæ Leonis, nec in consuetudine Ecclesiastica. Quod si permittitur fieri, mihi videtur dissensiones & scandala non mediocria nasci inter Ecclesias. Istud Anastasius Imp. magnopere Catholicis imponere festinauit: istud & Eutychetis discipuli in Synodo Chalcedonensi proposuerunt. Quia quotiescumque Patres de Dei Filio Domino nostro Iesu Christo disputauerunt, Filium Dei Verbum, consubstantialem Patris, homousion Patri dixerunt. Iste autem sermo ideo numquam est in Synodis à Patribus inductus, quòd proculdubio Catholicæ fidei minimè poterat conuenire. *omnium NOVAM LOCVTIONEM IVRE REDDI SVSPECTAM.

D Cuius sermonis si subtiliter attendatur intentio, ad quantas hæreses pateat, & quæ mala per eum possint disputationibus Ecclesiasticis introduci, quoniam longum est per præsentes insinuare, præterimus. Vnde sanum mihi videtur & vtile & ad pacem Ecclesiarum conueniens, nihil aliud responsum dari, nisi: Sufficit sanctum Chalcedonense Concilium, in quo & aliæ Synodi continentur: Sufficiunt epistolæ B. Papæ Leonis, quas Synodus confirmauit. Nouitatem in Ecclesia introducere nec volumus, nec debemus.] noua enim vox ab Ecclesia, quantumlibet pia, nonnisi ex Patrum consulto in rebus fidei vtenda proponi consueuit. Sed pergit:

Est in propositione eorum callida & hæc dicere: Nos Synodum Chalcedonensem susceepimus: hoc speramus, vt iubeatis nobis eam exponere, quia non sufficit sic quomodo est exposita contra hæresim Nestorianam, non quasi non intelligentes; nisi conantes per subti-

E litatem ad hoc nos adducere, vt disputetur de Synodo Chalcedonensi. Quod si actum fuerit, dubia & infirma ostenditur, & hæreticorum omnium patuit errori. Inter alia, si post Synodum Chalcedonensem, si post epistolas Papæ Leonis, si post libellos quos dederũt & dant Episcopi, & per ipsos satis fecerunt sedi Apostolicæ, iterum aliquid nouum addatur: sic mihi videtur, quia quicquid factum est, destruitur. Data tertio Kal. Iunias, Constantinopoli.] hæc sunt quæ in hanc vsque diem Constantinopoli contigerunt, de quibus Dioscorus legatus Hormisdam reddidisse voluit certiorem. Digna quidem Apostolico legato monitio, ne audiantur hæretici, vel quicumque alij ad rectè sancita in Oecumenicis Synodis, quibusuis prætextibus, noui aliquid addi petentes.

Sed qua occasione eiusmodi sit obortà contentio, antequam rem gestam vlteriùs prosequamur, quò fiant cuncta perspicua, hìc principium repetamus. Priusquam Apostolicæ sedis legati Constantinopolim peruenissent, quæstio oborta est inter eosdem Scythiæ monachos

atque Victorem diaconum professorem Synodi Chalcedonensis. Cùm verò Scythiæ monachi eumdem Victorem accusarent hæresis Nestorianæ, dedissentq; aduersus eum libellum sedis Apostolicæ legatis cùm Constantinopolim peruenissent, necnõ Ioanni Constantinopolitano Episcopo: apud eosdem cùm aduersus Victorem acturi conuenissent, ipse Victor quò se omnino Catholicum esse monstraret, coram ipsis iudicibus professus est se credere quæ continet Chalcedonense Concilium, quæq; habet epistola S. Leonis ad Flauianum, recipereq; pariter Cyrilli scripta aduersus Nestorium. Sed cùm ex aduerso Scythę monachi reclamarent, hæc non sufficere, vt quis euacuetur ob omni suspicione hæresis Nestorianæ; sed addendum esse, vnum de Trinitate esse Christum crucifixum: displicuit legatis monachorum cauillosa suggestio, quam negauerunt admitti debere, asserentes satis esse profiteri Chalcedonense Concilium, vt quis Catholicus demonstretur, absque aliqua additione verborum. Illi verò eiusmodi à legatis passi repulsam, indignati, appellandum putarunt à sententia legatorum ad ipsum Romanum Pontificem, apud eumdem accusaturi Victorem vt Nestorianum, & conquesturi de ipsis Apostolicæ sedis legatis, quod eumdem Victorem vt Catholicum recepissent: Sicque hi furore perciti, Constantinopoli recedentes, Romam se contulere ad Hormisdam Pontificem. Hæc quidem omnia accepta sunt ex relatione Dioscori legati ad eumdem Hormisdam, quam inferiùs suo loco ponemus, vbi de eiusdem Victoris causa sermo erit: cœpta enim modò prosequenda est causa Scytharum. A B

Verùm antequam vlteriùs progrediamur, vnde iisdem Scythis, monachis manarit occasio, vt minimè satis esse putarent ad fidem Catholicam astruendam aduersus Nestorianum errorem profiteri Chalcedonense Concilium, nisi appositò additamento, quo quis expressè assereret, vnum de Trinitate crucifixum: ex Dionysio Exiguo in præfatione ad epistolam Procli Constantinopolitani ad Armenos, quam rogante Feliciano Pastore in Latinum vertit, possumus intelligere; ait enim: Temporibus Antistitis memorati, *Procli videlicet*, Theodosio Imperatore regente Rempublicam, per Syriam atque Armeniam discipuli Theodori Mopsuestenæ ciuitatis Episcopi prauam fidem, corrupto Symbolo, rudibus populis exorti sunt intimare, callidissima subtilitate beatam Trinitatem sic vnius essentiæ prædicantes, vt Christum Dominum nostrum conditorem vniuersitatis, vnum ex Trinitate nullatenus faterentur: vnde sequebatur hæc inepta suæ temeritatis absurditas, vt quia Christum constat verum esse Deum ac Dominum, quatuor personas in tribus astruerent, duosq; Dei Filios proculdubio prædicarent. Sed huic impietati mirè Pontifex antefatus obsistens, docuit Christum Dominum nostrum & à principio Verbum apud Deum, vnum de Trinitate esse, &c.] Actum de his est superiùs quinto Annalium tomo. Porrò cùm ista acciderint ante Chalcedonense Concilium, à quo plenissimè satisfactum Catholicæ veritati aduersus hæreses Nestorij & Eutychetis absque eiusmodi assertione sententię: eam addi velle eidem sacrosancto Concilio, nec alicuius esse recipiendam Catholicæ fidei professionem absque eius assertione, nimis durum visum est legatis Apostolicæ sedis, valdeque periculosum, ignominiosum verò ipsi Oecumenicæ Synodo. Vnde eadem iterum significare Romano Pontifici, necessarium putauere: sic igitur à priori relatione mense elapso, tertio Kalend. Iulias eodem argumento ipsi legati ad Hormisdam Papam litteras conscripsere, quibus primùm de causa Ecclesiæ Antiochenæ, inde de reliquis eum redderent certiorem. Fuisse autem tertiam vel quartam hanc epistolam à legatis sedis Apostolicæ scriptam post initam cum Ecclesia Constantinopolitana concordiam, ipsi in ea legati testantur, quæ instar relationis ita se habet[a]: C D

[a] *Extat inter Hormisd. epist. post 6. secund.*

Cùm Dei misericordia, quo ordine & qua cautela communicauimus in Ecclesia Constantinopolitana, iam aliis litteris per seruum vestrum Pollionem directis vestra beatitudo cognouit. Et similiter in aliis litteris non semel, sed secundò, qualia æmuli homines religionis tentant, significare curauimus: vt nihil sit actum, aut cogitatum faciendum, quod lateat beatitudinem vestram. Stat nobiscum cum Dei adiutorio, quicquid in Constantinopolitana Ecclesia est ordinatum. Non titubant gaudia spiritualia, quæ celebrarunt & celebrant Catholici.] ista præfati, mox hæc de Ecclesia Antiochena: E

DE CAVSA ECCLESIAE ANTIOCHENAE.

Causa Antiochenæ Ecclesiæ ordinationis non solùm nobis labores fecit, sed grandes tribulationes: quia homines festinantes impedimentum facere generali vnitati, diuersis modis diuersa impedimenta fecerunt. Nostra erat propositio de his qui se suspenderãt de anathemate in prædicta Ecclesia ordinare sacerdotem. Non proposuerunt ante oculos suos futurum iudicium, palàm dicentes: Omnes qui sedi Apostolicæ communicabant, Nestoriani sunt:

A sunt: & magis illis non debere credere, qui modo videntur ad communionem sedis Apostolicæ reuocati.] Eutychianorum hæreticorum eiusmodi erat assertio, & in ore eorum solita versari calumnia, Orthodoxos omnes, qui sacrosanctum Chalcedonense Concilium profiterentur, vocare Nestorianos, multo magis autem ipsum Romanum Pontificem, qui in hoc præ ceteris laborabat, nec quemquam in communionem recipiebat, nisi fidem Catholicam ab eodem Concilio comprobatam profiteretur. erant, inquam, huiusmodi Eutychianorum falsi prætextus, vt se ab eorum communione segregarent. Sed pergunt: Post multas afflictiones, & penè in tres menses à Patribus protracta certamina, piissimus Imperator sua auctoritate Paulum nomine presbyterum de Ecclesia Constantinopolitana elegit Episcopum fieri in Ecclesia Antiochena, dicens inter alia & hoc testimonium de ipso, quia duo-

DE ELECTIONE PAVLI CONSTANTIN. PRESBYT. IN ANTIOCHENVM EPISC.

B bus annis in Antiochia positus, non mediocriter resistebat Seuero hæretico: similia & omnes Catholici consonabant. Et omnia ista de persona prædicti Imperator se promisit ad vestram beatitudinem relaturum.] hactenus de causa Antiochena: mox verò subdunt de monachis Scythiæ malorum omnium architectis his verbis:

Harum tamen tribulationum prouisores & socij & vnitati Ecclesiarum impedimento monachi de Scythia fuerunt, qui postea hinc* discesserũt, assignati ab omnibus nihil pacifi-

DE MONACHIS SCYTHIAE TVMVLTVANTIBVS.

cum cogitare, ad beatitudinem vestrã cucurrerunt, sperantes surrepere, & per litteras vestræ sedis suas intentiones confirmare. Isti de sua prouincia Episcopos accusant, inter quos est Paternus Tomitanæ ciuitatis Antistes. Petitiones obtulerunt; & coacti piissimi Principis & domini Vitaliani Magistri militum iussione, frequenter ad audientiam causæ conuenimus, non quasi volentes nos in his negotiis occupare: quia nobis sunt ante oculos beatitudinis vestræ præcepta, quibus præcepistis, vt causæ tantùm, cui veneramus intenti, nullis aliis ne-

* hic deficerunt

C gotiis misceremur, sed sperantes posse intentionem eorum pacari, ad hoc descendimus.

Et quia nobis diu laborantibus, illis nullam suscipientibus rationem, nihil proficiebat in eo, quò tendebamus: clementissimus Imperator in conuentu publico, vbi & nos interfuimus, Paternum prædictum Episcopum & magnificum virum Vitalianum reduxit ad gratiam: accusatores quoque eius suo præcepit Episcopo supplicare. Monachi verò cum similiter ad concordiam quærerentur, fuga lapsi, maluerunt de ciuitate discedere, quàm ad concordiam peruenire.] At quanto in discrimine ob eosdem tumultuantes monachos constituta esset Catholica fides, si audirentur ab ipso Rom. Pontifice, iidem legati ista subdentes declarant: Prædicti monachi ad Italiam venientes, aliquanta capitula proponere habent, inter quæ & vnum de Trinitate crucifixum continetur, sperantes ita confirmari ex auctoritate beatitudinis vestræ; sicut & in alijs litteris significauimus, & modò hoc dicimus, vt

PERFIDI MONACHI FVGAE SE DEDVNT.

D nulla nouitas à sede Apostolica scribatur: quia & nos ante Imperatorem & ante Senatum hæc indicauimus, dicentes: Extra Synodos quatuor, extra epistolas Papæ Leonis nec dicimus, nec admittimus, quicquid non continetur in prædictis Synodis. Aut: Quod non est scriptum à Papa Leone, non suscipimus.

Quia si voluerit dominus noster qualemuis nouitatem scribere, peius erit istud initium*, quàm illud quod factum est per Eutychetem. Sufficere debet Ecclesiæ, quòd per sexaginta annos ab Eutychete vsque modò sustinuit. Nobis quod visum est, scripsimus: in vestra potestate est, deliberare quod vobis Deus imperauerit: quoniam hæc illi nituntur asserere, eo modo sibi satisfacere cupientes, vt ita profiteamur, & dicamus vnum de Trinitate passum esse; quod nec Patres, nec Synodi dixerunt.] hæc legati, non negantes penitus dici non posse, sed cauendam in verborum nouitate fraudem latentem, explodendamque temeritatem

* vitium EXPLODENDA NOVITAS.

E ad sanctum Concilium addere aliquid præsumentem. Sed pergunt:

Ista ideo per singula exposuimus, ne illorum subtilitas glorietur in nostra simplicitate propter istas nouas suas intentiones. Vitaliano magnifico viro subreperunt, vt & talia vindicare pro talibus rebus, & contra nos quæcumque potuit impedimenta afferret; cuius immutationem omnis nobiscum deflet Ecclesia. Quapropter rogamus, vt consueta cautela, & qua solet Dominus noster vigilantia cogitetis, & quomodo suspendendi sint, qui à nobis taliter recesserunt, & à nostra communione fuerunt seiuncti; & quid eis respondeatur, vel quomodo eorum capitula repellantur: quia eos omnes Constantinopolitana Catholica exhorret Ecclesia. Data tertio Kalend. Iulias Constantinopoli.]

VITALIANVS DEFICIT AD HAERETICOS.

Quod verò ad Vitalianum spectat; memor ne es (lector, compello te) quæ ad finem superioris tomi pluribus dicta sunt de tam præclaro viro Magistro militum? cùm inhærens aduersus Anastasium Imperatorem hæreticum Catholico populo, eum in angustiam haud mediocrem

ARTES VITALIANI DE INVADENDO IMPERIO.

mediocrem coniecit. Sed qua illa ipſe egerit mente, poſtrema hæc ipſius actio declarauit: A
nempe cupiditate inuadendi Imperij flagraſſe hominem; eaque ſemel amentia captum,
cuncta que ageret, in eumdem finem ducto funiculo direxiſſe. Hinc vides, mutatis poſtea
rebus, cùm regnaret Catholicus Imperator, in aduerſam ipſum tranſire partem, ſeque iun-
gere cum hæreticis Eutychianis, quos antea videri voluit impugnaſſe; eiſdemque pro poſſe
fauere, quorum ipſe fauore aduerſus Iuſtinum erigeretur. Sic planè licet prætenderetur de
religione contentio, re vera tamen de regno adipiſcendo, vel potius aſſumenda tyrannide
intus ardens occultabatur intentio.

Verùm intelligens iſta Iuſtinus, Vitalianum è medio ſuſtulit; qua autem arte artem delu-
[a] *Euagr lib. 4. c. 3.* ſerit, accipe ex Euagrio, qui ait[a]: Vitalianum verò vitam in Thracia degentem, qui Anaſta-
IVSTINVS DOLO AGIT CONTRA DOLOSVM VITALIANVM. ſium Imperio exturbare moliebatur, Iuſtinus Conſtantinopolim accerſit: nam & potentiam
eius extimuit, & ancipitem fortunam quæ in bellis cerni ſolet, & nominis eius celebritatem, B
quæ in omnium ore fuit, & Imperij qua flagrabat cupiditatem. At cùm coniectura conſpi-
ceret, idque ſanè veriſſimè, ſe non alia ratione eum poſſe vincere, niſi amicitiam erga eum ſi-
mularet; vultu merè ad fraudem cõpoſito, quæ facilè deprehendi non poſſet, vnum ex Du-
cum numero, qui præſentes vocantur, eum deſignat: at quo magis perſuaderetur Vitalia-
no, & facilior aditus ad fraudem pateret, ad Conſulatus quoque honorem effert.] hæc Eua-
grius, ſed proculdubio ex Zacharia Eutychiano ipſi Vitaliano fauente, & eius necis cauſam
Iuſtini iniquè aſcribente tyrannidi. Sed hæc facta ſunt anno ſequenti. Quomodo enim, qui
hoc anno Conſul eſt deſignatus Vitalianus, ſequenti in eius muneris functione occiſus eſt,
ſuo loco dicturi ſumus. Qui verò potiſſimam cauſam necis Vitaliani ignorarunt, vel diſſi-
mularunt (quæ ex litteris legatorum ſatis poteſt eſſe comperta) calumniosè Iuſtinum doli
& crudelitatis inſimulant. Sed ad legatos Conſtantinopoli commorantes redeamus. C

Dederunt ijdem legati Apoſtolicæ ſedis eidem nuncio, cui & relationem rerum geſta-
rum commiſerunt, alias litteras ad Hormiſdam eodem die conſcriptas de religioſa petitio-
ne Iuſtiniani Comitis Domeſticorum viri clariſſimi. At quænam illa fuerit, ipſæ litteræ
[b] *Extat tõ. 1. epi. Rom. Põt. in Hormiſda.* legatorum declarant, quæ ſic ſe habent[b]:

DE MITTENDIS RELIQVIIS SS. APOSTOLORVM CONSTANTINOP. Filius veſter magnificus vir Iuſtinianus res conuenientes fidei ſuæ faciens, baſilicam
ſanctorum Apoſtolorum, in qua deſiderat & beati Laurentij martyris reliquias eſſe, conſti-
tuit. Sperat per paruitatem noſtram, vt prædictorum ſanctorum reliquias celeriter conce-
datis. Habuit quidem petitio prædicti viri ſecundùm morem Græcorum, & nos contra con-
ſuetudinem ſedis Apoſtolicæ expoſuimus. Accepit rationem. Et quia talis eſt feruor fidei
eius, qui meretur quicquid de Apoſtolica ſede depopoſcerit; & talis eſt, qui ſperat vnde &
ſalus animæ & fidei effectus accreſcat: talibus deſiderijs poſtulata competit non negare. D
SANCTVARIA PETENTI IVSTINIANO CONCEDENDA. Vnde ſi & beatitudini veſtræ videtur, ſanctuaria beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli, ſe-
cundùm morem, ei largiri præcipite: & ſi fieri poteſt, ad ſecundam cataractam ipſa ſanctua-
ria deponere, veſtrum eſt deliberare.] quid autem intelligant legati per ſanctuaria, atque
per primam & ſecundam cataractam, deque more iſto Eccleſiæ Romanæ, conſule quæ ex
Gregorio Turonenſi & aliis dicta ſunt ſuperiori tomo. Sed pergunt:

Petit & de catenis ſanctorum Apoſtolorum (ſi poſſibile eſt) & de craticula beati Lauren-
tij martyris. Iſta ſunt deſideria prædicti viri: in hoc fides ipſius eſt incitata. Propter hoc in vr-
bem veſtram virum ſpectabilem Eulogium Magiſtrianum direxit, hoc ſibi ſatisfacere iudi-
cans, ſi de ipſo fonte, de quo per omnem terram ſanctuaria Apoſtolorum ſunt data, inde &
ipſe reliquias ſuſcipere mereatur. & benè facitis cauſam Eccleſiaſticam magnopere in con-
teſtatione Dei tali homini commendare, cuius ſinceritas & integritas circa religionem Ca- E
tholicam nota eſt omnibus hominibus. Hic voluerunt capſellas argenteas facere & dirige-
re: ſed poſtea cogitauerunt, vt & hoc quoque à veſtra ſede pro benedictione ſuſcipiat. Sin-
gulas tamen capſellas per ſingulorum Apoſtolorum reliquias fieri debere ſuggerimus. Data
tertio Kal. Iulias, Conſtantinopoli.]

Intelligis, lector, quàm præſtaret hoc ſæculo cultus ſacrarum reliquiarum, cùm pro
magno munere maximi Principes peterent & acciperent non ex carne, vel oſſibus, aut alijs,
ſed velum, quod ad ſecundum foramen demiſſum in ſepulchrum Apoſtolorum, virtutem
inde contraheret haud exiguam. Audis, inquam, quis eſſet Fidelium ardor ex vniuerſo
Chriſtiano orbe legationes Romam mittentium, vt vela appoſita Apoſtolorum ſepulchris
(quæ ſanctuaria dici conſueuerunt) acciperẽt, ex quibus eorumdem Apoſtolorum virtutem
in ſignis edendis haurirẽt. Neget inſanus quiſque Nouator Apoſtolos eſſe Romæ ſepultos;

& ſacrarum

A & sacrarum reliquiarum cultum, dæmonis instar, horreſcat. Sed præstat iam de his tantum audire virum, Iustinianum ipsum eadem suis litteris ab Hormisda ita petentem, cùm in primis de vanis disceptationibus monachorum ingerit narrationem[a]:

[a] Extat. tō. 1. epi. Rom. Pōt. in Hormisda.

Domino sancto meritis beatissimo & Apostolico domino patri Papæ Hormisdæ Iustinianus V. C.

Propitia Diuinitate, quæ semper Ecclesiam Catholicā per incrementa fidei instituit, vnitas sanctarum Ecclesiarum per doctrinam & auctoritatem Apostolatus vestri prouenit. Sed quoniam comperimus quosdam nomine monachos, quibus magis discordia in studio est, quàm charitas & pax Dei, cupientes quædam perturbare, ad Angelum vestrum hinc discedentes iter arripuisse: quos beatitudo vestra, præsentibus scriptis causam liuoris eorum cognoscens, ita vt merentur, suscipere & à se longè pellere dignetur: quoniam vaniloquia ip-

DE MONACHIS VAGIS ROMAM VENIENTIBVS ADMONITIO.

B sorum festinantium nouitates introducere in Ecclesia, quod neque quatuor Synodi venerabiles, neq; S. Leonis Papæ epistolæ continere noscuntur, in omni loco turbas excitare videntur. Quamobrem etiam & à viris reuerendissimis Episcopis & diaconibus directis ab Apostolatu vestro ad nos Angelus vester destinare dignetur, & ipsos digna correctione perculsos (vt superiùs dictum est) pellere iubeat. Ergo hæc petimus, vt (sicut suprà dictum est) ipsas huiusmodi litteras per eumdem portitorem ad nos dirigere magnopere festinet. Sunt autem nomina eorum, Achilles, Ioannes, Leontius, & Maxentius*. Hæc nostra est maxi- * Mauritius

C ma solicitudinis causa, ne vnitas, quam vester labor oratioque perfecit, per inquietos homines dissipetur: sperantes in Domino Deo, quia si quid est quod adhuc à totius Orbis pace dissentiat, hoc quoque orationibus vestris Apostolicæ sedis communioni societur.] hæc quidem de nouātibus monachis piè sancteq; Iustinianus Homisdam Papam admonuit: verùm quomodo immutatus, eorumdem postea cœperit fauere sententiæ, suo loco dicendum: modò ipsius ad eumdem Pontificem epistolæ reliqua prosequamur; iam subdit:

Præsumentes autem de beatitudinis vestræ beneuolentia, paternam dilectionem nimium petimus, quatenus reliquijs sanctorum Apostolorum tam nos, quàm basilicam eorum hic in domo nostra sub nomine prædictorum venerabilium constructam illustrare & illuminare largè dignemini; cognoscentes, quòd nullum nobis maius beneficium, nec munus præstare potestis, domine beatissime Pater, quàm si hanc nostram petitionem adimpleueritis. Subitò autem iter arripiente prædicto Agente in rebus, etiam duo pallia serica ad ornamentum altaris sanctorum Apostolorum direximus: quæ suscipientes, efficacissimis precibus vestris, nostri iubete iugiter facere memoriam.] hactenus Iustinianus ad Hormisdam. Scias autem, teste Procopio[b], ecclesiam illam titulo Hormisdæ fuisse nominatam: nam ipse ait:

DE RELIQVIIS APOSTOLORVM MITTENDIS.

[b] Procop. de ædif. Iustin. Imp. lib. 1.

D Principio Iustinianus sanctis Petro & Paulo templum extruxit iuxta regiam aulam, ab Hormisda olim denominatum, vbi priusquam imperaret, domicilium fouebat.] hęc Procopius, qui prætermisit à Iustiniano templum extructum illud fuisse, antequam Imperator creatus esset. Quod verò ad titulū Hormisdæ spectat, par est credere ab eo denominari voluisse ecclesiam Apostolorum, à quo ipsorum acceperat (vt dictum est) sanctuaria expetita.

Quod autem ad monachos pertinet; duas alias eodem argumento, nempe de controuersia excitata per eosdem Scythiæ monachos idem Iustinianus ad eumdem Romanum Pontificem epistolas dedit: in quarum posteriori per eumdem qui suprà Eulogium missa, inter dignas alias sententias, hæc habet de authoritate atque maiestate Apostolicæ sedis, cuius sit probare vera atque Catholica dogmata, & in ambiguis ferre sententiam; cùm ait[c]:

[c] Extat. tō. 1. epi. Rom. Pōt. in Hormisd.

Post semel enim diuina misericordia donatam Ecclesiæ Catholicæ vnitatem, quidam asse-

E runt, Christum filium Dei Dominum nostrum pro nostra salute carne crucifixum, vnum de Trinitate debere prædicari: quod si suscipiendum sit, paterna prouisione reuerentia vestra cautissimo suo rescripto, quid sequi, quidve super hoc vitare debeamus, nos certiorare dignetur. quoniam verba videntur facere dissensionem: nam sensus inter Catholicos omnes vnus esse probatur. Imponite igitur vobis semel susceptum laborem, sancte ac venerabilis Pater, etiam in hoc prædecessores vestros sequentes, quorum memoriam & amplectimini, & consortio Pontificatus ornatis; & de hac intentione liberos nos properate reddere & securos. HOC ENIM CREDIMVS ESSE CATHOLICVM, QVOD VESTRO RELIGIOSO RESPONSO NOBIS FVERIT INTIMATVM, &c.] Intelligis quidem, lector, Iustiniano dignam, cùm suæ esset mentis compos, atque præstaret pietate, sententiam; ex qua perspicuè satis quisque percipere, manuque tangere possit, quanta esse soleret in Theologicis controuersijs definiendis Apostolicæ sedis

ILLVD ESSE CATHOLICVM, QVOD A ROMANO PONTIFICE PRODITVR DEFINITVM.

auctoritas;

auctoritas; vt quod ab illa esset definitum, illud apud omnes Catholicum haberetur. A

DE REBVS GESTIS A MONACHIS SCYTHIAE CONSTANTINOPOLI.

De ipsis nos acturi Scythiæ monachis Constantinopoli Romam confugientibus ad Hormisdam Pontificem, antequam res ibi ab eis gestas attingamus, narrationis ordo postulat, vt quæ ab ipsis acta sunt antequam Constantinopoli recesserint, eadem accuratiùs recenseamus. In primis autem ex his quæ dicta sunt & inferiùs dicentur, planè comperitur signis haud obscuris, & argumentis minimè dubijs, eosdem ipsos Eutychianos fuisse hæreticos; ita tamen, vt qui speciem præseferrent Orthodoxorum, ipsum Eutychetem cum suis sectatoribus oppugnare videri voluerint. Sic planè ipsis visum hoc tempore negotium agendum esse, cùm vbique de prostrata Eutychiana hæresi Catholici triumpharent. Versutum sanè callidumque commentum, vt dum videntur in hæresim Eutychianam insurgere, veluti manu porrecta eamdem erigerent; labefactareque tentarent sacrosanctum Chalcedonense Concilium, dum noua adiectione verborum roborare illud velle, callidè simularent: cuius B rei causa & scripserunt libellum fidei, quem legatis Constantinopoli agentibus obtulerunt: extat ipse quidem, estque ipsius huiusmodi inscriptio [a]:

[a] Editus à Cochlæo post Fulgentij opera.

LIBELLVS MONACHORVM SCYTHARVM LEGATIS OBLATVS.

Dominis viris beatissimis Germano & Ioanni Episcopis. Felici & Dioscoro diaconis, Blando presbytero, & vniuersæ legationi sedis Apostolicæ, libellus ab exiguo Maxentio & omnibus qui mecum sunt.] ita titulus. ipse autem libellus sic incipit: Quoniam nonnulli videntes nos contra eos qui inimico proposito venerabilis Chalcedonensis Concilij fidem nituntur euertere, Patrum proferre sententias, &c.] Verùm dum simulant pro Synodo Chalcedonensi inire certamen, eam conantur prorsus euertere. Eiusmodi planè esse noscuntur mores hæreticorum, vt omnia proditoriè agãt, & accepta tessera Catholicorum, inter ipsos Catholicos militare videri velint, vt contra fidem Catholicã aliquid proditoriè tutiùs machinari possint. Miraberis tunc magis, lector, cùm videris dolos & fraudes ipsorum iam perspicuè C patefactas; quas haud facilè quis ex eorũ scriptis deprehendat, nisi priùs totius rei gestæ historiam accuratè perdiscat. Intelliges itaque ex promenda historica veritate, ex ipsa inquam continuata rerum gestarum serie ex Hormisdæ & aliorum epistolis contexenda, horum impostoras, dolos, atque fallacias: quæ si prudentem virum prætereant, mox deceptus, eosdem ipsos verè esse Catholicos, immo & acerrimos fidei Catholicæ defensores facile iudicabit; vt pluribus euenit, quos quæ de his dicta sunt à nobis atque dicenda latuerunt.

COCHLAEVS EDIDIT LIBELLVM MAXENTII, ATQVE LAVDAVIT.

Sic planè accidit, vt cùm adeò dolosa arte fucata extent ipsorum scripta, haud satis fuerit Lynceos habenti oculos Cochlæo viro diserto & Catholica fide pollenti, qui eorumdem scripta, vnius ex ipsis titulo inscripta Maxentij nactus, eadem primus post Fulgentij opera edens & laudans, esse hæreticorum hominum partum minimè intellexit; cùm insignitum opus nomine Orthodoxo, eiusque auctorem plenè laudauit in præfatione, quam in operis D fronte perspicuã cunctis affixit. Ita quidem ipse candido atque sincero animo, hæreticorum omnium alioqui valentissimus oppugnator, quod minimè cõpertas haberet omnes epistolas de eadem controuersia vltro citroq; datas; cùm præsertim ex ipsorum assertione fictam crediderit Hormisdæ datam ad Possessorem epistolam. Quod enim videret hominem grauissimis sententijs perstringere Eutycheté atque Nestorium, & veluti exurgere defensorem pro Synodo Chalcedonensi, nullum putauit latere dolum sub symbolo pacis; proculque abesse existimauit; vt propugnator illius, dici posset eiusdem sacri Concilij demolitor.

Irrepere tentauit vafer impostor (vt dictum est) vano quodam prætextu declarandæ sententię Concilij Chalcedonẽsis, quædam adiiciendo, vt ex hoc posset ipsum funditus perdere & damnatam hæresim restituere; religionisq; simulans donum, alterum equum Troianum ad Catholicam fidem expugnandam admouit, cùm pro defensione Orthodoxæ fidei, Or- E thodoxa simulauit compingere scripta, quæ intus occultos clauderent hostium cuneos armatorum; sic simulans ad robur & firmitatem Chalcedonensis Concilij eiusque declarationem illa esse adiicienda verba, quibus diceretur, Vnus de Trinitate esse crucifixus: quã sententiam (vt vidimus) legati ipsi Apostolicæ sedis agentes Constantinopoli, prorsus reijciendam esse putarunt, vtpote qua nunquam Patres in Synodalibus sententijs vsi fuissent: latere enim sciebant sub melle venenum, & errorem occultum sub piorum inuolucro verborum sententiarumque celari, atque foueri aspidum oua assertione Catholicæ fidei. Sic illi quidem summa arte doloq; secundùm Chalcedonensis Concilij definitionem profiteri videri voluerũt duas esse in Christo naturas indiuisè & inconfusè coniunctas in vna eademq; persona: atque ad omnẽ etiam suspicionem tollendam Patripassianæ siue Theopaschitarum hæresis, non simpliciter vnum de Trinitate passum, sed addiderunt esse passum in carne.

Quæ

A Quæ quidem noua & hactenus post Chalcedonense Concilium inusitata penitus ac proinde suspecta ab ipsis asserta verborum sententia, licet in alijs benè cognitis Orthodoxis, à quibus omnis impostura suspicio procul abesset, tolerabilis videri potuerit, in istis tamen iure fuit penitus condemnanda, dum ea ad impugnandum Chalcedonense Concilium cognosceretur callidè ab ipsis inferri, cùm eo additamento supplendum contenderent ipsum sacrosanctum Concilium; quasi carens ipso, esse dicerent imperfectum, ac proinde cui haud tutò credi posset: cùm insuper (vt ex ipsorum verborum sensu patebit inferiùs) abhorrerent dicere, vnam Trinitatis personam esse passam in carne, explodere receptum in Ecclesia personæ nomen dolosè conantes: necnon etiam (quod deterius videri potest) sic vnum de Trinitate in carne natum & passum dicerent, vt nulla habita proprietatis vocum distinctione, sicuti Deum, ita diuinitatem natam & passam dicerent; prout quæ paulo pòst
B dicenda erunt, palàm ostendent. His igitur & alijs pluribus ex causis quæ dicentur, etsi ista in alijs fide Catholica benè perspectis (vt diximus) toleranda videri poterant, in his tamen fuerunt omnino cauenda.

CAVSAE CVR VITARENT DICERE VNVM DE TRINITATE PASSVM.

Sunt quidem (vt dictum est) & aliæ causæ, quibus cùm legati, tum ipse in primis Romanus Pontifex Hormisda (vt suo loco patebit) & alij insignis nominis Orthodoxi permoti, eam sententiam de passo vno ex Trinitate minimè recipiendam esse putarunt: quas, de his fusiùs disputans, recitat Ferrandus diaconus Carthaginensis in epistola ad Anatolium Ecclesiæ Romanæ diaconum, verbis istis: Recordor aliquando triplicem me intellexisse causam, quæ dubitare quosdam de hac sententia cogeret. Prima scilicet, ne quadam separatione intercedente, alia esset Trinitas, & alius qui vnus esset de Trinitate: sicut alius est Pater,
C alius est Filius, quando de Patre Filius esse dicitur: & alia ciuitas, aliusque homo qui de ciuitate esse narratur.] & paulo pòst: Secunda verò causa dubitationis videtur, nolentes dicere vnum de Trinitate passum, ne diuina substantia fieri passibilis videatur.] & inferiùs: Tertia dubitationis causa est, ne dicentibus, Vnus de Trinitate passus, inquisitor acerrimus dicat: Quis vnus? Et respondentibus, Filius, dicat iterum: Ergo si vnus est Filius de Trinitate, vel vnus est Trinitatis, Filiorum est Trinitas, aut Trinitatis est Filius? Respõdentibus, Deus, dicat: Quomodo est quispiam vnus Deus de Trinitate, cùm non sit vnus Deus nisi Trinitas?] hæc quidem Ferrandus huius temporis doctor Africanus tantæ æstimationis, vt & Romanæ Ecclesiæ diaconus ipsum de eadem quæstione consulendũ putarit, necnon etiam ex Oriente Seuerus Scholasticus Constantinopolitanus tanti viri fama permotus id ipsum egerit. Tu verò his adde & quartam causam quam superiùs idem auctor ingerit his verbis:
D A quibusdã dicitur: Eutychetis protulit Apocrisarius in Chalcedonensi Concilio] eam nimirum sententiam, qua assereret vnum de Trinitate esse passum; ob idque respuendam, quasi panem veneno corruptum. Certè quidem neque Eutychiani, neque Eutychianorum patronus perfidus Anastasius Imperator (vt dictum est) eam sententiam recipiendã ab Orthodoxis adeò veheměti studio ingessissent, nisi aliquod in ea latere scissent occultum malum, quo damnata eadem & extincta Eutychiana hæresis reuiuisceret: dictum est namque superiùs ex epistola Dioscori ad Hormisdam, non Eutychetis tantùm & ipsius discipulorum eam esse sententiam, sed & Anastasium Imperatorem id ipsum conatum esse, vt diceretur ab omnibus vnus de Trinitate passus.

Sed cur, dices, in id ipse adeò impenso studio Anastasius incumbebat? Ex illa quidem etiam scias causa, quòd cùm semper ipsi ab Orthodoxo populo fuerit contradictum, ne crucem Trisagio adderet præter Ecclesiæ morem (vt superiori tomo frequenter factum vi-
E dimus) ipse inde repulsus, aliunde ad blasphemiam sibi aditum parandum putauit; nempe si nollent accipere Orthodoxi, vt eo modo Trisagium caneretur, Sanctus Deus, Sanctus fortis, Sanctus immortalis, qui crucifixus es pro nobis] aliis verbis, quod id ipsum ex eorum sententia significare posset, dicendum proponeret, nimirum vnum de Trinitate passum: cùm tamen Eutychiani per vnitatem, vel singularitatem, substantiam acciperent, & non personam; vel si personam diuinam, certè humanæ naturæ expertem, quam negabant post adunationem duarum naturarum in Christo, dicentes ex duabus naturis, & non in duabus naturis Christum constare.

Eadem ergo ratione, qua Orthodoxi contradixerunt, ne crux Trisagio ascriberetur, restiterunt etiã, ne vnus de Trinitate passus simpliciter diceretur. nam cùm in Trisagio adiicerent: Qui crucifixus es pro nobis] æquè vnitas exprimebatur: vt idem esse ipsis Eutychianis videretur dicere: Vnus de Trinitate crucifixus] & in Trisagio addere: Qui crucifixus es

pro

pro nobis.] Trisagium enim non ad vnam personam, sed ad ipsam integram personarum Trinitatem referri debere, fuisse omnium Orthodoxorum sententiam, testatur S. Ioannes Damascenus in tractatione, quam de Trisagio scripsit. Hæ sunt igitur causæ, quibus ab his potissimum Scythis monachis Eutychianæ hæresis infamatis ea minimè esse accipienda, legati dicerent. Ita quidem cum istis agere, qui Chalcedonense Concilium additamento apposito minuere vellent, necessitas persuasit. Cùm verò res postea inter Catholicos transacta esset, Catholicum sensum ex verbis elicere, additis aliquibus, quæ omnem possent obstruere aduersariis aditum, ratio temporis postulauit, vt suo loco dicturi sumus. A

Sic igitur eadem ipsorum sententia omnino repellenda atque refellenda tunc fuerat, cùm impij absque illis verbis Chalcedonense Concilium non posse subsistere, calumniosè iactarent. At quæ ista tanta arrogantia? quæ tanta procacia, auctarium apponere audere ad sacrosanctum Concilium Oecumenicum sexcentorum triginta Patrum? Si verè ex animo fidem Catholicam (vt gloriabantur libellis oblatis) profiteri cupiebant, vt verè crederent diuinam naturam humanæ naturæ coniunctam esse indiuisè, inconfusè, & inconuertibiliter: cur non more sanctorum Patrum dicebant, vnam personam Trinitatis, Verbum ipsum esse passum in carne, in vno supposito duas naturas indiuisè coniunctas declarantes, magis quàm (quod nemo aliquando post Concilium Chalcedonense dixisset) vnum de Trinitate in carne passionem subiisse? Cur, inquam, vnum simpliciter dicere mallent, quàm vnam personam in duabus naturis, rem ipsam dilucidè ac sincerè demonstrantes? Sed audi inanes illorum prætextus: in responsione enim ad epistolam ad Possessorem Maxentius illorum coryphæus ista habet, dum inuehitur in auctorem ipsius epistolæ verbis istis: B

An fortè illos rationi cedere, non imperare iudicat, qui Christum vnam personam quidem ex Trinitate, non autem vnum ex Trinitate esse fatentur? Sed hi qui hoc dicunt, potiùs rationi vellè imperare, non cedere penitus conuincuntur. Qui enim tam stultus & vecors sit, qui dicere audeat Paulum ex Apostolis vnam esse personam, non autem vnum esse ex Apostolis Paulum?] Vidisti insulsam & dissimilem penitus similitudinem atq; diuersam illationem? Sed audi quæ post subiiciat: Loci (inquit) opportunitas exigit à nobis, qualiter & cur hæretici, in quibus vnus Dioscorus *Apostolicæ sedis legatus*, vnam personam prædicantem Christum ex Trinitate, vnum ex Trinitate Christum confiteri, nullatenus acquiescant.] Sed cùm hæc ipse dicat, attende calumniam grauissimam Catholicis impingentem: Personam igitur (inquit) Dei Verbi habere asserunt Christum, non autem quòd ipse Deus Verbum sit Christus: sicut personam Dei videbatur habere Propheta, qui dicebat ad Israel[a]: Audi populus meus, & loquar: Israel, & testificabor tibi: Deus Deus tuus ego sum, &c. Secundùm hunc ergo modum Christum vnam personam asserunt hæretici esse ex Trinitate, non quòd hic Christus vnus sit ex Trinitate, sed quia Verbi Dei in se habitantis personam habeat, quæ vna est ex Trinitate; vt sic vicarius quodammodo siue minister sit Verbi Dei Christus, non autem ipse Deus Verbum sit Christus.] hæc adeò probrosa impudentissimum Maxentium non puduit tribuere sub nomine hæreticorum calumniosè Catholicis, quæ sunt propria Nestorianorum: dum enim laborat omnes efficere Eutychianos, vult Orthodoxos omnes fuisse Nestorianos. C

NOMINE PERSONAE QVOMODO ABVTANTVR HAERETICI.

[a] *Psal.* 49. D

Sed considera sub inuolucro verborum captiosè laqueos occultantes, callideque nomina confundentes, dum idem qui suprà Dioscorus Apostolicæ sedis legatus in epistola ad Hormisdam[b] ex eorum fidei professione hæc verba recitat: Credimus, quia vnitas diuinitatis & humanitatis, quæ facta cœpta est, non tantùm in vtero non est diuisa, sed nec in partu, nec in nutrimentis, nec in passione separata est.] in quibus verbis obserua, cùm vnitam dicit vnitatem diuinitatis, nempe substantiam, non personam: & ex aduerso audi quid dicat S. Ioannes Damascenus: At quòd diuinitas homo facta, aut incarnata sit, aut humanitate se induerit, nusquam audiuimus. Illud certè didicimus, diuinitatem humanitati in vna suarum personarum vnitam esse.] E

[b] *Extat inter epist. Hormisd. tom. 1 epist. Rom. Pont.*

Quanto autem hæc effutirentur præiudicio Catholicæ veritatis, bene illis verbis Dioscorus legatus significauit, scribens ad Hormisdam[c]: Cuius (inquit) sermonis si subtiliter attendatur intentio, ad quantas hæreses pateat, & quæ mala possint disputationibus Ecclesiasticis introduci, quoniam longum est, &c.] At quæ inter alia? audi ipsum Hormisdam Pontificem, cùm hæc ait post multa, scribens ad Iustinum Imperatorem[d]: Qui aliter habet, necesse est aut diuinitatem in multa diuidat, *nempe vt tres substantias dicat, sicq; tres Deos*, aut specialiter passionem ipsi essentiæ Trinitatis impingat.] hæc Hormisda ex ipsorum nouitate

[c] *Extat inter epist. Hormisd.*

[d] *Hormisd. epist. 76.*

DEVS, NON DIVINITAS NATA ATQ. PASSA.

verbo-

A verborum deriuat. Intelligis, lector, quomodo versipelles sub prætextu quodam impugnandi Nestorianos, Eutychianam hæresim auctam blasphemijs Theopaschitarum inuexerint, & calice aureo Babylonis impij blasphemias propinarint: quamuis ne detegerentur hæretici, tam in libello quem legatis dederunt, quàm in alijs suis scriptis, verbis Catholicis videantur Chalcedonense Concilium velle erigere potiùs, quàm deprimere.

At quantum studuerint impij isti videri pij, atque curarint, quod non essent, prædicari Catholici: ex eo quoque intelliges, quòd cum Romæ interea degerent, atque viderent periclitari deductam in iudicium, ad lapidem Lydium, quam hactenus aluissent suam ipsorum Orthodoxi nominis æstimationem: quo alibi, vbi minimè cogniti essent, eamdem excitarent, illud iniere consilium, vt ad Africanos Episcopos, inter quos magni nominis huius temporis confessor, eximiusque Ecclesiæ Africanæ doctor sanctus Fulgentius eminebat, B legationem mitterent, darentque à se misso legato fidei Catholicæ per capita distincta professionem ipsis probandam; cùm & in ea quam ad eosdem dederunt epistola vsurparunt dolosè nomen totius Orientalis, immo vniuersalis Ecclesiæ, quò illos faciliùs ad ea quę scriberent, confirmanda perducerent: ipsorum autem epistolæ exordium sic se habet: LEGATIO SCYTHARVM MONACHORVM AD AFRICANOS EPISCOPOS.

Dominis sanctissimis & cum omni veneratione nominandis Diacono, Fortunato, Albano, Orontio, Boetho, Fulgentio, Ianuario, & ceteris Episcopis & in Christi confessione decoratis, exigui Petrus diaconus, Ioannes *cognomento Maxentius*, Leontius, Ioannes, & ceteri fratres in causa fidei Romam directi.

Vtile & perneceſſarium, sanctisque Dei Ecclesijs specialiter credimus profuturum, ea quæ de incarnatione & dispositione diuina nobiscum vniuersæ sanctæ Ecclesiæ Orientalium contra hæreticos defendunt, qui prauis & iniquis argumentis antiquam Ecclesiæ fi- C dem inquietare non cessant, sanctitati vestræ suggerere, atque de his consensum vestræ beatitudinis suppliciter promereri. Quia in nullo sanctam glorioſamque cõfessionem vestram credimus dissentire, præsertim cùm vno vbique spiritu sanctam Dei Ecclesiam vegetari minimè dubitemus. Non enim parua, immo potiùs magna lætitia vniuersi complebuntur Orientales, si sanctitatem vestram suis, immo magis Catholicis nouerint in omnibus consentire dogmatibus. Vnde suppliciter petimus & obsecramus beatitudinem vestram, quatenus diligenti examinatione, ea quæ inferiùs continentur, discutientes, vt decet verissimos & intrepidos Christi prædicatores, scriptis sententiam vestram nobis patefacere iubeatis: vt si Deo præstante, Catholicæ fidei conueniens & Apostolicis traditionibus nostra apud vos (sicut nos confidimus) fuerit expositio comprobata; & facilè tantorum virorum, probatissimorumque sacerdotum auctoritate muniti, iniqua loquentium ora ob- D struere valebimus; & in fide sanctorum Patrum perseuerantes, Deo, qui nos sanctimonij sui confessione glorificauit, gratias referamus, domini sanctissimi & Deo digniſſimi. Nunc ea quæ sequuntur, diligentiùs petimus exploretis.] hactenus ipsorum epistola ad Episcopos Africanos, quæ & apposita est præfatio septem, quæ subijciuntur, de fidei ipsorum confessione capitibus. SCYTHARVM MONACHORVM AD AFRICANOS EPIST.

Puto quidem in ipso ingressu te considerasse consuetam hæreticorum arrogantiam, dum pauci Scythiæ monachi (si tamen monachi, potiùs verò circulatores dicendi & impostores) totius Orientalis Ecclesiæ præseferunt esse legatos, secumque omnes Ecclesias eadem sentire, ac præsertim populos Orientis. Sed qui ita dilatant fimbrias, ne quouis modo deprehendi possent quod ipsi essent hæretici, illud quidem astutè excogitarunt, vt non eam proferrent, quam Constantinopoli legatis dedissent, vel Romæ Hormisdæ Papæ fidei confes- E sionem edidissent, qua dicendum contendebant, non vnam personam de Trinitate, sed simpliciter vnum de Trinitate esse passum in carne; sed Verbi nomen appositere: nam ita in capite quarto: Trinitas etiam post incarnationis mysterium Trinitas mansit: quia idem Deus Verbum etiam cùm propria carne vnus est ex Trinitate, non quòd caro eius sit de substantia Trinitatis, sed quia caro Dei Verbi est, qui est vnus ex Trinitate.]

Non potuerunt Episcopi Africani ipsorum ita proditam confessionem non probare, ignari motæ in Oriente & Romam delatæ controuersiæ, cuius nulla prorsus est mentio apud Fulgentium, qui omnium nomine collegarum ad ipsos rescripsit, nullam suspicans sub verborum inuolucro occultatam fuisse blasphemiam, intactamq; penitus quæstionem relinquit; vitauit tamen ipse verborum ambiguitatem, voce personæ vsus, cùm vt verè Catholicus dixit capite decimo: Vna ex Trinitate persona Christus Dei Filius vnicus, vt nos saluaret carne conceptus, & natus, &c.] hæcq; & alia à se posita esse ex Ecclesiæ Catholicæ præ- FVLGENTIVS PRO OMNIBVS AFRICANIS EPISCOPIS RESCRIPSIT.

scripto

scripto & Apostolicæ Romanæ consensu, ingenuè profitetur, vt planè à rectè credendi linea A
vel latum (quod aiunt) vnguem deflexisse, inueniri non possit.

DE PRIMATV ECCLESIAE ROM. FVLGENTIVS.

Hoc quidem bonum saltem peperit nobis Scytharum perfidia, vt eorum interpellatione sanctus Fulgentius scripserit egregium illum de Incarnatione Verbi & gratia & libero arbitrio commentarium planè aureum, in quo inter alias gemmas nitet de primatu Romanæ Ecclesiæ ista sententia tanto digna doctore: Duorum, inquit, magnorum luminarium, Petri scilicet, Pauliq́ue verbis tamquam splendentibus radijs illustrata, eorumq́ue decorata corporibus Romana, quæ mundi caput est, tenet & docet Ecclesia, totusq́ue cum ea Christianus orbis & ad iustitiam nihil hęsitans credit, & ad salutem non dubitat confiteri.] hæc Fulgentius; qua vna sententia, veluti cælitus vibrato fulmine, conatus omnes Nouantium confringantur.

Sed quid interea, cùm Romæ monachi ijdem morarentur? Primùm omnium, antequam B
SCHYTAE MONACHI ACCVSANT DIOSCORVM.

ipsorum impietas penitus patefacta fuisset, vt vindices Catholicæ fidei progrediuntur accusatores Victoris diaconi, necnon Dioscori, à quo ipsi Constantinopoli rei criminis hæresis constituti fuissent: quamobrem placuit Hormisdæ Pontifici eosdem monachos Scythas diutiùs Romæ detinere vsque ad reditum legatorum, prout idem Pontifex redditis à se his ad Iustinianum litteris docet[a]:

[a] *Hormisda epist. 64.*

Hormisda Iustiniano Illustri.

HORMISD. EPIST. DE RETENTIS MONACHIS ROMAE.

Eulogio viro clarissimo filio nostro deferente, litteras celsitudinis vestræ suscepimus: eoq́ue remeante, debitum persoluentes salutationis officium, significamus Scythas monachos allegasse plurima, quæ nos relinquere indiscussa non possumus: sed legatorum nostrorum, Deo iuuante, festinemus aduentum: pro qua re eos in Vrbe credimus retinendos, à qua nec ipsi ordinatione dissentiunt. Amplitudinem vestram tamen retinere confidimus, C
quòd de ipsis nobis præterito tempore litteris destinatis scripserit. In quorum allegationibus, cum legatis remeantibus competenter fuerimus instructi, si quid reprehensione dignum cognitio nostra repererit; necesse est, vt circa eos teneamus Ecclesiasticam disciplinam.] Subijcit his Hormisda de Victore diacono, quem ijdem monachi apud ipsum Romanum Pontificem accusarunt, cùm ait:

DE CAVSA VICTORIS DIACONI.

Victorem præterea, qui diaconi perhibetur habere officium, cuius fidem hi ipsi monachi vehementer accusant, vel alios qui peruersas forsitan obijciunt quęstiones, ordinatione domini filij nostri clementissimi Imperatoris, ad Vrbem, vobis suggerentibus, dirigantur: vt vniuersas allegationes, de quibus contendunt, nos possimus agnoscere.] hæc ad Iustinianum Hormisda: ex quibus intelligis, ad Romanę Ecclesię tribunal omnes accessum habuisse, ipsum verò Vrbis Episcopum sedisse iudicem vniuersarum controuersiarum, ad quem D
concurrant ex Scythia monachi causam acturi, ijdemq́ue alijs Constantinopoli degentibus diem dicturi. Sed de quæstione Victoris inferiùs. Extant aliæ litteræ eiusdem Hormisdæ ad eumdem Iustinianum datæ hoc anno, mense Septembris, in quibus de retentione monachorum aliam affert rationem his verbis[b]: Præterea monachos, quos veniisse Romam significastis litteris vestris, ad propria mox voluimus reuerti. Sed quia sub testificatione potentiæ diuinæ dicebant, per insidias in itinere paratas, vitæ sustinere se posse discrimen, volentes redire Constantinopolim: passi non sumus violenter expelli. Quapropter necesse habuimus, venientibus legatis nostris inquirere, quare vera faciente causa, inter eos fuerit commota discordia.] Ita quidem vsque ad quatuordecim menses eosdem retentos fuisse Romæ, defensio Maxentij, de qua agemus anno sequenti, demonstrat.

[b] *Hormisda epist. 65.*

MITTIT RELIQVIAS HORMISD. AD IVSTINIANVM.

Significat autem ijsdem ad Iustinianum litteris Hormisda, se petitas ab eo reliquias (vt E
vidimus) mittere: nam hæc habet ad finem epistolæ: Beatissimorum verò Apostolorum Petri & Pauli sanctuaria, sicut religiosissimo quæsistis affectu, per harum portitorem sub omni veneratione transmisimus: optantes orationibus eorum, vt mentis vestræ oblatio & desideria gratiæ sint Diuinitatis accepta.] Ex duplici namque pietatis officio commendari ab ipso Pontifice debuit Iustinianus, nempe quod ad S. Petrum misisset oblationem, quodq́ue impensè coleret memoriam Apostolorum, quorum sacras reliquias ad se mitti petijsset. Ad postremum hæc ad eum Hormisda: Petimus itaque, vt tam de his quæ geruntur pro concordia, quàm etiam de incolumitatis vestræ bono nuncietis solicitudini nostræ gaudium, currente pagina litterarum. Data quarto Nonas Septembris, Eutharico V.C. Conſ.]

Quod verò ad ipsos Scythas monachos spectat: cùm iussi essent expectare reditum legatorum, ipsi malam causam fouere detecti, fugã arripere tentarunt: sed eos Hormisda voluit

custodiri

A custodiri vsque ad reditum legatorum. Testatur id quidem ipse Pontifex in litteris datis ad finem anni huius, nempe tertio Non. Decembris, ad ipsos legatos, in quibus hæc habet in fine[a]: De personis Scytharum monachorum Iustinianus vir illustris nobis scripsit; quarum exemplaria litterarum fraternitati vestræ direximus. Qui cùm nollent sustinere vestræ dilectionis aduentum,& obseruationum moras se dicerent ferre non posse,tentauerunt clam de Vrbe discedere : quos tamen nos faciemus solicitiùs custodiri,ea quæ de vobis contraria dixerunt,volentes agnoscere : vt cùm reuersi,Deo propitio,fueritis,eorum error rationabilibus adhortationibus corrigatur.] hæc Hormisda. At quænam fuerint à monachis contra legatos asserta,ex litteris Dioscori legati intelligũtur.Scripserat autẽ idem Pontifex,eodem nuncio,ad Dioscorum[b] de iisdem Scythiæ monachis, qui aduersus eum potissimùm dederant contestationem,quòd consuetudinẽ haberet hæreticorũ,eo quòd recepisset Victorem B diaconum, quem iidem monachi apud Hormisdam reum fecerant Nestorianæ hæresis.

SCYTHAE MONACHI DVM IVGAM TENTANT, IVBENTVR CVSTODIRI.

[a] *Hormisd. epist.57.*

[b] *Extat to.1. epi.Rom.Pōt. in Hormisd.*

Cùm igitur litteris Hormisdæ Papæ ex falsa relatione Scytharum monachorum Dioscorus nonnihil se perstringi sensisset; ad eum rescribens, quomodo se habuerit causa Victoris, in primis enarrat; sed & ne vel leui aliqua suspicione apud eumdem Pontificem laboraret, exactam Orthodoxæ fidei confessionem iisdem suis appositit litteris. Audi igitur historiam epistolarem de rebus gestis cum Victore Constantinopoli, quas superiùs attigimus. ipsa enim epistola Dioscori legati sic incipit[c]:

[c] *Extat to.1. epi.Rom.Pōt. post epist.Hormisd.64.*

DIOSCORI RELATIO DE REBVS GESTIS CVM VICTORE.

Per Eulogium virum sublimem.] & inferiùs : Significastis mihi ab illis, *monachis scilicet,* contestationem datam,vt non mihi hæretici iungerentur. Quos dicũt hæreticos,ego ignoro,nisi illos fortè,qui Synodum Chalcedonensem suscipiunt,quos ego Catholicos dico. Vic Victor diaconus dicitur,*hæreticus scilicet:* quidam cum isto,antequam nos Constantinopolim ingrederemur,habuerunt intentionem * de vno de Trinitate crucifixo,& de Christo composito,& de aliis capitulis à nobis hîc positis: obtulerunt contra ipsum libellum tam nobis, quàm Episcopo Constantinopolitano.Conuenimus in domum Episcopi,vt inter eos intentionem,quæ vertebatur,agnoscceremus. Prædictus Episcopus Synodum Chalcedonensem protulit : legit ante omnes omnia quæ sunt in eodem Concilio constituta, dicens : Præter ista nihil mihi aliud dicatur. Qui sequitur ista,potest inter Catholicos esse. Victor respõdit: Suscipio similiter & epistolas Papæ Leonis,& sancti Cyrilli epistolas Synodales,quæ sunt in Chalcedonensi Concilio allegatæ: & manu mea subscribo, & sacramentis confirmo ista me susscipere, & præter ista nihil aliud prædicare : Et si inuentus fuero aliquando extra ista aliud prædicans, nullam circa me peto misericordiam.

* contentionem

Scythæ è contrà inchoauerunt dicere : Addatur & vnus de Trinitate. Nos è contrà dixi- D mus : Quod non est in quatuor Conciliis definitum,nec in epistolis beati Papæ Leonis,nos nec dicere possumus, nec addere. Displicuit hoc dictum. Victor autem vtrum sincero animo hæc diceret,an dolosè,quis nosse potest,nisi qui corda cognoscit? Verba ista nos audiuimus ; Dei est animum iudicare. Postea sine nobis magnificus vir Vitalianus Magister militum inter se & Episcopum Constantinopolitanum vocauerunt prædictum Victorem, locuti sunt cum eo : quid definierint inter se, nescimus.] & inferiùs post pleniissimam fidei Orthodoxæ testationem,hæc de iisdem Scythis monachis : Maxentius tamen,qui sub Abbatis vocabulo dixit se congregationem habere : si interrogetur,aut cum quibus monachis vixit, aut in quo monasterio, aut sub quo Abbate monachus factus est : dicere non potest. Similiter & si de Achille dicere voluero, rem facio superuacuam : cui sufficit semper latere propter conscientiam suam ab omnibus Catholicis damnatam. Data Idibus Octobris,Eu- E tharico Consule.] hic finis epistolæ.

SCYTHAE PSEVDOMONACHI.

Vidisti igitur,quales fuerint pseudomonachi,qui nouis quæstionibus vno simul tempore Orientem Occidentemque perturbant. Hæc attende, ne cùm ipsorum scripta legeris, eorumdem verborum lenocinio capiaris. Sed & vidisti nebulonum artem, qui sub sanctitate monastici habitus latentes hæretici, eousque progressi sunt, vt Hormisdam concitauerint in Dioscorum vnum ex Apostolicæ sedis legatis è latere missis. hæc quidem hæretici dolo atque callida fraudulentia. Quæ autem alij Eutychiani hæretici hoc tempore vi grassantes egerint Thessalonicæ, ab omni prorsus abhorrent humanitate, & vincunt immanitatem. Sed quænam ista fuerint,scripserunt legati Apostolici ad Hormisdam: verùm quòd tardiùs eorum perlatæ sint Romam litteræ, eadem antea idem Pontifex fama percepit, ob eamq; causam ad eosdem legatos litteras dedit, quæ sic se habent[d]:

HAERETICI FRAVDE ET VI AGVNT.

[d] *Hormisd. epist.56.*

Cùm nos Ecclesiasticæ prosperitatis gaudia subleuarent, & prope plenum laboris vestri

QVAE NEFARIA IN IOANNEM ET ALIOS ADMISSA SINT.

fructum quotidie caperemus: repentè nos inimica vniuerſi,quæ repentè ſucceſſerat, fama confundit: cuius opinionis ordinem,etſi vobis necdum referentibus,ſuſpicamur incertum; pro ipſius rei tamen magnitudine credimus non tacendum. Itaque perlatum eſt,fratrem & coepiſcopum noſtrum Ioannem, dum ad Theſſalonicam pro ſuſcipiendis tantùm libellis, qui promittebantur,accederet,ita plebis irrationabili ſeditione concuſſum,vt extincto primùm eo, qui hoſpitium venienti præbuerat, ipſe quoque non diſſimili cæde mactatus, & vix ſacroſancti fontis reuerentia vindicatus euaſerit: cuius ſeditionis initium ſub interrogationis doloſæ commẽto ab Ariſtide preſbytero narratur exortum. Verùm nos,ſi hæc manifeſta ſunt, adeò de plebe non querimur. Erit in poteſtate venerandi Principis,temporis ſui, & Catholici ſacerdotis iniuriam qua iubeat reſecare cenſura. Sed quod ad nos attinet,cura peruigili per vos,Deo propitio,deſideramus impleri: quia nullum volumus aut non reddita ratione conuerti, aut ſic rectam viam fidei profiteri, vt ſibi à Principe aliquid ſine doctrinæ remedio cauſetur imponi. A B

DE MITTENDO ROMAM DOROTHEO EPISC. THESSAL.

Hæc igitur ſuggeſtione veſtræ ſupplicationis peragite,vt Theſſalonicenſis Epiſcopus, qui ſub interrogationis obtentu Eccleſiaſticam pacem protracto in longum nititur diſſipare negotio, quoniam à vobis ſuſcipere noluit, à Principe ad Vrbem directus, ab Apoſtolica percipiat ſede doctrinam; & quicquid ſibi dubium putet,huc veniens, præſenti à nobis inquiſitione condiſcat: ſic enim probare poteſt,ſe Catholicæ profeſſionis ſeruare cautelam,non malitiosè concepta vindicare certamina: ſciat nos paratos eſſe,& bene inquirentes inſtruere, & errantes ad fidei rectum tramitem ſcientia duce reuocare. quia ſi dubitans paratam non vult experiri doctrinam, nec rurſus in ſimplicitate cordis, quæ pacis & religionis cauſa iubentur, admittere; in aperto eſt, qua mente vel Dei noſtri præceptis obſiſtat,vel Orthodoxi Principis exempla contemnat. C

HORMISDA IVBET CVRARI VT ARISTIDES ROMAM VENIAT.

In hac ergo parte totus ſuggeſtionis veſtræ actus immineat: quia nec illi alia poſſunt ratione ſaluari,& incitatæ plebis ſub hac melius moderatione cauſa ſedatur. Cum quo etiam Ariſtidem preſbyterum clementiſſimus Princeps ad nos venire præcipiat: quia(ſicut præfati ſumus) omnes,quorum pax Eccleſiaſtica ambiguitate diuiditur,ſimul ac communionem noſtram,depulſa mali erroris ægritudine, Catholicæ ſcientiæ cupimus ſentire medicinam. Præterea mox vt præſentia vos contigerit ſcripta ſuſcipere, debebitis ad nos de veſtris aliquem deſtinare cum relatione,quæ vniuerſa contineat; vnde his quæ geſta ſunt, vel geruntur, ſolicitudinem noſtrã releuare debeatis. Datarium quoque litteris veſtris adiungite, ne vobis portitoris tarditas poſſit aſcribi. Data tertio Idus Octobris,Eutharico V.C.Conſule.] Vt autem rem magis perſpectam habeas,Ioannem iſtum, quem Theſſalonicenſes ignominia atq; vulneribus appetiuere, fuiſſe vnum ex Apoſtolicæ ſedis legatis Epiſcopum, ex reliquorũ legatorum relatione intelliges. Quo enim à pacis auctoribus ſenſit ſe diabolus è regno ſuo,cui dominabatur perfidus,ſpoliari, eo vehementiùs in ipſos per ſuos miniſtros inſaniit. At quomodo re vera ipſa facta graſſatio ſe habuerit, qui remanſerunt reliqui Conſtantinopoli legati Apoſtolicæ ſedis, ne deeſſent officio,nunciauere Romano Pontifici,licet tardiùs eorum Romam perlata epiſtola fuerit, nempe quarto Kal. Decembris: quæ cùm exactè omnia contineat, neceſſariò hîc deſcribenda eſt; cuius ſic ſe habet titulus [a]: D

[a] *Extat to. 1. epi. Rom. Põt. in Hormiſd.*

Suggeſtio Germani Epiſcopi, Felicis & Dioſcori diaconorum,& Blandi preſbyteri.] ipſa verò relatio eſt huiuſmodi:

RELATIO LEGATORVM DE REBVS THESSALONIC.

Magna miſericordia Dei eſt,& inæſtimabilia eius iudicia,qui nihil occultum dimittit,vt probetur vniuſcuiuſque conſcientia. Dorotheus Theſſalonicenſis Epiſcopus non nouus apparuit,nec ad præſens factus, ſed ſe demonſtrauit quem olim vera prædicabat opinio. Iſte ſemper in malis deſideriis ſuis inuolutus, data occaſione exercuit, quòd contra fidem Catholicam ſemper parturiebat ſcelus. In aliis litteris ſignificauimus beatitudini veſtræ, quo ordine tranſeuntes Theſſalonica, libellos non potuimus ſuſcipere. Erat tamen conſtitutum, poſt ordinationem ſanctæ Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ, vnum ex nobis ad ipſum dirigere: quia hoc ſperabat prædictus, vt vnus ex nobis poſt ſuſceptos libellos cum ipſo Miſſas celebraret, quaſi teſtimonio habens in generalitate ſe ad vnitatem ſedis Apoſtolicæ eſſe coniunctum. Etſi tardè, factum eſt tamen: & venerabilem Ioannem Epiſcopum ad ipſum dirigentes, directus eſt cum ipſo & communi electione Epiphanius preſbyter: Germanus venerabilis & illuſtris Epiſcopus erat cum eis, & Licinius Comes Scholæ ex ordinatione clementiſſimi Imperatoris. E

DE IOANNE LEGATO

Qui Licinius tamen cùm priùs pro alia cauſa eſſet Theſſalonicam directus, congregata

Synodo

A Synodo de parœcia Ecclesiæ Thessalonicensis, ibi est inuentus, expectans secundùm promissionem vnum ex nobis. Voluerunt, ipso præsente, libellos facere & subscribere; quod factum est: signauit ipsos libellos prædictus vir, & veniens Constantinopolim factum nunciauit. Dicebatur nobis ab Apocrisario Dorothei: Iubete dirigere qui libellos suscipiat. Deliberatum est (sicut prædiximus) venerabilem Ioannem Episcopum ambulare, vt haberet testimonium subscriptionis illorum. Rogauimus piissimum Imperatorem, vt comes Licinius ambularet cum eo: quod & factum est.

PRIMVS CONGRESSVS HAVD PACIFICVS.

Et quia peruenerunt in ciuitatem, nunciatum est Dorotheo per Comitem Licinium, præ-
B sentiam adesse nostrorum. Qui direxit Aristidem presbyterum cum aliis duobus Episcopis (quos solos sciebat aduersarios esse negotij) vt nostros videret: cum quibus voluerunt facere primum certamen de libellis, dicentes: Sunt capitula quæ debent emendari. Dixerunt nostri, non esse in potestate ipsorum hoc facere: Si vultis facere, Deo gratias. si non vultis facere; venimus, salutauimus vos, perambulabimus. Discesserunt post ista verba.

QVAE IN LEGATOS POPVLVS THESSAL.

Ad aliam diem conuenerunt, iterum ista loquentes: & antequam propositionem verborum fecissent, ibi non est intentio generata, non iniuria secuta est: subitò populus insanus irruit super ipsum, & duos pueros occiderunt Episcopi; caput etiam fregerũt Episcopo in duabus partibus, & renes eius dissipauerunt: & nisi misericordia Dei & defensio S. Marci basilicæ eruisset eos de manibus eorum, ibi perierant: liberati sunt tamen (quomodo dicitur) quia manus publica superuenit, quæ eos eruere potuit. Ista & istorum concinnamẽta Dorothei malitia fabricauit; qui ante biduum quàm peruenirent nostri Thessalonicam, super duo millia baptizauit: Sacramenta tanta erogauit in populo, quæ possint ipsis ad tempora
C sufficere; significans plebi, quia fides recta mutatur.] sic illos præmuniens, ne communionem acciperent ab externis, ac baptizarentur in alia fide. vnde iure subiicitur:

DE POPVLO A DOROTHEO CONCITATO.

Ista quomodo non habuerant excitare populum? Ista quem non inuitabant ad seditionem? Post hoc, ipsum libellum, quem fecerat cum Episcopis, ante populum scidit, dicens: Ego istud vsque ad mortem meam nunquam facio, nec facientibus consentio. Occiderunt & hominem * venerabilem Catholicũ, qui nos venientes susceperat in domo sua, qui semper separatus fuit à communione Dorothei propter Synodum Chalcedonensem: in quo talem mortem exercuerunt, qualem illi qui sanctum Proterium occiderũt. Ista ad clementissimum Imperatorem peruenerunt, & propè in tota ciuitate Catholicus luctus est propter talia quæ contigerunt scelera. Promittit sancta clementia vindicare, & citare Dorotheum: quia nos contestati sumus pietatem eius, dicentes: Nulla ratione Dorotheum inter Episcopos, aut in communione sedis Apostolicæ potest beatissimus Papa recipere: & contra qui
D voluerint eum in sua cõmunione recipere, scire se esse reos auctoritate Ecclesiastica. Ista ad notitiam beatitudinis vestræ festinauimus referre, vt nihil vos lateat, quod in istis partibus agitur. Accepta quarto Kalendas Decembris, Eutharico Consule.]

* Ioannem

DE IOANNE AB HAERETICIS NECATO.

Post has autem aliæ ab iisdem legatis redditæ sunt de rebus item Thessalonicensibus ad Hormisdã litterę, quibus significabatur, iussu Imperatoris Dorotheum eius ciuitatis Episcopum malorũ omnium instigatorem & auctorẽ, ductum Constantinopolim. Quibus acceptis Hormisda litteris, de ordinando alio Thessalonicensis Ecclesiæ Episcopo, ad eos rescribens, dat in mandatis. epistola autẽ quæ ab eo data est hoc anno III. Non. Dec. ita se habet[a]:

[a] *Hormisd. epist. 57.*

Grauiter nos Ioannis Catholici afflixit interitus, quem hæretici Dorothei vesania perhibetis extinctum.] Ioannes quidem vocabatur Catholicus hospes, qui legatos receperat; ne putes Ioannem Episcopum extinctum, quem superuixisse ex multis constat. Sed pergit
E Hormisda: Nam eumdem Dorotheum Constantinopolim iussu Principis didicimus euocatum. Aduersus quem domino & filio nostro clementissimo Principi debetis insistere, ne in eamdem ciuitatem denuò reuertatur; sed Episcopatus, quem numquam benè gessit, honore deposito, ab eodẽ loco ac Ecclesia longiùs relegetur, vel certè huc ad Vrbem sub prosecutione congrua dirigatur. Ad hanc etiam partem euigilare debetis, ne in locum eius Aristides totius mali incentor & cõscius quibuslibet subreptionibus ordinetur: Nam nulli prodest mutari personam, si eiusdem forma nequitiæ perseueret. sed talem virum debetis eligere, vt de iudicio vestro cuncta Catholicorum congregatio gratuletur.] hæc de his Hormisda. subiicit autem iisdem litteris causam Thomæ & Nicostrati Episcoporum, qui petebant in sedes suas, è quibus eiecti fuerant, restitui. Pro Elia etiam Episcopo Cæsareæ Cappa-

QVAE DECERNAT HORMISDA IN CAVSA THESSAL.

dociæ æquè sede pulso idẽ Pontifex ad diuersos litteras[b] dedit, nempe ad Ioannẽ Constantinopolitanum Episcopum, ad Iustinum Augustum & Euphemiam Augustam, ad Iustinia-

[b] *Hormisd. epist. 47. 48. 49. 50. 51. 52. 53. 54. 55.*

num atque Germanum viros clariſſimos, in primis verò ad ipſos Apoſtolicæ ſedis legatos. A
At quomodo tantum nefas in legatum Apoſtolicæ ſedis eumdemque Epiſcopum perpetratum, corrumpendo Iudices auro, Epiſcopi qui vocati ſunt Conſtantinopolim, excuſare conati ſunt Dorotheus atque collegæ: audi ex indiculo ſcripto à Ioanne Apoſtolicæ ſedis legato, vel (vt præ ſe fert titulus) ab Epiphanio preſbytero, qui cum eodem Ioanne Epiſcopo Theſſalonicam miſſus fuit: eſt enim eiuſmodi ipſius inſcriptio[a]:

[a] *Extat to. 1. epi. Rom Pōt. in Hormiſd.*

Indiculus qui directus eſt à Ioanne Epiſcopo, vel ab Epiphanio preſbytero de Theſſalonica.] Vel, pro, Et, ſæpe in his epiſtolis vſurpatum inuenies; vt ſcias ab vtroque indiculum datum, qui ſic ſe habet:

RELATIO EPIPHANII VEL IOANNIS DE SCHELERE THESSALONIC.

Si pro peccatis noſtris iſti, qui hinc abducti ſunt Epiſcopi, Conſtantinopolim fuerint ingreſſi: non dicamus quòd Imperatorem viſuri ſunt modis omnibus, ſed quòd & ſuis locis reſtituentur. Tantas enim pecunias ſecum detulerunt, vt non homines, ſed poſſint Angelos excæcare. Si ergo (quod abſit) ingreſſi fuerint: tanta falſa per noſtram abſentiam dicturi ſunt, quanta poteſt diabolus inuenire. Nam ſi hîc in conſpectu noſtro plura tentauerunt, & Domino nobiſcum ſtante confuſi ſunt: quanta facient per abſentiam noſtri? Vt ergo eorum poſſit diſſipari malignitas, iubete nobis præſentibus, ſi ad audientiam pro peccatis ventum fuerit, vt conſtet apud homines non immeritò mortuos eſſe, & illos patrocinio pecuniæ laborare. Nos enim eos in omnibus in conſpectu Senatus conuincere poſſumus, quòd hæretici perfecti ſunt: tunc demum eorum poteſt monſtrari fallacia. B

Item dicendum: Si hæretici non ſunt; quomodo ante duas hebdomodas quàm nos veniſſemus, ſtatuerunt omnes in vnum Epiſcopi, ne quis Miſſas foras ciuitatem teneret? ſed hinc omnes, vt & multitudo eſſet futuræ ſeditioni congregata, & doceri poſſet ſecundùm errores eorum. Qui poſtquam ſenſerunt nos veniſſe, publicè prædicauerunt, feſtinandum C
eſſe cum paruulis; ne perſecutione veniente, Pagani morerentur infantes: & tunc velut ad alterum Paſcha tantos baptizauerunt, vt conſuetam feſtiuitatem ſuperarent.

EXCVSATIONE CARERE SCELVS PERPETRATVM AB HAERETICIS.

Item dicendum: Si hæretici non ſunt, quomodo tanta ſacramenta confecerunt, vt caniſtra plena omnibus erogarent; ne imminente (ſicut dicebant) perſecutione, communicare non poſſent?] Fecerunt iſti, quod ſciebant à maioribus factum perſecutionum temporibus, quando accepta ſacramenta domum ferebant, quòd ad eccleſiam pergere non liceret, ſumentes eadem domi. Sed ſubdunt: Item ſi hæretici non ſunt, poſtea quare accuſati ſunt Geſtis à Candido viro ſublimi Vicario Magiſtri militum prætorianorū in iudicio Præfectorum? Et ſi maturum periculum cognoſcerent affuturum: quare denuò tamquam damnandi, velint ſubuenire iterum paruulis cupientes; tanta rurſum & confutati exercuerunt baptiſmata, vt verè cunctis ſe hæreticos oſtendiſſent: ad quam rem ſatis & magnifica po- D
teſtas Præfectorum grauiſſimè indignata eſt.

Item ſi hæretici non ſunt: quomodo cùm in baptiſterio abſconditi eſſemus, conſilium inter ſe habitum per noctem, veluti de periculo liberare nos volentes, in naui mittere voluerunt, vt hac occaſione mari præcipites darent? Cumque nos reſpondiſſemus per Demetrium & Andream diaconos: Omnes, nos apud vos eſſe, cognoſcunt; quomodo per noctem nauigare poſſumus? Sed ſi vos verè pro noſtra ſalute conſuluiſtis, craſtina die ſecretè quinque vel ſex Senatores, qui periculum ſubſtantiæ vel ſalutis ſuæ metuunt, vnà cum Magiſtri militum Vicario Candido Comite iubete aduocare: cognoſcant & ipſi vbi transferimur, & facimus quod iubent. Sin autem ſoli, ſecretim; hoc non facimus. Tunc illi non inuenientes effectum, ad horam tacuerunt, & alia die iterum ſeditionem populi commouerunt: vnde vix, Deo volente, euaſimus.] hactenus quæ ſuperſunt libelli, qui mutilus videri poteſt, E
cùm in eo nihil de perpetratis cædibus habeatur. Miſſus autem eſt ipſe libellus ab ipſis legatis Ioanne & Epiphanio adhuc Theſſalonicæ commorantibus, cùm Epiſcopus Theſſalonicenſis cum collegis ſibi ſubditis proficiſci Conſtantinopolim iuſſi ſunt, & confarcinati (vt audiſti) auro expugnaturi iuſtitiam perrexerunt.

DETESTATIO OPPRESSAE IVSTITIAE.

At quídnam? potuítne ſub clementiſſimi & veri amantiſſimi Principis miniſtris, in re adeò nefaria, cunctis nota, ab omnibus deplorata Catholicis & declamata Fidelibus, locum inuenire ſubreptio, & ad Iudicum corruptelam viam facere ſibi aurum? Hic planè, hîc illud opportunè exclamandum: Quid non mortalia pectora cogis auri ſacra fames?] Proh pudor! ſub eo qui à iuſtitia nomen accepit, Iuſtino Imperatore, & rerum ſummam adminiſtrante illo, qui itidem à iuſtitia nomen deducit, Iuſtiniano, potuit iuſtitia obrui auro, aureiſq; compedibus vincta detrudi in barathrum veritas? Proh ſcelus! inultum relinqui valuit horren-

A horrendum facinus, in Episcopum, eumdemque Apostolicæ sedis legatum, atque in Ioannem legatorum hospitem perpetratum, clamante præsertim Hormisda ab Occidente, & collegis legatis proximè lacrymis interpellantibus Imperatorem? At quid actum? languens pedibus, manibusque infirma auro corrupta progressa vindicta, composito ad seueritatem vultu, Theodorum Thessalonicensem Episcopum, qui amandandus erat in Oasim, in proximam ciuitatem relegat Heracleam; vbi paucis diebus detentum absque alia pœna carnificem ad suam Ecclesiam redire concessit. Habes hæc quidem ex relatione reliquorum legatorum Constantinopoli commorantium ad Hormisdam Pontificem verbis istis cõscripta [a], cùm Ioannes Episcopus legatus Thessalonicæ detineretur infirmus:

[a] *Extat ep. 1. epi. Rom Pont. inter epist. Hormisd.*

RELATIO LEGATOR. DE REBVS DOROTHEI THESSALONIC. EPISC.

Suggestio Germani Episcopi, Felicis & Dioscori diaconorum, & Blandi presbyteri.

Reuerenda vestri Apostolatus alloquia per filios vestros Leonem atque Eulogium desi-
B derabili hilaritate suscepimus; quorũ prius præceptum, cur quæ Thessalonicæ contigerunt, non insinuauimus, arguebat. Sed longè ante eius aduentum, occasione comparata, curauimus significare quæcũque vel rumore venientium, vel eorum qui pertulerant scriptis, quorum exempla subter adiunximus, vel piissimi Principis narratione comperimus. Secuta est vindictæ promissio: adeò vt Dorotheus Thessalonicensis Episcopus ad Heracleam deduceretur ciuitatem, donec causa terminum reperiret. Inter hæc, secundùm ea quæ præcepistis, auctoritatem Apostolatus vestri Principi insinuare curauimus, vt ad percipiendam doctrinam Catholicæ puritatis, Romam præfatus Dorotheus vnà cum Aristide mitteretur. Qui respondit, causam non esse, pro qua Romam delegarentur audiendi, vbi sine accusatorum controuersia sese possent liberiùs excusare. Sed repentè, dum hæc geruntur, ab Herachensi (quantum agnouimus) in qua tenebatur, dimissus est ciuitate: quam ob causam,
C vel qua ratione, aut conditione, vel quibus agentibus, ignoramus.] hæc de Dorotheo. pergunt legati de anni sequentis Paschali calculo, dicentes:

DE PASCHALI DIE IDEM OMNIVM CONSENSVS.

De Paschali die, vestra beatitudo cognoscat, concordare Orientalium cum Apostolica sede sententiam, vt decimotertio Kalendarum Maiarum die festiuitas celebrãda speretur, sicut Ioannis quoque Constantinopolitani Antistitis relatione clarebit. Superest, vt orationis beatitudinis vestræ adminiculo celeriter (sicut cupimus) vestris mereamur præsentari vestigiis.] hactenus legatorum relatio. Quæ autem secuta sint in causa eiusdem Thessalonicensis Episcopi, sequenti anno (vt tempus postulat) referemus.

SEVERVS PVLSVS ANTIOCHIA.

At quæ sunt anni huius reliqua, his coniungamus. Hoc namque anno (vt ex supputatione Euagrij satis perspicuè colligitur) in impium illum atque nefarium Seuerum Antiochenum pseudoepiscopum totius Orientis depopulatorem lata est ab Imp. sententia, vt damnati in
D Synodis sæpe hominis lingua, qua Deum iugiter blasphemabat, præcideretur. At nefarius impostor meritas pœnas fuga vitauit: licet aliter Euagrij sonent verba, dum ait [b]: Seuerus mandato Iustini, primo regni sui anno, prehensus pœnas dat, lingua (vt nõnulli prædicant) abscissa.] dicendum potius, ipsum accepisse de abscindenda lingua sententiam: quod irrogatũ sententia supplicium fuga vitauit, vt ex eiusdem Euagrij verbis, quæ mox subdit, appareret, necnon ex Liberato Diacono. pergit enim ita Euagrius: Quod negotium datũ fuit Ireneo, qui magistratum quemdam Antiochiæ in Oriente id temporis administrauit. Confirmat quoque Seuerus ipse, supplicij ei irrogandi negotium Irenæo commissum, in litteris quas scripsit ad Antiochenos; modumque fugæ suæ exponit: in quibus quoque Irenæum grauissimis vexat conuiciis, eumque diligentissimè obseruasse ait, ne Antiochia euolaret.

[b] *Euag. hist. lib. 4. c. 4.*

Sunt qui dicunt, Vitalianum *Magistrum militum, de quo sæpe superiùs* (ad id enim tempo-
E ris videbatur maximè auctoritate & gratia apud Iustinum valere) linguam Seueri ideo postulasse, quòd Seuerus in suis concionibus probra & contumelias in eum iecerat. Ex sua verò Episcopali sede fugit Gorpiæo mense, quem Latini Septembrem vocant, anno quingentesimo sexagesimo septimo post nomen vrbi Antiochiæ impositum.] est hic præsens annus ex eiusdem auctoris sententia, dum agens de Iustini Imperatoris ingressu, numerat [c] quingentesimum sexagesimum sextum Antiochiæ nominis annum. ac proinde vbi dicit id primo Iustini anno factum, cõstat ipsum quidem exactum numerasse annum, cùm ipsius sententia liqueat id accidisse secundo ipsius Principis inchoato. Subdit verò idem Euagrius: In eius sedem successit Paulus: cui dabatur mandatum, vt Concilium Chalcedonense palàm prædicaret. Qui sua sponte decedens Antiochia, certo iam vitæ cursu confecto, commune vniuersæ carnis iter ingreditur.] hæc Euagrius, ex quo alij eadem acceperunt.

[c] *Euag. lib. 4. c. 1.*

Mandatum erat Imperatoris, vt qui prædicare renuerent Chalcedonense Concilium, è

suis sedibus pellerentur. Ante Seuerum autem eiusdē iussu Imperatoris damnatum, eadem A
ex causa eiectum fuisse Iulianum Episcopum Alicarnassēum, Liberatus [a] Diaconus agens &
de Seueri fuga narrat his verbis: Iam enim ab ipso Imperatore Iulianus Alicarnassēus Epi-
scopus pro eadē sancta Synodo, eo quòd eam non reciperet, pulsus fuerat sede. Quod sciens
Seuerus, & præuidens quid sibi immineret, clam nocte descendit Seleuciam, & nauem con-
scendens, fugit Alexandriam, ad quam ciuitatem & Iulianus fugerat.] hæc Liberatus.

[a] Liberat. in Breu. c. 19. tom. 2. Conc.

IVLIANVS ET SEVERVS FVGIVNT ALEXAND.

Porrò iidem nefandissimi hæretici Alexandriam fugientes, inuenerunt ibi defunctū suum
ipsorum collegam impietatis Dioscorum Iuniorem, cùm iam annos tres sedem illam occu-
passet; subrogatumq; in locum eius ab hæreticis Timotheum æquè hæreticum, à quo ambo
suscepti sunt. Haud enim eo statu res erant Alexandrinæ, vt eis sicut aliis Iustinus Imp. fa-
cilè mederi potuisset, populo ipso pariter cum suis Episcopis in hæresim captiuo deducto,
cui patrocinari etiam magno cum vitæ discrimine parati essent. Illud namque ciuium ani- B
mis infixerant seductores, Chalcedonense Concilium fuisse Nestorianorum conuentum,
ab eoque destrui quæcunque ipsorum Pater S. Cyrillus contra Nestorianam hæresim con-
scripsisset: Sed & Seniorem Dioscorum ipsorum Antistitem, non alium quàm Cyrilli scri-
ptorum defensorem se exhibuisse. His igitur & aliis huiuscemodi dolosis artibus, calūniis,
atque mendaciis execrandi impostores illi populum adeò dementarunt, vt planè se obse-
quium præstare Deo putarent, si aduersus fidem Catholicam fortes immobilesque consi-
sterent, & eam etiam vitæ dispendio oppugnarent. Sic itaque defensione tumultuantis po-
puli, qui illuc confugiebant hæretici, securi degere videbantur: magno namque periculo ab
Imperatoribus perturbari Alexandrinos, exempla plurima docuere.

MISERANDVS STATVS ECCLESIAE ALEXAND.

Sed quódnam nouum portentum his diebus talium commercio Ægyptus prodidit, au-
di à Liberato Diacono [b]: Sub isto, inquit, Timotheo de corruptibili & incorruptibili apud C
ipsam Ecclesiam quæstio mota est hoc modo: Requisiuit quidam monachus Seuerum, quid
oporteret dicere, Corpus Domini nostri Iesu Christi corruptibile, an incorruptibile. Ille re-
spondit, sanctos Patres corruptibile illud dixisse. Hæc audientes quidam Alexandrinorum,
cùm requisissent Iulianum in alio loco sedentem, quid ipse diceret de eadem quæstione: il-
le dixit, sanctos Patres contraria dicere. Horum itaque singuli statuere proprium respōsum
volentes, scripserunt libros aduersus alterutrum: qui venientes in multitudine ciuitatis, Ec-
clesiam illam diuiserunt, & alios quidem fecerunt Corrupticolas appellari, verùm incorru-
ptibilitatis assertores Phantasiastas. Timotheus verò magis sententiam Seueri secutus est.
Cui cùm diceret Themistius diaconus eius: Si corpus Christi corruptibile est, debemus eum
dicere & aliqua ignorasse, sicut de Lazaro. Hoc Timotheus negauit dicēdum: à cuius com-
munione Themistius discedēs, schisma fecit, & ab ipso dicti sunt in Ægypto Themistiani.] D
hucusque Liberatus. Ita planè accidere consueuit, vt deuiantes semel à recto tramite fidei
Orthodoxæ, per errorum abrupta ferantur infelices hæretici inter se ipsos sententiarum
contrarietate discissi, cùm cuique liberum esse vident quicquid velit astruere: qui & pru-
rigine gloriæ iugiter exagitati, nouum semper quid excogitare laborāt, ex quo nomen nan-
cisci queant de secta primarium, dedignantes hæretici simpliciter nominari & veluti gre-
gales milites dici, appetentes nomen hæresiarchæ. Agit de iisdem Leontius Scholiasticus [c]:
reliqua autem, quæ ad hæc spectant, suis dicentur locis.

[b] Liberat. in Breu. c. 19.

NOVAE HAERESES ORTAE IN AEGYPTO.

HAERETICI THEMISTIANI.

[c] Leont. de sect. Act. 5.

IESV CHRISTI ANNVS 520. HORMISDÆ PAP. ANNVS 7. IVSTINI IMP. 3. THEODORICI REG. 28. E

QVingentesimus atque vigesimus Christi annus Rustico & Vitaliano Consulibus signa-
tus habetur, quorum Rusticus in Occidente, Vitalianus verò in Oriente creatus est,
sed infelici exitu: suo enim Consulatu suum consignauit interitum; de quo ita Marcelli-
nus Comes in Chronico: Vitalianus mense Consulatus sui septimo, decemseptem vulne-
ribus confossus in Palatio, cum Cleriano & Paulo satellitibus interemptus est.] luit pœnas
de patrocinio Eutychianis monachis præstito aduersus Apostolicæ sedis legatos, vt anno su-
periori fusiùs dictū est: quod enim & ipse genere Scytha esset atque affinis Leontio Scythæ
monacho, fauit iisdem Scythiæ monachis aduersus ipsos Apostolicæ sedis legatos. De eius-
dem interitu agens Euagrius, sic ait [d]: Consul factus, cùm in Palatio versaretur in porta
quadam post aulam posita, per dolum cæsus occubuit: hasq; pœnas pro sceleribus, quæ tam

VITALIANI CONSVLIS OBITVS.

[d] Euag. lib. 4. c. 3.

incon-

A inconsideratè contra Imperium Romanum consciuerat, persoluit.] hæc ipse, planè alludens ad res ab eo gestas contra Anastasium Imperatorem; pro quibus sanè summa laude dignus habendus erat, si quæ fecit, non regnandi animo, sed rectæ religionis intuitu præstitisset, vt superiùs demonstratum est: vt planè satis perspicuè fuerit patefactum, rectè facta si recta careant intentione, minimè solere consequi rectum finem. sed de his satis.

IVSTINVS IMP. QVAESTIONES DE FIDE REFERT AD HORMISD.

Quod ad res Ecclesiasticas spectat: eadem ipsa quæ ante annum à Iustino Imperatore cœpta sunt Constantinopoli de restituenda pace atque concordia Orientalis Ecclesiæ, ab eodem, vt ad optatum finem vbique perducerentur, infatigabili studio laboratum est, prout scriptæ ab eo hoc anno ad Hormisdam Romanum Pontificem epistolæ docent, de quibus singulis ordine temporis agendum. Cùm igitur qui extra Ecclesiam hactenus in castris hostilibus militarant Episcopi, ad vnitatem Catholicæ Ecclesiæ se velle redire significarent, li-
B bellos obtulerunt ipsi Iustino Imperatori, petentes, vt de his quæ ad fidem spectãt, quæstiones aliquæ soluerentur, ne quis dubitationis scrupulus eorum mentibus insideret. His acceptis Imperator, probè sciens non esse sæcularium Principum de fide soluere quæstiones, sed primarij qui Ecclesiæ Catholicæ præsideret Antistitis, easdem ad Hormisdam Papam soluendas misit, has ad eum litteras scribens mense Ianuario[a]:

[a] *Extant inter literas Hormisd. Pap. tom. 1. epist. Rom Pont.*

Iustinus Augustus Hormisdæ Papæ.

IVSTINVS AD HORMISD. DE EPISCOPORVM QVAESTIONIBVS

Quanto flagramus studio pro colligendis concordia sacratissimis Ecclesiis, iamdudũ nos palàm fecisse dignoscitur: qui & ab ineunte nostro Imperio sanctitudinem vestram admonendam duximus, quo certos dirigeret, vt interuentu eorum, remedium aliquod his rebus inueniri possit. Et antequam aduenerint qui destinati sunt, cuncta præparauimus, quò faciliùs transigerentur, quæ per hanc florentissimam vrbem disponenda fuerant. Verùm quo-
C niam preces nostro numini porrectæ sunt ex diuersis Eois prouinciis, certa quædam differentibus pro fide Catholica, secretaque suæ mentis declarantibus, quæ apud se pro indiuidua Trinitate constituta testantur, quæq; firmiter sese recepturos ostenditur*: hisque relectis, Dioscorus aliqua asseruit non conuenienti ordine inserta fuisse: meritò duximus aperienda vobis ea, quæ sumus edocti. Non multo itaque pòst à nobis quidam destinabitur ad certiorem faciendam beatitudinem tuam super omnibus, & insinuandas vobis supplicationes, quæ nobis oblatæ sunt, & responsum pietatis vestræ referendum, quò possint resecari tandem dubitationes incongruæ. Securi igitur de nostro consilio, solicitis orationibus placare nobis Diuinitatem summam dignemini. Data decimoquarto Kal. Februarij, Constantinopoli, Vitaliano & Rustico Coss.] qua die etiam datæ extant nouissimæ Ioannis Con-
D stantinopolitani litteræ de Paschali solemnitate hoc anno celebranda decimotertio Kal. Maij. Quænam autem essent quæstiones illæ, de quibus Iustinus Imp. Hormisdam consuluit, ex aliis eiusdem Augusti litteris ad eumdem Pontificem datis in fine huius anni patebunt: ad illud enim vsque tempus dilata est Imperatoris legatio, quam se in recitatis litteris ad ipsum fore missurum pollicetur.

* ostendunt

At non Imperator tantùm, sed & Iustinianus vir clarissimus Comes Domesticorũ eodem argumento ad ipsum Hormisdam litteras[b] dedit, ab eodem propositarũ quæstionum expetens Apostolicam definitionem. Quibus acceptis Summus Pontifex, in his quas ad ipsum litteras reddidit, rem breuiter attingẽs, pollicetur pleniùs se ipsi eo tempore satisfacturum, cùm per legatum ab Imp. Romam mittendum res omnes magis accuratè expressas acceperit: interim verò has breues ad ipsum litteras rescripsit, quas hîc tibi legẽdas proponimus[c]:

[b] *Extant inter Hormisd. epist.*

[c] *Hormisd. epist. 74.*

Hormisda Iustiniano viro illustri.

HORMISD. AD IVSTINIANVM EPIST.

E Quod celsitudo vestra animi circa me sui beneuolentiam dignatur ostendere, facitis rem Deo placitam & rectæ conscientiæ congruentem. Sed si non parua sunt nobis huius emolumenta proposita: maior in vos fructus de tali bonitate reuertitur. Neque enim vacua honorificentia est, quæ defertur Antistiti: Indubitatum siquidem est, quia honor ministri, cultus est domini; & qui personam sacerdotis magni habet, maiorem remunerationem ab eo, cui sacerdos famulatur, accipiet; dicente Domino Iesu, iis qui Prophetas in honore susci-
piunt[d], suam mercedem esse reddendam. Et apud me quidem magni est gratia vestra momenti, eo tamen pretiosior; quia quicquid mihi gratiæ dignanter impenditis, in Ecclesiarum defensione monstratis.

[d] *Matt. 10.*

Sed vt ad id quod celsitudo vestra desiderat, noster sermo dirigatur: quamquam & clementissimus Imperator & vos promittatis legationem esse venturam; & id cum ratione conuenerit, vt eorum qui dirigẽdi sunt, super omnibus nos docuerit expectare præsentiam:

tamen

tamen quia gratum nobis est studium, quod circa religionem vos habere declaraſtis, non grauat prælibare, dicendo: Non opus, vt ſtabilitatem fidei veſtræ intentionis potiùs quàm rationis ſequaces procaci verborum nouitate confundant. Sancta Trinitas Pater & Filius & Spiritus ſanctus vnus eſt Deus: hanc Iſrael iuſſus adorare: cuius inſeparabilis & indiſcreta *distinctione ſubſtantia non poteſt diuidi, non poteſt ſacrilega diuiſione* ſeparari, ſeruata tamen proprietate ſua vnicuique perſonæ.] hæc ad explodendam Scytharum monachorum arrogantiam, aſſerentium non dicendum vnam perſonam de Trinitate in carne crucifixam, ſed vnum de Trinitate id præſtitiſſe, vt ſuperiùs viſum eſt. Sed ad poſtremum his verbis epiſtolam claudit Hormiſda: Hæc interim commendanda fidei veſtræ, epiſtolaris ſtyli terminum cogitantes, congrua credimus breuitate ſufficere, pleniùs diſſerenda, cum florente Imperio clementiſſimi Principis promiſſam legationē & nos ſuſcipere, Deo propitiante, contigerit, & cognitis omnibus, cum adiutorio Dei noſtri reſponſo reddito pro vniuerſitatis informatione remittere.] hactenus ad Iuſtinianum Hormiſdæ epiſtola, quam cùm conſtet ante miſſos Romam legatos ſcriptam eſſe, vtique hîc ſuo loco poſita eſt.

Paulo pòſt autem mori contigit ipſum Ioannem Conſtantinopolitanum Epiſcopum, vt litteræ Dioſcori legati Apoſtolici ad Hormiſdam Pontificem datæ ſignificant, quibus ineſt *Extat inter Hormiſdæ epiſt. tom. 1. epiſt. Rom. Pont. eiuſmodi titulus [a]:

DIOSCORI RELATIO DE OBITV IOANNIS, ET CREATIONE EPIPHANII.

Suggeſtio Dioſcori diaconi ad Hormiſdam Papam.

Erat optabile & voto noſtro conueniens, conſonantia præteritis annunciare, ſcilicet Pontificem Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ Ioannem eſſe ſuperſtitem, & confeſſionem libello editam: cuius merita non eſt dubium Deo placere, qui inter Catholicos & cōmunicatores ſedis Apoſtolicę meruit ad aliam ex hac vita diſcedere. In cuius locum Epiphanius quidam preſbyter Syncellus eius ſucceſſit, cuius initia bona videntur: nam rationabilia loquitur, & promittit Patrum ſe regulas ſeruaturum, pacem vnitatemq; ordinatam non diſſipare, ſed magis augere. Iſta ſunt quæ promittit: quid tamen opere poſſit implere, adhuc ignoramus. Has ſiquidem litteras, quarta poſt ordinationem eiuſdem die, reperta occaſione, tranſmiſimus. Necdum cum eo communicauimus, non quaſi reſiſtentes, ſed quia adhuc ab eo non ſumus inuitati. Supereſt, vt beatitudinis veſtræ inſiſtat oratio, quatenus diuinæ gratiæ adiutorio talis erumpat, per quem de perfecta poſſimus vnitate gaudere. Accepta ſeptimo Idus Aprilis, Ruſtico V.C. Conſule.] Numerantur ſedis Ioannis Epiſcopi Conſtantinopolitani defuncti anni tres tantùm: qui quidem Orthodoxi ſemper nomen obtinuit, licet Anaſtaſij Auguſti tempore ob ingentem perſecutionem ſiluerit.

Cùm autem electus nouus Conſtantinopolitanus Epiſcopus Epiphanius moram faceret mittendi ex more legationem ad Romanum Pontificem: exegit ab eo debitum Hormiſda Papa, has ad eumdem litteras ſcribens; quibus intelligas priſtinam conſuetudinem, qua ſolerent electi Epiſcopi legationem Romam mittere, petentes Apoſtolicæ ſedis communicationem, ad hoc, vt nomen Catholicum conſequi poſſent, & ſic totius Eccleſiæ Catholicæ Epiſcopi ipſis communicarent. Sed accipe Hormiſdæ litteras ob iura ſua dilata Epiphanium interpellantis [b]: *Hormiſd. epiſt. 68.

EXIGIT LEGATIONEM HORMISDA AB EPIPHANIO.

Hormiſda Epiphanio Conſtantinopolitano Epiſcopo.

Diu nos non nunciata tuæ primordia dignitatis tenuere ſuſpenſos, & in ipſa communis gratulatione lætitiæ mirati admodum ſumus morem priſtinum fuiſſe neglectum: quia reparata Eccleſiarum, Deo annuente, concordia, plenū fraternæ pacis id flagitabat officium: præſertim quòd illud ſibi non arrogantia perſonalis, ſed regularum obſeruantia vindicabat. Decuerat ſiquidem, frater chariſſime, te legatos ad Apoſtolicam ſedem inter ipſa tui Pontificatus initia deſtinaſſe: vt & quem tibi debeamus affectum, benè cognoſceres, & veſtræ conſuetudinis formam ritè compleres. Sed licet, his omiſſis, paginalia tantùm ſuffi- *ſtipulante cere iudicaſſes ex occaſione colloquia: nos tamen gratia ſtimulante* compulſi, interim iuſte conſtantiam expectationis abrupimus, reciproca mutuæ charitatis verba reddentes: quia & noſter animus amoris impatiens, & legatorum noſtrorum votiua relatio excluſum quod imperabat cauſa ſilentium ad officia benigna traxerunt, quibus ad præſens gaudij noſtri ſigna monſtramus, & priuatæ quodāmodo amicitiæ votiua perſoluimus.] Vides quàm caute agat Hormiſda, nempe, cùm docet ſe iſta ſcribere veluti priuatæ amicitiæ debito, non vt Antiſtitem vniuerſalis Eccleſiæ; ne videlicet non petentem videri poſſet Catholica & Apoſtolica communione impertiiſſe, quam & legatione ſolemni, & literis, more maiorum, Epiphanius tenebatur expetere. Sed pergit:

Lega-

A Legationem autem tuam & ea qua dudum gratia sustinemus,& fulti veteribus constitutis exigimus: vt quantum gaudij fructum vel de tui Pontificatus honore capiamus,vel quas tibi gratias referri conueniat pro impensis in negotio propagandæ vnitatis officiis(sicut nostrorum multipliciter astruxit legatorum narratio) euidentius exprimamus.] hæc Hormisda ad Epiphanium.

QVAE PRAESTITIT EPIPHANIVS ERGA HORMISDAM.

Qui quidem,vt par erat,non defuit officio,immo mensuram apposuit confertam,coagitatam, & supereffluentem, dum videlicet primùm litteras ad Rom. Pontificem vnà cum fidei suæ professione misit,atque post hæc tres legatos, quibus non alias suas posteriores litteras tantùm addidit, sed & à Synodo collecta Constantinopoli Synodalem epistolam per eosdem legatos dari voluit, quibus etiam & munera iunxit ad eumdem Hormisdam Pontificem perferenda. Sed antequam de his agamus, quæ tardiùs datæ,nonnisi mẽse Septem-
B bri ab Hormisda sunt acceptæ:de rebus gestis à Possessore Africano Episcopo Constantinopoli degente (de quo superiori tomo mentio facta est) deq; oborta Constantinopoli cõtroversia, quæ ad Rom. Pontificem ab ipso Possessore scripta sunt per Iustinum diaconum ad hoc missum,videamus. Ex more enim,de quæstionibus ad Catholicam fidem spectãtibus, non alium quemquam,nisi quem præsidere sciret in Ecclesia Catholica magistrũ,Possessor consulendum putauit; quod & ipse suis litteris profitetur, quarum ita se habet inscriptio[a]:

[a] *Extat inter epist. Hormis. tom. 1. epist. Rom. Pont.*

Domino beatissimo & ineffabiliter mirabili & in Christi gratia præferendo Papæ Hormisdæ Possessor Episcopus in Domino æternam salutem.

POSSESSORIS EPISC. EPIST. AD HORMISD.

Decet & expedit ad capitis recurrere medicamentum, quoties agitur de sanitate membrorum. Quis enim maiorem circa subiectos solicitudinem gerit, aut à quo magis nutan-
C tis fidei stabilitas expectanda,quàm ab eius sedis Præside, cuius primus à Christo rector audiuit[b]: Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam? Arbitror vestram beatitudinem non latere, quantis in Constantinopolitana vrbe Ecclesia laboret insidiis, & ad morem veteris morbi in saniem vulnus iterum quærat erumpere, quod obductum creditur cicatrice.] quænam ista fuerint, satis est demonstratum, nempe complures illic extare, qui fauentes Scythis monachis, per cuniculos latenter restituere conabantur Eutychianam hæresim auctam Theopaschitarum blasphemia,qua crucem diuinitati conarentur inferre. Sed præter hæc, quænam recens ibidem contentio esset oborta, idem Possessor verbis istis significat, cùm pergit.

[b] *Matt. 16.*

DE FAVSTI REGIEN. LIBRIS CONSVLTATIO.

Vnde cùm quorumdam fratrum animus de codice Fausti cuiusdam natione Galli Reginæ ciuitatis Episcopi, qui de diuersis rebus & frequentiùs de gratia Dei disertè visus est dis-
D putare, in scandalum moueretur,aliis (vt se habent humana studia) in contrarium renitentibus: me crediderunt de hoc ambiguo consulendum. Dixi quidem,ea quæ à tractatoribus pro captu proprij ingenij disputantur, non vt canonica recipi, aut ad Synodalium vicem pro lege seruari: sed habere nos certa scilicet, quæ veteri lege vel noua conscripta,& generalibus Patrum sunt decreta iudiciis ad fundamentum fidei, ac religionis integram firmitatem: hæc autem quæ Antistites diuersi conscripserunt, pro qualitate sui, sine præiudicio fidei solere censeri.

Sed cùm hæc(quantum in eorum frequenti postulatione persensimus) magis eis excusatio videretur: vel pro eorum prece,vel pro obsequij occasione reddendi Apostolatui vestro, per Iustinum diaconum meũ præsumpsi apices paruitatis meæ ingerere; quibus principaliter orationum vestrarũ munimen exposcens,quæso,vt consulentes quid de præfati auctoris dictis videatur, auctoritate Apostolicæ responsionis agnoscant: maximè quòd filij quoque
E vestri Magistri militum Vitalianus & Iustinianus præcipuè super hac re rescripto beatitudinis vestræ similiter informari desiderant.] hæc de oborta de libris Fausti quæstione Possessor. Ad hæc insuper cùm iam probandũ misisset ad eumdem Pontificem scriptum cõmentariũ in epistolas Pauli Apostoli, quòd sciret eas tantùm recipi ab Ecclesia Catholica interpretationes diuinæ Scripturæ, quas Apostolicæ sedis iudicium cõprobasset: idem Possessor ad finem epistolæ ista habet:Codicem quoque tractatuum* antehac direxisse memini,continentem B.Pauli Apostoli epistolarum explanationes;pro quo rescripto gratulari non merui: vnde simili prece deposco, vt prærogatiuam benedictionis vestræ competenti responsione merear adipisci. Accepta decimoquinto Kal. Augusti,Rustico V.C.Consule.] quando autem data fuerit, non apparet; quam ex mentione, quæ in ea fit Vitaliani, scriptam esse putamus hoc anno, antè tamen quàm ille per internecionem de medio tolleretur, quem in fine mensis Iulij, vel Augusti initio cæsum esse, quæ dicta sunt superiùs docent.

PROBANDAE MISSAE ROMAM EXPLANATIONES EPIST. PAVLI.

*tractandum

Has

Has accipiens à Possessore Episcopo litteras per Iustinum diaconũ Hormisda Papa, quòd A
nouæ quęstionis occasione videret alterius scissionis in Oriente imminere periculũ, respondere minimè prætermisit, Idibus Augusti rescribẽs ad Possessorem epistolã: qua etiam, quòd satis sciret ob Scythas Romam profectos monachos repulsos à legatis, nouæ controuersiæ causa Constantinopolitanam Ecclesiam (quod & Possessor ipse scriptis docuerat) hæreticorum insidiis laborare; primùm omnium post deplorata præsentia mala, idem Hormisda de his, quæ cum illis transacta erant, voluit per eumdem Possessorem Orientalibus innotescere. Porrò de huius certa fide epistolæ, quàm ab ipsis aduersariis monachis Scythiæ in controuersiam deductam & negatam Hormisdæ esse scimus, quòd valde per eam perstringerentur, agemus in fine ipsius: modò ipsa hîc integra reddenda erit, quæ sic se habet[a]:

[a] *Extat emendatior inter scripta Ioannis Maxētij, mendosior verò inter Hormisdæ epist.*

Hormisda Possessori Episcopo.

Sicut rationi congruit, vt consulant ambigentes; ita par est, respondere consultos: quia B
ipse impellit in errorem, qui non instruit ignorantem; nec quicquam aptius est studioso religionis, quàm inquisitio veritatis; quando facilius deuium vitat, qui iter, per quod graditur, rogat. Sed priusquam respondendi curã de his quæ dilectio tua percunctatur, aggrediar: libenter in litteris tuis fidei tuæ me fateor inuenisse feruorem, cuius calore succensus, rediuiuam in illis partibus infidelium peruersitatem vigere suspiras. Dignissimus dolor, qui dedita Deo corda contristet: nec enim est apud eos lapsus inlamentabilis, quibus est igniculus charitatis: quia vnũ spiritualium votum est salus inconcussa cunctorum. Sed non est ignota Ecclesiæ Dei de huiusmodi procellis aut insueta tempestas: & quamuis rectoris sui gubernaculo inconcussa persistat, variis tamen insurgentium fluctuum laborat vexata turbinibus. Nam vnde est Psalmidici vox Prophetæ, qui ipsius Ecclesiæ personam, Spiritu quo impellebatur, assumens[b]: Sæpe, inquit, expugnauerunt me à iuuentute mea: etenim non potue- C
runt mihi? Concutiunt, sed in nihilo prævalebũt. Adhuc in area sumus, mixta sunt frumenta cum paleis: gemunt boni consortia malorum, sed supersest flamma non necessariis, & parata sunt horrea iam probatis. Vbi terrarum non est ista permixtio? Nos fixis decet instare *vestigiis: proficiemus inter aduersantes propriis bonis, si erroribus non inuoluamur alienis. Probat enim virtutis suæ validum robur, qui cùm impellitur, non mouetur.

[b] *Psal.* 128.

*insistere

SCYTHAE MONACHI QVALES.

Vbi non variæ tentationis aculei? Quales per hunc ferè iugem annum quorumdam Scytharum, qui monachos præ se ferebant specie, non veritate, professione, non opere, subtili tectas calliditate versutias, & sub religionis obtentu famulantia odiis suis venena pertulimus, studentes eos ab interno vulnere medicabilis patientiæ moderamine sanare, B. Pauli [c] monita non tacentes: Noli verbis contendere: ad nihil enim vtile est, nisi ad subuersionem audientium. Sed quando virus, quod viscera penetrauit, euellitur? Quando corda male sibi credula veritatis obtemperant institutis? Quando induit obedientiæ humilitatem opinionibus suis vallata superbia? Quando acquiescunt paci contentionum studiis assueti, sola certamina amantes de religione captare, & mandata negligere? Numquam apud eos charitas nouo commendata præcepto, numquam pax Dominico relicta discessu; vna pertinacis cura propositi, rationi velle imperare, non credere; contemptores auctoritatum veterum, nouarum cupidi quæstionum; solam putantes scientiæ rectam viam, qualibet concepta facilitate sententiam: eousque tumoris elati, vt ad arbitrium suum vtriusque Orbis putent inclinandum esse iudicium: nec in numero Fidelium deputantes sequaces traditionis paternæ, si suæ viderint cedere nolle sententiæ: docti crimina serere, obtrectationum venena componere, integrum Ecclesiæ corpus odisse, seditiones instruere, inuidiam concitare, & pro obedientia, quæ in cœnobiis principatum regularis obtinet disciplinæ, obstinationem pertinacis amare superbiæ. D E

[c] 2. *Tim.* 2.

TVRBAS CONCITARVNT ROMAE SCYTHAE MONACHI.

Non illos potuimus monitis, non mansuetudine, non auctoritate comprimere. In publicum vsque prodiere conuentum, ad cõcursionem quietis circa Regum etiam statuas inclamãres: & nisi fidelis populi cõstantia restitisset, per diabolicæ semina nefanda zizaniæ apud illos dissensionem & discordiam cõmouissent, per quos adiutorio Dei de religione eorum est pulsa dissensio. De eis serò probauimus prophetica Apostolum [d] voce dixisse: In nouissimis diebus instare tempora periculosa, & fore homines sui tantùm amatores, habentes formam pietatis, virtutem autem eius abnegantes; itaq; esse vitandos Hæc ideo dilectioni vestræ indicanda sub occasione credidimus, ne si illuc fuerint fortè delati, ignorãtes quemadmodum se in vrbe Romana tractauerint, sub aliqua verborum simulatione deciperent.] hæc de Scythis Hormisda, quos in epistola [e] superiori anno data ad legatos Constantinopoli

[d] 1. *Tim.* 3.

[e] *Hormisd. epist.* 56. *in fin.*

poli commorantes, fugam tentasse, sed custodiri iussos fuisse (vt vidimus) tradidit. At quæ sequuntur, responsionem continent de libris Fausti Regiensis Episcopi istis verbis:

Hi verò, quos vos de Fausti cuiusdam Galli Antistitis dictis consuluisse, litteris indicastis: id sibi responsum habeant: Neque illum recipi, neque quemquam, quos in auctoritate Patrum non recipit examen Catholicæ fidei, aut Ecclesiasticæ disciplinæ ambiguitatem posse gignere, aut religiosis præiudicium comparare. Fixa sunt à Patribus, quæ Fideles sectari debeant instituta: Siue interpretatio, siue prædicatio, seu verbum populi ædificatione compositum, si cum fide recta & doctrina sana concordat, admittitur; si discordat, aboletur. DE LIBRIS FAVSTI SENTENTIA HORMISD. PAP.

Vnum est fundamentum, extra quod quælibet fabrica si consurgit, infirma est: super illud quisquis ædificat, siue vilia, siue pretiosa, consideret. Errat autem à via, qui ab eo quod Patrum electio monstrauit, exorbitat: nec tamen improbatur diligentia per multa discurrens, sed animus à veritate declinans. Sæpe de his necessaria prouidetur, de quibus ipsi æmuli conuincantur, instructio. Nec vitio dari potest, nosse quòd fugias: atque ideo non legentes incongrua in culpam veniunt, sed sequentes. Quòd si ita non esset, numquam doctor ille Gentium acquieuisset nunciare Fidelibus[a]: Omnia probate; quod bonum est, tenete. Non ab re est, etsi mundanum, non tamen à ratione discretum miscere sermonem. Fertur quidam nobilis arte pingendi, cùm equum penicillo vellet explicare, perfectũ asellum sibi proposuisse pingenti, asserens, non vt iumentum imitaretur informe, sed ne in alicuius informis lineamenti similitudinem lapsus incideret. QVOMODO LEGENDI LIBRI IMPROBATI. [a] 1. Thess. 5.

Non improuidè veneranda Patrum sapientia fideli posteritati, quæ essent Catholica dogmata, definiit; certa librorum etiam veterum in auctoritatem recipienda, sancto Spiritu instruente, præfigens: ne opinioni suæ lector indulgens, non quòd ædificationi Ecclesiasticę conueniret, sed quòd voluptas sua concepisset, assereret. Quid ergo calumniantibus opus erat, extra cõstitutos Ecclesiæ terminos porrigere quæstiones, & de his quæ habentur dicta, quasi dicta non sint, mouere certamina; cùm Christiana fides Canonicis libris, & Synodalibus præceptis, & Patrum regularibus constitutis stabili & inconcusso termino * limitetur?] inculcat hæc magna energia Hormisda, alludens ipse quidem ad censuram Gelasij Papę atque Romanę Synodi, quorum decreto scripta ipsius Fausti reiecta sunt inter apocrypha. Sed subdit: De arbitrio tamen libero & gratia Dei, quod Romana (hoc est Catholica) sequatur & assueueret Ecclesia, licet in variis libris beati Augustini, & maximè ad Hilarium & Prosperum, possit cognosci: tamen in scriniis Ecclesiasticis expressa capitula continentur: quæ si tibi desunt, & necessaria creditis, destinabimus: quamquam qui diligenter Apostoli dicta considerat, quid sequi debeat, euidenter cognoscat. Data Idibus Augusti.] hactenus Hormisdæ Papæ ad Possessorem Episcopum missa epistola, licet (vt aduersarij questi sunt) eadem facta Encyclica longè lateque per prouincias fuerit diuulgata. * tramite

Cùm verò his se litteris perurgeri vehementer sensissent Scythæ monachi, ex iis qui videbatur esse disertior, Ioannes cognomento Maxentius aduersus eamdem epistolam scripsit apologiam; in qua vt liberam dicendi sibi compararet facultatem, Hormisdæ esse negauit epistolam, ab aduersariis eius nomine scriptam affirmans. Non enim eo proteruiæ atque procaciæ peruenerant isti, vt contra epistolam Romani Pontificis auderent contentiosum funem trahere, & refractarium stylum exerere. Ex quibus intelligas, in quam profundiorem foueam prolapsi sepulti iaceant infelices hæretici nostri temporis, qui palàm publicèq; clamorosa contradictione & obstinata auersione exagitare studentes Romanos Põtifices, peccatum[b] suum vt Sodoma prædicant. Ceterùm quod ad præsentium monachorum negationem spectat; etsi modestiæ velamentum quoddam habuisse videri possint, mendaces tamen penitus cognoscuntur. Intelliget hæc perspicuè, qui reliquas omnes Hormisdæ Papæ epistolas ea in causa, eodemque argumento datas perlegerit, & quæ ab eodem sequenti anno scriptæ reperiuntur: vt planè nulla sit ratio negandi hanc epistolam esse Hormisdæ, alias verò eodem argumento ab ipso conscriptas esse ipsius asserere, cùm sicut illis, ita & istis litteris iidem monachi perstringantur. Ex connexione igitur & compaginatione rerum gestarum, sententiarum atque verborum proprietate, ex stylo & aliis pluribus signis, esse Hormisdæ, vnusquisque expendens cuncta, probè cognoscet: Illi tantùm id negauerunt, qui scripta Maxentij dumtaxat legentes, & iudicantes secundùm illa ipsum esse Catholicum, veluti pretio redimunt ad excusandum Hormisdam, ne Orthodoxorum insecutor argui possit. Verùm cùm ludificationem detegunt impostorum, in contrariam sententiam cito cursu eosdem pedibus ituros non dubitamus. VERE ESSE HORMISD. EPIST. AD POSSESSOREM. [b] Isaiæ 3.

Sed

DE RESPONSIONE MAXENTII MENDACIIS REFERTA.

Sed æquè scandalum patietur, qui legens eiusdem Maxentij pro monachis Scythiæ re- A
sponsionem, omnibus quæ ab eo dicuntur, certam fidem adhibendam esse putauit. At quis
in his existimet vel ex hoc ipsis esse credendum, qui (vt anno superiori vidimus) cùm non
essent, se monachos, monachorumq; patres esse profiterentur? quique etiam vt persuade-
rent Catholicis se esse Catholicos, pro ratione temporis & personarũ, fidei formulas habe-
rent diuersas? qui insuper mendacia apertè esse locuti, ex aliis Hormisdæ epistolis conuin-
cuntur? Cuius esse fidei eos putas, qui iisdem suis scriptis calumniati sunt Dioscorum Apo-
stolicæ sedis legatum esse Nestorianum? qui & eumdem Possessorem consulentem Apo-
stolicam sedem pariter hæreticum nominant in eadem respõsione Maxentij? Quàm etiam
turpiter idem Maxentius auctorem epistolæ ad Possessorem hæreticum fuisse mentitur?

CALVMNIAE MONSTRVOSAE MAXENTII.

At quàm manifesta illa calumnia est, qua notam eidem inurit Hormisdæ, quasi deprauatus
à Dioscoro, negarit Christum vnum de sancta Trinitate; cùm scripta ipsius extent Hormis- B
dæ, in quibus legitur expresè huius mendacij confutatio?

Sed & quàm monstruosum mendacium, quòd eadem responsione Maxentius testetur,
eumdem Dioscorum Apostolicæ sedis legatum & alios eadem cum eo sentientes sic dicere
Christum vnam esse personam in Trinitate, vt nõ fateri velint ipsum Christum esse Deum
Verbum, sed æquiuocè intelligere eos vocem personæ non pro suppositio, siue subsistentia,
sed quempiam alterum repręsentantem appellare personam? quàm enim id longè longiùs,
atque longissimè dicam, abhorreat à Dioscori legati scriptis & Hormisdæ, cuius ille loque-
batur ore, omnes quæ ipsorum reperiuntur epistolæ clamant. Demùm verò quàm patens
illud esse mendacium dicas, dum idem Maxentius in eadem responsione sugillat Hormis-
dam Pontificem, dicens aliquid humani ipsum esse passum, cùm antequam Dioscorus le-
gatus Romam rediret, ne argui posset à monachis, eos expulerit per Defensores ab Vrbe, ob C
id notam inurens Hormisdæ conniuentię hæreticæ cum Dioscoro prauitatis, quem procla-
mat apertè esse Nestorianum hæreticum: quàm inquam patens, putens, impudens q; men-
dacium id sit, litteræ[a] Hormisdæ datæ anno superiori significant, quibus tradit eos abire ius-
sos, statim vt Romam venerant; sed ipsos recusantes ob viæ periculũ, noluisse Hormisdam
eos violenter expelli, sed retinuisse: immo ipsis tentantibus postea fugam arripere, eisdem
monachis impedimento fuisse, ne fugerent; & reditum legatorum vt expectarent, custodi-
ri eos iussisse. Quàm longè igitur procul que abest, vt ipsi (vt dicebant) expulsi fuerint, qui
ne fugerent, ab Hormisda iussi sunt custodiri? Sed fugerunt vtique postea, cùm liberiores
dimissi, ea abusi licentia, publicas in publicis locis scriptas contestationes affixere.

[a] *Hormisd. epist. 63.*

Sed audi iterum hæc omnia verbis Hormisdæ testata: atque primùm repetã quæ ad Iusti-
nianũ anno superiori scripserit idẽ Hormisda Papa, cuius hæc sunt verba[b]: Significantes Scy- D
thas monachos allegasse plurima, quæ nos relinquere indiscussa non possumus; sed legato-
rum nostrorũ, Deo iuuante, festinemus aduentũ: pro qua re eosdẽ monachos in Vrbe credi-
mus retinendos, &c.] & ad legatos Apostolicos Constantinopoli cõmorantes quæ idẽ scri-
pserit, licet recitata superiùs, hîc repetẽda necessariò ducimus ad conuincendã balatronum
impudentiam foliis ficus turpem nuditatẽ obtegere frustra conãtium, dum ait[c]: Cùm nol-
lent sustinere vestræ dilectionis aduentum & obseruationũ moras se dicerent ferre nõ pos-
se: tentauerunt clàm de Vrbe discedere; quos nos faciemus solicitiùs custodiri: vt cùm re-
uersi, Deo propitio, fueritis, eorum error rationabilibus adhortationibus corrigatur.] Hæc
Hormisda: quibus perspicuè vides, quantũ à vero absit, vt (quod Maxẽtius iactat) pulsi fue-
rint; cùm ne fugã captarent, eos Pontifex solicitiùs custodiri præceperit. Factũ verò postea
est, vt iam propinquante legatorum Romam reditu, causæ diffisi homines isti, haud laturi E
ipsorum aspectum, quos Nestorianæ hæresis accusarant, opportunitatem temporis nacti,
contestationibus publicè affixis, aufugerent. Contestationes autem illas, quę ab ipsis Scythis
monachis in publicis locis affixæ fuerunt, haud alias ab iis fuisse putamus duodecim ana-
thematismis, quæ in ipsius omnium ore loquentis Maxentij scriptis adhuc extant.

[b] *Hormisd. epist. 64.*

DETEGVNTVR IMPOSTVRAE MAXENTII.

[c] *Hormisd. epist. 56.*

At quæ tanta temeritas atque procacia & prorsus effrenis audacia (rogo hæc diligẽter ex-
pende) pseudomonachorũ istorum fuit, vt cùm à sacrosancto Cõcilio Chalcedonensi vetiti
sint monachi de fide disserere, isti eiusdem Concilij in omnibus hostes & refractarij non so-
lùm de fide ausi fuerint disputare, sed & de his quæ ad eam pertinẽt sentẽtiam ferre, infer-
req; cõtradicentibus anathema? Vidisses pro monstro Maxentium monachũ se fingentem,
atq; præseferentem Catholicam fidem hæreticum, perinde ac in Pontificia sede locatum,
Orbi vniuerso de fide sancire leges, & in aduersantes quosque anathematis sententias ferre.

Si hæc

A Si hæc igitur paulo accuratiùs à doctissimo atque maximè pio viro Ioanne Cochlæo perueſtigata cognitaq; fuiſſent, nequaquam Maxentiũ inter Catholicos & defenſores Catholicæ veritatis connumeraſſet, nec improbaſſet ex eius ſententia epiſtolam ad Poſſeſſorem tamquam ab aliquo hæretico Hormiſdæ nomine ſcriptam, quę verè pia & ab eodem Pontifice ſcripta monſtratur. Sed excuſandus vir fama celebris, quòd carens citatis Hormiſdæ epiſtolis,& aliorũ ad ipſum datis, quæ ad præſens vſque tẽpus latuerunt in bibliothecis obductæ ſitu,& obſitæ vetuſtate, haud facultatem habere potuit cuncta exactiùs diſquirendi. EXCVSATVR COCHLAEVS.

Interea temporis, cùm hanc ad Poſſeſſorem Hormiſda Papa epiſtolam ſcriberet, cùm monachi Scythæ iam (vt dictum eſt) fugam arripuiſſent, Apoſtolicæ ſedis legati Conſtantinopoli Romam reuerſi ſunt: extant enim ipſius Hormiſdæ litteræ [a] accelerantis ipſorum reditum. Porrò diſceſſiſſe eos menſe Iulij, litteræ Iuſtini Imperatoris ad Hormiſdam datæ B ipſis legatis diſcedentibus, ſatis indicant, in quibus idem Imperator in ipſorum commendatione hæc in fine habet [b]: In præſenti verò redeuntibus viris religioſiſſimis,tam appellandam veſtram reuerentiam credidimus, quàm commonendam, vt ſuis orationibus pro noſtro vtatur Imperio,proq; incolumi ſtatu Reipublicæ. Data ſeptimo Idus Iulij, Conſtantinopoli, Vitaliano & Ruſtico VV.CC. Conſulibus.] DE REDITV LEGATORVM. [a] *Hormiſd. epiſt. 64.* [b] *Extant inter Hormiſd. epiſt.*

Interea autem dum Romæ hæc agerentur, Epiphanius Conſtantinopolitanus Epiſcopus memor officij, quod iure debitum ab eo (vt vidimus) ſuis litteris Hormiſda Papa exigebat, nimirum vt litteris & legatione ex more de ſua ordinatione certiorem redderet ipſum Romanum Pontificem, vtrumque (vt dictum eſt ſuperiùs) diligenter impleuit: atque primùm omnium has officij plenas litteras dedit ad ipſum Hormiſdam Papam, quibus ſe docuit eſſe Catholicum [c]:

C Sanctiſſimo ac beatiſſimo domino fratri & comminiſtratori Hormiſdæ Epiphanius Epiſcopus in Domino ſalutem. [c] *Extant inter epiſt. Hormiſd.*

Deus, qui in alto habitat, & humilia reſpicit, & omnia pro ſalute hominum affluenter prouidet, pro ſua bonitate & miſericordia meam reſpexit paruitatem, & poſt obitum ſanctæ memoriæ quondam Archiepiſcopi & Patriarchæ Ioannis ſedem ſacerdotalem ſanctæ Eccleſiæ Catholicæ regiæ vrbis mihi conferre dignatus eſt ſententia & electione Chriſtianiſſimi & iuſtiſſimi Principis noſtri Iuſtini, & piiſſimæ Reginæ, quæ ei ad omne ſtudium communicat diuinum, ſequentiumq; eorum: his, quibus eſt bona conuerſatio, & qui regiis honoribus ſunt ſublimiores, ſimul & ſacerdotum & monachorũ & fideliſſimæ plebis conſenſus acceſſit. Quapropter neceſſarium duxi, hoc primum indicium meis inferre litteris, vt oſtendam, quam circa veſtram Apoſtolicam ſedem habeo voluntatem. EPIPHANII EPIST. AD HORMISDAM.

D Eſt mihi ratio * magnopere, beatiſſime, vniri me vobis,& diuina amplecti dogmata, quę ex beatis & ſanctis diſcipulis & Apoſtolis Dei præcipuè ſummi Petri Apoſtolorum ſanctæ ſedi veſtræ ſunt tradita, & nihil eis pretioſiùs exiſtimare. Neq; enim extrà aliunde veniens ſanctæ Eccleſiæ conſtituta ignoro; ſed nutritus per Dei voluntatem ex teneris vnguibus in ſancta Catholica Eccleſia, parui per tempora ſanctiſſimis ſacerdotibus & Patriarchis. Nam ſæpiùs præpoſitus his qui per ſacratiſſimum & ineffabile baptiſma ſua exuunt peccata, & veram vnius eſſentiæ Trinitatis docui fidem, quam (ſicut præfatus ſum) ex diſcipulis Dei magni & Saluatoris noſtri Ieſu Chriſti procedentem, omnium ſacerdotum & omnium laicorum amplectitur cœtus. * oratio

Diuinum enim re vera ſanctum & à Deo datum Symbolum trecentorum decem & octo ſanctorum Patrum in Nicæa congregatorum adoro, & prædico, & Chriſtiani ſplendoris E manifeſtum indicium eſſe annuncio: Et quinquaginta & centum ſanctorum ſacerdotum in hac vrbe regia factam venerabilem Synodum: Similiter & ducentorum Dei amatorum Patrum conuentum in Epheſina factum: Triginta & ſexcentorum reuerendiſſimorum Patrum & ſacerdotum Synodum factam Chalcedone veram * eſſe & conuenientem & compaginatam prædictis ſanctis Conciliis, ipſe ego didici, aliosq; docere cognoui. In his ergo quatuor Synodis ſanctis & ſacris magnum pietatis prædicatum myſterium,& omnium hominum eſt repoſita ſalus. Eos enim qui fuerunt vel ſunt eiuſdem ſententiæ & ſuſcipio & amplector,& vnire me eis diligo. E contrà autem eos qui præter iſtas quid ſentiunt, aut prędicant, vel præterito tempore aliquid conati ſunt, à cœtu Orthodoxorum extorres eſſe exiſtimo. Similiter rectas & re vera religioſiſſimas epiſtolas venerabilis Papæ Leonis pro recta fide conſcriptas circumamplector & ſuſcipio. EPIPHANII EPIS CONSTANT. FIDEI PROFESSIO. * vnam

Habeat igitur hãc ſententiam circa me veſtræ beatitudinis ſancta fraternitas. Vobis enim

manifestum feci,& sub me Ecclesijs hæc prædico, festinans per omnia eas mihiq.& vestræ A
beatitudini vinculo charitatis adunari, quas omnino oportet esse vnitas & inuiolabiles &
corpus vnum cõmunis Apostolicæ Ecclesiæ eumdemq. perpetuò custodire. Quantus enim
circa venerabilem vestram fraternitatem in omnibus sit amor,iubete perpẽdere: quia quos
vestra Apostolica sedes condemnans in sacris Diptychis recitare non iussit, eos nec ego in-
ter sacra facio nominari mysteria. Hoc autem & his notum est, qui à vobis sunt directi viri
reuerendissimi,id est,Germano sanctissimo & Ioanni Episcopis,Felici & Dioscoro diacono-
bus, & Blando presbytero,qui efficaciter secuti sunt ea,quæ eis sunt à vobis iniuncta.

Oret igitur vestra sanctitas tam pro me, quàm pro subiectis meis sacerdotibus, vt perpe-
tuè custodiamur, rectam Dei tenentes confessionem; similiter & pro sereniſſimo Principe
nostro, & pro Christianissima Augusta: quia eorum salus communis sanctarum vbique est
Ecclesiarum profuturum firmamentum. Istam igitur vobis absentibus intentionem nullo B
modo iam licebit sanctam Dei dilacerari Ecclesiam, per gratiam sancti Spiritus & intercessiones sanctę & gloriosæ Dei genitricis Virginis Marię. Omnem quamcumque vestram fraternitatem ego quoque & mei plurimum salutamus. *Alia manu.*
Incolumis in Domino ora pro nobis,Dei amator,sanctissime frater.
Accepta decimoquinto Kalend. Octobris,Rustico V. C. Consule.] hactenus de Epiphanij priore epistola ad Hormisdam. Quòd verò eadem die accepta habeatur epistola Iustiniani, quæ huic subiecta in codice legitur; argumento planè est, eamdem per eumdem nuncium missam esse. de ijsdem planè rebus scriptæ esse videntur, quo & aliæ duæ ipsius, quibus de duabus quæstionibus in controuersiam deductis se expetere & expectare ab Apostolica sede responsum,Hormisdæ significat: quarũ prior est de asserendo vnum ex Trinitate Christum natum & passum,posterior de tolerandis in Diptychis Episcoporum Orthodoxorum C
defunctorum nominibus,qui sub schismate Acacij mortui essent. Sed præstat ipsam audire epistolam,quæ est huiusmodi:

IVSTINIANI EPIST. AD HORMISDAM.

Domino nostro Iesu Christo fauente, regnat in sæculo, qui sacra religione suum fundat Imperium: quoniam benè gubernat humana, cui priùs diuina placuerint: quod præsentibus euenisse temporibus gratulamur. Filius etenim vester clementissimus Imperator æternitatis beneficio sceptra sortitus,fidei causas arripuit explicandas,& ad tuam sanctitatẽ missa legatione, sedis Apostolicæ promeruimus sacerdotes, quorum aduentu non mediocriter adoleuit Ecclesiarum concordia sacrosanctarum,vobis instantibus,vt decebat. Acacij namque,quod dissidium generabat, nomine stirpitus amputato pro tenore libellorum quos direxistis,in hac vrbe regia multisq; ciuitatibus vnitas optata prouenit, quam summis inuentam laboribus venerari conuenit,in perpetuumque custodiri necesse est. D

QVORVM TANTVM NOMINA TACENDA ESSENT IN SACRIS.

Hæc quibuslibet argumentis retractari quispiam patietur, quæ sempiterna maiestas ritè composuit? Sed quia prosperos cursus frequenter impedire festinat humani generis inimicus,pars Orientalium non exilijs,nec ferro, flammisq; compelli potest,vt Episcoporum nomina post Acacium defunctorum codemnet: quæ difficultas generali concordiæ moras nectit. Sanctitas itaque vestra cælitus inspirata, temporum rerumq; qualitatem consideret, & condemnatis huius erroris auctoribus,id est,Acacio Constantinopolitano,Petro & Timotheo Aeluro & Dioscoro Alexandrinis, Petroq; Antiocheno, finire dignetur inueteratum certamen, de ceterorum nominibus quæstione sopita: vt redimatis plebem de sanguine, quam Deus noster regendam commisit,ac non persecutionibus ac cruore, sed patientia sacerdotali populum Domino nostro concilietis: ne dum volumus animas lucrari, & corpora multorum perdamus & animas. Errores etenim diuturnos lenitate clementiaq; conue- E
nit emendari; præcipuè quia vestræ beatitudinis prædecessores sæpissimè voluerunt Reipublicæ nostræ Antistites ad suam reuocare communionem, si tantummodo taceretur Acacius, ceterique prædicti.

Non est ergo graue, quod suasit vestra sedes: vt præstet illud etiam,magis magisq. deposcimus,vt tua sanctitas concepta gratia cælesti, quæ prætendunt Orientales Episcopi,tractare dignetur,eorumq. fidei competentem præbere consensum. Nobis etenim videtur, quoniam Filius Dei viui Dominus noster Iesus Christus ex Virgine Maria natus, quem prædicat summus Apostolorum carne passum, rectè dicitur vnus in Trinitate cum Patre Spirituque sancto regnare: sicut enim videtur ambiguum dicere simpliciter vnum de Trinitate, non præmisso nomine Domini nostri Iesu Christi; sic eius personam in Trinitate cũ Patris Spirituq. sancti personis non dubitamus esse. sine Christi namque persona nec credi Trinitas reli-

A tas religiosè potest, nec adorari fideliter, quemadmodum S. Augustinus ait: An aliqua ex Trinitate persona. & alio loco: Solus in Trinitate corpus accepit. & iterum: Vnus trium.

Rogamus igitur, reuerendissimè salutantes, vt futuri iudicij memores, causam taliter ordinetis, ne quid dubitationis relinquatur in posterum: quatenus omni scrupulo discordiarum sublato, pacis desideratæ per Orbem totum vincula renouẽtur, & venerandarum floreat Ecclesiarum concordia, corporisq; vnius in pristinum statum membra recolligantur. Ille namque medicus iure laudatur, qui veteres ægritudines ita sanare deproperat, vt ex eis noua vulnera non nascantur. Specialiter ergo cognoscat vester Apostolatus, compositis eisdem duobus capitulis, vniuersos sacerdotes istius Reipublicæ libenter amplecti vestram communionem. Accepta decimoquinto Kal. Octobris, Rustico V.C. Cõsule.] distuliſſe de his dare responsum Hormisdam vsque ad aduentum legationis, quam ea de causa pollici- B tus fuerat mittere Imperator, ex ipsius recitatis superiùs litteris vidimus: quæ autem rescripserit, suo loco dicemus. DVO CAPITA CONTROVERSIAE.

Epiphanius verò post hæc collegit Synodum Constantinopoli, ex qua legatio decreta est ad eumdem Hormisdam Põtificem, Synodicæq; simul ad illum datæ, quibus & idem Epiphanius posteriorem suam epistolam ad eumdem Hormisdam iunxit, ita planè explens abundè quæ sui muneris prætermisisse videri poterat. Sed quid interea accidit, quod decretam moraretur legationem? cõtigit ipsum Ioannem Episcopum eiusdem legationis primarium ægra valetudine laborare, quem, donec conualescceret, expectare oportuit. Cùm interea tantæ moræ impatiens Iustinianus Comes Domesticorum præueniendum putauit Hormisdam, misso ad eum Eulogio Tribuno atque Notario, cui has breuiores litteras dedit: SYNODVS CONSTANTINOPOLITANA.

Domino beatissimo atque Apostolico Patri Hormisdę Papę vrbis Romę Iustinianus.

C Quanta reuerentia vestram beatitudinem veneremur, multis epistolis, ex quo serenissimus Imperator filius vester regnauit, cognoscitis. In præsenti quoque debito pudore salutantes tuá sanctitatem, postulamus enixiùs, vt assiduis precibus & frequentissimis orationibus pro concordia laboretis Ecclesiarum vestrarum; nobisq; (sicut per legatos etiam vestros post omnia scripsimus) tam de sermone de quo vertitur controuersia, quàm de nominibus Episcoporum sub Acacio defunctorum per Eulogium virum sublimem Tribunum & Notarium dignetur Apostolatus vester integrum indubitatumq. destinare responsum; omnibus videlicet, quæ præsentibus legatis vestris ordinata sunt, in perpetuò firmiter duraturis. Vir namque religiosus Ioannes Episcopus, qui venturus est Romam, detinetur ægritudine corporali: Nihil enim prohibet ante eius quoque aduentum concordiã præuenire, sublata dubitatione religionis: & eũ tamen mox dimittemus, fauente Diuinitate, quia iam meliùs D habet: quoniam nec difficilia sunt, quę ceciderunt in ambiguitatẽ, nec expedit diutiùs causam vitæ protrahi sempiternæ; ne dilatis temporibus aliquid nascatur incertius. Æternitatis igitur supernæ, tremendiq́ue iudicij non immemor sanctitas vestra, quæ sibi commissa sunt, efficaciæ tradi deproperet: vt intelligant cuncti, rectè vos Apostolicæ sedis esse primatum sortitos. Hæc igitur, quæ à nobis scribuntur, affectu paterno iubete quantocyus adimpleri: scitis namque, quàm sit admirabilis gloriæ, tantorum errores annorum vestri Pontificatus tempore stirpitus aboleri.] hactenus Iustiniani epistola ad Hormisdam.

Post hæc autem cùm Ioannes Episcopus legatus penitus conualuisset, vnà cum collegis profectus Romam venit, litterasq; à Synodo datas Hormisdæ Pontifici reddidit, atque alias ab Epiphanio Constantinopolitano Episcopo acceptas. Reddamus verò hîc primùm Synodalem epistolam ad ipsum Romanum Pontificem datam, adiecturi deinde illam quam E Epiphanius vnà cum mulieribus Romam misit. Sed attende in primis in Synodalibus litteris titulum honorificum:

Domino [a] nostro sancto ac beatissimo Patri Patrum Archiepiscopo & Patriarchæ Hormisdę Theophilus, Basiliscus, Anastasius, Paternus, Martianus, & cetera sancta Synodus, quę in Constantinopolitana est ciuitate congregata.

[a] *Extat inter epist. Hormisd. tom. 1. epist. Rom. Pont.*

Innumerabilem & inuestigatam magni Dei & Saluatoris nostri Iesu Christi sapientiam, quantum hominibus datur intelligi, considerantes charitatem eius immensam, iustè miramur, & cum magna clamamus voce [b]: Quis loquetur potentias Domini, auditas faciet omnes laudes eius? Ecce enim per bonam voluntatem sanctæ & vnius essentiæ Trinitatis, & intercessione gloriosæ Mariæ Virginis, studio quoque & vigilantia Christianissimi & fidelissimi Imperatoris & pijssimæ Reginæ, olim quæ fuerant membra diuisa, per Spiritus sancti gratiam ad vnitatem & charitatem perfectam sunt redacta: & sicut Moyses & Aaron Du-

[b] *Psal. 105.*

[a] *Exod.* 15. ces Dei veræ culturæ Israëliticæ nominati, nunc ita & nos gaudentes clamamus[a]: Cantemus Domino: gloriosè enim honorificatus est: Adiutor & protector factus est mihi in salutem. Et hæc sentire & prædicare cum fiducia sumus edocti. A

LAVDES EPIPHANII EPISCOPI CONSTANTINOPOLITANI.

Considerantes autem charitatem, & Deo amabilem vestræ beatitudinis vitam etiam ex ijs qui à vobis sunt destinati reuerēdissimi legati, similiter & pacem sanctarū Dei Ecclesiarum tam senioris quàm nouellæ Romæ, cui nos ipsi participes fuisse monstramur, bono pastori & Principi omnium Christo Deo nostro consuetè gratias referimus. Nam post obitum sanctæ recordationis quondam Archiepiscopi & Patriarchæ Ioannis Constantinopolitanæ ciuitatis, Deus, qui propriam sanctam Ecclesiam in Petra rectæ fidei incorrupta fundauit, & portas inferi non præualere ei decreuit, dedit nobis sanctum pastorem & Patriarcham Epiphanium, virtutibus & correctionibus & meditatione diuinarum florentem Scripturarum, rectam quoque tenentem fidem, & orbatorum paternam regentem solicitudinem: & quid ampliùs dicam? omnem præconiorum fontem transcendentem. His ergo virtutibus pollens, non immeritò proprias & creditas sibimet maximas Ecclesiæ curas sapienter & honorificè gessisse dignoscitur, habens in mente illud, quod à sacri cantici auctore relatum est[b]: Os meum loquetur sapientiam, & meditatio cordis mei prudentiam. Vnde secundùm rectam & probabilē fidelissimi & Christianissimi nostri Principis & pijssimæ Reginæ & glorioſissimorum communis Reipublicæ procerum sententiá, nostra quoque, etiam omnium in hac vrbe habitātium testificatione, iudicium Pauli mirabilis communis Ecclesiæ doctoris non est in eo fraudatum, qui[c] irreprehēsibilem debere esse Episcopum denunciat: ita & nostrum Pontificem virtutibus vndique coronatum esse videmus. B

[b] *Psal.* 48.

[c] 1. *Tim.* 3.

LEX ECCLESIASTICA VT ROM. PONTIFICI OMNES DEFERANT.

Igitur Ecclesiasticam legem implentes, Apostolatui vestro debitum persoluentes officium, speramus vt ampliùs charitatis vinculum & paternum affectū circa nos charitas vestra custodire dignetur, & sapienti gubernatione & humilitate, quæ Christianum decet, & mansuetudine, quæ ad rationabilis traditi vobis ouilis salutē pertinet, peragatis, commune lucrum existimantes, quod per vos & vestrum germanum & comministratorem, nostrum autem dominū & Patriarcham pacē totius Orbis Ecclesiarum esse prouisam: Frater enim à fratre adiuuari spiritualiter, murus est inexpugnabilis, & ciuitas munita, ex diuinis est accipere Scripturis[d]. Nam si intercessionibus vestræ beatitudinis generalis tranquillitas Ecclesijs Orthodoxorum fuerit redonata, gloria quidem in excelsis Deo omnium Saluatori per Angelos cum lætitia referetur, pax verò in terra confirmabitur, bona autem voluntas fidelibus communis Domini & Saluatoris nostri Iesu Christi seruis fundetur.] His scriptis, quosnam delegerint legatos Romam ad Hormisdam Papam mittendos, nominant, ista subdentes: C

[d] *Prouer.* 18

LEGATI A SYNODO CONST. ROMAM MISSI.

Adijcient igitur nostris supplicationibus, quod minùs dictum est, Ioannes sanctissimus Episcopus Claudiopolitanæ ciuitatis noster comministrator, & Heraclianus reuerendissimus presbyter sanctæ maioris ecclesiæ & cohabitator prædicti sanctissimi Archiepiscopi & Patriarchæ Epiphanij, & Constantinus vir reuerendissimus diaconus eiusdem sanctæ ecclesiæ, qui probationem suæ rectæ fidei & bonæ voluntatis olim ijs, qui à vestra Apostolica sede fuerant directi, dedisse cognoscuntur: digni autem & vestræ sanctitatis & administratione pacis & gratiæ Domini nostri Iesu Christi Dei nostri & vnitionis sanctarum Ecclesiarum monstrabuntur. Quos speramus lætantes in Domino, & pacem desideratam nunciantes, ad nos citiùs vestris Deo amabilibus correctionibus edoctos remeare dignemini. Omnem in Christo fraternitatem nos quoque & qui nobiscum sunt plurimùm salutamus. D

Subscriptiones.

Theophilus misericordia Dei Episcopus Heraclienſis ciuitatis Metropolitanus subscribens id Synodalibus, saluto vos in Domino.] & reliqui omnes numero viginti ibi subscripti leguntur. E

Sed accipe quas ijsdem legatis cum muneribus Epiphanius Constantinop. ad Rom. Pontificem litteras dedit dignas ipso quidem qui misit, & cui sunt redditæ: sic enim se habent[e]:

[e] *Extant inter epist. Hormisd. tom. 1. epist. Rom. Pont.*

EPIPHANII EPIST. AD HORMISDAM PAP.

Domino per omnia sancto ac beatissimo fratri & comministratori Hormisdæ Epiphanius Episcopus in Domino salutem.

Quantam habuimus alacritatem nos quoque & pijssimus & Christo amantissimus Imperator vnà cum fidelissima & in omnibus bonis florente cōiuge sua circa rectam & puram sanctarum Ecclesiarum vnitionem; & quemadmodum cum charitate Dei, qua nos decebat, destinatos à vobis sanctos Episcopos & religiosos suscepimus & venerandos habuimus clericos, existimamus quidem & ante, ex his quæ facta sunt, satisfactum vestræ beatitudini

credidimus

A credidimus tamen, quòd si Dominus Saluator Iesus Christus Deus noster idem ipsos reuerendissimos comministratores nostros incolumes vestris obtutibus præsentauit; omnia quæ excitata sunt, vobis sanctissimis manifesta fieri; & laborem, quem potuimus sustinere, per hos ipsos manifestiùs cognoscetis. Quemadmodum per Dei gratiam, & fidelissimorum Principum nostrorum, Constantinopolitanæ ciuitatis nostra Ecclesia pacificè est gubernata: & nomina eorum inter sacra non sunt recitata mysteria, quæ sedi vestræ profana cognouimus: sed quatuor Conciliorum pro recta fide consonantia prædicatur, & hoc ipsum omnibus sacrorum Diptychorum recitatione manifestum est.

Annuncient igitur vobis, quia non pauci subiecti nobis sacerdotes, nec rursus sub eorum ordinatione Episcoporum parua est subdita multitudo, quæ bonum huius cœptæ vnitionis amplectitur: vestra etiam sanctitas cognoscat, istius se generalis boni & principem & inceB ptorem nihilominus constitutam. Vnde fortiter ad vigilandum beatitudo vestra laudum est stimulis excitanda, ne id quod diuina in honorem vestri cœperat ordinare misericordia, non ad plenum, ita vt condecet, communis vnitas peruenire videatur. Diligentiùs autem de his fidelissimi & pijssimi nostri Principes de sanctarum Dei Ecclesiarum vnitate & concordia gaudentes, ad vestram mandauerunt beatitudinem supplicationes à plurimis sanctis sacerdotibus suscipientes tam Ponti, quàm Asiæ prouinciæ, & maximè Orientis, apud quos nomina quondam sacerdotum suorum tacere difficile & impossibile esse videtur; tantaque eorum obstinatio est, vt omne periculum pro tali facto parati sint sustinere.

DE NOMINIBVS DEFVNCTORVM EPISC. NON DELENDIS.

Igitur præcedentes omnes circa pacis studium necessarium causas considerantes, quia per solam istam humilitatis viam communem omnibus vnitionem & salutem inuenimus, interrogantes (sicut dictum est) & satisfacientes vobis ab illis qui à nobis in hoc negotio sunt C destinati, causam cum pacifica, quam vos decet, gubernatione dispensetis: nam dum vna vtraque sit Ecclesia, proculdubio & bona, quę per vigilantiam eueniunt, communis exinde laudis gloria vtrisque Patriarchalibus sedibus rimatur, vt consuetè omnium Dominus & conditor Christus verus Deus noster magnificetur.

De his autem omnibus summo vobis supplicentur affectu *missi legati* Ioannes sanctissimus Episcopus multos nobiscum sudores in præsenti deponens certamine, & Heraclianus reuerendissimus presbyter sanctę nostræ maioris ecclesiæ & cohabitator noster, & Constantinus reuerendissimus diaconus eiusdem maioris ecclesiæ, per quos & nostra Synodalia secundùm Ecclesiasticas vestræ beatitudinis destinauimus leges. Nunc igitur pijssimi nostri Imperatoris studium circa sanctarum Ecclesiarum vnitionem ostendentis, pacificis ad vestram beatitudinem de his causis vtendo litteris, & oblatas sibimet ab Hierosolymitanis & D Orientalibus petitiones destinauit.

Nos ergo occasionem salutationis inuenire volentes, hanc ad vos fecimus epistolam, per quam supplicamus, proponentes vobis sanctissimis hanc vocem diuinam [a]: Ecce tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis. Ecce credidit nobis omnium Dominus talentum, quod augmentum possit restitui boni operis fructu, & saluari per laudabilem vestram dispensationem tantas quidem sanctas Ecclesias, tantosque eorum sacerdotes & multitudinem innumerabilem nunc quidem vnitam sanctæ Ecclesiæ, periclitantem autem & errantem, si vestræ beatitudinis gubernaculum commoretur *, & maxime his qui in sanctis locis habitant Christi Dei nostri, ita vbique sanctis adhærentes Ecclesijs, vt eorum respui non debeat multitudo. Nam omnes per suggestionem eorum ita in obstinationis suæ malo perdurant, vt velint antè è vita recedere, quàm excogitata relinquere: Vt si Deus hos per vestram beaE titudinem adunari præceperit, vestræ laudis meritum & præsentibus & futuris ascribatur temporibus.

[a] 2. Cor. 6.

* commemoretur

Oret igitur vestra sanctitas tam pro pijssimis & Christianissimis Principibus, quàm pro nostra paruitate & vniuersali vnione, vt gratia sanctæ & vnius essentiæ Trinitatis, & intercessionibus Dominæ nostræ sanctæ gloriosæ Virginis & Dei genitricis Mariæ, omnia ad vnitatem indiuisam conueniant, & fundamentum inconcussum Catholicæ fidei confirmetur, per omnia sanctissime frater. Indicia autem nostræ secundùm Christum Dominum nostrum charitatis per viros reuerendissimos destinauimus, ad administrationem diuinæ culturæ & sanctæ Apostolicæ vestræ Ecclesiæ, calicem aureum gemmis circumdatum, patenam auream, & alium calicem argenteum, vela serica duo; quæ suscipere vestram beatitudinem supplicamus cum illa charitate, quam vos habere secundùm Deum non dubitamus. Omnem in Christo fraternitatem, quæ cum vestra est sanctitate, nos quoque & qui

MVNERA MISSA AD HORMISDAM PAP. AB EPISC. CONSTANTINOP.

nobiſcum ſunt, plurimum ſalutamus. Accepta pridie Kalendas Decembris, Ruſtico V. C. Conſule.] hactenus ea quæ hoc anno tranſacta ſunt inter Epiphanium Conſtantinopolitanum Epiſcopum & Hormiſdam Romanum Pontificem. A

VTILITAS EPISTOLARIS HISTORIAE.

Habes igitur quàm exploratiſſimè, lector, cuncta quæ ad hanc legationem ſpectant, & magis certa tibi facta ex recitatis ſingulis litteris vltro citroq; datis, quàm ſi eiſdem carens, illis vixiſſes temporibus: etenim nonniſi paucis ipſæ innoteſcere potuerunt. Hanc tu conſequeris ex epiſtolari hiſtoria vtilitatem, vt gloriari iure valeas, res geſtas magis te habere compertas, quàm ipſos hiſtoricos illorum temporum, quos cùm datæ epiſtolæ præterierint, res maximi momenti alto ſepultas ſilentio reliquerunt. Sed & alia complura (ſi ſapis) ex ipſis epiſtolarum verbis colliges emolumenta: vt planè optandum tibi eſſet, in via iſta, quam terimus antiquorum Annalium, nullius hactenus calcata veſtigijs, ad paſſus ſingulos (ſi fieri poſſet) eiuſmodi illuceſcere tibi faces, ipſo hac ex parte Sole lucidiores. Quæ autem ad B hæc reſcripſerit Hormiſda Papa, diſces anno ſequenti, quo ad ipſum Epiphanium ab Hormiſda redditæ litteræ fuerunt: detentos enim legatos tota hieme Romæ, non ante menſem Martium inde proficiſci contigiſſe, certum eſt: quo menſe per eoſdem idem Hormiſda (vt diximus) ad Epiphanium litteras reddidit.

LEGATIO IVSTINI IMP. AD HORMISDAM PAP.

Verùm non ſolùm ab Epiſcopo Conſtantinopolitano atque Synodo ibi habita Romã ad Hormiſdam ſunt miſſi legati, ſed vnà cum eis Iuſtinus Imperator quoque ad eumdem ſuam legationem direxit, miſſo ad eius muneris functionem Grato viro illuſtri, qui & ab eodem aliàs antè profectus fuerat: cùm enim magni momenti res tractanda eſſet, ſpecialẽ ad opus voluit Imperator legationem ad Romanum Pontificem mittere: quid autem per eam contenderet, cùm litteræ Iuſtiniani recitatæ ſuperiùs docent, tum etiam ipſe Iuſtinus Auguſtus litteris ad Romanum Pontificem datis indicat, quæ ſic ſe habent[a]: C

[a] *Extant inter epiſt. Hormiſ. tom. 1. epiſt. Rom Pont.*

EPIST. IVSTINI IMP. AD HORMISDAM PAP.

Iuſtinus Auguſtus Hormiſdæ Papæ.

Quo fuimus ſemper, & quo ſumus ſtudio pro conciliandis ſententijs Catholicam fidem colentium, vt eodẽ animo cuncti venerentur numen * indiuiduum Trinitatis, palàm feciſſe dignoſcimur: nunc legatum ad veſtram beatitudinem vltrò ob hoc ipſum dirigẽtes Gratum virum ſublimem Magiſtrum ſcrinij, quo remedium tãdem reperiatur diſcordijs varia cunctantium, nũc prono, libentiq; ſuſcipientes affectu viros religioſiſſimos, quos interuentores vnitatis veſtra ſedes Apoſtolica credidit deſtinãdos. Profectò enim tamquam ipſam pacem & iucundis oculis eos aſpeximus, & extenſis manibus duximus amplectendos: quinetiam omni intentione ordinauimus, vt venerabilis Eccleſia Conſtantinopolitana, necnon complures aliæ vota ſuſcipiant veſtra nõ ſolùm in ceteris, ſed in auferendis etiam nominibus ex ſacris Diptychis, quæ remouenda maximè poſtulaſtis. Verùm nonnullæ fuerunt vrbes & D Eccleſiæ tum Ponticæ, tum Aſianæ, & præcipuè Orientales, quarum clerici vel populi omnibus pertentati minis & perſuaſionibus, tamen nequaquam flexi ſunt, vt tollãt Antiſtitum & repellant nomina, quorum apud eos opinio floruit: ſed morte vitam duriorem çſtimant, ſi mortuos condemnauerint, quorum gloriabantur vita ſuperſtitum.

* lumen

Quid igitur faciamus huiuſmodi pertinaciæ, quæ nec dicto audiens exiſtit, & tormenta in tantum deſpicit, vt amplum ſibi ac feſtiuum iudicet, ſi corpore priùs quàm religioſo deſiſtat conſilio? Nobis quidem videtur opus eſſe mollius agendi & clementiùs: quæ ſi non in tua ſanctitate, iam nec in alio poterunt inueniri. Nam neque ſanguinis & ſuppliciorum cupidi (quod dictu etiam graue eſt) libellũ ſuſcepimus, neque vt paruo diſcrimine remaneant imperfecta concordiæ deſideria, ſed ad propagandam quo poſſumus ordine cõiunctionem membrorum Eccleſię. Vtrum itaque pręſtãtius erit, minorum gratia in totum eſſe nobis ad- E iectas tantas multitudines, an conceſſis exiguis & remiſſis, maiora & omni ratione quærenda corrigi, vt quæ non licuit per omnia, ſaltem ex neceſſarijs partibus allegentur?

Veniam itaque nominum poſtulamus, non Acacij, non vtriuſque Petri, non Dioſcori, vel Timothei, quorũ vocabula ad nos datæ tuæ ſanctitatis epiſtolæ cõtinebant, ſed quos in alijs celebrauit ciuitatibus Epiſcopalis reuerentia, & hoc exceptis vrbibus, vbi veſtræ beatitudinis libellus iam in plenũ admiſſus eſt: niſi hanc quoque partem beneuolẽtia ſtatuerit veſtra mitiùs corrigendam. Verùm nec iudicio caret ſedis Apoſtolicæ, vt non magis venia dicenda ſit, quàm deliberata iam ac perſpecta definitio. Anaſtaſius quidem religioſiſſimæ memoriæ, veſtræ culmen Eccleſiæ, palàm aperteq; conſtituit, cùm hoc idem ſcriberet negotium prædeceſſori noſtro, ſatis eſſe pacem affectantibus, ſi nomen tantùm reticeatur Acacij. Ergo priora veſtræ ſedis conſtituta ſequitur, qui non omnes memorias mortuorum iudicat contemnendas;

QVID AD ANASTASIO IN CAVSA IAM DEFINITVM FVIS ET.

A temnendas: vt indignum habeatur & incongruum, si non placidior omnibus non solùm defunctis, sed etiam superstitibus vestra diuulgetur in omni fine terrarum lenitas. Et hoc quidem non dubitauerimus ita gratiosum vobis futurum, vt pacifico statim responso lætior mundus reddatur.

Retinet autem vestra sanctitas, quod dudum scripsimus, ex Oriente supplicationes nobis esse destinatas, voluntatem ipsorum continentes & arbitrium, in quo sese duraturos ostendunt firmiter, & quo nulla ratione desistendum existimant. Hanc itaque chartulam secundùm nostra promissa per Ioannem virum reuerendissimum Episcopum dirigendam vobis in præsenti meritò credidimus, vt à vestra sede etiam tenor eius admissus ad colligendas proficiat & adunandas vbique venerabiles Ecclesias, & Hierosolymitanam præcipuè; cui tamen omnes fauorem impendunt, quasi matri Christiani nominis, vt nemo audeat ab ea
B sese discernere.]

Quod audis, cùm his litteris, tum alijs superiùs recitatis inculcari causam Ecclesię Hierosolymitanæ: meminisse debes quæ dicta sunt superiori tomo de Ioanne eiusdẽ Ecclesię Episcopo, qui, pulso sancto Elia, ab Eutychianis intrusus est in illam Ecclesiã, ipso adhuc Elia viuente; & postea nõ solùm conuersus est in Catholicum, verùm etiam in Catholicæ fidei defensorem populo gratũ: sed cùm ex mala institutione eius periclitaretur causa, pro ipso Iustinus & alij preces obtulerunt Hormisdæ. Ad postremum autem hæc habet in sua epistola Imperator: Consensum itaque propriũ tuam sanctitudinem epistolari quoque pagina conuenit declarare: vt cognito omnibus atque patefacto tenorẽ eiusdem chartulę à vobis etiam laudari & tenaciter custodiri, lætior mundus existat. Data Idibus Septembris, Chalcedone, Rustico V.C. Consule. Accepta pridie Kalendas Decembris, Consule suprascripto.]

DE CAVSA HIEROSOLYMITANI EPISCOPI.

C Vidisti quanta id instantia à Rom. Pontifice Iustinus exposcat, quod Synodus Constantinopolitana, & Iustinianus, atque in primis Epiphanius eius ciuitatis Episcopus expetierant? duplicis id actum intelligis vehementissimo studio legationis, vt ad id præstandum Hormisdam Orientales impellerent. Quæ autem ad ista Hormisda rescripserit, anno sequenti ex ijs quæ ab eo datæ habentur litteræ, apparebit. Adiecit & Iustinianus, more suo curans quæ essent Ecclesiarum pacis atque concordiæ, alias per eosdem legatos litteras ad Hormisdam, quarum est exordium [a]: Quantam veneratione religionis, &c.] quibus eadem inculcat, adijciens quoque, rectè dici Iesum Christum in Trinitate esse: quod licet verum esset, minus tamen ipse explorata habuit, quæ his verbis contra Catholicam veritatẽ Scythę monachi Eutychiani molirentur. Subijcit & de retinendis nominibus defunctorum Episcoporum. In fine autem hæc habet: Ostendat ergo tuus Apostolatus, quod Petro successit Apo-
D stolo: quoniam Dominus à vobis, vtpote summis pastoribus, exacturus est vniuersorum salutem, qui poterunt esse salui, firmata cõcordia. Nos etenim, finitis capitulis, de quibus scripta suscepistis, vltrà non patiemur à quoquam controuersiam religionis in Republica nostra moueri, nec sanctitatem vestram conuenit audire superflua concertantes.] hęc ipse per eosdem legatos (vt diximus) à Synodo missos, quibus addita est legatio Imperatoris.

IVSTINIANVS ALIAS DE IISDEM LITTERAS DEDIT.

[a] *Extat inter epist. Hormisd.*

Præter duas has recensitas legationes, alteram à Synodo & Epiphanio Episcopo Constantinopolitano, alteram verò à Iustino Imperatore ad Romanum Pontificem missas, tertia accessit ab Ecclesia Thessalonicensi Romam destinata legatio, qua Dorotheum eius ciuitatis Episcopum apud Romanum Pontificem de nefandis sceleribus superiori anno perpetratis aduersus legatum Apostolicum excusaret. est mẽtio eius legationis in epistola Hormisdæ [b] ad Epiphanium Constantinopolitanum Episcopum, cùm ait, eam decretam esse
E ordinatione Iustini Imperatoris. Quod enim iustissimam expostulationem audisset Romani Pontificis & legatorum de malis perpetratis contra Ioannem legatum Apostolicæ sedis & alios, per eamdem legationem publicam voluit ab eadem Ecclesia Hormisdæ Pontifici satisfieri. Sed & ipse Dorotheus Thessalonicensis, tamquam immunis à nefario sacrilegio perpetrato, has excusationis plenas non erubuit scribere litteras ad ipsum Hormisdam Papam, quem decuisset magis veniam ijsdem precari: quæ sic se habent, perinde ac essent innocentissimi hominis [c]:

LEGATIO AB ECCLESIA THESSAL. AD ROM. PON.

[b] *Hormisd. epist. 77. in fin.*

Sanctissimo ac beatissimo Patri ac comministratori Hormisdæ Dorotheus in Domino salutem.

[c] *Extãt inter Hormisd. epist. tom. 1 epist. Rom. Pont.*

Propositi nostri & orationis est summum studium, per omnia beatissime & ter beate Pater, & scribere frequenter ad vos sanctissimos, & mutua mereri colloquia: & nullo tempore exortem me ab huiusmodi lætitia esse condecet. Quoniam igitur manifestè cognoui quosdam san-

DOROTHEI EPISCOPI THESSAL. EPIST. AD HORMISD.

dam sanctas aures vestras perturbare, & scio proculdubio vos in omnibus esse perfectos, & A
quia nihil sine iudicio audire possitis, nec vlli penitus vestrum animum accommodare: &
vt non ampliùs per taciturnitatem largiri tempus videar illis, qui nihil quidem à nobis læsi
sunt, sed sine causa & superfluè aduersum nos armati sunt: Deo tamen & vestræ satisfacio
sanctitati, quia pro Ioanne viro reuerendissimo Episcopo, qui paulo antè à vestra venerabili
corona directus est, prædestinaui me periculis, & mortem sustinui, & meam pro eius scio
me obiecisse animam: & hoc ostenditur gestis, & ex his, qui quamquam per meam absen-
tiam acerrimè videantur esse discussi.

Et quid longo sermone opus est vti? cùm vobis omnia Dominus Deus noster Iesus Chri-
stus patefacere & satisfacere possit; quia & quando cognoui vos ad Apostolicæ sedis præsu-
latum aduocari, commune gaudium totius mundi esse iudicaui. Ab illo enim tempore hoc
ipsum scribens ad vos: quantum ad me, quicquid ad honorem & satisfactionem vobis & B
Apostolicæ sedi pertinet, nihil prætermisi, sed nec prætermitto. Paulo pòst autem scietis per
venerabiles, annuente Domino Iesu Christo, quia hæc ab exordio mihi sunt excogitata, &
quando Dominus Deus tempus dedit, ad effectum hæc sunt perducta. Omnem cum vestra
sanctitate in Christo fraternitatem ego quoque & mei plurimum salutamus.] quid autem
[a] *Hormisd. epist. 70.* Hormisda Papa rescripserit, accipe[a]:

Hormisda Dorotheo Episcopo Thessalonicensi.

QVID HORMISDA AD DOROTHEVM. Considerantes tuæ fraternitatis Ecclesiam ante prætereuntis mala discordiæ olim cum
sede Apostolica præcipua fuisse charitate coniunctam, te nuper pacis redditæ esse crede-
bamus auctorem. Sed quia quos præuenire debueras, sequi etiam remoraris; non leuiter
pro fraternitatis tuæ dilatæ correctionis ingemiscimus tarditate. Scribis enim aures no-
stras cuiusdam sceleris atrocitate turbatas. Vtinam vsque ad nos tantùm tam detestabilis C
fama percurreret, & non toto Orbe Christianis mentibus tam dolendum, tam execrabile
facinus nunciaret, vt qui te innocentem nesciunt, à Christianitatis simul credant tramite
deuiasse. In qua enim mundi parte immanitatis huius inuidia non & Catholicas contri-
stat Ecclesias, & hæreticorum praua vota lætificat? Quæ nos à dilectionis tuæ conscientia
(sicut litteris intimas) ostendi cupimus aliena. Quid enim votis nostris magis conuenit,
nisi vt redire ad pacem Catholicam volentes Episcopos, à crudelitate & criminibus contin-
gat semper innoxios comprobari? Expectamus igitur, si non desunt fraternitati tuæ verita-
tis Deo nota præsidia, vt & tanti sceleris à te repellas inuidiam, & in reconciliatione fidei
tandem eorum, qui reuersi sunt, sequaris exempla. Data quarto Kal. Nouembris, Rusti-
co V.C. Consule.] hæc ad Dorotheum Hormisda: qua etiam die extat eiusdem epistola ad
[b] *Extat inter epist. Hormis.* Iustinum reddita de legationis ab eo decretæ tarditate. est eius exordium[b]: Benedicta Tri- D
nitas Deus noster, &c.]

Quid verò præterea decreuerit idem Pontifex de eadem Thessalonicensium causa, non
apparet, nisi quòd de ea meminit in epistola ad Epiphanium Constantinopolitanum Epi-
[c] *Hormisd. epist. 77.* scopum verbis istis[c]: De Thessalonicensibus, quorum ad nos legati sub clementissimi & fi-
delissimi Principis filij nostri ordinatione venerunt: ne quid omisisse credamur, nosse vos
volumus, secundùm hoc quod Domino nostro Iesu Christo inspirante placuerit, causam
omnem nostri dispositione tractandam.] hæc de his Hormisda: qui præsidens Apostolico
throno, ius reddens vniuersis Episcopis, ad eum vndique confluentibus legationibus iudi-
cium exposcentium, & auxilium aduersus oppressores implorantium, hoc eodem anno
eumdem Epiphanium Constantinopolitanum litteris compellat ob Episcopos Orthodo-
xos suis sedibus ab hæreticis spoliatos; ne reddita iam Ecclesiæ pace, ipsi adhuc ab Ecclesijs E
vagarentur extorres, occupatis illis ab Episcopis, qui in loca eorum suffecti erant. Isti igitur
quoniam professi essent Catholicam fidem, ne ab Ecclesijs quas obtinuerant, expellerentur
fauore potentium, ad defensorem omnium accurrerunt: qui pro ijsdem cùm plures in hanc
diem ea de causa litteras conscripsisset, nec quicquam profecisset; haud patiens miseros se-
dibus suis abire vacuos, quos rectæ fidei confessio fecisset Apostolicæ sedis communione
Catholicos; pro ijsdem paulo acriores scripsit (vt dictum est) ad ipsum Epiphanium Con-
[d] *Hormisd epist. 69.* stantinopolitanum Episcopum huiusmodi litteras[d]:

Hormisda Epiphanio Episcopo Constantinopolitano.

HORMISDA LABORAT PRO RESTITVENDIS EPISC. Oportuerat quidem fraternitatem tuam, diuini contemplatione iudicij atque charitatis
nostræ respectu, Eliam, Thomam, & Nicostratum fratres & coëpiscopos nostros, postquam
in consortium communionis nostræ recepimus, ad diuina tecum mysteria incunctanter

admittere,

A admittere, atque ad Ecclesias suas, à quibus eos discordiæ error excluserat, pro pacis nostræ plenitudine reuocare: vt vnitas, quam post annorum multa curricula per totum Orbem suis Deus restaurauit Ecclesijs, nulla voluntatum nostrarum distantia læderetur. Sed quia rem tam gratam & Patrum statutis venerabilibus congruentem quibusdam tarditatibus contigit nunc vsque differri, vnde etiam ad decessorem fraternitatis tuæ nos scripsisse meminimus; hortamur, vt lætitiam, quam de damnato præteritæ dissensionis errore percipimus, in nullo iterum discrepantium animorum causa contristet.

Etenim nulli videtur vos nobiscum pleno communicare mentis affectu, si eos qui nobiscum communicant, à vestro consortio segregatis. Incassum certè videntur pacem recipere, qui pacis differunt præcepta complere. Quicquid enim in illorum suscipienda communione moramini, quodammodo de nostra reconciliatione detrahitis. Et prouidendum est,
B frater charissime, ne si Ecclesiarum nostrarum tandem desuper indulta cõcordia ab his exordium sumat exemplis, & religionis veneranda regula, & Apostolicæ sedis auctoritas imminuta (quod absit) per Orientem potiùs diuulgata, quàm restituta videatur.] hęc Hormisda. Erat Elias Episcopus Cæsareæ Cappadociæ, cuius sedem alius occupauerat, vt ex litteris [a] Iustiniani apparet.

Hoc item anno, cùm vbique Eutychiana hæresis damnaretur, pœnitentesq. Eutychiani hæretici ad Ecclesiam Catholicã passim reuocarentur: relatum est ad Iustinum Imp. accidisse quid in Syria, quod Orthodoxis haud mediocrẽ conflauit inuidiam. Quòd enim tanta fidei Orthodoxæ aduersus Eutychianos victoria non solùm Catholici, sed & Nestoriani hæretici è diuerso pugnantes gauisi essent: ijdẽ Nestoriani contra Eutychianos erexere tro-
C phæa, & duxere triumphum, cum videlicet solemni ritu Theodoreti Cyri Episcopi, qui aliquando Nestorio fauisset, super currum ponentes imaginem, eamdem psalmorum canticis introduxerunt Cyrum ciuitatem, vbi & memoriam celebrarunt Nestorij, eiusq; magistrorum Diodori Tarsensis, atque Theodori Mopsuesteni, necnon Nestorij martyris titulo decorati. quod vbi perlatum est ad Iustinum Imperatorem, aduersus eos eiusmodi rescriptum dedit, quod recitatum extat in Quinta Synodo, cui hæc præmittuntur [b]:

Lecta sunt nobis Gesta confecta apud Antiochenæ ciuitatis Defensorem, quibus inferebantur testimonia militum significantium (vt compẽdiosè dicamus) quòd priusquam Sergius reuerendissimus Cyrestenam ciuitatem accederet; quidam, id est, Andronicus presbyter, & Defensor, & Georgius diaconus accipientes imaginem Theodoreti, qui vndique inculpatur propter fidei errorem, in currum eam imposuerunt, & in Cyrestenam ciuitatem introduxerunt, psallentes, & ostendentes, quòd eiusdem illi sectæ sint.] Haud improbandus
D videri poterat eiusmodi cultus, si Orthodoxo doctori fuisset ab Orthodoxis impensus, cùm Theodoreti imago eo solemni ritu in ecclesiam delata est: nam Catholicus cognitus probatusq; est à Romanæ Ecclesiæ Antistite: constat enim ipsum subscripsisse Chalcedonensi Concilio, damnasseq; ibi Nestorium, atque demum bona confessione receptum iam antè in communicationem Apostolicæ sedis à Leone Magno Romano Pontifice in pace quieuisse, vt satis superiùs demonstratum est. Verùm quòd (vt diximus) Nestoriani id feciisse dicantur, haud potuit factum non reprehendi ab Orthodoxis, cùm præsertim tantorum detorto cõflauit inuidiam, quam & auxit, quod subditur: Sergius autem postea cùm in ciuitatem accessisset, collectam celebrauit ipsius Theodoreti, & Diodori, & Theodori, necnon Nestorij cuiusdam, quem martyrem esse dixit, cùm prouincia nullum habeat martyrem huic
E nomini conuenientem.] his autem subijciuntur hæc ex Iustini Imperatoris rescripto:

Euidenter igitur mirati sumus, primùm quidem, si latuerunt tuam eminentiam talia Gesta in ciuitate confecta: deinde si cognouisses quod factum est, non sine dilatione quæstionem feciisse negotij, maximè cùm degere Sergius diceretur & cũ Paulo reuerendissimo esse. Verùm etiam lecta sunt nobis paulo pòst Gesta cõfecta apud Cyrestenæ ciuitatis Defensorem: quæ reuerendissimi responsales Sergij reuerendissimi dixerũt multorum voces, continentia, quòd nulla vmquam nec prædicata est, nec facta collectio in Nestorij cuiusdã nomine. Super hæc autem Gesta preces audiuimus tam ipsius Sergij, quàm reliquorum Episcoporum Euphratensis prouinciæ, qui repellunt vbique Nestorij nomen, & declinare quidem eius sectam confitentur, consentire autem sanctis quatuor Concilijs.

Sancimus igitur, nihil subtilitatis vel studij eminentiam tuam relinquere, sed conuocare quidem sine dilatione Cyrestenę ciuitatis Episcopum ibi degentẽ (sicut audiuimus) trahere autem

[a] *Extant inter epist. Hormisd.*

NESTORIANI EXVLTARVNT DE DAMNATIONE EVTYCHIANAE HAERESIS.

[b] *Quint. Synod. Act. 7. in fin tom. 2. Concil.*

QVID CVRT NESTORIANI EGERINT.

EX RESCRIPTO IMP. CONTRA NESTORIANOS.

autem ad se milites etiam, qui testimonia in Gestis Antiochię confectis prętitisse inueniuntur de numero tertio Stabilisianorum, necnon etiam Andronicum & Georgium, qui ea quę de imagine dicta sunt, feciſſe dicuntur; & singula cum subtilitate requirere: Hoc est, si quod dicitur de imagine, factum est: & si psalmum, cuius mentio Gestis Antiochiæ cõfectis inserta est, psallentes ad imaginis honorẽ procedebant: Et si Sergius reuerendissimus (cùm hæc pòst Antiochiæ confectis Gestis inserta sint) psallẽtes ad imaginis honorem ea cognouisset, & clericos admisit, & diuinis eis communicauit mysterijs: Et si collectionem Theodoreti & Theodori & Diodori prædicari fecit, aut celebrari cõcessit; & si hoc idem factũ est in Nestorij nomine. Et omnẽ circumire viã tua magnitudo festinet, vt nihil subtilitatis possit latere. A

Ne autem eminentia tua nostram tantummodo timeret indignationem, sed etiam iram Dei: non piget nos, & iuramentum tibi imponere in nomine Domini & Saluatoris Christi Dei nostri, ad quem talia pertinẽt, vt ipsam veritatem vndique requiras. Et si quidem inueniantur milites per omnia falsa dixisse, non tantùm & quæ in Nestorium referuntur, sed etiam illa quæ ad Theodoretum & Theodorum & Diodorum: mox è fortissimo numero eijciantur, in quo militare noscuntur, & omnibus tormentis eorum corpora crucientur. Si autem veritatem in suis depositionibus dixerunt, siue pro imagine, siue pro collectione vel Nestorij, vel aliorum trium: de omnibus nobis suggerere, vt cognoscere possimus eos, qui in veram & immaculatam quam & nos colimus fidem peccauerunt. Ne quid autem ex his quæ nobis lecta sunt, tuam magnitudinem lateat: iussimus eadem Gesta, quæ Cyri confecta sunt, & ad nos relata, necnon rescripta eorum quæ Antiochiæ confecta sunt, tibi transmitti: vt post confecta omnia quæ iussimus, iterũ nobis remittantur ipsa quæ in Cyro confecta sunt. Pro hac etenim causa destinauimus Thomam deuotissimum Agentem in rebus & Subadiuuam. Legi. Data tertio Idus Augusti, Constantinopoli, Rustico V.C. Consule.] His in Synodo recitatis, cõmendata est Iustini Augusti pietas, quod ad fidem Catholicam conseruandam eiusmodi perquisita vetera monumenta Synodo cognoscenda misisset. Quæ autem post hæc secuta sint, nihil præterea in Synodi Actis habetur. B C

Iam cùm ad calcem peruenerimus anni huius, quo diximus legatos à latere ab Hormisda Pontifice missos Constantinopolim, conciliata pace, Romam reuersos esse; ratio persuadet, vt quorũ sumus prosecuti labores, assequamur quoque eorumdem de extantlato certamine & pace parta triumphum. Quorum quidem primo loco ponendus Ioannes Episcopus, qui de susceptis pro fidei defensione vulneribus, insignibus meruit decorari martyrij: & licet cuius fuerit ciuitatis Episcopus obscurum sit, satis tamen in Ecclesiâ fulget sacrorũ claritudine stigmatum, illustratusq; nitet purpura sui sanguinis. Sancto verò eius collegæ Germano, quem fuisse diximus Capuanum Episcopũ, duplicis legationis benè perfuncto munere celebri, quali quantáue pompa fuerit illi in cælestem patriam redeunti paratus à Deo triumphus, fuit S. Benedictus inspector & testis. Sed præstat audire S. Gregorium, qui dum eiusdem S. Benedicti res gestas persequitur, ista quàm fidelissimè narrat his verbis[a]: D

DE IOANNE ET GERMANO LEGATIS EPISCOPIS.

[a] *Greg. dial. lib. 2. c. 35.*

Alio quoque tempore Seruandus diaconus & Abbas eius monasterij, quod in Campaniæ partibus à Liberio quodam Patricio fuerat constructum, ad eum visitationis gratia, ex more, venire consueuerat: eius quoque monasterium frequentabat; vt quia idem quoque vir doctrinam gratiæ cælestis influebat, dulcia sibi inuicem vitæ verba transfunderent, & suauem cibum cælestis patriæ, quem adhuc perfectè gaudendo non poterant, saltem suspirando gustarent. Cumque hora quietis exigeret: in cuiusdam turris superioribus venerabilis Benedictus, in eius quoque inferioribus se Seruandus diaconus collocauit; quo videlicet in loco inferiora ad superiora peruius continuabat ascensus: ante eamdem verò turrim largius erat habitaculum, in quo vtriusque discipuli quiescebant. Cumq; vir Dei Benedictus, quiescentibus adhuc fratribus, instans vigilijs, nocturnæ orationis tempora præueniſſet, ad feneſtram stans, & omnipotentem Deum deprecans: subitò, intempesta noctis hora respiciens, vidit fusam lucem desuper cunctas noctis tenebras effugasse, tantoque splendore clarescere, vt diem vinceret lux illa, quæ in tenebris radiasset. Mira autem res valde in hac speculatione secuta est: quia (sicut pòst ipse narrauit) omnis etiam mundus, velut sub vno Solis radio collectus, ante oculos eius adductus est. E

Qui venerabilis Pater dum intentam oculorum aciem in hoc splendore coruscæ lucis infigeret, vidit Germani Capuani Episcopi animam in sphæra ignea ab Angelis in cælum ferri. Tunc tanti sibi testem volens adhibere miraculi, Seruandum diaconum, iterato bis terq; eius nomine, cum clamoris magnitudine vocauit. Cumq; ille fuisset insolito tanti viri clamore

A more turbatus,ascendit,aspexit,respexit,partemque iam lucis exiguam vidit. Cui tantum hoc obstupescenti miraculum, vir Dei per ordinem quæ fuerant gesta narrauit: statimq. in Cassinum castrum viro religioso Theoprobo mandauit, vt ad Capuanam vrbẽ sub eadem nocte transmitteret, & quid de Germano Episcopo ageretur,agnosceret & indicaret. Factumq. est:& reuerendissimum virum Germanum Episcopum,is qui missus fuerat,iam defunctum reperit. Et requirens subtiliter, cognouit eodem momento fuisse illius obitum, quo vir Domini eius cognouit ascensum.] hactenus de S. Germani triumpho Gregorius. contigit autem eius ad Deum transitus tertio Kalendas Nouembris, qua die annua celebritate in Ecclesia eiusdẽ memoria colitur. Porrò hæc longè postea cõtigerunt: nam (vt suo loco ostendetur) nondum hoc tempore S. Benedictus in Cassinum montem migrarat.

B IESV CHRISTI ANNVS 521. HORMISDÆ PAP. ANNVS 8. IVSTINI IMP. 4. THEODORICI REG. 29.

QVI sequitur quingentesimus vigesimusprimus Christi annus Fastis redditur Consulatu Valerij,quem dedit Occidens, & Iustiniani in Oriẽte à Iustino Imperatore creati,Roma altero,altero Constantinopoli gaudente. Celebratur in sui aditione Cõsulatus Iustiniani munificentia, de quo Marcellinus ista habet in Chronico: Famosissimum hunc Consulatum Iustinianus præ Consulibus omnium Oriẽtalium vtilitatibus edidit:nam ducenta octogintaocto solidorum sestertia liberalitate Consulari profecta munificentia in populum,inq. spectacula,siue spectaculorum machinam distributa sunt.viginti leones,triginta pardos, exceptis alijs feris,in amphitheatro simul exhibuit: numerosos præterea, phaleratosq. in Circo caballos iam donatis quoque impertiuit aurigis. Vna dumtaxat vltimoque mappa insanienti populo denegata.] hæc Marcellinus. Licet autem gladiatorum dempta fuerint cruenta spectacula, retenta tamen ea fuere in venatione ferarum & pugna cum bestijs ab humanitate penitus aliena, multo magis verò à Christiana religione abhorrentia, dum discerpi à bestijs homines, & redempta Christi sanguine corpora sanguinem fundere cernerentur; atque in populi ederetur insanum oblectamentum, quod ad mouendum luctum accommodatum potiùs videbatur. In detestationem verò huiusce modi cruentorum spectaculorum extat Theodorici Italiæ Regis epistola ad Maximum,qui post annũ sequentem Consul creatus est:dicemus de ea suo loco. Sed iam signato Consulibus anno,Ecclesiasticarum rerum eodem anno gestarum narrationem aggrediamur.

IVSTINI ANI CONSVLATVS CVM EDITIONE MVNERVM.

Qui anno superiori ab Epiphanio atque Synodo habita Constantinopoli, necnon ab ipso Iustino Imperatore missi sunt (vt vidimus) Romam légati, diutiùs ab Hormisda retenti sunt, nempe integra hieme,sępe auditi,& de petitionibus quas vnà cum litteris ingesserunt differentes,omni probationum genere conuicti,atque etiam persuasi, haud indignè de illis ab eodem Pontifice tulere repulsam, quam non ab infenso viderent prodire animo, vel à superba mente manare, sed potiùs è puro fluere doctrinæ fonte per maiorum traditionum irrigua, ipso Hormisda sæpiùs illud Apostolicum inculcante[a]: Non possumus aduersus veritatem, sed pro veritate.] ostendente planè, tantam Pontificiam potestatem non ad destructionem,sed ad ædificationem datam; nihilque præter fas vsurpandum Ecclesiæ vniuersalis Antistiti,eidemque præfecto dispensatori mysteriorum Dei;cùm ex sententia eiusdem Apostoli[b], inter dispensatores illud potissimùm requiratur, vt fidelis quis inueniatur. Sed tantæ moræ, penes quem erat summa totius Imperij, Iustinianus Consul impatiens, has interea ad Hormisdam perbreues litteras dedit[c], quibus eorum reditum acceleran-dum esse rogauit:

RETENTI LEGATI HIEME ROMAE.

[a] 2. Cor. 13.

[b] 1. Cor. 4.

[c] *Extant inter epist. Hormisd.*

Diligenter Apostolatus vester cognouit,quanto fidei calore filius vester serenissimus Imperator,nosq. fuimus ab initio. Numquam cessauimus agere quæ pertinebãt ad firmamentum religionis diuinæ. Pro qua re nuper etiam reuerendissimos sacerdotes Romam direximus,vt integrum componeretur de capitulis,quibus ad ea dubietas vertebatur. Sed ignoramus,quæ difficultas prouenerit,vt minimè sopirentur hactenus ea, quæ videntur esse leuissima. Salutantes ergo vestram reuerentiam,petimus,vt nulla præbeatur occasio,qua de tua quisquam possit ambigere voluntate;sed habentes præ oculis iudicium maiestatis supernæ, modis omnibus festinare dignemini.] hactenus Iustinianus.

Qui

Qui licet ex fidei Catholicæ ardore sit iure laudandus;dum tamen plusquam par est homini laico,à se propositа,ex sua ipsius sententia optat sibi cũcta quàm celerrimè à Romano Pontifice definiri,parat sibi insciusad lapsum foueam,in quam miser,eam vitare negligens, ad vitæ finem,dum sine consilio currit,præceps demum incurrit. Religio ne licentiùs currat,est ex Gregorij Theologi sententia infrenanda.Hæc igitur primùm hîc tibi considerandа proponimus,lector,vt primos gressus inspicias,quibus pedetentim itur in mortem, cùm videlicet quis nouitati aditum facilem parans,à vetustate recedit. Immemor enim sui propositi Iustinianus, cùm aduersus monachos Scythas ad Hormisdam Pontificem scribens, nihil nouitati concedendum esse,fuerat (vt vidimus) contestatus:mutatus sententia,nouum quippiam cupit,auctoritate tamen Apostolicæ sedis,inferri. Sit Principibus omnibus in ore cordeque Prophetæ Principis illa sententia [a]: Pes meus stetit in directo, in ecclesijs benedicam te Domine.] ne vel pedem vnicum à linea recta quouis prætextu deflectant: sed iugiter (quod monet Propheta [b]) de semitis antiquis interrogent, & intelligant se Dei esse subditos sacerdoti.Sed iam rerum gestarum seriem prosequamur. A B

[a] *Psal.9.*

[b] *Hier. 6.*

RECEDVNT LEGATI ORIENTALES AB VRBE.

Absolutis igitur legatorum negotijs,ad quæ tractãda venerant:hieme transacta,iam placido vere appropinquante, cùm nauigationis tempus redditum videretur, ijdem qui missi fuerant Romam legati,ab Hormisda Papa dimissi,discesserunt ab Vrbe reuersuri Constantinopolim:ijs ad eos à quibus acceperat idem Pontifex litteras reddidit. Ad quænam illæ, qualesve, cuius etiam essent argumenti quæ anno superiori ad Hormisdam Papam missæ sunt ab Oriente: eorum quæ suo loco superiùs dicta sunt,meminisse debes:nempe petitum illis, vt præter nomen Acacij & præcipuorum nominatorum hæreticorum, quæ omnino fuerunt è Diptychis abradenda, reliquorum, qui communicatione ipsorum polluti essent, permanere sinerentur,id præsertim summa importunitate exposcentibus populis. Insuper & ingestum fuisse diximus, vt dici omnino deberet Iesum Christum crucifixum vnum de Trinitate.Sed & in memoriam reuoca, quanta ista fuerint petita & expetita diligẽtia atque licentia,quotq; litteris ijsdemq; grauissimis inculcata, tot arietibus Romani Pontificis tentata constantia: vt impossibile potuisset videri, non flecti, & cuncta petentibus non indulgere. hæc inquam omnia tibi sunt memoria recolenda, quò ea quæ dicenda erunt, cùm fueris assecutus, magis magisq; mireris. C

Hormisda igitur cùm ad Synodum,tum ad Epiphanium Constantinopolitanum Episcopum,necnon etiam ad Imperatorem epistolas [c] hoc anno reddidit septimo Kal. Aprilis: extant quidem ipsæ: nos verò ex eis tres tantùm reddemus, quarum duæ sunt ad Iustinum datæ,vna verò eademq; nouissima ad Epiphanium.In duarum autem illarum altera,quam ad Iustinum dedit Hormisda, in eo versatur primùm, vt commendet pietatem Imperatoris ob munus legationis impensum; mox verò responsionem ad ea quæ petierat Imperator, vt reciperẽtur ad communionem illi,qui damnato Acacij nomine,reliquorum qui ei communicauerant Episcoporum nomina in Diptychis retinerent,subijcit: & de illa adeò ventilata quæstione pertractat,num vnus de Trinitate in carne passus dici deberet. Sed ipsam ad Iustinum epistolam audiamus,quæ sic se habet [d]: D

[c] *Hormisd. epist.72.73. 75.76.*

[d] *Hormisd. epist. 75.* HORMISD. EPIST. AD IVSTINVM IMP.

Scio quidem,venerabilis Imperator, clementiam tuam conscientia boni operis tantùm esse contentam; nec in his, quæ pro Catholicæ Ecclesiæ vnitate disponitis, humanis laudibus indigere, & magni studij gloria non digna remuneratione vilescat. Quanta est enim circa eum humani summa præconij,cui contigit terrarum regna committi? Cùm eo noxia sint blandimenta adulationis suspicioni,quæ humilitas detulerit imperanti. Et aliàs secundùm Euangelicam traditionem necesse est, vt fructu supernæ remunerationis careat, qui retributionis laudem expectat.Hinc mansuetudinem vestram, omni bonitatis perfectione pollentem,ad Deum vniuersa,quæ memorabiliter facitis,referre non ambigo: nec caduca cogitantes ab illo expectatis pro actuum vestrorum retributione mercedem, quem bonorum omnium constat auctorem. E

Et tamen ego diuinis, quibus obsecundo, conuenio institutis, ne religiosæ conscientiæ vestræ beneficia conferta dissimilem:ne taciturnitas mea,quę vobis crescit ad gloriam mihi (quod absit) vertatur in culpam. Noui enim de illis decem Domini & Saluatoris nostri pietate mundatis, quia & nouem sunt nota ingratitudinis improbati,& vnus testimonium fidei & merita receptæ salutis retulit, qui gratiarum actionem sanatus exsoluit. Exequor exempla quæ didici,& quod per officij mihi crediti materiam prædico,sub occasione litterarij sermonis exhibeo.Ago gratias quãto ampliùs possum, etsi quantas debeo nõ possum: sed sola-

A sed solatium mihi est, quòd de beneficijs mecum vestris mundus exultat,& laceratę hactenus Ecclesiæ membra ad compagem suam reuocata gloriãtur. Reduxisti populis fidem,persecutus errorem: inclinata est superbia inimicorum Ecclesiæ Dei,& humilitas erecta Fidelium. Magna res tibi cõtigit, Imperator: magna in te emolumenta cum potestate coierunt. Quæ mereris,intellige: Non exiguam in te partem boni operis illius, quod vadens ad cælum Dominus noster Iesus Christus contulit,transtulisti: nam pacẽ,quam ille discipulis dedit,per te mundus inuenit. Non est dubiũ congratulari tibi Angelos cæli: nam si iuxta assertionem Euangelicam [a],lætitia est eis super vno peccatore saluato; quæ potest esse,populo? [a] *Lucæ 15.*

Salue Ezechias præsentis ætatis: nam etsi fuerunt ante eum Reges Iuda qui facerent bonum,nullus tamen eorum dissipauit Excelsa. Tu quoque schismatum & superbiæ dissipator,& cultus veteris restitutor, præsume tibi similitudinem illius annorum [b] augenda curri- [b] *4. Reg. 20.*
B cula,qui operum eius imitaris exempla. Hæc omnia, quæ ad maius gloriæ tuæ expectãt augmentum,non stimulo adhortationis alienæ, non vllis precibus excitatus aggrederis: solus tibi in consilio Deus: non est qui se ad participationem tanti operis tentet inserere: tibi debes actionis huius studium, tibi bonæ actionis affectum.

Tu me,venerabilis Imperator,Ecclesiæ vulnera tam longa mærentem,ad spem reddendæ salutis animasti. Tu me post tam continuos turbines iam penè desperatione cessantem, ad nouam tranquillitatẽ, directis vltro pijs litteris,excitasti: hoc quoque proculdubio diuina intelligentia cõferente,vt inter ipsa tui principatus exordia fidei eius dicares obsequium, cui acceptum debebas Imperium. Sed qui te ad incipienda hæc non potui primus impellere,nunc maiore fiducia tantis beneficijs compellor prouocatus orare, ne patiaris in re tam boni operis esse defectum: ne manus, quas ad Deum erigis, à cœpti operis perfectione sus-
C pendas. Negare non possum pro Domini nostri hæc me affectu & vnitatis exposcere: sed fateor,& saluti tuę pro tanta mansuetudinis gratia hæc studia me debere. Scriptũ est enim [c], [c] *Matt. 10.* quia qui perseuerauerit vsque ad finem, saluus erit. Nec vos aliquorum obstinatio reddat à proposito pigriores. Durum est,vt efficacior sit eorum pertinacia qui diuidũt pacem, quàm eorum qui asserunt vnitatem. Amentur vulnera,cùm prõuideantur pro salute remedia, & peroptabile * . . . putetur . . . mortuis, quàm inhærere cum viuis. **Desunt aliqua in scripto codice.*

An non æquum est, vt religiosi Principis subdantur imperio, qui non mouentur exemplo? Non omnis æger remedijs salubribus acquiescit: & medendi studium sæpe ipsis, quibus adhibetur,ingratum est: & tamen grata est pro salute necessitas, nec ipsi post respira- COGENDI SVNT ERRANTES, NON SEQVENDI.
tionem non sunt beneficijs obnoxij,qui curantur inuiti.] ista præfatus Hormisda, mox ad ea quæ petierat Imperator, vt ad communionem reciperentur Episcopi,sinerenturque eo-
D rumdem nomina in Diptychis remanere, qui, damnatis hæresibus, recepissent Chalcedonense Concilium,professique Catholicam fidem,fuissent tamen Acacij communione polluti,respondet id minimè concedi posse,cum talium communione vniuersa simul inficeretur Ecclesia; atque ait:

Cauenda est subtilium magna circumspectione calliditas,qui ingerunt difficilia,dum ni- IVSTE NEGAT HORMISDA INIVSTA PETITA.
tuntur labefactare composita. Et quis hoc possit admittere, vt ad illa per pacem credamur adduci, ad quæ non potuimus discordiæ necessitate compelli? Et putetur æquum,vt contra salutem Princeps subiectorum voluntatem sequatur, quam pro sua salute subiecti Principis non famulentur imperio? Ipsam tibi mecum, venerabilis fili, crede Ecclesiam Dei supplicare, vt eam sine macula & ruga (sicut scis Domino placere) custodias: nec in eam oculus ille,qui peruigilat,neuum aliquem,quem auersetur,aspiciat. Ama quod à Deo com-
E punctus elegisti,& intemeratum serua illud,cuius pars esse voluisti. Fuerit antè solicitudo tantum mea, nunc vnam nobis causam tua fecit esse clementia. Nec austeriorem me quisquam dicat esse prioribus; nec adhortatio alicuius pro sententiæ auctoritate teneatur. Diligentiorem me non pertinaciæ studium, sed scandala secuta fecerunt. Fortè inter initia locus esse potuit lenitati: malè (sicut notum est) per accessus præcedentium temporũ errorum augmenta creuerunt.

Non parui habeas,fili sanctissime, quod curasti. Vbi sancta Chalcedonensis Synodus,& inter sanctos venerandi Papæ Leonis religiosissima constituta locum alicuius honoris habuerunt? Vbi non aduersum tanta fidei fundamenta quasi quoddam bellicum hostium Dei insonuit exercitus? Quanto acrioribus hæc impetita sunt iaculis, tanto validioribus sunt munienda subsidijs. Rogo,clementissime Imperator,ne me aut ad deserenda hæc quæ dudum beneplacita sunt,aut mutanda compellas. Vox enim illa auribus meis indesinenter

[a] *Luc. 9.* immurmurat [a]: Quia nemo ad aratrum manum mittens, & post se respiciens, aptus est regno Dei: cùm in euidenti sit, quia pœnitentia malorum est operum, non bonorum. A

Sed quamquam his vrgemur angustijs, tamen propter mansuetudinis tuæ considerationem, & venerabilium legatorum Ioannis Episcopi, Heracliani presbyteri, & Constantini diaconi allegatio nos non inhumana permouit, qui innocentibus aut ignaris causæ remedia credidit esse poscenda: ad fratrem & coëpiscopum nostrum Epiphanium scripta transmisimus, vt memor fidei, memor religionis, quos dignos susceptione esse crediderit, & alienos à communione quam respuimus (sicut asseritur) innocentes eos ad societatem suę communionis admittat; libelli tamen, qui à nobis interpositus est, tenore seruato. Melius est enim & magis Deo placitum, si salua fide Ecclesiastico corpori iungantur abscissi, quàm in abscissos transeant qui in beati Petri immaculata communione manserunt. Data septimo Kalendas Aprilis, Valerio V. C. Consule.] hactenus epistola Hormisdæ ad Iustinum Augustum: ex qua planè intelligis, quòd & alias sæpiùs demonstratum est, quanta videlicet Romani Pontifices custodierint diligentia, quantoq; studio procurarint, ne pollueretur hæreticorum quauis macula Ecclesia sancta, sed conseruata semper illibata communione Apostolicæ sedis, in suo candore integra permaneret. B

Quid verò idem Hormisda Papa eidem Imperatori responderit ad agitatam illam tam in Oriente quàm in Occidente quæstionem de vno ex Trinitate passo in carne, posterior eiusdem epistola eo argumento conscripta docet: cuius vt singula verba possint expendi, hic verbatim ipsa reddenda erit. Accipe igitur ex ea, quid consultus interpellatusque magister Ecclesiæ è cathedra Petri respondeat, & quomodo omni purgatum scoria aurum obrizum è diuinæ sapientiæ conflatorio depromptum petentibus eroget. Potuisset quidem falli quiuis homo ingenij perspicacis (vt verè aliquos deceptos vidimus) ad impostorum subdolam artem: sed qui clauem habebat scientiæ, minimè circumueniri potuit; & ne alij fallerentur, eam ad Imperatorem epistolam scripsit, quam voluit (vt ipse testatus est in litteris ad Iustinianū [b]) publicam esse omnibus instructionem. Ita quidem qui doctoris officio vniuersæ præest Ecclesiæ, non Imperatorem dumtaxat, ad quem scripsit, erudiendum suscepit; sed omnes agentes vbique Fideles, pendentes ab ipsius ore Pontificis, expectante sque, quæ eius esset de re tanta sententia, voluit erudiri. Porrò ea epistola Orbi nota, non fiat nobis incognita, sed hîc ipsam reddamus [c]: C

[b] *Hormisd. epist. 44.*

[c] *Hormisd. epist. 76.*

HORMISDA AD IVSTINVM IMP.

Hormisda Iustino Augusto.

Inter ea quæ ad vnitatem Ecclesiæ pertinentia, propter quam Deus clementiæ vestræ elegit Imperium, in litteras contulistis: hæc quoque, venerabilis Imperator, cura fidei, cui multipliciter vos studere declaratis, adiecit, vt aliquorum preces perferendæ ad humilitatis meæ notitiam iungerentur: quibus vel quid quęstionis oriretur, agnoscerem, vel ad summouendum propositæ consultationis ambiguum responsum à me religiosæ scientiæ conueniens redderetur. Legi omnia solicitudine qua decebat: & licet ad responsi plenitudinem sufficere potuisset, si illa tantùm quæ à veteribus sunt definita rescriberem; tamen vt religiosi propositi vestri remunerarem affectum, non subtrahendum credidi mei quoque sermonis obsequium. Quid enim est, quod emergentibus Nestorij & Eutychetis venenis, paterna omisit instructio? penè omnes impietates cum inuentoribus tam nefandorum dogmatum conuenientia in vnum Synodica decreta presserunt: nec vlterius remansit locus vllus, tam diris perfidiæ seminibus amputatis, aut Christum Dominum nostrum credere sine carnis fuisse veritate, aut eumdem non Deum & hominem de materni vteri intemerata fœcunditate prodijsse; cùm alter eorum dispensationem qua saluati sumus, negando, quantum in se est, irritam faceret; alter opinione contraria, sed impietate consimili, in eodem Domino nostro Iesu Christo potestatem diuinam à vera humanitate secluderet: neque ille recordatus, quia palpandam carnem suam Christus ostendit; nec ille Euangelij memor, Verbum carnem factum esse dicentis, cui vox Domini indeficienter insonare deberat, qua dixit & docuit [d]: Nemo ascendit in cælum, nisi qui de cælo descendit Filius hominis, qui est in cælo. D E

DOCTRINA FIDEI SATIS A MAIORIBVS ELVCIDATA.

[d] *Ioan. 3.*

Sæpe hæc & multis præcedentium sunt comprehensa sententijs: sed nec clementia vestra, licet iam dicta sint, fastidiosè poterit repetita cognoscere: nec nobis pudor est, ea quæ sunt à prædecessoribus nostris prædicta, reuoluere. Neque enim possibile est vt sit diuersitas prædicationis, vbi vna est forma veritatis; nec ab re iudicabitur alienum, si cum his, cum quibus conuenimus fide, congruamus & dogmate. Reuoluantur pijs mansuetudinis vestræ

auribus

A auribus decreta Synodica,& beati Papæ Leonis conuenientia sacræ fidei constituta: eadem inuenietis in illis,quę recensueritis in nostris. Quid ergo est post illum fontem fidelium statutorum? quid amplius (si tamen fidei terminum seruat) quamlibet curiosus scrutator inquirat, aut opere, aut institutione perfectius? nisi fortè mauult quisquam dubitare, quàm credere; certare,quàm nosse; sequi dubia,quàm seruare decreta.

Nam si Trinitas Deus,hoc est,Pater & Filius & Spiritus sanctus, Deus autem vnus, specialiter legislatore dicente[a]: Audi Israël, Dominus Deus tuus, Deus vnus est: qui aliter habet,necesse est aut diuinitatem in multa diuidens, aut specialiter passionẽ ipsi essentiæ Trinitatis impingat,& (quod absit à Fidelium mentibus) hoc est aut plures deos more profano Gentilitatis inducere, aut sensibilem pœnam ad eam naturam, quæ aliena est ab omni passione,transferre. Vnum est, sancta Trinitas non multiplicatur numero, non crescit au- B gmento: nec potest aut intelligentia comprehendi, aut hoc quod Deus est, discretione seiungi. Quis ergo ille secreto æternæ impenetrabilisq; substãtiæ,quod nulla vel inuisibilium naturarum potuit inuestigare natura,profanam diuisionem tentet ingerere, & diuini arcana mysterij reuocare ad calculum moris humani?

[a] *Deut. 6.*

DIVINA SVBSTANTIA SINE NVMERO INDIVISA.

Adoremus Patrem & Filium & Spiritum sanctum, indistinctam* distinctè, incomprehensibilem & inenarrabilem substantiam Trinitatis: vbi etsi admittit numerum ratio personarum,vnitas tamen non admittit essentiæ separationem: ita tamen, vt seruemus diuinæ propria naturæ, seruemus propria vnicuique personæ, nec personis diuinitatis singularitas denegetur,nec ad essentiam hoc quod est proprium nominum transferatur. Magnum est sanctæ & incomprehensibile mysterium Trinitatis,Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus sanctus,Trinitas indiuisa: & tamẽ notum est,quia proprium est Patris vt generaret Filium, C proprium Filij Dei vt ex Patre Patri nasceretur æqualis,proprium Spiritus sancti vt de Patre & Filio procederet sub vna substantia Deitatis.

* indiuisam

Proprium quoque Filij Dei, vt iuxta id quod scriptum est[b], in nouissimis temporibus Verbum caro fieret, & habitaret in nobis: ita intra viscera sanctæ Mariæ Virginis genitricis Dei vnitis vtrisque sine aliqua confusione naturis, vt qui ante tempora erat Filius Dei, fieret Filius hominis; & nasceretur in tempore hominis more, matris vuluam natus non aperiens,& virginitatem matris Deitatis virtute non soluens. Dignum planè Deo nascente mysterium, vt seruaret partum sine corruptione, qui conceptum fecit esse sine semine, seruans quod ex Patre erat, & repræsentans quod ex matre suscepit: nam iacens in præsepio, videbatur in cælo; inuolutus pannis, adoratur à Magis; inter animalia editus, ab Angelis nunciatur; vix egressus infantiam,& annuncians mysticam sine instituente doctrinam, in- D ter rudimenta annorum puerilium edens cælestia signa virtutum.

[b] *1. Pet. 1. Ioan. 1.*

DE VERBI INCARNATIONE.

Idem enim Deus & homo, non (vt ab infidelibus dicitur) sub quartæ introductione personæ, sed ipse Dei Filius Deus & homo,id est, virtus & infirmitas, humilitas & maiestas, redimens & vẽditus, in cruce positus & cæli regna largitus,ita nostræ infirmitatis particeps, vt posset interimi; ita ingenitæ potentiæ Dominus,ne posset morte cõsumi: sepultus est iuxta id quod homo voluit nasci,& iuxta id quod Patri erat similis resurrexit, patiens vulnerum & saluator ægrorum, vnus defunctorum & viuificator obeuntium, ad inferna descendens & à Patris gremio non recedens: Vnde & animam, quam pro communi conditione posuit,pro singulari virtute & admirabili patientia mox resumpsit.

Hæc ita esse, nec vllam dubitationem oportere recipere, idem Dominus noster Iesus Christus,ne inter corporis passiones Deus non esse crederetur, aut ne Deus tantùm & non E homo inter opera mirabilium stupẽda virtutum,proposito nos duorum Apostolorum informauit exemplo, Deum esse Christum Dominum nostrum Petri fide, hominem Thomæ dubitatione declarans. Quid enim intererat, vt quem se homines dicerent, discipulos suos vellet inquirere[c], nisi vt respondente Petro, Tu es Christus Filius Dei viui,notum faceret, hoc non de carne & sanguine proditum, sed à Patre inspirante reuelatum, & per testimonium laudatæ responsionis fides patefactæ fieret veritatis? Quid intererat, vt apparente post resurrectionem Domino, Thomas[d] tamen aut deesset ceteris,aut solus ambigeret, nisi vt mundus crederet quod ambigens discipulus exploraret; vt dum vnius manibus se pateretur tangi, ad vniuersitatem Fidelium quid esset, possit agnosci? Non ergo ad improbandum discipulum interposita est dubitatio,sed quæsita posteritatis instructio. An ne ad aliud spectat, quod se idem Dominus Cleophæ cum alio discipulo, cùm ad Emaus tendentes[e] de se loquerentur, inseruit; & quamquam de resurrectione Domini per mulieres,

[c] *Matt. 16.*

[d] *Ioan. 20.*

[e] *Luc. 24.*

quæ primæ ad monumentum conuenerunt, agnouissent; tamen vt per eorum dubitatio- A
nem daret credendi futuris sæculis firmitatem, incipiens à Moyse & omnibus Prophetis, oportuisse pati Christum, & ita intrare in gloriam suam, interpretatus Scripturas ostendit, & per passionem humanam naturam, & diuinam in eo esse per gloriam, multipliciter hæc sanctarum Scripturarum testificatus exemplis?

Hæc apud religiosam conscientiam tuam, venerabilis Imperator, non tamquam ignota dicuntur. Fides enim ipsa, quæ à te constanter asseritur, tibi reddit hoc muneris, vt sensibus tuis & affectum sui inserat, & scientiam, per quam diligentiùs asseratur, infundat. Et tamen interest dispensationis mihi creditæ, vt ego quoque vel apud scientes nota non taceam; vt succedente sibi per vices temporum Catholicorum prædicatione sensuum, quod indeficienter asseritur, sine fine credatur.

Latiùs hæc quę ad Deitatem humanitatemq; Domini nostri Iesu Christi pertinent, & in B
eo vnitas duas sine confusione naturas, potui secũdùm veterũ definita differere, si esset aduersum eos, qui his dissentiunt, disputandum: sed cùm in manibus omnium sint & Synodica constituta, & beati Papæ Leonis dogmata; perstrinxisse potiùs pauca, quàm euoluere credidi conuenientius vniuersa. Nunc verò agnoscere satis est, & cauere ita proprietatem & essentiam cogitandã, vt sciatur quid personæ, quid nos oporteat deferre substantiæ: quæ qui indecenter ignorant, aut callida impietate dissimulant, dum omittũt quid sit proprium Filij, trinæ intendunt insidias vnitati. Sed si quæ prædicta sunt, validis teneantur fixa radicibus; nec à paterna traditione receditur, & constanter quæstionibus obuiatur. Data septimo Kalendas Aprilis, Valerio viro clarissimo Consule.]

Sic igitur hæc de mysterio sanctissimæ Trinitatis & diuina Verbi incarnatione Hormis- C
da Pontifex scripsit (vt dictum est) Imperatori, quo omnibus Fidelibus profutura promulgarentur vbique; & sic fixa sacra anchora fidei, haud ventorum impulsibus ipsa Christiana religio pateret exposita, arbitrioque nouantium impelleretur in syrtes Eutychianæ blasphemiæ: ita planè opportunè monente, prædicante, atque importunè ob maximum rei pon-
[a] 1. Tim. 6. dus clamante, qui Petro clauum tenenti assidet, Paulo [a]: Profanas vocum nouitates deuita.] explodendaq; tunc penitus nouitas fuit, quantumlibet præseferret speciem pietatis & veritatis, cùm captiosè ab Eutychianis diceretur vnus ex Trinitate passus. Latro planè at-
[b] Ioan. 10. que fur quisque aliunde ascendens, & non per patens ostium intrans, verbis [b] Domini esse conuincitur. Etenim si cor eorum rectum cum Deo fuisset; vtique per viam à Patribus omnibus ceteriq; Fidelibus calcatam perambulassent; atque sanctè pieque absque ambiguitatum ambagibus dictum ab ipsis fuisset, more maiorum, Deus Filius in carne passus, aut Verbum caro factum passum, siue secunda Trinitatis persona, aut suppositum, siue subsi- D
stentia in carne passa. Cùm igitur tot vsurpatis à Patribus nomenclaturis veritas Catholica adeò copiosè pandatur: quid in ambiguitatis angustias eamdem comprimendam oportuit coniecisse? Regiam amat viam, perspicuamque cupit Catholica fides, vitat obliqua, secreta refugit, anfractus declinat, nescit deuia, vel inaccessa, in quibus scit posse occultari latrones. vnde vel ex hoc ipso iure quisquis in suspicionem adduci possit hæreticæ prauitatis, quantumlibet pietatis speciem præseferat, cùm à communi Ecclesiæ traditione, vocibusque receptis abhorret.

IMITATIONE DIGNVM HORMISDAE EXEMPLVM. Admiranda sanè Hormisdæ stantis super speculam sedula vigilantia, & imitandum posteris exemplum curæ sacerdotalis, dum & à longè odoratus insidias, ex eminenti cathedra, vt dolos caueant, cunctis Fidelibus clamat: spectandum planè, sectandumque pariter quod edidit dignum specimen inconcussi roboris Pontificij, dum tot litteris flecti, vel la- E
tum vnguem moueri minimè passus est à prædecessorum vestigijs, quibus firmiter insistebat: cùm alioqui propositas nouas voces absque fidei præiudicio, apposita interpretatione, ob bonum pacis (vt aiebant) recipere potuisset; vt à successoribus factum est postea, vbi suspicio procul abfuit, & causa recens emersa fieri persuasit: modò verò recta ratione aliud ab eo exigente, noluit eiusmodi patere perfidis aditum, nec per secretum accessum quempiam mentita tessera pietatis admittere, sciens carere postico domum Dei, vnamque solùm patere cunctis introeuntibus ianuam Catholicæ veritatis, per quam dumtaxat si quis introierit, saluari possit.

His itaque decretis, scriptisque ad Imperatorem Hormisda, vt inuiolatè custodirentur in Oriente, nouitasq; illa verborum penitus deleretur, ac ne reciperentur qui in communicatione Acacij defuncti essent: hæc vt penitus seruarentur, suas vices legauit idem Pontifex

Epiphanio

A Epiphanio Episcopo Constantinopolitano, qui Apostolicæ sedis nomine lapsos cum libellis reciperet, ita tamen, vt (ne quid subreperet hæreticæ communionis fermenti) singulorum libellos Romam ad ipsum Pontificem mitteret: tantum enim abfuit, vt quod petebant Imperator & alij, vt sineret ob bonum pacis ad Ecclesiam admitti populos qui tenacissimi erant nominum suorum Episcoporum communicatione Acacij pollutorum, vt nec recipi vel vnum pati voluerit, libello non penitus explorato, Romamq; misso. Quibus intelligas, quanta super omnes Romanus Pontifex polleret auctoritate, licet adhuc sub Rege Gotho ipsa Romana lugeret Ecclesia. Sed describamus epistolam ipsam, quam polliciti sumus, eodem argumento quo & scripserat ad Imperatorem, ad Epiphanium ab Hormisda datam, quæ sic se habet[a]:

[a] *Hormisd. epist. 77.*

Hormisda Epiphanio Episcopo Constantinopolitano.

HORMISD. EPISTOLA AD EPIPHANIVM.

B Multo gaudio sum repletus, quòd circa Ecclesiæ pacem & sanctissimi Imperatoris & dilectionis tuæ tale studium, quale litteris indicasti, legatorum quoque meorũ assertione cognoui. Manifesta enim hinc supernæ misericordiæ documenta produntur, quãdo & humani Principes causam fidei cum Reipublicæ ordinatione coniungunt; & Ecclesiarum Præsules, quod ad dispensationem suam pertinet, officij memores exequuntur. Talibus indigebat post discordiæ procellas religio Christiana rectoribus, qui compressis prouida dispensatione turbinibus, diu peregrinatam pacem, depulsa tempestate, reducerent; & in futura sæcula propositi sui exempla tendentes, sibi ascribendum indubitanter ostenderent, quicquid Deo placitum posteri pro sua imitatione fecissent.

Benedicamus Deum, frater charissime, nostris hoc diebus fuisse concessum; & totis orationum & curarum viribus annitamur, vt quæ per Dei nostri opem benè correcta sunt, ipso
C adiuuante, per omnia compleantur. Sperandum enim est, vt ad compagem corporis sui reliqua quoque, quæ adhuc diuisa sunt, membra festinent, & à potioribus minora non discrepent. Ad quod cùm me dilectio tua Christianæ studio charitatis hortetur; debet, quod incitat, sequi; & quod amandum suadet, amplecti. Similem enim iam fidei curam gerentes, per religiosam patiẽtiam par etiam præmium de boni operis speramus effectu: neque enim difficultatibus est cedendum. Non fatigatur asperis fides; nec ad cælorum ardua per procliue contenditur; nec remunerationem citra laboris exercitia quis meretur. Vnde ne facientes bona deficiamus, specialiter admonemur[b]. Beati etiam, teste Psalmista[c], qui custodiunt iudicium, & faciunt iustitiam in omni tempore: quia non initium laboris remunerationem præmij consueuit inuenire, sed terminus. Ergo par studium solicitudinis assumentes, quibus est vna in communione & credulitate societas, quemadmodum de adunata sedi

[b] *Gal. 6.*
[c] *Psal. 105.*

D Apostolicæ Constantinopolitana Ecclesia pariter exultamus in Domino, ita de reliquarum quoque (sicut affectuosè admones) redintegratione: curemus primùm, vt fidem, integritatemq; nostram immaculatam ab omni contagione seruemus. Nosti enim, frater sanctissime, quæ Ecclesiasticam seruent vincula concordiam, quæ nos ab hæreticorum tueantur insidijs, per quæ etiam canonum custodiatur auctoritas. His in robore suo omni circumspectione seruatis, remedia sperantibus conferantur.

Habet enim & Ecclesiarum ordo regularum & ipsius forma iustitiæ, vt medicina rationabilis benignè & fideliter sperantibus non negetur: nec quisquam ita est ab humanitate discretus, quem non à rigore discretionis inclinet incauta simplicitas. Sed vt cautè hoc citra querelam, aut erroris alicuius næuum valeat expediri, dilectissime frater, personam meam & in hoc oportet induere, scientem & in huiusmodi causis (sicut prædictum
E est) quid faciendum sit, quid cauendum: ita omnia prouidenda, vt non ambigas rationem dispensationis huius Deo esse reddendam: ita tamen, vt eos qui fuerunt vobis communione sociati, vel per vos sedi Apostolicæ, vestra nobis scripta declarent, quibus etiam continentia libellorum, quos obtulerint, inferatur. sic enim & Seueri, vel complicum eius, vel similium absoluemus errores; nec eorum, qui sanari potuerint, dispendia patiemur. Quod ideo specialiter vobis credimus imponendum, ad diligentiam vestram nostra onera transferentes: quia non parua iam documenta, resistentes hæreticis, edidistis: nec debet de eo ambigi, quem benè contigerit explorari. Simul assume remedia medicinæ, simul accingere auctoritate iustitiæ; & sic circa supplices auctoritate mollire, vt in hæreticorum contagione perdurantes, aut eos qui innocentiam simulant, & cum nostris sola voce consentiunt, ab his quibus pro Ecclesiæ reintegratione consulitur & prouidetur, excludas: nec enim expedit circa hos Ecclesiasticam temperare censuram. Non enim erunt miserationis

SVAS VICES DELEGAT EPIPHANIO HORMISDA PAPA.

bona pro eorum, quibus consuli oportet, necessitate collata, si indiscretè fuerint bonis ma- A
lisque communia.

DE CAVSA ECCL. HIEROSOLYMITANAE. Et quia Hierosolymitanorum quoque faciebat in tuis litteris tua dilectio mentionem, quorum etiam ad nos quædam delata professio: necessarium duximus vel recensere quæ scripta sunt, vel respondere quæ congrua. Qui si sanctorum Patrum constituta custodiunt, si illa fidei fundamenta venerantur; ab his, quæ per eos, sancto Spiritu compungente, definita sunt, non recedant. Aut enim perfecta sunt, ita vt sunt, & adiectione non indigent; aut bene valida, & ideo non mutanda; quando per ea omnia hæreticorũ venena compressa sunt: nec quicquam Chalcedonensis Synodus, quod vtile qualibet diligentia potuisset excogitare, præterijt, quæ præcedentium quoque dogmata vel clariùs manifestauit, vel repetita auctoritate firmauit; speciale quoddam aduersus Nestorium & Eutychetem aggressa certamen, alterum Deitatem Dei nostri Iesu Christi à carne separantem, & ideo sanctam Ma- B
riam Dei genitricem pronunciare vitantem; alterum veritatem carnis in Domino renuentem, quando Dominus noster Iesus Christus idem Filius Dei, idem Filius hominis, vna in duabus persona naturis, diuinitatis & humanitatis carnis, nec naturis adunatione confusis, non velut quarta persona addita Trinitati, sed ipse Filius Dei exinaniens semetipsum & formam serui accipiens[a]: propter quod & vnam nec diuisibilem profitemur essentiam Trinitatis, & proprietatem tamen suam scimus inesse personis, vnam Patris, vnam Filij Dei cum assumpta carne, vnam Spiritus sancti, & personas proprietatibus designantes, & per vnitatem essentiæ inseparabile Trinitatis mysterium confirmantes.

[a] *Philip. 2.*

Neque enim ambigi potest, Verbum Dei intra matris viscera per carnem humanam assumpsisse naturam, nec post à se intra vuluam naturam vnitione diuisam: nam vt humanitas sine Deo edita, sic in cruce non est impassibilis diuinitas à carnis passione diuisa: quod C
Virginis partus & intemerata fœcunditas, & singularis à mortuis resurrectio, & ad cælos declarat ascensio. Hæc si quemadmodum à Patribus constituta sunt, seruant, credant, non definita transcendant: à quo tramite qui declinant, ipsi sibi nebulam dubitationis offundunt. [b] Nobis autem illud Apostolicum contentiosis respondere necesse est[b]: Nos hanc consuetudinem non habemus, nec Ecclesia Dei. Hæc ideo breuiter, quia nec ambigere conuenit de rebus iuxta fidem sæpiùs definitis, & penè superuacua est allegatio, quæ adhibetur instructis, cùm super hac re & ad clementissimum Principem filium nostrum non pauca perstrinxerim.

[b] 1. Cor. 11.

Et quia de Hierosolymitanorum propositione respondimus: hoc quoque æstimauimus salutis eorum causa competenter addendum: vt si cõmunionis Apostolicæ desiderant vnitatem, professionem suam scripto inditam, quam legatis nostris apud Cõstantinopolim po- D
sitis obtulerunt, aut per suos ad nos dirigant, aut fraternitati vestræ tradant, eodem tamen (sicut diximus) tenore conscriptam, quæ ad nos modis omnibus sub vestra ordinatione deferatur. Nam de Thessalonicensibus, quorum ad nos legati sub clementissimi & fidelissimi Principis filij nostri ordinatione venerunt, ne quid omisisse credamur; nosse vos volumus, secundùm hoc quod Domino nostro Iesu Christo inspirãte placuerit, causam omnem nostri dispositione tractandam: Et si quod oportet, impleuerint, ordinanda hæc per fratrẽ nostrum & coepiscopum venerabilem virũ Ioannem, sed & filios nostros Heraclianum presbyterum & Constantinum diaconum Ecclesiastico honore dignissimos. Ad causam pertinentia conscripsisse contenti, gratulati sumus in viro ordinis nostri par meritum & religiosum nos inuenisse propositum, & cum legatione mandata sapientia & moribus congruentem. Votiua enim res & plena gaudij est, vt sint iusta æstimatione probabiles, quos E
communionis & officij contigerit esse consortes. Data septimo Kalendas Aprilis, Valerio viro clarissimo Consule.] hactenus ad Epiphanium Hormisda Papa.

DIMISSI ORIENTALES LEGATI. Sic igitur his pro restitutione lapsorum decretis legibus, & de fide Catholica confirmatis veteribus sanctionibus, quomodo occurrendum hæreticis, atque subueniendum schismaticis foret, ita vt ex omni parte integritati fidei & puritati Catholicæ communionis consultum esset, Hormisda detentos hieme Romæ legatos de omnibus optimè institutos, & de institutis plenè persuasos in pace dimisit, cuncta se obtinuisse putantes; dum licet non illa ipsa quæ venerant rogaturi, tamen quæ veritati essent consentanea, traditionibus consona, diuinis legibus consentientia, sacris canonibus congruentia, petentibus vtilia, dantibus non indigna assecutos se esse sentirent.

Exemplum planè ab Hormisda est posteris traditum Pontificibus, quod acceptum ipse

à maiori-

A à maioribus reliquit integrè custoditum, non ob gratiam Imperatorum vel Regum quantumlibet importunè petentium, non precibus quorumlibet magnorum Antistitum vel ex Synodo ad id præstandum vrgentium, non cuiusuis dignæ causæ prætextu, quo magnarum etiam prouinciarum restitutionem fieri pollicerentur, debere Romanos Episcopos, quibus curæ est custodire depositum Christianæ religionis, vel minimum quid deflecti, cùm à maioribus accepta fides vel læditur, aut in suspicionem adducitur, vel traditio sauciatur, aut illibata semper existens communicatio Catholica custodita polluitur. Stet igitur aduersus Principes indigna conantes Petri sacerdotale robur immotum, cui & portæ inferi, promissione Domini, prævalere non possunt. QVID PRÆSTANDVM A ROMANIS PONTIFICIBVS.

Inter hæc autem Antiochena Ecclesia diu ab hæreticorum antesignanis possessa licet, illinc fugato Seuero, Catholicus (vt vidimus) Paulus datus esset Antistes, tamen magno- PAVLVS EPISCOPVS ANTIOCH. SE ABDICAT.
B pere fluctuauit, non hæreticis (vt priùs) iugiter tumultuantibus, vel ipsis ciuibus inter se mutuo confligentibus; sed, quod dolendum fuit, qui illi Præsul datus erat Paulus, ita moribus labefactatus apparuit, vt tantum abfuerit quod per ipsum ad Catholicam communionem hæretici restituerentur, vt etiam Orthodoxi ab ipsius communione desciscerent, immo & eius domestici ob eam causam ab ipso defecerint: Quamobrem cùm etiam eo tempore, antequam legati Apostolicæ sedis recederent Constantinopoli, aduersus eum ijsdem legatis accusationum libelli darentur, & post eorum discessum aliæ multiplicarentur de ipso querelæ; malè sibi conscius miser sponte se abdicauit. O mortalium iudicium in personis deligendis infirmum! Qui tanta habita circumspectione legatorum in primis Apostolicę sedis, Imperatoris, Constantinopolis Patriarchę, & aliorum ibi degentium Episcoporum, miro omnium consensu delectus est ex multis, tanto omnium præconio celebratus & accla-
C matus; ille ipse omnium deterrimus prodijt atque nefandus, vt ex his intelliges litteris, quas ineunte mense Maio Iustinus Imp. ad Romanum Pontificem dedit his verbis [a]:

Iustinus Augustus Hormisdæ Papæ.

[a] *Extant inter Hormisdæ Papæ epist.*

Vt quod in Paulo viro reuerendissimo contigit, Apostolatui vestro patefiat: qui sacerdotio præditus Antiochenæ ciuitatis, ita versatus esse dicitur in multis causis, quæ religiosis alienæ sunt Episcopis, vt clericorum suorum proditione, habitatorum etiam dictæ ciuitatis, aliorum insuper frequentium incusaretur, non tantùm legatis vestræ sanctitudinis in hac regia positis vrbe (vt ipsos quoque retinere censemus) verùm post eorum recessum: qui malæ conscientiæ suæ victus testimonio, veritus insuper, ne quæstione habita, grauiorem formam exitus rei posceret; recusatores libellos obtulit, vt liceret ei secedere à suscepto (sicut dictum est) Episcopatus officio. IVSTINVS AD HORMISDAM DE PAVLO ANTIOCH. EPISCOPO.

D Quoniam igitur cordi nobis est & fuit, vt semper ciuitatum Antistites in amore sint omnium communi, quorum regendas acceperunt animas: Paulus autem vir reuerendissimus vltro se suo (prout memorauimus) abdicauit sacerdotio: præsentem epistolam duximus dirigendam, vt vobis aperiatur, & orationibus proprijs cęleste nobis auxilium dignetur acquirere. Data Kal. Maijs, Constantinopoli, Iustiniano & Valerio VV. CC. Consulibus.] Scripsit & de his Epiphanius Constantinopolitanus Antistes ad Romanum Pontificem epistolam, cuius est exordium: Frequentiores quidem litteras ad vestram beatitudinem, &c.] Licet autem quę Pauli crimina fuerint, neuter explicet: satis tamen fuisse enormia, ex eo quisque poterit existimare, dum suis litteris Epiphanius testatur, ob eam causam nonnullos scandalum passos, sese ab Ecclesia Catholica separasse, ea opinione falsa deceptos, haud re-
E ctam esse posse fidem, vbi adeò praua facta virescerent: sed valde pusilli est animi, debilisq; ingenij, immo & insanæ mentis indicium, fidem ex factis hominum, non ex Dei verbis iudicare sineram. Sed qui se abdicando, hominum sententiam euitasse putauit, diuinum iudicium non effugit, quo dira admodum esse parata scandalum inferenti, testatur Euangelica [b] veritas: vocatus est enim mox ad terrificum tribunal Dei: nam post abdicationem citò morte præuentum fuisse Paulum, in locumque eius subrogatum Euphrasium, Euagrius ita docet [c]: Paulus, cui dabatur mandatum, vt Concilium Chalcedonense palàm prædicaret, sua sponte decedens Antiochia, certo iam vitæ cursu confecto, commune vniuersæ carnis iter ingreditur. Cuius Episcopatus sedem Euphrasius Hierosolymis Antiochiam profectus capessit.] hæc Euagrius. Sedisse visus est Paulus annos duos tantùm inchoatos: quomodo autem contigerit Euphrasij electio, latet. DEI VINDICTA IN PAVLVM EPISC. ANTIOCH.

[b] *Matt. 18.*

[c] *Euag. lib. 4. c. 4 in fin.*

Quæ verò post hæc Hormisda rescripserit, quæve alia operosissimus Pontifex de alijs emergentibus rebus Ecclesiasticis egerit vsque ad sequens biennium, quo superstes fuisse reperitur;

reperitur; extincta face rerum gestarum & temporum, quæ hactenus ex epistolis ipsius nobis illuxit, obscura penitus remanserunt. In hunc vsque annum citati codices Vaticanus & Auellanensis exhibuerunt nobis Hormisdæ & aliorum ad ipsum datas epistolas, post hæc autem altum silentium. Verùm ex rebus superiùs honorificentissimè gestis, cetera quoque ad obitum vsque eadem felicitate propagata esse, existimari facilè potest. A

ASTERIVS EPISC. ALEXANDR.

Hoc etiam anno iussu Iustini Imperatoris datus est Catholicis Alexandrinæ Ecclesiæ Catholicus Antistes Asterius nomine, hæreticis tamen impio Timotheo inhærẽtibus. haud enim passurus erat Orthodoxus Imperator tantam Ecclesiam Catholico carere Pontifice, quæ sub hereticis Imperatoribus Anastasio atque Zenone graui damno ab hæreticis detenta fuit Episcopis. Habes ergo interciſum esse Nicephori Chronicon, in quo desideratur Asterius Orthodoxus; quem Acta Aretæ martyris & sociorum, de quibus dicturi sumus anno sequenti, quàm fidelissimè produnt. Certè quidem nulla patitur ratio, vt dicatur sub B omnium maximè pio Imperatore caruisse Ecclesiam illam aliquo Episcopo Orthodoxo, ne apud eum melioris esse conditionis viderentur hæretici, quàm Catholici.

OBITVS S. BRIGIDAE.

Hoc insuper anno, sub dictis Consulibus, sancta Brigida Scota virgo in Hibernia diem clausit extremum. hęc in Chronico gentilis ipsius Marianus Scotus, cui potiùs assentiẽdum putamus, quàm ijs qui ante biennium defunctam ponunt. Erupit è glacialibus oris flos iste virginitatis Domino offerendus, ex quo ager ille diuinis foret benedictionibus locupletandus: ita quidem: nam sanctissimis & Apostolicis viris fœcundissimus extitit, feminisque magnitudine animi suum nescientibus sexum, & viros virtutibus superantibus; quarũ quidem, præter vetera, extant exempla recentia haud sanè vulgaria: sed de his suis opportunè locis dicendum erit. Porrò Acta præclara huius clarissimæ virginis extant [a], quæ pro animi arbitrio quisque consulere poterit: diem verò natalem eius anniuersarijs cyclis Ecclesia Catho- C lica ipsis Kalendis Februarij digna memoria celebrandum proponit.

[a] *Apud Sur. die 1. Febr.*

DE CONSVLATV SYMMACHI ET BOETII.

QVI sequitur Christi annus quingentesimus vigesimus secundus, clarissimorum virorum Symmachi atque Boetij Consulatu aperitur. Hic namque ille Symmachus esse videtur, ad quem idem Boetius scripsit commentarium illum, cuius est titulus: Quomodo Trinitas sit vnus Deus.] cuius viri pariter mentio habetur in Hormisdæ Papæ epistola [b] ad D legatos; ex qua colligi posse videtur, Orientalem Senatum dedisse Symmachum, Occidentalem verò Seuerinum Boetium exhibuisse Consulem. Porrò Boetij tertius hic numerãdus erit Consulatus, si qui superioribus temporibus recensentur duo Seuerini Boetij Consulatus, vnius eiusdemq; Boetij extiterunt. Sed emendes velim apud Bedam, vbi mentio habetur de tertio Boetij Consulatu verbis istis [c]: Boetius vir illustris, qui & Patricius fuit, tertium cum Symmacho gessit Consulatum: ad hunc pauperculæ Britannorum reliquiæ mittunt epistolam, &c.] emenda, inquam, restitueq; loco Boetij, Aetium, cuius tempore ea quæ scribit, fieri contigerunt, vt suo loco superiùs dictum est: contigit enim Consulatus Aetij cum Symmacho pariter collega anno Domini quadringentesimo quadragesimo sexto.

[b] *Hormisd. epist. 66.*

[c] *Beda de Gestis Anglor. lib. 1. c. 13.*

Quod autem ad eiusdem Boetij tertiùm Consulis de Trinitate ad Symmachum elucubrationem pertinet: præstare consueuit hæc ingeniũ feracissimum Theologicis quoque in- E stitutionibus non leuiter quidem tinctum, sed apprimè imbutum occasione emergentium disputationum, quæ his temporibus crebræ erant. Cùm & blaterantibus insipientibus quibusdam sciolis, & de sacris dogmatibus magno periculo ijsdem inscijs disputantibus, idem Boetius aduersus errorem Nestorij & Eutychetis disertum cõmentarium scripsit de duabus naturis & vna persona Christi, in quo sicut in eius tractatione præsefert Theologum disertissimum, ita & in fine operis (qualem decet esse Ecclesiasticum tractatorem) se exhibet modestissimum, dum hæc perorat; quæ vt memoria digna spectanda proponimus:

Hæc sunt, inquit, quæ ad te de fidei meæ credulitate scripsi. Qua in re si quid perperam dictum est; non ita sum amator mei, vt ea quæ semel effuderim, meliori sententiæ anteferre contendam. Si enim nihil est ex nobis boni: nihil est quod in nostris sententijs amare debeamus. Quod si ex illo cuncta sunt bona, qui solus est bonus: illud potiùs bonum esse

credendum

credendum est, quòd illa incommutabilis bonitas atque omnium bonorum causa præscribit.] ita quidem ipse, Deo accepta ferens omnium auctori, quæcumque aduersus hæreticos fuerit scribendo conatus; ex quo sententiam Domini ita dicentis intelligas [a]: Qui quærit gloriam eius qui misit eum, hic verax est.] & [b]: Qui ex semetipso loquitur, mendax est.] Sunt hæc planè symbola, quibus à Deo missos, & qui à Deo inspirati loquuntur, intelligas, cognoscasque legitimos verbi Dei dispensatores, à quibus [c] potissimùm illud exigitur, vt fidelis quis inueniatur. Adiecit ijsdem fermè temporibus in eodem argumento versatus, Vtrum Pater & Filius & Spiritus sanctus de Diuinitate substantialiter prædicentur.] inscripsit enim hoc titulo perbreue opusculum ad Ioannem Ecclesiæ Romanæ diaconum, fortasse illum, qui Hormisdæ in sede successit. At de Boetio Consule hactenus, quem parum nobis fuit ostendisse Consulari purpura illustratum, nisi ex patrocinio Catholicæ fidei maioribus exhibuissemus splendoribus auctum. Sed iam sub tanto Consule res anni huius gestas narrare aggrediamur.

[a] *Ioan.7.*
[b] *Ioan.8.*
[c] *1. Cor. 4.*

TRASAMVNDVS REX MORITVR.

Hoc eodem anno, Trasamundus Rex Vuandalorum in Africa, cùm regnasset (vt ait Procopius [d]) annos viginti septem & amplius menses quatuor (vt addit Isidorus [e]) ex hac vita decessit, instar Antiochi, desperatione rerum bellicarum sinistrè cedentium nimium afflictatus. Iusto namque Dei iudicio factum est, vt pulsis, relegatisque omnibus Orthodoxis Episcopis, ipse dirè infestaretur à Mauris, ab ijsdemque longè imparibus numero vinceretur: quod cùm paulo antè eius obitum accidisse Procopius tradat, hîc nos opportunè per gratam ab ipso scriptam recensеamus historiam: ait enim [f]:

[d] *Procop. de bello Vuand. lib. 1.*
[e] *Isidor. in Chron. Vuandal.*
[f] *Procop. de bello Vuand. lib. 1.*

Sub hoc item Vuandali magnum à Mauru sijs *(ita nominat Mauros)* incommodum accepere, quale numquam antea contigit. Cabaon Præfectus quidam apud Tripolim erat bello exercitatus & animo vafer: vbi audisset se à Vuandalis bello peti, talia commetus est. Primùm subditos iussit ab omni iniustitia & cibis lautioribus, prę terea à mulierum concubitu abstinere; geminum quoque vallum constitui, in altero vt ipse cum exercitu omni virorum esset, in altero mulieres conclusit, pœna mortis apposita, si quis ad id accederet.] hęc auctor de homine, quem quidem haud librorum sacrorum Christianę religionis expertem fuisse, significare videtur, dum iustitia, ieiunio, ac castitate hostes vincendos esse haud frustra putauit. Sed audi de Mauro maiora, ex quibus magis admiraberis animi eius in rectè iudicando lumen diuinitus impertitum. pergit enim Procopius:

IEIVNIO ET CASTITATE VINCI HOSTES.

Post hæc certos ante mittit exploratores cum his mandatis: Quàm primùm Vuandali exercitum mouerint, si aliquod templum ex his quæ Christiani honorant, profanauerint: vbi statim inde discesserint, contraria illis agant, templum videlicet purgando.] Fuit enim in more Vuandalis Arianis, vt Orthodoxorum ecclesias omni contumeliarum genere afficerent, ac penitus profanarent: quod Deo summopere displicere, homo etiam non Christianus, Christianarum tamen rerum haud otiosus inspector, considerans, prudens illud scitum; consilium inijt: Hoc enim (pergit auctor) non ab re dicebat, vt Deum, quem Christiani colunt, veneraretur: Nam si (aiebat) vt fertur, pius erit: par est vt iniquos ac ei cõtumeliam inferentes plectat, famulantibus verò præsto sit.] Audiant hæc Nouatores sacrarum ædium profanatores, demolitores, & incensores: & ex euentu rerum Dei iudicio interposito, velint, nolint, probent necesse est sententiam hominis barbari, vt paueſcant quod desuper imminet in sacrilegos venturum iudicium. Sed pergit Procopius:

CABAONIS SCITA CONSILIA.

Igitur exploratores vbi ad Vuandalos venerunt, eos; Tripolim cum exercitu petere conspexerunt, secuti sunt & ipsi simili habitu ac specie. Vuandali prima die in templis Christianorum se cum equis & alijs animalibus locant, nullum more ipsorum in Deum eius; habitationem probrum prætermittentes: sacerdotes; & ædituos colaphis terga verberantes, more vilium seruorum sibi ministrare cogebant.] erant hi sacri Dei ministri, qui, relegatis ipsorum Episcopis, soli remanserant in ecclesijs ruri positis, vnicum solatium Catholicę plebis; in quos Vuandali omne genus improperij exercebant. At exploratores (subdit Procopius) vbi discedentes vidissent, mandata Cabaonis protinus exequebantur; templa purgãt, stercus; ac si quid aliud immundum à gente turpissima relictum, educunt, odorem incendunt; sacerdotes ab eis ludibrio habitos adorant; argentum pauperibus præbent, qui pro templis rogantes consistebant. Sic igitur toto itinere Vuandalos secuti, quæ illi profanabant, ipsi continuò sedulitate ac omni pietate resarciebant.

VINCVNTVR PIETATE VVANDALI.

Vbi vero Cabaon hoc accepit, euestigiò exercitum in occursum educit, sepijtque vallo, camelis circa pro muro dispositis, ex ijsque duodecim in fronte collocauit: pueros autem ac femi-

VVANDALI A MAVRIS VICTI.

ac feminas, omnemq; imbellem turbam simul eum thesauro in medio ponit: fortissimos quosque ad camelorum pedes cum scutis constituit. Sic itaque collocatis Afris, Vuandali ancipites, quanam aggredi eos oporteret: non enim erant neque iaculatores, neque sagittarij, neque etiam pedites qui in pugnam procederent, sed tantùm equites omnes, hastis plurimùm ac ensibus vtentes, quibus nullo modo eminus aduersarijs nocere poterant: præterea equi à camelorum aspectu perterrefacti, progredi non audebant. Quapropter magna ipsorum strages, frequentibus ab hoste sagittis irruentibus, facta est. hæc igitur Trasamundus ab Afris passus, paulo pòst decessit Rex annis viginti septem.] hucusque Procopius. Scribit eadem Euagrius [a], additq; Vuandalos adeò fuisse bello isto exagitatos, vt ex ingentis numeri exercitu perpauci admodum ad propria reuerterint: quo præclaro & memorabili exemplo demonstratum est, quid pietas possit in bello, quantúmve impietas obsit. & quod est in Psalmo [b]: Cognoscetur Deus iudicia faciens.] cùm vel ex hoc tam perspicuo argumento Orthodoxa Ecclesia & in ea habitans Deus intelligatur: vt secundùm illud Isaiæ Prophetæ contingat [c]: Cùm feceris iudicia tua in terra, iustitiam discent habitatores Orbis.] tanta verò accepta clade, impium Regem mærore nimio affectum interijsse, iam diximus.

[a] *Euag lib. 4. c. 15.*

[b] *Psal. 9.*

[c] *Isai. 26.*

HILDERICVS REX VVANDALORVM.

Defuncto Trasamundo Vuandalorum Rege, regno potitur Hildericus filius Hunerici ex filia Valentiniani Imperatoris genitus, vt Isidorus est auctor, qui ait: Iste sacramento à prædecessore suo Trasamundo fuerat obstrictus, ne Catholicis in regno suo ecclesias aperiret, aut priuilegia restitueret: qui priusquam regnaret, ne religionem sacramenti violaret, præcepit sacerdotes Catholicos ab exilio reduci, & ecclesias aperiri.] hæc Isidorus. Sic igitur antequam Hildericus regni administrationem susciperet, omnes Episcopi exules in Sardinia & alibi ab exilio liberi in Africam rediere: de qua Episcoporum restitutione hæc Anastasius in Hormisda: Huius temporibus, Episcopatus in Africam reuocatus est post annos viginti septem *, qui ab hæreticis fuerat extterminatus.] ita planè deprauatus in codice numerus restituendus est: tot enim annis regnauit impius Trasamundus, qui eosdem ciecerat ab Africana Ecclesia sacerdotes. Simulac ergo ab Hilderico licentia illa fuit impartita: continuò plebs Catholica cum clero qui Carthagine repertus est, vno consensu, summaque concordia Carthaginensem Episcopum Bonifacium creauerunt; quem soluti ab exilio Episcopi Carthaginem redeuntes, magno gaudio considentem in cathedra Primatem totius Africæ salutarunt. At quod ad reditum spectat Episcoporum; quos dolentes ac vinctos deportatos in insulam vidimus, eosdem victores cum gaudio remeantes pariter consequamur: hæc autem quomodo se habuerint, Acta sancti Fulgentij feliciùs explicant verbis istis [d]:

* septuaginta quatuor

BONIFACIVS CREATVR EPISC. CARTHAG.

[d] *Vit. S. Fulg. apud Sur. tom. 1. die 1. Ianuar.*

REDITVS EXVLVM EPISCOPORVM CARTHAGINEM

Vt enim est dictatio ipsa finita, *nempe septem libri aduersus scripta Fausti Regiensis de gratia Dei, de quibus (vt vidimus ex epistolis Hormisdæ & Possessoris anno superiori) controuersia Constantinopoli mota erat, atque ad Hormisdam Romam delata*, protinus est longissimæ captiuitatis catena disrupta. Mors enim Trasamundi Regis, & mirabilis bonitas Hilderici regnare incipientis, Ecclesiæ Catholicæ per Africam restitutæ libertatem restituens, Carthaginensi plebi proprium donauit Antistitem, cunctisq; in locis ordinationes Pontificum fieri clementissima auctoritate mandauit.] hæc auctor, qui agens de reditu omnium Episcoporum, S. Fulgentij tamen præcipuè est affectatus vestigia, vtpote ipsius discipulus; eiusq; cum alijs collegis Episcopis reuersionem Carthaginem, triumphi instar, ita describit:

S. FVLGENTIVS QVANTA EXCEPTVS GLORIA.

Beatus igitur Fulgentius, postquam sapienter expugnauit Pelagianos, lætificatos meruit videre Catholicos. Inde secundùm quod per eum Spiritus sanctus prædixerat, reuersus est Carthaginem cũ omnibus consacerdotibus, vnde solus exierat. Inuenit lætos, quos reliquerat mæstos: inuenit nimia exultatione feruentes, quos reliquerat persecutionis violentiam sufferentes: inuenit habere spiritualem patrem, quos reliquerat dolẽtes Ecclesiam matrem: inuenit expectantes se cum gaudio, quos reliquerat gementes cum tædio. Tanta enim fuit deuotio Carthaginensium ciuium beatum Fulgentium reuisere cupientium: sic vniuersus populus expectabat ardenter, quem viderat in conspectu suo pugnasse viriliter, vt alijs Episcopis ante ipsum descendentibus, silens multitudo super littus staret, oculis & mentibus inter omnes Episcopos beatum Fulgentium, quem familiariter nouerat, quærens, & à cunctis nauibus beatum Fulgentium expetens.

Vbi verò facies apparuit, immensus nascitur clamor, altercantibus omnibus, quis primò salutaret agnoscendus, quis benedicenti caput supponeret, quis extremis vel saltem digitis mereretur tangere gradientem, quis videre vel oculis prõcul stantem. Resonabat

diuina

A diuina laus inomnibus linguis. Ad sancti quippe Agilei basilicam sequens populus, & populus præcedens,cõfessorum beatorum triumphum nobilem celebrabat. Multitudo enim maxima populi beatum Fulgentium, quem plus ceteris honorabat, concurrens alacriter, comprimebat; donec cauta quorumdam Christianorũ prouisio rotam in circuitu faciens, æstuanti liberum præberet iter in medio transeunti.

Probare tamen adhuc Dominus cupiens virorum fidelium charitatem, copiosis imbribus ambulantes mirabiliter inundauit. Et quis opera pietatis enarrare valeat absque dispendio veritatis? Immensa pluuia neminem terruit, aut obsequium sacerdoti glorioso præbere prohibuit: immo potiùs, veluti benedictione cælesti desuper descendente, tantum fides nobilium creuit, vt planetis super beatum Fulgentium grataner expansis, repellerent imbres, & nouum tabernaculi genus artificiosa charitate componerent, imitatores eorum effecti, B qui prioribus tẽporibus Saluatori super pullum asinæ considenti & Hierosolymam venienti vestimenta sua (sicut Euangelium loquitur [a]) in via sternebant. Vix ergo appropinquante vespere sanctæ memoriæ Bonifacio Episcopo *Carthaginensi* repręsentati, benedixerunt omnes & laudauerunt communiter Deum.] Quidni præ ceteris sanctus Fulgentius fuit illis omnibus maioribus obsequijs frequentandus, qui prę ceteris (vt superiori Annalium tomo dictum est) steterat aduersus Vuandalorum regem persecutorem intrepidus, dictis scriptisque in meditullio ipsius vrbis Carthaginensis Principem exagitans Arianum? sed iste fuit meritus de victoria adepta triumphus. Pergit verò auctor:

CARTHAGINENSIVM OBSEQVIA ERGA S. FVLGENTIVM.

[a] *Matt.* 21.

Tunc beatus Fulgentius per omnes vicos ciuitatis Carthaginensis, vbicumque transibat, manibus & oculis demonstrabatur, laudibusq; innumeris prædicabatur. Postquam autem cum gaudentibus gaudens, qui priùs fleuerat cum flentibus, cunctorum desideria satiauit; C vale faciens fratribus, egressus est de Carthagine, per omnes prolixi itineris vias gaudia maiora reperiens, in occursum suum populis vndique tendentibus cum lucernis & lampadibus & arborum frondibus.] erant obsequia ista lætitiæ signa, quibus & festos dies adornare Fideles consueuerunt, vt alijs superiùs exemplis est demonstratum. Sed addit auctor: Fauor & gloria ineffabilis beatum Fulgentium mirabiliter in conspectu omnium fecerant gloriosum. Per omnes Ecclesias tamquam proprius Episcopus suscipiebatur, & sic de reditu eius omnis Bizacena prouincia velut plebs vna gaudebat.] memores omnes quantum deberent viro, qui in tanto naufragio Ecclesię Africanæ, velut alter rediuiuus comparens Augustinus, verbi prædicatione, scriptorumq; editione ora impiorum obstruxerat, regiamq; potentiam reddiderat imbecillam, glorioſaq; confessione ac fidei professione pro miraculo inter hostes in ipsa Carthaginis vrbe Catholicam fidem fecerat tunc triumphare, cùm omnes Epi- D scopi Africani vincti in exilio tenerentur.

PLVRIMVM DEBVIT FVLGENTIO ECCLESIA AFRICANA.

At quid ipse Fulgentius, cùm tot tantisque ouationibus populorum vbique susceptus, & longiori via, longiori esset auctus vbique triumpho? non inflatur, sed maiora inde hausit virtutum emolumenta. Nam audi eius discipulum ipsius vestigia cominus assectantem: Quem, obsecro (inquit) gloriæ huius non extolleret magnitudo? beatum tamẽ Fulgentium ad maius humilitatis studium prouocauit. Veniens namque cum gloria populari, dignitatem Pontificis priuilegio specialis venerationis accumulans, postquam cathedram sedit, inter monachos adhuc habitare desiderauit. Et ne videretur Abbatis Felicis aduentu suo minuere potestatem, imperandi monachis omnem sibi ademit voluntariè facultatem, non suam, sed alterius volens ipse quoque facere voluntatem. Et qui adhuc monachus dispensationem susceperat fratrum, iam Episcopus dominari noluit in proprio monasterio: sic so- E licitè cauens, ne Felicem contristaret Abbatem, vt exhibens superuenientibus hospitalitatem, si quando vel multiplicari panem, vel aliquid ampliùs exhiberi necessitas expetisset, Abbatis primò Felicis consilium requireret.] Ecce quales esse consueuerunt magni sanctæ Ecclesiæ pugiles, nempe in prœlio fortes, in pace humiles; aduersus hostes ante omnes, leonum instar, impetu insilire, inter fratres autem conuersos in annos humi cubare. Reliqua verò de Fulgentio suis locis sumus inferiùs reddituri.

FVLGENTII HVMILITATIS DIGNVM EXEMPLVM.

Hæc autem peracta hoc tempore esse noscuntur, secundùm Anastasium Bibliothecarium, sub Hormisda sanctissimo Papa. Ita planè Deus beatissimum Patrem hac etiam benedictione auxit, vt post restitutam Orientalem Ecclesiam Catholicæ communioni, Africanam quoque longa persecutione vexatam, atque nouissimè à Trasamundo Rege, omnibus eiectis Episcopis, proculcatam, temporis fermè momento viderit liberatam, & pristino splendori (vt licuit) restitutam. Sic igitur his & alijs à Deo muneribus locupletatus, tandem

FELICITATES HORMISDAE PAPAE.

tandem ab eodem præmia de laboribus & coronas de victorijs accepturus, sequenti anno A
ad superna est postea euocatus ; quasi, senis Simeonis instar, iam responsum à Domino ac-
cepisset, non visurum se mortem, nisi videret Christum Domini, nempe dissoluto schisma-
te, Orientalem vnitam Ecclesiam, & Occidentalem in Africa, sublato persecutore tyranno,
in integrum restitutam : vt his visis, licuerit ipsi sacrum illud cygneum cum eo occinere
[a] Luc. 2. canticum [a]: Nunc dimittis seruum tuum, Domine, secundùm verbum tuum in pace: quia
viderunt oculi mei salutare tuum, quod parasti ante faciem omnium populorum, lumen
ad reuelationem gentium] non Orientalium tantùm & Occidentalium Africanarum, sed
& aliarum, quas ipse fortasse nec nomine nouerat, nationum ; vt ex ijs quæ proximè dicturi
sumus, intelliges.

DE PROPAGATA FIDE APVD GENTES. Inter alia igitur plurima, quæ à Deo consecutus est Hormisda Pontifex beneficia, illud
quidem haud leuioris momenti censendum esse videtur, quod hoc ipso anno copiosa Dei B
misericordia factum est, vt oues alias, quę non erãt ex hoc ouili, reliquo vniuerso gregi con-
iungeret, cùm videlicet barbaræ ac ferę gentes adhuc nesciæ ferre Christi iugum, exper-
tesq; diuinæ legis, sepultæ diu erroribus, atque offusæ tenebris veræ religionis ignorantiæ,
ad fidem Christianam capessendam accesserint, venerintq; Cõstantinopolim ad Iustinum,
quem scirent esse maximè pium Imperatorem. Tot secum bona vexit restituta Catholica
fides, quæ schismatis libera nexibus, iam arctis & angustis suis nesciens contineri limitibus,
ad externos longè positos Euangelium propagauit, & (quod mirabilius fuit) nemine prædi-
[b] Rom. 10. cante, dicente licet Apostolo Paulo [b]: Quomodo credent ei, quem non audierunt ? Quo-
modo autem audient sine prædicante ?] ita quidem. Verùm secundùm eiusdem Apostoli
[c] 1. Cor. 15. sententiam [c]: Non priùs quod est spirituale, sed quod animale, deinde quod spirituale] acci-
dit, vt auidus terrenæ gloriæ Rex Lazorum, qui à maioribus dicti sunt Colchi, iungi se cu- C
piens Romanorum Imperatori, obicem infidelitatis studuerit remouere, probè sciẽs nullis
alijs quempiam arctioribus vinculis stringi posse, quàm si religionis nexibus animus relige-
tur. At quonam pacto ista se habuerint, ex priscis auctoribus narrare aggrediamur.

Hoc ipso igitur anno, qui numeratur quintus Iustini Augusti, præuio Rege suo, Lazorum
populi ad Christianã fidem conuersionem contigisse, ex Theophane scribit auctor Miscel-
[d] Miscel. lib. 15. læ, cùm ait [d]: Quinto anno Imperij Iustini Zatus Rex Lazorum venit Byzantium ad Iusti-
REX LAZORVM CONVERSVS AD FIDEM. num, & rogauit eũ, vt fieret Christianus, & ab eo appellaretur Imperator Lazorũ. At Impe-
rator grandi cum gaudio illo suscepto, illuminauit eum, & filiũ appellauit. Profectus autem
Lazorum Imperator à Iustino, portauit coronam & chlamydem Imperatoriam albam.

Quo comperto Cabades * Rex Persarum significauit Iustino, dicens: Quia cùm amicitia
& pax sit inter nos; quæ inimicorum sunt, agis; & eos qui sub potestate Persarum erant à sę- D
culo, assumis. Qui rescripsit ei: Nos nequaquam subiectos Imperio tuo assumpsimus, neque
subuertimus: sed ascendens Zatus ad Imperia nostra, procidens deprecatus est, vt à sceleſto
& pagano dogmate, impijs sacrificijs, & errore dęmonum liberaretur, & accederet ad Crea-
torem omnium Dominum, & fieret Christianus. Hunc nos baptizantes, absoluimus ad
* facta propriam regionem. Ex tunc ergo fracta * est amicitia inter Romanos & Persas.] hæc ibi-
[e] Zonar. 3. par. Annal. habet eadem Zonaras [e] & Cedrenus [f], nec non & Anastasius Bibliothecarius in Chronico,
[f] Cedren. in Cõpend. hist. sed anno superiori; Agathias verò sub Iustiniano Imperatore id factum tradit: idemq; affir-
mat, hos quos Lazos dicimus appellatos fuisse populos, Colchos antiquitus nominatos.
Porrò vt hæc sub Iustino potiùs facta dicamus, præter maiorem numerum testium, illud
[g] Procop. de ædif. Iust. Imp. orat. 3. magnopere persuadet, dum Procopius [g] ait, à Iustiniano Imperatore restauratã fuisse apud
Lazos ecclesiam iam vetustate collabentem: vt planè certum sit argumentum ante Iusti- E
niani tempora Lazos pietatis fuisse cultores.

LAZORVM REX S. DANIELIS EXEMPLO PERMOTVS. Vnde autem Lazorum Regi in mentem venerit, abdicata idololatria, fieri Christianum;
conijci potest, quędam semina pietatis in animo concepisse, cùm (vt superiori tomo dictum
est) sub Leone Imperatore Constantinopolim venit, atque eidem ab ipso Leone Christia-
næ religionis miracula in vno homine eius cultore fuere demonstrata; cùm videlicet osten-
sus ei fuerit magnus ille Daniel super columnam viuens, cognomento Stylita : quod veluti
grande portentum idem magnificè prædicans, inde recessit propemodum Christianus. Sed
dubium alicui esse potest, an hic ille fuerit Rex Lazorum tum iuuenis, modò senex : verùm
potiùs existimamus (id testante Agathia) fuisse eius successorem filium, qui paterna relatio-
ne tamquam radio lucis in tenebris illustratus, pedetentim diuinæ gratiæ adminiculo ad
[h] Ioan. 1. Christum lucem [h] veram omnem hominem illuminantem aduenerit.

Procopius

A Procopius[a] de Lazis atque eorum confinibus Iberis texens historiam, hæc de bello à Persarum Rege hoc tempore excitato habet: Cabades autem quamuis maximè in fines Christianorum excurrere optaret: nullo modo potuit, casu, quem iam referam, superueniente. Iberi qui Asiam incolunt, prope Caspias habitant portas ad Boream pertinentes; ipsisque sinistrorsum terra Lazorum, dextrorsum autè ad Orientem Persarum gentes sunt. Is igitur populus & Christianus est, dogmaque fidei præter omnes quos sciamus, obseruat: subditi Regi Persarum sunt. Hos Cabades ad fidem deserendam compellere conatus, Regi eorum Gurgeni cùm alia mandauit ex suorum fieri consuetudine, tum mortuos terræ minimè conderet, sed auibus canibusque Persarum more proiicerent. Quapropter Gurgenes ad Iustinum Imperatorem confugit, eius implorando fidem, ne Iberos à Persis Romæi iri perditum sinant. Ille verò alacriter re suscepta, Probum Anastasij Principis sororis filium
B virum Patricium ad Bosphorum misit, vt Hunnorum exercitum ad præstandum auxilium Iberis induceret. Est enim Bosphorus ciuitas maritima sinistrorsum Euxinum pontum nauiganti, hinc Chersonesus iter dierum viginti distans, in quorum medio Hunni cuncta possident. Bosphoritæ iamdudum liberi incolunt, ac Iustino nuper sese commisere.] quomodo autem Iustinus Imperator has gentes à Persis defendere curauerit, idem Procopius pluribus narrat. Sed hæc nobis satis ad intelligendum omnia dexterè cessisse Principi Orthodoxo, cuius se fidei externi populi committerent, & fidem Christianam ab eodem Gentiles quærerent, quem sciebant Deo esse fidelem.

[a] *Procop. de bello Persic. lib. 1.* DE CONATV REGIS PERSARVM CONTRA IBEROS.

Iam verò ex Iberis atque Lazis ad Homeritas peregrinans ducatur oratio: penes quos à temporibus Constantij Augusti coalescere Ecclesia cœpit, vt suo loco pluribus dictum est. quorum si quis antiquiora tempora repetat, eos ipsos esse reperiet, ex quibus Regina Saba
C progressa est audire sapientiam Salomonis; ex iis etiam sub primordiis nascentis Christi Ecclesiæ venisse eunuchum Candacis Reginæ Æthiopum in Iudæam venerari templum, & rediisse effectum iam ipsum Christi templum per sacrum baptisma. Quorum populorum etsi cetera obscura, clarissima tamen sunt & cælesti luce micantia, quæ apud eos ab hoc anno quinto Iustini Imperatoris illic cœpta sunt agi, & quomodo à Iudæis ibidem dominantibus Ecclesia illa dirè vexari cœpit, & in ea persecutione complures coronam sunt consecuti martyrij, ab auctore quidem integerrimæ fidei, eiusque temporis scriptis prodita, sed postea alterius nomine edita, nempe Metaphrastis, qui in his nullam præterea nauauit operam, quam vt exscriberet, & in tomum à se collectum vitarum Sanctorum inferret. Astipulantur absque dubitatione rerum gestarum certæ veritati Græci auctores, Zonaras, Cedrenus, Nicephorus, atque alij. Illustretur igitur, sicut & ceteri, præsens tomus
D nobili purpura tincta sanguine martyrum; & pretiosiora includat dona, quàm illa quæ attulit Regina Saba ad Salomonem. Narratio fructuosa eo accedet gratior, quo veritati intelliges in omnibus consentire. Demoremur in his libenter, & videamus vno eodemque coalescere vbique Spiritu sanctam Ecclesiam, & sicuti vna viuunt anima omnia vnius corporis membra, ita vnum eumdemque Deum se omnia in omnibus solitum exhibere. Erit planè, vt horum egregiè factorum inspecta pulchritudine, quis iure deploret quæ præteritis temporibus in eadem Ecclesia memoria digna facta creduntur vel silentio prætermissa, vel iniuria temporum perdita. Sed ipsam hîc referre historiam aggrediamur, quæ sic se habet[b]:

DE HOMERITIS IN CHRISTVM CREDENTIBVS.

Instabat iam quintus annus ex quo Iustinus acceperat sceptra Romani Imperij: quo quidem tempore imperabat etiam Æthiopibus Elesbaan, vir qui propter pietatem & iu-
E stitiam apud omnes maximum nomen fuit consecutus, in ciuitate autem Auxume Regiam construxerat. Ditione tenebat Arabiam Felicem, quæ olim quidem Saba, nunc autem vocatur Homeritis, Dunaan Hebræus, vir impius & Christianorum generi inimicissimus; qui etiam omnes qui erant in sua potestate, habebat circumcisos, partim quidem Iudaicam sequentes superstitionem, partim autem planè Gentiles Soli & Lunæ sacrificantes & dæmonibus, quos etiam more gentis honorabant fanis & columnis. Porrò autem ab Elesbaan odio habebatur Hebræus; quod omnibus ferè qui sunt sub cælo Christum Deum prædicantibus & verum Dei Filium, & nobis factum carne similem, ipse eum vilipendens inficiabatur hæc omnia, velans & adumbrans suorum maiorum scelus, quod in cruce admiserant: adeò vt Rex pius sæpe cum eo bello congressus, vi fuderit atque fugarit, & tributum pendere coegerit.

[b] *Apud Sur. die 24. Octob. tom. 5.* ELESBAAN CHRISTIANVS REX AETHIOPVM DVNAAN HEBRAEVS HOMERITARVM REX INIMICISSIMVS CHRISTIANORVM.

Verùm ille quidem non stans pactis conuentis, insurrexit contra Regem Elesbaan: Ele-

NAGRAN CIVITAS CHRISTIANAM SVSCEPIT FIDEM.

sbaan autem eum rursus valido adortus exercitu, fortiter expugnauit & in fugam conuertit. Denique ad illum cauendum relicto exercitu, in suam rediit ditionem. Interim non poterat Hebræus quiescere: sed vt acceptæ cladis doleret ignominiam, cùm suos collegisset, & eos qui erant in præsidio inuasisset, omnes bello perdidit; & iussit omnes qui inueniebantur Christum esse Deum confitentes, citra vllam interire misericordiam. Nullus autem fuit ex iis qui erant sub ipso Christianis, qui se non huic impio edicto submiserit, illius animi reformidans iniuriam.] deditionem quidem facientes, verùm nequaquam impietatem sectantes, sed pro fide Christiana tuenda mortem oppetentes, vt quæ paulo inferiùs dicentur ostendunt. Sed pergit auctor: A

Quædam tamen ciuitas frequens populo sita in Homeritide, quæ vocatur Negran, cùm iam longo abhinc tempore venisset ad agnitionem veritatis, & pietatem suscepisset, nempe ex quo Constantius Magni Constantini filius ad Sabæos, qui nunc vocantur Homeritæ, orti verò sunt ex Cætura Abrahæ, misit legatos: & Rege illius gentis muneribus sibi conciliato, ædificauit hac in ciuitate ecclesias: & quemdam virum pium, qui ad vitam declinabat monasticam, & moralibus & actiuis virtutibus erat magnus, atque adeo omnibus sui temporis superior, misit, vt præesset iis qui ad veram accesserant religionem. Quo quidem tempore, Iudæis resistentibus, & barbaro suadentibus ne tam facilè hospitem admitteret in ciuitatem, neque circa res diuinas aliquid innouaret, nisi priùs vir religiosus aliquod signum ostenderet (quomodo solent isti petere, vt qui sint increduli) quod quidem si præstiterit, tunc ei concederet ingressum in ciuitatem. B

[a] *Mar.* 16. Ille diuinis fretus promissis, quòd signa [a] sequerentur eos qui crediderint, annuit citra vllam dubitationem, & eorum quæ petebantur miraculorum magnam ostendit operationem. Ab eo autem tempore ciuitas Dominum purè colens, & Orthodoxa diuinorum Patrum sequens dogmata perseuerabat, si quid erat mali, repellere, & alienam effugere religionem, adeò vt ne sineret quidem eam ad aures peruenire. Inuidens ergo malignus, totum (quantus erat) subiens Hebræum, eum armat aduersus ciuitatem, partim quidem opinans fore vt id esset molestum pio Regi Aethiopum, partim autem eo spectans, vt in Christum suam expleret insaniam, & genus Christianorum omnino euerteret. C

DVNAAN OBSIDET NAGRAN CIVITATEM

Itaque venit validum ducens exercitum: & cùm circumcirca esset castrameratus, valoque & fossa omnia circumdedisset, obsedit Nagran, minitans se illam expugnaturum, & omnes qui in ipsa erant interempturum, nisi cruce Domini à ciuibus in excelso posita, quam execrationis signum (proh dolor!) stultus vocabat, ad nihilum redacta, deinde Christum quoque negassent, qui fuerat in ea suspensus.] Vides vbique gentium in vniuersa Ecclesia laudabilem illum semper viguisse morem, vt cruces à Fidelibus colendæ in sublimi loco cunctis perspicuæ ponerentur? Sed pergit auctor: Quod quidem eo consilio faciebat, vt cùm eos illo, quod inde veniebat, præsidio nudasset, hoc tam valido destitutos auxilio inuaderet. Quidam ergo execrandi illius Regis satellites in orbem obeuntes ciuitatem, cædem vociferabantur: Et si parerent quidem, dicebant fore vt dona & honores consequerentur: sin autem non parerent, & Galilæo animum adhiberent, pro monarchia inducentes multorum principatum, igni & gladio traderentur. Porrò autem ipse quoque Dunaan execranda & audaci lingua his falsa quædam addebat, & iactanter dicebat: Nullam potuit Iesus opem ferre Christianis in mea potestate constitutis, quos omnes & ipsos illorum sacerdotes & monachos gladio & igne priùs consumpsi, ne parcens quidem sacris illorum templis: & nunc maximo coacto exercitu, nempe centum viginti millibus hominum, ad vos veni aut omnino persuasurus, aut perditurus. D

QVID CHRISTIANI RESPONDERINT IVDAEIS.

Ciues autem: Videmus, dixerunt, ô Rex, te linguæ multum indulgere, & attribuere imbecillitatem ei qui est solus Deus. Sed Rapsaces [b] dux exercitus Sennacherib non parum tibi dederit exemplum: qui cùm ipse quoque aliquando in Deum magna loquentem & iactantem vibrasset linguam, quot hominum millia perdiderit, & cum quanto dedecore recesserit, pauci sunt qui nesciant. Quòd autem nos accusas, quòd multorum principatum & multos deos inducamus: nos qui multis abhinc sæculis tamquam hereditatem à maioribus veram accepimus religionem, nec monarchia in arctum adducimus diuinitatem, nec abundantia personarum adducimus multorum principatum; sed vnam naturam citra diuisionem in tres personas diuidentes, Patrem & Filium & Spiritum sanctum confitemur. Filium verò ipsum, quem vos contumeliis incessitis, hominem esse factum, vt diuina prædixerunt responsa, & à vestris maioribus actum fuisse in crucem propter salutem E

[b] 4. *Reg.* 19.

omnium,

A omnium, cùm illi malè ignorassent dispensationis diuinæ mysterium: & tertia die resurrexisse à mortuis, & rursùm in cælum ascendisse, & in altum sublatum fuisse ad suum Patrem, & credimus & prædicamus.

Non sustinentes autem hos sacros audire sermones aures profanæ, ad facta se contulerunt. Itaque ad obsidendam Rex conuersus ciuitatem, aduersus eam mouebat omnes machinas, omnes exitus diligenter custodiens & muniens; & putans fore, vt multorum dierum fames eos in suam redigeret potestatem. Et cùm collegisset omnes Christianos qui erant in agris & suburbiis, alios quidem interemit, alios verò iis qui erant in eius ditione vendidit in seruitutem. Cùm autem pij ciues se aduersus omnia fortiter defenderent, & tempus quod terebatur, tyranno spem reddidisset valde exilem: statuit dolo capere ciuitatem. Itaque petit vt ei liceret ingredi ciuitatem, videlicet vt sciret ea quæ ibi erant, priùs

B terribili prolato iureiurando, & iis quæ dicebantur, interposito ipso legis Deo, se nihil eis esse facturum præter ea quæ consueuerant; neque coacturum vt patriam abiurarent religionem, neque aliquod aliud malum magnum aut paruum eis esse facturum, sed solùm ea visurum quæ sunt in ciuitate, & annuum tributum accepturum quod priùs dabatur; deinde autem se illinc statim excessurum.

DOLO DEDITIONEM CIVITATIS TENTAT DVNAAN.

Hæc cùm dixisset, & pacta conuenta iniisset, & postremum iurasset iusiurandum: persuadet iis qui sunt in ciuitate, cum Deo vniuersorum permisissent, qui est testis sacramenti, & hoc solùm dixissent: Regibus non cedere didicimus. Quòd si tu secus statueris facere quàm nobis dixisti; Deus, qui est spectator iurisiurandi, id omnino vlciscetur, neque diu differet vindictam. Nobis autem, dicebant, ô Christe Saluator & Fili Dei & Deus, pro te vel omnibus priuari facultatibus atque adeò ipsa vita, non est leue lucrum. Absit autem vt tuum no-

C men negemus, vt est impiorum institutum: nec si tale quid fecerimus, nos ô Sol aspicias. Quæ simulatque dixissent, totas portas aperiunt, & intra ipsam ciuitatem, tamquam lupum in stabulum, malum Regem admittunt. Ille autem cum & figuram & situm & illam ciuitatis laudasset frequentiam & ciuium quoque splendorem, egressus est, in eos qui habitabant ciuitatem grauia versans (vt indicauit exitus) iusiurandum & pacta conuenta, & quæcumque alia eis præbuit ad fidem faciendam, esse existimans puerilem deceptionem.

INGREDITVR DVNAAN NAGRAN CIVITATEM.

Cùm autem iam se pararet ad eos euertendos, vocat extra ciuitatem. Aderant verò quicumque erant insignes opibus & gloria: præ ceteris autem is qui & canitie & sapientia & morum modestia erat præstantissimus, diuinus inquam Arethas, cui ipsi quoque fuerat commissum regimen ciuitatis. Omnes igitur commendabant, extollebant, laudibusque celebrabant, & omnem honorem tribuebant ei qui videbatur esse seruator & Rex. Ille autem

D sibi culpæ dandum esse tribuens quod differret cerni malus, non ampliùs expectans, aperit quod intus latebat Dunaan. Et iussit protinus omnes custodiri in vinculis: deinde etiam priuauit facultatibus, & rogauit, vbinam esset Paulus eorum Episcopus.

DVNAAN VINCVLIS ARCTAT NOBILES CIVITATIS.

Cùm autem iam duobus antè annis eum intellexisset esse mortuum; non habens in quem iram immitteret, contendit ad puluerem, & iussit sepulchrum effodere, & illius corpus comburentes in aerem ventilare. Aliud quoque excogitat furiosa anima, nec eam capit satietas aliquid moliendi aduersus Christianos: sed iubet accendi rogum, qui multa aleretur materia: & statim ciuitatis & eius quæ est circum circa regionis sacerdotes & monachos & Deo consecratas virgines, quinetiam feminas quæ vitam degerant monasticam, omnes simul in eum iniici: Ij enim, inquit, sunt planè causa aliorum interitus, persuadentes Crucifixum colere tamquam Deum.

SACERDOTES, MONACHI, ET VIRGINES COMBVRVNTVR.

E Ad hæc, perinde ac non sufficeret quod factum fuerat, ad eius incomparabilem ostendam improbitatem, vt alios quoque sibi subigeret, vehementer contendit: & iussit præcones obire ciuitatem & regionem, proclamantes, vt Christum negarent, & viuerent Iudaicè, eademque quæ Rex sentientes. Porrò autem ipse quoque Rex Arethæ similia consulebat, quod ipsi quoque norunt Romani, illius maiores in crucem egisse hominem. Quomodo enim, dicebat, fuisset flagris cæsus Deus, qui est natura incorporeus? Quomodo autem mortem adeò turpem & ignominiosam natura gustauerit immortalis? Alioqui autem multi quoque ex Romanis, qui sunt apud vos, iactantes se Nestorium habere magistrum, ipsi quoque rursus dicunt, se non vt Deum, sed vt hominem & Prophetam quemdam oportere Christum honorare. Quæ nisi vera essent, nec ego ad tantam processissem insaniam, vt ipse negarem in Christum fidem, & vos ad similem vocarem negationem. Vides Dunaan non simpliciter fuisse Iudæum, sed ex Christiano apostatam desciuisse iam antea

CIVES ET ARETHAS TENTANTVR.

DVNAAN APOSTATAE IN CHRISTVM BLASPHEMIAE

antea ad Iudæos. Sed pergit: Quomodo enim qui legem quidem tueor,& patrios mores & A
ritus valde amplector, repello autem quicquid fuerit noui, & ideo Iesum quoque odio habeo hominem,qui diuinitatem sibi impudenter attribuit. Neque enim Soli & Lunæ,neque aliis rebus creatis, neque diis Gentium rogo vos cultum tribuere (absit vt sim adeò emotæ mentis)sed Deo soli,qui omnia producit,& est pater rerum generatarum,qui cùm sit impatibilis & expers materiæ,generare nescit patibiliter.

CONFESSIO ARETHAE ET SOCIORVM.

Cui generosus Arethas cum sociis: Cur hæc dixisti, ô Rex? Neque enim dicimus Deum gignere patibiliter,sed impatibiliter,vt mens sermonem gignit. Illum autem asserimus nostræ naturæ motum misericordia misisse Filium,ad hominum inquam beneficium,adeò vt carnem acceperit ex puella virgine, & per omnia nobis similis factus sit absque peccato, & omnia impleuerit quæ de ipso à Prophetis multis antè annis dicta sunt; quæ quidem tu quoque scis, qui legisti illorum libros: qui etiam sæpe per miracula, quæ sunt supra homi- B
nem,ipsam ostendit diuinitatem, & se suscepisse carnem non est inficiatus. Quid opus est pluribus? Nos cùm & Deum & Dei Filium confitemur,& pro vniuersa respondemus ciuitate,& aliis Christianis qui sunt nobis subiecti: neque vllum est genus tormenti, quod non propter ipsum parati simus pati. Quis enim nos separauerit à charitate Christi? Nihil autem rei nobis est cum Nestorio, vel cum aliis qui eo morbo quo ipse laborant: qui hominem,qui citra diuisionem & per hypostasin vnitus est Deo Verbo, summa impudentia diuellentes à Verbi diuina hypostasi, per se consistentem & solum hominem ausi sunt dicere Verbum,quod in carne apparuit. Qui etiam, vt merebantur, à diuinis Patribus eiecti sunt è catalogo Orthodoxorum,& sunt in æternum traditi anathemati. Sed non prętermittet hoc certò scias) qui maledictus à te appetitur Dominus,quin eueſtigio pœnas sumat tuorum audacium cœptorum,cum alterius inquam tuæ blasphemiæ, tum iurisiurandi, quod à te fuit C
conculcatum & euersum,ô in primis impie & scelerate.

INGENS MVLTITVDO MARTYRVM.

Ille autem cùm eorum loquendi libertatem partim sustinuisset, maximè autem Arethæ sapientiam & alium omnem splendorem esset reueritus, benignis verbis eos cœpit lenire, eisque dona & honores proposuit, acrem ipsorum zelum in pietatem sic refrigerare machinans. Postquam autem vidit martyres omnino aures non præbere promissis, contra autem quàm poterant clarissima voce clamare: Non te negamus,qui es vnus Trinitatis, ô Verbum Dei & Christe: neque enim irridemus susceptæ carnis dispensationem; neque tuis, quas propter nos passus es, perpessionibus & cruci Iudaicæ insultamus. eos quidem vinctos adhuc detinuit; in aliam autem multitudinem, quæ collecta fuerat ex omni genere & ætate, mortis tulit sententiam.

GLORIOSA CONFESSIO FEMINARVM.

Vxoribus verò & liberis eorum qui detinebantur martyrum, ante oculos eorum adduD
ctis, prouocabat ad Christi negationem, partim quidem minis, partim autem blandis verbis eas aggrediens, nonnumquam omne supplicij genus in eas intentans, liberorumque & parentum & facultatum & ipsius quoque patriæ eas terrens amissione. Illæ autem dicebant: Omnibus, ô Rex, quæ à te offeruntur, siue ea sint bona, siue aliter se habeant, lubenter hodie renunciantes, quæ à te maledictis incessitur Christi crucem extollimus; & qui in ipsa nostram procurauit salutem, Christum sequimur. Esset enim à ratione alienum & nimis effeminatum, ex nobis quidem alias quæ cum talibus viris cohabitarunt, qui mortem propter Christum elegerunt, alias autem quæ virginitatem exercent, vt quæ Christo sint desponsæ, non esse animo masculo,& vestram iram planè inconsideratam non nostro sustinere corpore.

FEMINAE CHRISTIANAE IVBENTVR OCCIDI.

Rex autem: O feminæ,inquit,possum vos meritò magnæ accusare stultitiæ, quòd homiE
nis plani & præstigiatoris, & qui violenta morte periit,gratiam eligitis, & voluptatibus præsentibus spem, cuius incertus est exitus, præferre statuistis. Quædam autem ex acrioribus matribus & monachis non ferentes Christi contumelias, vsæ sunt in Regem verbis asperioribus,eum ipsum,quem maledictis incesserat, Christum vocantes ad vltionem. Quod quidem ægrè ferens Hebræus, in eas communiter pronunciat sententiam, vt gladio feriantur. Licebat ergo videre mulieres sanctas trahi crinibus,& sic duci ad supplicium, vel potiùs ferri promptis & alacribus pedibus,& sitire mortem propter Christum.

LAVDABILIS CONTENTIO INTER FEMINAS.

Magna verò erat & præclara inter eas contentio. Monachæ enim virgines nequaquam concedebant primas partes iis quæ erant iunctæ matrimonio: Recordemini, dicentes,quod priùs vobis fumus propositæ & in templum ingressu, & in sacramentorum participatione, & in statione, & in sessione: & ideo oportet nunc quoque nos ante vos & vestros maritos

consequi

A consequi martyrium. Martyrum autem vxores, quæ iam etiam vocabantur matres, nequaquam ferebant in præsentia habere secundas partes. Infantes quoque balbutientes matres prætercurrebant, & ipsi quoque carnificem prouocabant ad mortem: sciebant enim alias quoque pueros fuisse Christo propter ipsum sacras oblatas victimas. Sic beatæ illæ mortem præripientes, iis qui videbant, magnam afferebant lamentationem: adeò vt Rex crudelissimus cum admiratione talem vocem emiserit: Qualem omnibus ferè hominibus errorem immisit Galilæus! vt qui vel ipsam mortem contemnere persuaserit, & pro illo perdere suas animas & corpora.

Interim autem quædam quoque femina, quæ duas filias habebat, & primas partes inter eas quæ erant in ciuitate obtinebat, longeque præstabat aliis genere, diuitiis, gloria, & pulchritudine, atque in iuueníli ætate adhuc vidua relicta fuerat, insectatur tyrannum. Ille au-
B tem statim iubet suis ministris, vt eam ad se adducant cum honore & reuerentia, & ei efficiant commodum aditum. Illa verò etsi hoc modo adduceretur, ægrè ferebat tamen se ab aliarum mulierum abesse martyrio. Tertiò autem die post iussionem cũ honore ad Regem adducitur cum filiabus. Ille verò placidè eam intuens: Fama, inquit, annunciat te esse modestam, ornatam & prudentem; quinetiam ipse vultus & aspectus ferunt iis quæ dicuntur testimonium: præterea autem vulgò fertur, te quoque esse genere claram & abundare diuitiis, & tibi non deesse splendorem. Ne ergo quo modo stultæ, quas ego perdidi, sustineas ipsa quoque Deum dicere eum, qui fuit crucifixus, fuit autem homo vorax & vini potator, amicusque publicanorum & peccatorum, & nec patrius fuit contentus legibus: sed tuæ nobilitati faciens conuenientia, renuncia quidem Nazareno, & velis nobiscum sentire, & simul cum Regina versari in Regia: sic enim viues deinceps liberiùs, & liberata à malis quæ
C oriuntur ex viduitate, magis poteris aliis opem ferre. Venit enim ad nos fama, ipsæ autem res quoque testantur, quod cùm magnas habeas diuitias, & plurimas facultates acceperis à maioribus, & sint multi qui tibi seruiant, pudori tamen & virtuti omnibus postpositis, in nullius alterius viri ne in conspectum quidem veniísti, nisi eius qui fuit tibi legitimo coniunctus matrimonio. Ne nunc ergo, ne nunc (hoc ego tibi consulo) pulchritudinem tuam & iuuentutum & filiarum virginitatem lictorum manibus tradideris, quæ magis contumelia afficiunt, quàm puniunt: sed desistens Crucifixo gloriam tribuere, & nostris cedens legibus, & tibi & liberis prospice quæ sunt vtilia.

VIDVA NOBILIS TENTATVR A TYRANNO.

Beata autem illa appositè & eruditè respondens: Cùm eum, inquit, ô Rex, quem oporteret honorare, & qui tibi dedit potentiam & hanc purpuram & hoc diadema, immo verò ipsam quoque essentiam & vitam, tamquam Dei Filius & Deus, ingrato animo contem-
D ptum audaci lingua iniuria afficias, non times ne fulmen deiectum te comburat: & me honorare velis. Vestrum ego honorem summam duco ignominiam. Cessa gladium in te ipsum impellere. Absit autem, vt ego à tali lauder lingua, quæ se armauit contra Deum. Neque eo procedam amentiæ, vt versér cum iis qui Deo sunt adeò inimici, & in peccatorum habitem tabernaculis.

QVARE IN TYRANNVM SANCTA VIDVA.

Cùm Rex hæc audisset, ira corde accensus, aspexit ad eos qui aderant: & cùm dixisset: Quàm impudenter in nos egit hæc execranda muliercula: iubet eius capiti auferri tegumentum & eius filiarum, & sic eas nudo capite & promissa coma in castra duci per ignominiam. Egrediens ergo generosa mulier, cùm vidisset magnam feminarum multitudinem flentem & eiulantem, quòd talis nobilitas afficeretur cõtumelia: illa eas feuerè & magnificè intuens: Scio, inquit, ô amicæ, quòd propter nos dolorem accipitis, partim quidem fortasse
E propter naturæ cognationem, partim autem quòd indigna ac pudenda videar pati cum filiabus. Sed ne doleatis. Nos enim non ideo negauerimus Creatorem cæli & terræ: neque quæ sunt ad tempus, æternis prætulerimus. Nam mihi quidẽ à maioribus per successionem pietas & vera religio, & à Christo denominari, & eum nosse Deum, tradita fuerunt in hereditatem, non mihi autem soli, sed vniuersæ quoque meæ cognationi. Propter quem ego complexa continẽtiam, viduitatem prætuli matrimonio; & ex facultatibus, quas habebam, plurimum distribui pauperibus. Sunt verò adhuc mihi magnæ diuitiæ in auro & argento, & magna multitudo seruorum: nolui autem, vt multæ aliæ mulieres solent, ad alium maritum intueri, etiam si cum multis casibus & calamitatibus, quæ viduis euenire consueuerunt, sæpe sum colluctata, quod quidem vel solum sufficit ad mollem adhuc & tenerum animum incitandum ad secundas nuptias. & fortasse nullus meam damnasset iuuentutem, quæ ipsum ad hoc habebat patronum diuinum Apostolum[a]:

QVID AD SVAS CONCIVES CHRISTIANA VIDVA.

[a] 1. Tim. 5.

BIBLIOTECA UNIVERSITARIA GRANADA

Sed hæc omnia paruifaciens, in hoc ſolum animum intendo, vt cum Chriſto ſim vnà A
cum ſanctis, quæ præceſſerunt, mulieribus & martyribus. Ego vobis iam ſecundò appareo. Nam priùs in matrimonio ſponſi qui erat ad tempus; nunc verò in nuptiis immortalis & alieni ab interitu, ad quem feſtino, & cui immaculatam conſeruaui continentiam, me videtis. Filias quoque ipſi ſtudeo deſponſare, vt quæ earum hucuſque integram ad hoc virginitatem conſeruauerim. Hinc mihi plenus eſt animus voluptate & bona ſpe. Rogo vos igitur, vt mihi potiùs congratulemini, neque tam abiecto animo lamentemini, & mihi tranſmutetis feſtum in triſtitiam.

Porrò autem vobis quoque conſuluerim, vt vos vndique muniatis, & magnam adhibeatis cautionem, ne vobis non aduertentibus, auferat fidei theſaurum qui eſt callidus ſuffurandi artifex; & maximum hoc vobis damnum afferat, quod pertingit vſque ad ipſam animam. Iam verò quæcumque hic eſtis mulieres Gentiles & Hebrææ (multæ enim, vt B
video, hic adeſtis ad ſpectaculum) vos quoque depoſitis, Gentiles quidem, longis fabulis & nugis, & diis qui ſunt ſolo nomine; Hebrææ autem, vmbra tandem & figuris & ænigmatibus, diſcite veritatem; & accedentes ad Verbum & Deum, qui eſt vnus Trinitatis, per eius cultum illuminemini, & diuini baptiſmatis regenerationem: neque ſic ſimul pereatis in veſtris impietatibus.

Cùm martyr hæc & alia plura diceret mulieribus, quidam ex iis qui cum Rege ſentiebant, illi hæc renunciarunt, & quòd peruerteret multitudinem. Rex itaque, ea rurſus accerſita, ſimulans manſuetudinem: Magna, inquit, vſus ſum in te patientia, hoc conſultò, & non inconſideratè faciens propter benignitatem, vt fracta lacrymis, quæ propter te funduntur & propter filias, nobis pareas. Illa autem: Quis me, inquit, ô Rex, ſi tibi paruerim, liberabit ab igne, qui non poteſt extingui? Sic dixit, & cælum ſtatim intuens: Abſit, inquit, ô Rex C
immortalis, vt te negem, qui es ſolus vnigenitus Dei Filius, & credam viro, qui te habuit contemptui, & nos decepit periurio.

Non ferens itaque Hebræus libertatem loquendi generoſæ feminæ, ſed depoſita ſcena & ablata fictione, torueque eam & furioſè intuens: Audaciſſima, inquit, mulier, ego tibi iam carnes diſcerpam ac dilacerabo, & inteſtina contrectabo: & ſi quid ex iis fuerit reliquum, id apponam deuorandum canibus. Videbo autem, quiſnam te ſit è meis manibus ereptu-
MARTYRIVM DVARVM VIRGINVM. rus, etiam ſi maximè expectas fore, vt det tibi auxilium Nazarenus. Tunc execrandi tyranni verba non ferens prima filiarum martyris, annum iam agens duodecimum, tyranni oculos conſputauit. Qui autem circumſiſtebant, non zelum, & id quod iure fuerat factum, laudantes, ſed tempori ſeruientes, ipſam & ſororem enſe mox conficiunt: & cùm ex de- D
fluente ſanguine manibus planè feri homines accepiſſent, eum matri offerunt: Rex enim ita iuſſerat. Illa verò (ô fortem & generoſum animum) & lubenter eum guſtat; & cùm ad cælum ſuſtuliſſet oculos: Tibi, inquit, Chriſte Domine, hoc meum offero ſacrificium, & tibi martyres exhibeo caſtas virgines, quæ egreſſæ ſunt ex vtero meo, cum quibus me quoque
Pſal. 112. connumeratam introduc in tuum thalamum, & (vt dicit diuinus Dauid) oſtende matrem propter filios lætantem.

Rex autem grauiſſimo ægritudinis animi ſtimulo fauciatus, vt qui omnem ſpem planè abieciſſet, in eam fert ſententiam, cùm hæc dixiſſet iis qui ſimul erant: Eius quidem & filiarum mirati ſumus pulchritudinem (verum enim fatebor) multo autem magis victus ſum ab earum temperantia & moderatione. Et ideo mihi venit in mentem admirari, ad quantam amentiam proceſſerunt Chriſtiani, vt colant hominem, qui morte periit violenta, & ſuam ei permittant ſalutem, qui fuit planus, *id eſt*, *impoſtor*, & præſtigiator, & ſe E
Deum temere appellauit.] hactenus primi diei certamen, quo oſtenſum eſt, quantus eſſet Homeritarum, ſiue Sabæorum Eccleſiæ ardor, dum infirmiorem ſexum exhibens ad conflictum, eumdemq; diuitiarum & pulchritudinis nexibus implicatum, ipſo primo congreſſu ſuperbum perfidumque Iudæum vicit: quo genere hominum nullam gentem infenſiorem & infeſtiorem Chriſtianis Dei Eccleſia eſt vmquam experta; quorum acerbiſſimo odio in Chriſtianam religionem ſi æquè potentia coniungatur, nihil poſſit excogitari crudelius, acerbius nihil. Quòd & ſi conſideres cum Iudaica perfidia coniunctam à Chriſtiana fide apoſtaſiam in Rege impio, magis miraberis ſexum fragilem adeò glorioſum de perarduo diroque certamine retuliſſe triumphum. Sed ad ſequentis diei ſpectaculum accurramus: pergit enim auctor:

Sequenti autem die cùm in loco excelſo Rex conſediſſet, vocauit Aretham cum ſociis,

qui

Aqui erant numero trecenti & quadraginta. Qui cùm astitissent, magnum intuens Aretham, qui erat affabilis & moderatus, & moribus maximam ostendebat virtutem: Cur tanta es, inquit, audacia, ô caput execrandum, vt in nostram quidem insurgas potentiam, toti autem ciuitati & tantæ persuadeas regioni, vt te solum colant tamquam tyrannum, & verbis tuis vtantur tamquam legibus, nostrarum verò legum & verborum nullam ducant rationem, & execrandum hominem Deum appellent, qui cùm sibi auxilium ferre non potuerit, vos eum vobis adhibuistis adiutorem: & nec tuum patrem es imitatus, qui ante imperauit Nagræ, iis autem qui nos præcesserunt, Regibus fuit obedientissimus? Sed nisi mutatus & ad te rediens hanc vanam repuleris opinionem, non te profunda senectus, nec simulatus hic habitus iuuabunt: sed tu & omnes tui eadem patiemini, quæ viri & feminæ priùs interfecti: quos quantum iuuerit Mariæ & fabri filius, omnes sciunt. ARETHAS CVM SOCIIS SISTERE IVSSI.

B Senex autem stans cogitabundus, & apertè ostendens se ægrè ferre superbiam verborum Regis, cùm se sustinuisset, & collegisset spiritum, & ex imo suspirasset: Non es, inquit ô Rex, causa eorum quæ dicuntur aut fiunt; sed nostri ciues, qui meam contempserunt sententiam, quæ tibi non permittebat ingredi ciuitatem: contrà autem aduersum te depugnare incitabat, & cum tuis tam multis millibus manus conserere, vt cum Madianitis [a] olim Gedeon cum paucis: & Christo, qui nunc à te contemnitur, vires addente & confirmante, te expugnare, demetere, & omnino delere virum impium, fidifragum, & immemorem pactorum conuentorum, quibus te ciuitatem & nos seruaturum pollicebaris. PERORAT IN REGEM ARETHAS. [a] *Iud. 7.*

Quidam autem ex iis qui cum Rege considebant, volens ingeniosè sancti verba reprehendere, & tempori valde seruiens: Sed non, inquit, sic vos docet lex Moysi contumelia afficere Christum Domini: dicit enim [b]: Principi populi tui non maledices. Porrò autem [b] *Exod. 22.*

C ipsa quoque scripta [c] vestra vobis iubent Regem honorare, seu sit bonus, seu secus. Cui sanctus: Tu autem, inquit, fortasse non audisti, quod ab Achab dictum est [d] Eliæ, cùm dixit eum euertere Israel. cui ille sic respondit: Non ego euerto, sed tu, & domus patris tui: non vsque ad Achab solùm sistens contumeliam, sed eos etiam comprehendens, qui erant in ea domo. Quomodo ergo se quispiam in Deum piè gerens, & Regem arguens quòd se iniquè gerat, vmquam offenderit ac violauerit legem, qui non est veritus os in cælum ponere, & Creatorem appetere maledictis? Sed (vt video) eius patientiam & tolerantiam contemnitis, & nos facere similia procuratis. [c] *1. Petr. 2.* [d] *3. Reg. 18.* REX IMPIVS IVRE ARGVITVR.

Tu autem Rex, cùm sis natura tam iniustus, & mala facere paratissimus, & nec sanctus in iis quæ ad Deum pertinent, nec in homines benignus: putas fore, vt illum lateas oculum, quem nihil latet? Atqui Regem oportet esse veracem & benignum, vt verbis attrahat

D beneuolentiam eorum qui sunt in sua ditione: rerum autem fine & euentu fidem facere veritatis, & quòd se diuinè gerat, gloriam habere: quales ego vidi in Iudæa & Æthiopia & ante te Homeritide: quos vera dicentes, & se benignè agentes in subiectos, non, vt tu Rex, peierantes, sed aliis promissa implentes, quasi vt Deum honorabat populus. Et Deus quidem eorum quæ à te fiunt odio habens improbitatem, te qui in eum fuisti impius & infidelis, mox deponet ab Imperio, idque tradet viro fideli & bono, roborabit & extollet genus Christianorum, magnamque suam efficiet ecclesiam, quam tu igne consumpsisti & humi deiecisti. Ego autem sum beatus, non ob id præsertim quòd in hac vita in bona fui æstimatione, sed quia in profunda senectute (iam enim ago nonagesimumquintum annum, videns filios filiorum & filias filiarum) subeo martyrium; & tam magnam & populorum tam frequentem ciuitatem & totam regionis ipsius gentem Deo offero, qui etiam mei perpe- VATICINIVM ARETHAE MARTYRIS.

E tuam conseruabunt memoriam, summas illi agentes gratias.

Ad populum autem conuersus, & ad commartyres (erat enim non solùm visu iucundissimus, sed etiam in concionibus ad populum facundissimus) sic dixit: Viri ciues & amici & cognati, & quicumque propter consuetudinem & rerum communionem ad nos attinetis, quæ patriæ quidem & nobis ciuibus euenerunt, cùm non pridem considerauerimus, neque scrutati fuerimus id quod erat futurum, sed fallaci homini, qui nos fraude studebat capere, crediderimus, ipsa nouimus experientia, vt cum iis qui foris erant, molestiarum fuerimus participes. Quæ verò in Deum linguam mouens locutus est hic superbus, ipsi auribus audistis. Quod autem ad Christi Dei prouocet negationem, testantur quidem eorum qui præcesserunt plurimæ & omne genus cædes: testantur autem hæc quoque vincula, quæ pro pietate nobis sunt imposita. Et fuisset quidem sapientium, non esse timidos & vitæ nimis cupidos, neque huic callido & improbo veteratori credere, fidem adhibentes iusiurando,

rando,quod est promptissimum malorum artificium; sed bellum aduersus ipsum susciperе, A
& Deo pugnam nobiscum capessente,vlciscі hunc impium.

Cùm autem res nostræ ad eam adductæ sint necessitatem,vt vel tyranno parentes,& nos impiè gerentes,vitam agamus miseram; vel non parentes,& pietatem exercentes, beatum finem adipiscamur: studeamus immortalem gloriam consequi per martyrium. Nec me existimet aliquis tamquam iam senem & plenum dierum finem cupere, & ideo alios ad mortem incitare: sed consideret vnusquisque vestrum,mortem esse commune debitum & iuueni & seni, & esse ineuitabilem corporis dissolutionem. Itaque non expectetur finis communis,qui & sua sponte venit; sed studeat quilibet, vt sit quàm fieri poterit glorioſus & beatus. Quidnam autem dixerit quispiam martyrio glorioſius, aut quæstuoſius, aut piis omnibus beatius? Ego enim, si fieri posset, propter Christum mori sæpe & ipse eligerem, & aliis consulerem; sicque esset & maior gloria & lucrum longè copioſius. sed cùm hoc ha- B
beri non possit à natura;quod vel inuitis nobis ipsa ex se facit,præripiamus cum gloria; & id tamquam proprium constituentes,astutè fallamus necessitatem.

Nullus nostrum, ô fratres, sit adeò vitæ cupidus & adeò pusilli & abiecti animi, vt pro
CONTESTATVR SVOS ARETHAS. breui & misera vita perdat æternitatem, & quæ numquam soluitur beatitudinem. Communi omnium inimico à nobis haud detur pars aliqua; ne cùm vnum fuerit suffuratus,glorietur peruersus, tamquam qui omnes ceperit. Sed qui est quidem talis, procul sit à choro martyrum,neque sit falsò nominis particeps. Si qui enim te,Christe & Verbum Dei, negauerit huius vitæ desiderio: ab ipsa excidat, & dehiscens eum terra deuoret. Si quis autem ex mea cognatione aut familiaritate desiderio bonorum præsentium, te relicto Creatore, sequatur hunc Regem interitui obnoxium & impium:ne ei detur, ô Rex Christe, hic frui iis quæ videntur iucunda & delectabilia,& tradatur iis quæ sunt illic tormentis. C

Hæc dixit; & statim multitudo calidas effundens lacrymas: Esto bono animo, conclamauit:Nemo enim te deseret:nam tui(vt vides) desiderio omnes vel ante te mori properamus,& præripere hunc beatum finem & desiderabilem. Ille autem ad hæc: Ego,ait omnibus,ego vos omnes præcedam, & ero vobis in Deo certus viæ dux. Vt vos mihi primas conceditis in omnibus; ita mihi concedite,vt primus ad Christum accedam. Verùm enim- D
vero hoc vobis vltimum do mandatum: si qui meorum filiorum, aut eorum qui genere ad me attinent, relictus fuerit permanens in hoc puro cultu Christianorum, sit heres mearum facultatum. Porrò autem tres illas ex eis quæ mihi restant possessiones pulcherrimas volo tribui Catholicæ ecclesiæ quæ est ædificanda,quas etiam iam consecro.] ista ipse omnia præ-
noscens ventura, diuino afflatus Spiritu, instar Patriarcharum antiquorum, est prælocutus martyrij candidatus Arethas.Subdit auctor:

Hæc cùm dixisset, & populo benedixisset, &, Sit tibi gloria ô Domine propter omnia, subiunxisset; conuersus dicit Regi: Laudo te, ô Rex, quòd vsus sis patientia, & non confuderis aut interruperis meam orationem, vt mos fuit olim Regibus. Quoniam ergo nosti nostrum scopum & institutum, nempe quòd fieri non potest, vt Christi cultu relicto, nos
SENTENTIA IN ARETHAM ET SOCIOS. tibi assentiamur: fac quod superest,tempus non terens diutiùs. Cùm sciret ergo Rex mentem eorum esse immutabilem,nec fieri posse vt eos ad suam traducat sententiam, iussit eos duci ad quemdam torrentem,qui vocatur Odias,& ipsis illic amputari capita.

Ad quem cùm venissent, & se prompto & alacri animo ad preces conuertissent: Domi-
[a] Psal. 19. ne,Domine[a],dixerunt, virtus salutis nostræ, obumbrasti super caput nostrum in die belli. Nunc quoque deduc nos in vitam æternam: quoniam nihil ex omnibus nobis pluris fuit, quàm tui dilectio, non patria, non genus, non diuitiæ; sed omnia propter te perdidimus, E
[b] Psal.41. etiam ipsam vitam, & tamquam occisionis[b] oues sumus reputati. Et nunc te supplices ro-
[c] Psal.48. gamus,fiat vltio[c] sanguinis seruorum tuorum, qui fuerit effusus: extolle manus tuas super istorum superbiam. Suscipe ac defende illorum filios, qui pro te moriuntur. Corrobora ciuitatem,quæ gloriatur tuo pretioso sanguine & cruce & passionibus. Vides quemadmodum eam tui effecerunt inimici: attonderunt eius ornamentum: profanauerunt sanctuarium tuum: templum sanctum tuum exusserunt;quod tibi placeat vt rursus extollatur & roboretur,dando sceptra Regibus Christianis.] hæc & alia illi precati, iugulum singuli obtulerunt,primusque omnium coronam martyrij Arethas est consecutus.Subdit verò auctor
MIRA LIBERTAS FEMINAE CHRISTIANAE. hæc de admirando feminæ Christianæ certamine:

Quædam autem mulier habens pùerum prætercurrentem non plus quàm quinque annos natum,cùm videret ea quæ fiebant,& ad similem accensa esset æmulationem, citissimè

accur-

A accurrens, cùm ipsa quoque accepisset martyrum sanguinem, se illo vnxit & filium. Deinde ipsum Regem ludificabatur, eum vocans tyrannum, & quàm maxima poterat voce dicens: Erit Hebræorum Regi sicut Pharaoni. Illius verò satellites, ijs quæ dicebantur, auditis, comprehensam statim mulierem ducunt ad ipsum Regem, & maledicta, quibus ipsum acerbè appetebat, renunciant cum magna accensione. Ille autem cùm nec ei fecisset dicendi potestatem, nec eam quidem interrogasset, eam condemnat, vt igne moreretur.

Statim ergo fuit congregata materia, & ignis ei subiectus, & flamma se in altum sustulit, sulphure, pice, & sarmentis nutrita: deinde etiam fuit alligata mulier, & eam lictorum manus complectebantur, vt cùm fuisset eis onus portatu facile, sic in mediam flammam recta coniiceretur. Puer autem, qui solus remansérat, dolebat, indignabatur, ægrè ferebat, non secus ac recens nati pulli, non ferens matris absentiam. Porrò autem in gyrum vertens B oculos, & amicissima lingua matrem requirens, videt Regem sedentem in excelso, & ad ipsum accurrit oculos habens plenos lacrymis, deinde se prouoluit ad eius pedes pro matre rogans, vt poterat. Ille autem eo accepto, & genibus impositò (erat enim puer scitus & elegans, & qui vt puer suauiter balbutiebat) rogabat cum quo mallet versari, & quem magis diligeret. Ille autem matrem dicebat, matrem, & eam deflebat assiduè: Propter eam autem, inquit, veni, & rogo, ô Rex, eam solui, vt me quoque assumat ad martyrium. Illa autem me sæpe ad hoc hortata est.

PVERI CHRISTIANI SVPRA AETATEM CONSILIVM.

Attendens autem Rex ad verba pueri: Quid est autem hoc, inquit, quod dicis, martyrium? O quæ etiam infantes sapientes reddit tua, Domine, gratia! Pro Christo, inquit, mori, & rursum viuere. Sed quis est hic Christus? rursum dicit Rex. Puer autem: Veni huc, inquit, ad ecclesiam, & cum tibi ostendam.] ad aliquam sacram imaginem Saluatoris, ex C more, in ecclesia pingi solitam puer alludens, ita quidem cùm esset paruulus, loquebatur vt paruulus. Sed quid pòst? Interim autè cùm matrem aspexisset, flens dixit: Sine, sine me venire ad matrem: video enim eam trahi & malè affici à lictoribus. Rex autem: Cur, inquit, huc venisti, matre relicta? Sed sis hìc nobiscum, & dabo tibi quoslibet fructus pulcherrimos. Hoc ille quidem dixit, tamquam cum simplici puero, atque adeò puero se loqui existimans. Ille verò longè supra ætatem prudentia præditus planè renuebat, dicens: Non hìc manebo: matrem desidero: nam arbitratus te esse Christianum, veni pro ea rogaturus: cùm Iudæum autem inuenerim, tecum nec volo quidem versari, neque sustineo omnino à te aliquid accipere. Hoc autem solum mihi concede, ô Rex, vt ad matrem reuertar.

REX FRVSTRA BLANDITVR PVERO CHRISTIANO.

Regem stupore affecit pueri sapientia. Quidam autem ex iis qui circumstabant, excogitantes aliquid sapientis, censebant vt infans adduceretur ad Reginam, sic teneram ætatem D conantes allicere: nam cum Rege quidem consuetudinem existimabant esse puero insolitam, vt virilem & asperiorem: quòd si audierit Reginam & mulierem, prompto & alacri animo eam secuturum, vt qui apud matrem blandè educaretur, & molliori delectaretur consuetudine. Verùm rursus pueri intelligentia superauit illorum calliditatem; nec eis quidem omnino ad hæc dabat responsum, sed vehementer solùm vocabat matrem, & in eam cum animo totos defigebat obtutus.

CONTEMNIT AEQVE REGINAM PVER.

Cùm eam autem vidisset iniici in ignem, vehementiùs inflammatus visceribus, audet statim puer aliquid fortius: & cùm stetisset ad genua tyranni Dunaan, se inclinans, acriter ipsum Regem mordet in femore. Ille autem simulatque sensisset morsum, & fuisset conturbatus, eum repentè abiicit, & eum tradit cuidam ex Senatu, vt ab illo aleretur maximè Iudaicè, & abiuraret Christianismum. Et ille quidem abibat, accepto puero, admirans ea quæ E facta fuerant, & simul etiam narrans aliis. Interim autem puer, eo nesciente, cursu contendit ad matrem, & insiliit ad mediam fornacem, matremque (vt ei videbatur) amplexus & pulcherrimum bustum se ipsum ei tradens, fit cum ipsa heres coronæ martyrij.] Ita planè (quod scriptum est [a]) ex ore infantium & lactentium perfecisti laudem, vt destruas inimicum & vltorem.] infirma mundi elegit Deus, vt confundat fortia. Parum fuit vinci à feminis superbissimum tyrannum, & ab ætate decrepita superari, nisi & à puero hostis immanissimus sterneretur. Tales esse solent Christianæ religionis de perfidia prostrata triumphi, vt vincat humilitate superbos, & superet infirmitate potentes. Sed pergit auctor:

PVER PROVOCAT IRAM REGIS ET CVRRIT IN IGNEM.

[a] *Psal. 8.*

Cùm hæc sic fierent, patientium Christianorum moti misericordia ij qui erant circa Regem & ipse Senatus, rogabant, vt ceteros relaxaret, & non penitus perderet tam magnam ciuitatem & populo tam frequentem, quæ quotannis magna pendebat vectigalia. Postquam autem hac in re annuit dura illa anima & Pharaonica, crudelemque vicit auaritia,

REX PARCIT RELIQVIS CIVIBVS.

quid

quid facit? Cùm huius ciuitatis & totius regionis iuuenes tam masculos quàm feminas redegisset in seruitutem, quorum erant multa millia, & alios quidem ipse retinuisset, alios autem tradidisset quibus voluit, reuersus est in Regiam, libera ciuitate effecta serua, quæ dedicata erat soli Trinitati; quam ipse Christus redemit proprio sanguine, & quæ ei obtulit tantam martyrum multitudinem, eorum victorias & certamina præclara prædicans orbi terræ. Et hæc quidem ita se habebant.] hactenus de martyribus suo splendore in Oriente & Occidente vniuersæ Ecclesiæ elucentibus: non enim eos Homeritæ vel Æthiopes tantummodo coluerunt, sed & Græci omnes, pariterque Latini, qui diuersis licet diebus eorumdem admirabilium martyrum annis singulis certamina publicè in Ecclesia ex sacris tabulis legunt. Tanto ergo Orientalium Occidentaliumque consensu celebrari martyres meruerunt, qui licet in remotis adeò regionibus passi sint, vnius tamen corporis, Catholicæ nimirum Ecclesiæ calore fidei proxima capiti membra erant. At quid post hæc perfidus apostata egerit, audi: sed priùs quæ acciderint in cælo prodigia ad incutiendum terrorem crudeli barbaro, accipe. A B

PRODIGIA PERTERRENT HEBRAEORVM DVCEM.

Reuertente autem Hebræo, apparuit ignis aliquot diebus tota nocte implens aerem, qui ipsum Dunaan & eius terrebat exercitum, & coniiciendam præbebat Dei iram aduersus impios. Deinde ignis quoque desuper, qui erat perfecta plaga, pluit in terram. Sed nec sic quidem potuit corrigi sceleratus, neque plecti sub potenti manu Dei. Tanto autem furore erat accensus aduersus Christianos, vt etiam ad Regem Persarũ miserit legationem, & rogauerit vt ipse quoque faceret similia; & omnes qui in sua ditione inueniebantur, Christianos perderet funditus: si vellet, inquiens, Solem habere propitium, & eius patrem (sicut ille nugabatur) esse Deum Hebræorum. Scripsit etiam ad Alamundarum Ducem Sarracenorum qui erant sub Persis, promittens etiam se ei daturum pecunias, si moueret persecutionem aduersus Christianos qui sunt ei subiecti. Sed ille quidem adeò erat infestus Christianis, & sic faciebat.] Hæc autem de Alamundaro cùm audis, memoria repete sub Anastasio Imperatore superiùs esse dictum, eiusdem nominis Regem Sarracenorum ad fidem Christianam conuersum, baptizatum esse: hunc verò alium ab illo fuisse, dicendum videtur: etenim Sarracenorum alij erant Romano Imperatori obtemperantes, alij hostes, vt quæ dicentur, ostendent. Sed prosequamur reliqua: C

LEGATIONES AD SARRACENOS.

Iustitia autem nequaquam cessauit implere suas partes in his quæ fiebant. Iustinus enim Imperator, cùm sic ei visum esset, hortatus est Alamundarum, vt fœdera pacis iniret cum Sarracenis Romanorum vectigalibus. Et missus est Abrahamius vir pius & presbyter, qui hac fungeretur legatione. Aderant autem illic quoque à Rege Persarum cùm alij quidam, tum Isacius quoque presbyter, qui præerat Christianis Orthodoxis qui in Perside erant: aderat autem Silas quoque Episcopus Nestorianorum cum quibusdam aliis, partim quidem pro Hebræo fungens legatione, partim verò volens conuenire Orthodoxos, & disputare aduersus recta dogmata. D

NESTORIANI IVDAEIS AFFINES.

Cùm autem coram dictis legatis legerentur litteræ Regis Homeritarum, & Silas assentiretur scopo eius qui scripserat, & diceret Christum solum esse hominem, & non Deum: Quomodo enim, inquiens, qui nascitur ex muliere, & componitur ex eo qui est in ipsa sanguine, & inuoluitur fasciis, & paulatim accipit incrementum, deinde etiam laborat & sitit, & tandem ad crucem agitur & moritur, Deus esse dicitur, vt citra rationem Abrahamio videtur & Isacio? Hæc cùm sic dicerentur, ij viri pij non ferentes diutiùs Deum affici contumelia, scissis suis vestibus, eos vocabant hæreticos, & magno animo eos expellebant ab Ecclesia Catholica, Nestorium eorum magistrum damnantes, vt qui talia seminasset zizania: deinde fusiùs etiam persequebantur ea quæ pertinebant ad diuinæ carnis susceptæ dispensationem; ipsisque Orthodoxa diuinorum Apostolorum & Patrum sequentes dogmata, Deum perfectum & hominem perfectum confitebantur Christum, in vna hypostasi duas naturas coniungentes citra confusionem. Atque cùm sic quidem Silas à scopo excidisset, inanibus (vt dicitur) manibus est reuersus, & sic vana spe est delusus. E

IVSTINVS SCRIBIT AD REGEM AETHIOPVM CHRISTIANVM.

Abrahamius autem ipso quoque fœdere inito cum Alamundaro, salutatoque Isacio in Persidem reuertente, rediit & ipse, atque omnia exposuit Iustino Imperatori, & præsertim quæ à Rege Homeritarum facta & scripta sunt contra Christianos. Ille autem sine mora scripsit ad Asterium Alexandriæ Episcopum, vt incitaret Regem Æthiopum ad mouendum arma aduersus Homeritas: eadem quoque ipse Regi Æthiopum per litteras nunciauit, eumque docuit quemadmodum deleuisset Hebræus omnes Christianos qui erant in

A sua potestate, & quemadmodum Nagran ciuitatem populo frequentissimam fecisset inhabitabilem, omnibus puberibus partim quidem interfectis, partim autem redactis in seruitutem: quod Regem etiam Persarum & Alamundarum idem ille incitasset, vt facerent similia: postremum adiecit fore, nisi ipse exurgeret in vltionem, vt Deus euestigio ei irasceretur. Et hęc quidem Imperator Iustinus. Ipse quoque Patriarcha Alexādrinus posteaquam cum monachis Orthodoxis, qui erant in Nitria & Scete, multas Deo fudit supplicationes, Regi illi ea significauit, quæ pio videbantur Iustino.] At de his modò hactenus: quæ autem ibidem habentur de bello à Rege Aethiopum aduersus Dunaan suscepto, & insigni victoria à Deo obtenta, quoniam ea omnia anno sequenti contigisse narrantur, suo loco de ijs dicturi sumus.

QVingentesimus vigesimustertius Redemptoris annus vno tantùm consignatus Consule Maximo reperitur, quem Roma dedit, & (vt testatur Marcellinus) sine collega: errore autem ab aliquo coniungi Maximo collegam Olybrium, inferiùs dicemus. Porrò qui fuit Maximus creatus in Occidente, æmulus gloriæ Iustiniani Consulis in Oriente, & ipse sumptuosa (vt ille ante annum superiorem) exhibuit in suo consulatu munera; quæ tamen sordida reddidit, dum præmia consueta certantibus & munerarijs persoluere detrectauit: cuius rei causa ab illis Theodorico Regi oblati sunt aduersus eum querelarum libelli: C qui rei indignitate commotus, ad eumdem Maximum Consulem epistolam dedit, cuius est exordium[a]: Si Consularem munificentiam prouocant, &c.] vbi plurima in detestationem eiusmodi cruentorum spectaculorum, cùm certamen initur cum bestijs, habet: quæ tamen ex praua inolita consuetudine ijsdem necessaria visa sunt. nam audi quid idem Theodoricus in fine epistolæ dicat:

CONSVLATVS MAXIMI.

[a] *Apud Cassiodor. Var. lib. 5. epist. 42*

Sed vos, quibus necesse est talia populo exhibere, largitate manus fundite præmia, & hæc miseris faciatis esse votiua. Alioqui violenta compulsio est, solemnia dona subtrahere, & mortes detestabiles imperare. Et ideo quicquid in longam consuetudinem antiqua liberalitate peruenit, sine aliqua dilatione concedite supplicanti: quia homicidij reatus est, illis esse tenacem, quos editio vestra inuitauit ad mortem. Heu mundi error dolendus! Si esset vllus æquitatis intuitus, tantæ diuitiæ pro vita mortalium deberent dari, quantæ in D morte hominum videntur effundi.] hæc Rex barbarus, & alia plura superiùs in odium huiusce modi Romanorum spectaculorum: vt non adeò mirum sit ipsum humanioribus compositum moribus summa pace atque felicitate in hanc diem regnum ad tricennalia propagasse. Ita planè, quamdiu æquitati studens, & de Ecclesia Romana bene mereri solicitus, eiusdem libertati atque securitati prospexit, omnia ipsi cessere dextera: cùm verò aduersus Petram insaniens certamen inijt, & innitentem super eam Romanum Pontificem lacessiuit (ô miraculum!) protinus pessumiuit, atque confractus perijt. Iam verò narrationem rerum Ecclesiasticarum anni huius aggrediamur.

VENATIO FERARVM IN THEATRO DETESTABILIS.

Hoc itaque anno, octauo Idus Augusti, Hormisda Papa cùm sedisset annos nouem & dies decem, perfunctus quàm honestissimè munere Pontificio, ex hac vita migrauit, desiderium sui relinquens bonis omnibus, vtpote qui inter immensos sæculi fluctus tempore im- E pij Anastasij Imperatoris Ecclesiam regens, clauumq; regiminis summa constantia moderatus, latentia vitauit scopula hæreticorum, vndasq; humanæ potentiæ medium findens & calcans, ad optatum pacis portum Ecclesiæ nauim sub Iustino Imp. perduxit: præscribensq; iura Principibus, docuit, parere debere in his quæ sunt ad Deum sacerdotibus Reges, non Principibus sacerdotes. Gaudent, exultant, glorianturque tanto conciue nobiles populi Frusinates: verùm non ipsi tantùm memoriam eius dignis officijs prosequuntur, sed vniuersa Catholica Ecclesia in Occidente celebritatibus annuis eiusdem diem natalem frequentat octauo Idus Augusti.

OBITVS HORMISD. PAPAE.

Antequam autem reliqua eius affigamus monumenta sepulchro, ambiguitas illa soluenda est de obitus tempore. Nam si consulas Anastasium, ipsum secum pugnantem inuenies, dum de ipso agens suæ narrationis exordio, vixisse vsque ad superiorem annum Consulatus Symmachi atque Boetij tradit; in fine autem eius obitum & sepulturam collocat

DE TEMPORE OBITVS CONTROVERSIA.

locat sub Consulatu Maximi, qui contigit anno præsenti. Sed & cùm eius successoris Ioannis A
ingressum æquè ponit sub Maximi Consulatu, magis firmat sententiam illam, hoc anno &
non superiori Hormisdam dicta die esse defunctum. Rursus huic sententiæ Græci etiam
astipulantur. Marcellinus enim Comes, qui his ferme diebus Chronicon scribebat, pa-
riter sub Maximi Consulatu refert ingressum Ioannis Hormisdæ successoris in Pontifica-
tum. Sed alia pleraque eidem consentiunt veritati, vt rerum gestarum ordo annis singulis
vsque ad ipsius Ioannis obitum declarabit: ita vt nulla possit de tempore Hormisdæ sedis
ambiguitas remanere. Licet autem ab ipso Anastasio sedi eius tribuantur anni octo & dies
decem; Indices tamen Vaticani habent annos nouem & dies decem & septem: verùm
quod ad dies pertinet, post nouennium nonnisi decem numerari contigit. Hæc quod ad
obitus tempus satis.

DIGNA HORMISDAE MEMORIA.

Iam verò quæ reliqua sunt rerum ab eo gestarum, his tamquam corollarium apponamus, nempe ea, quæ quoto potissimùm anno fieri contigerunt, haud satis constare possunt. B
Quamobrem cetera alia eiusdem Hormisdæ egregia facta, quæ haud certorum annorum possunt limitibus claudi, hic ad finem ex Anastasio referenda ex more duximus, quibus ostenditur non solùm ipsi aduersus Eutychianos & alios superiùs recensitos hæreticos fuisse pugnandum, sed etiam aduersus Manichæos non leue inijsse certamen; de quo hæc in primis Anastasius: Hic composuit clerum, & psalmis erudiuit. Hic fecit basilicam in territorio Albanensi in possessione Mefontis.] & post multa, quæ suis locis superiùs dicta sunt, ista subiicit de repertis & condemnatis ab ipso hæreticis Manichæis: Hic inuenit Manichæos, quos etiam discussos cum examinatione plagarum, exilio deportauit: quorum codices ante fores basilicæ Constantinianæ incendio concremauit.] Magnæ cessit laudi Romanis Pontificibus super vniuersum gregem vigilantibus, insidiantes clanculo lupos inue- C

INQVIRERE HAERETICOS, ROMANORVM ESSE PONT.

nisse: nam eos prodidisse, perdidisse fuit. Quod igitur ijsdem excubias totius Orbis gregis agentibus in hoc ipsum potissimùm inuigilandum esset, hinc videas in ipsis Vitis Romanorum Pontificum non taceri, sed vt nobilem cunctis spectandum proponi titulum, cùm contigit ab eis esse inuentos hæreticos: vt sæpius superiùs factum vidimus.

Sed obseruatione dignum, quòd audis inuentos ab Hormisda Manichæos discussos cum examinatione plagarum in exilium deportari iussos. Habes Ecclesiastici iudicij praxim nempe huiusce modi feras bestias è latibulis primùm eductas, deinde discuti atque flagellis subijci ad extorquendam veritatem. At non ad eruendam veritatem tantùm, sed &
in pœnam etiam consueuisse Episcopos adhibere flagella, apud sanctum Gregoriũ est sæpiùs inuenire. Habet enim hæc de puniendo subdiacono calumniatore Gregorius scribens his verbis ad Anthemium [a]: Quia ergo tantæ nequitiæ malum sine digna non debet vltione D
transire, suprascriptum fratrem Paschasium Episcopum volumus admoneri, vt eumdem Hilarium priùs subdiaconatus, quo indignus fungitur, priuet officio, atque verberibus publicè castigatum faciat in exilium deportari, vt vnius pœna multorum possit esse correctio.] At licet Episcopis concessa esset eiusmodi per flagella animaduersio, præsidebat tamen cunctis æquus arbiter ipse Romanus Pontifex, ne quis crudeliter nimis eadem infligi iuberet. hinc accidit, vt idem Gregorius Papa [b] Andream Ferentini Episcopum duorum mensium spatio suspenderit à celebratione Missarum, quod feminam quamdam dirè admodum fustibus castigari præcepisset. Sed & Abbatibus concessam fuisse virgarum animadoersionem, certum est [c]. Subdit verò Anastasius:

ECCLESIASTICA ANIMADVERSIO PER FLAGELLA.

[a] *Greg. lib. 9. epist. 66. vet. edit.*

[b] *Greg. lib. 2. epist. 44. & 45. vet. edit.*

[c] *Pallad. in Lausiac. c. 8. Greg. dialog. lib. 2. c. 4. Bernard. epist. 102.*

Sub huius Episcopatu multa vasa aurea vel argentea venerunt de Græcia, & Euangelia cum tabulis aureis & donis pretiosis pensantibus libras quindecim: Patena aurea cum hya- E
cinthis, quæ pensat libras quindecim: Patenæ argenteæ duæ pensantes singulæ libras viginti quinque: Scyphus aureus cum gemmis pensans libras octo: Scyphi argentei deaurati pensantes singuli libras quinque*: Gabatha electrina pensantia libras duas: Thecæ cereæ aureæ pensantes libras sex: Palliolum olophorum*, blatheum* cum tabulis auro textis de chlamyde vel stola Imperiali: Subcinctorium super Confessionem B. Petri Apostoli: hæc omnia à Iustino Orthodoxo votorum gratia oblata sunt.]

MVNERA IVSTINI IMP. SVB HORMISDA AD ROM. ECCLESIAM

* quindecim
* olosericum
* blatarum

Sed & quod mirandum fuit, etiam hostis Catholicæ fidei Rex Italiæ Theodoricus munus obtulit Rege dignum basilicæ Vaticanæ: munus dixerim, non oblationem: solent enim oblationes tantummodo esse Fidelium Orthodoxorum, quæ solemni ritu in ecclesiam inferri consueuerunt & recipi; munera verò, quæ nulla habita distinctione donantis, in ecclesiam tamquam in Gazophylacium inferrentur. Sed audi Anastasium: Eodem tempore

Theodo-

A Theodoricus Rex obtulit beato Petro Apostolo cerostrata argentea duo pensantia libras septuaginta.] hæc de muneribus oblatis sub Hormisda Papa basilicæ Vaticanæ à Principibus Christianis, præter illa quæ superiùs eidem Hormisdæ oblata à Clodoueo Francorum Rege sunt dicta. Quæ quidem omnia summæ laudi Hormisdæ cessisse, quis non intelligit? sicuti etiam in libris Machabæorum factum à Regibus legitur templo Dei sub Onia summo sacerdote viro sanctissimo: nam audi quæ ibi dicuntur[a]: Propter Oniæ Pontificis pietatem & animos odio habentes mala, fiebat, vt & ipsi Reges & Principes locum summo honore dignum iudicarent, & templum maximis muneribus illustrarent.] Sed sicut tunc Ethnici etiam muneribus templum Domini illustrarunt, ita & nunc Theodoricus Rex à fide Catholica alienus, ob idque hac ex parte ipsius Romanæ Ecclesiæ hostis dicendus, Petri basilicam donis nobilitauit: & quemadmodũ tributum pendere solet licet inuitus Rex exter-
B nus subiugatus Imperatori, ita idem Theodoricus reueritus sedis Apostolicæ maiestatem, quodam quasi miraculo infert dona in templũ, quod imbutus hæresis Arianę perfidia auersatur: id exigente non alio, quàm qui accepit à Patre[b] Gentes hereditatem suam, & rebelles regere in virga ferrea; de quo & dictum[c]: Et inimici eius terram lingent.] Sed de Hormisda reliqua prosequamur, quæ ad Dei cultum & templorum ornatum spectant.

[a] 2. Mach. 3.

[b] Psal. 2.

[c] Psal. 71.

ORNAMENTA ECCLESIIS AB HORMISDA COLLATA.

Ad postremum enim hæc de ipso Hormisda Anastasius habet: Eodem tempore fecit Papa Hormisda apud beatum Petrum Apostolum trabem, quam ex argento cooperuit pensantem libras mille quadringentas. Hic fecit in basilica Constantiniana arcum argenteum ante altare, qui pensat libras viginti: Canthara argentea sexdecim, quæ pensant singula libras duodecim. Item ad beatum Petrum fecit arcus argenteos duos pensantes singulos libras viginti, Canthara argentea sexdecim pensantia singula libras quindecim, Amas
C argenteas tres pensantes libras tres, scyphos argenteos stationales sex cum calicibus * pensantes singulos libras sex.] hæc de donis. subdit verò de ordinationibus: Hic fecit ordinationes in vrbe Roma per mensem Decembrem[a]: ordinauit presbyteros viginti iunum, Episcopos per diuersa loca quinquaginta quinque. Qui sepultus est in basilica beati Petri Apostoli octauo Idus Augusti, sub Consulatu Symmachi *. Cessauit Episcopatus eius dies septem.] hæc Apud Anastasium.

* crucibus

[a] Maximi

IOANNES PAP. CREATVR.

Sic igitur non ampliùs quàm septem dierum spatio cessante sede, Idibus Augusti subrogatur in locum eius totius cleri consensu Ioannes Etruscus Constantij filius ex presbytero tituli Pamnachij. Res autem ab eo gestæ magna ex parte scriptorum antiquorum iactura remanserunt obscuræ: quæ verò adhuc extant, suis locis opportunè reddemus.

Hoc eodem anno Tertullus ciuis Romanus claritudine generis nobilis, sed pietate ma-
D gis insignis, Dauidis Regis sacri memor eloquij, quo ad Deum conuersus ait[d]: Et semen meum seruiet tibi] & magni parentis Abrahæ vnicam prolem Deo in sacrificium offerre parati, filium suum Placidum septennem puerum Deo offerens, eũdem S. Benedicto apud Sublacum iuxta Simbruinos montes monachos colligenti monasticis institutionibus tradidit imbuendum. Quem imitatus Eutychius Senator vir illustris, & ipse duodecim annos natum filium Maurum eidem Patri obtulit Benedicto. res gesta narratur à sancto Gregorio. Porrò hæc omnia hoc anno contigisse, vetus Chronicon Cassinatis cœnobij asserit, & Leo Ostiensis consentit. Quòd si ab his discrepare videatur, qui scripsit vitam S. Placidi, dum ait id factum anno Domini quingentesimo vigesimo secundo: tamen quòd addit contigisse Ioanne Romano Pontifice, vtique ad hunc annum ex eiusdem sententia referas necesse est: etenim superiori anno, immo & præsentis maiori parte sedisse Hormisdam,
E satis liquet ex iis quæ nuper dicta sunt.

[d] Psal. 21.

Degebat apud montes Simbruinos magnus ille Catholici orbis splendor, sanctissimus monachorum Patriarcha Benedictus, iamq; duodecim erexerat (vt testatur Gregorius[e]) monasteria. Sed audi ipsum ista narrantem: Cùm sanctus vir diu in eadem solitudine virtutibus signisque succresceret, multi ab eo in eodem loco ad omnipotentis Dei sunt seruitium congregati: ita vt illic duodecim monasteria cum omnipotentis Iesu Christi Domini nostri opitulatione construeret, in quibus statutis Patribus duodenos monachos deputauit, paucos verò secum retinuit, quos adhuc in sua præsentia aptiùs erudiri iudicauit. Cœpere etiam tunc ad eum Romanæ vrbis nobiles & religiosi concurrere, suosq; ei filios omnipotenti Deo nutriendos dare. Tuncq; bonæ spei suas soboles Eutychius Maurum, Tertullus verò Patricius Placidum tradidit: è quibus Maurus iunior cùm bonis polleret moribus, magistri adiutor cœpit existere: Placidus verò pueriles adhuc indolis gerebat annos.]

[e] Greg. dial. lib. 2. c. 3. 4.

hæc de oblatis à parentibus Romanis pueris S. Gregorius. Quando verò contigerit inde migrare Cassinum vitantem Florentij inuidiam S. Benedictum, suo loco dicetur. hæc modò de his satis: consule tu Gregorium, si plura cupis. A

Sed ad res Orientales oratio conuertatur. Iustinus religiosissimus Imperator, Catholicæ fidei cultor studiosissimus, haud satis habuit suis legibus Nestorianos atque Eutychianos proscripsisse; sed audiens Manichæos in Oriente repertos esse, aduersus eosdem promulgauit edictum. Qui enim in Vrbe inuenti, Apostolica censura coërciti sunt, in longè positas regiones migrandi visi sunt iniisse consilium; quos cognitos suis Imperator legibus profligauit, quibus & omnes hæreticos, Iudæos, atque Gentiles paritor exagitauit, cùm ista sanciuit[a]: Manichæi vndique expelluntor, & capite puniuntor. Reliqui autem hæretici (hæreticus est omnis non Orthodoxus) & Græci, *nempe Gentiles*, seu Pagani, & Iudæi & Samaritæ prohibentur magistratum gerere, & dignitatem habere, aut ius dicere, aut Defensores, aut Patres ciuitatum fieri (ne habeant licentiam vexare aut iudicare Christianos, aut Episcopos) item militare quoque prohibentur, præter quàm si ex genere Cohortalinorũ sunt: hi enim manent onera quidem sustinentes, non offendentes autem, neque in Orthodoxos quid exequentes in publicis vel priuatis causis. Qui autem tentauerit quid horum facere, præter quàm quòd factum pro infecto erit, dabit etiam libras viginti: & qui publicis ipsos descriptionibus inserere conati fuerint, etiam viginti, & Præsides quinquaginta; & omnes hæ priuatis rebus inferantur. Excipiuntur Gothi, qui sunt fœderati, & aliter prout visum Imperatori fuerit, honorantur.] hæc Iustinus, qui ob fœdus cum Theodorico initum Gothis licet Arianis parcendum putauit. B

[a] *Cod. de hæret. & Manich. l. 12.*

CONSTITVTIO IVSTINI ADVERSVS MANICHAEOS.

Sed quod ad ipsos Manichæos spectat, hoc eodem sexto ipsius Iustini Imperatoris anno hæc de his quæ aduersus eos gessit, Cedrenus habet: Persecutus est idem Iustinus hoc anno Manichæos, multosque eorum suppliciis affecit; quod & Cabades Rex Persarum præstitit in suo regno; qui omnes quos reperit intra suos fines, trucidauit.] quánam autem ex causa ad hæc agenda permotus, accipe ab auctore Miscellæ[b]: Cabades Rex Persarum, filius Perozi, multa millia Manichæorum cum Episcopo eorum Indagaro vna die peremit vnà cum senioribus Persis, qui consensus eorum erant: filium enim eius nomine Phatuarsam Manichæi à puero instituentes, repromittentes dicebant: Quia pater tuus senuit, & si contigerit eum mori, principes magorum vnum fratrum tuorum facient Imperatorem, eo quòd teneant dogma ipsorum. Nos autem possumus per orationes nostras persuadere patri tuo, abrenunciare Imperio, & te promouere, vt vbicunque confirmes dogmata Manichæorum. Qui promisit hoc facere, si imperasset. C

IVSTINVS MANICHAEOS OCCIDI IVSSIT.

[b] *Apud Miscel. lib. 15.*

Cùm autem hæc Cabades cognouisset, iussit conuentum fieri, quasi facturus filium suum Imperatorem, omnes iubens Manichæos cum Episcopo eorum & mulieres & liberos adesse conuentui, similiter principem magorum Glonazen, & magos, & Christianorum Episcopum Boazanem dilectum à Cabade & medicum optimum. Et conuocatis Manichæis ait: Gaudeo super dogmate vestro, & volo vobis date, dum viuo, filium meum Phatuarsam: sed segregate vosmetipsos ad recipiendum eum. Qui freti fiducia, semetipsos segregarunt: Cabades autem præcipiens exercitus suos ingredi, omnes occidit gladiis cum Episcopo eorum sub conspectu magorum principis & Christianorum Antistitis.] hæc auctor in Miscella. Ingentem planè eiusmodi fuisse Manichæorum cædem, inde existimare licet, quòd in Perside frequentiores esse solerent Manichæi, vbi tutò degere consueuerunt, quàm in aliis Romani Imperij regionibus: cùm præsertim quasi natiuum solum Persidem esse ipsi cognoscerent, vbi primùm fuerant exorti: ob quam causam inter Manichæos & Persas pluri- E ma fuisse communia, Agathias[c] de Persarum moribus agens ostendit, nempe idem esse vtrique sectæ dogma de duobus principiis, ex quibus alia ab ipsis nefanda deducerentur axiomata: tu ipsum consule. D

MANICHAEI IN PERSIDE OMNES OCCISI.

[c] *Agath. de bello Persic. lib. 2.*

Sed iam Æthiopas reuisat oratio, ad quos anno superiori à Iustino Imp. per Alexandrinum Episcopum procuratam esse legationem vidimus; ipsaque Dei admiranda facta recenseat, quonam modo post cædem martyrum Homeritarum Arethæ & sociorum perpetratam per dirum apostatam Hebræum secta Dunaan Regem, in eum vltus est Deus, immisso in ipsum Eleshaan Rege Æthiopum viro Christianissimo hoc anno post transactam hiemem. historiam quidem fide integram habent eiusdem Arethæ martyris Acta, quæ hic singulis reddere verbis, argumenti nobilitas & tractationis veritas persuadent. Secuta hæc autem sunt, cùm (vt superiùs dictum est) Iustinus Imperator, audita Homeritarum Christianorum

A norum strage per Hebræum tyrannum quàm diriſſimè perpetrata, per Alexandrinum Catholicorum Antiſtitem eumdem Regem Æthiopum ad vltionem parandam excitaſſet. Quæ verò ab auctore iis ſubiiciantur, audi:

EXPEDITIO REGIS ABTHIOPVM IN HOMERITAS.

Non latebant autem nec priùs quidem Æthiopum Regem ea quæ facta fuerant: ſed tempore anni prohibente (erat enim hiems) vel inuitus quieuit. Itaque cùm validum collegiſſet exercitum tum ex ſuis, tum ex auxiliis vſque ad centum & viginti millia, naues autem Indicas ſeptuaginta in ipſa hieme conſtruxiſſet; quinetiam ex negotiatoribus Perſis & Æthiopibus, qui illuc venerant mercaturæ gratia, naues alias collegiſſet ad ſexaginta: cumque eas quæ ex ipſis collapſæ fuerant, inſtauraſſet ac refeciſſet, & omnia paraſſet: veris initio mouet exercitum, armiſque & equis & alio apparatu properabat, vt prœlio confligeret cum inimicis. Et per continentem quidem ab inferiori parte Æthiopiæ miſit quindecim
B millia Æthiopum ad Homeritidis partes magis Occidentales; vt ipſe quidem per mare cum nauibus, illi autem per terram irruentes, hoſtes in medium coërcerent.

PIETAS REGIS AETHIOPVM IN EXPEDITIONE PARANDA.

Ceterùm illi quidem cùm multos dies iter feciſſent per loca arida & tranſitu difficilia, omnes interierunt; vt qui nec peruenire ad Homeritam, nec ad regionem ſuam potuerint redire. Rex autem cùm iam eſſet nauigaturus, venit in templum, ad cuius fores regia veſte aliiſq; inſignibus Imperij depoſitis, ingreſſus quidem eſt in priuato habitu: ſtans autem ex aduerſo aræ, cùm Deum multum oraſſet, & facta ab ipſo in Ægypto miracula atq; in ipſa ſolitudine pro Hebræis in memoriam reuocaſſet: Illi, dicebat, fuerunt ingrati in te benefactorem, neque illi ſolùm, ſed ij etiam qui ex eis nati ſunt. Tu enim ſcis Domine, quàm ſe malè geſſerint in vna ciuitate, vt qui populum illum per dolum circũuenerint, & conſilium inierunt aduerſus ſanctos tuos; & in eos qui reſtant, adhuc mala machinantur. Quòd ſi no-
C ſtra peccata id merentur: ſed ne tu nos tradas illorum manibus. Quod autem ipſe volueris, hoc excepto, nobis impone ſupplicium: ne fortè dicatur: Vbinam eſt ipſorum Chriſtus, propter quem gloriantur, & crux eius?

CONSVLIT S. MONACHVM REX AETHIOPVM.

Hæc cùm precatus eſſet cum lacrymis, egreditur de templo & è ciuitate, & ad quemdam monachum, qui propter virtutis operationem dignus erat habitus vt præuideret futura, & in anguſta turricula iam quadraginta quinque annos fuerat incluſus, pedes venit eodem habitu, de prœlio ſciſcitaturus: attulit compoſita quoque thymiamata, in quibus etiam aurum latenter immiſcuerat. Quæ cùm tradidiſſet ſeni, quærebat preces & ſignificationem eorum quæ erant euentura. Ille autem dolo deprehenſo, cùm quis eſſet, optimè noſſet: Sit tecum (inquit) Deus, qui etiam tecum regnat. Verùm enimuerò abi, munitus martyrum ſacrificio, quod Deus eſt odoratus, & precibus Pontificis Alexandriæ, & la-
D crymis Iuſtini. Hæc cùm audiſſet Eleſbaan, & eum non tentaſſet ampliùs, benedictione accepta, abiit lætus: & cùm iuſſiſſet exercitui ne ferrent viaticum pluſquam viginti dierum, nauigauit.

REGIS HOMERITARVM DOLOSVS APPARATVS.

Sed neque negligens fuit Rex Homeritarum: nam ipſe quoque & ſuis & auxiliaribus collectis copiis, præſidium tenebat in terra & in mari. Verùm cùm ille exercitum, qui erat in terra, ab afflictione & malorum perpeſſione audiuit periiſſe, non ampliùs timens hoſtem à continenti, in ſola maris verſabatur cuſtodia. Itaque cõſiderans anguſtiſſimum eſſe fretum quod eſt inter Æthiopes & Homeritas, neque ſuperare latitudine duorum ſtadiorum, & alioqui habere etiam ſaxa multis in locis latentia; cùm grauem ferream conſtruxiſſet catenam, & quæ poſſet ferre vim ventorum & vndarum, & eam vtrinque à terra alligaſſet ipſe Dunaan, vt exiſtimabat, Eleſbaan prohiberet aditum; vbi quidem erant latentes petræ,
E plumbum circulis catenæ appendens, & ferrum faciens requieſcere; vbi autem erat profundum, colligans cum lignis leuiſſimis, & ſubleuãs catenam: deinde etiam validum inducens exercitum, venit in eum locum, in quem expectabatur venturus eſſe Rex Æthiopum.] qui loci ſitum conſiderat, & freti anguſtias à coſmographis deſcriptas attendit, haud vanum fuiſſe conſilium Regis Homeritarum intelliget. Sed pergit auctor:

DOLOSAE ARTES D VNAAN IRRITAE REDDITAE.

Ille autem cùm vento vſus eſſet ſecundo, acceſſit ad locum ſpeculandum, & præmiſit decem naues, quæ cùm dolum neſcirent, ex improuiſo ingreſſæ ſunt in anguſtiſſimũ fretum. Quo in loco etiam Deus facit miracula, paruæ eſſe oſtendens potentiæ humanam inuentionem, vbi ipſe adiuuare & opem ferre voluerit. Magnus enim quidam fluctus incuruatus, cùm velut quemdam refluxum feciſſet aquæ, portans vnum ex nauigiis poſuit ſuper catenam, adeò vt videretur nauis eſſe cuidam rupi innixa. Deinde exorta quędam procella cum mare repente conturbaſſet, extollit fluctus montibus pares magnitudine: & vndarum aliæ

quidem amouebant ligna catenæ alligata; aliæ autem tollentes naues in altum, transmiserunt omnes supra catenam. Illa autẽ & à venti vehementia,& à fluctibus qui in eam irrumpebant,destructa,præbuit ceteris nauibus inoffensum aditum aduersus Homeritas. Decem igitur prædictæ appulerunt littori, quod aberat ducenta stadia vbi Rex erat cum exercitu: reliquæ autem naues vento retroactæ nihil potuerunt efficere. A

APPVLSVS NAVIVM FIDELIVM ET CONATVS HOSTIVM.

Emissis itaque triginta millibus cataphractorum equitum Dunaan impediebat eorum qui erant in decem nauibus exitum in terram. Viginti autem ex dispersis nauibus, vbi erat ipse Elesbaan, haud multo pòst illuc etiam ipsæ appulerunt. Tertio quoque die reliquæ apparentes naues appulerunt & ipsæ longè inferiùs. Opinatus autem Dunaan inter plures esse Regẽ,maiore accepto exercitu, illuc venit, parua relicta custodia vbi erat re vera Elesbaan. Cùm autem tereretur tempus, nec è nauibus educeretur acies, defecerat quidem aqua & cibus iis qui erant in nauibus. Equitibus autem Hebræis Sol erat molestus, totoque die eos B vehementer impetebat. Ceterùm equitibus suis Dunaan magna machinatus est tabernacula, eorumque vmbra depulit æstum, qui afferebat molestiam. Porrò autem misit etiam quemdam ex eius cognatis cum viginti millibus equitum ad explorandam partem illam in qua erat Elesbaan. Quidam autem ex eunuchis Regis arbitratus eum exire ad se exercendum,acceptis quinque aureis lanceolis,cum eo est egressus. Cùm is autem Elesbaan copias inuenisset vigilantes, quarum pars iam è nauibus egressa, locum in littore compararat; accepto eunucho & tribus ex suis, abiit procul ad venationem.

INSPERATA VICTORIA REGIS AETHIOPVM.

Quidam autem ex Lesbaan exercitu oppressi fame,equos noctu conscenderant,vt hostes effugerent. qui cùm in eos incidissent,alios quidem occiderunt;Regis autem cognatum capientes,& aureas lanceas portantes,ad naues redierunt. Eas autem cùm accepisset Rex pius, statim Deo dedicauit. Ipse autẽ,reliquo armato exercitu immisso in breuiores naues,egressus est ad hostes qui erant in littore;& pugna terra mariq; commissa,Hebræos,qui terga dederant,iure belli omnes occidit,adeò vt ne vnus quidem sit relictus rei gestæ nuncius. Cùm autem haberet cognatum Regis qui ei ostendebat viam, quæ ducit ad ciuitatem Phare, in qua erat Regia Dunaan,ad illam ascendit. Qua potitus,vt qui incustoditam offendisset ciuitatem, capit omnes diuitias quæ erant in Regia, & ipsam etiam reginam. C

Verùm cùm captam vrbem & Regiam occupatam,atque suos bello captos audisset Dunaan: timens ne aliqui ex cognatis deficerent ad Elesbaan,mente ei à Deo ablata, cùm aurea catena se & illos alligasset, sedebat nullam rerum curam gerens.] Quid hoc est, nisi se-
[a] *Exod. 15.* cundùm illud Propheticum[a]: Conturbati sunt Principes Edom, robustos Moab obtinuit tremor, obriguerunt omnes habitatores Chanaan?] irruit planè, irruit in hostes Domini ingens metus & tremor, secundùm quod subditur: Irruat super eos formido & pauor in D magnitudine brachij tui: fiant immobiles quasi lapis.] ita quidem tunc accidit,cùm timore obrigescens, cõmiserationem eo corporis habitu mouere Christiano Regi perfidus tentauit Hebræus, putans mox Elesbaan affuturum. Verùm etsi ipse potuisset videri victus, cùm ita vinctus apparuit, adhuc tamen eius robur vigebat exercitus, quem est passa infestum pars reliqua exercitus Christianorum. nam audi: Qui autem in pluribus nauibus erãt Æthiopes,cùm nihil audissent de suo Rege Elesbaan & his quæ gesserant, & laborarent inopia rerum necessariarum,essentque animo dubij & perplexi, conuersi sunt ad Deum supplicandum. Et cùm magnas quidem naues inter se alligassent, & super oblonga ligna vela deinde vinxissent,& veluti quamdam ciuitatem in mari essent fabricati;extrinsecus autem breuiores naues, quæ quoddam murorum imitabantur propugnaculum, ordinassent: omnes simul congregati cum lacrymis Deo longam obtulerunt supplicationem: deinde cùm E

RELIQVA PARS FIDELIVM LABORAT.

COMMVNICANT IN NAVI FIDELES.

sacra gustassent mysteria,& se armassent,descenderunt in naues breuiores; & stantes ex obliquo,ne acciperent aliquod damnum à telis hostium,eas ipsi maiores post se trahentes,impulerunt ad terram,donec appulsa eorum latera fixa fuerũt in littore, adeò vt naues essent ipsis pro muro. Hostes verò irruentes cum lanceis cõfringebant latera breuiorum nauium, & magna molestia afficiebant Æthiopes.

VICTORIA DIVINITVS OBTINETVR

Qui cum lacrymis rursum Domini inuocabant auxilium. Ipse autem eos audiuit; & statim vox quædam fuit de cælo exaudita,quæ dicebat: Gabriel,Gabriel,Gabriel. Et quidam ex illis qui naues impellebant,virgam ferens ferream, quæ desuper quidẽ habebat crucem, infernè autem lanceam, cùm enatasset, & vnius equi caudam apprehendisset, in eius latus figit lanceam,adeò vt mox turbatus equus deiecerit hostem,& alij equites timore affecti ceciderint in terram. Confidentes itaque Æthiopes cùm descendissent de nauibus,& manus

con-

A conseruissent cum hostibus, eos fuderunt, & omnes interfecerunt; & regium ingressi tabernaculum, inueniunt aurea catena vinctum cum iis qui genere ad eum pertinebant Dunaan Regem Hebræorum. Cùm autem intellexissent suum quoque Regem præstantissimum & omni ex parte optimum Elesbaan illic occupasse Regiam, propere ad eum accesserunt, & omnia quæ gesta fuerant, exposuerunt.

Ille autem, præsidio relicto in ciuitate, maxima abiit celeritate: & cùm inuenisset Dunaan aurea illa vinctum catena, ipsum interfecit & cognatos, Deum laudans, & insultans Christi hostibus pœnam dantibus audacium suorum facinorum quæ admiserant in Christum & Christi crucem. Lætabitur autem iustus (inquit Dauid [a]) cùm viderit vindictam. Et ideo qui ex eis fuerunt vulnerati, non fuerunt vulnerati gladio (vt dicit diuinus Isaias [b]) neque mortui eorum mortui bello. Est enim res fortis & dura ira Dei (ipse me rursus do-
B cet [c]) vt grando quæ deorsum fertur in non habentem tegumentum, vt aquæ magnæ multitudo quæ trahit regionem.

DVNAAN VNA CVM SVIS OCCIDITVR.

[a] *Psal.* 57.
[b] *Isaiæ* 22.
[c] *Isaiæ* 28.

Reuersus autem Elesbaan in ciuitatem Phare, omnes interemit qui erant in Regia; & cùm vellet ecclesiam in ea ædificare, fuit ipse primus opifex ædificij. Significauit autem omnia quæ gesta fuerant Pontifici Alexandriæ, & per illum Iustino Imperatori. Patriarcha autem Alexandriæ ordinatum Episcopum misit ad Homeritas. Qui cùm illis consecrasset templum quod fuerat ædificatum, baptizat quidem omnes qui erant in ciuitatibus & pagis Homeritarum in nomine sanctæ Trinitatis, ex eis autem ordinat diaconos & presbyteros; & ecclesiis, quæ erant in regione, reddit statum suum solitum.

QVAE POST VICTORIAM ELESBAAN FECERIT.

Diuinissimus autem Rex ipse Elesbaan simul cum eo venit Nagran martyrum ciuitatem:
C & cùm illuc extruxisset ecclesiam, & quinque possessiones regias ei tribuisset, & deinde ex martyris Aretæ possessionibus tres addidisset, vt ille mandauerat in fine martyrij, & collegisset omnes qui fuerant redacti in seruitutem, & alios dispersos in tempore persecutionis; & Arethæ martyris filium Ducem gentis constituisset, & curam gessisset loci, in quo iacebant ibi consummati martyrij reliquiæ, & ius asyli illic cõstituisset: vadit iterum in Regiam. Vbi cùm Homeritis Abrahamium quendam virum pium & Christi nomine gloriantem elegisset Regem, & sanctissimo Episcopo ad decem millia Christianorum Æthiopum tradidisset, lætus rediit in suam Regiam cum præda & spoliis, dans etiam exercitui non paruam pecuniæ portionem.

COMPONIT RES HOMERITARVM REX AETHIOPVM.

Deo autem agens gratias pro tanta victoria & gratia, volensque se ipsum dignum redde-
re maioribus, cùm diadema quidem regium misisset Hierosolymam, ipse indutus cilicio
& noctu egressus è Regia & ipsa ciuitate, ascendit ad vnum montem ad monasterium viro-
D rum qui exercebantur: & cùm se in exigua clausisset domuncula, & voluisset illinc non egredi toto tempore vitæ suæ, regulam suscepit monasticam, ex eis quæ sunt mundi nihil possidens, nisi solam stoream & poculum ad aquam bibendam, & pauco pane & aqua viuens & oleribus viridibus, si quis offerret; cùm nullum ex mundanis vidisset tota vita, non ad aliud aliquid habens mentem erectam, nisi ad soli Deo vacandum. Denique cùm diu sic se exercuisset, sic etiam è vita excedit in Christo Iesu Domino nostro, quem decet omnis gloria, honos & veneratio nunc & semper & in sæcula sæculorũ. Amen.] hactenus de Homeritis & Æthiopibus narratio summo digna præconio, vtpote quod ex ea significetur quàm feruentissimus fuerit Christianismus in Æthiopia & Homeritide, terra fœcunda martyribus: pariterque perspicuò innotescat diuinitus illata vindicta in perfidum apostatam Hebræum ex Christiano redditum dirum Christianæ fidei persecutorem, cùm amens
E in solio sedens vniuersum Orientem mouere tentauit ad totius Christianæ religionis destructionem: vt meritò considerata adeò repentina in eum diuinitus immissa vindicta, rerum vicissitudine, illud sit Propheticum repetendum [d]: Vidi impium superexaltatum & eleuatum sicut cedros Libani: & transiui, & ecce non erat.] Ita planè, pugnante Deo, apostatam perire decuit, & Hebraicæ perfidię sæpe prostratæ rursus insurgentis cornua debuere confringi. Sinit more suo Deus ad tempus, vt probentur electi, solutis habenis, liberè debacchari satellitio dæmonum fultam impietatem, sed protinus eamdem diuina potentia vinci, & exponi ludibrio superatam.

ELESBAAN TRANQVILLIOREM VITAM SECTATVR.

[d] *Psal.* 36.

Qui autem in locum Elesbaan successit Rex Æthiopiæ, æquè heres eius extitit pietatis: de cuius rebus gestis sub Iustiniano successore Iustini Procopius [e] meminit, pariterque de Rege Homeritarum, quos Romano Imperio fœderatos aduersus Persas idem Iustinianus immittere cogitauit: meminit pariter de Hebræis in illis item Homeritarum regionibus tu-

[e] *Procop. de bell. Pers. lib. 1.*

multuantibus, iterum debellatis. hæc & alia Procopius pluribus, deſcribens ſimul regionem Homeritarum & aliarum gentium proximarum. Vidiſti Æthiopiæ Eccleſiæ candorem & pulchritudinem, eamdemque per fidem, quæ purificat ſecundùm Petrum Apoſtolum [a] corda hominum, ſuper niuem dealbatam: vt meritò eam adeò amauerit, ſibique in ſponſam iunxerit myſticus Moyſes [b] Chriſtus Deus noſter: cuius gratia veluti quodam miraculo albeſcant Æthiopes, cùm & ſecundùm illud Propheticum tunc acciderit [c]: Æthiopia præueniet manus eius Deo] cùm ipſa ceteris viſa ſit cucurriſſe ad Chriſtum ardentiùs, quæ adeò Dei amore feruentes habuit Chriſtianos, ipſorumque Reges Chriſtianæ ſublimioris vitæ verticem attingentes. Vtinam ſicut Æthiopum & Homeritarum Fidelium præclaræ res geſtæ tum ſuperiorem, tum præſentem annum adeò illuſtrarunt, ita eorumdem reliqua digna memoria ſuppeterent monumenta, quibus licuiſſet ſingulis annis locupletare noſtros Annales.

[a] *Act.* 15.
[b] *Num.* 12.
[c] *Pſal.* 67.

Ceterùm multis hæc tunc temporis illuſtrata ſunt monumentis. Auctor eſt Photius in Bibliotheca, extaſſe ſuo tempore cõmentarium de legatione Nonnoſi ad Æthiopes & Homeritas ac Sarracenos, cùm apud eos regnaret filius Arethæ Regis, tempore Iuſtiniani Imperatoris Iuſtini huius ſucceſſoris: itemque aliam ſcriptionem alterius legationis à Iuſtino Seniore iſto, de quo agitur, ad Alemundarum Principem Sarracenorum, functumq; eo eſſe munere Abrahamum eiuſdem Nonnoſi parentem, qua Ioannem & Nicoſtratum Romani exercitus Duces recuperauit. Sed perierunt iſta: quibus quidem cuncta quæ dicta ſunt, dilucidiora firmioraque reddi potuiſſent. At de his hactenus.

OBITVS EVPHEMIAE AVGVSTAE.

Hoc itidem ſexto Iuſtini Imperatoris anno, magno damno Chriſtianæ religionis, Euphemia Auguſta de Catholica fide optimè merita ex hac fide migrauit: cui honorificè extrema perfunctus Iuſtinus Imperator, aliam accepit coniugem Theodoram nomine, quam & Auguſtæ titulo inſigniuit. hæc Græci auctores [d].

[d] *Cedren. & alij hoc anno.*

DE CONCILIIS IN AFRICA CELEBRATIS.

Quod verò ad Africanæ Eccleſiæ ſtatum pertinet, reſtitutis anno ſuperiori (vt vidimus) in Africam ad ſuas Eccleſias Orthodoxis Epiſcopis, ad reſtituendã collapſam diſciplinam, & bene inſtituendas Eccleſias, pluribus in locis à diuerſis Epiſcopis ſunt Concilia celebrata, quorum trium eſt mentio in rebus geſtis [e] S. Fulgentij Ruſpenſis Epiſcopi, nempe Bizaceni, Vzecenſis *, & Suphetani. At quid acciderit eidem S. Fulgentio in duobus poſtremis Conciliis, Vzecenſi videlicet & Suphetano, dignum memoria exemplum audi: In Cõcilio quoque Vzecenſi iudicio ſacerdotum omnium qui conuenerant, Epiſcopo cuidam nomine Quoduultdeus, qui priorem ſe illius exiſtere confirmabat, antepoſitus & prælatus, ipſa die tacuit, nec auctoritatem Concilij excuſando minuere voluit: ſed vbi poſt Cocilium dolere

[e] *Extant apud Sur. die* 1. *Ian.*
* Viuicenſis *al.* Vuicẽſis

CEDIT MINORI LOCVM S. FVLGENTIVS.

ſenſit Epiſcopum, timens propter ſuum honorem generare ſcandalum fratri, meliuſq; iudicans per charitatem ſe fieri minorem, quàm ſine charitate maiorem: Suphetani poſtea Concilij glorioſum reſpiciens adeſſe conuentum, precem ſupplicem coram omnibus fudit, vt ſibi rurſum, ſe volente, Quoduultdeus Epiſcopus præferretur; vt nomine ſuo poſteriùs recitato, lætus deinceps viueret, conſacerdotis animo conciliato.

Mirati ſunt Epiſcopi humilitatem talia poſtulantis, nec contriſtare voluerunt offerentem Deo ſacrificium humilitatis, ad cuſtodiendam ſpiritus ſocietatem in vinculo charitatis. Vbi ſunt nunc illi, quibus eminendi ſuper ceteros dominatur affectus, qui ſe etiam ſuis prioribus anteponunt, indebita ſibi priuilegia vendicantes? Ecce beatus Fulgentius nec primatum, quem meruit, defendere voluit: quia ſine charitate prior eſſe alicui minimè concupiuit.] hæc eius contubernalis, Vitæ ipſius auctor, digna planè memoria, cùm aſſiduè deplorandum ſit in humili Chriſti regno eas iugiter inter Chriſtianos controuerſias agitari, quis aliis videatur eſſe maior, quas iam olim Dominus lata ſententia definiuit. Ceterùm ſi ſuperbia abſit, ſique citra ſcandalum fieri queat, abſque animarum iactura, iuſtitia ſuffragante, ad retundendam ſuperbientium arrogantiam, laudabiliter quemlibet Chriſtianum hominem apud legitimum Iudicem cauſam agere, ſuaque iura proferre, ſanctus Leo Papa (vt ſuo loco ſuperiùs dictum eſt) ſcribit ad Dorum [f] Beneuentanum Epiſcopum. Quæ autem rurſum de eiuſdem S. Fulgentij horum temporum rebus geſtis idem auctor his ſubiiciat, accipe:

[f] *Leo epiſt.* 5.

DE HOMILIIS ALIISQVE SCRIPTIS S. FVLGENTII.

Catholicæ Eccleſiæ ſingularis magiſter & doctor, quantumlibet inter varias occupationes hic in Africa parum vacaret, plurimos tamen Eccleſiaſticos ſermones, qui in populis dicerentur, ſcribendo dictauit. Vbicumque ſermonem faciebat, mulcebat animos omnium, non inanes & vaniſſimos plauſus, ſed compunctionem generans cordis. Expectauit

& eum

A & eum sanctæ memoriæ Bonifacius Episcopus Ecclesiæ Carthaginensis, apud Furnos* ec- * Burnos
clesiam dedicans, duobus diebus, se præsente, tractantem: quando tantum delectatus est audire verbum Domini de ore eius, vt donec ille sermonem finiret, ipse terram lacrymis irrigaret, agens gratias Deo, cuius gratia semper in Ecclesia Catholica summos excitat præclarosque doctores.

Iam reuersus de exilio, nouem & decem libros Fabiani mentientis falsa Gesta conuincens, de veritate prædestinationis & gratia libros confecit tres, aliaq; multa digessit: quæ si quis scire voluerit, in eius monasterio veraciter scripta reperiet.] hæc de his auctor. sunt autem hi tres libri ad Nominum scripti de duplici prædestinatione, in cuius operis præfatione queritur de iis quæ apud Carthaginem à calumniatore passus esset: quem licet ipse noluerit nominare, eius tamen discipulus in Vita ipsius Fabianum appellat. præfatur enim
B ita Fulgentius: Quoniam aduersus cuiusdam hæretici vaniloquia respondere compulsus sum, qui non solùm meum nomen sub Photiniani erroris nota nõ dubitauit lacessere, quin etiam sanctorum Augustini & Hieronymi dicta tamquam meę professioni contraria in me voluit retorquere. Cuius nomen nunc litteris insinuare distuli, sed potes ipse proculdubio recordari. Nam ibi, te nobiscum apud Carthaginem posito, mihi dicta eius allata sunt, & si bene recolo, etiam ad tuam notitiam peruenerunt: nihil enim te ibi posito legere possem, quod tibi recensendum offerre non possem. Eosdem igitur libellos, si Dominus voluerit, vestræ charitati celeriter destinabo, &c.] Iam antea (vt dictum est) sub Hormisda Pontifice fuit eidem Fulgentio aduersus Pelagianos errores per Faustum Regiensem clanculum restitutos pugnandum, cùm septem libris eiusdem virulentos sub foliis latentes ser-
C pentes extinxit. Fuerunt autem dicta aduersus Fabianum Fulgentij scripta nouissimi ipsius partus, eorum videlicet, quorum memoria sit. Quando verò contigerit ipsum ad superna vocari, suo loco dicemus.

IESV CHRISTI ANNVS 524. IOANNIS PAP. ANNVS I. IVSTINI IMP. 7. THEODORICI REG. 32.

CHristi annus quingentesimus vigesimusquartus Consulatu secundo Iustini Augusti cum Opilione collega aperitur, quo eiusdem Iustini Imperatoris sextus mense Iulio absoluitur annus, & septimus inchoatur: cùm idem Imperator Christianæ pietatis studio-
D sissimus, vbi omnes suis edictis rursum exagitasset hæreticos, Arianis verò ob fœdus initum cum Theodorico Rege pepercisset: memor diuinæ legis[a] prohibentis ne cum Dei hostibus fœdus aliquo modo sanciretur, & Arianos vexare aggressus est, qui hactenus magna libertate in Oriente vixissent. Nondum igitur sexto sui Imperij anno absoluto, sub hoc ipsius Consulatu secundo, aduersus eos, minimè excipiens Gothos (vt antea fecisse diximus) promulgato edicto, Arianos exagitauit vniuersos. De his enim hæc in Miscella[b]: At verò in Orientis partibus, cùm adhuc eo tempore per singula loca hæresis Ariana vigeret, Iustinus Imperator eius Imperij anno sexto Orthodoxæ fidei studio omnimodis satagere cœpit, vt hæreticorum nomen extingueret: statuit, vt vbique eorum ecclesias Catholica religione consecraret.] hæc ibi: quę verò iis subiiciuntur de legatione à Theodorico Rege missa, non ante sequentem annum facta esse noscuntur.

[a] *Deut. 7. Ios. 9. Iud. 2.*

IVSTINVS IMP. ARIANOS EXAGITAT.

[b] *Miscel. lib. 15.*

E Ista enim audiens Theodoricus Italiæ Rex, indigno admodum animo tulit: nam ipse præ ceteris inuigilabat hæresis Arianæ patronus, Arianorumq; protector: qui & veluti quodam compensationis iure eorumdem Arianorum securitatem ab Orthodoxis redemisse videri poterat, dum in Italia, & in aliis quibus pręerat regionibus, nullum vmquam religionis causa Catholicis negotium facessisset, sed de iisdem benemeritus sæpe fuisset, & ipsam Romanam Ecclesiam à schismaticorum oppressione leuasset, atque alia (vt vidimus) præstitisset, quæ vix à Catholicis Principibus impetrari potuissent. ista, inquam, in memoriam ipse reuocans, & admodum exacerbatus animo versans, pro suis Arianis in Oriente agentibus valde solicitus (illi enim eius implorabant auxilium, crebris ipsum legationibus excitantes) apud Iustinum Imperatorem pro eorumdem libertate agere cœpit. Litteris itaque ea de re hoc anno vltro citroque redditis, cùm se minimè, quod optabat atque petebat, consequi posse aliquo pacto videret, potentiori remedio rem tantam agere cogitauit, nempe legatio-

THEODORICVS PRO SVIS ARIANIS AGIT.

gationibus, iisdemque efficacissimis, nimirum vt cum proceribus quos legaret, impelleret ad susciendum legationis munus Ioannem Romanum Pontificem, futurum apud Imperatorem pacis mutuæ conseruandæ sequestrem; comminatus, nisi delegatam subiret prouinciam, se in Occidente aduersus Orthodoxos illa facturum, quæ in Oriente aduersus suos Arianos legibus Iustini Augusti esse decreta sciuisset. A

Summa quidem Iustinus laude dignus habendus, dum plus detulit religioni, quàm cuiuis causa regnandi prætextui: dum non timet potentissimum Regem fœdere iunctum in se concitare, à quo tum ipse, tum prædecessores Imperatores precario pacem redemerant. Quanti enim facere consueuerint Orientales Imperatores Regem Theodoricum, accipe ex epistola[a] Theodati Regis ad Iustinianum Augustum: Considerate (inquit) Principes docti, & abaui nostri historica monumenta recolite, quantum decessores vestri studuerint de suo iure relinquere, vt eis parentum nostrorum fœdera prouenirent. Æstimate qua gratia debeant oblata susci pi, quæ consueuerunt postulari, &c.] Vides igitur quanto suo periculo Iustinus Imperator religionis causa contempserit barbari Regis potentiam, cuncta religioni posthabens, illud vnum existimans esse regnandi præsidium, si religioni optimè consulatur. In his itaque prçsens annus insumptus est. Quomodo autem sequentis anni veris initio Ioannes Romanus Pontifex vnà cum Imperatoris legatis Constantinopolim profectus est, suo loco dicturi sumus. Sed & quàm magno id suo Theodoricus tentauerit detrimento, ipsa rerum gestarum tractatio perspicuò declarabit. B

[a] *Apud Cassiod. lib. 10. epist. 22.*

IESV CHRISTI ANNVS 525. IOANNIS PAP. ANNVS 2. IVSTINI IMP. 8. THEODORICI REG. 33. C

VIgesimoquinto Christi anno supra quingentesimum, Consulibus Probino atque Philoxeno, Ioannes Romanus Pontifex, præter morem prædecessorum, à Theodorico Rege Italiæ ira exæstuante ob Arianos suos in Oriente ecclesiis spoliatos, subire cogitur legationem Constantinopolim ad Iustinum Imperatorem. Id quidem hoc anno accidisse, ex epistola ipsius Ioannis sequenti anno ad Episcopos Italiæ data colligitur, vt suo loco inferius apparebit. Porrò eiusmodi Ioannis legationem Marcellinus in Chronico paucis in creatione ipsius Ioannis perstringit his verbis: Theodorico Rege pro Arianorum suorum cærimoniis laborante, solus dumtaxat Romanorum sibi decessorum Vrbe digressus, Constãtinopolim veniens, miro honore exceptus est. Dexter dextero Ecclesiæ sedit solio, diemque Domini nostri Resurrectionis plena voce Romanis precibus celebrauit.] hæc Marcellinus, non eo quo gesta sunt anno recolens, sed dum de Ioannis sedis initio habuit mentionem. Verùm quod pertinet ad eiusdem legationis causam; ex Boetij scriptis satis potest intelligi, illam quoque interceßisse, quod apud Theodoricum Regem Senatus Romanus criminis maiestatis reus effectus, in suspicionem adductus est, aliqua cum Iustino Imperatore moliri secreta. Sed de his inferiùs. D

DE LEGATIONE IOANNIS PAPAE CONSTANTINOPOLIM.

Ceterùm scimus sanctissimum Pontificem acerbas subire calumnias, ipsum pro reparandis rebus Arianorum collapsis eo munere functum esse. Tu autem veri amator, esto æquus arbiter, lector. Anastasius Bibliothecarius, missum à Theodorico, Ioannem Constantinopolim esse profectum affirmat, dum ait: Theodoricus Rex hæc audiens, *nempe ablatas ab Arianis in Oriente iussu Iustini Imperatoris ecclesias*, exarsit in iram, & totam Italiam voluit gladio extinguere. Eodem tempore Ioannes Papa ægrotus egressus cum fletu ambulauit, pergens ad vrbem Constantinopolim, & Senatores cum eo, scilicet Theodorus, Importunus, & Agapetus Exconsules, & alius Agapetus Patricius, accipientes hoc in mandatis legationum ab ipso Rege, vt redderentur ecclesiæ hæreticis in partibus Orientis: quod si non faceret, totam Italiam gladio perderet. Qui cùm ambulassent cum Ioanne Papa, &c.] Suadente itaque & cohortante, immo & impellente Theodorico rege, eiusmodi peregrinationem esse susceptam, ipse quoque Ioannes in epistola ad Italiæ Episcopos testari videtur, de qua inferiùs. E

COMITES IOANNIS PONT.

Adegisse putauit minis Romanum Pontificem perfidus Arianus ad eam obeundam suorum causa Arianorum legationem, atque ad maledicendum Dei populo, si non pretio, timore tamen induxisse nouus Balac[b]; sed non inuenit Balaam, quem quærebat: etenim

[b] *Num. 22.*

præter

A præter opinionem incidit in Ioannem Herodes, quòd potiùs iugulum sciret subdere ferro, quàm flectere animum impietati, illud profunda mente fixum retinens, quòd ille cuius successor in sede esset, fuerat Petrus coram Concilio prælocutus[a]: Obedire oportet magis Deo, quàm hominibus.] At licet inuitus atque præter consuetudinem diuelleretur ab Vrbe: haud tamen robur sacerdotale deseruit, quicquámve imminuit Pontificiæ dignitatis, quam persecutio non obscurare, sed illustrare potiùs consueuit. Comitantur plures abeuntem Romanum Pontificem, cum eodemque proficiscitur diuina potentia in operatione signorum, quæ eum cunctis redderet admirandum. Audi enim quæ eidem Ioanni in itinere posito contigisse S. Gregorius narrat[b]: [a] Act. 5.

Gothorum tempore, cùm Ioannes vir beatissimus huius Romanæ Ecclesiæ Pontifex ad Iustinum Seniorem Principem pergeret, in Corinthi partes aduenit: cui necesse fuit vt in B itinere ad sedendum equus requiri debuisset. Quod illic quidá vir nobilis audiens, equum quem præ magna mansuetudine eius coniunx sedere consueuit, ita ei obtulit, vt eo ad loca alia perueniente, cùm alius equus potuisset inueniri, deberet ille quem dederat, propter suam coniugem transmitti. Factumque est, vt vsque ad certum locum prædictus vir, equo eodem subuehente, perductus esset: qui mox vt alium reperit, illum quem acceperat, trãsmisit. Cumque eum prædicti nobilis viri coniunx sedere ex more voluisset, vltrà non valuit; quia post sessionem tanti Pontificis mulierem ferre recusauit. Cœpit namque immenso flatu & fremitu atque incessanti totius corporis motu quasi despiciendo prodere, quia post membra Pontificis mulierem ferre non posset. Quod vir eius prudenter intuitus, húc ad eumdem venerabilem virum protinus remisit, magnis precibus petens, vt equum ipse possideret, quem iuri suo sedendo dedicasset.] hæc de equo Gregorius: quæ cùm Nouator calumniosè miraculi loco non ducat, audi quod subiicit ab eodem Pontifice cæcum C fuisse illuminatum. ait enim: [b] Greg. dial. lib. 3 c. 2. QVID IOANNI PAPAE APVD CORINTHVM ACCIDERIT.

De quo etiam illud mirabile à nostris senioribus narrari solet, quòd in Constantinopolitana vrbe ad portam, quæ vocatur Aurea, veniens, populorum turbis sibi occurrentibus, in conspectu omnium roganti cæco lumen reddidit, & manu superposita oculorum tenebras fugauit.] hæc breuiter Gregorius, quæ Græcorum penicillus coloribus variis exornasset: sed gaudet magis nuda simplexque absque fuco spectari veritas. Hisce igitur miraculis præcursantibus, voluit Deus Romanum Pontificem quàm honorificentissimè recipi. Quis illi negasset obsequium, quem brutum etiam iumentum, cognoscens possessorem suum, eo quo potuit modo visum est honorare? Quis adeò impietatis offusus caligine, ad redditum cæco visum, ampliùs cæcutiret? At quomodo à Constantinopolitanis exceptus D fuerit, audi Anastasium: CAECVS A IOANNE PONT. ILLVMINATVR.

Occurrerunt, inquit, beato Ioanni Papæ à milliario duodecimo omnis ciuitas cum cereis & crucibus in honorem Apostolorum Petri & Pauli: quia veteres Græcorum hoc testificabantur dicentes: A tempore Constantini & beato Siluestro sedis Apostolicæ Episcopo vsque ad Iustini tempora non meruisse, &c.] nam nullum vmquam viderat Oriens Romanum Pontificem, nisi Clementem, cùm inde transiit relegatus in Chersonesum. Sed pergit: Tunc Iustinus Imperator dans honorem Deo, humiliauit se pronus in terram, & adorauit beatissimum Ioannem Papam. OCCVRRVNT CONSTANTINOPOLITANI IOANNI PAPAE.

Eo tempore beatissimus Ioannes cum Senatoribus suprascriptis cum grandi fletu rogauerunt Iustinum Augustum, vt legatio acceptabilis esset in conspectu eius. Qui Ioannes Papa & Senatores viri religiosi omnia meruerunt, & liberata est Italia à Theodorico Rege hæE retico. Iustinus autẽ Imperator gaudio repletus est, quod meruit temporibus suis Vicarium beati Petri Apostoli videre in regno suo: de cuius manibus cum gloria coronatus est Iustinus Augustus.] licet enim simulac electus est in Imperatorem, à Ioanne eius ciuitatis Episcopo fuerit diademate insignitus, tamen & illud ipsum ab ipso Romano Pontifice suo voluit, pietatis ergô, capiti superimponi. Eadem ferè omnia quæ Anastasius, Miscella quoque habet historia: sed addit, Iustinum Imperatorem precibus permotum legatorum, Arianis iura sua reliquisse: an autem istæc veritate subsistant, attentiùs disquirenda sunt. QVOMODO EXCEPTVS IOANNES PONTIFEX.

Si nulla prorsus scriptorum antiquorum auctoritate hæc ipsa possent redargui falsitatis; satis quidem quemlibet licet ab aduersariorum partibus stantem ipsa adeò patens ratio persuadere sufficiet. Quonam pacto egisse potuit ipse Ioannes de restituendis ablatis ecclesiis Arianis, idemq; fuerit ab Imperatore Iustino concessum: si iam ex eius sententia negotio bene gesto, in Ioannem adeò exacerbatus est Theodoricus, vt ipsum redeuntem in carcerem CALVMNIA IN IOANNEM POTENTISSIME DILVITVR.

cerem detruſerit,ibiq; eum mori coëgerit?Si enim ex optato Theodorici Regis per Ioannis impertitum officium redditæ omnes in Oriente fuerũt eccleſiæ Arianis:par erat vt redeunti Ioanni tamquam liberatori ſuarum gentium ipſe Theodoricus occurreret, eidemq; publicos honores decerneret; & ſi nõ triumpho,ouatione ſaltem, comitatu totius Gothorum exercitus, idem Pontifex inferretur in Vrbem : cùm tamen ob rem ab eo contra Arianos pertractatam, eumdem indignans & furens, nec dignum putauerit Vrbis aſpectu, nec vita quidem, quam coëgit Rex violentus amittere. Ex carcere igitur & irrogata Ioanni nece à Theodorico tyranno,certum patensq; oſtenditur argumentum, non quæ Arianus Rex voluit,ab ipſo Conſtantinopoli eſſe peracta, ſed quæ noluiſſet impleta; nec quæ illi placerent, ſed quæ maximè diſplicerent impio Ariano, ab eodem Romano Pontifice eſſe tranſacta: quæ quidem adeò perſpicua nemo non videre, diſſimulareve poteſt. A

CERTA PROBATIO INTEGRITATIS IOANNIS PAPAE

Hæc igitur etſi ſufficiens, ac plus ſatis abundans, & neceſſariò penitus perſuadens ratio videri poſſit: accedant adhuc firmiſſimæ auctoritates. Quid firmius atque ſolidius ad id probandum deſiderari poteſt,quàm publica ad omnes Italiæ Epiſcopos tunc ſcripta ab ipſo Ioanne Papa circularis epiſtola? in qua hæc ipſa leguntur verba: Eccleſias verò Arianorum vbicunque inueneritis, Catholicas eas diuinis precibus & operibus abſque vlla mora conſecrate: quia & nos quando fuimus Conſtantinopoli tam pro religione Catholica, quàm & pro Theodorici Regis cauſa & negotiis, ſuadente & hortante,Arianosque extirpante piiſſimo atque Chriſtianiſſimo Iuſtino Orthodoxo Imperatore,quaſcumque illis in partibus eorum eccleſias reperire potuimus, Catholicas eas(Domino opem ferente) conſecrauimus.] hæc de rebus à ſe geſtis Conſtantinopoli apud Imperatorem Romanus Antiſtes ſcripſit (vt ſuo loco dicetur) anno ſequenti. A quónam hæc certiùs dici poſſunt,quàm ab ipſo qui egit? & quorum ſcriptorum genere fideliùs probari valent,quàm publica,patenti,cunctiſq; nota data ab eodem epiſtola? B C

ROBORANTVR QVAE DICTA SVNT

At nequa vel leuis ſaltem de impoſtura ſuſpicio in aduerſariorum refractariam mentem ſurrepere poſſit,vt vel animo quis eorum fingere valeat,epiſtolam illam ſpuriam eſſe atque ſuppoſitam: accipe tantæ veritatis teſtem eiuſdem ſæculi ſcriptorem Gregorium Turonenſem, eadem ipſa diſertis verbis teſtantem, cùm ait in libro quem ſcripſit de Gloria martyrum [a], nullam aliam ob cauſam eum detruſum in carcerem,coactumq; ibi in ærumnis vita perfungi, quàm quòd Arianorum eccleſias in Catholicas conſecraſſet. Reddemus ſuo loco verba ipſius Gregorij, vbi de eiuſdem Ioannis Papæ obitu agetur anno ſequenti, cùm ad eum inſinuandum tota illa Gregorij narratio ſpectet. Habes igitur, lector, quo gaudeas (ſi veritatis amator & cultor es) dum non ſolùm à turpiſſima præuaricationis labe purgatum omnino Ioannem, ſed confeſſionis operibus mira claritudine decoratum oſtenſum, luce perſpicua intueris: quem & eadem ex cauſa glorioſo auctum martyrio exhibebimus anno ſequenti. Toto autem hoc anno integro detentum ipſum Pontificem Conſtantinopoli à Iuſtino Auguſto,in ſacris,quas diximus, functionibus occupatum, apparet. D

[a] *Greg. Turõ. de Gloria mart. c. 40.*

THEODORICVS QVID IN BOETIVM ET SYMMACHVM.

Cùm interea de Romano Pontifice iſta audiſſet Theodoricus (vt ait Anaſtaſius in Ioanne) in nobiliſſimos Senatores gladium Romæ conuertit. Sed accipe eius verba: Eodem autem tempore,cùm ſupraſcripti,id eſt,Papa Ioannes cum Senatoribus Theodoro,Importuno, & Agapeto Exconſulibus (Agapeto Patricio defuncto Theſſalonicæ) poſiti Conſtantinopoli eſſent, Theodoricus Rex hæreticus tenuit duos Senatores præclaros & Exconſules, Symmachum & Boëtium,& occidit interficiens gladio.] hæc Anaſtaſius:eadem in Miſcella [b] leguntur, in eo tantùm diuerſa,dum ibi horum factam cædem eſſe, cùm reuerſuri iam legati eſſent,aſſeritur. Verùm cùm ex ipſius Boëtij ſcriptis cõſtet,ipſum antea proſcriptum, exulemque miſſum eſſe Ticinum, vbi arcta cuſtodia teneretur; Symmachum verò interea abſque læſione liberè Romæ degiſſe: non hoc quidem, ſed ſequenti anno eorumdem necem contigiſſe, ſatis apparet. E

[b] *Miſcel. li. 15.*

CVR IN SENATORES COMMOTVS THEODORICVS.

Cauſam verò Boetij proſcriptionis illam ipſemet fuiſſe teſtatur [c], quòd innocentem Senatum maieſtatis crimine poſtulatum defenderit ac liberauerit, alioſque clariſſimos ciues reos capitis è gladio ceruicibus imminente ſubduxerit: his acceſſit, quòd calumniosè per aduerſarios factum, vt ſuo nomine litteræ vulgarentur, quibus ſignificabantur ipſius conatus de reſtituenda in ſtatum priſtinum collapſa iacente Romana Republica. hæc, inquam, ex eius ſcriptis probata ſatis habentur, de quibus agendum anno ſequenti.Ex his intelligas, non fidei cauſa,ſed regnandi iure Theodoricum eſſe commotum,ſuſpectoſque ipſi Romanos redditos conſpirationis occultæ cum Iuſtino Imperatore, cuius rei cauſa potiſſimum

[c] *Boet. de Conſol lib. 1. proſ. 4.*

BOETIO QVAE OBIECTA FVERINT.

ab

A ab eodem (vt dictum est) missa fuerit tanti momenti legatio Constantinopolim. At de his modò hactenus: ad rerum Orientalium narrationem accedamus.

Hoc anno Antiochena ciuitas diu hæreticis prostituta, Nestorij ac Nestorianorum primò facta asylum, inde sub Petro Fullone Eutychianorum schola, demum verò sub Seuero Theopaschitarum prostibulum, suscepit [a] de manu Domini duplicia pro omnibus peccatis suis, potata calice [b] iræ furoris eius. Quomodo autem id acciderit, hæc primùm accipe, quæ à Marcellino sub huius anni Consulibus adnotantur: Totam Antiochiam Syriæ ciuitatem repens inter prandentium ora terræmotus inuasit, atque etiam occiduam vrbis, magnamq; eius partem, sinistris mox ventis vndique flantibus, flammasq; coquinarũ pro tempore æstuantes ruentia in ædificia miscentibus, duplex torridum exitium importauit. Euphrasium quoque loci huius Episcopum, dempto eius capite, combusto simul obruit sepul-

B chro: obelisco Circi inuerso & humi defosso.] hæc Marcellinus sui temporis res scribens. Euagrius eamdem prosecutus cladem, cùm ipsam accidisse dicat anno septimo Iustini Imperatoris, mense Maio, planè suadet, vt non anno superiori quo cœpit mense Iulio septimus annus eiusdem Imperatoris, sed præsenti, quo eodem mense desiuit, collocemus.

Fuit autem semper Dei clementiæ, vt vltionem aliquam grandem immissurus in populum, desuper eam alicui ex seruis suis antè significaret: ita namque cælesti igni combusturus quinque illas in Palæstina ad mare mortuum olim positas ciuitates, illa ad fidelẽ Abraham est prælocutus [c]: Num celare potero Abraham, quæ gesturus sum?] Quamobrem

C venturam hanc cladem notam fecit Dominus magno illi sanctitate celebri Theodosio cœnobiarchæ, de quo superiori tomo plura locuti sumus. Cyrillus res ab eo gestas prosecutus, hæc de his habet [d]: Iam verò qualis fuerit in futurorum præscientia Theodosius? Oportet enim paucis, quæcumque sunt, illis ostendere, & veluti eorum gustum præbere: vt sit etiam manifestum omnibus, quomodo sicut nullius ex his quæ virtute geruntur, ita nec charismatum seu gratuitorum donorum fuit expers. Iussit aliquando, vt præter solitam horam pulsaretur lignum (nondum enim erat hora diei secunda) & præcepit vt fratribus significaretur synaxis. Illi autem conuenerunt quidem; neque enim poterant contradicere, vt qui optimè didicissent obedientiam. Cùm autem fuissent congregati, rogabant cur conuenissent ante tempus. Ille autem (ô puram animam! ô oculos, qui omnia procul aspicitis!) flebiliter lugens & miserabiliter: Orandum est, inquit, ô Patres, orandum est. Video enim iram Domini, quæ iam mouetur aduersus Orientem. Hæc ille quidem dixit. Illi autem tunc quidem neque videbant aliquid, neque vnà cum eo dolorem accipiebant: quoniam non iisdem quibus ille intuebantur oculis. Sexto autem aut septimo die postquam prædi-

D xerat, auditum est Antiochiam fuisse magno terræmotu euersam illo tempore, quo prædixerat ille magnus; totq; ornamenta tantamque cecidisse speciem & pulchritudinem, & in vilem puluerem redactam iacere ciuitatem: quæ neque tanto casu dignas consecuta est lacrymas, neque luctum qui exæquaretur calamitati. Atque talis quidem fuit eius præscientia.] hæc de eo Cyrillus.

Quid præterea Zosimo viro sancto tunc pariter ostensum fuerit, Euagrius ita narrat [e]: Zosimus quidem genere Phœnix ex Sinda pago Phœniciæ ortus (qui pagus non abest Tyro viginti stadia) qui monasticum vitæ genus excolens, ita se tum abstinẽtia à cibis, tum iisdem capiendis, tum aliis virtutibus, quæ in eius vita elucebant, Dei gratiam sibi conciliauit, vt non modò res futuras præuideret, verùm etiam ab omni perturbatione liber & vacuus exi-

E steret. Cùm fortè fortuna cum nobili quodam viro Patricio & prudentia eximio, nomine Archesilao, qui & præclaris honoris insignibus & ceteris vitę ornamentis egregiè decoratus fuit, Cæsareæ vrbis Palæstinę primarię versaretur, ipso temporis articulo, quo Antiochia cecidit, subitò ingemiscere grauiter, lamentari, & suspiria ex intimo pectore ducere cœpit, tantamq; vim profudit lacrymarum, vt terram madefaceret. Deinde thuribulum postulat, & toto choro in quo simul constiterunt, thuris incensi nidore perfuso, se prosternit humi, precibus & orationibus Deum placaturus. Tum Archesilao sciscitanti, quid esset quod eum tantopere perturbaret? liquidò respondit, fragorem ruentis Antiochiæ iam tùm eius auribus circumsonuisse: adeò vt Archesilaus, & alij qui fortè aderant, præ admiratione obstupescentes, ipsam horam qua res gerebatur, litteris mandarent, reperirentque postea ita se habuisse, vt Zosimus declarauerat.] at de Zosimo hactenus, ad eum iterum reuersuri: prosequamur modò quæ sunt reliqua eiusdem cladis Antiochenæ, quę ab eodem Euagrio [f] ita narrantur, incipiente ab incendiis venturarum cladium præludiis.

[a] *Isaiæ 40.*
[b] *Isaiæ 51.*

DE ANTIOCHENO TERRAEMOTV.

[c] *Gen. 18.*

TERRAE-MOTVM VENTVRVM THEODOSIVS ANTE COGNOVIT.

[d] *Apud Sur. die 11. Iun.*

[e] *Euag. lib. 4. c. 7.*

REVELATA ZOSIMO CLADES ANTIOCHENA

[f] *Euag. lib. 4. c. 5.*

Iisdem

ANTIOCH. EXCIDIVM PER TERRAEMOTVS.

Iisdem temporibus, regnante Iustino, grauia crebraq; incendia Antiochiæ contigerunt, A velut prænuncia terræmotuum valde terribilium in ea ciuitate statim consecutorũ, & aliarum etiam calamitatum præuia. Nam breui tempore pòst, anno septimo regni eiusdem Iustini, Artemisio videlicet, id est Maio, quarto Kal. Iunij, die Veneris, in ipso meridie, conquassatio & terræmotus vrbem occupant, parumq; aberat quin totam penitus euertissent: quæ duo sequebantur incendium, quasi calamitatem cum illis partiturum. Nam quas res illa non attigissent, incendium eas depascens, prorsus absumpsit, & in cineres redegit. Quæ autem ciuitatis partes hac clade labefactatæ fuerint, & quot mortales incendio & terræmotu (sicut verisimile fuit) vastati: quàm præterea graues casus, quamque miri, qui certè nulla dicendi facultate existimari possunt, id temporis contigerint, tam luctuoso orationis genere à Ioanne rhetore explicantur, vt cuique animum magnopere commouere possint: qui quidem istis commemoratis, finem historiæ suæ imposuit. B

DE OBITV EVPHRASII EPISC. ANTIOCHENI.

Postremò omnium Euphrasius *Antiochenæ ciuitatis* Episcopus (cuius mors aliam nouam calamitatem attulit ciuitati) iisdem cladibus oppressus interiit, ne quisquam reliquus fieret, qui vrbi res prouideret necessarias. Verùm salutaris Dei erga humanum genus prouidentia, quæ ante plagam inflictam remedia parare, & gladium iræ suæ demulcere, & cùm res ad desperationem venerint, suę misericordiæ quasi fores aperire solet: Ephraimum Orientis præfecturam gerentem ad curam de vrbe illa suscipiendam, quò nulla ei res deesset necessaria, excitauit. Itaque sedes Apostolica, velut merces & præmium tantæ erga ciuitatem prouidentiæ, ei donata fuit] nempe vt sequenti anno Episcopus Antiochenus crearetur. ista habet Euagrius. Quomodo autem post duos annos iterum eamdem ciuitatem terræmotu quassari contigerit, suo loco dicemus. Ista de clade Antiochena cùm Iustinus Imperator accepisset, prę dolore sacco induitur, aspergiturque cinere, exutus purpura & C diademate, multos dies in luctu sedens solitarius transegit, etiam si dies festi adessent, quibus solitus esset cum splendore procedere ad ecclesiam. postea verò magna vi auri miseris præstò fuit.] hæc ex Miscella[a].

[a] *Miscel. lib. 15.*

Sed de aliis Orientis ciuitatibus, quas iisdem contigit agitari terræmotibus, ex eodem Euagrio accipe, qui hæc subdit inferiùs[b]: Oppidum, quod iam Dyrrachium, olim Epidaurus appellatum fuit, terræmotu grauiter concussum est; similiter & Corinthus, quæ est in Græcia sita: adde his Anazarbum, vrbem Minoris Ciliciæ primariam, quæ iam quarto illud cladis genus pertulerat: quas vrbes Iustinus magna pecuniæ summa suppeditata refecit. Iisdem temporibus Edessa vrbs Osroenorum amplissima & beata vndis Scirti torrentis præterlabentis sic obruebatur, vt multa ædificia aquæ impetu abriperentur, & infinita hominum multitudo, quos flumen secum euexerat, interiret. Edessa igitur & Anazarbum ab D ipso Iustino noua nomina accepere, & vtraque vrbs Iustinopolis appellata est.] hactenus de his Euagrius, ex quo Nicephorus & alij accepere. Sed ad magnum illum Zosimum ipse nos reuocat Euagrius, de quo ista habet[c]:

[b] *Euag. lib. 4. c. 8*

CLADES DIVERSARVM CIVITATVM

[c] *Euag. lib. 4. c. 7.*

Sunt & alia complura ab eo edita miracula, quorum maximam partem silentio præteriens (quippe vix, aut ne vix quidem numerari possunt) quædam hoc loco percensebo. Eo tempore quo Zosimus, in magna nominis celebritate, & pari cum Zosimo virtutum excellentia præditus vixit Ioannes in Chuzubica Laura (qui locus positus est in extrema valle ad Aquilonarem partem viæ regiæ, quæ Hierosolymis rectà ducit ad vrbem Hiericho) vitamque monasticam, eamque à rebus terrenis quasi penitus secretam & liberam degit, & vrbis Cæsareæ, quam diximus, Episcopatum administrauit: Hic Ioannes Chuzubites, postquam vxori Archesilai, de quo suprà locutus sum, alterum oculum radio effossum audiuit, E propterea ad illam contendit, plagam quam acceperat conspicaturus. Vbi autem vidit pupillam penitus excidisse & oculum sede dilapsum, cuidam ex medicis qui eo commearant, mandat, vt spongiam afferat, oculumque dilapsum in sedem quam commodè posset, inducat, & spongiam appositis fasciolis alliget.

DE S. IOANNE EPISC. CAESARIENSI.

INGENS MIRACVLVM DE OCVLO RESTITVTO.

Archesilaus verò aberat: siquidem id temporis cum Zosimo erat in eius monasterio, quod est locatum in oppido Suidena, quod Cæsarea abest ad summum quingenta stadia. Cum maxima igitur celeritate itur ad Archesilaum, vt de his rebus certior fieret. Archesilaus fortè cum Zosimo considens, sermonem cum eo contulit. Quibus rebus nunciatis, flebiliter eiulare, vellere capillum, dilacerare, & eumdem cælum versus iacere cœpit. Zosimo verò causam roganti, Archesilaus quid acciderat, lamentis & lacrymis crebris interpositis exponit. Itaque Zosimus, illo relicto, solus ad cubiculum properè accurrit, in quo Deum (sicuti

A (sicuti fas est id genus hominibus) familiariter compellat. Paulo post egressus ad Archesilaum, gestiens & modestè ridens, dixit: Abito domum lætus, abito: gratia Chuzubitæ tributa est: vxor tua sanata, vtrumque oculum habet integrum: nam calamitas ista nihil ei potuit adimere, quandoquidem ita Chuzubitæ placuit. Quæ duo miracula ab vtrisque viris illis iustis vno eodemque momento edita fuere.] est mentio de cœnobio Chuzuba dicto in Prato Spirituali[a]; vbi & de eodem Ioanne, antequam fieret Cæsarienſis Episcopus, mira narrantur. Pergit verò de Zosimo ita Euagrius:

[a] *Prat. Spirit. cap. 23. 24. & 25.*

Porrò isti Zosimo iter quodam tempore Cæsaream facienti, secumque asinum, cui res quasdam sibi necessarias imposuerat, adducenti, occurrit leo, & asino Zosimi abrepto, discedit. Zosimus per siluam vsque eò insequitur, quoad leo voratis asini carnibus satur esset. B in quem hilari vultu & subridenti intuitus, dixit: At verò, ô amice, iter iam mihi penitus interruptum est: quippe cum annis plurimis onustus sim, & ætate admodum prouectus, nec valeam ea quæ asino erant imposita humeris portare. quare tu hoc onus contra naturæ tuæ consuetudinem gestes, necesse est, si modò Zosimum ex hoc loco discedere volueris: postea autem ad pristinam feritatem, naturamque propriam redibis. Tum leo furoris prorsus oblitus, subblandiri, & placidus extempore ad Zosimum accurrere, & ipso corporis habitu obsequij significationem dare cœpit. Cui Zosimus onus quod asinus gestauerat imponit, eumque ad portas vsque Cæsareæ deduxit, quò declararet tum virtutem & potentiam Dei, tum quòd omnia tamdiu hominibus inseruiant, obtemperentque, quamdiu secundùm eius voluntatem vitam instituimus, & gratiam nobis donatam nequaquam deprauamus.] hucusque de Zosimo, pauca ex multis referens Euagrius, sui temporis res gestas conscribens.

DE LEONE EXHIBENTE ZOSIMO ASINI MINISTERIVM.

C Hęc eadem ferme ad verbum Nicephorus recitat[b], qui & mox de alio Zosimo, qui iisdem temporibus vixit, ista subnectit: Alter verò quoque enituit Zosimus, non ille quidem solitariam degens vitam, sed in quodam Palęstinæ cœnobio inter monachos commune certamen persequens. Quem sacerdotio fungentem, rem diuinam arcanorum mysteriorum Ægyptiacæ illi feciſſe aiunt: illi, inquâ, Ægyptiacæ, quæ tantopere primùm carnis voluptate defluxisse dicitur, vt nihil prorsus carnalis petulantiæ intentatum reliquerit; eoque vitiosæ libidinis peruenerit, vt eam eloqui verbis nemo possit: deinde ad summam virtutem ita euasisse, vt altera ab altera illustraretur. Sed enim illa, vt in Ægypto prognata & quo vitæ genere vsa, multos libidinis magnitudine in potestatem suam ceu mancipia redegerit; & vt diuino nutu ad sacrosanctum lignum Crucis venerandum excitata, in viam se dederit, & inde diuertens Iordanis quoque flumen transierit, & in interiorem solitudinem sese abdi- D derit, neque cum quopiam homine præterquam vno isto Zosimo collocuta sit, ciboq; simul & vestitu abstinuerit; denique vt inter precandum in sublime sublata, cum Zosimo hoc verba contulerit, vitamq; hanc finierit, & in diuina communione participauerit, nec non vt illi leo sepulchrum effossum parauerit, & vitæ ipsa exemplum pœnitentiam agere volentibus commodissimum reliquerit; Sophronio, qui olim Hierosolymita nam sedem Antistes exornauit, memorandum relinquimus, qui eleganter sanctæ eius feminæ & Zosimi vitam descripsit.] hucusq; Nicephorus. Porrò quam Græcè scripsit Sophronius vitam Mariæ, Paulus diaconus Neapolis eãdem transtulit in Latinum, quæ præ manibus habetur[c]. Conueniſſe autem ipsam Mariam Zosimum his ferme diebus, ex ijs quę Sophronius in eius vita scribit, apparet; dum roganti Mariæ, quo statu Dei esset Ecclesia: fugata discordia, pacem esse redditam, affirmauit: quod planè his temporibus conuenit.

[b] *Niceph. lib. 17. c. 5.*

DE ZOSIMO ET MARIA AEGYPTIACA.

[c] *Sigeb. de Script. Eccles. c. 69.*

E Cognita quidem atque probata fuisse eiusdem Mariæ Acta vniuersæ Catholicæ Ecclesiæ, tum de Orientalibus fidem faciunt Menologia, tum de Occidentalibus Martyrologia: citata atque recepta eadem reperiuntur in secundo Nicæno Concilio[d], nec non à S. Ioanne Damasceno[e] & aliis tum Græcis, tum etiam Latinis auctoribus. Accidit autem, vt huius pœnitẽtis exemplo complures meretrices ad meliorem frugem conuersæ, perarduum vitæ institutum arripuerint: huiusce modi namque pœnitentibus Iustinianus Imperator (vt suo loco dicemus) monasterium Constantinopoli instituit. Vixit ijsdem ferme diebus alia Maria patria Tarsensis, quæ & ipsa ex meretrice pœnitens in monasterio vitam transegit[f]. Sed & alium[g] Zosimum ijsdem constat vixisse temporibus & ipsum genere Cilicem; de quo suo loco dicturi sumus.

[d] *Concil. Nicen. 2. Act. 4.*

[e] *Damasc. de imag. orat. 3.*

DE MARIA TARSENSI.

[f] *Prat. Spirit. c. 31.*

[g] *Ibid. c. 16.*

Eodem anno Ioannes Hierosolymorum Episcopus, cùm sedisset annos vndecim, moritur, inque locum eius suffectus est Petrus. Ita quidem ex Nicephori Chronico, cui consentiunt

[a] *Extat apud Sur. die 5. Decembr.*

tiunt quæ in Actis S. Sabæ leguntur his verbis [a]: Cùm autem multum temporis interces- A
sisset, & magni Sabæ ad octoginta & sex annos ætas prouecta esset, decedit quidem Ioan-
nes, relicto successore Petro, viro virtute insigni.] hæc ibi.

IESV CHRISTI ANNVS 526. IOANNIS PAP. ANNVS 3. IVSTINI IMP. 9. THEODORICI REG. 34.

QVi sequitur Christi annus quingentesimus vigesimus sextus, solius Olybrij absque col-
lega Consulatu redditur Fastis à Marcellino descriptis: quo ipso anno Idibus Iunij data
habetur à Ioanne Romano Pontifice epistola ad vniuersos Italiæ Episcopos, quà eos horta- B
tus est aduersus Arianos fidem Catholicam defendere, ecclesiasq; ab eis vsurpatas sacro ritu
Catholicas reddere. Huius autem scribendæ epistolæ inde manauit occasio, quòd cùm in
Italiam Ioannes reuersus esset, atque cum eo legati Theodorus & Importunus (nam Aga-
petus Thessalonicæ iam decesserat) Theodoricus Rex (vt Anastasius [b] habet & Miscellæ
auctor affirmat [c]) eos omnes detrusit in carcerem; vbi Ioannes Papa licet pædore fameque
consumptus, tantum abest vt desponderit animum, vt etiam maioribus sumptis spiritibus
aduersus hæreticos insurrexerit: quamobrem etsi vinculis vinciretur, non vincebatur. Siqui-
dem verbum Dei (vt ait Apostolus [d]) non est alligatum; sed cùm exagitatur, maiori impe-
tu fulminis instar fertur. Sic itaque aduersus eos scripsit dictam epistolam, ex qua ea tantum
quæ pertinent ad historiam referemus, ab eius exordio inchoantes, quod est huiusmodi [e]:

[b] *Anast. in Ioanne.*
[c] *Miscel. lib. 15.*
[d] *2. Tim. 2.*
[e] *Extat tom. 1. Conc. vet. edit. in Ioanne. & tom. 1. epist. Rom. Pont.*

IOANN. PAP. EPISTOLA E CARCERE DATA.

Ioannes Episcopus omnibus per prouincias Italiæ constitutis Episcopis in Domino S. C
Sæpissimè multo experimento didici, sanctum pietatis vestræ studium circa religionem
Christianam gloriosis crescere & dilatari augmentis: & fides recta, quæ non solum me, sed
omnes Domini sacerdotes consolatur & roborat, vestris in mentibus & operibus per sacer-
dotale agnoscitur opus & dilatatur. Quapropter, fratres, hortor vos & moneo, contra Aria-
nam perfidiam, quæ olim non semel, sed sæpe damnata est, & modò in quibusdam reui-
uiscit, armari gladio Spiritus sancti: vt eam ita, adminiculante diuina gratia, opprimere &
extirpare valeamus, vt nec radix eius in posterum inueniatur. Ecclesias verò Arianorum vbi-
cumque inueneritis, Catholicas eas, diuinis precibus & operibus absque vlla mora conse-
crate: quia & nos quando fuimus Constantinopoli, tam pro religione Catholica, quàm
pro Regis Theodorici causa negotij, suadente atque hortante, Arianosq; extirpante piissi-
mo atque Christianissimo Iustino Orthodoxo Imperatore, quascumque illis in partibus D
ecclesias reperire potuimus, Catholicas eas, Domino opẽ ferente, consecrauimus. & quam-
quam prædictus Theodoricus Rex eorum peste tactus intrinsecus, nos & omnem regionem
nostram perdere, & gladio & igne consumere minetur; nolite tamen propterea deficere,
sed viriliter in agro Dominico elaborare studete. & iuxta Veritatis vocem [f], nolite timere
eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere; sed potiùs eum timete, qui
potest animam & corpus mittere in gehennam.]

[f] *Luc. 12.*

ERRORES ILLAPSI IN EPIST. IOANNIS PAP.

Hæc & alia plura ad eos exhortandos Ioannes habet in dicta epistola: quæ cùm in fine
legatur data tertio Idus Iunij sub Consulatu Maximi & Olybrij, expungendus est Maxi-
mus, vtpote superadditus: tam enim Maximus, quàm Olybrius diuersis annis (vt vidimus)
Consulatum gesserunt: nec potuit ea epistola sub Maximo dicta die Iunij dari: nam eo tem-
pore nondum creatus erat Pontifex Ioannes, qui mense Augusti eiusdem anni sedere cœ-
pit. Dicendum ergo, Olybrij huius anni absque collega Consulatus tempore dictam scrip- E
tam esse epistolam. Sed & in eo quod habetur ipsa data tertio Idus Iunij, deprehenditur er-
ror: nam quomodo ita se habere potuit, si vigesimaseptima mensis Maij idem Ioannes hoc
anno sub eodem Consulatu Olybrij mortuus esse ponitur? Multo verò manifestior ille est
error in eiusdem Ioannis epistola ad Zachariam Archiepiscopum, cùm data ponitur hoc
item anno, XVI. Kalend. Nouembris, sub Consulatu item Maximi & Olybrij, quam potiùs
dixerimus referendam ad Consulatum illum Maximi sine collega.

[g] *Gre. de Glor mar. c. 40.*

RES GESTAE IOAN PAP. EX GREGOR.

Ne autem ex errore diei existimes epistolam ipsam haud esse germanam, sed commenti-
tiam; habes huius sæculi scriptorem Gregorium Turonensem [g] eidem astipulantem verbis
istis: Multi quidem sunt martyres apud vrbem Romam, quorum historiæ passionum nobis
integræ non sunt delatæ. De Ioanne tamen Episcopo, quoniam agon eius ad nos vsque non

accessit

A acceſſit ſcriptus, quæ à Fidelibus comperi, tacere nequiui. Hic cùm ad Epiſcopatum veniſſet, ſummo ſtudio hæreticos execrans, eccleſias eorum in Catholicas dedicauit: quod cùm Theodoricus Rex comperiſſet, furore ſuccenſus, quia eſſet ſectæ Arianæ deditus, iuſſit gladiatores per Italiam dirigi, qui vniuerſum, quotquot inueniſſent, Catholicum populum iugularent. Hæc audiens B. Ioannes, ad regem, ne hæc fierent, deprecatus acceſſit: à quo cum dolo ſuſceptus: alligauit eum, & poſuit in carcerem, dicens: Ego te faciam, ne audeas contra ſectam noſtram ampliùs muſſitare. Poſitus verò ſanctus Dei in carcere, tantis attritus eſt iniurijs, vt non poſt multum tempus ſpiritum exhalaret: obijtque in carcere cum gloria apud vrbem Rauennam. Domini autem miſericordia ſtatim vltionem ſuper Regem improbum irrogauit: nam ſubitò à Deo percuſſus plagis magnis exinanitus interijt, ſuſcepitq; protinus perpetuum gehennæ flammantis incendium. Hactenus Gregorius, qui etſi non ex
B ſcriptis adhuc acceptis ab Vrbe codicibus, ea tamen à Fidelibus fideliter dicta percepit. Sed maiorem planè ſibi vendicat fidem, quod communi aſſertione ab omnibus Fidelibus traditur, quàm quod in vno vel altero codice legitur. Sed hæc omnia de pugna aduerſus Arianos ſuſcepta, amplioribus notis, nempe ſua morte, Ioannes (vt diximus) teſtata exploratáque in omnibus poſteris tradidit: adeò vt etſi ſcripta deeſſent, ſatis ſit ſignaculo mortis hoc apud Deum & homines proclamantis ipſum confeſſionem Catholicæ fidei & conſummatum martyrium conſignaſſe.

Sed ſuo maximo damno, ſummoq; rerum ſuarum detrimento tentauit iſta tyrannus ſacrilegus, cùm Romanum Pontificem detruſit in carcerem, atque mori coegit: etenim qui in præſens vſque tempus triginta tria & ampliùs annorum curricula Theodoricus Rex ſumma felicitate tranſegerat, ſatis exemplo didicit, & alijs demonſtrauit, quæ & in terris præ-
C mia conſequantur Principes licet impij; cùm de Apoſtolica ſede benemerentur, & quanto rurſus periculo & detrimento eamdem exagitent. Relege ſingulos eiuſdem regni ſex luſtrorum decurſos quàm feliciſſimè annos, & reperies ea pro incolumitate Catholicæ & Apoſtolicæ Romanæ Eccleſiæ præſtitiſſe Theodoricum, quæ à Catholicis Imperatoribus vix obtineda fuiſſent: intueberisque eumdem ipſum haud inanem iuſtitiæ fuiſſe cultorem, ſed dexterè omnia illi, Deo remunerante, ceſſiſſe, atque feliciſſimè geſta eſſe: ſed repentino tunc veluti oborto turbine, obductam mox denſa caligine omnem illam eius effulgentem Solis inſtar claritudinem obſcuratam, ictamque fulmine iacuiſſe proſtratam, vbi non horruit laceſſere Eccleſiæ caput, & ſacrilegam manum iniecere in Chriſtum Domini, atque in carcerem inſtar Herodis Ioannem conijcere, & veluti Agrippa Petrum vincire catenis, cui cuncta ſoluendi atque ligandi in terra & in cælo Dominus tradidit poteſtatem.

QVANDO RES THEODORICI COLLAPSA.

D Verùm vt olim ob vincula Petri vniuerſa mærebat Eccleſia [a], & cùm ita Petrus detineretur in carcere, oratio fiebat ſine intermiſſione ab Eccleſia ad Deum pro eo; æquè ob detruſum Petri ſucceſſorem Ioannem Papam in carcerem vniuerſi orantes dolebant, lugebantq; Fideles: ſed lætabatur ipſe, tempore pacis inueniſſe martyrium, expectans Angelum, non qui dormientem excitatum è ſumno foras educeret, ſed obdormientem in Domino ad cælum perduceret; nec qui catenas ſolueret ferreas & liberaret è carcere, ſed è vinculis carnis ſolutum erueret de corpore mortis huius; duceretque non ad portam ferreã, ſed auream, ſpecioſam inquam illam portam cæli Patriarchæ Iacob oſtenſam [b]. Venit optata dies, quæ
fuit vigeſima ſeptima menſis Maij, cùm redimitus corona martyrij ſummus Dei ſacerdos offerens ſe ipſum Deo hoſtiam immaculatam, introiuit ſemel in ſancta, æterna redemptione inuenta cùm videlicet eadem conſtantia qua prædeceſſores, nullam quærens redemptio-
E nem, vt meliorem inueniret reſurrectionem, vitam profundens, martyrij titulo nobilitatus linquens terrena, cælum triumphator aſcendit cum Deo in perpetuum regnaturus.

[a] *Act. 12.*

IOANNES PAPA MARTYRIO CORONATVS.

[b] *Geneſ. 28*

Deſcribitur mox Eccleſiaſticis Sanctorum tabulis [c] dies eius natalis, repetendus ab vniuerſa Catholica Eccleſia annis ſingulis digna memoria: ipſius verò corpus delatum eſt Romam, ſepultumque in baſilica Vaticana, non ſexto Kal. Iunias (vt mendoſus codex habet) ea enim die mortuus eſt, ſed Iulias, cùm Romam tranſlatum eſt. Excepit Vrbs Pontificem ſuum de Arianorum Rege atque Ariana perfidia triumphantem, quadriga candida vectum, non candentium iumentorum, ſed candidatorum humeris ſacerdotum. Accurritur vndiq; ad tantum ſpectaculum, honorant omnes ſacram ſarcinam debito Pontifici & decenti martyri cultu, aſſectanturque ſacris canticis glorioſam victoriæ pompam; tantùmmodo impij in tenebris conticeſcunt, & impietas à tanta gloria luget excluſa, mæret inuidia, rapidus liuor in ſe ipſum dentes exacuit, cùm tanto honore videt illatum in Vrbem, quem inglorium

[c] *Martyr. Rõ. 27. Maij.*

ANNVACE. LEBRITAS IOANNIS PAPAE.

extinxisse putauit in carcere. Vixit autem Ioannes in Pontificatu annos duos, menses nouem, dies quatuordecim. Sed non excidant quæ Anastasius de ipso subdit his verbis: A

RELIQVAE RES GESTAE A IOANNE PAPA.

Hic Papa Ioannes refecit cœmeterium beatorum martyrum Nerei & Archillei via Ardeatina. Item renouauit cœmeterium sanctorum Felicis & Adaucti. Item renouauit cœmeterium Priscillæ.] iure itaque accepit præmium martyris, qui martyres honorauit. Sed pergit: Eodem tempore positum est ornamentum super Confessionem beati Pauli de gẽmis prasinis & hyacinthinis. Item huius temporibus Iustinus Imperator obtulit patenam auream cum gemmis pensantem libras viginti, calicem aureum cum gemmis pensantem libras quinque, scyphos argenteos quinque, pallia auro texta quindecim: quæ ipse Ioannes detulit ad beatos Apostolos Petrum & Paulum, & ad sanctam Mariam, & ad sanctum Laurentium. Hic ordinauit Episcopos per diuersa loca quindecim. Cuius corpus transpositum est de Rauenna, & sepultum in basilica S. Petri.] hæc de Ioanne ibi. cuius sedes (idem inquit auctor) cessauit dies quinquagintaocto. B

DE BOETIO ATQVE SYMMACHO.

Quoniam autem idem qui suprà Anastasius tradidit, nonaginta & octo dies medios intercurrisse ab obitu Ioannis Papæ vsque ad miserandum interitum Theodorici Regis: quæ nam scelestus & ferus barbarus eo temporis spatio aduersus nobiles piosque viros Boetium atque Symmachum Patricios crudeliter egerit, dicendum est: testatur enim idem auctor, ipsum occidisse clarissimos hos Senatores Patricios & Exconsules, quod etiam asseritur in Miscella. At ne tantorum virorum funera ingloria relinquamus, quos generis claritudo, Patriciatus dignitas, & ordinarij Consulatus decorarunt, sed præ his omnibus pietas illustrauit: hic nobis de his agendum, vt tamquam sepulturæ eorum inscripta elogia, nostro stylo hic ipsorum memoriam posteris relinquamus impressam.

Fuit ipse Boetius gener eiusdem Symmachi Consularis: nam eius filiam nomine Rusticianam acceperat, ex qua duos suscepit filios Consulares, quos optimis moribus imbuendos curauit. Quantam autem ex scientiis omnibus comparauerit sibi laudem, præter illa quæ dicta sunt superiùs in eius secundo Consulatu, accipe ex Theodorici Regis, cùm tranquillioris animi esset, epistola ad ipsum data [a], vbi inter alia discces eius adhuc iuuenis libero homine dignos in addiscendo labores: nam post alia Rex ad eum: Hoc te multa eruditione saginatum ita nosse didicimus, vt artes quas execent vulgariter nescientes, in ipso disciplinarum fonte potaueris. Sic enim Athenienstum scholas longè positus introisti, sic palliatorum choris miscuisti togam, vt Græcorum dogmata doctrinam feceris esse Romanam. Didicisti enim, qua profunditate cum suis partibus Speculatiua cogitetur, qua ratione Actiua cum sua diuisione discatur, deducens ad Romuleos Senatores quicquid Cecropidæ mundo fecerant singulare. Translationibus enim tuis Pythagoras musicus, Ptolemæus astronomus leguntur Itali: Nicomachus arithmeticus, geometricus Euclides audiuntur Ausonij: Plato theologus, Aristoteles logicus Quirinali voce disceptant: Mechanicum etiam Archimedem Latialem Siculis reddidisti. Et quascumque disciplinas vel artes fœcunda Græcia per singulos viros edidit, te vno auctore, patrio sermone Roma suscepit: quos tanta verborum luculentia reddidisti claros, tanta linguæ proprietate conspicuos, vt potuissent & illi opus tuum præferre, si vtrumque didicissent.] hæc ibi & alia plura cumulans de eiusdem matheſi & astronomia, & alibi [b] de insigni eius peritia artis musicæ meminit; quæ tu consulas: aliò enim nostra tendit oratio; nempe vt quæ præcesserint causæ eiusdem cùm Symmacho vinculorum, fiant ipsius testificatione notissimæ, quæ historicorum silentio remanserunt obscuræ. C D

[a] *Apud Cassiod. lib. 1. epist. 45.*

BOETII EXCELLENS DOCTRINA OMNIVM SCIENTIARVM.

[b] *Apud Cassiod. lib. 2. epist. 40.*

In his enim quos scripsit senex in carcere constitutus quinque de Consolatione Philosophiæ libros, post multas lacrymas cum Philosophia sua consolatrice ita colloquitur [c]: Tu mihi, & qui te sapientium mentibus inseruit Deus, estis conscij, nullum me ad magistratum nisi commune bonorum omnium studium detulisse. Inde cum improbis graues inexorabilesque discordiæ fuere, & (quod conscientiæ libertas habet) pro tuendo iure spreta potentiorum semper offensio. Quoties ego Conigastum in imbecillis cuiusque fortunas impetum facientem obuius excepi? Quoties Triguillam regiæ Præpositum domus ab incepta & perpetrata iam prorsus iniuria deieci? Quoties miseros, quos infinitis calumniis impunita barbarorum semper auaritia vexabat, obiecta periculis auctoritate protexi? Numquam me à iure ad iniuriam quisquam detraxit. Prouincialium fortunas tum priuatis rapinis, tum publicis vectigalibus pessumdari, non aliter quàm qui patiebantur, indolui. Cùm acerbæ famis tempore, grauis atque inexplicabilis indicta coemtio profligatura inopia E

[c] *Boet. de Cõsolat. lib. 1. pros. 4.*

BOETII INTEGRITAS IN ADMINISTRANDA REPVB.

Campania m

A Campaniam prouinciam videretur, certamen aduersus Præfectum Prætorij cõmunis commodi ratione suscepi; Rege cognoscente, contendi: & ne coemptio exigeretur, euici.

Paulinum Consularem virum, cuius opes Palatini canes iam spe atque ambitione deuorassent, ab ipsis hiantium faucibus retraxi. Ne Albinum Consularem virum præiudicatæ accusationis pœna corriperet, odiis me Cypriani delatoris opposui. Satis ne in me magnas videor exacerbasse discordias? Sed esse apud ceteros tutior debui, qui mihi amore iustitiæ nihil apud aulicos, quò magis essem tutior, reseruaui. Quibus autem deferentibus perculsi sumus? Quorum Basilius olim regio ministerio depulsus, in delationẽ nostri nominis, alieni æris necessitate compulsus est. Opilionem verò atque Gaudentium cùm ob innumeras atque multiplices fraudes ire in exilium regia censura decreuisset; cumque illi parere nolentes, sacrarum sese ædium defensione tuerentur, compertumque id Regi foret; edixit, vt nisi B intra præscriptum diem à Rauenna vrbe discederent, notas insigniti frontibus pellerentur. Quid huic seueritati posse astrui videtur? Atqui eodem die deferentibus eisdem, nominis nostri delatio susceptа est. Quid igitur? Nostræ ne artes ita meruerunt? An illos accusatores iustos fecit præmissa damnatio? Ita ne nihil fortunam puduit, si minus accusatæ innocentiæ, at accusantium vilitatis?

QVALES ACCVSATORES BOETII.

At cuius criminis arguimur? summam quæris? Senatum dicimur saluum esse voluisse. Modum desideras? Delatorem, ne documenta deferret, quibus Senatum læsæ maiestatis reum faceret, impedisse criminamur. Quid igitur, ô magistra, censes? Inficiabimur crimen, ne tibi pudori simus? At volui, nec vmquam velle desistam. Fatebimur? sed impediendi delatoris opera cessabit. An optasse illius ordinis salutem nefas vocabo? Ille quidem suis de me decretis, vti hoc nefas esset, effecerat: sed tibi semper mentiens impudentia rerum merita C non potest immutare. Nec mihi Socratico decreto fas esse arbitror, vel occuluisse veritatem, vel concessisse mendacium. Verùm hoc quoquo modo sit, tuo, sapientumque iudicio æstimandum relinquo. Cuius rei seriem atque veritatem, ne latere posteros queat, stylo etiam memoriæque mandaui. Nam de compositis falsis litteris, quibus libertatem arguor sperasse Romanorum, quid attinet dicere? Quarum fraus apertè patuisset, si nobis ipsorum confessione delatorum (quod in omnibus negotiis maximas vires habet) vti licuisset. Nam quæ sperari reliqua libertas potest? Atque vtinam posset vlla! Respondissem Caninij verbo: qui cùm à Caio Cæsare Germanici filio conscius contrà se coniurationis factæ fuisse diceretur: Si ego, inquit, scissem; tu nescisses.] & paulo pòst subdit:

QVAE ACCVSATIO IN BOETIVM.

Meministi (vt opinor) quid me dicturum, quid facturumve præsens ipsa dirigebas. Meministi, inquam, Veronę, cùm Rex auidus exitij communis, maiestatis crimen in Albinum D delatum, ad cunctum Senatus ordinem transferre moliretur: vniuersi innocentiam Senatus quàta mei periculi securitate defenderim. Scis me hæc & vera proferre, & in nulla vmquam mei laude iactasse. Minuit enim quodammodo se probantis conscientiæ secretum, quoties ostentando quis factum recipit famæ pretium. Sed innocentiam nostram quis exceperit euentus, vides. Pro veræ virtutis præmiis falsi sceleris pœnas subimus. Et cuius vmquã facinoris manifesta confessio ita Iudices habuit in securitate concordes, vt non aliquos vel ipse ingenij error humani, vel fortunæ conditio cũctis mortalibus incerta submitteret? Si inflammare sacras ædes voluisse, si sacerdotes impio iugulare gladio, si bonis omnibus necem struxisse diceremur, præsentem tamen sententia confessum, conuictúmve punisset. Nunc verò quingentis passuum millibus procul moti atque indefensi, ob studium propensius in Senatum morti proscriptionique damnamur, &c.]

DEFENSOR SENATVS BOETIVS.

E Habes igitur ex his, quinam fuerint accusatores, quódve crimen obiectum, & qua pœna hucusque mulctatus sit. Scripsisse autem hæc ipsum initio sui exilij, ex eo cognosces, dum non adhuc socerum Symmachum detrusum fuisse in carcerem, qui cum ipso capitale postea supplicium subiit, ex verbis Philosophiæ eum cõsolantis intelliges, vbi ait inferius[a]: Viget incolumis illud pretiosissimum humani generis decus, Symmachus socer; & quod vitæ pretio non segnis emeres, vir totus ex sapientia & virtutibus factus, suarum securus, tuis ingemiscit iniuriis. Viuit vxor ingenio modesta, pudicitiæ pudore præcellens, & vt omnes eius dotes breuiter concludam, patri similis: Viuit, inquam, tibique tantùm vitæ huius exosa spiritum seruat. quo vno felicitatem minui tuam vel ipsa concesserim, tui desiderio lacrymis atque dolore tabescit. Quid dicam liberos Consulares, quorum iam vt in id ætatis pueris vel paterni, vel auiti specimen elucet ingenij, &c.] Iulius Martianus, qui Boëtij Vitam scripsit, errore putauit filios Boëtij, eo quòd ipse nominet Consulares, eos-

[a] *Boet. de Consol. lib. 2. Prof. 4.*

DE BOETII SOCERO, VXORE, ET FILIIS.

dem fuisse Consules. At quomodo Consules, si adhuc pueri? & in quibus Fastis eorum- A
dem post hæc tempora notatus est Consulatus? Sed idcirco scias eos appellatos Consula-
res, quòd patrem Consulem haberent, sicut etiam dicere consueuerunt vxorem Consulis
feminam Consularem.

EXTREMAE LVCVBRATIONES BOETII.

Dum autem Ticini Boëtius detineretur in carcere, non solùm aureos illos de Consola-
tione Philosophiæ libros elucubrauit, sed etiam commentaria quædam in opera Aristo-
telis, insuper & scripsit de Trinitate, simulque citatum superiùs librum de Disciplina scho-
larium, vt ipse eodem in libro testatur in præfatione ad Marcianum his verbis[a]: Licet du-
plici genere commentorum sim impeditus, non tamen omnino diuersorum, in quasdam
Aristotelis, necnon aliorum philosophorum editiones; proprioque attenuatus studio, &
inhumani Regis Gothorum cruciatu corrosus, philosophico me præueniente consolatu,
extremaque profundæ Trinitatis perspicatione permollitus.] hæc de se ipse: quibus pla- B
nè intelligi potest, fuisse eius carcerem longioris temporis ac valde prolixum: cùm tandem
& eius quoque socer Symmachus itidem carceri mancipatur. Ostenditur hodie Ticini
turris, in qua Boëtius est detentus in vinculis, olim quidem ob reos in ea detentos horri-
bilis, obque facinora detestabilis; sed eius habitatione, sanguinisque aspersione reddita
quouis triumphali phornice clarior, quouis gloriæ monumento celebrior, & quauis erecta
solida mole diuturnior, & propugnaculo fortior, quam nec omnia diruens tempus inua-
dat vmquam & destruat.

[a] *Boet. de Disciplin. in princ.*

DE TVRRI IN QVA BOETIVS DETENTVS EST.

Sed quid admirandum acciderit post capitis obtruncationem, ex Iulio Martiano audies,
qui eius Vitam[b] eruditè conscripsit. Qui enim peritia litterarum Dionysio magno illi Areo-
pagitæ Athenienſi iure fuit absque inuidia comparandus Boëtius, & illud à Deo accepit, C
vt & genere mortis, insuper & insignis operatione miraculi eidem fuerit exæquandus, id
operante Dei summa potentia, qui est diues in omnibus qui inuocant eum. At quomodo
id acciderit, illum audi, qui hæc ait: Ticini incolæ semper à maioribus traditum constan-
ter asseuerant, Seuerinum, cùm regius spiculator lætale vulnus intulisset, vtraque manu
diuulsum caput sustinuisse: interrogatumque à quonam se percussum existimaret? ab im-
piis, respondisse: atque ita cùm in vicinum templum venisset, & flexis genibus ante alta-
re sacra percepisset, post paululum expirasse. Extinctus diuinos honores, *illos videlicet, qui*
sanctis martyribus exhiberi solent, à nostris consecutus est, quod pro Catholicis contra per-
fidiam Arij mortem sustinuerit. Sunt tamen qui scribant, ipsum antea Rauennam acces-
situm, Prætorioque Regis præpositum, mox cum aliquot Senatoribus occisum: quod Sym-
macho potiùs conuenire videtur.] hactenus de Boëtij nece & eius cultu Martianus: de se-
pulchro autem ista subdit: D

[b] *Extat ipsa ante Boetij opera.*

INGENS MIRACVLVM IN BOETII NECE.

Turris lateritio lapide fabrefacta etiamnum Ticini monstratur, Boëtij carcer, sepul-
chrumque eius in æde beati Augustini visitur, qua parte in aditum templi ascensus incipit,
hoc epitaphio incisum:

EPITAPHIA AD SEPVLCHRVM BOETII.

Mæonia & Latia lingua clarissimus, & qui
Consul eram, hic perij, missus in exilium.
Et quia mors rapuit, probitas me vexit ad auras:
En nunc fama viget maxima, viuit opus.] Circumfertur & aliud elo-
gium, quo sepulchrum eius exornabatur, antequam illic à Luitprando Longobardorum
Rege collocaretur. ipsum igitur, ne quid tibi demptum queraris, subiungimus:

Ecce Boethus adest in cælo magnus, & omni E
Perspectus mundo mirus habendus homo:
Qui Theodorico Regi delatus iniquo,
Ticini senium duxit in exilio.
In qua se mœstum solans dedit vrbe libellum:
Post ictus gladio exiit è medio.] Habuit Boëtius plurimos laudato-
res, nec desunt qui præconia augeant, nec aliquando defuturi sunt: adeò vt de illo vatici-
nium impleatur[c]: In memoria æterna erit iustus.] Sed ad Symmachum Boëtij socerum
transeamus.

[c] *Psal. 111.*

SYMMACHVS MAXIME PIVS ET DOCTVS.

Præcessisse quidem Boëtij necem, sicut & carcerem, ex iis quæ dicta sunt, possumus in-
telligere. Cùm autem Boëtius esset in carcere, ad ipsum librum scripsit de Trinitate: ex cu-
ius exordio, quanta præstaret idem Symmachus pietate, accipe ex verbis istis: Quocumq;
igitur à vobis deiecti oculos, partim ignaua segnities, partim callidus liuor occurrit: vt con-
tume-

A tumeliam videar diuinis tractatibus irrogare, qui talibus hominum monstris non agnoscenda hæc potiùs quàm proculcanda proiecerim.] hæc Boëtius, alludens ad impios atque stolidos Gothos. Quàm autem esset Symmachus sacris litteris institutus, ex eo quoque cognosco, dum ipsum in eodem commentario Boetius appellat arbitrum suorum scriptorum, vbi ait: Vobis tamen illud etiam inspiciendum est, an ex beati Augustini scriptis semina rationum aliquos in nos venientia fructus intulerint.] hæc ipse: quibus & illud assequi potes, Boetium in sacris litteris S. Augustinum esse secutum. Porrò quod ad Symmachum spectat, de quo semel narratio suscepta est, non Theologicis tantùm facultatibus apprimè imbutus fuit, sed omnium scientiarum doctrinam calluit. est locuples eorum testis Priscianus Cæsariensis, qui in libro, quem de Ponderibus scripsit, sic eum laudat, vt probitatis & omnium scientiarum attigisse verticem intelligere possis. Vixit enim his ipsis tem-
B poribus ipse Priscianus grammaticus, docens Constantinopoli, vt Cassiodorus[a] & ipse horum temporum scriptor affirmat.

[a] *Cassiod de Orthograph. c. 12.*

SYMMACHVS LAVDATVS A PRISCIANO

Sed hîc ipsius Prisciani verba reddamus: cùm enim ad eum librum de Ponderibus atque mensuris inscribit, ita exorditur: Omni te, Symmache, nobilitatis splendore celebratum, ac omni naturæ munere præstantem, omni virtutis luce fulgentem, studiis etiam optimarum artium disciplinarumque florentem, iustissimeque prosperæ fortunæ meritis vitæ probantem, fama quidem antea nobis absentem venerabilem faciebat: nunc autem præsentem veritas supergressa laudes prædicationis ostendit. Mediocritatis enim altissimæ, qua superbiæ calcas tumores, & pietatis ponderibus grauissimis superas omnia, &c.] Sed audi Ennodium, dum recenset Vrbis ciues clarissimos, quos & imitandos proponit: post enim Faustum & Auienum, de Festo atque Symmacho his verbis agit[b]: Festus & Sym-
C machus omnium disciplinarum materia & constantes forma sapientiæ de Vrbe sacratissima non recedunt. In ipsis est nobilis curiæ principatus: quos vidisse, erudiri est. Non apud eos sermo de ludicris, nec pantomimorum vix cognoscenda commemoratio. Isti auram popularem per pudoris detrimenta non cupiunt, contenti rectis magis placere, quàm plurimis. Sortiuntur de innocenti actione testimonium, &c.] extant plures eiusdem Ennodij epistolæ, in quibus Symmachi cum summa nobilitate & probitate doctrina etiam coniuncta laudatur: sed & ipse Theodoricus Rex eius occisor eumdem sua olim laudasse epistola[c] reperitur.

[b] *Ennodij dictio.*

[c] *Apud Cassiod. lib. 4. epist. 51.*

In hunc igitur magnum antiquæ probitatis decus & ornamentum truculentus tyrannus violentas manus iniecit, venerandamque canitiem sanguine cruentauit. At etsi gladio necari, non tamen extingui potuit: cuius secti capitis vel sola memoria sub prægrandis piscis
D capitis aspectu phantasiæ repræsentata eumdem crudelissimum barbarum tanto tremore concussit, & timorem incussit, vt necem attulerit corpori, anima in ignem inextinguibilem condemnata. Hæc autem strictim complexa, quomodo se habuerint, paulo pòst dicturi sumus. agamus modò de creatione Felicis Papæ successoris Ioannis, vt singula singulis reddamus mensibus.

Cùm igitur (vt dictum est) post ipsius Ioannis obitum sedes vacasset dies quinquaginta & octo, die vigesimaquarta Iulij electus est in locum eius Felix natione Samnita ex patre Castorio, cùm adhuc superstes esset Theodoricus Rex ipsius Ioannis Papæ interfector. Cuius quidem rabies semel contra Ecclesiam Romanam concepta, nequaquam tanti Pontificis obitu finem inuenit: sed quod nullus vmquam Ethnicorum Principum ausus fuerat, iste meditatus, impleuit, nimirum vt captiuam duceret ipsam Romanam Ecclesiam, Apo-
E stolicæ sedis Episcopi electionem atque nominationem ipse sibi procaciter arrogans: vt autem suæ ipsius voluntati nulla esset occasio refragandi, quem in Romano clero probatissimum nouit virum Felicem, Romanum Pontificem nominauit. Fatale (si ita liceret dicere Christiano) quodammodo videri potuit, vt quem delegit Constantius Arianus Imperator, & quem Arianus pariter Princeps ad tantam dignitatem assumpsit, Felix vterque appellaretur. De arroganti autem à Theodorico Rege facta Romani Pontificis electione, accipe ex Athalarici Regis, qui hoc anno ipsi successit in regnum, epistola ad Senatum iam acquiescentem iniquæ conditioni, cui fuerat refragatus:

FELIX PAPA ELIGITVR A THEODORICO.

[a] *Apud Cassiod. lib. 8. epist. 15.*

ATHALARICVS AD SENATVM DE FACTA PER THEODORICVM ELECTIONE.

Senatui[d] vrbis Romæ Athalaricus Rex.

Gratissimo nostro profitemur animo, quod glorioſi domni aui nostri respondistis in Episcopatus electione iudicio. Oportebat enim arbitrio boni Principis obediri, qui sapienti deliberatione pertractans, quamuis in aliena religione, talem visus est Pontificem delegisse,

vt

vt nulli meritò debeat displicere: vt agnoscatis illum hoc optasse præcipuè, quatenus bonis sacerdotibus Ecclesiarum omnium religio pullularet. Recepistis itaque virum & diuina gratia probabiliter institutum, & regali examinatione laudatum. Nullus adhuc pristina contentione teneatur. Pudorem non habet victi, cuius votum contigit à Principe superari. Ille quinimo suum efficit, qui eum sub puritate dilexerit. Nam quæ sit causa doloris, quando hoc & in isto reperit, quod alteri in partem ductus optauerit? Ciuica* sunt ista certamina, pugna sine ferro, rixa sine odio: clamoribus, non doloribus res ista peragitur. Nam etsi persona summota sit: nihil tamen à fidelibus amittitur, cùm optatum sacerdotium possidetur. Quapropter redeunte legato vestro illustri viro Publiano, rationabile duximus, ad cœtum vestrum salutationis apices destinare. Magna enim iucunditate perfruimur, quoties cum nostris proceribus verba miscemus; & hoc quoque suauissimum vobis minimè dubitamus, si quod illius feciſtis imperio, nobis etiam cognoscitis esse gratiosum.] hactenus Athalaricus ad Senatum. A

* Crinea

ELECTIO ROM. PONT. A THEODORICO VSVRPATA.

Ex his etiam illud intelligi potest, toto illo quinquaginta & octo dierum interstitio cessantis sedis, altercatum de electione Summi Pontificis: & licet in alium conspirassent eligentium vota, tamen Theodorico tyranno eum non probante, sed diligente summæ probitatis virum Felicem, duram licet, eam coacti sunt conditionem subire. Accepisse tamen postea tanta præsumptio noscitur moderationem illam, vt ex pristino vsu clerus deligeret Romanum Pontificem, quem tamen Rex suo confirmaret assensu: quam quidem ab Arianis Italiæ Regibus vendicatam sibi tyrannicè auctoritatem, iis de medio sublatis, Orientalis orbis Imperatores sibi pariter arrogarũt, quod valde S. Gregorius ingemiscit. Hæc cùm tam grandia sint, tamen ab Anastasio omnino sepulta silentio relicta sunt.

QVALES ESSE SOLEANT OPPRESSORES ROM. ECCLESIAE.

Vidisti, lector, quinam auctor fuerit redigendi sub seruitute Romanam Ecclesiam, vt electioni vel nominationi Romani Pontificis immiscerent se Reges? nonnisi sæuus barbarus, dirus tyrannus, & impius Arianus: quem Deus absque dilatione, dissimulationéve, qua frequentiùs vti solet cum peccatoribus, repentina immissa cælitus vindicta prostrauit, & post acceleratum dirum exitium ad inferos perpetuò relegauit. Talem qui æmulãtur Principem, expectent pari cum eo sententia iudicari, nimirum vt dum inconcessa præsumunt iura Ecclesiæ inuadentes, & vitæ præsentis & æternæ dispendium sentiant, & regnum haud diu ad posteros propagent, sed exteris cedere cogantur inuiti: quo nihil iustius dici possit, vt à terrenis excidant, qui diuina temerariè tentant. Quomodo verò terribili atque tremendo Dei iudicio haud diu post hæc præsumpta, cùm & recens adhuc esset memoria Symmachi Consularis occisi, ipse Theodoricus Rex improuisa fuerit morte subreptus, ex Procopio huius temporis scriptore audi[a]: C

[a] *Procop. de bello Goth. lib. 1.*

DE NECE BOETII ATQVE SYMMACHI.

Annos itaque cùm septem & triginta superuixisset, vitam finiuit.] & paulo pòst: Sed mortis illi hæc causa fuit. Symmachus, & huius gener Boëtius, à suis maioribus gentis nobilitatem adepti, inter Romanos & Senatorios viros principes erant, & Consulatus vtrique dignitate perfuncti, philosophiæ supra ceteros & æquitati studuerũt, multisque tam ciuium quàm externorum inopiæ succurrendo saluti fuere. Hi postquam ad ingẽtem gloriam euasere, deterrimos quosque in sui inuidiam concitarunt. Nam his delatoribus Theodoricus Rex persuasus, Symmachum, Boëtiumque perinde ac res nouantes occidit, eorumque bona omnia publicauit. Sed paucis post diebus, cœnanti sibi cùm miræ magnitudinis piscis ministri decoctum caput appositissent, Symmachi nuper occisi caput illi est visum, præfixis & extantibus inferiore in labro dentibus, & toruè intuentibus oculis, furibundè sibi & acerbè comminari. D

THEODORICI REGIS OBITVS.

Vnde monstri nouitate territus, membrisque præter modum tremebundus & rigens, in cubiculum statim citato gradu secessit: identidemque iubendo, togarum vt sibi vim magnam ingererent, lecto decubuit, & parumper quieuit. Elpidio deinde medico omnibus quemadmodum accidissent diligentiùs explicatis, in Symmachum, Boëtiumque à se scelus patratum deflebat: Quo denique deplorato, ex accepta calamitate dolore ingenti affectus, haud longè post moritur, cùm primum id iniustitiæ & vltimum in suos idcirco exercuisset exemplum, quia non suo & pristino more diligenter peruestigata causa in tantos viros animaduerterat.] hactenus Procopius. Refert ex parte huiusmodi horribilis visio facta Theodorico de capite Symmachi, ore, labiis, dentibus & oculis comminante, exemplum illud de eo quod euenit discumbenti pariter Balthasar[b] Regi, cùm ad visum digitorum scribentium in pariete idem eum apprehendit tremor, pauorque dissoluit, licet dissimilis sit secutus E

[b] *Dan. 5.*

A cutus interitus. Hæc autem tanta parum fideliter Iordanus Gothus Episcopus prætermisit, cùm de eiusdem Theodorici obitu agit; quem senio confectum defunctum fuisse tradit: addit autem, testamento monuisse suos, vt Senatum populumque Romanum amarent, Orientisque colerent Imperatorem: insuper detestatum, quæ ipse furore percitus perpetrasset.

Sed quod ait Apostolus[a]: Et post mortem iudicium]quodnam qualéve id fuerit ostensum diuinitus, accipe à sancto Gregorio, dum in dialogis ait[b]: Iulianus namque huius Romanæ Ecclesiæ, cui Deo auctore deseruio, secundus Defensor, qui ante septem ferme annos defunctus est, ad me adhuc in monasterio positum crebrò veniebat, & mecum alloqui de animæ vtilitate consueuerat. Hic itaque mihi quadam die narrauit, dicens: Theodorici Regis temporibus pater soceri mei in Sicilia exactionem canonis egerat, & iam ad Italiam re- VISIO DE THEODORICI ANIMA
B dibat: cuius nauis appulsa est ad insulam, quæ Lyparis appellatur. Et quia illic vir quidam solitarius magnæ virtutis habitabat; dum nautæ nauis armamenta repararent, visum est prædicto patri soceri mei ad eumdem virum Dei pergere, seque eius orationibus commendare. Quos vir Domini cùm vidisset, eis inter alia collocutus dixit: Scitis quia Rex Theodoricus mortuus est? Cui illi protinus responderunt: Absit. nos eum viuentem dimisimus, & nihil tale ad nos de eo nunc vsque perlatum est. Quibus Dei famulus addidit, dicens: Etiam, mortuus est: nam hesterno die hora nona inter Ioannem Papam & Symmachum Patricium discinctus & discalceatus & vinctis manibus deductus, in hanc vicinam Vulcani ollam iactatus est. Quod illi audientes, solicitè conscripserunt diem; atque in Italiam reuersi, eodem die Theodoricum Regem inuenerunt fuisse mortuum, quo de eius exitu atque supplicio Dei famulo fuerat ostensum. Et quia Ioannem Papam affligendo in custodia
C occidit, Symmachumque Patricium ferro trucidauit, ab illis iustè in ignem missus apparuit, quos in hac vita iniustè iudicarat.] hæc Gregorius. Quòd verò nulla de Boetio mentio fit, æquè existimare licet, eum ante vtrumque, Ioannem videlicet atque Symmachum, esse iussum occidi, ostensos verò in visu illos nouissimè ab eo iniustè damnatos.

Sed loci ipsius, in quem ipse iactatus per visum ostensus est, audi ex eiusdem Theodorici litteris naturæ miracula: cùm enim ad insulam illam deportari mandat Iouinum Curialem homicidam, Vulcani ollam ita describit[c]: Careat proinde patrio foro * cùm exitiabili victurus incendio, vbi viscera terræ non deficiunt, cùm tot sæculis iugiter consummantur. Flamma siquidem ista terrena, quæ alicuius corporis imminutione nutritur, si non absumit, extinguitur: ardet continuò inter vndas medias montis quantitas indefecta: nec imminuit DE VVLCANI OLLA.
D cautibus reponit, quantum illi vorax ignis ademerit. Nam quemadmodum saxa incolumia permanerent, si semper ignis adunata decoqueret? Potentia siquidem diuina sic de contrariis rebus miraculum facit esse perpetuum, vt palàm consumpta occultissimis instauret augmentis, quæ vult temporibus stare diuturnis. Verùm cùm & alij montes motibus vaporatis exæstuent, nullus simili appellatione censetur æstimandus: quia grauiùs succenditur, qui Vulcani nomine nuncupatur. Mittatur ergo reus capitis in locum prædictum viuus: careat quo vtimur mundo, de quo alterum crudeli fugauit exitio.] hæc Theodoricus, qui in homicidam à se ipso latam expertus est & ipse homicida sententiam.

Quod autem ad diem obitus eius spectat, fuisse comperitur dies secunda Septembris, si credimus ipsi Anastasio[d], qui eum defunctum tradit post dies nonagintaocto ab obitu Io-
E annis Papæ, quem contigisse diximus vigesimaseptima mensis Maij. De annis verò quibus regnauit, corrigendus videtur locus Procopij, in quo anni triginta septem eius regno in Italia tribuuntur, cùm à nece Odoacris non ampliùs quàm trigintatres annos numerari contingat absolutos, triginta verò quatuor inchoatos. Hic præter leges Romanorum Principum, quas seruari voluit, alias leges condidit, quæ extant capitibus centum quinquaginta distinctæ; quas etiam tam Romanis quàm barbaris voluit esse communes: habes eas apud Cassiodorum cusas. Ex eis aliquæ sunt quæ spectant ad Ecclesiasticum cultum, nempe de clericis ab intestato decedentibus, vt quibus legitima successio deest, succederet Ecclesia[e]. Quomodo autem immunitatem ecclesiis conseruatam voluit, cùm ad eas confugerent homines[f]; extat & de his eiusdem Regis epistola apud Cassiodorum[g]. Vetuit & graui pœna, ne defunctorum corpora intra Vrbem sepelirentur[h]: vnde opus fuit, vt more maiorum sepelirentur Fideles in cœmeteriis extra Vrbem positis. Paganos præterea sacrificantes, & alios magijs intendentes, capitali pœna statuit puniendos[i].

[a] *Heb. 9.*
[b] *Greg. dialo. lib. 4. c. 30.*
[c] *Apud Cassiod. lib. 3. epist. 48.*
* solo
[d] *Anast. de Rom. Pont. in Ioanne.*
DIES OBITVS THEODORICI ET ANNI REGNI EIVS.
[e] *Theod. edict. c. 26.*
[f] *Ibid. c. 70. 71. & 125.*
[g] *Cassiod. Var. lib 3. epi. 47.*
[h] *Edict. Theod. c. 111.*
[i] *Ibid. c. 108.*

Quod

THEODORICI CVRA IMPENSA IN PVBLICIS AEDIFICIIS.

Quod autem ad ſolitudinem ipſius erga publica ædificia pertinet, de his quæ ipſe vel A
Romæ noua conſtruxit, vel antiqua reparauit, & quæ reſtituit, deq; Vrbis mœnijs inſtauratis, cuſtodiaque antiquæ Vrbis faciei: eſt de his ipſius epiſtola ad Sabinianum[a], vbi ad finem hæc habet: Quis enim dubitet fabricarum miracula, hac prouiſione ſeruata, & pendenti ſaxo formatas cameras regularum tegmine cuſtoditas? vt antiqui Principes nobis meritò debeant ſuas laudes, quorum fabricis dedimus longiſſimam iuuentutem, vt priſtina nouitate reluceant, quæ iam fuerant vetuſtoſa ſenectute fuſcata.] Extat & de his epiſtola ad Senatum, vbi de formis aquarum læſis eſt querela, & de plumbo & ære ornatus cauſa publicis muris affixis hominum rapacitate ſublatis. ſunt hæc eius verba[b]: Æs præterea non minimum pondus, & quod facillimum direptioni eſt, molliſſimum, plumbum de ornatu mœnium referuntur eſſe ſublata, quæ auctores ſuos ſæculis conſecrarunt, &c.] Hinc aliquando exiſtimatum, apparere hodie in amphitheatro & alijs publicis ædificijs inter petrarum B
iuncturas celte excauata foramina, vt æs vel plumbum ijſdem hærentia auferrentur: metallis namque exornatos fuiſſe in ſtructura lapides, idem indicat alia epiſtola, vbi ait[c]: Vt collapſis metallis obliterata facies reddatur iterum de arte pulcherrima.] Sed de his diuerſæ ſunt ſententiæ diuerſorum. Quantus in his fuerit Theodoricus, in epiſtola quam dedit ad Patricium Symmachum[d], de quo nuper eſt actum, oſtendit, cùm eidem plurimum antè laudato, & erga publica ædificia propenſiore adhibita ab eo cura commendata, iniungit ei theatri Pompeij iam propè vetuſtate collabentis reparationem.

[a] *Apud Caſſiod. Var. lib. 1. epiſt. 25. & lib. 4. epiſt. 30.*
[b] *Apud Caſſiod. Var. li. 3. epiſt. 31.*
[c] *Apud Caſſiod. lib. 3. epiſt. 9.*
[d] *Apud Caſſiod. Var. lib. 4. epiſt. 51.*

At non ea tantùm quæ ſuper terram eſſent viſui patentia ædificia, ſarcienda & reſtauranda curauit, ſed & quæ ſubtus terram eſſent cloacæ publicæ: quas adeò ipſe admiratus eſt, C
cùm de his ſcripſit ad Vrbis Præfectum Argolicum nomine verbis iſtis[e]: Romanæ cloacæ tantum viſentibus conferunt ſtuporem, vt aliarum ciuitatum poſſint miracula ſuperare. Videas illic fluuios quaſi montis concauis clauſos per ingentia ſtagna* decurrere: videas ſtructis nauibus per aquas rapidas cum minima ſolicitudine nauigari, ne præcipitato torrente marina poſſint naufragia ſuſtineri. Hinc Roma ſingularis, quanta in te ſunt, poteſt colligi magnitudo. Quæ enim vrbium audeat tuis culminibus contendere, quando nec ima tua poſſunt ſimilitudinem reperire?] hæc de his ipſe magnopere admiratus. certè quidem tales oportuit eſſe cloacarum ampliſſimos fornices, in quas præter pluuias omnium ferme Thermarum aquæ deriuantes in Tiberim confluebant. Curauit præterea Theodoricus, vt Romana ſuburbana eſſent irrigua. extat de his epiſtola[f] ad Apronianum.

[e] *Apud Caſſiod. lib. 2. epiſt. 30.*
DE ROMANIS CLOACIS.
*ſigna
[f] *Apud Caſſiod. lib. 3. epiſt. 53.*

Sed quæ in Vrbe præſtitit, in alijs quoque exhibuiſſe ciuitatibus, eius ad diuerſos datæ epiſtolæ indicant. Rauennam verò potiſſimùm, vbi degere conſueuit, egregijs ædificijs illuſtrare curaſſe, certum eſt: erexiſſe enim illic forenſem baſilicam, ipſius ad Agapitum[g] D
epiſtola docet. Nobilia quæque ex vetuſtis collapſisque ædificiis ſublata marmora Rauennam transferri, magna licet impenſa, conatum eſſe, ipſius ſcriptorum æquè monumenta teſtantur[h]: ibique voluit in vaſe porphyretico ſepeliri. Qui quidem tum his, tum aliis officijs de Vrbe ipſa & tota Italia bene meritus, inter magni nominis Principes fuerat collocandus, niſi eum Ariana hæreſis infamaſſet, atque extrema crudelitas in probatiſſimorum Senatorum necem debacchata fœdaſſet. Quantæ autem æſtimationis fuerit olim etiam apud Romanum clerum, vel ex eo accipe argumentum, quòd Romanæ Eccleſiæ diaconus Ennodius eum publica oratione laudauit: nam ipſe in eo panegyrico ad eumdem Theodoricum conuerſus ait: Vide diuitias ſæculi tui. Tunc vix fora habuere Præfectos; nunc Eccleſia dirigit laudatorem.] at de his ſatis.

[g] *Apud Caſſiod. lib. 1. epiſt. 6.*
[h] *Apud Caſſiod. lib. 3. epiſt. 9. 10. 19*

Cùm autem Theodoricus Rex abſque prole maſcula deceſſiſſet, Amalaſuntha* filia pro E
Athalarico ſuo filio annum dumtaxat octauum agente regnum adminiſtrandum ſuſcepit, qui natus eſt ipſi ex patre Eutharico cognomento Cillica, cui nupta fuit ſub Conſulatu Florentij & Anthemij, anno Domini quingenteſimo decimoquinto, vt Caſſiodorus in Chronico tradit. Porrò de ipſa matre magni ingenij femina iſta habet Procopius[i]: Amalaſuntha itaque, filij procuratione ſuſcepta, regnum adminiſtrabat; prudentia & æquitate mirifica pollens, viridem præſeferebat naturam: quippe quamdiu hæc Imperio præfuit, Romanorum neminem vel corporis pæna affecit, vel rerum iactura; quinetiam nec Gothos ipſos, etſi laceſſendi Romanos percupidos, his quoquo pacto iniuriam permittebat infere: quin potius Symmachi & Boetij liberis paterna bona reſtituit. Animo præterea deſtinarat, Romanorum ex inſtitutis ac Principum more vitam de cetero vt filius duceret; iamque ad litterarum ludum, hunc, vt ventitaret coegerat, tribus Gothorum è ſenioribus lectis,

* Amalaſuentha ATHALARICVS REX ITALIAE.
[i] *Procop. de bello Goth. lib. 1.*
EDVCATIO ATHALARICI PVERI.

qui

A qui sapientia ceteris & humanitate præstarent, iussisque Athalarico continenter assistere, & vnà victitare.

Sed Gothis hæc minùs placere*, vt qui subiectis inferre iniuriam cuperent, & per Athalaricum mallent more barbarico regi. Vnde cùm mater semel delinquentem in cubiculo puerum, frenandi castigandique gratia, manu (vt assolet) percussisset: Gothi ad se venientem & lacrymabundum hunc conspicati, rem quidem permolestè tulerunt; & Amalasuntham licentiùs conuiciati, identidem affirmabant, peruelle hunc puerum, quamprimum perditum iri, vt mox ipsa alteri viro nubat, cum eoque Gothis & Italis simul imperitet. Conuentu itaque facto, & in vnum contractis qui pollerent facundia viris, aditaque Amalasuntha, acriùs querebantur, nec rectè sibi Regem, nec decentiùs erudiri: siquidem litteras & seniorum instructiones longo interuallo à fortitudine & magnanimitate abesse; ex hisque B illum effeminari potiùs, & ad timiditatem traduci. Sed necessarium fore, qui res maximas sit audacter & strenuè aggressurus, ex hisque gloriam habiturus non mediocrem, præceptoris vt sit formidine liber, & armis vt studeat. Illudque sedulò dicere, neque Theodoricum ipsum, Gothorum liberos ad ludimagistros mittendos, quoquo pacto percensuisse; idque frequentiùs vsurpasse, haudquaquam eos, quos ferulæ timor iam inuasisset, gladios ac lanceas parui facturos. Vnde par fore ducebant, Amalasuntham vt minimè præteriret, Theodoricum patrem, qui tantarum Rex sit vrbium factus, & regnum susceperit, nulla ex parte contigisse litteras ipsas, nec auditu quidem vspiam percepisse. Quocirca, Regina, inquiunt, pædagogos istos missos nunc facito; & Athalarico, qui secum viuant, coæuos dato, vt ætate vnà & gloria prouehantur, proque lege barbarica ad virtutem & virilitatem impellant.

His auditis, Amalasuntha, etsi minùs quæ dicerentur, probaret; verita tamen barba- C rorum insidias, præ se quidem lætitiam ferre, & voluptati sibi fuisse quæ hi detulissent, dissimulare: sed demum quæcumque à se barbari exegissent, permisit pro eorum arbitrio fieri. Senioribus itaque Athalaricum deferentibus, pueri quidam ad hunc conuenerunt, vitæ comites in posterum affuturi haud dum puberes, nec multum Rege natu maiores.] hactenus de educatione Gothi Regis pueri Procopius: sed quàm potiora fuerint Amalasunthæ consilia, exitus declarauit, nosque suis locis pro temporis ratione dicemus.

Athalaricus igitur, siue potiùs qui pro ipso regnum administrabat, ad stabiliendum quod hereditarium dominium fuerat consecutus, vbi quem elegerat Theodoricus auus in sede Pontificia, accedente omnium consensu, tandem confirmatum vidit, ad continendum in firma fide Senatum populumque Romanum, ab eisdem fidelitatis (quod di- D citur) iuramentum exegit. Extant de his ipsius Athalarici Regis litteræ[a] ad Senatum, aliæ itidem ad populum datæ, & ad alios Romanos[b] per Italiam Dalmatiamque dispersos; quod & à Gothis præstitum tradit. Porrò eosdem iurasse Theodorico ipsi adhuc superstiti, eiusdem litteræ significant, quas hoc anno statim post obitum aui in Regem electus dedit ad Gothos, quæ sic se habent[c]:

Vniuersis Gothis per Italiam constitutis Athalaricus Rex.

Voluissemus quidem domni aui nostri longæuæ vitæ gaudia nunciare. Sed quoniam diligentibus dura conditione subtractus est; nos heredes regni sui, Deo sibi imperante, substituit, vt successione sanguinis sui beneficia vobis à se collata faceret esse perpetua: dum nos illa & augere & tueri cupimus, quæ ab illo facta esse cognoscimus. Cuius ordinationi, adhuc eo superstite, in regia ciuitate ita sacramenti interpositione cunctorum vota sociata sunt, vt E vnum crederes promittere, quod generalitas videbatur optare.

Hoc vos sequentes exemplum, pari deuotione peragite, ne quid à præsentibus minus feciisse videamini, à quibus creditur totum similiter posse compleri. Illum verò Comitem vobis fecimus iurata voce promittere vt sicut nobis vestrum animum deuotissimè proditis, sic optata de nostris sensibus audiatis. Recipite itaque prosperum vobis semper nomen, Amalorum regalem prosapiam, Baltheum germen, infantiam purpuratam: per quos, Deo iuuante, parentes nostri decenter euecti sunt, & inter tam prolixum ordinem Regum susceperunt semper augmenta. Credimus enim de Diuinitate propitia, quæ maiores nostros dignanter adiuuit, nunc quoque gratiam suæ dignationis impendere, vt & nobis regnantibus bonarum rerum fructus dulcissimos afferatis, qui sub nostris parentibus copiosa virtutum laude floruistis.] hucusque epistola Athalarici ad suos Gothos. Sic vides eiusmodi iuramentum fuisse reciprocum, nempe vt iurarent Regi subditi fidelitatem; ipse verò subditis

* placuere

GOTHI TVMVLTVANTVR CONTRA AMALASVNTHAM.

AMALASVNTHA GOTHIS ACQVIESCIT.

[a] *Apud Cassi. Var. lib. 8. epist. 2. 3.*

[b] *Apud Cassi. lib 8. epist. 4.*

[c] *Apud Cassi. lib. 8. epist. 5.*

ATHALARICVS REX SVOS GOTHOS ADMONET.

ditis iuraret, omne se eis exhibiturum studium & patrocinium: quod etiam in litteris[a] ad Iustinianum Imperatorem significat. A

[a] *Apud Cassiod. lib. 8. epist. 1.*

Sed & Episcopos monuit, quorum orationibus suum stabiliri regnum, datis ad eos litteris, exoptauit. extat ad Victorinum eo argumento scripta breuis epistola verbis istis[b]:

[b] *Apud Cassiod lib. 8. epist. 8.*

ATHALARICI EPIST. AD VICTORIN. EPISC.

Victorino venerabili Episcopo Athalaricus Rex.

De fide atque constantia tales sunt commonendæ personæ, quæ desiderijs humanis diuersa sorte quatiuntur. Vos autem, quos sapientia firmos efficit, & mens religiosa consolidat, ad prouincialium potiùs conuenit adunationem animari: quia iustè debitor fiet alieni arbitrij, qui à pluribus meretur audiri. Quapropter salutantes veneratione qua dignum est, quod vobis quidē mærorem possit inducere, transitum gloriosæ memoriæ domni aui nostri cum dolore maximo nunciamus: Sed inde potest tristitia vestra temperari, quia nos in sede regni sui, Diuinitate propitia, collocauit: vt in totum desiderio vestro non videatur ereptus, qui vobis consurgit in successione reparatus. Fauete nunc orationibus sacris nostris libenter auspicijs, vt Rex cælestis humana nobis regna confirmet, gentes externas atterat, peccata absoluat; consolidet & conseruet propitius, quod parentibus nostris dignatus est præstare glorioſus. Quapropter sanctitas vestra prouinciales cunctos admoneat, vt inter se concordiam habentes, regno nostro per omnia debeant esse purissimi. Cupimus enim in subiectis fidem reperiri, quam larga possimus pietate munerari.] hactenus ad Victorinum Episcopum, qui cuiusnam Ecclesiæ Antistes fuerit, ignoratur. B

At non Italiæ tantùm regnum firmari sibi rectéque disponi Athalaricus per suos studuit; sed quæ possidebat in Gallijs æquè reddi sibi tuta per Liberium Patricium procurauit: extat[c] ad eum data epistola, qua ipsum admonuit, vt Gallos, petito ab eis iuramento, contineret in fide. Sed ad ipsos etiam Gallos pariter eodem argumento epistolam dedit[d]. Quod verò ad Liberium Patricium spectat, eumdem hunc cum illo esse existimo, qui postea erexit in Campania monasterium, cui præfecit S. Seruandum Abbatem, cuius est mentio apud S. Gregorium in dialogis[e]. Extant & ad eumdem plures Ennodij epistolæ, & inter alias illa, qua eius probitas plurimum commendatur; cuius est exordium: Datum est mihi cælestis, &c.] C

[c] *Apud Cassi. lib. 8. epist. 6.*

[d] *Idem lib. 8. epist. 7.*

[e] *Gregor. dialog. lib. 2. c. 35.*

Quod autem attinet ad ea quæ in Gallia antea possederat Theodoricus: ipso mortuo, ita transactum est inter Athalaricum atque Alaricum Gothorum Reges, vt Athalaricus possideret quæ cis Rodanum essent loca, ille autem quæ trans Rodanum ciuitates extarent: quod Procopius tradit[f]. Alaricus autem & prouincias recepit, quas in Hispanijs Theodoricus tamquam tutor & moderator administrandas acceperat. Hoc namque anno ceptum esse numerari ab Isidoro regnum Alarici in Hispania, satis patet, dum numerat ab Æra quingentesima sexagesimaquarta, qui est hic ipse annus. Sed vbi ponitur annus Iustini decimus quartus, manifestus deprehenditur error, vt loco XIIII. ita sit restituendum, VIIII. quo notatur præsens annus, cùm absoluitur octauus & incipit nonus Iustini Imperatoris. Ad stabilimentum autem regni ipsius Athalarici illud addebatur, quòd in Gallijs tum Burgundiones, tum Thuringios habuit fœderatos. D

[f] *Procop. de bello Goth. lib. 1.*

Verùm cùm res omnes vbique Gothis pacatæ essent, nihilque mutatio ista attulisset noxitatis: Francorum Reges filij Clodouei perturbare aggressi sunt Gothorum socios Thuringios atque Burgundiones. Turingiorum autem Rex Hermenefredus[g] neptem Theodorici Gothorum Regis defuncti acceperat in coniugē nomine Amalabergam, quam Amalbergam nominant. extat de his epistola[g] Theodorici. De bello verò Francorum aduersus eum opportuniùs dicturi sumus anno sequenti. Cum Alarico autem Rege in Hispania & Gallia regnante Franci aliquamdiu pacem habuere, eò quòd fœdere nuptiarum pax inter eos firmior stricta est, dum Childebertus Clodouei filius Francorum Rex eidem Regi Alarico matrimonio iunxit sororem suam Crotildem. Quomodo verò occasione eiusdem Crotildis partum est bellum inter Francos & Gothos, dicemus inferius suo loco: hic modò agendum est de rebus gestis inter Burgundiones, & Francos. E

[g] Herminofridus, *vel* Hermenfredus.

[g] *Apud Cassi. Var. l. 4. epi. 1.*

[h] *Procop. de bel. Goth. li. 1*

[i] *Greg. Turon. de gest. Franc. lib. 3. c. 6.*

[k] *Sigebert. in Christ. anno 515.*

[l] *Gregor. de gest. Franc. lib. 3 c. 5.*

Post obitum Theodorici Italiæ Regis, Burgundiones, quos Germanos vocat, subactos à Francis, Procopius auctor est[h]: id ipsum affirmat Gregorius Turonensis[i]. Ex quibus redarguas recentiorem chronographum[k], qui necem Sigismundi Burgundionum Regis recenset anno Domini quingentesimo decimo quinto. Regebant Burgundiones hoc tempore Sigismundus & Godomarus fratres aduersus quos bellum gessit Clodomerus filius Clodouei. Sed quæ his præmittat de Sigismundo filium necante Gregorius[l], audiamus:

Mortuo

A Mortuo (inquit) Gundebaldo, regnum eius Sigismundus filius obtinuit, monasteriumque Agaunense solerti cura cum domibus basilicisq; ædificauit. Qui perdita priori coniuge filia Theodorici Regis Italici, de qua filium habebat nomine Sigericum, aliam duxit vxorē, quæ validè contra filium eius (sicut nouercarum mos est) malignari & scandalizari cœpit. Vnde factum est, vt vna solemnitatum die, cùm puer super eam vestimenta matris agnosceret, commotus felle diceret ad eam: Non enim eras digna vt hęc indumenta tua terga contingerent, quæ dominæ tuæ, id est matris meæ fuisse noscuntur. At illa furore succensa, instigat verbis dolosis virum suum, dicens: Hic iniquus regnum tuum possidere desiderat; teque interfecto, id vsque Italiam dilatare disponit: scilicet vt regnum, quod auus eius Theodoricus Italiæ tenuit, & iste possideat. Scit enim, quòd te viuente, hæc non potest adimplere; & nisi tu cadas, ille non surget.

B His & huiusce modi ille incitatus verbis, vxoris iniquæ consilio vtens, iniquus extitit parricida: nam sopitum vino dormire post meridiē filium iubet: cui dormienti lorum sub collo positum ac sub mento ligatum trahentibus ad se inuicē duobus pueris, suffocatus est. Quo facto pater serò iā pœnitens, super cadauer exanime ruēs, flere cœpit amarissimè. Ad quem senex quidam sic dixisse fertur: Te, inquit, plange amodo, qui per consilium nequam factus es parricida sęuissimus: nam hunc, qui innocens strangulatus * est, necessarium non est plangi. Nihilominus ille ad sanctos Agaunenses abiens, per multos dies in fletu & ieiunijs durans, veniam precabatur, psallentium *(hoc est, psalmodiam)* ibi assiduum instituens, Lugduno * regressus est, vltione diuina de vestigio eum prosequente. Huius filiam Rex Theodoricus *filius Clodouei* accepit.] hęc Gregorius, & alij recentiores prosecuti res Francorum. eadem habet idem Gregorius [a] in libro quem scripsit de Gloria martyrum; additq; eumdem

C Sigismundum pœnitentem ab ijsdem sanctis martyribus Agaunensibus enixis precibus expetijsse, vt in hoc sæculo potiùs quàm in futuro pœnam daret pro admisso immani facinore. Quomodo autem exauditus sit, ita narrat [b]: nimirum Godomarum & Sigismundum Burgundiæ Reges eosdemque germanos à Clodomero victos atque fugatos, captum verò fuisse Sigismundum, dum ad saltus Agaunenses fugere nisus est, vnà cum filijs & vxore. Ne autem occideretur ab eo, intercessisse pro ipso sanctum Auitum Abbatem Nutiacensem egregiæ sanctitatis virum, sed nihil profecisse, idem Gregorius subdit his verbis:

Discedentibus his Regibus, Godomarus resumptis viribus, Burgundiones colligit, regnumq; recipit: cōtra quem Clodomerus iterum ire disponens, Sigismundum interficere destinauit, cui à beato Auito Abbate Nutiacensi magno tunc temporis sacerdote dictum

D est: Si, inquit, respiciens Deum, emendaueris consilium tuum, vt hos homines interfici non patiaris, erit Deus tecum, & abiens victoriam obtinebis: si verò eos occideris, tu ipse in manus inimicorum traditus, simili sorte peribis, fietq. tibi, vxoriq. & filijs tuis, quod feceris Sigismundo & coniugi ac liberis eius. Sed ille auscultare despiciens consilium eius, ait: Stultum enim consilium esse puto, vt inimicis domi relictis, contra reliquos eam; eisq; à tergo, hoc à fronte surgente, inter duos hostium cuneos ruam: satiùs enim & faciliùs victoria patrabitur, si vnus ab alio separetur: quo interfecto, facilè & alius morti poterit destinari. Statimque interfecto Sigismundo cum vxore & filijs apud Columnam Aurelianensis vrbis vicum, in puteum iactari præcipiens.] hæc de Regis nece ibi Gregorius; qui alibi tradit [c], Sigismundi corpus è puteo sublatum ad Agaunense ab ipso erectum cœnobium fuisse delatum, ibique miraculis claruisse. ait enim:

Postea verò captus *Sigismundus* ab Clodomero Rege cum filijs, interfectusq. eius iussu,

E ad eumdem locum, *nempe Agaunum*, delatus, sepulturæ mandatus est. Quem in consortium Sanctorum ascitum, ipsa res quæ geritur, manifestat. Nam si qui nunc frigoritici, qui & quartanarij dici solent, in eius honore Missas deuotè celebrent, eiusq. pro requie Deo offerant oblationem; statim compressis tremoribus, restinctis febribus, sanitati pristinę restaurantur.] hæc Gregorius. Accidit autem, vt miraculorum frequentia ad Sigismundi sepulchrum iugiter demonstrata, tamquam Deo eius sanctitatem testante, idem in Ecclesiasticis tabulis receptus fuerit anniuersaria vbique memoria celebrandus Kalendis Maij. Quo quidem exemplo demonstratum est, quàm Deo grata & accepta sit post quodlibet immensum patratum facinus pœnitentia; quamque præstet hîc à Deo pœnam accipere delictorum, quàm in futuro sæculo condemnari. Sed & quanto suo damno non audiant Principes seruos Dei monitores, Clodomerus suo exemplo alijs demonstrauit; quod idem qui suprà Gregorius ita narrat [d]:

SIGISMVNDVS REX FILIVM NECAT.

* iugulatus est

* Agauno

SIGISMVNDI POENITENTIA.

[a] *Gregor. de Glor. mart. c. 71.*

[b] *Gregor. de Gest. Franc. lib. 3. c. 6.*

DE PRAEDICTIONE AVITI ABBATIS.

[c] *Gregor. de Glor. mart. c. 75.*

SIGISMVNDVS REX OCCIDITVR CVM SVIS.

[d] *Gregor. de Gest. Franc. lib. 3. c. 6.*

Clodomerus Burgundias petijt, vocans in suppetias Theodoricum Regem: ille autem A
iniuriam soceri sui *Sigismundi* vindicare volens, ire promisit. Cumq; apud Visorontiam locum vrbis Viennensis coniuncti fuissent, cum Godomaro *Rege Burgundionum* confligunt.
CLODOMERVS OCCIDITVR. Cumque Godomarus cum exercitu terga vertisset, & Clodomerus insequeretur, ac à suis non modico spatio elongatus esset: adsimilantes illi signum eius, dant ad eum voces dicentes: Huc, huc conuertere; tui enim sumus. At ille credens abijt, irruitque in medium inimicorum suorum. Cuius amputatum caput & conto defixum eleuant in sublime: quod Franci cernentes, atque cognoscentes Clodomerum interfectũ, reparatis viribus Godomarum fugant, Burgundiones opprimunt, patriamque in suam redigunt potestatem.] hæc Gregorius; quæ hoc anno cœpta, sequenti vel alio absoluta putantur. Agathias [a] res Francorum prosecutus, aliqua à Latinis diuersa recenset.

[a] *Agat. hist. lib. 1.*

DE RELIQVIIS AB INCENDIO SVBTRACTIS. Quæ autem post necem Clodomeri contigerunt memoria digna in eodem bello Fran- B
corum aduersus Burgundiones, Gregorius gloriam prosecutus martyrum ex miraculis per ipsorum reliquias comparatis, cùm agit de sancto Andrea Apostolo, ista addit[b]: Tempore quo interfecto Clodomero Rege Francorum, se exercitus reparans, Burgundiam deuastabat: in quadam basilica reliquiæ iam dicti Apostoli cum Saturnini martyris tenebantur. Accensaque basilica, cùm iam tignorum moles dirueret, pauperes ac senes, quos barbaries reliquerat, flebant, dicentes: Væ nobis, qui tantorum pignorum hodie caremus auxilio: nec nobis vltrà spes præsentis vitæ manebit, si hæc deperierint. His ita flentibus, nutu Dei aduenies Turonicus homo condolens his lamentis, & discens virtutem martyrum, non minùs fide quàm parma protectus per medias ingreditur flammas; apprehensasque ab altari sanctas reliquias, nihil ab igne nocitus, extulit foras; sed continuò ita constrictus est, vt egressum in antea agere non valeret. Tunc indignum se iudicans, C
qui ea ferret, vnam puellam paruulam impollutamque elegit è præda, cui capsulam ad collum posuit, & sic in patriam prosperè accessit.] hæc Gregorius de suo Turonensi magna erga Deum fide pollente. Sed & qua occasione in honorem earumdem reliquiarum est erecta basilica, ita declarat:

[b] *Gregor. de Glor. mart. c. 31.*

BASILICA AEDIFICATA RELIQVIIS. Tunc collocatis in altari Nouiuicensis ecclesiæ dictis reliquijs, vbi nulla adhuc Sanctorum pignora habebantur, annis singulis deuotissimè eorum solemnia celebrabat. Cuius filius cùm hæc post patris obitum non impleret, *quod à patre scilicet iussum esset, vt ibi basilicam erigeret*, febre quartana per annum integrum laborauit. Vouit vt nouam basilicam in eorum honorem construeret. Quo facto, amota febre, sanatus est.] hæc Gregorius de rebus patrijs: subijcit his alia; verùm hæc satis sunto.

DE AVITO ABBATE. At redeamus ad Auitum Abbatem: quem cùm non audierit Clodomerus, sua victoria D
perijt, dum insequens fugientes hostes occiditur. meminit eiusdem idem Gregorius [c] in commentario de gloria confessorum conscripto, aitque post obitum miraculis clarum anniuersaria celebritate in Ecclesia cultum, sepultumque fuisse apud Aurelianensem vrbem. Sed inuisamus iam res Orientis.

[c] *Greg. Turo. de Gloria cõfess. c. 99.*

EPHRAEM COMES ORIENTIS ELIGITVR EPISCOP. Hoc anno Ecclesia Antiochena iam (vt vidimus) anno superiori destituta pastore, mærens ob ingentem acceptam ex terræmotu cladem, noui Episcopi electione respirat. Qui enim ad leuamen tantarum miseriarum illuc accesserat insignis pietate Ephræm Comes Orientis, Imperatoris voluntate eidem præficitur ciuitati Episcopus: cui aptè Propheticum illud dictum [d] ab Antiochenis occinitur: Ruina hæc sub manu tua.] Agit de eius electione Euagrius [e], qui eum plurimum commendat. At quomodo eius electio, vt diuinitus inspirata, prædicta fuerit, & quæ antequam in Episcopum assumeretur, fieri contigerunt, audi E
Sophronium, qui hæc ait [f]: Quidam Patrum enarrauit nobis de quodam Episcopo, quod relicto Episcopatu suo, profectus est ad sanctam ciuitatem, *Antiochiam scilicet, quòd (vt dicemus) Theopolis Dei ciuitas fuisset diuinitus appellata*, ibique sumpto operarij habitu, ministrauerit architectis. Eo verò tempore vir clemens & misericordiæ operibus deditus Ephræm Comes Orientis erat, ac per ipsum ædificia publica reparabantur: ciuitas enim terræmotu ceciderat.

[d] *Isai. 3.*
[e] *Euag. lib. 4. c. 5.*
[f] *Sophr. Prat. Spirit. c. 37.*

VISIO OSTENSA EPHRAEM DE EPISC. OPERARIO. Die autem quadam vidit per visionem Ephræm dormientem Episcopum, columnamq; ignis super eum ad cælum vsque pertingentem. Hoc autem cùm non semel, nec bis, sed sæpiùs cerneret, obstupuit Ephræm (erat quippe visio illa terribilis & plena stuporis) cogitabatque apud semetipsum, quidnam hoc esset; neque agnoscebat quis esset ille mercenarius, videns illum coma neglecta, veste sordida, vili & abiecto habitu, & nimia exercitatione &

A ne & continentia, iugiſque laboris fatigatione afflictum & ſqualidum toto corporis cultu. Accerſitum autem operarium ciuſmodi Ephræm percontabatur, quiſnam eſſet: cœpitque ſeorſum agere cum illo, quo vocaretur nomine, & cuius ciuitatis eſſet oriundus. Qui ait ad illum: Ego vnus pauperum iſtius ciuitatis ſum: cumque non habeam vnde me ipſum ſuſtentare valeam, cogor vt poſſum, & Deus de laboribus meis paſcit me. Motus ergo diuinitus Ephræm, reſpondit illi, & ait: Crede mihi, non te dimittam, donec mihi de te omnia veraciter proſecutus fueris.

DETEGITVR CAEMENTARIVS EPISCOPVS.

Cùm verò ita conſtringeretur, neque ſe vlteriùs poſſet abſcondere, dixit illi: Pollicere mihi, quia quamdiu fuero in vita hac, nemini dices quæ circa me ſunt: & ego, ſuppreſſo tantùm nomine, vera tibi de me annunciabo. Iurauitque illi Comes, nulli ſe ea dicturũ, quamdiu eſſet in vita. Tunc ait illi: Ego Epiſcopus ſum, & propter Deum dimiſi Epiſcopatum,
B & veni huc quaſi ad ignotum locum: affligens autem carnem meam & operans, ex labore meo modicum panis mihi acquiro. Tu verò quantum potes, adijce ad eleemoſynam: his enim diebus Deus promouebit te ad Apoſtolicum thronum huius ciuitatis, vt paſcas populum ſuum, quem acquiſiuit per proprium ſanguinem Chriſtus verus Deus noſter. Vt igitur dixi, eleemoſynis inſiſte, & pro recta fide iugiter ſta & decerta: talibus enim ſacrificijs maximè delectatur Deus. Iſta, vt prædixerat, contigerunt. Sanctuſque Ephræm, his auditis, glorificauit Deum, dicens: Quantos habet occultos famulos & ſoli ſibi cognitos Deus!] hæc auctor.

Creatus Epiſcopus Ephræm, quàm diligentiſſimè præſtitit quod monuerat ſanctus Epiſcopus, ex vtroque munere ſummam ſibi comparans claritudinem, ex eleemoſynis videlicet & Catholicæ fidei defenſione: vtroque enim cibo indigebant creditæ ipſi oues, quod
C ob terræmotus (vt vidimus) iacturam paſſi eſſent ſuorum bonorum quæ in ciuitate repoſuiſſent; & ob fidem Orthodoxam à prædeceſſoribus hæreticis Epiſcopis depraua tam, qui pura ſinceraque fide eoſdem paſceret magnopere opus erat. Quantum autem ſolicitus fuerit pro reſtituenda firmandaque fide Catholica in Oriente labefactata & euerſa, magno illo & ſumma admiratione digno declarauit exemplo: cùm videlicet ſciens apud Hierapolim Seuerianum hæreticum æmulum gloriæ magni illius Simeonis Stylitæ columnam conſcendiſſe, illicque vitam ducere admirabilem, & ex ea quaſi ex pulpito docere hæreſes; illuc protinus conuolauit, vt tanto malo feſtinus occurreret. Quæ autem inter ipſum & Seuerianum Stylitem tranſacta ſint, accipe ex his quæ apud Sophronium ſcripta leguntur his verbis[a]:

[a] *Sophr. Prat. Spirit. c. 36.*

Narrauit nobis quidam Patrum de ſancto Ephræm Antiocheno Patriarcha, quòd val-
D de zelans fuit & feruens circa fidem. Cùm enim audiſſet de Stylite illo qui erat in partibus Hierapolis, quòd Seuerianæ eſſet hæreſeos, abijt ad illum, vt impietatem amoueret ab eo. Cœpit ergo ſanctus Ephræm corripere Stylitem, & orare vt accederet ad ſanctum Apoſtolicum thronum, & communicaret ſanctæ & Apoſtolicæ Eccleſiæ. Reſpondens verò Stylites ait: Ego Synodo prorſus non communico, *Chalcedonenſi videlicet*. Dicit ad eum ſanctus Ephræm: Et quomodo vis vt curem te, & ſatisfaciam pro gratia Domini noſtri Ieſu Chriſti? Sancta Eccleſia libera eſt ab omni ſorde prauitatis hæreticæ. Dicit ad eum Stylites: Accendamus ignem, domine Patriarcha, & ingrediamur ſimul: & quem flamma non læſerit, ille Orthodoxus erit, illum ſequi debemus. Hoc autem dixit, vt terreret Patriarcham. Reſpondit ſanctus Ephræm Stylitæ: Oportebat quidem te, fili mi, tamquam patri obtemperare, nihilque à nobis ampliùs quærere. Quoniam verò rem poſtulaſti excedenE tem quidem vites infelicitatis meæ: confido tamen in miſerationibus Filij Dei, quia tuæ ſalutis cauſa & hoc faciam. Tunc ait ſanctus Ephræm aſtantibus omnibus: Benedictus Dominus, afferte huc ligna.

INGENS MIRACVLVM EPHRAEM EPISC. ANTIOCH.

Cùm verò allata fuiſſent ligna, ſuccendit illa Patriarcha ante columnam, dicitque Stylitæ: Deſcende nunc, & iuxta decretum tuum ingrediamur ambo. Stupefactus ille ad Patriarchæ conſtantiam, deſcendere noluit. Tunc dixit ad eum Patriarcha: Nónne tu hoc fieri petijſti? & quomodo id nunc facere non vis? Tunc exuens ſe qua indutus erat ſtola Patriarchali, cùm acceſſiſſet prope ignem, orauit dicens: Domine Ieſu Chriſte Deus noſter, qui propter nos dignatus es de ſancta Domina noſtra Dei genitrice ſemperque Virgine Maria incarnari & naſci, oſtende nobis veritatem. Et completa oratione, iactauit ſtolam ſuam in medijs ignibus. Cùm autem ignis quaſi per tres horas duraſſet, lignaque iam igne conſumpta eſſent, tulerunt inde ſtolam integram, ita vt nulla ignis indicia in ea deprehẽdi poſſent. Tunc

PROBATA PER IGNEM CATHOLICA FIDES.

Stylites videns quod factum fuerat, certior de veritate factus, anathematizauit Seuerum & A
eius hæresin; accedensque ad sanctam Catholicam Ecclesiam, de manibus sancti Episcopi communicauit & glorificauit Deum.] hucusque apud Sophronium.

CAVSA PRAECEDENS TANTI MIRACVLI.

Rem tantam plenus Deo sacerdos magna fiducia, fide potens, nihil dubitans est aggressus, quòd necessitas id exigere videretur, cùm ob susceptum ab hæretico illo sublime vitæ genus ad perfidiam multitudo populi pellici facilè posset, ignarum præsertim vulgus, dum non ex sacris litteris, quas ignorat, sed ex vitæ exemplo definire soleat Catholica dogmata. Ne igitur eius vita nocere simplicibus posset, magno miraculo magnum illud mirandumque ob oculos omnium propositum vitæ sublimis exemplum fuerat superandum: & quod tamquam idolum exaltatum videbatur adorandum, ostensione summæ Dei potentiæ fuerat prosternendum. Sustulit igitur magnus Patriarcha Ephræm Excelsa, quò confluebat populus ad immolandum; ostendens planè illum verè colendum B
3. Reg. 18. esse Deum in Israël, qui secundùm Eliæ Prophetæ sententiam, exaudire rogantem per ignem ostensus esset; illamque esse verè Catholicam fidem, non quam sectaretur spurius Philisthæus, qui ex sublimis columnæ suppedaneo tanta sibi proceritate comparata, insultans agminibus Dei viuentis, ad singulare certamen summa iactantia Orthodoxum Pontificem prouocarat: sed victus, ductus est in triumphum magna sua vtilitate captiuus, cùm solutus illis est, quibus fuerat impietatis arctioribus nodis adstrictus. Tales namque esse solent Ecclesiæ victoriæ diuinitus concessæ, vt cum vincente victus quoque triumphet. At de his satis.

IESV CHRISTI ANNVS 527. FELICIS PAP. ANNVS 2. IVSTINIANI IMP. 1. ATHALARICI REG. 2. C

IVSTINIANVS IMP. CREATVR.

QVingentesimus vigesimus septimus Christi annus Mauortij absque collega Consulatu in Fastis notatur: quo Iustinus morbo senioque grauatus Iustinianum delegit Imperij successorem. Qui enim summa æquitate atque religione Imperium ad nonum vsque annum administrarat, consulens futuris Reipublicæ commodis, de eligendo legitimo successore in Senatu egit: vbi rogatis singulorum sententijs, Senatores quem scirent esse in animo ipsius Imperatoris, cuique iam antea credidisset moderandas Imperij habenas, qui & esset illi ex sorore nepos, eumdem ex Cæsare dicunt Augustum ipsis Kal. Aprilis. De anno Marcellinus Comes huius temporis scriptor fidem facit, vbi sub eodē huius anni Consulatu Mauortij hæc ait: Anno regiæ vrbis conditæ centesimo nonagesimoseptimo Iustinus Imperator ex sorore sua nepotem, iamdudum à se Nobilissimum, *nempe Cæsarem*, desD
IVSTINI OBITVS. gnatum, regni quoque sui successorem designauit Kal. Aprilis: ipse verò quarto ab hoc mense è vita discessit, annis imperatis nouem, & mensibus duobus.] hæc Marcellinus, consentientia in omnibus quæ ab eodem Iustiniano Imperatore scribuntur in edita à se constitutione Kal. Septembris anno vndecimo sui Imperij, post Cōsulatum Belisarij anno secundo, qui est annus Domini quingentesimus trigesimusseptimus. Cùm enim ab eo ille annus ab ipsis Kal. Aprilis numerari incipit vndecimus sui Imperij; planè ab hoc anno numerare
b Cōstit. Nouel. 47. & Auth. Coll. 5. tit. 2. cœpisse, dicere necesse est. Sed quò de his certior reddaris, audi verba ipsius*b*: Inchoetur (inquit) mox, auctore Deo, à præcedente prima indictione, ita quodammodo de eis scribentibus: Imperij Iustiniani sacratissimi Augusti anno vndecimo, & post Consulatum BeE
** vel* nono Kal. Iunij lisarij clarissimi viri anno secundo, die ante tot* & tot Kalendas. Sicque in omnibus nominentur Imperij anni & nostri.] & paulo pòst: Palàm namque est, quia nunc quidem annum vndecimum nostri scribunt Imperij: inchoante verò Aprili mense, *nempe sequentis anni*, & prima die, in qua nos Deus Romanorum superposuit rebus, duodecimum annum scribent.] hæc ipse in dicta constitutione data (vt dictum est) anno vndecimo sui Imperij, mense Septembri, post Consulatum Belisarij anno secundo: vt de his nulla penitus dubitatio oriri possit: testante etiam id sæpe Procopio, dum singulos annos Gothici belli numerat. In quam sententiam ceteri sine controuersia abeunt, vno excepto Alciato, qui etsi doctrina præstans, hic tamen (nisi sit mendum in numero) visus est errore lapsus, dum post an*c Alciat. parer. lib. 6. c. 14.* nos duos, nempe Domini quingentesimo vndetrigesimo, creationem Iustiniani contigisse tradit*c*. Hæc de tempore satis.

Quæ

A Quæ verò præcesserint, antequam ab auunculo Imperator decerneretur, à Zonara ita accipe[a]: Cùm autem (inquit) Principes Senatus aliquando Imperatorem orarent, vt Iustinianum collegam ascisceret: purpura prehensa, Vobis, inquit, optandum est, ne hanc iunior aliquis induat. At tum quidem preces eorum sic excluſit. Ipsi verò, paruo tempore interiecto, Nobilissimi titulum Iustiniano decreuerunt, & ab Imperatore impetrarunt, vt id decretum suis litteris comprobaret. Nec multo pòst in malam valetudinem incidit ex vlcere cruris: morboque in spe vitæ dubia inualescente, Patriarcha Epiphanio & primoribus aduocatis, Iustinianum neporem Imperatorem decernit, & suis manibus eius capiti diadema imponit. Cumq; populus in equestre theatrum conuenisset, Iustinianus coronatus ingreditur, & ab omnibus faustis acclamationibus acceptus in Regiam reuertitur, annos quadragintaquinque natus eo tempore. Statim autem eius vxor Theodora est Augusta appellata.

[a] *Zonar. Annal. tom. 3.*

QVIS IVSTINIANVS CVM CREATVS EST IMP.

B Nec multum pòst Iustinus è viuis esse desijt, cùm annos nouem & dies viginti regnasset.] hucusque Zonaras. His addit in Annalibus Cedrenus, ipsum, simulac Imperator creatus est, cuncta bona sua, quæ hactenus possedisset, ecclesijs donasse sanctorum Apostolorum, necnon sanctorum martyrum Sergij & Bacchi, quos colebat.

De eiusmodi Iustiniani Imperatoris in Imperium prouectione extat numisma cusum, in quo ambo Imperatores expressi habentur, ijdemque diademate insigniti, & cum inscriptione trium Augustorum; per quos designari Iustinum, Iustinianum, atque etiam Theodoram, certum est.

C





Simulac autem Iustinianus creatus est Imperator, Agapetus diaconus ad eumdem paræneticam scripsit epistolam, qua eum admonet, quomodo se gerere deberet in administratione Imperij: quod quidem dignum monumentum paucos ante annos è latebris erutum & è blattis & carie vindicatum, in lucemque Lugduni editum, hìc tibi tamquam in
D arca publica perspicua omnibus, ne iterum pereat obliuione sepultum, collocandum putauimus. Quisnam autem fuerit Agapetus iste diaconus, in fine ipsius epistolæ differemus: eius verò titulus sic se habet:

EXPOSITIO CAPITVM ADMONITORIORVM,

edita ex tempore ab Agapeto diacono sanctissimæ Dei magnæ Ecclesiæ.

Quorum apex litterarius sic se habet:

Diuo & pientissimo Imperatori nostro Iustiniano, Agapetus minimus diaconus.

E

EPISTOLA PARAENETICA AGAPETI AD IVSTINIAN. IMP.

Honore quolibet sublimiorem cùm habeas dignitatem, ô Imperator, honoras supra omnes qui hoc te dignatus est Deum: quoniam iuxta similitudinem cælestis regni, tradidit tibi sceptrum terrenæ potestatis, vt homines edoceres iusti custodiam, & eorum qui aduersus ipsum insaniunt, insectareris latratum, tum ipsius obtemperans legibus, tum subditos tibi regens legitimè.

Ceu gubernator vigilat perpetuo Imperatoris oculatissimus intellectus, continens tuto æquitatis clauos, atque expellens fortiter impetuosos iniquitatis fluctus, vt ne cymba mundanæ Reipublicæ illidatur fluctibus iniquitatis.

Diuinum documentum & potissimum nos homines, vt cognoscat se quisque, docemur. Qui enim se ipsum cognouit, cognoscet Deum: Deum verò qui cognouit, assimilabitur Deo: assimilabitur autem Deo, qui dignus factus Deo est: dignus denique fit Deo, qui

nihil indignum patrat Deo,ſed qui vt cogitat quæ ipſius ſunt, ita tam loquitur quæ cogitat, A
quàm facit quæ loquitur.

Maiorum nobilitate ne quis delicietur. Limum enim habent omnes generis auctorem, & qui purpura byſſoq; turgent,& qui paupertate & aduerſa valetudine affliguntur, tam qui diademate redimiti ſunt,quàm qui per cubicula excubant. Ne igitur lutulentum iactemus genus,ſed morum integritate gloriemur.

Scito ô pietatis diuinitus fabricatum ſpecimen, quia quanto maioribus dignus habitus es,tribuente Deo,muneribus,tanto maioris retributionis ipſi debitor es. Ergo redde benefactori debitum gratitudinis, acceptanti debitum vt meritum, & beneficio beneficium rependenti. Ipſe enim ſemper & beneficijs prior promeretur,& vt debitum beneficia repenſat: gratitudinem autem exigit à nobis,non quę verborum blandorum prolatione,ſed quæ rerum piarum oblatione peragitur. B

Nulla res adeò commendabilem reddit hominem, vt poſſe quidem quæ velit efficere, ſemper humana & velle & agere. Quoniã igitur à Deo tibi donata eſt facultas, qua indigebat propter nos bona tua voluntas:omnia & velis & agas, prout ei placet qui eam tibi dedit.

Terrenarum opum inſtabiles diuitiæ fluuiatilium vndarum imitantur curſum. Modicum enim affluunt his qui habere ſe eas arbitrãtur: mox verò refluentes, ad alios accedunt. Solus autem beneficentiæ theſaurus ſtabilis eſt poſſidentibus eum: bonarum enim actionum meritum ad auctores retorquetur.

Inacceſſus nimirum exiſtis hominibus propter celſitudinem huius quod hic deorſum eſt Imperij. Facilis item aditu ſis indigentibus ob vim ſupernæ illius poteſtatis: atque aperias aures his qui à paupertate obſidentur, vt inuenias Dei auditum adapertum. Quales enim erga noſtros fuerimus conſeruos,talem circa nos reperiemus Dominum. C

Solicitam Imperatoris animam ſpeculi in modum abſtergi oportet, vt diuinis ſplendoribus ſemper coruſcet, rerumq; diſtincta iudicia inde condiſcat. Nihil enim adeò facit quæ peragenda ſunt conſpicere,atque cuſtodire eam perpetuò ſinceram.

Sicuti fit apud nauigantes: cùm nauta errat, modicum affert nauigantibus nocumentum; cùm verò ipſe gubernator, totius efficit nauigij perniciem: ſic & in ciuitatibus, ſi quis ex ſubditis peccet,non tam Rempublicam,quàm ſeipſum lædit: ſin verò ipſe Princeps, vniuerſæ infert Reipublicæ detrimentum. Is igitur vt non exiguam redditurus rationem, ſi quid neglexerit eorum quæ facto opus ſunt, cum exquiſita diligentia & dictitet cuncta, & factitet.

Circulus quidam humanarum reuoluitur rerum, qui modò ſic, modò aliter agitat ipſas & circumfert:atque in his inæqualitas eſt,eo quòd nihil ex præſentibus in eodem ſtatu maneat. Oportet igitur te,potentiſſime Imperator, in hac rerum verſatili mutatione immutabilem habere pietatis cognitionem. D

Auerſare adulatorum pellaces ſermones,vt coruorum rapaces mores. Illi namque corporis effodiunt oculos, iſti autem animæ hebetant cogitatus, cùm non permittant perſpicere rerum veritatem:vel enim commendant nonnumquam quæ reprehenſione digna ſunt,vel reprehendunt plerumque quę omni laude ſunt maiora:vt de duobus alterum ab ipſis committatur,vel prauorum laus,vel contumelioſus bonorum contemptus.

Æqualem oportet ſemper eſſe Imperatoris animũ: mutari enim pro rerum varietatibus, mentis inſtabilis argumentum efficitur. Firmiter autem bonis inhęrere,qua firmitate pium veſtrum corroboratum & fixum eſt Imperium, & neque vſque ad inſolentiam extolli, neque vſque ad animi conſternationem deijci, in tuta veluti baſi ſtabilitorum eſt hominum, E
inconcuſſamq́ue habentium animam.

Si quis purgatam habet cogitationem de humana deceptione, perſpicitq́ue ſuæ naturæ vilitatem, breuitatemq́ue, & caducam ſortem præſentis vitæ, ac carni coniunctas, inſitaſq́ue ſordes,ad ſuperbiæ numquam illabetur præcipitium, quamuis in excelſo dignitatis faſtigio conſiſtat.

Super omnia præclara quæ regnum habet,cultus diuini corona Regem exornat. Diuitię namque abeunt,& gloria tranſit:ſed vitæ Deo placentis gloria immortalibus ſæculis coextenditur,& trans obliuionis tenebras collocat poſſidentes.

Vehementer mihi videtur abſurdiſſimum eſſe,quòd diuites & pauperes homines ex diſſimilibus rebus detrimentum ſimile patiuntur. Illi namque ſatietate perrumpuntur,hi verò fame pereunt. Item illi occupant vltimos mundi erminos,hi non habent vbi calloſa pe-

dum ve-

A dum vestigia sistant. Vt igitur vtraque pars sanitatis fiant compotes, auferendo & diminuendo istos regere oportet, atque ad æqualitatem inæqualitas transferenda est.

Nostris temporibus ostensum est prosperæ vitæ tempus, quod prædixit quidam ex veteribus futurum, cùm vel philosophi regnarent, vel Reges philosopharentur. Nam philosophando digni habiti regno estis, & regnando à philosophia non desciuistis. Si enim amare sapientiam, efficit philosophiam; principium autem sapientiæ, Dei est timor, quem in pectoribus vestris iugiter habetis: clarum quàm verum sit quod à me dicitur.

Te re vera Regem affero, quippe qui & imperare ac dominari voluptatibus valeas, & sis corona castitatis reuinctus, & purpuram iustitiæ indutus. Alijs namque potestatibus mors ipsa succedit: huiusce modi verò regnum immortalem seruat perpetuitatem. Item aliæ hoc in sæculo soluuntur, hæc autem à perpetuo supplicio liberatur.

B Si honorem qui ab omnibus proficiscitur, perfrui vis, præsta te communem omnium benefactorem: nihil enim adeò attrahit ad beneuolentiam, vt beneficij gratia, quę datur indigentibus: quod enim ob merum præstatur obsequium, fucata est adulatio, ficti honoris titulo fallens eos qui ipsi animum aduertunt.

Venerandum iure est vestrum Imperium: quia hostibus quidem demonstrat potestatem, subditis verò exhibet humanitatem: & cùm illos vincas armorum vi, inermi charitate vincitur à suis. Quantum enim feræ & ouis interstitium est, tantum esse inter eos discrimen putatur.

Essentia corporis æqualis est cuilibet homini Imperator, potestate autem dignitatis cunctorum præsidi Deo similis est. Non enim habet in terris se quemquam altiorem. Oportet igitur ipsum vt Deum non irasci, & vt mortalem non efferri. Nam etsi effigie
C diuina honoratus est, at pulueri tamen terreno connexus est: quo edocetur vt in omnes seruet æqualitatem.

Amplectere eos qui bonorum te consiliorum admonitum volunt, non eos qui adulari sæpenumero student. Illi enim quod expedit re vera perspiciunt: hi verò ad ea quæ placent potentibus respiciunt, corporumq; vmbras imitantes, singulis eorum dictis applaudunt.

Talem te præsta tuos erga famulos, qualem optas erga te Dominum esse: prout enim audimus, audiemur, & vt respicimus, respiciemur à diuino cunctaq. obtuente aspectu. Priores igitur nos misericordiæ misericordiam conferamus, vt pari par recipiamus.

Sicut exquisita specula tales monstrant vultuum facies, qualia ipsa sunt archetypa, nitidas videlicet nitentium, tristes autem eorum qui sunt tristes: eodem pacto iustum Dei iu-
D dicium nostris actionibus assimilatur. Qualia enim sunt quæ à nobis præstantur, talia ipse nobis par pari referens exhibet.

Consulta quæ agenda sunt, cunctanter: exequere autem quæ decreueris, maturè: quoniam periculosum est admodum inconsiderata in rebus temeritas. Si quis enim quæ ex inconsulta mente proueniunt mala conceperit animo, facilè comperiet boni consilij commoda, vt qui sanitatis dotem post ægrotationis experimentum persentiscũt. Debes igitur, cordatissime Rex, tum consilio prudentiore, tum precibus ad Deum impensioribus exquirere diligenter quæ mundo sunt profutura.

Optimè reges egregium tuum Imperium, si omnia des operam perspicere, nec negligere patiare quicquam. Neque enim paruum est in te, quod paruum esse apparet comparatione tuorum: quoniam vel exile Imperatoris verbum ingentem obtinet apud omnes vim.

Tibi ipsi custodiendi leges impone necessitatem, cùm non habeas in terris qui te possit
E cogere. Sic enim tum legum præteferes cultum ipse, ante alios eas reuerendo: tum subditis constabit, legum præuaricationem periculi non esse immunem.

Peccare, & non cohibere peccantes, iuxta æstima: Si quis enim in ciuitate vitam quidem ipse traducat iustè, toleret autem viuentes iniquè, socius malorum apud Deum iudicatur. Quòd si velis bifariam approbari, vt pulcherrima quæque gerentes honora, ita teterrima patrantibus succense.

Expedire admodum arbitror, effugere prauorum contubernia. Qui enim cum hominibus improbis semper versatur, eum vel pati vel discere malum aliquid necesse est: qui verò vnà cum bonis degit, vel imitationem honestorum edocetur, vel diminutionem vitiorum condiscit.

Terrarum orbis à Deo cùm concreditum tibi sit regnum, caue ne aliquo vtaris ex prauis ad rerum administrationes. Quæ enim illi perperam fecerint, eorum ratione reddet Deo,

qui

qui peccandi facultatem ipſis indulſerit. Magna igitur & diligenti cum perſcrutatione ma- A
giſtratuum promotiones fiant oportet.

Æquale reor eſſe malum,& inimicorum excandeſcere flagitijs, & amicorum permulceri blanditijs. Oportet enim vtriſque viriliter reſiſtere, nec vſquam à decoro diſcedere, neque irrationabilem eorum maleuolentiam vlciſcendo, neque fictitiam horum beneuolentiam remunerando.

Exiſtima veriſſimos amicos, non qui laudent omnia quæ dicantur abs te, ſed qui nihil non integro iudicio facere contendunt: ſic vt gratulentur tibi,ſi bene; triſtentur contrà, ſi perperam dixeris, feceriſve. Hi enim re vera ab omni fraude abhorrentis amicitiæ præſeferunt inſignia.

Ne mutet tibi magnanimam mentem terrenæ huius poteſtatis moles: ſed vt fragilem fatoque obnoxium regens principatum, immutabilem habeto mentem in rebus mutabili- B
bus, nimia neque lætitia ſublimem te extollens,neque mæſtitia vileſcens.

Sicut aurum quamuis modò ſic, modò aliter ab arte transfiguretur,atque ad varias ornamentorum ſpecies transformetur, permanet tamen id quod eſt, nec mutationem patitur: ſic ipſe quoque,inclytiſſime Rex,licet aliud ex alio per gradus obtinueris Imperium,peruenerisq; ad ipſum ſupremum honorem,idem tamen permanes non in eiſdem rebus, immutabilem continens in officio animum.

Exiſtima tunc demum te tutò regnare,cùm volentibus imperas hominibus. Quod enim inuito animo ſubijcitur,ſeditionibus fluctuat,capta occaſione: quod verò vinculis beneuolentiæ regitur,ſtabilem ſeruat erga rectorem obedientiam.

Vt dominium Imperij facias decantabile, quantam habes aduerſus ſubditos pec- C
cantes iram, tantam habendam eſſe tibi aduerſus te ipſum peccantem cenſeto. Nemo enim valet tanta pollentem poteſtate corrigere, niſi ratio propria, quæ ex ipſo peccante moueatur.

Magnam qui poteſtatem adeptus eſt,largitorem poteſtatis imitetur pro viribus.Si enim imaginem geſtat omnium pręſidis Dei,atque per ipſum continet rerum principatum:in eo maximè imitabitur Deum,vt non exiſtimet quicquam miſericordia pretioſius.

Super aurum & lapidem pretioſum beneficentiæ diuitias nobis veluti theſaurum recondamus. Illæ namque tum in præſenti vita oblectant ſpe futurę fruitionis,tum in futura dulcedinem afferunt,experimento guſtuq; ſperatæ beatitudinis:quę verò nunc circa nos apparent,tamquam nihil ad nos pertinentia,ne nos allectent.

Da operam vt eos ſplendidioribus demerearis remunerationibus, qui cum beneuolen- D
tia capeſſunt quæ mandantur abs te. Hoc enim pacto & bonorum augebis alacritatem, & malos docebis vt dediſcant malitiam. Eiſdem enim cenſeri dignos qui non eadem faciunt, nimis nefarium eſt.

Pretioſiſſimum omnium eſt Imperium: tunc verò vel maximè huiuſcemodi eſt, cum hac qui circumdatus eſt poteſtate, non ad pertinacem & temerariam ſæuitiam propenſus ſit,ſed ad æquitatem reſpiciat, inclementiam vt ferinam auerſando, humanitatem vt Deo ſimilem præſeferendo.

Æqua lance tam ad amicos quàm ad inimicos vergens, iudicandi munus obito, neque beneuolis de te gratificans ob beneuolentiam, neque maleuolis reſiſtens propter inimicitias. Quoniam eiuſdem eſt abſurditatis, & iniuſtum vt iuſtum probare, etſi ſit amicus; & iniuriam iuſto inferre,etſi ſit inimicus:malum enim vtrobique ſimile eſt,tametſi in contra- E
rijs inueniatur.

Intenta mente auſcultari debent rerum Iudices.Difficilis namque captu eſt iuſti inuentio,facileque effugere ſolet non admodum attendentes. Quòd ſi prætermiſſa dicentium eloquentia,dictorumq; neglecta veriſimilitudine, ad penitiſſimam intentionum profunditatem penetrauerint; ſic demum haurient quod ab ipſis quæritur, geminiq; inſontes erunt delicti,neque ipſi honeſtum prodendo,neque alijs id vt committant concedendo.

Æqualia numero ſideribus etſi habueris rectè facta, nõ tamen ſuperabis Dei bonitatem. Quæcumque enim quiſpiam obtulerit Deo ſua,ipſi offeret ex ſuis. Et ſicut anteire nulli datur ſuam in Sole vmbram,præuenientem ſemper, vel nimis properãtem:ita inſuperabilem Dei bonitatem nulli benefactis homines excedent.

Inexhauſtæ ſunt beneficentiæ opes. Nam largiendo acquiruntur,& diſſipando colliguntur. Has tuo inſitas animo habens, munificentiſſime Imperator, largire omnibus affatim petentibus

A petentibus abs te. ἀπιεφπλασίας enim pro eis habebis remunerationes, cùm tempus operam remunerandi venerit.

Nutu Dei regnum adeptus, imitare eum bonis operibus: quia inter eorum numerum natus es, beneficio qui afficere possunt, non qui affici postulant. paratæ enim rerum copiæ nullum impedimentum esse potest, quo minus conferantur in pauperes beneficia.

Sicut oculus innatus est corpori, ita Imperator mundo adaptatus est, à Deo datus pro administratione eorum quæ vsui sunt. Oportet igitur eum omnibus hominibus quasi proprijs membris prospicere, vt proficiant in bonis, neu malorum offensaculo illidantur.

Tutissimam arbitrare salutis tuæ custodiam, nulla quemquam ex subditis afficere iniuria: qui enim offendit neminem, suspectum habet neminem. Quòd si nulla quemquam afficere iniuria tutelam conciliat, longè beneficijs collatis magis id præstabit: nam vt tutelam
B exhibet, ita charitatem non prodit.

Esto subditis, pientissime Imperator, & formidabilis ob excellentiam potestatis, & amabilis ob largitionem beneficentiæ: neque formidinem contemnens propter amorem, nec item amorem negligens ob formidinem, sed tam mansuetudinem prę teferens haud aspernabilem, quàm aspernabilem familiaritatem immiti seueritate castigans.

Quæ subditis verbo quasi lege prę scribis, hæc tu prę ueniens re ipsa præstes; vt verbis, quibus persuades, integra quoque vita adstipuletur. sic enim commendabile tuum asseuerabis Imperium, si & ratiocineris non sine opere, & opereris non sine ratione.

Eos plus ama, sereniss ime Imperator, accipere abs te beneficia qui supplicant, quàm tibi qui contendunt offerre munera. His enim debitor referendi gratiam efficeris: illi verò Deum dant tibi vadem, vendicantem sibi, pertinereque ad se putantem, quæcumque erga
C supplices contuleris, & remunerantem bonis retributionibus tuam tam piam, quàm perhumanam intentionem.

Solis profectò partes sunt, illustrare radijs Orbem: Principis verò virtus est, egenorum misereri. Porrò illo clarior est Imperator qui pius est. Ille namque cedit succedenti nocti: hic autem rapacitati prauorum non concedit indulgétve quicquam, sed lumine veritatis iniquitatis occulta coarguit.

Priores quidem te Imperatores principatus adornauit: tu verò eum, præstantissime, illustriorem reddidisti, mansuetudine temperans diluensque potestatis molem, bonitateque vincens adeuntium te formidinem. Quapropter tuæ serenitatis portum subeunt omnes qui misericordia indigent, fluctibusque paupertatis liberati, gratiarum actores hymnos ad te missitant.

D Quantum potestate ceteris antecellis, tãtum factis etiam emicare ante alios enitere. Persuasissimum enim habe, eam abs te postulari honestorum operationem, quæ magnitudini virium proportione respondeat. Vt igitur à Deo quasi per præconẽ victor declareris, corona inuicti Imperij tuo capiti imposita, coronam etiam ex promerendis pauperibus acquirito.

Contemplator priusquam mandes quę fieri velis: sic fiet, vt semper prudenter iubeas quæ fas est. Lubricum enim est instrumentum linguæ, maximumq; affert negligentibus periculum. quòd si pium intellectum veluti musicum illi præfeceris, omnibus harmoniæ numeris concinnatum virtutis modulabitur melos.

Acutum quidem esse oportet omnem Principem, cùm in alijs, tum vel maximè in afferendo de rebus difficillimis iudicio, lentum autem ad irascendum se præstare. Et quoniam omnimoda iræ absentia aspernabilis est; & irascatur mediocriter, & non irascatur: illud, vt
E prauorum impetum comprimat: hoc, vt propensiones bonorum perueστiget.

In exquisita tui cordis curia diligenter perspicito conuersantium tecum mores; vt pernoscas adamussim, & quos charitas te colere compellit, & qui tibi per fraudem adulantur. plerique enim beneuolentiam simulantes, magno credentibus detrimento sunt.

Sermonem cùm audis iuuare valentem, ne auribus eum modò, verùm opere etiam excipito: sic enim Imperatoris exornatur decoraturque dominium, cùm vel ex se considerat quæ decent, vel ab alio reperta non despicit: sed tum discit sine verecundia, tum exequitur sine cunctatione.

Arx quidem inde populabilibus muris munita contemnit obsidentes se hostes: pium autem vestrum Imperium cùm & liberalitate erga miseros veluti muro cinctum, & precum turribus corroboratum sit, inuictum nulliq; hostium telis peruium sit, præclara & celebria contra eos erigens trophæa.

Vtere

Vtere vt oportet regno hoc inferiore, vt scala tibi fiat superioris claritatis. Qui enim A
hanc rectè gubernant, illa quoque postmodum digni censentur: hanc autem rectè gubernant, qui paternam subditis ostendunt charitatem, & Principi debitum ab ipsis recipiunt timorem. Itaque minis quidem vitia compescent: supplicij autem sensum ipsis neutiquam infligent.

Vestimentum non veteraſcens est beneficentiæ amictus, & incorrupta stola est charitas erga pauperes. Eum igitur oportet qui piè regnare vult, talium indumentorum pulchritudine animam exornare. Amoris enim in egenos qui indutus est purpuram, cælestis quoque regni compos efficitur.

Sceptrum Imperij cùm à Deo susceperis, cogitato quibusnam modis placebis ei qui id tibi dedit, quoque omnibus hominibus ab eo sis prælatus, magis omnibus eum honestare festina. Porrò id ipse honestamentum arbitratur maximum, si quasi ipsum, factos à se tuearis, B
atque vt debiti exolutionem, benefaciendi munus adimpleas.

Recurrere ad supernum auxilium cùm homo quiuis debet salutem qui expetat, tum ante omnes Imperator, vtpote qui pro omnibus solicitus est: cùm enim à Deo custodiatur, tam hostes generosa manu debellat, quàm suos sedulò communit.

Deus nulla re indiget, Imperator solo Deo. Imitare igitur nullum indignum, petentibusq; fac vberem misericordiæ copiam, non exacta & ad viuum resecante rem ratione impensarum tuarum erga famulatum vtens, sed omnium de sustinenda vita petitionibus satisfaciens. Longè enim satius est, merito dignorum etiam indignis misereri, quàm indignorum vitio dignos ijs defraudare quæ merentur.

Veniam cùm delictorum tuorum petas, ipse quoquè te offendentibus ignosce: quoniam remissioni retribuitur remissio, nostræque cum conseruis nostris reconciliationi, Dei ami- C
citia & familiaritas.

Qui inculpabiliter Principem agere studet, cùm notas cauere debet quæ forinsecus inuruntur, tum se ipsum ante alios verecundari, vt & apertè delinquere abstineat propter alios, & à se ipso cohibeatur quo minùs priuata seorsum flagitia committat. Si enim ex subditis sunt qui reuerentia digni habentur, multo magis ea dignus Imperator efficitur.

Priuati vitium esse assero, patrare praua, supplicioque digna: Principis verò culpam, non facere quæ honesta sunt, salutemque pariunt: neque enim malorum abstinentia iustificat potentem, sed bonorum editio coronat eumdem. Ne igitur malitia dumtaxat abstinere cogitet, sed iustitiam etiam capessere contendat.

Dignitatum splendores mors haud reformidat: omnibus enim voraces suos dentes infligit. Ergo ante illius ineluctabilem aduentum, opum copiam transportemus in cælum. D
Nemo enim quæ colligit in mundo, illuc profectus abducit; sed omnibus in terra derelictis, nudus de vita sua reddit rationem.

Imperator vt est omnium dominus, ita cum omnibus Dei seruus existit. Tum igitur demum vocabitur dominus, cùm ipse sibi dominari, nec illicitis voluptatibus famulari patietur: tum adiutricem piam rationem assumens, inuictam scilicet imperatricem animi perturbationum rationis expertium, indomitas cupiditates armatura castimoniæ debellabit.

Quemadmodum vmbræ corpora sectantur, sic animas flagitia comitantur, euidenti effigie actiones exprimentia. ideo non datur in iudicio negare. Ipsa enim vniuscuiusque opera obtestabuntur, haud sanè vocem emittendo, sed talia prorsus sese repræsentando, qualia à nobis patrata sint.

Nauis per mare commeantis imitatur transitum, compendiosa præsentis vitæ conditio, E
quæ sanè nos nautas fallens suos, & pedetentim cunctanti raptos cursu, tandem ad suum cuiusque exitum perducit. Si igitur hæc ita se habent, prætercurramus præcurrentia mundi negotia, adcurramusque his quæ ad sæcula sæculorum permanent.

Fastuosus & supercilioſus homo ne vt taurus alticornis eleuetur, sed animaduertens carnis subsistentiam, sedare debet cordis elationem. Nam etsi factus est Princeps in terra, ne tamen ignoret sese ortum ex terra, cùm ex puluere ad solium conscendere, atque in puluerem tandem descendere possit.

Studeto semper, inuictissime Imperator, & sicuti scalas qui scandere incipiunt, non prius desistunt ad superiora ferri, quàm ad supremum perueniant gradum: ita tu quoque iugiter honestorum ascensum continuato. Sic fiet, vt cælestis quoque regni fructum aliquando percipias: quod vtinam & tibi tribuat & coniugi Christus Rex omnium, & qui regnat,

& qui

A & qui regno subijciuntur, in sæcula.] hactenus Agapeti saluberrima ad Iustinianum Imperatorem admonitio.

Quisnam autem iste fuerit Agapetus diaconus, diu multumque quæsitum est. Vixit his temporibus Agapetus diaconus S. R. E. qui nominatus cum alijs reperitur in Actis tertiæ Romanæ Synodi sub Symmacho Romano Pontifice, idemque creditus qui postea sub eodem Iustiniano Imperatore creatus est Romanus Pontifex, vir sanè doctrina atque pietate insignis, & apud eumdem Iustinianum magnæ auctoritatis: vt planè ex his omnibus possit eiusmodi scriptio existimari dicti Agapeti fuisse. verùm cùm eadem Græcè scripta habeatur, & quidem Atticè atque admodum excultè loquentis, non Latinum, sed Græcum in omnibus auctoré ostendit. Scimus his Iustiniani Augusti temporibus duos claruisse Constantinopoli Agapetos, eorumdemque esse sæpiùs mentionem in Actis Synodi Constanti-
B nopolitanæ sub Menna: verùm quòd ambo essent monasteriorum Archimandritæ, iste autem, de quo est sermo, diaconus dicatur magnæ Ecclesiæ, alius diuersusque fuisse videtur ab illis, idemque primariæ Ecclesiæ diaconus: ita quidem eam fuisse appellatam, sanctam Magnam Ecclesiam, constitutiones quamplurimæ eiusdem Imperatoris significant. Hæc de auctore epistolæ dicta sunto: cui quamdiu idem Imperator aurem præbuit, iustè rectéque in omnibus Imperium administrauit: vbi verò deflexit, sibi, orbique Romano ruinam parauit. Sed de his hactenus.

LEGATIONES AD IVSTINIANVM IMP.

Cùm primùm autem in Occidente cognitum est, Iustinianũ Imperatorem creatum esse; mox qui Theodorico Regi successerat in Italiæ regnũ Athalaricus, honorificam ad ipsum legationem decernit, duobus ad hoc muneris delectis legatis, quibus & has litteras dedit [a]:

[a] *Apud Cassiod. lib. 8. epist. 1.*

Iustè possem reprehendi, clementissime Principum, si pacem vestram quærerem trepi-
C dè, quam parentes meos constat ardentiùs expetisse. Aut in qua parte dignus heres existerem, si auctoribus meis impar tanta gloria reperirer? Non nos maiorum purpuratus tantum ordo clarificat, non sic regia sella sublimat, quantum longè lateque potens gratia vestra nobilitat. Omnia enim regno nostro perfectè constare credimus, si hanc nobis minimè deesse sentimus. Sed vt pietatis vestræ præconiale est diligere, quorum patres contigit vos amasse. Nemo enim creditur impendisse veteribus puritatem innocuam, nisi qui eorum stirpem habere probatur acceptam. Claudantur odia cum sepultis: ira perire nouerit cum proteruis: gratia non debet occumbere cum dilectis; sed magis affectuosiùs tractandus est, qui ad regni causas innocens inuenitur. Perpendite quid à vobis mereatur successor bonorum *.

* honorum

Vos auum nostrum in vestra ciuitate celsis curulibus extulistis. Vos genitorem meum in
D Italia palmatæ claritate decorastis, desiderio quoque concordiæ factus est per arma filius, qui vnis * vobis penè videbatur æquæuus: hoc nomen adolescenti congruentius dabitis, qualia nostris senioribus præstitistis. In parentelæ locum noster iam transire debet affectus; nam ex filio vestro genitus, naturæ legibus vobis non habetur extraneus. Atque ideo pacem non longinquus, sed proximus peto: quia tunc mihi dedistis gratiam nepotis, quando meo parenti adoptionis gaudia præstitistis. Introducamur in vestram mentem, qui adepti sumus regiam hereditatem. Illud est mihi supra dominatum, talem ac talem Rectorem habere propitium. Primordia itaque nostra solatia mereantur Principis longæui habere, pueritia tuitionem gratiæ consequatur: & non in totum à parentibus destituimur, qui tali protectione fulcimur. Sit vobis regnum nostrum gratiæ vinculis obligatum: Plus in illa parte regnabitis, vbi omnia charitate iubebitis.

* annis

E Quapropter ad serenitatem vestram illum & illum legatos nostros æstimauimus esse dirigendos, vt amicitiam nobis illis pactis, illis conditionibus concedatis, quas cum diuæ memoriæ domino auo nostro inclytos decessores vestros constat habuisse. Aliquid forsan & amplius mereor sinceritatis, cuius nec ætas videtur esse suspecta, nec generatio iam probatur extranea. Quædam verò per suprascriptos legatos nostros serenissimis sensibus verbo insinuanda commisimus, quæ clementiæ vestræ more ad effectum facite peruenire.] hactenus Athalarici epistola ad Imperatorem.

ARATOR LEGATVS COMES DOMEST.

Quinam autem fuerint duo hi legati Constantinopolim missi, licet eorum nomina in dicta epistola minimè inueniantur expressa, tamen ex alia Athalarici Regis epistola alter eorum ostendi videtur fuisse Arator magni nominis temporis huius orator, quem ad legationis honorificentissimæ functionem antea exornatum voluit egregia dignitate Comitiuæ Domesticorum. Extat de his ipsius Regis epistola [b], qua eiusdem Aratoris in facultatibus rhetoricis

[b] *Apud Cassiod. lib. 8. epist. 12.*

rhetoricis excellentia declaratur atque laudatur. Reperiuntur ad hunc ipsum Aratorem complures epistolæ Ennodij Ticinensis & oratoriæ dictiones. Hunc eumdem putamus Aratorem poëticis quoque facultatibus præstantem, qui tandem cùm relicta aula regia, se ministerio Ecclesiæ sub Vigilio Papa dicauit, creatus subdiaconus hæc scripsit in carmine ad Vigilium Romanum Pontificem: A

Ecclesiam subeo, dimissa naufragus aula:
Perfida mundani desero vela freti.
Transferor ad niueas Petri sine turbine caulas,
Et fruor optati iam statione soli.

] hæc de Aratore altero legatorum: quisnam autem ei collega accesserit, ignoratur.

Firmasse verò Iustinianum cum Athalarico Rege concordiam, satis potest intelligi, quòd dum vixit, numquam eidem negotium facessiuit. Magnam quidem cõsuetudinem & amicitiæ vsum intercessisse Iustiniano cum matre Athalarici Regis Amalasuntha, quæ scribit Procopius in eius obitu manifestant. Sed & cusa numismata ostendunt conciliatam fuisse pacem, sancitamque concordiam inter Athalaricum Regem atque Iustinianum Imperatorem, dum in vnius nummi altera parte Iustiniani Imperatoris nitet imago, in altera verò nomen inscribitur (vt vides) Athalarici Regis. B

[a] Habet Roma Lalius Pasqual. aut.



2



C

Quo planè symbolo, suscepisse etiam pueri Regis patrocinium Iustinianum Augustum, intelligere possumus; hæc omnia summa prudentia moderante ipsa Amalasuntha Athalarici Regis matre, quæ nouit Iustiniani animum officijs assiduis demerere. Porrò Imperator ita pacem cum Ariano Rege tenuit, vt tamen Arianos in Oriente positos sæpe legibus exagitarit. nam audi Cedrenum: Cumque multos procerum labe Ariana vitiatos deprehenderet, bonis eorum publicandis, & supplicijs irrogandis, magnum alijs terrorem incussit, lege etiam lata, vt nemo nisi Orthodoxus Rempublicam gereret.] hæc ipse. At non Athalaricum tantùm, sed Hildericum etiam Regem Vuandalorum in Africa Iustinianum frequenti legatione conuenisse pro pace, & muneribus frequentasse, plurimumque coluisse, Procopius narrat[b]. De legatione autem Francorum ad eumdem Iustinianum missa agemus suo loco.

PAX SANCITA ABSQVE PRAEIVDICIO CATHOLICAE FIDEI.

D

[b] Procop. de bello Vand. lib. 1.

Sic igitur Deo benè disponente res Imperij, Iustinianus haud ingratus existens, quæ Deo grata esse sciret, explere curauit, nempe vt quæ essent Catholicæ religionis, optimè perficerentur; ita ratus omnia felicissimè cessura Imperatori, qui quæ Dei sunt, summo studio implere satageret. quamobrem ipso sui Imperij exordio de fide Catholica, quam profitebatur, promulgauit edictum: vt eo modo fides Catholica, quam ipse teneret, & æquè vellet ab omnibus custodiri, cunctis sibi subditis innotesceret: quod sic se habet[c]:

E

[c] L. 1. C. de sum. Trinit. diuersa trãsf. latione.

DE FIDE CATHOLICA IVSTINIANI EDICTVM.

Cùm recta & inculpata religio, quam profitetur & prædicat sancta Dei Catholica & Apostolica Ecclesia nullo modo innouationem admittat: nos doctrinam sanctorum Apostolorum, & eorum qui post illos in sanctis Dei Ecclesijs versati sunt, sequentes, æquum esse existimauimus, notam & testatam omnibus spem quæ in nobis est relinquere, traditioni & confessioni sanctæ Dei & Catholicæ Ecclesiæ adhærentes. Credentes enim in Patrem & Filium & Spiritum sanctum, vnam essentiam in tribus personis adoramus, vnam diuinitatem, vnam potentiam, Trinitatem consubstantialem. In extremis autem diebus confitemur vnigenitum Dei Filium ex Deo Deum, ante sæcula sine tempore ex Patre genitum, coæternum Patri, ex quo omnia & per quem omnia, descendisse de cælis, & incarnatum ex Spiritu sancto, & ex beata & glorioſa semper Virgine Maria hominem factum, & crucifixum,

A fixum, sepultum esse, & die tertio resurrexisse, vnius eiusdemque miracula, & passiones; quas sponte in carne sustinuit, agnoscentes. Non enim aliud Dei Verbum & alium Christum agnoscimus, sed vnum eumdemque consubstantialem Patri secundùm diuinitatem, eumdemque consubstantialem nobis secundùm humanitatem. Trinitas enim permansit Trinitas, etiam incarnato vno è Trinitate Dei verbo: neque verò quartæ personæ accessionem sancta Trinitas admittit.

Quæ cùm ita se habeant, anathemate & execratione summa omnem hæresim condemnamus, tum verò vel maximè Nestorium ἀνθρωπολάτρην, id est, hominis cultorem & adoratorem, qui vnum Dominum nostrum Iesum Christum Filium Dei & Deum nostrum diuidit & distrahit, neque propriè & conuenienter veritati sanctam gloriosam semper Virginem Mariam Deiparam confitetur; sed alium quidem Dei Verbum ex Deo Patre appel-
B lantem, alium autem eum qui natus sit ex sancta semper Virgine Maria, qui secundùm gratiam & beneuolentiam erga Deum Verbum, Deus factus est. Necnon amentem illum Eutychetem vanas quasdam opiniones adducentem, & negantem ex sancta semper Virgine Deipara Maria veram incarnationem, hoc est salutem nostram, neque omnino cõfitentem consubstantialem Patri secundùm diuinitatem, eumdem consubstantialem nobis secundùm humanitatem. Item Apollinarium illum ψυχοφθόρον, id est, humanam mentẽ Christo adimentem, qui affirmat Dominum nostrum Iesum Christum Filium Dei & Deum nostrum mentis humanæ expertem esse, & confusionem in humanitate Filij Dei introducit. Denique omnes eos, qui illorũ opinionem secuti sunt, & adhuc sequendã putant. Quòd si post hanc nostram constitutionẽ, & plenissimam beatissimorum Episcoporum, qui in nostris regionibus constituti sunt, denunciationem, reperti fuerint contrariam opinionem se-
C ctantes; ne expectent, vt digni venia iudicẽtur: Iubemus enim, vt homines huiusmodi tamquam conuicti & aperti hæretici iustæ & idoneæ animaduersioni subijciantur.] hactenus constitutio sine die & Consule; sed his ipsius Imperij primordijs datam esse, quæ dicturi sumus, indicare possunt: Contius etiam alia versione præsenti anno datam ponit.

Satis sit igitur cognouisse, eiusmodi pietatis fundamenta ad tantam molem, quam mente voluebat, erigendam, nouũ Imperatorem sternere voluisse, & Imperij primitias his muneribus Domino consecrasse: quem cõstat aliàs pariter leges sanciuisse, quibus statum Reipublicæ, integra seruata iustitia, optimè disponeret, vt inter alias illam, qua iussit Episcopos præfectis prouinciarum Iudicibus præpositos esse, ne quid ab illis contra iustitiæ ordinẽ admitteretur. est autem eius sanctionis eiusmodi exordium [a]: Ex quo nos Deus Romanorum præposuit Imperio, omne habemus studium, vniuersa agere ad vtilitatẽ subiectorum com-
D missæ nobis à Deo Reipublicæ.] & paulo pòst: Si verò dum aliquis adierit Iudicem prouinciæ, non inuenerit iustitiam: tunc iubemus eum adire suum sanctissimum Episcopum; & ipsum mittere ad clarissimũ prouinciæ Iudicem, aut per se venire ad eum, & præparare eum, vt omnibus modis audiat interpellantem, & liberet eum cum omni iustitia secundùm leges nostras, vt non cogatur peregrè de sua patria proficisci.

[a] *Iustinian. Nouel. 86.*

IVSTINIAN. EPISCOPOS PRAEFECIT IVDICIBVS CVSTODES IVSTITIAE.

Si verò etiam sanctissimo Archiepiscopo compellente Iudicem cum iustitia determinare interpellantium causas, Iudex differat discernere negotium, & non seruet litigantibus iustitiam: iubemus sanctissimum ciuitatis illius Episcopum dare ad nos litteras ei qui nõ meruerit quod iussum est, insinuantes quia coactus ab eo Iudex distulit audire interpellãtem, & iudicare inter eum, & qui ab eo conuentus est: Vt hoc cognoscentes nos, supplicia inferamus Iudici prouinciæ, qui interpellatus ab eo qui in iustitiam passus est, & coactus à san-
E ctissimo Archiepiscopo, non iudicauerit quæ in dubitationem venerunt.] Subijcit ijs insuper, vt quotiescumque Iudex suspectus habetur, possit addi ad eam causam Episcopus, qui cum ipso causam definiat: sed etiam vt qui læsum se à Iudice queratur, interpellatus ab eo Episcopus causam illã iudicare possit; cuius si iustæ latę sententiæ nõ steterit, nouissimis supplicijs affici Iudicem iussit. Sed & adiecit, vt si quis plus exegerit, quàm quæ legibus iussæ sunt sportulæ solui, de his Episcopi moneant Imperatorem. Qua etiam constitutione sanciuit, ne monachi, clerici, vel Episcopi absque litteris Patriarchæ se conferant Constantinopolim. Hæc de his quibus voluit iustitiam sartam tectam ab omnibus custodiri.

Magnam ex his de diuino patrocinio Iustinianus Imperator conciliauit sibi fiduciam, ratus nimirum propitium habiturum Deum, quem huiuscemodi hostijs promereret. Natus igitur in primis Iustini prædecessoris sanctis operibus pacatum Imperium, idemque securum ab Occidentalium Regum, qui pacem petierant, tumultibus atque molestijs, at-

IVSTINIAN. MAGNA CONCIPIT ANIMO.

que insuper rebus iam quæ ad Catholicam fidem spectarent, antè compositis, diro sublato ab Ecclesia schismate, quo ab Oriente Occidens diuisus erat: summa rerum potitus, haud parua vel leuia meditatur: monarchiam enim concipit animo, liberationem Occidentalis Imperij occupati à barbaris mente versans. Adiecit verò ad diuinum auxilium promerendum ieiuniorum magnam austeritatem, & assiduas ad Deum preces, quibus diuinum sibi numen propitium redderet: magnam namque ex iis fiduciam comparasse, ipse ingenuè profitetur in constitutione edita de Proconsule Cappadociæ, vbi hæc inter alia [a]: Sed & bonam spem habemus (quod Deus nobis annuat) vt & ceteras gentes, quas socordia sua Romani amiserunt, cùm vtriusque Oceani terminos tenerent, iterum ditioni nostræ adiungamus: quas nos diuino freti auxilio ad meliorem statum redigere properamus: neque quicquam detrectamus eorum, quæ vel ad extremam pertingunt difficultatem, vigiliis simul & inediis, ceterisque laboribus iugiter pro subditis nostris, vltrà quàm naturæ modus patitur, vtentes, &c.]

[a] *Nouel. 30. in fine.*

Quæ autem eiusmodi essent inediæ atque labores, qui naturæ modum superarent, accipe ex Procopio, cùm de illis tantùm agit eius ieiuniis, quæ ab ipso Quadragesimæ tempore peragi consueuerunt: ait enim [b]: Omnibus illis diebus qui Paschalem solemnitatem præcedunt, ieiunio addictus, duram quamdam vitam egit, nedum Regi alienam, sed neque priuato ciui aliquo modo acceptabilem. Per duos dies cibis abstinebat. Summo mane identidem è lecto surgens, Reipublicæ inuigilauit; cuius negotia verbo & opere pertractans, matutinum & meridianum & non minùs tempus nocturnum expendit. Nam in seram noctem lectum petens, mox surrexit, quasi plumarum pertæsus. Cibi appetens, vinum, panem, & id genus alia cibaria abesse voluit: brassicam solùm & agrestes herbas longo tempore sale & aceto maceratas edebat; in potu aqua erat sola: neque his ad saturitatem vtebatur, sed petitum cibum paulisper degustatum mox dimisit, non eo sumpto qui naturæ erat satis.] hæc Procopius de laboribus & ieiuniis, quibus Imperatorem contraxisse ægram valetudinem tradit. Sed planè accidit secundùm quod ait Apostolus [c]: Cùm infirmor, tunc potens sum.] Etenim eo modo debilitatus corpore, Persas, Gothos, Vuandalos, & alios barbaros superauit.

[b] *Procop. de ædific. Iustin. Imp. lib. 1.*

IVSTINIANI IEIVNIA ET LABORES.

[c] *2. Cor. 12.*

QVIBVS COPIIS INGENTES ADEPTVS EST VICTORIAS IVSTINIAN.

Sed quibus alijs pijs factis ad ardua petenda aperuerit sibi viam, vt ipsi vni licuerit quod nemini prædecessorum Imperatorum concessum fuerat, tum ex ipsiusmet Iustiniani scriptis, tum ex Procopio & alijs scriptoribus scies: nempe tanta promeruisse ex cultu sanctorum martyrum, veneratione eorumdem sacrarum reliquiarum, erectione nouarum ecclesiarum, veterum collabentium restitutione, hospitalium domorum ædificatione, extirpatione hæreticorum, inuiolabili iustitiæ obseruatione, prauorum proscriptione morum, propagatione verò virtutum, patrocinio bonorum, atque profligatione malorum: his quidem præuiis in bellis gerendis probè factorum cohortibus hostes vbique facilè superauit, vt quæ singulis dicentur annis, perspicuè demonstrabunt. Ita planè certa posteris cunctis relinquens impressa vestigia, quibus gressibus tenditur ad sublimia: Rursum verò quomodo his destitutus auxiliaribus copijs, lapsus, ad ima demersus, obrutus impietate perierit; magnum Principibus reliquit exemplum, quo timeant, cautioresque reddantur: vt planè illud Propheticum eisdem inclamare liceat [d]: Et nunc Reges intelligite, erudimini qui iudicatis terram.] cùm in vno Iustiniano vnicuique Principum, potissimum verò Imperatoribus sint exempla proposita de his quæ sectentur, vel fugiant, imitentur, vel caueant, non quidem ambiguis obscurisque signis, sed certis amplissimisque notis expressa.

[d] *Psal. 2.*

DE BELLO PERSICO INCHOATO.

His igitur iactis ad stabilitatem Imperij fundamentis, iam auspicaturus bellum Persicum, ex more legatos præmisit ad Regem Persarum Cabadem, ea petiturus quæ sibi iure debita esse constaret: quibus denegatis, Belisarium Ducem aduersus eos cum exercitu misit, cui inter alios Procopium consiliarium iunxit, eumdem ipsum, qui præsens cuncta conspicatus, eadem scriptorum monumentis posteris commendauit. Tu si ea cupis singula noscere, habes quem legas auctorem: nobis hîc illa tantùm recensenda erunt, quæ ab instituto longiùs digredi minimè faciant: grato tamen accipies animo, si breuiores epistolas vltro citroque datas inter Belisarium Romani Ducem exercitus, & Mirrhanem copiarum Persarum Præfectum antequam bellum inchoaretur, immo ante legatorum aduentum, cùm ipse Dux Persarum in Romanorum ditionem exercitum immisisset, hîc ex ipso Procopio [e] in medium adduximus. Scriptæ autem primo loco Belisarij ad Mirrhanem literæ sic se habent:

[e] *Procop. de bello Pers. lib. 1.*

Primùm

A Primùm quidem bonum esse pacem, apud omnes homines in confesso est, quibus paulum rationis existit. Si quis autem ipsam turbare sit inuentus, malorum causa sibi ac proximis erit. Dux optimus idem profectò putandus, qui ex bello pacem disponere sit aptus. Tu verò, rebus in quiete constitutis, atque vtroque Rege concordiam exoptante, bellum absque vlla causa inferre decreuisti. Aderunt legati nostri propediem, qui si qua inter nos dissident, facilè conciliabunt: nisi fortè ex hac interim tua expeditione graue aliquid oriatur, quod spem pacis nobis eripiat. Sed age istum celeriter domum reducito exercitum, nec maximis impedimento sis bonis, nec tuis (vt par est) grauium euentuum causa fueris.] hæc Belisarius ex diuinæ vtique Scripturæ [a] præscripto, quæ iubet, antequam cum hostibus congrediendum sit, pacem eisdem offerre. Sed quæ corde tumens ad Belisarium responderit Mirrhanes Persarum exercitus ductor, accipe: EPIST. BELISARII AD MIRRHANEM. [a] *Deut.* 20.

B Tuis litteris permotus profectò obtemperassem, nisi Romæorum epistola fuisset, quibus promittere promptum est, promissis autem quamquam iuramento firmatis minimè stare. Nos igitur vestræ occurrentes fallaciæ, ad arma cogimur venire. Vos ergo chari Romæi nihil in futurum aliud excogitate, quàm vobis cum Persis perpetuò bellandum. In hoc enim nos & consenescere & mori simul oportet, donec re, non tantùm verbis in nos æqui fueritis.] hæc ipse; ad quem rursum ita Belisarius: MIRRHANES AD BELISARIVM.

Non in omnes, optime Mirrhanes, iactantia vti oportet, neque proximos probris nullo modo ad rem pertinentibus semper incessere: præsertim cùm Ruffinum de cõcordia legatum iamiam affuturum asseueremus: tuq; breui videbis. Vobis nihilominus, si hostilia tandem cupitis, occurremus, auctore Deo, quem nobis propitium in periculo futurum, ac Romæorum quieti fauentem, iactantiæq; Persarum aduersum speramus. Et quando nobis ad
C pacem prouocantibus restitistis, acie decernere parati sumus, iusiurandum & conscripta fœdera violata in summis signis ad prœlia suspendentes.] hucusque epistola Belisarij secundo data. Sed audi quid postremò ira exæstuans barbarus ad eum rescripserit: BELISARIVS RVRSVM AD MIRRHANEM.

Neque nos absque dijs nostris in bella descendimus; quin ducibus ipsis comitati, contra vos venimus, quos spero cras ad vrbem Daram Persas introducturos, vbi & balneum & prandium fac mihi intra mœnia pares.] hactenus nouus Rapsaces: quæ cuncta hîc oportuit descripsisse, quò quis intelligat, non inter homines dumtaxat, sed inter numina eiusmodi paratum esse conflictum, dum Dei Christianorum Belisarius niti se auxilio testaretur, Mirrhanes verò Persarum opem ostentaret deorum*. In hoc laborandum semper prudentissimis Ducibus Christianorum exercituum, vt spem omnem in Deum conijciant, eamdemque veluti primarium vexillum ob oculos hostium ponant: in quod illi contume-
D liosi existentes, Dei vindictam in se concitatam excipiant, atque ita pereant, vt semper contigisse liquet. RVRSVM MIRRHANES AD BELISARIVM.

At quæ sunt hæc secuta? quod videlicet semper accidit, vt aduersus superbos Deus ipse aduersarius pugnet. Initum est certamen in Mesopotamia, quod exactè describitur à Procopio, in quo Dei virtus hostes opprimens manifestò cognita est, dum (quod accidit cùm Theodosius Maior pugnauit aduersus Eugenium tyrannum) vi ventorum Persarum spicula ceteraque missilia in Romanos intorta præpedirentur, atque inefficacia penitus redderentur: contrà verò validiori impetu Romanorum iacula vibrarentur, ex quibus ipsi aduersarij magnopere oppugnarentur, quibus hastis tantummodo reliquum pugnæ conficiendum fuit: sicque victi demum atque fugati sunt à Romanis victoria incruenta potitis Persis; adeò vt res Persarum in Mesopotamia penitus collapsæ sint. Rursùm verò cùm postea
E in Armenia Maiori ab illis reparatum bellum fuit, itidem Persæ sunt victi; quando & Narses Persa cum fratribus ad Romanos deficiens, benignè exceptus est, donatusque à Iustiniano Quæsturæ munere. hæc autem expeditio hoc anno à Iustiniano agitari cœpta, hûc prosperum finem est consecuta quarto eius Imperij anno, vt idem Procopius testatur. Postea verò idem qui supra Mirrhanes Dux Persarum victus iterum apud Daram, ab ipso Cabade Rege Persarum maximas sustinuit pœnas, ornatu in primis illo priuatus, quo crines redimitos auro & margaritis gestare solebat, qui honor apud Persas omnium maximus habebatur, quem à Rege quis consequi posset. Hunc tandem consecutus est finem ventosus homo, cùm in dijs suis omnem fiduciam collocasset, & fastu erectus adeò aspernatus esset Belisarium, qui fiduciam omnem spemque in ipsum verum Deum optimum maximum posuisset; quo auspice, de victoribus hactenus hostibus victoriam in omnibus certaminibus feliciter reportauit. PERSAE A ROMANIS VICTI.

SOLICITVDO IVSTINIANI DE REBVS PERSICIS QVIBVS OSTENTA SIGNIS.

Quonam autem symbolo inuigilare se rebus Persicis Iustinianus voluit declarasse, ex Suida accipe: Iustinianus (inquit) statuam suam equestrem in columna posuit, quæ læua globum tenet, cruce in eo defixa, quæ significaret, eum ob fidem in crucem terrę dominum factum. Globus enim is terra est ob rotundam eius figuram, fides autem est crux ob incarnatum Deum illi affixum. Dexteram porrigit versus Orientem, seditionem Persarum significans, & extensione ac repulsione manus clamitans, ne Romanas prouincias ingrediantur: State: ne progrediamini: neque enim id vobis expediet.] hæc Suidas. A

Quod autem ait per globum orbem ipsum terrarum significari, & per crucem fidem, qua cuncta subegit: victoriam illam intelligas demonstrari, qua Christus signo crucis sibi vniuersa subiecit, secundùm illud [a]: Cùm exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me ipsum.] & quòd crucem passus, suis dixit discipulis [b]: Confidite, ego vici mundum.] Ad hæc, inquam, alludens, crucem super orbem infixit, vt videre est in duobus numismatibus hîc tibi exhibitis. B

[a] Ioan. 12.
[b] Ioan. 16.





C





D

Horum priùs hoc anno cusum apparet, cùm adhuc superstes Iustinus esset: nam duplex AA, dues planè monstrat Augustos; per triplex verò GGG, nonnisi Theodoram Augustam additam intelligas. Inspice quibus signis decorus nouus appareat Imperator, dextera Orbem subactum cruce regens, ipsamque Victoriam ostentans dextra hastam nomine Christi signatam tenentem, & sinistra itidem cruce Christi globum ornatum gestantem.

Sed cœptam de rebus Persicis narrationem prosequamur. Atque in primis hîc non tacendum, quod testatur Procopius, Iustinianum Imperatorem in bello Persico conficiendo vsum esse auxiliaribus copijs Erulorum: eorum namque Regem his exordijs Imperij Iustiniani ad Christianam fidem esse conuersum, Miscellæ auctor affirmat his verbis [c]: Interea Rex Erulorum, Gethes nomine, venit Constantinopolim cum populo, & petit Imperatorem, vt fieret Christianus: Qui baptizatum in Theophanijs suscepit eum ex baptismate, repromittentem auxiliari ei in quibuscumque voluisset.] hęc ibi. Sed & de his Procopius de bello Gothorum libro secundo, de eorumdemque conuersione Euagrius [d] agit, atque Nicephorus [e]. Commendatur quidem egregia nauata opera Erulorũ ab eodem Procopio [f], dum ex compressione ab eis in hostes facta Persas fugatos affirmat: vt planè apparuerit, vbi legiones ductat pietas, omnes ei cedere aduersarias potestates. E

[c] Miscel. lib. 16. in princ.
[d] Euagr. lib. 4. c. 19.
[e] Niceph. lib. 17. c. 13.
[f] Procop. de bello Persic. lib. 1.

Sed hîc corrigendum, quod sub anno primo Iustiniani Imperatoris in Annalium compendio Cedrenus habet his verbis: Eodem anno Rex Persarum Tzato bellum ob initam

cum

A cum Romanis societatem intulit. Huic Tzato Iustinianus auxiliares mittit copias, Dacibus Belisario, Kerico *, & Petro: qui cùm in bello gerendo mutua inuidia transuersi agerentur, à Persis victi sunt.] hæc ipse. Verùm ex Procopio patet id bellum non hoc anno esse confectum, sed ad annos quatuor productum bellum Persicum, Romanis ob plures de illis obtentas victorias fauorabile. Sed & à Kerico siue Cyriaco bene pugnatum esse, ostensuri sumus. Illud verò Cedreno concesserim, conflatam esse quam dicit inuidiam inter Duces: cuius rei causa Procopius ipse historicus, qui Belisario inhærebat, obtentam ab eodem Kerico de Persis victoriam scribere prætermisit; de qua Cyrillus huius temporis historicus exactissimus res prosecutus magni Theodosij cœnobiarchæ, de eodem obiter facta mentione, hæc ait [a]:

* Syriaco

DE KERICO ERROR CORRIGENDVS.

Dux Romani exercitus (mos est eum vocare Comitem Orientis) nomine Kericus *, in
B bello audax, in Deum autem pius: is iam incursionem facturus contra Persas, existimauit se primùm oportere currere Hierosolymam, & illinc aduersus hostes assumere auxilium. Cùm autem statuisset in transitu ire ad hominem Dei, *ipsum magnum Theodosium*, eum enim valdè trahebat illius fama & virtutis illecebræ: dum abiret, multa alia licuit ei audire ex sacra illa lingua, & hoc inter cetera: Ne (quomodo diuinus Dauid [b]) in arcu speraret, nec poneret salutem in gladio; sed nec in multorum hominum confideret millibus: vnum autem sciret adiutorem, vnum inexpugnabilem, cui est facile, vt vnus mille persequatur, & decem millia profligentur à duobus. Hæc cùm Sanctus Comiti disseruisset, ita fuit ille captus ab eius admonitionibus, & ita flagrare cœpit eius desiderio & ardenti fide, vt ipsum cilicium, quo Magnus ille interiùs induebatur, loco cuiusuis alterius rei arma peteret, quibus se conseruaret. Quod quidem cùm accepisset & induisset, & consueta aggressus esset certa-
C mina, paulo pòst victor redijt, cùm & animi & manus præclara ostendisset facinora, & digna quæ commemorentur.

Apud Sur. die 11. Ianua.

* Cyriacus

DE KERICO DVCE EIVSQ. PIETATE.

[b] *Psal. 43.*

Cùm rebus ergo fortiter in bello gestis, insignis & clarus esset reuersus, nequaquam ingratus fuit in benefactorem; neque vt multi, qui postquam sunt consecuti, obliuiscuntur beneficij: sed se similem conseruans in omnibus, rursus venit ad Sanctum cum vehementi cordis exultatione, & gratias agens, & ei vniuersam ascribens victoriam: dicebat enim: Illo ipso tempore pugnæ mihi quidem, cùm pro thorace tuum induissem cilicium, veniebat in mentem confidere, & in hostes irruere. Cùm autem manus conseruissemus, magnæ exoriebantur tenebræ tamquam in densa caligine: & ab alijs quidem omnibus ea etiam, quæ prope erant, cerni non poterant: ego autem te solum mihi videbar videre me præcedentem, & manu significantem & admonentem, vt has quidem prælij partes di-
D mitterem, in has autem pugnarem, & te duce, equum agere; donec conspectus terribilis & intolerabilis inimicis, vehementi terrore omnibus iniecto, efficerem, vt se conijcerent in pedes, & turpem fugam lubenter eligerent. Et hæc quidem ille, qui etiam dignus est habitus diuina hac apparitione.] hactenus Cyrillus: hicque modò de rebus Persicis finis esto.

VICTORIA POTITVR DVX PER THEODOSIVM.

De reliquis autem rebus hoc anno in Oriente gestis adduntur hæc in Miscella [c]: Eodem anno adhæsit mulier quędam Romanis, ex Hunnis qui dicuntur Saber (*Isabenos appellat hos Procopius*) nomine Boazer vidua, habens secum Hunnorum centum millia. Tunc & Rex Hunnorum, qui sunt iuxta Bosphorum, nomine Gorda, accessit ad Imperatorem, & factus Christianus susceptus est: & multis ei præstitis donis, misit eum in regionem ipsius ad cu-
E stodiendas Romanas res & Bosphorum ciuitatem.] hæc ibi. Subijcit autem post hæc & alia de posteriori terræmotu Antiocheno: sed quoniam, Euagrio teste, post duos annos & menses tres à priori contigit, in sequentem annum potiùs reijciendum esse putamus.

[c] *Misc. lib. 16*

REX HVNNORVM FACTVS CHRISTIANVS.

Hoc eodem anno clarissima femina illa Iuliana nomine, quæ Aniciæ antiquæ familiæ decus Constantinopoli degens, Orthodoxæ fidei causa sub Anastasio Imperatore (vt suo loco diximus tomo superiori) magnopere exagitata, constans fortisque permansit (cuius & litteras ad Hormisdam Papam datas suo loco recitauimus) ex hac vita decessit, vt colligitur ex Cyrillo [d] in Actis sancti Sabæ, cùm ait de ipsius eunuchis prædiuitibus post eius obi-
tum ad monastica instituta amplexanda ad ipsum sanctum Sabam in Palæstinam se confe-
rentibus. Sed quàm diuitijs pollens esset, ac gloriæ splendore illustraretur hæc mulier, intelliges ex Gregorio Turonensi [e] hæc de ipsa scribente, dum martyrum gloriam, commentario edito, celebrando prosequitur:

IVLIANAE ANICIAE OBITVS.

[d] *Apud Sur. die 5. Decēb.*

[e] *Greg. Turo. de Glor. mar. c. 153.*

Apud Constantinopolim verò magno cultu Polyeuctus martyr colitur, pro eo præcipuè,

cipuè, quòd cùm magnis virtutibus polleat, in periuros tamen præsens vltor exiſtit: nam A quicumque (vt assolet) occultum scelus admiserit, & data suspicione ad hoc perductus fuerit templum; aut statim quod admisit, virtute martyris perterritus confitetur; aut si periurauerit, protinus vltione diuina percellitur. Huius basilicæ cameram Iuliana quædam vrbis illius matrona auro puriſſimo texit hoc modo: Cùm ad Imperatorem Iustinianum fama facultatis eius, multis narrantibus, peruenisset: ad occursum illius properare celeriùs non tardauit, dicens: Latere te non puto, ô venerabilis mater, qualiter à specie auri thesauri publici sunt exhausti, dum vos quietos esse volumus, dum patrias defensare studemus, dum gentes vobis placamus, dum solatia diuersorum dando conquirimus. Ergo quia tibi potentia maiestatis diuinæ multum contulit auri: quæso vt nobis manum porrigas, atque aliquid pecuniæ commodes; vt scilicet, cùm tributorum publicorum fuerit summa delata, quæ commodaueris reformentur; ac in postero laudis tuæ titulo B præcurrente, canatur, vrbem Constantinopolitanam à Iuliana matrona fuisse pecunijs subleuatam.

AVRO TECTA CAMERA MARTYRIS.

IVLIANA ELVSIT IMPERATOREM.

At illa intelligens Imperatoris ingenium, sapienter obtegit quæ Deo deuouerat, dicens: Paruitas redituum meorum tam de tributis, quàm quod de fructibus speratur, per ipsas adhuc residet domos. Si ergo gloria vestra recipiendi spatium tribuit; cùm collectum fuerit, omne conspectui vestro repræsentabitur. Cumque oculis proprijs cuncta contemplati eritis, quæ placuerint & relinquetis & auferetis: erit mihi ratum *, quod voluntas cordis vestri censuerit. His ita delusus Imperator verbis, ad Palatium gaudens redijt, putans se hanc pecuniam iam in thesauris publicis retinere. At illa vocatis artificibus, quantum reperire auri in promptuarijs potuit, tradidit occultè, dicens: Ite, & factis iuxta mensuram tignorum tabulis, beati ex hoc Polyeucti martyris cameram exornate, ne hæc auari Imperatoris ma- C nus attingat. Illi verò perfecta omnia quæ matrona præceperat, cameræ affixerunt, texeruntque ex auro mundissimo.

* gratum

IVSTIN. DVCITVR IN MARTYRIS AEDEM.

Quo opere explicito, vocat mulier Imperatorem, dicens: Paruitas pecuniolæ, quam coniungere potui, adest: veni ad contemplandam eam; & quod libuerit facito. Surrexit gauisus Imperator de solio, nihil percepturus ex auro. Pergit ad domum mulieris, putans se copiosos thesauros Palatio deportare. Cui cùm mulier occursum humiliter reddidisset, inuitat in templum martyris ad orationem: erat enim proximum domui eius; & hæc quæ habere potuerat, loco illi delegauerat sancto. Apprehensa enim Imperator manu mulieris, eò quòd esset senex, ingreditur ædem: prosternitur ad orationem. qua expleta, ait mulier: Suscipe, quæso cameram huius ædis, glorioſissime Auguste: & scito quia paupertas mea in hoc opere continetur. Tu verò quod volueris, exinde facito: D non aduersor.

DONATVS ANNVLO MAXIMI PRETII IMP.

Ille autem suspiciens atque admirans, erubuit: & ne pudor eius manifestaretur, collaudans opus, & gratias agens, abscedere cœpit. Sed ne rediret vacuus à munere, extractum mulier annulum è digito, cuius gemmam vola concluserat, qui non ampliùs auri pondus quàm vnius semiunciæ continebat, obtulit, dicens: Accipe, Imperator sacratissime, hoc munusculum de manu mea, quod supra pretium huius auri valere censetur. Erat enim in eo lapis Neronianus miræ viriditatis atque splendoris: qui cùm fuisset ostensus, omne aurũ quasi in viriditatem visum est conuersum à pulchritudine gemmæ: At ille accipiens, & iterum atque iterum gratias agens, & collaudans matronam, in Palatium est regressus. Vnde non est dubium, etiam in hac re martyris huius interc ssisse virtutem, ne opes locis sanctis & pauperibus delegatæ, in illius transferrentur dominationem, cuius non fuerant studio con- E gregatæ.] hactenus Gregorius de Iuliana: quæ cùm in Miscella [a] dicatur fuisse consobrina Pompeij viri clarissimi, & Cyrillus in Saba dicat eumdem Pompeium consobrinum fuisse Imperatoris: satis intelligere potes, vnde orta illi fuerit cum Imperatore ita agendi licentia, & Imperatori eamdem adeò honorificè pertractandi veneratio parta. Huius autem Iulianæ cognatam Pompeij vxorem, nomine Anastasiam, abdicato tandem sæculo post obitum viri sui, secessisse in Palæstinam, ibiq; in monte Oliueti vitam excoluisse monasticam, & egregia enituisse sanctitate, Cyrillus [b] in Saba testatur, de ipsa adhuc superstite mentionem obiter faciens. Sed quid de Iulianæ eunuchis post eius obitum ad sanctum Sabam migrantibus factum sit, audi eumdem Cyrillum:

[a] Hist. Miscel. lib. 15.

IVLIANA AFFINIS IMPERATORIS.

[b] Apud Sur. die 5. Decēb.

IVLIANAE EVNVCHI VITAM MONASTICAM CAPTANT.

Tum verò cùm & quæ à me superiùs dicta est Iuliana è vita excessisset, eorum qui apud ipsam erant eunuchorum fidelissimi, qui iam longo antè tempore erant beato Sabæ amici & fami-

A & familiares, accedunt ad ipsum, afferentes cumulos pecuniæ, pro quibus nullam aliam petebant remunerationem, quàm solùm vt referrentur in numerum suorum monachorum. Ille autem cùm non posset suam legem soluere, neque eunuchorum & imberbium aliquem in suam Lauram admittere: cùm multis admonitionibus & sermonibus apud eos esset vsus, & eos confirmasset ad futurum, ipsos emittit ab beatum Theodosium. Illi verò paulo pòst Patriarcham conuenientes, petunt ab ipso quemdam locum, volentes in eo degere separatim, & sibi solis & Deo vacare. Ille autem cùm Alexandro Eliæ monasteriorum Præfecto eos commendatos, apud ipsum aliquo breui tempore deposuisset, apud se consultabat, quem eis locum tribueret, & quemadmodum finem imponeret eorum voluntati. Interim verò pecunijs illectus Alexander, non stans pactis illis conuentis, quæ cum Elia inierat, diuidit eunuchis monasteria, cùm ad ea nullum laborem nec operam priùs
B contuliſſet, quæ ille multis laboribus & sudoribus construxerat: à quibus vnum ex monasterijs in hodiernum vsque diem nominatum est Eunuchorum.] hactenus Cyrillus de Iulianæ eunuchis sæculo se abdicantibus hoc anno post obitum clarissimæ dominæ; ex cuius liberalitate opulenti effecti, & pietatem edocti, opes ingentes partas amore cælestis patriæ contempsere.

Ita se habentibus rebus Orientalis Imperij, Romana Ecclesia interea sub iugo barba- ROMANA ECCL. LABORAT SVB REGE BARBARO.
rico laborabat: quo enim regni Athalarici bases ex fœderibus cum Principibus istis firmatæ satis stabilitæq; esse visæ sunt, eò magis Gothorum creuit arrogantia, eo vsque progressa, vt iura Ecclesiarum inuaderet, adeò vt clerici passim ad laicalia tribunalia traherẽtur. quod dedecus haud ferendum ratus qui Romanæ Ecclesiæ Felix Pontifex præsidebat, vnà cum Romano clero expostulauit de his vehementer apud ipsum Regem: qui vbi eos benignè
C audisset, humaniterq; tractasset, ex ipsorum sententia sanctionem edidit, qua adeò nefaria & inconcessa, temereq; præsumpta fieri omnino vetuit. Ipsa autem ab eodem Athalarico constitutio eo argumento edita sic se habet ad clerum Romanum data [a]:

Clero Ecclesiæ Romanæ Athalaricus Rex.

[a] *Apud Cass. lib. 8. c. 24.*

Tanto Diuinitati plurima debemus, quanto à ceteris mortalibus maiora suscepimus: ATHALARICI CONSTITVTIO PRO ROM. CLERO.
nam quid simile rependet Deo, qui potitur Imperio? Sed licet pro tanto munere nihil compensari possit idoneè: ipsi tamen gratia redditur, dum inseruientibus honoratur. Itaque flebili aditione causamini, hoc fuisse longæ consuetudinis institutum, vt si quis sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ seruientem aliqua crederet actione pulsandum, ad supradictæ ciuitatis Antistitem negotium suum dicturus occurreret; ne clerus vester forensibus litibus profanatus, negotijs potiùs sæcularibus occupetur: addentes, diaconum quoque vestrum ad contu-
D meliam religionis tanta executionis acerbitate compulsum, vt Saius eum propriæ custodiæ crederet mancipandum: Presbyterum quinetiam Romanæ Ecclesiæ pro leuibus causis assertis criminaliter impetitum. Quod nobis pro ingenita reuerentia, quam nostro debemus auctori, displicuisse profitemur, vt qui pridem sacris meruerant inseruire ministerijs, conuentionibus irreuerenter nefarijs expositi iniurijs subiacerent. Sed aliorum plectenda subreptio nobis obtulit pleniſſimæ laudis euentum; vt causa contigerit præstandi, quæ nos cælestibus commendaret auxilijs.

Atque ideo considerantes Apostolicæ sedis honorem, & consulentes desiderijs supplicantium, præsenti auctoritate moderato ordine definimus, vt si quispiam ad Romanum clerum aliquem pertinentem in qualibet causa probabili crediderit actione pulsandum, ad beatissimi Papæ iudicium priùs conueniat audiendus: vt aut ipse inter vtrosque mo-
E re suæ sanctitatis agnoscat, aut causam deleget æquitatis studio terminandam. Et si fortè (quod credi nefas est) competens desiderium fuerit petitoris elusum: tunc ad sæcularia fora iurgaturus occurrat, quando suas petitiones probauerit à supradictæ sedis Præsule fuisse contemptas.

Quòd si quis extiterit tam improbus litigator, atque omnium fuerit iudicio sacrilega mente damnatus, qui reuerentiam tantæ sedi exhibere contemnat, & aliquid de nostris affatibus crediderit promerendum: ante alicuius conuentionis effectum decem librarum auri dispendio feriatur; quæ à Palatinis sacrarum largitionum protinus exactæ, per manus sæpe memorati Antistitis pauperibus erogentur: carensque impetratis, negotij quoque sui amissione mulctetur. Dignus est enim duplici pœna percelli, qui & diuinam reuerentiam & nostra iussa temerarit. Sed interim vos, quos iudicia nostra venerantur, Ecclesiasticis viuite institutis. Magnum scelus est crimen admittere, quos nec conuersa-

tionem

tionem decet habere sæcularem. Professio vestra vita cælestis est. Nolite ad mortalium vota humilia & errores descendere. Mundani coerceantur humano iure; vos sanctis moribus obedite.] hactenus Athalarici constitutio, hominis licet Ariani; cuius comparatione si se ipsos metiantur Principes Nouatores, planè inferiores ipso quàm longissimè inuenientur. A

DIONYSII PASCHALIS CYCLVS. [a] *Cassiod. de diuin. lect. c.23.*

Ab hoc anno sub Consulatu Mauortij magnus ille Dionysius, cognomento licet Exiguus, Paschalem Cyclum exorditus ad nonagintaquinque annorum curricula perduxit, cuius fragmentum Marianus Scotus recitat in Chronico sub eodem Mauortij Consulatu. At qualis quantúsve vir iste fuerit, ex Cassiodoro [a] eius æquali sic ipsius verbis habeto: Generat (inquit) etiam hodieque Catholica Ecclesia viros illustres, probabilium dogmatum decore fulgentes. Fuit enim nostris temporibus & Dionysius monachus, Scytha natione, sed moribus omnino Romanus, in vtraque lingua valde doctissimus, reddens actionibus B

PERITIA DIONYSII ATQVE VIRTVTES.

suis, quam in libris Domini legerat, æquitatem. Qui scripturas diuinas tanta curiositate discusserat atque intellexerat, vt vndecumque interrogatus fuisset, paratum haberet competens sine aliqua dilatione responsum. Qui mecum dialecticam legit, & in exemplo glorioso magisterij plurimos annos vitam suam, Domino præstante, transegit. Pudet me de consorte dicere, quod in me nequeo reperire. Fuit enim in illo cum sapientia magna simplicitas, cum doctrina humilitas, cum facundia loquendi parcitas: vt in nullo se vel extremis famulis anteferret, cùm dignus esset Regum sine dubitatione colloquijs. Interueniat pro nobis, qui nobiscum orare consueuerat: vt cuius hîc sumus oratione suffulti, eius nunc possimus meritis adiuuari. Qui petitus à Stephano Episcopo Salonitano, ex Græcis exemplaribus canones Ecclesiasticos moribus suis, vt erat planus atque disertus, magnæ eloquentiæ luce composuit, quos hodie vsu celeberrimo Ecclesia Romana complectitur. C Hos etiam oportet vos assiduè legere, ne videamini tam salutares Ecclesiasticas regulas culpabiliter ignorare.

Alia quoque multa ex Græco transtulit in Latinum, quæ vtilitati possunt Ecclesiæ conuenire. Qui tanta Latinitatis & Græcitatis peritia fungebatur, vt quoscumque libros Græcos in manibus acciperet, Latinè sine offensione transcurreret, iterumque Latinos Attico sermone legeret; vt crederes hoc esse conscriptum, quod os eius inoffensa velocitate fundebat. Longum est de illo viro cuncta retexere, qui inter alias virtutes hoc habuisse probatur eximium, vt cùm se totum Deo tradidisset, non aspernabatur sæcularium conuersationibus interesse. Castus nimium, cùm alienas quotidie videret vxores: mitis, cùm ferè gentium vesano turbine pulsaretur. Fundebat lacrymas motus compunctione, cùm audiret garrula verba lætitiæ. Ieiunabat sine exprobratione prandentium; & adeò conuiuijs gra- D tanter intererat, vt inter corporales epulas exquisitus spirituales copias semper exhiberet. Quòd si tamen aliquando comederet, paruo quidem cibo, sed tamen communibus vtebatur. Vnde summum bonum æstimo patientiæ, inter humanas esse delicias & abstinentiæ custodire mensuram.

Sed vt bona mentis eius infucata laude referamus, erat totus Catholicus, totus paternis regulis perseueranter addictus: & quicquid possunt legentes per diuersos quærere, in illius scientia cognoscebatur posse fulgere. Cuius nomini aliqua praui homines calumniosè ni-

DIONYSII OBITVS.

tuntur ingerere, vnde sua videantur errata aliquatenus excusare. Sed ille iam sæculi peruersitate derelicta, præstante Domino, in Ecclesiæ pace sepultus, inter Dei famulos credendus est habere consortium. Dicerem adhuc fortasse reliqua de sancto viro, quæ nobis totius veritatis comprobatione comperta sunt: sed necesse est vt propositum nostrum potiùs exe- E quamur; ne cùm simus debitores alterius promissionis, aliud diu referre importuna loquacitate videamur.] hactenus de his Cassiodorus.

VIRI DOCTRINA CELEBRES.

Præter Dionysium laudat quoque idem Cassiodorus Græcarum rerum peritos, qui his item temporibus inter illustres viros doctos floruerunt, Bellatorem presbyterum, Epiphanium, de quo superiùs dictum est, & Mutianum, quorum idem Cassiodorus opera est vsus. De Bellatore sæpe meminit in ijsdem libris de Institutione diuinarum lectionum, complura ab eo è Græco in Latinum trãslata, & alia in diuinis Scripturis elaborata, nempe de Ruth & alijs Hebræis feminis libros duos, in librum Sapientię volumina octo, expositionem in libros Machabæorum. Quæ autem per Epiphanium translata fuerint, idem meminit [b], & quæ versa sint à Mutiano recenset [c].

[b] *Cassio. Inst. diuin. lect. c.1.5.6.*
[c] *Idē eod. lib. c.5.8.11.17.*

Sed ad Dionysium cunctis his celebriorem oratio reuocetur. Ipsi debemus, quòd in Cyclo

A Cyclo suo annos non per Olympiades, vel Consules, aut Indictiones, sed à Christi Domini nostri incarnatione numerare cœpit, vt Beda testatur his verbis [a]: Primi decennalis circuli cursu temporum ordo præfigitur; quem Græci calculatores à Diocletiani Principis annis obseruauere: sed Dionysius venerabilis Abbas Romanæ vrbis, & vtriusque linguæ, Græcæ videlicet & Latinæ non ignobili præditus scientia, Paschales scribens circulos, noluit eis (sicut ipse testatur) memoriam impij persecutoris innectere, sed magis elegit ab incarnatione Domini nostri Iesu Christi tempora prænotare; quatenus exordium spei nostræ notius nobis existeret, & causa reparationis humanæ, id est, passio Redemptoris nostri euidentiùs eluceret.] ita planè. Sed & Alexandrina Ecclesia vnà cum vniuersa Ægypto detestata chronologiam illam, quæ ab impio & immani Christianorum hoste deducebatur, illud præstitit, vt non à Diocletiano, sed à Martyrum tempore, qui sub Diocletiani persecu-
B tione passi sunt, annorum computum deriuaret; qui hactenus apud eos vsus viget, vt videre est in litteris Patriarchæ Alexandrini in appendice tomi sexti nostrorum Annalium superiùs recitatis.

ANNI A CHRISTO QVANDO COEPTI NVMERARI

[a] *Beda de tẽp. ratione c. 45.*

Quod verò pertinet ad collectionem & translationem Græcorum canonum à Dionysio factam: non id laboris idcirco ab ipso susceptum scias, quòd Latina Ecclesia hactenus caruisset eisdem canonibus Latinitate donatis; sed quòd siue vitio interpretis, siue librariorum incuria ijdem reperirentur valde mendosi: qua re permotus, in opus incubuit, vt ipse testatur in epistola ad Stephanum Salonitanum Episcopum, cuius meminit Cassiodorus, quam integram habet Cresconiana collectio: quod vnicum nobilissimi ingenij monumentum hîc tibi reddendum putauimus; sic enim se habet:

DE COLLECTIONE DIONYSII.

Domino venerabili mihi, patri Stephano Episcopo Dionysius Exiguus in Domino
C salutem.

Quamuis charissimus frater noster Laurentius assidua & familiari cohortatione paruitatem nostram regulas Ecclesiasticas de Græco transferre impulerit, confusione credo priscæ translationis offensus: nihilominus tamen ingestum tuæ beatitudinis consideratione susceperi, cui Christus omnipotens Deus, solita populo pietate prospiciens, summi sacerdotis contulit dignitatem; vt inter plurima virtutis ornamenta, quibus Ecclesiam Domini morum sanctitate condecoras, etiam sacratissima iura Pontificalibus per Dei gratiam digestis conuentibus intemerata conseruans, perfecto regimine clerum plebemque moderareris; nullatenus nostri clerici * more continentes, quo plenius consideramus recta nosse atque perficere: sed diuino adiutus auxilio, quæ fieri præcipis, ante perficies, vt efficacissimo Fide-
D libus prosis exemplo. Magna est siquidem iubentis auctoritas, eadem primitus iussa complentis: quatenus Ecclesiastici ordinis disciplina inuiolabilis permanens, ad percipiendum perenne præmium Christianis omnibus præstet accessum *, per quem & sancti Præsules paternis muniantur exemplis.

DIONYSII PRAEFATIO AD STEPHANVM.

* ascensum

In principio itaque canones, qui dicuntur Apostolorum, de Græco transtulimus: quibus quia plurimi consensum non præbuere facilem, hoc ipsum ignorare vestram noluimus sanctitatem: quamuis postea quædam constituta Pontificum ex ipsis canonibus assumpta esse videantur. Deinde regulas Nicænæ Synodi, & deinceps omnium Conciliorum, siue quæ antea, seu quę postmodum facta sunt vsque ad Synodum centum quinquaginta Pōtificum, qui apud Constantinopolim conuenerunt, sub ordine numerorum, id est à primo capitulo vsque ad centesimum sexagesimumquintum, sicut habentur in Græca auctoritate, digessimus. Tum sancti Chalcedonensis Concilij decreta subdentes, in his Græcorum canonum
E finem esse declaramus.

Ne quid præterea notitiæ vestræ credamur velle subtrahere, statuta quoque Sardicensis Concilij, atque Africani, quæ Latinè sunt edita, suis à nobis numeris cernuntur esse distincta. Vniuersarum verò definitionum titulos post hanc præfationem strictiùs ordinantes, ea quæ in singulis passim sunt promulgata Concilijs, sub vno aspectu locauimus, vt ad inquisitionem cuiusque rei compendium aliquod attulisse videamur.] hucusque præfatur ad Stephanum Salonitanum Episcopum Dionysius apud Cresconium, qui in sua collectione eiusmodi Dionysij collectionem canonum tamquam rotam (secundùm Ezechielis [b] visionem) est in medio rotæ complexus.

[b] *Ezech. 2.*

Subiecit verò his Cresconius eam, quam eodem fermè tempore Ferrandus Carthaginensis Ecclesiæ diaconus elaborauit, sed alio planè ordine, dum sub vnoquoque collegit capite, & citando eos, non recitando, qui diuersorum Conciliorum de eadem re tractantes reperiren-

COLLECTIO FERRANDI DIACONI.

reperirentur canones collocauit, quod opus iure Cresconius Breuiarium appellandum putauit. Sic igitur habes post primam illam mendis scatentem canonum veterem collectionem, in idem opus primum omnium laborasse Dionysium Exiguum, secundo loco Ferrandum Carthaginensem diaconum, postea Martinum Episcopum Bracharensem, vt suo tempore dicturi sumus, quarto verò loco Cresconium Episcopum Africanum, de quo ista in scripto codice, cuius est titulus, Concordia canonum [a], leguntur: Concordia Canonum à Cresconio Africano Episcopo digesta sub capitibus trecentis. Iste bella & victorias, quas Ioannes Patricius apud Africam de Sarracenis gessit, exametris versibus descripsit.] hæc ibi: ex quibus intelligi potest, quo tempore Cresconius vixerit. sed de his inferiùs dicendum, sicut & de pluribus alijs recentiorum canonum collectoribus: ad hæc autem occasione Dionysij Collectoris digressi sumus. Iam verò quas dignas Ecclesiasticis putamus Annalibus, Christianissimorum Francorum Regum res prosequamur.

[a] Extat in nostra bibliot. tom 2. Concord. can. pag. 174.

His temporibus Franci bella gesserunt aduersus Turingios; quorum Regi Hermenefrido * Theodoricus Italiæ Rex nuptui tradiderat neptem suam; vt docent datæ ab eo tunc litteræ [b] ad eumdem Regem. Mortuo enim Theodorico, cuius patrocinio fouebatur, Theodoricus Clodouei tertius & Clotarius quintus filij aduersus eum ducentes exercitum, eumdem superatum occiderunt. Agit de his Gregorius [c], & alij recentiores. Iustè autem hæc passum esse Hermenefridum ob necem illatam ab eo Berthario germano suo, suasu Amalbergæ vxoris, idem Gregorius [d] pluribus docet. Duxit verò ex præda potita captiuam Clotarius filiam Bertharij Regis fratris Hermenefridi; quam, cùm ad annos nubiles peruenisset, sibi matrimonio iunxit. hæc est illa magna Radagundis celebris sanctitate Regina, de qua sæpius inferiùs dicendum erit.

* Herminofrido FRANCORVM PVGNA ADVERSVS THVRINGIOS.

[b] Apud Cassiod. l. 4. epi. 1.

[c] Greg. Turon. de Gest. Franc. lib. 3. cap. 4.

[d] Greg. de Gest. Franc. lib. 3 cap 4.

Sed quid primùm acciderit ipsi Clotario Regi, cùm victor in regnum suum reuerteretur, accipe ex Fortunato [e], vbi res sancti Medardi Nouiomensis Episcopi prosecutus est: Rex postea Clotarius exercitum mouens, Somenam violenter transiuit fluuium, & vbique potuit deprædatus, adiacens omne deuastauit territorium: cum multa illa præda inter Nouiomum reuertebatur & Isaram. Verùm quia & Episcopum Viromandensem, & quæ sub illo degebat Ecclesia, deprædatus erat; diuinæ vltionis dignè & laudabiliter prædicandam non euasit sententiam. Parcens quippe Dominus & ipsi Clotario, & qui cum ipso huius erant participes criminis, equos tamen eorum & omnia vehicula, plaustra scilicet & alia quibus præda illa euehebatur, adeò diuinitus afflixit, vt per omne triduum à loco illo nullo modo possent moueri.

[e] Apud Sur. die 13. Augusti.

TRIDVO DETENTA EXERCITVS IVMENTA.

Perspicientes autem tantum hoc Dei miraculum, ad sanctum Dei sacerdotem Medardum, qui tunc temporis Salentiaci remorabatur, suppliciter confugiunt, eique vnanimi deuotione, quæ deprædati fuerant, restituentes, cùm ab eo super commissis absolutionem suscepissent, diuino illo vinculo resoluti, læti & alacres ad propria reuersi sunt. O mira & ineffabilis Dei clementia! Quos ipse Deus iudicij sui per triduum iustissima ligauerat condemnatione, sanctus confessor Medardus vno in momento indulta relaxauit absolutione. Verè lingua Petri, & qui ab eo suscipiunt claues sunt regni cælorum, quibus concessum est verè pœnitentes tam potenter à nexibus absoluere peccatorum.] hactenus de his Fortunatus temporis huius scriptor.

Sed quæ idem auctor [f] de regiæ puellæ Radegundis captiuitate, custodia & educatione scribat, breuiter hæc habeto: Beatissima igitur Radegundis natione barbara, de regione Thuringa, auo Rege Basino, patruo Hermenefrido, patre Rege Berthario, quo altitudinem sæculi tangit Regina de germine, celsa licet origine, multum celsior actione. Quæ cum suis parentibus breui commanens tempore, tempestate barbarica, Francorum victoria regione vastata, vice Israelitica exit & migrat è patria. Tunc inter victores, cuius esset præda regalis puella, fit contentio de captiua: & nisi reddita fuisset, transacto certamine, in se Reges arma mouissent. Quæ veniens in sortem præcelsi Regis Clotarij, in Viromandensem ducta, Atheias in villa regia nutriendi causa custodibus est deputata.

[f] Apud Sur. die 13. Augusti.

RADEGVNDIS CAPTIVAE VITAE INSTITVTIO

Puella data laboribus qui conueniunt sexui, inter opera reliqua fit ex barbaris litterata, frequenter loquens cum paruulis, si conferret fors temporis, martyr fieri cupiens. Indicabat adolescens iam tunc merita senectutis, obtinens pro parte, quod petiit. Denique cùm esset in pace florens Ecclesia, ipsa est à domesticis persecutiones perpessa: iam tunc id agens infantula, vt quicquid sibi remansisset in mensa, collectis alijs paruulis, lauans capita

A pita singulis, compositis sellulis, porrigens aquam manibus, ipsa inferebat, ipsa miscebat infantulis: hoc etiam præmeditans cum Samuele paruulo clerico, facta cruce lignea, præcedentem subsequens psallendo ad oratorium grauitate matura: simul paruuli properabant; ipsa autem cum sua veste pauimenta nitidans, circa altare verò cum facitergio iacẽtem puluerem colligens, foris cùm reuerentia recondebat potiùs, quàm verrebat.] hæc de puellæ captiuæ dignis exordijs, præsagijs quidem eminentissimæ erigendæ sanctitatis perfectionis, cui tam grandia iacta fuerant fundamenta virtutum.

Quomodo verò Clotarius Rex Francorum eam sibi iunxerit matrimonio, ab eodem Fortunato sic accipe: Quam præparatis expensis cùm voluisset Rex prædictus accipere, per berarcham ab Atheias nocte cum puellis elapsa est. Deinde Suessionis cùm eam direxisset, vt in Reginam eligeret, fugit, euitans pompam regalem; ne sæculo crescceret: sed cui debe- B batur, & humana gloria non mutatur. Nubit ergo terreno Principi, nec tamen separatur à cælesti. At dum sibi accessit sæcularis potestas, magis quàm permitteret dignitas, se plus inclinauit voluntas, subdita semper Deo, sectans monita sacerdotum: plus participata Christo, quàm sociata coniugio. Illo verò sub tempore tentamus patefacere de multis pauca, quæ gesserit. Igitur iuncta Principi, timens ne à Deo degradasset, cùm mundi gradu proficeret, se cum sua facultate eleemosynæ dedicauit. Nam cùm sibi aliquid de tributis accideret, ex omnibus quæ venissent ad eam, antè dedit decimas, quàm recepit. Deinde quod superarat, monasterijs dispensabat: & quò ire pede non poterat, misso munere circuibat. A cuius munificentia nec ipse se abscondere potuit eremita. Sic, ne premeretur à sarcina, quod acceperat erogabat. Apud quam nec egeni vox inaniter sonuit, nec ipsa surda præterijt, sæpe donans indumenta, credens sub corporis veste, Christi se membra tegere: hoc se repu- C tans perdere, quicquid pauperibus non dedisset.] At de his, quod ad institutum pertinet, satis modò ista libasse; cùm tamen duobus integris libris eximiæ eiusdem virtutes conscriptæ habeantur. Quomodo verò à Rege dimissa monasticum arripuit institutum, suo loco dicturi sumus.

RADEGVNDIS IN VITA IVNCTA CLOTARIO.

Iam verò res Africæ inuisamus. Accidit interea, vt defuncto anno superiori Theodorico Rege Gothorum cuius timor coercebat alios Reges Occidentales, qui in eum essent infenso animo, Hildericus Rex Vuandalorum in Africa eiusdem Theodorici neptem Amalafridam nuptam Trasamundo Regi defuncto morte multarit. Cuius rei causa conflatæ sunt inimicitiæ inter ipsum & Athalaricum Regem Italiæ, cuius ad eum extat epistola [a], qua de nece Amalafridæ expostulat verbis istis:

AMALAFRIDA MORI COGITVR.

[a] *Apud Cassiod. Var. l. 9. epist. 1.*

Hilderico Regi Vuandalorum Athalaricus Rex.

D Durissima nimis sorte constringimur, vt quos antè dulces parentes diximus, nunc eis causas amarissimas imputemus, quas nemo potest relinquere, qui pietatis noscitur monimenta cogitare. Quis enim nesciat, diuæ recordationis Amalafridam, generis nostri decus egregium, violentum apud vos reperisse lucis occasum? & quam habuistis pridem dominam, passi non estis viuere nec priuatam. Hæc si contra fas parentelæ grauis esse videbatur: remitti ad nos debuit honorabilis, quàm magnis supplicationibus expetistis. Parricidij genus est, vt quam vobis fecerat affinem coniunctio Regis, nefandis ausibus in eius vos interitum misceretis. Quid tantum mali à suo coniuge relicta promeruit? Si successio debebatur alteri, numquid femina in eo ambitu potuit inueniri?

EPISTOLA ATHALARICI AD HILDERICVM.

Mater quinimo haberi debuit, quæ vobis regna profudit. Nam & hoc nobilitati vestræ fuisset adiectum, si inter hanc diuorum stirpem retinuissetis Amali sanguinis pur- E puream dignitatem. Hoc Gothi nostri ad suum potiùs opprobrium intelligunt fuisse tentatum. Nam qui dominæ alienæ gentis intulit necem, omnino eius parentum visus est despexisse virtutem: quando nemo, quod resecandum credit, putat esse tentandum. Et morali ideo ratione commoti, per illum & illum legatos nostros verbis priùs à vobis expetimus æquitatem, expectantes qualis excusatio tantis casibus afferatur. Nam etsi quodlibet negotium in tali persona fuisset enatum, nobis debuit intimari: vt & nostro iudicio periret, quæ se pessimis actibus miscuisset. Restat vt naturalis eius fingatur occasus. Impossibilia non dicimus: noua non quærimus. Illum atque illum tradite, per quos facta res debeat elucere. Sit in eis totius causæ absoluta probatio. Sine bello, sine cæde aut nos efficiat placatos, aut vos reddat obnoxios. Quod si creditis esse temnendum, nec vos ad rationabilia responsa componitis: conditione inditæ pacis absoluimur, qui læsi fœderis vinculo non tenemur. Vindicet nunc superna maiestas scelus qualibet arte commissum,

[a] *Genes.4.* missum, quæ ad se clamare fatetur[a] fraterni sanguinis cædem impiam.] hactenus Athalaricus ad Hildericum. A

QVAE IN HILDERICVM MOLITVS SIT ATHALARICVS.

Quæ autem hæc secuta sint, licet nemo describat, conijci tamen facilè potest, eumdem Athalaricum excitasse aduersus Hildericum Regẽ Gilimerem regiæ stirpis sobolem, Genzonis filium, de quo superiùs: qui post annos duos eumdem Hildericum regno spoliauit, & arctæ custodiæ tradidit, vt suo loco dicemus. Egisse autẽ dolo potiùs Athalaricum, quàm bello aduersus Hildericum, illud facilè persuadet; quòd cùm (vt testatur Procopius[b]) esset ille Iustiniano Imperatori amicitia coniunctissimus; eumdem bello lacessere periculosum admodum videretur. Sed ad res gestas anni sequentis progrediamur.

[b] *Procop. de bello Vuand. lib.1.*

IESV CHRISTI ANNVS 528. FELICIS PAP. ANNVS 3. IVSTINIANI IMP. 2. ATHALARICI REG. 3. B

SEquitur ordine temporum quingentesimus vigesimusoctauus Christi annus, in Fastis notatus Consulatu Iustiniani secũdo absque collega: quo idem Imperator sacris sanctionibus tum fidem Catholicam, tum reliquum optimum Ecclesiarum atque Reipublicæ statum munire solidareq; studuit. Quod igitur frequentissimæ sint leges de rebus sacris Ecclesiasticisque personis ab eodem Imperatore sancitæ; non immeritò à compluribus arguitur, quasi rerum diuinarum inuasor, dum diuinis se miscuit, qui humanis tantùm præfectus esset rebus: cùm nec Ethnici Imperatores id præsumpserint, nisi creati primùm Põtifices Maximi. Verùm ad eius excusationem multa sunt quæ possint afferri: atque primum illud accipe de his consilium eius. Quòd enim ipse vidisset, plurimisq; exemplis patefactum intellexisset, nullam esse Ecclesiasticorũ canonum obseruationem, cùm imperassent Principes fidei Catholicæ minimè studiosi, immo perduelles, vt fuerãt Zenon, Basiliscus, & Anastasius, sed hæreticorum arbitrio cuncta esse permissa misceri atque confundi: sed & euenisset interdum (immo sæpiùs contigisset) vt Constantinopolitanæ Ecclesię hæretici Antistites præsiderent, penes quos nulla penitus esset canonum ratio, sed studium tantùm priuatæ fortunæ: Hæc, inquam, ipse considerans, illud sibi arrogandum putauit (quod aliàs inconcessum videri posset) vt plures de rebus & personis Ecclesiasticis ederet sanctiones, quibus coerceri possent infrenes hæretici, & petulantes schismatici cohiberi, atque soluti disciplina restringi; probè sciens, iustis non esse positam legem, sed præuaricatoribus. C

CVR IVSTINIANVS DE REBVS ECCLESIASTICIS LEGES SANCIVIT.

PER IMP. LEGES SANCIVNT EPISCOPI CONSTANT.

Hæc quidem sunt, quæ ad aliquam excusationẽ Iustiniani afferri posse videntur, dum sacrarum legum conditorem agit, de sacerdotibus leges ferre, in eosq; pœnas statuere præter ius fasq; præsumens. Quibus & illud haud incongruè fortasse quis adijciet, quòd cùm ipse homo fuerit penitus illiteratus, adeò vt nec alphabetum aliquando didicisset, cuius rei gratia (vt inquit Suidas) dictus est analphabetus: cumq; & Tribonianus iuris consultissimus, cuius potissimùm opera in sanciendis legibus vtebatur, Ethnicus esset: par est credere omnes Ecclesiasticas Iustiniani constitutiones Epiphanij fuisse Constantinopolitani Episcopi, & eius qui in locum ipsius Menna successit: quas libẽtiùs edi illi voluerint nomine ipsius Imperatoris, vt validioris obseruantiæ essent: nam eas violare timerent omnes, probè scientes quòd omnium prouinciarum Præfecti ad earum iugem custodiam inuigilarẽt: adeò vt minimè mentiatur, qui dixerit, per Iustinianios Constantinopolitanos Episcopos esse locutos, & quotquot de fide Catholica & disciplina Ecclesiastica latę esse reperiuntur ab Imperatore Iustiniano sanctiones, tot esse eorumdem Antistitũ scripta decreta. Insuper autem quod eiusmodi sacrarum sanciendarum legum, vel probandi sancitas à Synodis ius in Ecclesiæ Catholicæ capite esse scirent; ne si eas ipsi Constantinopolitani Episcopi ederent, viderentur sibi quod suum non esset arrogare; cõstitutionibus Imperatorijs id perficere, quod haud facilè his obuiari posset, existimarunt. D

IVSTINIAN. ILLITTERATVS.

Quod verò ex Suida dictum est, Iustinianum Analphabetum fuisse; licet Suidæ non sit contemnenda auctoritas, vt qui apud antiquiores inuenta scriptis prodiderit: tamen non sic Analphabetus dici Iustinianus potuit, quòd nescierit penitus legere, cùm ex Vigilij Papæ epistola suo loco inferiùs recitata, & ex Eustathio suorum temporum historiam scribente constet: ipsum Iustinianum non solùm legisse, sed etiam suis litteris subscribere consueuisse. E

Quamob-

A Quamobrem vsu loquendi potiùs dictum à maioribus puto Iustinianum penitus illiteratum, nec sciisse litteras, quòd de dogmatibus magna temeritate vir indoctus auderet disputare; vt dicere solemus de aliquo, qui arroganter supra suum captum disserere de difficillimis quæstionibus Theologicis audeat: Iste homo cùm nihil penitus sciat, de his agit; vel: Præsumit tanta, qui legere nescit, vel quid huiusmodi ex more per hyberbolem dici solitum. Quod dicendi genus haud prorsus abhorrere ab historia reperitur, cùm & in sacris historijs id sæpe vsurpatum inueniamus. Et vt alia referre omittamus exempla, satis modò illud ex sacro Matthæi Euangelio [a]: Venit Ioannes neque manducans neque bibens, & dicunt, dæmonium habet.] cùm tamen idem Euangelista de eo superiùs dicat [b]: Esca autem eius erat locusta,& mel silueſtre.] At nihil penitus Ioannes manducasse dictus est, quòd ciborum abstinentissimus esset. Sed vt vnde digressi sumus, ad conditas à Iusti-
B niano leges Ecclesiasticas reuertamur, iam dictis adhuc etiam illud adde quod ex ipsarum constitutionum verbis apparet: nimirum quod in his sanciendis decretis Iustinianus Imp. haud tantam sibi vendicat auctoritatem, vt se dicat de rebus personisve sacris agere Imperatoria potestate, sed potiùs ex sacrorum præscripto canonum: vt planè se in his non earum legum conditorem, sed sanctorum canonum præseferat executorem atque custodem. id quidem ipse haud obscurè significat pluribus in locis, cùm de rebus Ecclesiasticis decernit aliquid: cuncta enim ex sanctorum canonum sententia se agere profitetur, vt in Nouella constitutione tertia, vbi ait: Quod nobis videbatur benè & competenter habere, & regularum sanctarum dignè, &c.] sed & Nouella sexta, illis verbis: Hoc autem futurum esse credimus, si sacrarum regularum obseruatio custodiatur, quam iusti & laudandi & adorandi Imperatores, & ministri Dei verbi tradiderunt Apostoli, & sancti Pa-
C tres custodierunt & explanauerunt. Sancimus igitur, sacras per omnia sequentes regulas, &c.] At hæc cumulatissimè Nouella centesima vigesimatertia in editione Holoandri,& Nouellis itidem centesima trigesimatertia & septima, in quibus omnibus id ipsum pluribus monet. Sed & Ioannes Papa (vt suo loco dicturi sumus) ex eiusdem Imperatoris legatorum relatione testatur,ea quæ de fide idem promulgaret edicta, facere consueuisse ex Episcoporum consensu.

Sic igitur cùm in his tradendis tum ipse, tum etiam alij Imperatores non aliud nisi cu-
D stodes & executores sanctorum canonum se habuerint: nihil planè est, vt ab ipsis promulgatæ improbari debeant sanctiones. Quod si alio quis eorum id titulo sibi sumpserit, atque Imperatoria auctoritate temerè arrogarit: tunc sanè illud Iustini martyris in Antoninum Pium dictum opportunè inculcandum erit: Tantum Principes opinionem veritati præferentes valent, quantum in solitarijs locis prædones.] Quàm autem sobriè, quamque modestè curare ista, rebusque se immiscere Ecclesiasticis Christiani Principes debeant: magnum in exemplum cunctis idem esse potest Iustinianus, dum quisque considerat, quò tandem ipse peruenerit gressibus istis pietatem maximam licet in omnibus præseferentibus: nempe cùm qui vt laicus, vnusque ex ouibus gregis, doceri regique deberet, munus sibi arrogaret docendi atque sacra regendi: etenim non patiens, cùm opus esset, ab auctoritatem habente erudiri & gubernari, iam senex imprudens in hæresis barathrum sese præcipitem dedit.

Vetus est Regum morbus,vt dira istiusmodi prurigine vrgeantur,vt appetant quæ sunt sacerdotum.Hinc illud Ambrosij [c]: Vulgò dici,quòd Imperatores sacerdotium magis optauerint, quàm Imperium sacerdotes.] Sed audi rursum (quod ad hanc rem spectat) quid
E idem in Valentinianum Augustum [d]: Si,inquit,docendus est Episcopus à laico; quid sequatur? Laicus ergo disputet, & Episcopus audiat.Episcopus discat à laico. At certe si vel Scripturarum seriem diuinarum,vel vetera tempora retractemus; quis est qui abnuat,in causa fidei, in causa inquam fidei Episcopos solere de Imperatoribus Christianis, non Imperatores de Episcopis iudicare?] & inferiùs: Legem tuam nollem esse supra Dei legem: Dei lex nos docuit quid sequamur: humanæ leges hoc docere non possunt.]& in Auxentium: Imperator enim bonus intra Ecclesiam,non supra Ecclesiam est.]&ad Marcellinam [e]: Allegabatur,Imperatori licere omnia,ipsius esse vniuersa.Respondeo: Noli te grauare,Imperator, vt putes te in ea quæ diuina sunt, Imperiale aliquod ius habere. Noli te extollere. Sed si vis diutiùs imperare,esto Deo subditus.Scriptum est: Quæ Dei,Deo: quæ Cæsaris,Cæsari. Ad Imperatorem palatia pertinent, ad sacerdotem ecclesiæ.] Sed quid in his immoror, quæ sexcentis fermè locis superiùs ventilata, sunt firmissimè stabilita?

[a] *Matt.* 11.
[b] *Matt.* 3.

IVSTIN. AGIT CVSTODEM ET EXECVTOREM CANONVM.

NVLLA FACVLTAS IMPERATORIBVS DE REBVS ECCL. DECERNENDI.

[c] *Ambr. epist.* 33. *vet edit. ad finem.*
[d] *Ambr. epist.* 32 *vet. edit.*
[e] *Ambr epist.* 33.

At incusari possit vecordia atque timiditas Constantinopolitanorum Antistitum, sinen- A
tium Imperatorem leges ferre super omnes Episcopos, atque non secus ac ipsum caput Ecclesiæ siue Concilium Episcoporum, Episcopis alijsque sacris Dei ministris iura præscribere: siue (vt diximus) id ipsum potiùs faciendum illi eidem consuluerunt: quod si accidit, imprudẽtiæ notam vitare non possint, cùm potiùs eius auxilium aduersus improbos implorare debuissent, quàm pati ipsum Ecclesiæ iura sancire, quod Summi Pontificis esse solet vel plurium in vnum coeuntium Episcoporum. Accidit verò, vt cùm Iustinianus Imperator diutiùs superuixerit, easdemq; à se leges latas quàm exactissimè obseruari præceperit, inque Codicem suum redegerit, vim quamdam acceperint & firmitatem, atque in canones fermè Ecclesiasticos complures earum frequenti vsu transierint. Sed minimè quidem de his mirari quis debet, vel scandalum vllum pati, quòd sæcularis Principis vigeant eiusmodi leges.
ECCLESIA NON RESPVIT LEGES RECTAS AB IMPIIS LATAS.
Quæ enim iusta rectaq; sancita nouit Ecclesia, minimè respuere consueuit, sed ea suis legi- B
bus & decretis probat, etiam si eorum non Christianus Princeps, sed Diocletianus fuerit promulgator, vel quiuis alius persecutor Ecclesiæ: secus verò, si quid minimum aduersus sacras leges ac bonos mores ab eis præsumptum sit, omnibus iure reclamantibus atque dicentibus: Oportet magis obedire Deo, quàm hominibus. Sed his prætermissis, videamus ab ipso Iustiniano præscriptas in primis leges tam personis, quàm rebus Ecclesiasticis, diuersis eius Imperij temporibus promulgatas, à nobis verò singulis annis, cùm exigit institutum, suis locis pro temporis ratione reddendas.

Hoc igitur anno, cùm secundum gereret Consulatum, decimo Kalendas Martij, idem Iustinianus Imperator ad coercendam ambitiosorum Episcoporum leuitatem, quamlibet occasionem captantium, vt ad Comitatum venirent, magno præiudicio Ecclesiasticorum bonorum, quæ in his impendi necesse erat: ad Epiphanium Constantinopolitanum Episco- C
pum eiusmodi edidit sanctionem [a]:

[a] l. 43. C. de Episc. & cler.
LEX IMP. NE EPISC. AD CVRIAM VENIANT.
Omnem semper adhibentes prouidentiam circa sanctissimas Ecclesias, per quas & nostrum Imperium sustineri, & communes res clementissimi Dei gratia muniri credidimus: necnon & nostras & ceterorum omnium animas studentes saluari, & eam ob rem soliciti assiduè ne commoda sanctissimarum Ecclesiarum, in quacumque ciuitate sunt constitutæ, aliqua ratione minuantur, & quæ in ipsis sunt diuinæ liturgiæ ex Deo amantissimorum sacerdotum absentia impediantur, aut non conuenienter curentur; ac ne etiam sanctissimarum Ecclesiarum consumentur res tam propter itinerum, quàm etiam commeantium huc sacerdotum & comitantium clericorum impensas, vnde sæpe & sub fœnore accipiendi necessitas emergit, & ex ea re onus ad ipsas sanctissimas Ecclesias venit: simul etiam ne Ecclesiasticarum rerum non conuenienter procedat administratio per absentiæ D
Deo amantissimorum Episcoporum tempus: his ad tuam beatitudinem apicibus vti oportere existimauimus.

Per quos ipsi iubemus fieri omnibus manifestum per singulas metropoles vnicuiusque prouinciæ ipsi subiectis sanctissimis sacerdotibus: quoniam non decet aliquem ipsorum, vel qui in alijs prouinciarum ciuitatibus sub Metropolitano ordinati sunt Episcoporum, secundùm propriam voluntatem absque diuina nostra speciali iussione relinquere quidem gubernatam à se sanctissimam Ecclesiam, in hanc verò felicem commeare ciuitatem, qualiscumque emergat res: sed mittere huc oportere vnum aut duos ex sibi subiecto pio clero, & facere manifesta nostræ pietati ea, quibus opus habent, aut per se ipsos, aut per intermediam tuam beatitudinem, sicque perfrui iusta & compendiaria nostra ope. Si enim quippiam eorum quæ ad nos relata sunt, tale nobis visum fuerit, vt indigeat ipsorum Deo amantissimo- E
rum sacerdotum præsentia: confestim tum proficisci iubebimus ipsos: absque verò tali diuina iussione neminem proficisci concedimus.

Sciente horum transgressore, & rectè & piè à nobis introductam pro sanctissimarum honore Ecclesiarum obseruantiam prætereunte, quòd non paruam indignationem experietur: sed & sub excommunicatione fiet, si quidem Metropolites sit, à tua beatitudine: si verò ciuitatis sit Episcopus, qui Metropolitæ subiectus sit, ab ipso Metropolita.] Hîc obserua, lector, cùm contigerit audire in alijs eiusdem Principis sanctionibus, inferri in delinquentes excommunicationis sententiam, non id esse temerariè ab ipso præsumptum Imperatore; sed per eos (vt hîc vides expressum) ad quos pertinet, exercendum fuisse: quod & de alijs ab eo irrogatis censuris noueris esse intelligendum. Sed pergit: Pecuniarum namque pœnam definire contra contemnentes diuinam nostram dispositionem, non necessarium esse pu-

esse putauimus;ne inde ad sanctissimas Ecclesias,quod inde euenerit damni redundet,quarum res ab omni diminutione liberas manere cupimus. Hæc igitur ad singulorum notitiam sub ipsa ordinatorum Deo amantissimorum Metropolitanorum Episcoporum perferre tua sanctitas studeat; & ab vnoquoque missas responsiones tam per Metropolitas, quàm per ipsarum reliquarum prouinciæ ciuitatum Deo amantissimos Episcopos de his, quæ hac de re didicerint,ad nostram religionem referre. Data decimo Kalendas Martias C.P.D.N.Iustiniano A.14.Cons.]

Decimo verò ab hinc die,nempe ipsis Kalendis Martij, idem Iustinianus Imperator de ordinatione Episcoporum ista sanciuit,scribens non ad ipsum Constantinopolitanum Episcopum,sed ad Atarbium Præf.Prætorio[a]:

[a] *l.42.C.de Episc.& cler.*

DE EPISC. ELECTIONE SANCTIO IMP.

Omnem adhibentes prouidentiam circa sanctissimas Ecclesias in honorem & gloriam sanctæ & incorruptæ homousiæ Trinitatis, per quam & nos & communem Rempublicam saluos fore confidimus: insistentes etiam doctrinis sanctorum Apostolorum de creandis inreprehensibilibus sacerdotibus, qui quidem ob id potissimùm ordinantur, vt suis precibus benignitatem humanissimi Dei rebus acquirant communibus: præsenti lege sancimus, vt quoties in qualicũque ciuitate sacerdotalem sedem vacare contigerit, decretum fiat ab his qui eam ciuitatem incolunt super tribus personis rectæ fidei & honestæ vitæ,aliorumq; bonorum & virtutum testimonium habentibus, vt ex ipsis idoneus ad Episcopatum promoueatur. Si enim sancti & glorioſi Apostoli sacerdotium à Domino Christo Deo consecuti, & qui bonis omnibus terram repleuerunt,&eius doctrinam omnibus impertiti sunt,neque ipsi vitæ suæ, quam in hoc mundo degebant, salutis nostræ causa pepercerunt: quomodo æquum non fuerit, vt qui subingrediuntur eorum ordinem,& instituuntur sanctissimarum Ecclesiarum sacerdotes,purum habeant propositum,& pecunias contemnant, omnemq́ue vitam suam ad clementissimum applicent Deum?

QVI ASSVMENDI IN EPISCOPOS.

Conuenit igitur huiusmodi eligi & ordinari sacerdotes, quibus nec liberi sint, nec nepotes. Etenim fieri vix potest, vt vacans huius quotidianæ vitæ curis, quas liberi creant parentibus maximas, omne studium, omnemq́ue cogitationem circa diuinam liturgiam & res Ecclesiasticas consumat. Nam cùm quidam summa in Deum spe, & vt animæ eorum saluæ fiant,ad sanctissimas occurrant Ecclesias, & eis omnes suas facultates afferant & derelinquant, vt in pauperes & egentes & ad alios vsus pios consumantur: indecens est Episcopos in suum illas auferre lucrum,aut in propriam sobolem,aut cognatos impendere. Oportet enim Episcopum minimè impeditum affectionibus carnalium liberorum, omnium Fidelium spiritualem esse patrem. Has igitur ob causas prohibemus habentem natos aut nepotes ordinari Episcopum.

BONA EPISCOPORVM CEDANT ECCLESIIS.

De his verò Episcopis, qui nunc sunt, vel futuri sunt, sancimus, nullo modo habere eos facultatem testandi, vel donandi, vel per aliam quamcumque excogitationem quid de rebus suis, quas postquam facti fuerint Episcopi possederint & acquisierint vel ex testamento,vel donationibus,vel alia quacumque causa,exceptis his quæ ante Episcopatum à parentibus & theijs,id est, patruis vel auunculis, & à fratribus ad ipsos peruenerunt, peruenturaq́ue sunt. Quæcumqũe enim post ordinationem ex quacumque causa extra præfatas personas ad ipsos peruenerunt, ea iubemus ad sanctissimam Ecclesiam, cuius Episcopatum tenuerint, pertinere, & ab ea vindicari & euinci nulla alia persona potestatem habente ex eo proprium aliquod auferre lucrum. Quis enim dubitauerit eos, qui ipsis res relinquunt,aut reliquerint, & si in aliam personam transferunt aut transtulerunt, non potiùs ipsum sacerdotium contemplantes quàm eius personam, & cogitantes quia non solùm ab ipsis relicta piè insument,sed suas ipsorum res adijcient,id fecisse?

OECONOMI REDDERE DEBEANT RATIONEM

Ab hac autem generali nostra lege excipimus ea sola quæcumque & qualiacumque in hunc vsque diem fuerint Epiphanij Archiepiscopi felicis huius ciuitatis & sanctissimi Patriarchæ: Nam super his quæ ab hoc tempore ei acquirentur, ea quæ à nobis constituta sunt, obtinere, & ipsa ad sanctissimam maiorem Ecclesiam pertinere iubemus. Post mortem verò Deo sanctissimorum Episcoporum,iubemus vt pro tempore illarum Ecclesiarum Oeconomi rationes reddant earum quæ ab illis relictæ sunt rerum; idq́ue sanctissimis Ecclesijs proficere, quod ex hac nostra lege eis debetur. Et ipsos quidem Oeconomos cum iudicio & diligenti discussione creari præcipimus: scientibus ipsis, quòd singulis annis rationem referent sanctissimo Episcopo suæ administrationis: & quacumque in re viderint res Ecclesiasticas minuisse vel læsisse, vel proprium quæstum quæsisse, hoc Ecclesiasticis re-

bus reſtituent. Itaque ſi quidem ſuperſtites iſtiuſmodi rationes ſubierint, fiant quæ ſuprà dicta ſunt: ſi verò non redditis rationibus defuncti fuerint; tunc ipſorum heredes ſubijciantur tali diſcuſſioni, & conueniantur pro reſtitutione omnium, quæ ex ea cauſa debere illos conſtiterit. A

DE HIS QVI CVRANT HOSPITALIA.

Neceſſarium quoque eſſe credimus etiam ſuper his aliquid definire, qui curam ſuſceperunt, ſuſcepturiue ſunt venerabilium xenonum, & noſocomiorum, & ptochiorũ, & orphanotrophiorum, & brephotrophiorum: nam & ipſis omnem licentiam auferimus de acquiſitis rebus poſt ſuſceptas huiuſmodi curationes vel per teſtamẽtum vel aliquem alium modum vel machinationem quicquam in alias transferendi perſonas, exceptis quæ priùs habuerant, vel poſtea à parentibus vel theijs vel fratribus ad ipſos peruenerunt. Omnia enim quæcumque ad ſancta pertinent loca, vel quæ ad ipſorum Prępoſitos poſt ſuſceptam huiuſmodi curam peruenerunt, vel peruentura ſunt, ad ipſa venerabilia pertinebunt loca: eaque piè in eos diſtribui & erogari volumus, qui in illis locis ſunt, vel curantur. Manifeſtum eſt enim, quòd quiſquis derelinquit, vel donauerit ſiue in ſcriptis, ſiue ſine ſcriptis Xenodocho, vel Noſocomo, vel Ptochotropho, vel Orphanotropho, idcirco dat, vt piè per ipſum diſpenſetur: vt qui multam de eorum pietate præſumptionem & occaſionem habeat, qui his locis præfecti ſunt: Neque enim iuſtum eſt, ipſum ea quæ ſub prætextu eorum, qui ſub eius cura ſunt, accipit, non in ipſos, vel pro ipſis impendere, ſed in propriam perſonam auferre, & proprio lucro applicare, timore Dei contempto. Quis enim tali curæ præpoſitum non exiſtimet idcirco eam ſuſcepiſſe, vt non ſolùm quę extrinſecus ad eum peruenient, ſed omnia quæ habere eum contigerit, in eam rem impendat? B

REDITVS EMANTVR EX IIS QVI SVPERSVNT REDITIBVS.

Ampliùs id quoque iubemus, vt quæcumque poſt neceſſariam erogationem in eos qui eorum curæ commiſſi ſunt, & debitam curationem rerum & ædificiorum ſupereſſe contigerit, vt ad redituum comparationem proficiant. Vndique enim noſter ſcopus & noſtra intentio eſt, ad amplificationem & augmentum adducere res ad pios vſus ſegregatas: ſic enim quiſquis pro ſua anima quicquam facere volet, promptus erogabit, ſi crediderit ea quæ ab ipſo data fuerint, piè adminiſtranda eſſe. Si autem contigerit aliquem ab adminiſtratione ſua ceſſare, quam acceperat: ſancimus, eum qui in eius locum conſtitutus eſt, cum timore Domini rationum redditioni ſubijci geſtæ ſub eo adminiſtrationis, ſicut diuina noſtra lege continetur: ſciente & eo qui poſt ipſum conſtitutus eſt, quia Domino Deo pro his rationem reddet. C

SIMONIA IN OMNIBVS VITANDA.

Præterea ſancimus (quemadmodum & diuinis canonibus definitum eſt) ne quis Epiſcopus aut Corepiſcopus, aut Viſitator, ſiue Circuitor, aut preſbyter, aut alius cuiuſcumque dignitatis clericus per largitionem ordinetur: ſed nec Oeconomus, nec Eccleſiaſticus, nec Xenodochus, nec Noſocomus, nec Ptochotrophus, nec Orphanotrophus, nec quiſquis Ptochio præficiendus eſt, per talem fiat largitionem, ſed per iudicium & probationem eorum, qui in illis locis ſunt, Deo amantiſſimorũ Epiſcoporum. Si verò quis inuentus fuerit, occaſione prædictarum ordinationum & adminiſtrationum aliquid dediſſe, vel accepiſſe, ſiue Epiſcopus ſit, ſiue clericus: & eum qui prębuit, & eum qui accepit, extra ſacerdotium & clerum fieri iubemus: vt poſt hæc Domini Dei ſubiaceant condemnationi. Si autem quis propter præfecturam dediſſe quid compertus fuerit: eum qui ita Præfectus factus fuerit, extra clerum eſſe iubemus. Si verò Oeconomus, vel Eccleſiaſticus, ſiue Defenſor, vel Corepiſcopus, vel Orphanotrophus, vel Ptochio præpoſitus comperietur præbuiſſe quid, vt ſibi cura illa committeretur: & hunc remoueri ab huiuſmodi cura iubemus. D

CLERICI PER SE DIVINA MVNIA IMPLEANT.

Præterea ſancimus, vt omnes clerici per omnes Eccleſias conſtituti per ſe ipſos pſallant nocturna & matutina & veſpertina, ne ex ſola Eccleſiaſticarum rerum conſumptione clerici appareant, nomen quidem habentes clericorum, rem autem non implentes clerici circa liturgiam Domini Dei: turpe enim eſt pro ipſis ſcriptos, neceſſitate ipſis inducta, pſallere. Si enim multi laicorum, vt ſuæ animæ conſulant, ad ſanctiſſimas Eccleſias confluentes, ſtudioſi circa pſalmodiam oſtenduntur: quomodo indecens non fuerit, clericos ad id ordinatos non implere ſuum munus? Quapropter clericos omnino pſallere iubemus, & ipſos inquiri à Deo amantiſſimis pro tempore Epiſcopis & duobus preſbyteris in ſingulis Eccleſijs, & ab eo qui vocatur Archos, vel Exarchos, & ab Ecdico, ſiue Defenſore cuiuſque ſanctiſſimæ Eccleſiæ; & eos qui inuenti non fuerint inculpatè in liturgijs perſeuerantes, extra clerum conſtitui. Nam qui conſtituerunt vel fundarunt ſanctiſſimas Eccleſias pro ſua ſalute & communis Reipublicæ, reliquerunt illis ſubſtantias, vt per eas debeant ſacræ liturgiæ E

turgiæ fieri, & vt in illis à ministrantibus pijs clericis Deus colatur. Licentiam autem concedimus omni personæ, quæ quid horum prætermissum esse cognouerit, ea denunciare & publicare. Ea verò quæ à nobis sancita sunt, fini tradi, & ad effectum perduci cum Dei benignitate iubemus. Eos verò qui in suspicionem venerint aliquid horum ausu temerario prætermisisse; primùm quidem ex Domini Dei iudicio periculum, ac deinde posítas in hac lege pœnas sustinere. Dat. Calend. Martij, C.P.D.N. Iustiniano PP. A. II. Conf.] hactenus constitutio.

Compositis iam ijs quæ ad personas resque Ecclesiasticas, piumque cultum rerum sacrarum pertinere videbantur: nefando crimini, sancita noua lege, occurrendum putauit, cùm hoc item anno ad Hermogenem Magistrum Officiorum aduersus virginum raptores ista rescripsit[a]:

[a] l. 1. C. de rap. virg.

ADVERSVS RAPTORES LEX IMP.

Raptores virginum honestarum, vel ingenuarum, siue iam desponsatæ fuerint, siue non, vel quarumlibet viduarum feminarum, licet libertinæ vel seruæ inuentæ sint, pessima criminum peccantes, capitis supplicio plectendos decernimus, & maximè si Deo fuerint virgines vel viduæ dedicatæ: quod non solùm ad iniuriam hominum, sed etiam ad ipsius omnipotentis Dei irreuerentiam committitur: maximè cùm virginitas vel castitas incorrupta restitui non possit. Et meritò mortis damnantur supplicio, cum nec ab homicidij crimine huiusmodi raptores sint vacui. Ne igitur sine vindicta talis crescat insania: sancimus per hanc generalem constitutionem, vt hi qui huiusmodi crimen commiserint, & qui eis auxilium inuasionis tempore præbuerit, vbi inuenti fuerint in ipsa rapina, & adhuc flagranti crimine comprehensi, & à parentibus virginum, vel ingenuarum, vel viduarum, vel quarumlibet feminarum, &c.] extendit enim leges ad nuptas & sponsas, pœnasque dilatat; plectens etiam amissione bonorum: sed & huiusmodi delinquentes iubet incendio concremari; raptamq; raptori nubere vetuit. Data autem ipsa lex ponitur decimoquinto Kal. Decembris, sub ipsius Iustiniani Consulatu secundo, ad quem spectant etiam duę aliæ eiusdem Imperatoris Nouellæ, nempe centesima quadragesimatertia, & centesima quinquagesima, quas tu consulas.

POSTERIOR TERRAEMOTVS ANTIOCHENVS.

Hoc eodem anno, qui tertius numeratur à priori terræmotu Antiocheno, de quo suo loco dictum est, rursus grauioribus impulsibus eadem ciuitas agitata dirè admodum concuti cœpit; sed Dei ope subuentum, ne funditus periret. Hic quidem terræmotus cùm diuersis ab alijs ponatur annis: nos secuti Euagrium, qui duos annos & sex menses numerat à priori terræmotu, hoc ipso anno, qui tertius est ab eo, de ipso agimus. Sunt enim hæc Euagrij verba[b]: Ciuitas illa rursus biennio & sex mensis post terræmotibus concussa est. Quo quidem tempore tum Theopolis pro Antiochia nuncupata fuit, tum alijs rebus Imperatoris prouidentia locupletata.] hæc Euagrius. Sed quomodo id acciderit, ex alijs petendum auctoribus.

[b] Euag. lib. 4. c. 6.

THEOPOLIS ANTIOCHIA DICTA.

Cùm igitur eo modo ciuitas concuteretur, recenti memoria præteritorum malorum ciues penitus consternati, ad vnicum illud, quod tantùm sibi superesse sentiunt, diuinum confugiunt patrocinium. Quid autem eisdem necessitas pietatis magistra suaserit, audi Nicephorum, cùm de his breuiter agens, hæc ait[c]: Vnusquisque ciuium Christi nomen foribus inscribens, eo modo terræmotum dispulit; cùm Deus religioso cuidam homini oraculo hæc verba foribus inscribere præcepisset: CHRISTVS NOBISCVM: STATE.] eadem Cedrenus & Miscellæ auctor anno secundo Iustiniani Imperatoris: quorum omnium sententia illud affirmatur, tunc nouum esse inditum nomen Antiochenæ ciuitati, vt Theopolis diceretur: ita enim in constitutionibus Iustiniani Imperatoris ab hoc tempore promulgatis Antiochiam Theopolim dictam reperies. Obseruatione quidem dignum est (quod & superiùs considerandum proposuisse meminimus) ciuitatem nobilissimam, omniumque Orientalium vrbium florentissimam, in suo semper decore atque splendore perseueraſſe, vsque ad tempus illud quo ex ea progressa est Nestoriana blasphemia, & ea labe tum Episcopi, tum ciues aspersi fuere, sceleſtissimi hominis erroris eius auctoris Nestorij patrocinium suscipientes: ex eo inquam tempore, secundùm illud lugubre Hieremiæ Prophetæ[d]: Egressus est à filia Sion omnis decor eius] immensis est attrita cladibus, & suis sepulta ruinis.

[c] Nicep. lib. 17. c. 3.

[d] Thren. 1.

At neque hic quidem finis malorum eius, quę (vt suo loco dicetur) grauioribus adhuc est afflictata molestijs. Etenim sub eodem Imperatore Iustiniano, sub quo omnia vbique in tutum collocata videri poterat, cùm & longè posítas à fortissimis possessas barbaris prouincias

Romano recuperaſſet Imperio, ipſa ciuitas ab irruente Coſrhoe Perſarum Rege capta eſt & incendio tradita. Vt planè cognitum ſit, haud fuiſſe ſatis mutaſſe nomen, & ex Antiochia Theopolim appellari, niſi & morũ eſſet ſubſecuta correctio. Ad maiorem hæc Deum prouocant iram, ſi ſub ſancto nomine iniquitas nutriatur. Hinc Dominus per Ezechielem ad Angelos percutientes [a]: A ſanctuario meo incipite.] & Paulus Apoſtolus [b]: Tribulatio & anguſtia in omnem animam hominis operantis malum, Iudæo primùm & Græco.] Quòd ſi (vt idem ſubdit) non eſt acceptatio perſonarum apud Deum, nec nominis eſſe poteſt, nec loci aliqua ratio, ſecundùm illud quod occinendum propoſuit Iſaias [c]: In terra ſanctorum iniqua geſſit: & non videbit gloriam Domini.] & quod Hieremias amarè fleuit [d]; Proiecit Deus de cælo in terram inclytam Iſraël, & non eſt recordatus ſcabelli pedum ſuorum in die furoris ſui.] Iſta planè Antiochiæ poſſunt congruere ciuitati, vbi primùm auditum eſt nomen Chriſtianum, & ſedit princeps Apoſtolorum Petrus, atque ſanctiſſimi Epiſcopi floruere. Sed iam ad anni ſequentis res geſtas enarrandas progrediamur.

a *Ezech. 9.*
b *Rom. 2.*
c *Iſai. 26.*
d *Thren. 2.*

A B C D E

IESV CHRISTI ANNVS 529. FELICIS PAP. ANNVS 4. IVSTINIANI IMP. 3. ATHALARICI REG. 4.

BAſilij Iunioris Conſulatu abſque collega præſens annus Domini quingenteſimus vndetrigeſimus adnotatur: quo ipſis Kalendis Ianuarij, ſummum illud Africanæ Eccleſiæ decus ſanctus Fulgentius Ruſpenſis Epiſcopus poſt innumera pro Catholica fide certamina, poſt iteratas ſæpe confeſſiones, poſt exilia, aliaſque paſſas ærumnas, poſt denique plurimorum ſcriptorum egregijs monumentis tum hæreſes profligatas, tum Orthodoxam pietatem & diſciplinam Eccleſiaſticam cuſtoditam, ſartamque tectam relictam, optatum diu, antè præcognitum præſenti vitæ finem lætus impoſuit. Ita quidem colligi ex rebus ab eo geſtis, ab eius diſcipulo ad ipſius ſucceſſorem Felicianum ſcriptis, ſuperiori tomo oſtendimus. Viget in ſcripta in Eccleſiaſticis Faſtis Conſulis noſtri, ipſius inquam Fulgentij in æternum permanſura memoria anni principio conſecrata, ipſis Kal. Ianuarijs annis ſingulis in Eccleſia repetenda, ipſa videlicet die, qua felicioribus auſpicijs non in Capitolium, ſed in cælum perenni gloria trabeatus aſcendit, non vt Conſul terrenus annum vnum aperiens, ſed vt cæleſtis ampliſſimæ dignitatis ſibi reſerans æternitatem. At quæ apparitura præceſſerit, videamus.

OBITVS S. FVLGENTII

Quibus, inquam, præuijs pietatis exercitationibus ſe ad præuiſum vitæ exitum præparauerit, ab eodem auctore ſic accipe [e]: Ante annum fermè quàm de iſto ſæculo raperetur, profunda cordis compunctione permotus, reliquit ſubitò Eccleſiaſticas occupationes, & de ipſo quoque monaſterio ſuo ſecretò recedens, ad inſulam Circinam, paucis comitantibus fratribus, nauigauit. Vbi in quodam breui ſcopulo, cui nomẽ eſt Chilmi, vbi iam monaſterium fabricari mandauerat, lectioni & orationi ac ieiunijs vacans, veluti ſciret appropinquare ſibi nouiſſimum diem, ſic ex toto corde ſuo pœnitentiam geſſit. Et quamuis tota vita eius, ex quo manachorum profeſſionem conuerſus ex toto corde ſuſcepit, pœnitentiæ fuerit tempus: in hac tamen inſula multo ampliùs ac multo diligentiùs, inchoanti ſimilis, membra ſua mortificauit, & in conſpectu ſolius Dei fleuit.

e *Apud Sur. tom. 1. die 1. Ianuar.*

AD FVTVRVM TRANSITVM FVLGENTII PRAEPARATIO.

Inde iam plurimis de abſentia ſacerdotis murmurantibus, charitatis neceſſitate conſtrictus, iterum deſcendit in monaſterium ſuum, conſueta hominibus religioſis exhibere ſolatia, laboreſque duriſſimos pro vtilitatibus proximorum longanimiter ſuſtinere. Non multi autem fluxerant dies, & ecce ſeruum fidelem bonus Dominus requirebat. Incidit enim repentè in corporalis infirmitatis acerrimas paſſiones: vbi ſeptuaginta propè diebus ægritudine fatigatus, hoc ſolùm frequenter dicebat: DOMINE DA MIHI MODO HIC PATIENTIAM, POSTEA INDVLGENTIAM. Nec ab iſto ſermone aliquando ceſſauit, ſiue dolor affligeret, ſiue febris intenderet, ſiue laſſitudo diſſolueret. Perſuadentibus autem medicis, vt lauacris balnearibus vteretur: Numquid balnea, inquit, facere poterunt, ne homo mortalis, expleto vitæ ſuæ tempore, moriatur? Si verò proximam mortem nec aquarum calidarum poſſunt fomenta repellere: cur mihi, obſecro, perſuadetis, vt rigorem diu ſeruatæ profeſſionis in fine diſſoluam? Sic ſalutem ſuam ſupernæ voluntati fideliter credens: poſtquam ſe ſenſit ſine aliqua dubitatione diſſol-

AEGROTANTIS FVLGENTII VERBA.

A ne dissoluendum, vocans vniuersos clericos suos, præsentibus monachis allocutus est eos, dicens:

Ego, fratres, animarum vestrarum saluti prospiciens, molestus apud vos forsitan & difficilis extiti: & ideo obsecro vos, vt ignoscatis mihi, quisquis aliquid dolet. Et si forsitan seueritas nostra modum transgressa est debitum: orate ne mihi hoc Dominus imputet ad peccatum. Cumque talia beato Fulgentio lacrymosis singultibus exponente, cuncti simul super genua eius caderent, semper bonum, semper affabilem pro omnium salute, sicut decuit, inuigilasse, clamantes: Prouideat ergo, ait, vobis Dominus Deus meus pastorem dignum se. Tunc imperato silentio, paulum requieuit. Et deinde curam pauperum gerens, requisita summa pecuniæ, de qua fidelissimus dispensator quotidie egentibus ministrabat, totum iussit expendi, per se ipsum memoriter recolens viduarum, pupillorum, peB regrinorum, cunctorumque illic indigentium nomina; quibus quid singulatim daretur, propria deliberatione constituit, heredes in hoc sæculo non habens, hereditatem tamen huius beneuolentiæ solicitudinis pauperibus derelinquens. Sed nec suos clericos debita benedictione fraudauit, ipsorum quoque paupertati misericorditer consulens. Ac secretè omnibus ordinatis, orans iugiter, & intrantes singulos benedicens, vsque ad extremam horam sana mente permansit. Postremò, die Kalendarum Ianuariarum post peractam vesperam, beatum spiritum feliciter in manibus Domini tradidit, annum sui Episcopatus agens vigesimum quintum, vitæ autem totius sexagesimum quintum, sicut multis antè fratribus morti proximus indicauit.] pergit dicere auctor de eius celebri funere Christiano ritu exhibito & honorifica sepultura.

FVLGENTIVS HVMILITER VENIAM DEPRECATVR.

S. FVLGENTII OBITVS.

Quantam verò ex eius transitu populus ille passus sit iacturam, confestim manifestaC uit euentus, quo declaratum est, ipsum viuentem suo populo fuisse, ne læderetur à proximis barbaris, munimentum; cùm eo sublato, tamquam valido amoto præsidio, eisdem quicquid vellent, agere liberum fuerit. nam audi: Probauerant quippe (inquit auctor) sæpiùs, quanta bona illis oratio beati Fulgentij præstiterat, & quanta mala repulerat; sicut postea manifestis indicijs euidenter apparuit; quando non post plurimos dies decessionis eius gens inimica Maurorum Ruspense territorium repentè vexauit, rapinis, cædibus, incendijs multa deuastans, atque intra ipsos ecclesiæ parietes quos inuenire potuit, iugulans. Quis beati Fulgentij gratiam non miretur? Quamdiu vixit, furorem belli ciuitas illi commissa non sensit: & cùm tota penè prouincia captiuitatem sustinuisset horribilem, Ruspa fuit incolumis propter sacerdotem venerabilem, cuius vita proprijs ciuibus murus fuit.] Verùm ob peccata populi secundùm illud Propheticum [a]: Auferam sepem D eius, & erit in direptionem: diruam maceriam eius, & erit in conculcationem] factum est cum miseris illis.

FVLGENTIVS VIVENS POPVLI CONSERVATOR.

[a] *Isaiæ 5.*

Dedit planè S. Fulgentij precibus Dominus, vt viuens, conseruator esset non solùm propriæ ciuitatis, sed totius etiam Africanæ prouinciæ, in qua per plures annos Ecclesia ibi posita pace sub Vuandalis fruebatur. quomodo autem ipso defuncto, rursum dira vexatione eamdem contigerit agitari, dicturi sumus anno sequenti. Quod verò pertinet ad locupletem hereditatem, quam viuens atque laborans Ecclesiæ Catholicæ acquisiuit, moriensque reliquit, scriptorum inquam præclara monumenta, quæ & superiùs pro ratione temporis, quo singula scripta sunt, recensuimus: magna ex parte perijsse, dolendum. Quæ enim extant eius lucubrationes, maiori faciunt eas quæ exciderunt dolore percupere. Planè contigit morte Fulgentij, tamquam fulgentis sideris radijs ad occasum dilapsi, vniuersam AfriE canam prouinciam tetra noctis caligine remansisse perfusam. Etenim nullus post Fulgentium tanti fulgoris posterioribus sæculis illuxisse visus est doctrinæ & sanctitatis claritudine conspicuus Africanus Antistes.

POST FVLGENTII OBITVM AFRICANA ECCLESIA VEXATA.

Quæ autem temporibus Isidori adhuc extabant eius scripta, ita ipse agens de scriptoribus Ecclesiasticis numerauit [b]: Fulgentius Afer Ruspensis Ecclesiæ Episcopus in confessione fidei clarus, in Scripturis diuinis copiosè eruditus, in loquendo quoque dulcis, in docendo ac differendo subtilis, scripsit multa: ex quibus legimus de Gratia & libero arbitrio libros responsionum septem, in quibus Fausto Gallo Regiensis vrbis Episcopo Pelagianæ prauitati consentienti respondens, obnititur eius profundam destruere calliditatem. Legimus eius librum de sancta Trinitate ad Felicem directum Notarium: librum quoque Regulæ veræ fidei, & alium de Sacramento incarnationis Domini nostri Iesu Christi. Extant & duo libri eius de Veritate prædestinationis ad Episcopos missi, in quibus demonstrat, quòd

[b] *Isid. de Script. Eccles. c. 14.*

SCRIPTA FVLGENTII COGNITA ISIDORO.

quòd gratia Dei in bonis voluntatem humanam præuenit, & quòd Deus quosdam prædestinationis suæ munere iustificans præelegat, quosdam verò in suis reprobis moribus occulto quodam iudicio derelinquat. Est alter liber altercationis eius, quo de fide cum Trasamundo Rege idem Fulgentius disputauit. Ad Ferrandum quoque Ecclesiæ Carthaginensis diaconum vnum de interrogatis quæstionibus scripsit libellum. Inter hæc composuit & multos tractatus, quibus sacerdotes in ecclesijs vterentur. Plurima quoque feruntur ingenij eius monimenta; hæc autem ex pretiosis doctrinæ eius floribus carpsimus. Sors melior, cui delicias omnium librorum eius præstiterit Deus.] hæc Isidorus. A

Constat insuper testificatione Ferrandi diaconi Carthaginensis, in ipsis extremis vitæ momentis absoluisse Fulgentium tractatum ad Reginum de quæstione illa famosa Alexandriæ (vt vidimus) agitata, num Christi caro corruptibilis, an incorruptibilis sit: sed satisfacere eidem Regino Comiti minimè valuisse, dum ab eodem scribi petierat præcepta à milite Christiano seruanda: cui postea ipse Ferrandus diaconus satisfecit, scribens ad eumdem Comitem eo argumento eruditum satis commentarium. Testatur id quidem ipse, cùm in opus ita post alia præfatus est: Laudabili solicitudine interrogasti venerabilis memoriæ Fulgentium Pontificem Ruspensis Ecclesiæ, qualis tibi militaribus actibus occupato regula esset spiritualis propositi retinenda. Sapienter profectò responsum sapientiæ à sapiente quæsieras. Nec interroganti, nec interrogato sancta prudentia defuit: & tu quod ille docere poterat, iam gerebas; & ille hoc docere poterat, quod tu gerebas: mores tuos in sermonibus eius agnosceres, sermones suos ille ex tuis moribus approbaret. B

Modo autem quia semipleni libelli imperfecta dictatio nihil huic tuę interrogationi cognoscitur respondisse: principia enim glorioſi operis primam quæstionem litterarum tuarum diutiùs ventilant, Vtrum caro Christi corruptibilis, an incorruptibilis sit. Vnde adhuc disputans ille doctor egregius, antequam fideliter (ratione fidei reddita) de actibus militaribus cùm pietate tractandis inciperet loqui, transiuit ad æternæ beatitudinis immortalia gaudia, Verbum Dei, quod in corde & ore semper habuit, facie ad faciem contemplaturus: importabilem sarcinam super humeros debiles ponis, &c.] Absoluit igitur Ferrandus eius discipulus, quod magister ipsius Fulgentius impeditus morte ea ex parte non attigit. Coluit mirificè sanctum Fulgentium ipse Ferrandus diaconus vt magistrum: nam & in epistola ad ipsum scripta, se esse eius discipulum profitetur, dum eumdem magistrum appellat: dignus planè tãto institutore discipulus, licèt non talis, qui æquauerit præceptorem. Ceterum & magno nomine ipsum Ferrandum hoc tempore claruisse, & de quæstionibus consuli solitum difficillimis: epistolæ ipsius, quæ extant redditæ ad Anatolium Romanæ Ecclesiæ diaconum, & quæ ad Seuerum Scholasticum Constantinopolitanum sunt scriptæ, satis docent: sed & quam postea ad Pelagium & ipsum Anatolium Romanos diaconos scripsit (vt tradit Isidorus [a]) num liceat aliquem condemnare post mortem, licet ipsa desideretur epistola, quantæ tamen fuerit æstimationis, æquè significat. At de Ferrando modò satis. C

FERRANDVS DIAC. INSIGNIS DOCTOR. D

[a] *Isidor. de Vir. Illust. c. 16.*

Quod rursum ad res Occidẽtalis Ecclesię pertinet, hoc ipso anno magnus ille Benedictus ex anguſtijs Sublacensium montium diuino monitu egressus, Cassinum petens, ad cuius montis radices erat sita villa Marci Varronis, illic erecto monasterio, monasticum ordinem mirificè propagauit: agit de his sanctus Gregorius in dialogis, vbi & res ibi ab eo præclarè gestas enarrat. Quod verò ad tempus spectat, id firmatum habes ex Cassinensi Chronico, & Leone Ostiensi Episcopo, atque ex Actis sancti Placidi, Gordiani nomine vtcũque conscriptis [b]. dum anni quinque traduntur interceſſiſſe ab aduentu Placidi in Sublacense monasterium ad sanctum Benedictum vsque ad eius migrationem factam Cassinum: sed & id expressiùs confirmat auctor in Actis Placidi, dum hoc ipso anno Domini quingentesimo vigesimonono contigisse tradit: licet loco Iustini Imperatoris, Iustiniani restituendum sit, cuius Imperij tempore, non Iustini, hæc contigisse liquet. Sunt plura alia, quę illic mendosa, nonnulla verò mendacia (vt suo loco dicturi sumus) inueniuntur. E

S. BENEDICTVS CASSINVM PETIT.

[b] *Vit. S Placidi apud Sur. die 5. Octobr.*

At quis Dei consilium non magnopere admiretur, dum considerat, eodem fermè tempore, quo in Oriente monachismus esset magnà ex parte collapsus, compluribus ex ijs à fide Catholica ad diuersos hæresum errores deficientibus, alijs quoque ab vllo vetere instituto rigido in delicias prolabentibus: eodem inquam tempore in Occidente instaurari, atque longè latèque diffundi obseruantiam monasticæ disciplinæ, eamque adeò fœcundo

MONACHISMVS INSTAVRATVS ET PROPAGATVS.

A cundo germine propagari, cùm veluti ex tenui surculo prægrandium exortæ sint frugiferarum arborum siluæ, quæ vniuersam repleuerint Occidentalem Ecclesiam; extiteritque locuples seminarium, ex quo plurimi progressi sint sanctissimi diuersarum Ecclesiarum Episcopi; nec defuerint ex ijs, qui in throno Apostolico considentes, vniuersam Catholicam Ecclesiam, cùm vehementiores vrgerent fluctus, constantissimè gubernarint: progressique ex eodem monachorum ordine sint, qui Apostolico munere complures barbaras nationes, Christi iugum ferre impatientes, tandem ad Christianam fidem sponte capessendam conuerterint; prodierintque alij, qui ob suscepta grandia pro religione certamina sint victores consecuti coronam martyrij. præterimus modò illos, qui sacrarum rerum scientia nobiles inter scriptores Ecclesiasticos floruere; nec numeramus, quæ numerari vix possint, sacrarum examina virginum: sicut nec facilè sit recensere, quot ex hoc vno verè dicendo sui
B humilitate fonticulo immensa flumina sint deriuata; quot, inquam, ex Benedicto diuersorum ordinum sint progressa agmina monachorum, qui licet diuerso nomine in Ecclesia Dei circumamicta varietate censeantur, instituti tamen esse S. Benedicti, & ab ipso progredi gloriantur. Hæc tanta tibi hîc vno intuitu, tamquam immensum cælum in paruo globo descriptum, inspicienda obiter modò proponimus; quo sentias facturos nos operæpretium, si tanti viri primordia atque progressus, temporum ratione distinctos, quantum licuerit, Annalibus intexamus, atque cùm opportuna se occasio dederit, eiusdem contigerit meminisse.

Vt autem ad Cassini montem Christi athleta diuinitus vocaretur; certamen, quod ad- S. BENEDICTVS AVFERT RELIQVIAS IDOLOLATRIAE
uersus dæmones mox ibi esset iniurus, causa fuisse videtur. Nescio enim qua incuria dormitantium Episcoporum, quæ longè lateq; in Christiano orbe extincta erat idololatria, in
C monte illo altioribus fixa radicibus adhuc vigebat: ibi namque fortis armatus, tamquam impietatis arce munitus; cultum à sibi subditis infelicitet exigebat; sed cùm fortior ipso venit, penitus cedere cogitur. At quomodo id acciderit, à S. Gregorio [a] paucis accipe: Ibi, inquit, vetustissimum fanum fuit, in quo ex antiquo more Gentilium à stulto rusticorum populo Apollo colebatur: circumquaque enim in cultu dæmoniorum luci succreuerãt, in quibus adhuc eodem tempore infidelium insana multitudo sacrificijs sacrilegis insudabat. Illuc itaque vir Dei perueniens, contriuit idolum, subuertit aram, succendit lucos, atque in ipso templo Apollinis oraculum * beati Martini, vbi verò ara eiusdem Apollinis fuit, ora- * oratorium
culum * sancti Ioannis construxit: & commorantem circumquaque multitudinem prædi- * oratorium
catione continua ad fidem vocabat.

[a] *Gregor. dialog. lib. 2. c. 8.*

Sed hæc antiquus hostis tacitè non ferens, non occultè, vel per somnium, sed aperta vi- CONQVERITVR DIABOLVS DE SS. MONACHIS.
D sione sese eiusdem Patris oculis ingerebat, & magnis clamoribus vim se perpeti conquerebatur, ita vt voces illius etiam fratres audirent, quamuis imaginem minimè cernerent. Vt enim discipulis suis venerabilis Pater dicebat, corporalibus eius oculis idem antiquus hostis teterrimus & succensus apparebat, qui in eum ore oculisq; flammantibus sæuire videbatur. Iam verò quæ diceret, audiebant omnes. Priùs enim hunc vocabat ex nomine: cui cùm vir Dei minimè responderet, ad eius mox contumelias erumpebat. Nam cùm clamaret, dicens: Benedicte, Benedicte: & eum sibi nullo modo respondere cõspiceret, protinus respondebat: Maledicte, non Benedicte, quid mecum habes? quid me persequeris, &c.] Intelligis ex his, puto, lector, cuiusnam lingua loquantur, quóve spiritu agitentur infelicissimi Nouatores, qui in eumdem sanctissimum virum, aliosque à Deo benedictos monachos maledicta & contumelias iaculari non cessant. At de S. Benedicto omnibus benedictionibus pro-
E sequendo, modò hactenus. Quomodo autem diabolus licet victus semper, certamina tamen noua instaurare aduersus magnum Christi militem numquam destitit, ipse Gregorius Papa eiusdem sæculi scriptor veritatis amantissimus omni fide posteris tradidit intuenda. Hîc verò, quod exigere videbatur instituti ratio, perpauca modò hæc libasse sufficiat. Occurret enim nobis sæpe in via posteris temporibus Benedictus, cùm nonnullas res ab eo gestas temporis ratio, vt in medium adducamus, à nobis opportunè requiret. Sed antequam recedamus ab Occidente, Francorum Ecclesiam inuisamus, probè factis Regum, & Episcoporum sanctitate florentem.

Hoc namque anno Theodoricus Rex Francorum, tertius Clodouei filius, egregium edi- S. NICETIVS PROMOVETVR IN EPISCOPVM TREVER.
dit specimen pietatis, dum sanctum Nicetium monachum, quem sæpe passus fuerat acerrimum reprehensorem, vt aliquam paternæ charitati rependeret gratiam, curauit in Archiepiscopum Treuerensem eligi; probè sciens, eum verè dignum Episcopatu, qui nõ vere-

retur

[a] *Psal.118.* retur pro custodia diuinæ legis vultum potentis, secundùm illud Dauidicum [a]: Loquebar A
de testimonijs tuis in conspectu Regum,& non confundebar.] Hoc,inquam,ipso anno or-
[b] *Habet eas De moch.lib. de sacrific. Missæ.* dinatum eum Treuerensem Antistitem, tabulæ [b] eius Ecclesiæ docent: res autem ab ipso
[c] *Greg.Turo. in Vit.S.Nicetij.* gestas ex eius discipulo beato Aridio Abbate acceptas recitat Gregorius [c] Turonensis,à quo
& hoc obseruatione dignum de eiusdem quoque ortu percepit: Cùm Nicetius partu fuis-
set effusus,omne caput eius (vt est consuetudo nascentium infantium) à capillis nudum cer-
nebatur,in circuitu verò modicorum pilorum ordo apparuit,vt putares ab eisdem coronam
clerici esse figuratam.] Habes ex his non solùm quod mireris de prodigio, sed & quod di-
scas de veteri clericalis forma tonsuræ. At de eius ordinatione Theodorici Regis studium
ab eodem auctore sic accipe:

Venerabatur (inquit) eum & Rex Theodoricus magno honore,eo quòd sæpiùs vitia eius
nudaret & crimina, vt castigatus emendatior redderetur. Et ob hanc gratiam,decedente B
*accīri Treuericæ vrbis sacerdote,eum ad Episcopatum iussit accersiri *: iamque dato consensu po-
S.NICETIVS DEFENSOR IVSTITIAE. puli ac decreto Regis ad ordinandum,& à viris summo cum regio honore præditis adduce-
batur.Verumtamen cùm propinqui ad vrbem,cadente Sole,fixis tentorijs, mansionem pa-
rarent: illi confestim laxatos equos per segetes pauperum dimiserunt. Quod cernens bea-
tus Nicetius, misericordia motus, ait: Expellite quantocyus equos vestros à segete paupe-
rum: alioquin remoueam à communione mea. At illi indignantes dixerunt: Quænam est
hæc causa,quam loqueris? Adhuc enim Episcopalem apicẽ non es adeptus, & iam excom-
municationem minaris? Et ille: Verè, inquit, dico vobis,quia destinauit Rex,vt me auul-
sum à monasterio huic oneri consecrari iuberet: fiet quidem voluntas Dei: nam Regis vo-
luntas in omnibus malis,me obsistente,non adimplebitur.Tunc cursu rapido abiens, eiecit
equos à segete, & sic cum admiratione hominum illorum ad vrbẽ deductus est. Non enim C
honorabat personam potentis,sed Deum tantùm in corde & opere metuebat.] At etsi le-
uia hæc videri poterant,maximi tamen ponderis à prudentibus existimata fuerunt. Quo-
modo enim passurus esset à potentibus opprimi personas pauperum, qui nec segetem à iu-
mentis depasci permisit? Hæc in via. Quid autem obseruatione dignissimum in ipsius or-
dinatione contigerit,accipe:

ONVS EPISCOPALE SENSIT NICETIVS. Impositus itaque in cathedra,cùm lectionum seriem auscultaret,sensit nescio quid graue
super ceruicem suam. Cumq; bis aut ter manum clàm ad tentandum iniecisset, nullius rei
[d] *Psal.6.* causam inuenire potuit,quæ hoc pondus inferret. Diuertensque caput ad dexteram & læ-
uam, odoratus est odorem suauitatis: intellexit quoque hoc onus esse sacerdotij ipsius di-
gnitatem.] ita planè secũdùm illud Dauidicum [d]: Imposuisti homines super capita nostra.]
hæc de sancti Nicetij ordinatione,quæ contigit hoc anno, Gregorius: reliqua de ipso tem- D
poris opportunitas suggeret. Videbis planè (quod mireris) inuictos Francorum Reges à Dei
sacerdotibus tantummodo laudabiliter pati vinci: cùm verò quis ipsis obstinatè nimis ob-
stiterit,diuinam mox expertum esse vindictam,intelliges.

At non prætereat carmen Venantij Fortunati, quo eumdem virum sanctissimum Nice-
[e] *Venãt.Fort. carm.lib.3.* tium iam Episcopum ordinatum prosecutus est: sic enim se habet [e]:

Splendor,apex fidei,veneranda mente Niceti,
Totius Orbis amor,Pontificumq; caput:
Summus Apostolico præcellens pastor ouili,
Auxisti meritis,quicquid honoris habes.] Apicem vocat fidei ob egre-
giam eius sanctitatem magna fide pollentem, qua ceteris præstare videri poterat: dicitque
Pontificum caput, quod nobilissimæ præfectus esset Ecclesiæ Treuerensi, cui complures E
subiacerent Episcopi. Sed pergit:

Diuino insistens operi,terrena relinquis.
Cùm moritur mundus,non morituræ manes.
Vita breuis cunctis,sed non breuis illa beatis:
Cùm bona non pereant,iure perennis erit.
Dum tibi restrictus maneas,& largus egenis,
Quod facis in minimis,te dare crede Deo.
Captiuus quicumque redit,sua limina cernens,
Ille lares patrios: tu capis inde polos.
Hîc habet exul opem, ieiunus inuenit escas:
Qui venit esuriens,hinc satiatus abit.

Tristibus,

A *Tristibus, imponis curas, purgando querelis,*
Et sanas cunctos vna medela viros.
Pauperis hinc lacrymas desiccans, gaudia præstas.
Qui priùs ingemuit, vota salutis habet.
Te pascente greges, numquam lupus arripit agnos:
Sunt benè securi, quos tua caula regit.
Templa vetusta Dei renouasti in culmine prisco,
Et floret senior, te reparante, domus.
Hinc populis longos tribuas pia vota per annos,
Et maneas pastor, ne lacerentur oues.] hæc de Nicetio Episcopo Fortunatus. Iam verò res Orientales inuisamus, quas præsens annus memoria dignas exhibet.

B Hoc igitur anno, sub eodem Consulatu Basilij, edita extat Nouella [a] constitutio à Iustiniano Imperatore aduersus eos, qui homines castrantes, eunuchos reddunt. Sed vnde eiusmodi condendæ legis causa prouenerit, hîc primùm recensendum esse putamus. Euagrius [b] namque ex Procopio ista summatim collegit: Memorat præterea idem scriptor Absagos ad mitius humaniusque vitæ genus traductos, ijsdem temporibus fidem Christianam recepisse, Iustinianumque Imperatorem quemdam ex Eunuchis aulicis Absagum genere, nomine autem Euphratam ad eos misisse, qui vetaret, ne cuiquam in ea gente, quasi vi illata naturæ, testiculi execarentur. Nam qui cubiculis Imperatorum inseruiebant, quos vulgò vocant eunuchos, persæpe ex ea gente sumi consueuerunt.] hæc de Absagis & eunuchis Euagrius ex Procopio, eademque Nicephorus [c]. Addunt præterea, Iustinianum apud Absagos templum Deiparæ erexisse, sacerdotesque illic constituisse, à quibus populi illi Chri-

C stianam religionem addiscerent. De his agens Procopius [d], eosdem populos habitare apud montem Caucasum tradit.

Ad hos itaque eumdem Iustinianum Imperatorem alludisse apparet, dum ad finem dictæ constitutionis ait: Si enim barbari simulatque nostra de hoc audierunt mandata, hæc custodierunt: quomodo tandem permittemus, vt post tot retro Principum sanctiones tale quid denuo relinquatur in nostra Republica?] ex quibus etiam quod ad rationem temporis pertinet, intelligere valeas, Absagos iam ad fidem conuersos legibus Romanorum paruisse; factumq; esse, vt cùm ipsi licet barbari inolitam apud eos consuetudinem de castrandis pueris, parentes Iustiniani mandato, penitus reliquissent; idem Imperator vehementiori insurgeret animo in eos, qui diu legibus prædecessorum Imperatorum, ne id facerent, sæpe coerciti, nihilominus eiusmodi facinus perpetrare minimè desinerent. Quanto autem id vitæ

D periculo fieri soleret, audi ab ipso, dum ait [e]: Sæpenumero ex multis vix pauci euadant incolumes: vsque adeò, vt quidam ex his qui seruati fuerunt, sub nostro aspectu deposuerint; è nonaginta ægrè tres seruatos esse, &c.] Iustè igitur Iustinianus in eosdem eam legem tanti sceleris vindicem promulgauit, datam hoc anno, xv. Kalend. Decembris, sub dicto Consulatu Basilij, Indictione decima inchoante.

Ijsdem fermè temporibus & Tzani populi ad finem conuersi sunt: mentio est de ipsis apud Iustinianum [f] Imp. in rescripto ad Zetam Magistrum militum, cùm agit ibi de populis interioris Armeniæ: sed deprauatè ibidem Anzitena prouincia pro Tzanitena ponitur. Cùm enim tempore illius latæ Tzani populi essent subiecti Romano Imperio, quam (vt ex ipsius exordio patet) satis apparet eius Imperij primordijs scriptam esse; planè intelligi potest, eosdem populos ipsis initijs eiusdem Imp. esse conuersos ad fidem: in ea enim san-

E ctione ista habet: Cùm propitia Diuinitate Romanum nobis sit delatum Imperium: solicita cura, cauta diligentia pertractantes, perspeximus oportere partibus Armeniæ, &c.] Sed quid de eorumdem populorum moribus, eorumq; ad fidem conuersione scribat Procopius [g], audi:

Vt hîc autem Tzanorum gentes iam describam, mihi non videtur esse alienum à ratione: sunt enim Armenijs finitimi. Tzani suis legibus sine Rege aliquo degunt, belluinam vitam agentes: deos quidem lucos, volucres & alia animalia arbitrantur & colunt. In altissimis montibus & opacis totam ætatem consumunt, terram nequaquam colentes, sed identidem furtis & latrocinijs viuentes, negligentes terram exercere. Vbi montibus præruptis non cinguntur, locus est collibus & tumulis abundans: vbi tumuli, ibi quæ terræ imminent, talia non sunt, vt fruges afferant, si colantur: valde enim aspera sunt & supra modum dura, nullarum penitus frugum feracia. quamobrem fieri non potest, vt hîc vel terram ares, vel

campum

[a] *Nouel. 142.*

[b] *Euag. lib. 4. c. 21.*

DE ABSAGIS AD FIDEM CONVERSIS.

[c] *Niceph. lib. 17 c. 13.*

[d] *Procop. de bello Persic. lib. 2.*

NE EVNVCHI FIERENT, IVSTINIANVS VETAT.

[e] *Iustinian. Nouel. 142.*

TZANI FACTI CHRISTIANI.

[f] *l. vlt. C. de offic magist. milit.*

[g] *Procop. de edific. Iustin. Imp. orat. 3.*

campum segetum demetas, vel pratum inuenias. Floret autem arboribus Tzanica, sed in- A
frugiferis & omnino sterilibus: quoniam vt plurimum nulla est hîc temporum reciproca-
tio & vicissitudo, vt nunc scilicet frigidis & humidis horis occupetur terra, nunc verò iuue-
tur calore Solis; sed perpetua hieme oppressa est, & assiduis niuibus irrigatur. propter hęc ex
TZANI POPVLI A IVSTINIANO SVBIVGATI. antiquo suis legibus viuunt Tzani. Iustiniano autem imperante, à Romanis pugna victi, &
iam amplius certamini non fidentes, statim sese omnes dediderunt, magis deligentes quie-
tam seruitutem, quàm libertatem periculosam. Et mutata religionis opinione, omnes Chri-
stiani facti sunt, & vitam humaniorem amplexati, dimissis latrocinijs, Romanos in suos ho-
stes progredientes semper comitati sunt.

Iustinianus ipsis ecclesiam constructit in loco qui Chanalinicon dicitur, effecitq; vt sacra
obirent, accederent ad mysteria, sacrificijs Deum placarent, & alijs quoque rebus sacrarentur, intelligentes tandem se homines esse. Structis etiam arcibus passim per regionem, Ro- B
manorum militum præsidia hîc collocauit, atque Tzanos commercium cum ceteris homi-
nibus habere instituit.] hæc Procopius de Tzanorum conuersione & facta à Romanis eo-
rumdem perfecta subiugatione, antequam quartus Iustiniani Imperij annus absolueretur,
vt ex eodem Procopio colligitur [a], dum agit de bello Persico, recensetq; ea quæ anno quar-
Procop. de bello Persic. lib. 1. to Imperij Iustiniani terminata sunt: licet vitio scriptoris, loco Tzani, Zani populi ibi sint
nominati, vbi & de ipsorum Christianitate pariter mentio habetur, & de bello quo ijdem
victi sunt. Felix Imperium, cuius primordia tam vbere prouentu ex multarum gentiũ con-
uersione locupletata fuere: felicissimum verò dicendum, si in omnibus media atque postre-
ma eiusdem Principis principia exæquassent. Sed quod in somnis ostensum est Pharaoni [b],
b Genes. 41. post feracem prouentum exortas esse spicas tenues percussas vredine, quæ ingentem penu-
riam præsignarent, qua præcedentium annorum fertilitas penitus insumpta deficeret: ita C
ferè huic accidit Imperatori, dum plus æquo diuina pertentat, & in Romanos Pontifices
extitit parum æquus. Sed reliqua prosequamur.

Hoc eodem anno idem Iustinianus Imperator, quem dederat colligendum, emendan-
dumq; Codicem suo nomine Iustinianeum appellatum, absolutum confirmauit, vulgauit-
que. Datum id negotij fuerat anno superiori delectis ad hoc viris clarissimis, vt eiusdē Im-
peratoris constitutio edita Idibus Februarij ad Senatum Constantinopolitanum anno su-
periori sub Consulatu eiusdem Imperatoris secundo declarat [c]. Absoluto verò opere hoc
c Constit. de nou. Cod fac. anno, septimo Idus Februarias ad Mennam Præfectum Prætorio de confirmando eodem
d Constit. de Iustin. Cod. confir. Codice constitutionem [d] edidit sub Consulatu Basilij. Ad hoc enim curandum opus De-
DECEMVIRATVS PRO COMPILANDO CODICE cemuiratus constitutus est ab eodem Imperatore, delectiq; Ioannes Patricius vir Consula- D
ris & Exquæstor, Leontius Magister militum ex Præfecto Prætorio, Phocas Magister mili-
tum & Patricius, Basilides Patricius ex Præfecto Prætorio Orientis, Thomas Exquæstor sa-
cri Palatij, Tribonianus Magister Officiorum, Constantinus Comes sacrarum largitionum,
Theophilus Comes sacri Consistorij, Dioscorus & Præsentinus togati Iudices sacri Præto-
riani. His datum est onus Codicis Iustinianei elaborandi, eo ostenso illis totius tractationis
argumento, nimirum vt ex tribus Codicibus, Gregoriano, Hermogeniano, & Theodosia-
no, tertium elucubrarent, quem & Iustinianeum (vt diximus) Codicem appellarent ob ad-
ditamentum nouarum ipsius Imperatoris constitutionum.

TRIBONIANVS QVALIS FVERIT. Qui verò præ ceteris in opus insudasse visus est, fuit Tribonianus iureconsultissimus, de
cuius statu moribusque Procopij diuersa assertio est: qui primùm cùm ipsum laudat, agens
de bello Persico, ista habet [e]; Tribonianus Pamphilius genere, vir moribus & disciplina om-
nium artium nulli secundus, iustum sectabatur lucrum, singulis diebus leges aliquas aut an- E
tiquabat, aut condebat.] hæc Procopius. At eodem libro, immemor fortasse Tribonianum
à se laudatum, ista subijcit, sugillans ipsum auaritia: Cùm natura mitis & humanus esset;
quibus moribus simul & doctrina singulari vnicum auaritiæ morbum obscurabat.] sed vi-
tium eo turpius videri solet, cùm pulchritudine proximarum virtutum magis perspicuum
redditur. At quæ in homine vera virtus, cui auaritia dominatur? Verùm audi de Tribo-
niano Suidam: Tribonianus Macedoniani filius à Dicegoris hyparchis Gentilis fuit & im-
pius, omnibus modis à Christiana religione alienus, adulator & impostor, qui persuadere
conabatur Iustiniano, eum non moriturum, sed cum carne in cælum assumptum iri.
Fuit autem Quæstor Iustiniani. Hic & ingenij facultate vtebatur, & ad summam peruene-
rat eruditionem, nemini suæ ætatis inferior: pecuniæ ad miraculum auidus, ius pretio ven-
dere solitus, & legum dies alios plerumque tollebat, alios scribebat, pro cuiusque necessitate
e Procop. de bello Persic. lib. 1.

accepto

A acceptо pretio. Eo in honore cùm multos annos vixisset, morbo decessit, nihil iniucundi à quoquam perpessus: nam & facundus erat, & cetera suauis, & auaritiæ morbum amplitudine doctrinæ solertissimè occultabat. hucusque Suidas.

Sed planè monstruosum id de persuasione immortalitatis, qua seducebat Imperatorem putare quis posset & fabulosum, nisi id alterius grauissimi auctoris fulciretur auctoritate. Nam Hesychius Milesius de Philosophis scribens, hæc de ipso: Tribonianus Iustiniano Imperatori adulans, ei persuasit non moriturum ipsum, sed vnà cum corpore receptum in cælum migraturum. Erat autem Paganus & impius.] hæc ipse. Fortasse inde eiusmodi fama percrebuit, quòd Tribonianus leges scribens nomine ipsius Iustiniani, ea apponere verba consueuit[a]: Nostra sanxit æternitas.] id quidem dicerem ad Iustiniani excusationem, nisi ea-

B dem verba ab alijs plerisque prædecessoribus Imperatoribus vsurpata inuenirentur, quæ diximus derisisse atque reprehendisse Ammianum in Constantio Imperatore.

PERSVASA IMMORTALITAS IVSTINIANO.

[a] *l. vlt. Cod. de Episc. & cler. & aliis.*

Sed illud attende, quòd cùm vsum esse scias Iustinianum Triboniano Ethnico homine in legibus conscribendis; nihil est quod mireris, si impios Imperatores, Zenonem videlicet & Anastasium, iam sententia Romani Pontificis, comprobante id ipsum (vt vidimus) Constantinopolitano Concilio, necnon Iustino Augusto, è catalogo Imperatorum abrasos, penitusque damnatos, nihilominus insigni titulo pietatis in legibus ab eodem Triboniano conscriptis eosdem reperias nominatos. Habes præterea, ex quibus eumdem Tribonianum auctorem intelligas, cuius studio factum est, vt cùm Christianorum Principum sanctionibus Christiana religio abundaret, suis nihilominus fauens Ethnicis Imperatoribus ipse Ethnicus legum conditor atque collector, in eodem Codice Iustinianeo exscripserit leges ipsorum Augustorum, vt Diocletiani & aliorum, qui Christianam religio-

C nem persecuti sunt.

TRIBONIANVS ETHNICIS FAVIT.

Sed quòd in his versatur oratio, non prætermittamus dicere de Ioanne Patricio, qui primus omnium recensetur decemuirùm, quibus delegatum est opus: qualis namque iste fuerit, ex Procopio accipe, qui ait[b]: Prætorij Præfectus tunc Ioannes Cappadox erat, Tribonianus verò Pamphilius.] & paulo pòst: Horum alter Ioannes artium liberalium ac disciplinæ omnis expers fuit: nihil enim è scholis, nisi tantùm litteras ab initio malas & has malè scribere didicit: naturæ tamen robore omnium quos scimus vehementissimus, ac nosse opportuna idoneus, tum rebus dubijs viam aperire, cum his vitia miscuit ingentia. Nam in primis improbus, ac natura maleficus, neque Dei ratio, neque hominum reuerentiæ respectus vllus: perdere insuper hominum vitas, vrbesque delere ei curæ fuit, ex quo breui tempore multas opes consecutus est, quas vndique rapere & perdere natus erat. Voluptatibus

D insuper deditus, ebrietati quoque ac satietati vomitibus occurrebat. Et Ioannes quidem talis erat.] hæc ipse; qui & inferiùs de eodem [c]: Ioannes verò omnibus grauis & difficilis, auaritia, crudelitate, perfidiaque infamis, eoque insaniæ processerat, vt Theodoram Augustam feminam sapientissimam apud virum calumniaretur, &c.] hæc de ipso modò satis, reliqua autem suo loco inferiùs.

[b] *Procop. de bello Persic. lib. 1.*

IOANNES CAPPADOX PATRICIVS

[c] *Procop. ibid.*

Possent quæ scribuntur à Procopio de Ioanne, in suspicionem adduci, num affectu priuato in illum commotus, eadem in ipsum probra congesserit: sed cùm Cappadocem audio, memoriaque repeto quæ de Præfectis Cappadocibus antè scripserit Isidorus Peluſiota, vt de illis minimè dubitem facit. Nam audi quid sanctus vir ad Florentium [d]: Hoc habete, Cappadox est: vt Cappadox Imperium gessit.] Rursum attende quid idem scribat ad Isidorum [e]: Carthaginenses homines minùs malos lex magistratum gerere prohibet: Cappa-

E doces autem quorum ingens est improbitas, nulla lex ab Imperio & Præfectura remouet. Quoniam igitur de omnibus bene mereri cupis, & parem cupiditati potentiam habes: aut legem immuta, Cappadocem potiùs quàm Carthaginenses à gerendo Imperio arcens; aut cum his illos quoque copula, &c.] & ad Ruffinum Præfectum Prætorio de Ægyptijs & Cappadocibus ista eodem argumento ingerit [f]: Ægyptios quidem ob crudelitatem ac morum immanitatem lex ab Imperio & Præfectura arcet: Cappadoces autem, quicos improbitate superant, non item. Quoniam igitur nos Cappadocem Præfectum nacti, nationis ad struendas calumnias propensæ periculum frequens facimus: Vos autem, qui Imperatoris voluntatem, quibus in rebus vultis, habetis: hos quoque illis copulate, vt ne cuiquam alij regioni Cappadox præsit, quàm suæ. Consentaneum profectò est, eos patria acerbitate mutuò ab sese irrigari ac perfundi.] hæc Isidorus, qui alias plures eodem argumento reperitur scripsisse epistolas [g]. At hæc satis occasione Ioannis Cappadocis, principis

INFAMATI PRAEFECTI CAPPADOCES.

[d] *Isidor. lib. 1. epist. 486.*

[e] *Eodem lib. 1. epist. 485.*

[f] *Eodem lib. 1. epist. 489.*

[g] *Eodem lib. 1. epist. 485. 484. 487. 490.*

Decemuiratus ad Codicem Iustinianeum colligendum electi. En quales homines sanciuere A
Romano Imperio leges.

Quoniam verò ex constitutione eiusdem Imperatoris de nouo Codice confirmando data hoc anno ad Mennam Præfectum Prætorio, satis intelligis eum hoc anno magistratu functum esse: reliquæ quoque eiusdem Imperatoris sanctiones ad eumdem inscriptæ, quæ plures sunt diuersique generis, quo tempore fuerint promulgatæ, possumus pariter intelligere. Sed hic finis esto rerum gestarum præsentis anni.

IESV CHRISTI ANNVS 530. FELICIS PAP. ANNVS 5. IVSTINIANI IMP. 4. ATHALARICI REG. 5.

B

FELICIS PAPAE OBITVS.

TRigesimus Christi post quingentesimum adest annus, Lampadij atque Orestis Consulatu notatus: quo ad quartum Idus Octobris Felix Romanus Pontifex ex hac vita decessit, vbi sedisset annos quatuor, menses duos, dies verò decem & octo. Extat eius epistola data hoc anno sub dictis Consulibus Kal. Martij ad omnes Episcopos de ecclesiarum consecratione: rursum alia eiusdem argumenti sub iisdem Consulibus data, sed perram duodecimo Kal. Nouembris, quo tempore non ampliùs Felix, sed Bonifacius Secundus Romanæ Ecclesiæ Pontifex præsidebat: facilè enim accidisse potuit, vt loco Bonifacij, Felicis fuerit nomen appositum. Dolemus res eiusdem Papæ Felicis ob iniuriam temporum admodum ieiunas esse relictas. Apud Anastasium enim nonnisi ista de ipso leguntur:

Hic fecit basilicam sanctorum Cosmæ & Damiani in vrbe Roma, ad locum qui appellatur via Sacra, iuxta templum vrbis Romæ, *est autem sita apud templum Pacis.* Huius tem- C
poribus consumpta est incendio basilica sancti martyris Saturnini via Salaria, quam à fundamentis restituit. Hic fecit ordinationes duas per mensem Februarium & Martium,
* quindecim creauit presbyteros quinquagintaquinque*, diaconos quatuor, Episcopos per diuersa loca vigintinouem. Qui sepultus est in basilica sancti Petri Apostoli quarto Idus Octobris: & cessauit Episcopatus dies tres.] licet alicubi legatur, vacasse mensem vnum & dies quindecim, habita consideratione ad tempus schismatis, quando tandem ab omnibus cognitus est legitimus Pontifex.

Sic igitur cùm ab obitu Felicis Papę tres dies interceßissent, decimoseptimo Kal. Nouem-
* Sigisbuldo bris creatur Bonifacius patria Romanus, patre Sigisuultho*: ex quo nomine coniicere pos-
BONIFACIVS II. ROMANVS PONTIFEX. sumus eum, etsi natus sit Romæ, genere tamen fuisse Gothum: non enim Romanum, sed Gothum refert nomẽ Sigisuulthus: ex illo fortasse descendens Sigisuultho Gotho, quem eo D
claritudinis peruenisse, vt Cõsulatum ordinarium promeruerit, suo loco superiori tomo dictum est. Creato autem ipso Pontifice in basilica Iulij, aduersus eum in schismate in basilica Constantiniana erectus est Dioscorus diaconus; quem illum putamus, qui sub Hormisda
DIOSCORVS SCHISMATICVS CONTRA BONIFACIVM. Romano Pontifice functus est legatione ad Iustinianum Imperatorem vnà cũ collegis Germano & Ioanne Episcopis, Blando presbytero, atque Felice diacono. Cuiusnam autem rei causa conflatum sit schisma, etsi nihil inueniatur expressum; tamen (quantum coniicere licet) illam mihi facilè persuadeo, quòd conanti Athalarico Regi aliquem consecrandum deligere sacerdotem, parte cleri illi consentiente, reliqui aduersati alium ex aduerso creauerint Romanum Pontificem. Id enim opinari, quæ contigerunt in electione prædecessoris, ad-
[a] *Apud Cass. lib. 8. epi. 15.* modum persuadent, & quæ ex epistola Athlarici ad Senatum[a] sunt superiùs recitata.

Sed quæ post hæc de huiusmodi schismate legantur apud Anastasium, audiamus: Fuit E
(inquit) dissensio in clero & Senatu, quo tempore defunctus est Dioscorus pridie Idus
* Octobris Nouembris*. Istis diebus Bonifacius zelo & odio ductus cum grandi amaritudine sub vinculo anathematis & chirographi reconciliauit clerum: quod chirographum archiuo Ecclesiæ clausit, quasi damnans Dioscorum, & congregauit clerum: cui tamen in Episcopatu nullus subscripsit, dum plurima multitudo fuisset cum Dioscoro.] Quæ autem ibi subijciuntur de Synodo per Bonifacium congregata, sequenti potiùs anno contigisse videntur: agemus de ea suo loco. Dei namque beneficio factum est, vt citò morte præuento schismatico, extingueretur & schisma.

SIMONIAE LABE CONSPERSVS DIOSCORVS. Porrò qui contra Bonifacium Papam creatus est Dioscorus, magnopere simoniæ crimine infamatus habetur. Scribens enim postea Athalaricus[b] Rex ad Ioannem Bonifacij
[b] *Apud Cassi. lib. 9. epist. 5.* successorem Romanum Pontificem, hæc inter alia: A tempore sanctiss. mi Papæ Bonifacij, cùm de

A cùm de talibus prohibendis suffragiis P. C. Senatus consultum nobilitatis suæ memores condiderunt: Quicumque in Episcopatu obtinendo siue per se, siue per aliam quamcumque personam aliquid promisisse declaratur, vt execrabilis contractus cunctis viribus euacuaretur* , &c.] Sed & hæc clariùs de Dioscoro, quæ Iustinianus Imperator tradit, confirmant, nempe ob causam pecuniariam fuisse post mortem ipsum anathematizatum: id quidem, vt de his nulla possit dubitatio superesse, testatur expresè idem Iustinianus in edicto[a] ad Ioannem Romanum Pontificem. Sed de his agemus anno sequenti, vbi de Synodo in ea causa coacta sermo erit.

*efferretur

[a] Extat to. 1. Concil. vet. edit. in lucem Pap.

Legitur in collectione Conciliorũ nomine Iustini Imp. ad Bonifacium Papam fidei professio, quæ incipit: Prima salus est, &c.]quam quidem nec esse posse Iustini, qui ante annos quatuor iam obierat, prudens collector epistolarum Romanorum Pontificum considerans,

B explosit, vtpote quæ nec sit Iustiniani, cùm multa habeat epistolæ Ioannis Constantinopolitani Episcopi missæ ad Hormisdam Papam, quam & ipse Pontifex[b] ad Hispaniarum Episcopos dedit: habeatque & alia admixta ex alijs eius epistolis: vt planè esse appareat cento malè consutus. Sed & inde vitiosa detegitur, quòd data habetur sub Consulatu Iustiniani tertio, cùm iam non ampliùs Bonifacius, sed Ioannes Romanæ Ecclesiæ Episcopus præsideret: sed & cùm additur collega Orestes, magis arguitur impostura. Eodem planè vitio laborat, sed absurdiora continet illa quæ nomine eiusdem Bonifacij legitur data epistola ad Eulalium Episcopum Alexandrinum, prout ostendimus in Notis ad Romanum Martyrologium & superiùs tomo quinto, cùm eam manifestissimæ impostura conuictam penitus confutauimus. Eant procul à Fidelium cœtu, qui in Ecclesiam non habentem maculam neq; rugam eiusmodi conantur inferre quisquilias: longeq; longiùs exulent à Catholico or-

C be, qui quæ corruere videntur, mendacijs suffulcire nituntur: nam super solidum fundamentum firmamq; petram structa est semper manens, numquam casura sincera fides.

[b] Hormisd. epist 45.

NOMINE BONIFAC. SCRIPTA. EDITA.

Hoc eodem anno Hildericus Rex Vuandalorum in Africa à Gilimere fratre consobrino coniectus in vincula, regno spoliatur, cùm iam annos septem in eo expleisset. Res autem quomodo se habuerit, à Procopio sic accipe[c]: Erat (inquit) in Genserici genere quidam Gilimer Genzonis Genserici nati filius ætate prouectus post Hildericum, cuius rei gratia

* succesſurum post eum sperabatur: hic & rei militaris peritissimus, & ingenio grauis, tum pecunia, viq; ac rebus alijs aliena inuadere promptissimus. Qui quamquam se iure succes-

[c] Proc. de bel. Vnand. lib. 1

HILDERICVS REX VVANDALORVM CAPTIVVS DETENTVS

surum quandoque videret, dilationem tamen ac moram minimè tolerauit: quin viuente

▸ adhuc Hilderico, honores intempestiuos, factaq; Imperij sibi vsurpare; illum vt ignauum

D & inertem apud Vuandalos accusare, præterea ob eius imperitiam ab Afris superatum dicere cœpit; insuper calumnijs onerare quòd Vuandalos simul cum tota ditione Iustiniano prodere vellet, nec aliud legationem Byzantium missam voluisse. Quæ omnia Vuandali credentes, eum Regem constituunt; Hildericum post annos regni septem cum Amere & eius fratre Euagene custodiæ tradunt. Vbi verò Iustinianus iam factus Imperator hæc audiuit, legatos in Africam ad Gilimerem mittens, hæc scripsit:

Impiè facis, minimeq; dignum Genserici testamento, quòd Hildericum legitimum Regem in custodia teneas, cùm breui pòst tempore tibi liceret ex lege omnino succedere: nunc verò vt modicum præuenias tempus, iura prodis, & Regni nomen in tyrannidem conuertis. Hunc igitur hominem sine donec viuat, regni saltem imaginem habere: ageq; tantùm quod Regem deceat, & aui tui Genserici mandatum circa regni successionem

IVSTINIANI LITTERAE AD GILIMEREM.

E expostulat; vt quod nunc iniustè possides, ex æquo retineas. Hoc si in animum duxeris; & res tibi feliciùs, & nostra simul amicitia prouenerit. Hæc itaque summa epistolæ. Gilimer autem legatos re infecta remisit, statimq; Amerem excæcauit, Hildericum verò & Euagenem arctiori tradidit custodiæ; insuper illudens hortabatur, vt Byzantium ad Imperatorem fugere meditarentur. Iustinianus vbi hæc audiuit, alios rursum legatos mittit cum his litteris:

Nos cùm te minimè nostris monitis aduersaturum putaremus, priorem tibi epistolam scripsimus. Quando verò placet tibi regnum hoc pacto habere, tibi habe quod fortuna ex ipso tribuerit. Tu autem Hildericum, & Amerem luminaribus cassum, eiusq; fratrem ad nos mitte, solatium habituros quale poterunt, qui regno aut oculis sunt priuati. Quod si minimè feceris; nos profectò coges, amititia relicta, fœdereq; quod cum Genserico eiusq; successoribus gessimus, soluto, te non solùm armis petere, sed pœna quali possumus persequi. Hæc verò Gilimer excusans, hoc modo respondit:

RVRSVM IVSTINIANVS AD GILIMEREM.

Gilimer Rex Iustiniano Imperatori salutem.

GILIMERIS LITTERAE AD IVSTINIANVM.

Neque ego per vim regnum accepi, neque contra meos propinquos quicquam iniustum A perpetraui. Hildericum enim noua quærentem in familiam nostram, Vuandalorum gens magistratu deiecit; meque tempus & ex lege ætatis honor in regnum vocauit. Talem enim quemdam virum bonum regnum expostulat, qui nec alienas ab re curas persequatur. Tu verò item Rex curiosè facis ac iniustè aliena curare. Quòd autem fœdera solues nobis bellum inferendo; respondere sum paratus quibus potuero viribus, obtestans ac fidem expostulans simul & iusiurandum Zenonis, cuius tu successor existis.

IVSTINIA. PARAT BELLVM IN GILIMEREM.

Has accipiens Iustinianus litteras, si malè priùs in illum fuerat animatus, tunc in eum multo magis exarsit. Quapropter ei visum ante omnia Persicum soluere bellum, in Africamque transferre: erat enim in perscrutando ingeniosus, & ad ea quæ decreuerat perficienda non piger. Aderat insuper ex Oriente Belisarius Dux, non vt ad hoc bellum quæ- B situs, sed iam exacto magistratus tempore: nam & cum Persis induciæ (vt suprà narratur) factæ fuere.] Hæc autem de litteris & legationibus vltro citroque missis inter Iustinianum & Gilimerem etsi hoc anno cœpta esse dicuntur, haud tamen eodem anno perfici potuerunt, sed vltra biennium duæ missæ legationes temporis insumpserunt. Etenim non ante annum septimum eiusdem Imperatoris fœdus cum Persis (vt idem Procopius[a] tradit) sancitum est, neque ante idem septennij Imperij tempus bellum Africanum Iustinianus est auspicatus.

[a] *Proc. de bel Persic. lib. 1.*

STATVS RERVM ORIENTALIVM.

Iam verò quæ hoc ipso anno quarto Iustiniani Imperatoris in Oriente contigerunt de bello Persico, alijs barbaris aduersus Persas ab eodem Imperatore concitatis, breuiter dicenda sunt. Vsque enim ad annum hunc quartum Iustiniani Imperatoris bellum Persicum per Belisarium Ducem feliciter confectum esse, Procopius[b] docet: post hæc autem non C ita: nam temeritate militum inoportuno tempore pugnam appetentium Romanus exercitus in discrimen adductus est, cessitque victoria ipsis Persis, sed ita cruenta, vt Persarum exercitus Dux non solùm illum sit consecutus præmium, sed à suo Rege Cabade subire supplicium iussus. Quo etiam tempore (vt idem Procopius[c] tradit) Iustinianus Imperator gentes ad mare positas contra Persas excitare conatus est, Homeritas videlicet & Aethiopes, cum quibus societatem inijt, simulque Blemyos & Nabathæos sibi ad hoc ipsum conciliauit, eosdem beneficijs demeritos atque deuinctos: eis enim iuxta Nilum frugiferum terram dederat incolendam, qui apud Oasis petras loca sterilia habitabant. Sed quod maioris beneficij loco habitum, illud fuit, quòd eosdem adhuc in idolatria perseuerantes, ea abolita, reddidit Christianos: nam audi Procopium[d]:

[b] *Procop. de bello Persic. lib. 1.*

[c] *Procop. de bello Persic. lib. 1.*

[d] *Procop. vbi suprà.*

BLEMYES ET NABATHAEI.

Hæ namque gentes & Blemyes & Nabathæ, cùm alios deos, vti Græci, tum Isim & D Osyrim magnopere colunt, nec minùs etiam Priapum. Blemyes etiam humana hostia Soli sacrificare consueuerunt: qui mos barbarus vsque ad hoc tempus seruatus, iussu piissimi Principis Iustiniani sublatus est. Narses igitur genere Persamenius, cuius suprà vt ad Romanos transfugæ memini, illorum militum Dux, eiusdem Imperatoris mandato & templa deleuit & sacerdotes in custodia vinxit, statuasque illorum Constantinopolim misit.] hæc de eorum patrio ritu Procopius; quibus simul cum Christianis ecclesias & sacerdotes Iustinianum voluisse esse communes, tradit; atque addidit: Et quòd speraret sacrorum commercio eorum perpetua frui amicitia: ex eo oppidum in ea parte, Philas, ex argumento appellauit.] Sed & quæ aliæ insuper nationes in alijs Ægypti partibus adhuc idolatræ existentes per eumdem Iustinianum Christiana religione imbutæ sint, ex eodem auctore alibi ista narrante accipe[e]: E

IDOLOLATRAE AD FIDEM CHRISTI CONVERSI.

[e] *Procop. de ædific. Iustin. Imp. orat. 6.*

Habitantur, inquit, *in Pentapoli videlicet*, duæ vrbes cognomines: vtraque enim Ægila dicta est, quæ à Boreo absunt itinere quantum robustus vir quatuor diebus conficere potest: vetustæ profectò vrbes ad Notum ventum versæ, incolarum antiquos mores ac studia referentes. Omnes enim adhuc mea ætate errabãt, capti religione multorum deorum. Olim Ammoni & Alexandro hîc ædes positæ erant, quibus vsque ad Iustiniani Imperium hostias mactabant indigenæ. Erat enim eorũ qui sacris seruiebant ingens turba. Ceterùm hic Rex non tam subiectorum corpora tueri satagens, quàm animas seruare procurans, hominibus hîc commorantibus omni diligentia prouidit, non vt impensè alia corrigeret, sed vt veram religionis opinionem doceret, per singulas familias Christianos factos, & transmutatos ab obscœnis patriæ moribus: apud quos templum Dei Genitrici ædificauit.

Boreum vrbs Mauruſiis barbaris vicina in hæc vsque tempora ab exoluendo tributo libera

Abera fuit; neque vmquam ex quo homines esse cœperunt, ad illam peruenerunt publicani & tributi exactores. Prope eam olim Iudæi morabantur, vetusti templi, quod in primis venerabantur, possessores: quos omnes Christianos Iustinianus Rex efficiens, templum in ecclesiæ speciem transformauit.] hæc Procopius. Quod autem ad Iudæorum templum in Ægypto spectat, non potuit hoc illud esse, quod Onion constat fuisse nominatum: nam illud à Vespasiano demoliri iussum, auctore Iosepho[a], Annalium tomo primo dictum est: oportuit enim istud ipsum fuisse postea à Iudæis reædificatum. Quod verò in Ægypto potiùs quàm alibi id sibi concessum Iudæi existimarent, permoti erant istiusmodi vaticinio Isaiæ[b]: In die illa erit altare Domini in medio terræ Ægypti, & titulus Domini iuxta terminum eius: & erit in signum & in testimonium Domino exercituum in terra Ægypti.] hoc, inquam, Iudæi persuasi sacro oracluo, quod alibi nefas esse putarent, concessum sibi
B iidem rati id facere in Ægypto, templum iterum illic (vt patet ex Procopio) erexerunt. Sed omnia necesse est cedant Christo, de quo Paulus Apostolus[c] oraculum illud prædictum affirmat: Omnia[d] subiecisti sub pedibus eius.]

[a] *Ioseph. de bello Iudaico lib. 7. c. 30.*
[b] *Isaiæ 19.*
[c] *1. Cor. 15.*
[d] *Psalm. 8.*

Quòd verò pertinet ad Æthiopum Regẽ, quomodo aduersus Persas cum Romanorum Imp. Iustiniano hoc tempore fœdera iunxit: attende quæ tradat Procopius valde consentientia iis quæ superioribus annis diximus contigisse, cùm de martyrum Arethæ & sociorum rebus gestis narrationem habuimus. ait igitur[e]: Sub huius belli tempus Hellistæus Aethiopum Rex Christianus, dogmatisq. huius maximè obseruantissimus, postquam ex Homeritis his qui in alterius littoris continente sunt, plures esse Iudæos didicit, multos autem sectam veterem colentes, quam Gentilem nunc homines vocant, cùm non cessarent continuò in vicinos Christianos incurrere: cum classe aduersus eos venit & victo-
C ria potitus Regem cum Homeritis pluribus interfecit, alio subrogato Christiano, genere item & Homerita, cui nomen Esimiphæo: imperatoque tributo quotannis Aethiopibus dando, domum se recepit.] & inferiùs: Regnantibus igitur apud Aethiopes Hellistæo, apud Homeritas verò Hesimiphæo, Iustinianus Iulianum legatũ Reges ambos rogatum misit ob communem in Christo fidem, vti sibi contra Persas essent auxilio.] Sed quomodo ex hac spe Iustinianus excidit, cùm multa intercessissent, quibus illi impediti minimè stetere promissis, ob idque ipse Imperator pacem cum Persis statuere coactus est, idem Procopius pluribus docet: Cabade enim Rege defuncto, cum eius filio regni herede Cosrhoe iustis legibus pacem composuisse tradit. Cuncta verò hæc vltra biennium esse propagata, pacemq; cum Cosrhoe anno septimo Iustiniani Imperatoris fuisse firmatam, idem Procopius narrat, quando & cœptum est moueri ab eodem Imperatore bellum Vuanda-
D licum, de quo suo loco dicemus.

[e] *Procop. de bello Persico lib. 1.* DE REGE AETHIOPVM CHRISTIANO.

Hoc anno sub iisdem Consulibus Iustinianus Imp. eam edidit sanctionem[f], qua hæreticorum filij Orthodoxi à parentum successione quolibet proueniente titulo minimè repellerentur: sed etiam addidit, vt hæretici cogerentur alere filios Orthodoxos; contrà verò filios, qui essent hæretici, ab huiusmodi voluit legis auxilio omnino repelli. Cùm verò ibi Iustinianus inter complures sectas hæreticorum, quorum liberi hæretici à parentum successione repellerentur adnumeret hæreticos Samaritas: planè ad eamdem constitutionem alludisse visus est Cyrillus in Vita Sabæ, dum hæc ait de ipso Iustiniano Imperatore: De Samaritis hanc legem tulit, ne essent alter alterius heredes, ne per successiones opes illorum crescerent & amplificarentur.] hæc ibi: quæ quidem eumdem sanctissimum virum Sabam curasse apud Imperatorem, nempe, vt eiusmodi constitutio aduersus hæreticos
E sanciretur, idem auctor testatur.

[f] *l. 19. Cod. de hæret.* CONSTITVTIO IMP. ADVERSVS HAERETICOS.

Quæ autem præcesserint, vt idem Iustinianus Imp. vehementer commotus sit aduersus Samaritanos, idem Cyrillus diligenter quidem prosecutus est. Sed antequam ista reddamus, ratio exigit argumenti, vt immania scelera ab eisdem antea perpetrata his præmittamus; cùm, quo certo anno collocanda fuissent, incompertum penitus nobis esset. Ex Procopio itaque primum hîc describamus eam quam de iisdem ipse historiam texuit: incipiens enim ab his quæ sub Zenone atque Anastasio Imperatoribus ab eis sacrilegia sunt perpetrata, hæc habet[g]: Tempore Zenonis Regis, Samaritani subitò tumultuantes irruunt in Neapolim, & multos ex Christianis Pentecostes solemnitatem in Ecclesia agentes trucidarunt; & Episcopum Therebinthium nomine sacræ mensæ astantem, obeuntemque sacra, gladiis percussum vulnerant, dissectis manuum digitis: atque ita mysteriis iniuriam intulerunt, quemadmodum quidem Samaritanis facere collibuit, nobis verò silentio

[g] *Procop. de ædific. Iustin. Imp. orat. 5.* SCELERA SAMARITANORVM SVB ZENONE.

præterire. Mox sacerdos hic Byzantium profectus, & Regis conspectui sese insinuans, iis A
quæ commissa erant enarratis, vulnera sua ostendit; atque prædictionis Christi mentione habita, vltorem ac vindicem in omnibus ipsum Regem fore petebat. Zenon Rex consternatus, eos, qui nefanda patrarunt, digna pœna affecit. Nihil enim moratus, Garizin montem, pulsis Samaritanis, mox Christianis restituit; & in vertice structam ecclesiam, Deique Genitrici dedicatam, ea solùm ratione muro vallauit, vt re vera cinxisse videatur, collocato inibi militum præsidio. Quam rem ægrè ferentes, vehementer excanduerunt: sed tamen ob metum Regis, iram silentio deuorabant.

QVID SAMARITANI SVB ANASTASIO.

Postremo tempore, cùm Anastasius imperaret, tale quiddam contigit. Quidam ex Samaritis à muliere persuasi, verticem & præcipitium mõtis conscendunt præter opinionem, & templum ingressi, illic cõstitutos custodes trucidant: elataque vehementer voce, eos qui in vrbe adhuc erant, Samaritanos vocant. hi milites formidantes, iis qui tantum nefas ausi B
sunt, nequaquam opitulari voluerunt. Non multo pòst, is qui regionem illam gubernabat, vir disertus Procopius nomine, ex Edessa vrbe, tam diri sceleris auctores comprehensos occidit. Nulla tamen ratio aut prouidentia munitionis tunc à Rege facta est: sed nunc Iustinianus Rex, Samaritanis vt plurimum Christianis effectis, vetustum in monte Garizin propugnaculum obcinctum reliquit, quemadmodum diximus.] hæc Procopius: quem miror proximam causam præterire, ob quam Iustinianus Imperator locum illum aduersus impios Samaritas fortiùs communiuit. Porrò rem ipsam Cyrillus, qui his ipsis temporibus vixit, istis verbis prosecutus est[a]:

[a] *Vita S. Sabæ apud Sur. to. 6. die 5. Decemb.*

CRVDELIA FACTA SAMARITANORVM.

Qui in Palæstina erat populus Samaritanorum, cùm Iulianum quemdam, qui ipse quoque erat Samaritanus, sibi Regem creassent, multam iniuriam faciebant Christianis, eccle- C
sias depopulantes & exurentes, Christianos afficientes suppliciis innumerabilibus, & deinde etiam occidentes, & in vicos finitimos facientes incursiones, & capsas Sanctorum rumpentes & igni mandantes: quæ quidem maximè fecerunt in locis quæ erant circa Neapolim, *nempe Samariam*, vt qui Episcopum quidem gladio peremerint, quosdam autem presbyteros comprehenderint, & primùm quidem membratim & frustatim eos desecuerint, & deinde eos cùm martyrum reliquiis frixerint in sartagine, & nulli probro & contumeliæ pepercerint in Christianos.

Hæc postquam renunciata fuerunt Imperatori, aduersus illos magnas emittit copias: quæ cum eis manus confligentes, multos alios interimunt, & ipsum etiam Iulianum. A
quibus Siluanus quoque tunc Scythopoli comprehensus, in ignem iniicitur, & ita acerbum accepit vitæ exitum vir qui multis probris & contumeliis affecerat Christianos; & ideo (vt arbitror) pulchrè ad hoc à diuina reseruatus erat iustitia, vt sic lueret supplicium D
sufficiens, & finem acciperet; quod non multis ante diebus de ipsis dictum fuerat à Saba.

CALVMNIA AD-VERSVS PALAESTINOS.

Deinde quidam ex eius Comitibus nomine Arsenius, Illustris dignitate, ad falsa fingenda & confundendam veritatem omnium callidissimus: is cùm post tetrum Iuliani interitum venisset Constantinopolim, & accessisset ad Imperatorem, & cum ipso & eius coniuge (nescio vnde) magna intercessisset familiaritas, multa quidem dicit, ad magnam autem iram eos accendit aduersus Christianos qui erant in Palæstina, dicens eos vel maximè fuisse auctores & causas seditionis Samaritanorum, & dignos grauissimo supplicio.

DE LEGATIONE S. SABAE AD IVSTINIANVM IMP.

Hæc postquam in Palæstina renunciata fuissent Patriarchæ, eum statim subit misericordia eorum qui falso accusabantur. Et accedens ad beatum Sabam, eum vehementer rogauit, vt abiret & fungeretur legatione apud Imperatorem, & excogitatam refelleret calumniam, & Christianos liberaret à tantis periculis, nihil aliud futuros, nisi diaboli linguæ tro- E
phæum & improbitatis. Ille autem paruit, & nullo interiecto spatio, iter statim arripuit. Eratque re vera præter fidem quod cernebatur; nempe hominem qui in tam imbecilla lababat senectute, & quem par erat in lecto se quieti dedere, citra moram tantum iter inire minimè cedentem, neque senile quippiam aut languidum remissumve sustinentem, sed perinde atque ætate adhuc vigentem, & magnam corporis imbecillitatem vincentem copia prompti & alacris animi.] erat enim Sabas hoc ipso anno Domini quingentesimo trigesimo, ætatis annorum nonaginta vnius, vtpote natus sub Consulatu decimoseptimo Theodosij, anno Domini quadringentesimo trigesimonono, vt ex eiusdem Cyrilli auctoris eius Vitæ apparet assertione. Pergit verò Cyrillus:

QVANTA IMPER. S. SABAE PRAESTITERIT.

Cùm autem iam peruenisset ad suburbia Constantinopolis, Imperatori quidem eius significatur aduentus. Et ipse statim mittit vnum ex iuuenibus Imperatoriis & quosdam ex

suis

A suis satellitibus,aduentum illius maximè honorans. Deinde eo quo par erat comitatu stipatus Sabas ad ipsum deducitur. Deinde Patriarcham quoque Epiphanium, & quicquid erat apud se clarum & illustre,emittit, vt ei procederet obuiam. Neque enim terrenum aut mundanum aliquem, sed tamquam vnum ex Angelis & ciuem supernæ Hierusalem se censebat accipere. Quem postquam adhuc procul procedentem agnouit Imperator,ille quoque cernebat aliquid simile ei quod viderat Anastasius Imperator. Videbat enim quamdam coronam eius capiti impositam, eleganti quodam splendore decoratam & micantem luce omnis generis gratiarũ. Visione ergo Rex obstupefactus, è cathedra surrexit, & sacrum illud caput reuerenter ac iucundè est complexus. Deinde cùm ab eo accepisset benedictionem,orauit vt sua quoque coniux esset eius particeps.

Cùm ea autem affuisset, adorauit, & rogauit, vt solueretur vitium eius matricis (erat THEODORA INTERPELLAT SABAM PRO SOBOLE.
B enim petra sterilior) & vt ex se natum posset videre filium; quod quidem illa pluris faciebat,quàm ipsum Imperium. Ille autem adhuc tacens, solùm illi precabatur, vt sospes & salua esset eius potentia. Illa verò rursum instabat,petens preces liberorum procreationis. Ille autem pergebat easdem rursus preces dicere; & apertè præseferebat, se recusare petere vt ipsa fieret mater filiorum. Vbi verò,cùm illa hoc sæpe petiisset,ipse nihilo magis annuit orationi,neque edidit preces conuenientes eius desiderio: tandem abiit Imperatrix magna affecta tristitia, quòd id quod volebat, non esset assecuta.

Deinde cùm qui in preces incidissent, & maximè quicumque solent Principum gratificari cupiditati,etiam si sint inutiles & nihil iusti habeant,eum criminarentur, quod preces CVR DENEGATA PROLES THEODORAE. recusasset dicere,& quod Imperatricem maiori molestia afficeret: ille ægrè ferens,causam aperte protulit: Sinite,dicens,ô beati. Non enim Deus sinet aliquem fructum ex ea edi,ne
C ipse quoque gustet Seueri dogmata,& deteriores quàm priùs sub Anastasio tumultus conturbent Dei Ecclesiam.] his planè insinuans forisque prodens quod intus Theodora occultabat in corde,nempe ipsam addictam hæresi Seuerianæ;ob idque haud concessum à Deo, vt sobolem pareret,quam eodem morbo inficeret. Ita planè se rem habuisse,euenta postea declararunt. Pergit verò Cyrillus:

Imperator autem Iustinianus in Sanctum tantam ostendit pietatem & reuerentiam, vt IVSTINIANVS CONTRA SAMARITAS RESCRIBIT. cùm eum conuenisset, non solùm remiserit iram, quam olim conceperat aduersus Christianos qui erant in Palæstina, sed etiam Samaritanos planè expulerit è ciuitate, & eorum synagogas deinceps prohibuerit, & de ipsis hanc legem tulerit, ne essent alter alterius he-
D redes, ne per successiones eorum opes crescerent & amplificarentur: Quinetiam vt interficerentur quicumque eorum auctores fuissent seditionis. Quamobrem timore affectus Arsenius, qui erat ipse quoque vnus ex Samaritanis, cum humano metu diuino quoque concurrente,supplex à Saba contendit, vt ab ipso baptismum accipiat; & tam piam impetrat petitionem. Sed hæc quidem postea.

Imperator autem cùm talem sanxisset legem aduersus Samaritanos, & sic ea, propter RECVSAT OBLATAM PECVNIAM SABAS. quæ venerat,Sancto esset gratificatus; non hucusque sistit promptum & alacrem animum: sed se extremum damnum accipere existimabat,si nõ eum regalibus & splendidis afficeret beneficiis,& fidei abundantiam ostenderet sua erga eum munificentia. Cum eo certè assiduo colloquens,& eum honorans sicut priùs Anastasius, vehementer instabat,vt aliquod pecuniæ vectigal subiectis monachis constitueret. Ille autem: Vectigalium quidem,inquit, & pecuniæ quantum satis est ad vsus necessarios ille nobis prouidebit, qui populum non obedientem copiosè aliquando aluit in deserto[a], & aquam eduxit de petra, & qui non so-
E lùm necessaria, sed etiam sæpe quæ redundant,suppeditat. Tibi autem, ô Imperator, si [a] *Exod.* 16. 17. tantæ est curæ, vt nobis gratificeris, adsunt aliæ quoque non paruæ & non contemnendæ occasiones, per quas poteris in nos tuam exercere liberalitatem.

Nam & Palæstini, qui malè sunt affecti à Samaritanis, & quorum magnæ quondam QVAE PETIERIT S. SABAS AB IMP. prædæ sunt abactæ, multa verò ædificia & diuina templa, & mancipia præterea & greges, frumentumque & alios fructus viderunt exuri ante oculos, & nunc non habent vnde sibi victum quotidianum comparent: supplices petunt aliquam ad tempus immunitatem, vt se parum recreent atque reficiant, & rursus possint sufficere annuis soluendis muneribus. Et qui ad adorandum viuificum sepulchrum veniunt in sanctam ciuitatem, ipsi tecto opus habent, vt se parum recreent à labore itineris; & maximè si quis eorum aliquando in morbum inciderit, postulant necessariam corporis curationem. Quinetiam quod à Patriarcha Elia priùs cœptum est ædificari Deiparæ Virgini templum, multis ad-

tis adhuc indiget, nec satis instructum est ornamentis. Et quæ meis sunt structa manibus A monasteria, cùm nullum in propinquo habeant præsidium, in quo se recipiant, nullo negotio capi possunt ab inimicis, & prima incursione venire possunt in manus hostium.

QVAE PETAT ET QVOMODO LICEATVR SABAS IMPERATORI. Ante omnia autem Arij, Nestorij, & Origenis dogmata perturbant Ecclesias, nec sinunt eas pura frui tranquillitate: & ideo à tua potentia magnum adhibendum est studium, vt omnibus viribus ea tollas de medio, & tantum malum procul expellas. Hæc si feceris, bonam spem concipio, & in Deo confido fore, vt mox dies sequatur remuneratio; Romaque vniuersa, & Carthago, & quæcumque amiserunt qui ante te imperarunt, cernentur rursus partes tui Imperij. Et fuerunt hæ quidem piæ & in commune vtiles beati Sabæ petitiones apud Iustinianum.] & inferiùs subdit auctor: Sed cùm huc deducta sit oratio, venit mihi in mentem huius viri constantia & animi generositas, quòd nulla eum temporis necessitas coëgerit ad liberalem aspicere adulationem, aut se aliqua in re gerere similiter (quod B quidem difficile obseruari potest à viris bonis, & est factu admodum difficile) sed vsus est conuenienti aduersus omnes moderatione, honestatisq; & philosophiæ magnam ducebat rationem. Hoc autem facilè potest ostendi.

Nam cùm in eius petitionibus occupatus esset Imperator simul cùm Triboniano Quæstore circa eam quæ vocabatur Magnaura, & in consilium eum adhibuisset: ille, *nempe Sabas*, cùm iam venisset hora tertia, relicto Imperatore, Deo seorsum reddebat preces solitas, vacans sacris diuini Dauid psalmis. Cùm Hieremias verò vnus ex discipulis ad eum accessisset, & dixisset: Quid hoc sibi vult, Pater? Cùm Imperator tantum adhibet studium, & vt tuas impleat petitiones, vehementer laborat: tu eo relicto, nunc agis alibi? Ille admodum ingenuè respondens: Non est hoc alienum, inquit, ô fili. Nam & ipse facit quod ei conuenit, & nos omnino id quod debemus.] hæc habet Cyrillus: quæ postea sequuntur, nos suo C loco reddidimus. Prioribus autem idem auctor ista coniungit, tacitæ obiectioni satisfaciens, cur videlicet à magno Saba illæ potiùs, omissis ceteris, propositæ sunt hæreses ab Imperatore damnandæ: ait enim:

ARII, NESTORII, ET ORIGENIS HAERESES VIGENTES. Operæpretium est autem quærere, cur prætermissis aliis hæresibus, Arij, Nestorij solùm meminit & Origenis. Fortasse enim quibusdam simplicioribus videbitur ceteris assentiri, quod ideo harum solùm meminisset. Quanâ ergo de causa harum meminit? Quòd aliæ quidem hæreses non valde tunc vexabant Ecclesias: secta autem Ariana cùm Gothos occupasset & Vuandalos & Gipedas, & apprehendisset totum ferè Occidentem, omnes fere ex æquo pestifero repleuit exitio.] in Oriente enim vsque in præsentem annum Ariani tuto consistebant, iam cum Athalarico Italiæ Rege & Hilderico Vuandalorum in Africa Principe sancitis fœderis legibus. Nestorij verò (pergit auctor) & Origenis hæresis morbo D multi monachi laborabant; & timendum erat, ne alios attraherent ad malorum societatem. Nam cùm quidam nuper conuenissent monachi Byzantium, visi sunt quidem tenere dogmata Theodori Mopsuesteni: rursum autem Origenis dogmata defendebat Leontius, qui erat ipse quoque monachus genere Byzantinus, vnus ex iis qui cum Nonno ingressi fuerant nouam Lauram: quos postquam cognouit magnus Sabas, à suorum statim expulit conuersatione.] Sed & nullam de Eutychianis habuit mentionem, quòd ij toto Iustini Imperio grauissimè exagitati silebant. Verùm ad cœptam semel narrationem rediens Cyrillus, ista subiungit:

ORIGENISTAE EXPVLSI A SABA.

Sed nobis (inquit) reuertendum est ad seriem narrationis. Cùm diuinus Sabas proposuisset tales apud Imperatorem petitiones: ille perinde ac iamdiu sitiens gratificari Sancto, statim scribebat, imperabat, decretum in omnem partem mittebat: omnia faciebat, ne hæc E differrentur & in longum protraherentur; ne eorum quæ fiebant dilatio tam pulchrorum beneficiorum obtunderet splendorem. hęc quidem Imperator. Qui autem ei qui frigidum [a] solùm aquæ calicem dedisset in nomine suo, pollicitus est se daturum centuplum[a]; non destitit remunerare & referre gratiam, neque promissum suum produxit in longum: sed vt magnus pollicitus est Sabas, simulatque Imperator per Præsides prouinciarum impleuit quæ fuerat pollicitus, & Africa vniuersa & Roma eius accesserunt Imperio: & qui erat in vtraque tyrannus, Vitiges Romæ, & Gilimer Carthagine, eos pro liberis seruos, & pro Regibus captiuos, & supplices accepit pro inimicis.] sed hæc postea, quæ & prolixiorem suis temporibus narrationem exposcunt. De executione verò decretorum Imperatoris ista idem Cyrillus subiecit:

[a] *Matth.* 10.

LARGE REPENDIT DEVS QVAE IVSTINIAN. PIE GESSIT.

Imperator ergo tanto studio affectus erga huius viri petitiones, per vniuersum orbem terræ

A terræ mittit decretum. Et ſtatim Epiſcopis Antonio Aſcalonitano & Zachariæ Pellæ litteris præcipit Imperatoriis, vt viſant loca Palæſtinæ quæ fuerant exuſta à Samaritanis, & habita ratione eorum, tributa alleuent. Viſitent autem templa quoque Sanctorum; & quantum ipſa damnum acceperint à ſcelerata & audaci manu Samaritanorum, per illorum ipſorum facultates aut publicas repararent pecunias: & in ſancta ciuitate extruant noſocomium, & annuos ei dent reditus mille octingentorum & quinquaginta aureorum. Quinetiam aliam quoque domum, vt in ea habitarent qui procul illuc veniebant: & Deiparæ templum eleganter extruant & exornent: & præſidium prope Lauram muniant, vt in inimicorum inſultibus eſſet tutum monachis refugium. Præter hæc verò nominatim quoque declaratas hæreſes tollant de medio, & præclaro ſubiiciant anathemati.] at de his hactenus auctor: quæ verò iſtis ſubiiciuntur, addidiſſe videtur Metaphraſtes, vbi ait: IMP. IVSTI AEDIFICIA INSTAVRARI.

B De his ferè omnibus Procopius Cæſarienſis quinto libro de Iuſtiniani ædificiis hæc ſigillatim refert; ipſumque conſtructum Deiparæ templum accuratè exponens, eiuſque pulchritudinem & magnitudinem nulli dicens eſſe ſimilem, & id Nouam vocari eccleſiam, cum Cyrillo conueniens qui diuini Sabæ vitam conſcripſit ab initio.] Vides ſcholiaſten abſque controuerſia aſtipulari, vitam S. Sabæ à Cyrillo fuiſſe conſcriptam. Pergit verò idem Metaphraſtes: Præterea autem de duabus quoque ædibus conſtructis illi ſuffragatur, quarum vna quidem eſt ad excipiendos hoſpites, altera verò ad recreandos eos qui morbo affliguntur. Quinetiam illic conſtitutos multos pecuniæ reditus, & templorum renouationes quæ exuſta fuerant à Samaritanis, & propter inimicorum incurſiones extructum præſidium ei congruenter perſequitur.] hæc ipſe: ſed nos de his ſingulis paulo inferiùs (vt dignitas poſtulat argumenti) ex eodem Procopio dicturi ſumus. At rurſum Cyrillus de eadem Sabæ NOVA ECCLESIA.

C legatione iſta ſubiungit ad finem:

Cùm has ergo conſtitutiones diuinus Sabas ab Imperatore accepiſſet, & receſſiſſet Conſtantinopoli, venit Hieroſolymam. Cùm autem illuc veniſſet, & magiſtratibus tradidiſſet litteras quas habebat Imperatorias, illinc venit Scythopolim, vbique prædicans decreta Imperatoris, docens ciuitates, componenſque & inſtruens ad fidem Orthodoxam: deinde eos quoque, qui grauia illa paſſi fuerant à Samaritanis, & aliis modis recreans, & tributorum immunitate conſolans.] hactenus Cyrillus. His autem de nobili legatione ſanctiſſimi viri cælo terræque venerandi recenſitis, ſiſte, quæſo, paululum gradum, lector, & contemplare proponenda tibi ob oculos templa atque alia ſumptuoſa ædificia, quæ ex petitione eiuſdem Sabæ Hieroſolymis & in reliquis locis Palæſtinæ Iuſtinianus Imperator erexit: erit vt ex eis magnam cum admiratione capias animi voluptatem. In primis igitur mirificum S. SABAS PROMVLGAT DECRETA IMP.

D illud templum Deiparæ nomine erectum deſcribitur à Procopio, ita tamen, vt multa ab eo deſiderari poſſe videantur, vtpote (quæ in architectura primum locum obtinere videantur) rerum omnium numerus & menſura: vt hac ex parte minimè expleſſe ſententias numeros accurati hiſtorici; cum alioqui & interpretis vitio, ea quæ ab eo deſcribuntur, reddantur haud adeo in omnibus perſpicua. Sed accipe qualiacumque ſint, quæ tamen in multis admirationem tibi pariant. ait ergo [a]:

[a] *Procop. de ædificiis Iuſtinian. Imp. orat 5.*

Hieroſolymis templum Dei genitrici Iuſtinianus Imperator locauit, cui nullum planè aliud æquiparari poteſt: Nouam eccleſiam incolæ vocant: quod quale ſit, ipſe declarabo, tantum præfatus, quòd hæc ſcilicet vrbs ferme tota collibus abundet, collibus inquam non glebaceis, ſed aſperis, duris, ac præcipitibus, per quos biuiæ & ſemitæ ad graduum ſimilitudinem ex arduo in decliue protenduntur. Cetera igitur vrbis ædificia vniuerſa in vno loco DE TEMPLO DEI GENITRICIS HIEROSOLYM. ERECTO.

E conſtructa ſunt, in colle videlicet, aut in plano ſecundùm terræ aperturam. Solum templum hac ratione non exurgit: mandauit enim Iuſtinianus Rex illud fieri in radice collium; præter cetera quoque declarans, quantam fore oporteret templi latitudinem & longitudinem. Non ſufficiebat collis Regis mandato & operis inchoandi neceſſitati: nempe ad Meridiem & Solem orientem, vbi ſacerdotes ſacra obire conuenit, quarta pars templi defectura videbatur. Quapropter ij quibus opus commiſſum erat, iſtæc excogitauerunt. Super fundamenta in extremas partes ſubiectæ terræ deiecta, ſtructuram erexerunt in altitudinem ſcopuli aſſurgẽtem: deinde in ſummo vertice murorum teſtudinibus collocatis, ædificium applicant alij terræ pauimento. Hac ratione templum hinc in ſolida petra firmatur, inde in ſublime erectum eſt, dum Regis potentia colli aliam molem artificio impoſuit.

Huius autem ſtructuræ ſaxa hæc quidem [b] . . . illa verò magnitudine qualia nouimus. Etenim huius operis artifices cum natura loci certantes, & molem altitudine

[b] *Deſunt aliqua in exemplari.*

ſcopulum

scopulum æquantem ex aduerso statuentes, omnibus quibus vti consueuerant destituti, A in admiranda & prorsus ignota studia & molimina se conuerterunt. Nam vasta & ingentia saxa ex montibus, qui in longum ante vrbem assurgunt, execta & scitè expolita hoc modo huc euexerunt: saxis magnitudine æquales affixerunt currus,& singulis curribus singula imposita saxa electissimi boues quadraginta à Rege substituti portauerunt. Sed cùm per vias quæ in vrbem ducunt, currus perferri nequirent; exectos plerosque montes perducendis curribus aptarunt; & sic templum oblongum extruxerunt, quemadmodum Rex voluit: cui quoque latitudinem adhibuerunt secundùm mensuræ rationem. Templo autem tectum imponere minimè poterant: proinde nemora & loca siluosa perambulantes, sicubi audissent locum sublimibus arboribus consitum, inuenerunt siluam quamdam cedris abundantem, cedris scilicet in tantam altitudinem subleuatis, quantam finiri possibile est. Ex his tum tectum templo indiderunt secundùm mẽsuræ rationem subuecta altitudine. Hæc igi- B tur potestate humana & arte Rex Iustinianus effecit. Crescit autem religionis spes, quæ & Regi honorem rependit, & hoc studium adiuuit & promouit.

NOVA LAPIDICINA ADINVENTA.

Templo vndique opus erat columnis, quarum & forma templi elegantiæ responderet, & ea magnitudo foret, quæ molem impositam sibi sustineret. Regio autem in medio terræ sita longè à mare aberat, vndique præruptis quibusdam montibus vallata, quemadmodum dictum est. Addubitabant ergo opifices, quà scilicet aliunde possent columnæ inferri. Quod cùm Rex propter operis difficultatem molestè ferret: Deus in proximis montibus lapidis naturam indicauit huic operi satis congruam, qui planè lapis aut priùs existens hic delituit, aut nunc primùm conditus est. Vtrique probabilis ratio adest, quæ causam in Deum referebat. Nos humana potestate omnia metientes, multa arbitramur impossibilia: Deo nihil omnium neque anceps, neque impossibile. Hinc igitur ingentium columnarum C & ignis flammam quodam colore imitantium magna copia vndique suffulciunt templum partim supernè, partim infernè: ad porticus quoque totum ferè templum obeuntes, præter quam ad latus auroræ obuersum.

In primis autem excellentes duæ columnæ stant ante fores templi nullis fortasse columnis totius Orbis secundæ. Deinde altera quædam porticus excurrit, à ferula (vt opinor) nomen habens, quòd scilicet in latum non protendatur: post hanc atrium similibus columnis in quadrangulo exurgens. Atrij fores adeò magnificæ sunt & decentes, vt ijs qui extrà vagantur & deambulant, palàm significent quale spectaculum sint adituri. Vestibula inde admirationis plena, nempe veluti fornix quidam duabus columnis euectus immensam atque inexplanabilem altitudinem procul accedenti ostentans, & duo semicycla aduersas inter se facies habentia.] & paulo pòst: Hoc templum Dei genitrici consecratum D Iustinianus Rex magnarum pecuniarum reditu honorauit.] hactenus de templo illo mirifico Procopius, in multis absque dubio lectorem minimè exatiatum relinquens. His autem de templo Mariæ Deiparæ enarratis, ad alia ibidem erecta tunc ab eodem Imperatore pia ædificia orationem conuertit, aitque:

ALIA AEDIFICIA IVSTINIANI HIEROSOLYMIS ET IN ALIIS LOCIS ERECTA.

In via, qua ad templum itur, stant hospitia vtrinque duo: vno hospites peregrini suscipiuntur, altero requiescunt & refocillantur pauperes ægroti.] & ad finem orationis ista subiicit: Iberorum templum ædificauit Hierosolymis, & Lazorum in Hierosolymorum eremo *, sanctæ Mariæ in monte Oliuarum, Fontis sancti Elisæi Hierosolymorum: item Siletheon Abbatis Romani in Bethlehem: similiter & Ioannis Abbatis in Bethlehem muros instaurauit.] subdit & de puteis & alijs ædificijs extructis. Addit præterea de templo Christianorum, quod erat in monte Garizin, ne rursum pateretur à Samaritanis E incendium, illud ipsum duplici munitione vallatum inexpugnabile reliquisse: insuper & septem ecclesias Christianorum à Samaritanis exustas, eiusdem Imperatoris iussu restitutas esse. Ipsum item renouasse templum S. Thalalæi, S. Georgij, & Pantaleemonis martyrum in eremo Iordanis; ædificasseque etiam hospitium, necnon templum Dei genitricis in Hierico. Insuper in Sina monte, in quo degebant monachi vita sanctissimi, ad radicem eius erexisse nobilem ecclesiam itidem Deiparæ Mariæ nomine nuncupatam. Nam (inquit) in vertice Sina homo pernoctare non potest propter assiduos strepitus & fragores, aliaque terriculamenta quædam diuiniora, quæ nocturnis horis illic exaudiuntur humanam mentem & sensum percellentia.] Hæc & alia religionis Christianæ egregia monumenta in Palæstina & adiacentibus locis Iustinianus erexit, quorum fuit illi (vt vidimus) auctor magnus Sabas, ad promerendam victoriam, de qua vaticinatus fuerat,

* ægro

A fuerat, aduersus Gothos Italiam & Vtandalos Africam occupantes: vt præclaro hæc documento esse possint Principibus Christianis, quibus operibus præparent sibi viam ad hostes numquam hactenus debellatos & inuictos penitus superandos.

QVID RVRSVM IN SAMARITANOS.

At non hic finis pugnæ Imperatoris aduersus improbos Samaritanos, quos alijs opus fuit legibus perurgeri, pœnisque percelli, vt apparet ex alijs legibus eiusdem Imperatoris aduersus eos diuersis temporibus datis, vt cùm ad Ioannem Præf. Præt. [a] rescripsit post Belisarij Consulatum, cùm eos coegit curialia subire onera, sed curialibus priuilegijs non potiri. Rursum verò longè post hæc tempora, nempe eiusdem Imperatoris anno vigesimoquinto, sub Consulatu Basilij ad Areobindum Præfectum Prætorio aliam de iisdem edidit sanctionem. Cùm enim fatigati assiduis afflictionibus nullam emergendi esse sibi viderent facultatem Samaritani, illud iniere consilium, vt foris ostenderent sese Christianam religionem
B amplecti velle: adeunteque Cæsarienſem Episcopum, ab eo petiere, vt pro ipsis apud Iustinianum Imp. intercederet: quod ille quidem eis credens nauiter præstitit. Lætus itaque ad nuncium Imperator, eosdem vt filios amplecti atque fouere minimè prætermisit, atque pro ipsis nouam edidit sanctionem [b], quam hic tibi inspiciendam proponimus:

[a] *Nouel.* 45.

[b] *Nouel.* 129.

IVSTINIAN. BENIGNE EGIT CVM SAMARIT.

Nullum ita magnum subiectorum nostrorum delictum est, quod non nostra clementia medeatur. Licet enim eorum facta odio habentes, ad vindictam pro eis insurgamus: tamen tempus meditantes *, & commonentes modis competentibus delinquentes, rursus ad nostram clementiam remeamus, iustitiam iracundiæ benignitatis reconciliantes rationibus: quale quiddam & præsens nostra celebrat lex. Samaritas enim pridem atroces & elatos contra Christianos & in omnibus * velut nouissimam superbiam excedentes plurimis quidem pœnis affliximus, vna verò maximè, quòd neque testamenta ipsi possunt con-
C scribere, neque hi defuncti absque testamento, cognatis qui ab intestato vocantur, hereditatem transmittere, nisi ad hereditatem ex vtraque causa vocatos rectæ Christianorum fidei esse contingeret. Interdiximus autem eis & legata dare, & donationes scribere, aut aliquas omnino alienationes in suis ponere rebus, nisi forsan Orthodoxa fide percipiens persona esset. Licet autem lege generali hæc comprehendentes tunc meminerimus; tamen non eamdem in operibus, quam in litteris subtilitatem reseruauimus. Nam neque nostrum fiscum, nec aliquam publici partem ex his quicquam accipere passi sumus, licet hoc expressim lex daret.

* medente

* omnium

Nunc itaque ad moderationem reductos videntes eos, & nobis ipsis indignum esse pu-
D tantes in iisdem permanere terminis, contra eos qui nõ similia prioribus languent præstantes, maximè omnium Sergij sanctissimi Cæsarienſium metropolis Episcopi iustis petitionibus, quas pro eis facit, testimonium quidem perhibentis meliores eos factos, quietem verò eorum futuro tempore promittentis: ad præsentem sacram nostram venimus legem, per quam sancimus, licentiam esse Samaritis iam scribere testamenta, & suas proprias dispensare substantias, sicut & aliæ præbent leges, & per præsentem nos decernimus; & sine testamentis morientes: ab intestato vocatos secundùm imitationem aliorum hominum hæredes habere eos præter ea quæ per præsentem nostram transponimus legem. Sed & donationes eis permittimus scribere, & legata dare & accipere, & huiusmodi contractus facere cum omni licentia. Qui enim testari dedimus eis & omnem dispensare substantiam, quomodo de particulari dispensatione negabimus?

Sed tamen non eumdem reddimus ordinem & Christianis successoribus & Samaritis. Iterum verò & meritò meliora sectantibus priuilegium præstamus. Vnde si quis eorum sine
E testamentis moriatur, & filios ad Deum discretos reliquerit: soli vocabuntur ad huiusmodi hereditatem, qui rectam Christianorum allegant fidem, aliis excluſis quicumque ipso detinentur quo defunctus errore. Hæc autem dicimus non super filiis solis, sed etiam aliis cognatis, ex quacumque sint linea, &c.] hæc & alia de his Imperator. Porrò conuersionem ab ipsis non ex animo factam, sed simulatè, vt parentum hereditatum participes esse possent, Iustinus Iunior Imperator in alia aduersus eos Nouella [c] constitutione edita testatur, quam nos suo loco reddemus. Haud enim minis, neque beneficiis Imperatorum valuerunt ad fidem conuerti. Ad tempora namque sancti Gregorij eiusmodi genus hominum vixisse, scripta ab eo epistola ad Ioannem Syracusanum Episcopum fidem facit [d], qua expo-
F stulat de Samaritano quodam vendicante sibi mancipium Christianum contra legis præcepta: extat enim eiusdem Iustiniani Imperatoris constitutio [e] id ne fieret omnino vetans. At de Samaritanis hactenus.

[c] *Nouel.* 144.

SAMARITANI ADHVC TEMPORE GREGORII PAPAE.

[d] *Greg. lib.* 7. *epist.* 22.

[e] *Nouel.* 45. *in fin.*

Ex ijs

CVLTVS FIDELIVM ERGA ECCLESIAS.

Ex ijs quæ dicta sunt, satis apertè pluribus declaratum exemplis vidisti, quis temporibus istis vigeret Sanctorum cultus in erigendis ijsdem vbique templis, eisdemq; reditibus locupletandis: quod quidem pium Imperatoris studium subditi quoque sunt imitati; cùm vix reperiri quis esset, qui, nisi erigendi ecclesiam facultas sibi esset, saltem ex suis bonis aliquid decedēs non legaret ecclesiis, vel etiam ex asse institueret illas heredes. Hinc accidit, vt hoc eodem anno, ijsdemque Consulibus Lampadio & Oreste, idem Iustinianus Imp. decimo-tertio Kal. Nouembris sanctionem promulgarit, qua declarauit, vt si quis in testamento suo Christum ex asse, vel semisse, aut aliter heredem instituisset, ecclesiæ illius loci caperent hereditatem, ita tamen vt ad pauperum alimoniam conferrent. Itemque definiuit, si quis aliquem Archangelorum vel martyrum reliquisset heredem, quid agendum in ambiguis esset: consueuisse enim eiusmodi fieri institutiones, idem Imperator affirmat. habes constitutionem hanc in libro prætermissorum primæ classis post codicem Iustinianeum[a]. At de Iustiniani hoc anno editis constitutionibus satis. Res iam petamus Occidentales. A B

[a] *Collegit Comitus c. 16. post. Codic. lib. pag. 8.*

Præclara facta Francorum multa nobis suppetunt, quibus locupletemus Annales. Hoc tempore Theodoricus Rex Francorum expeditionem parauit aduersus Gothos agentes in Gallijs: Sigibertique assertione expressum habetur, hoc anno Francos vendicasse sibi quæ in Gallia Gothi sub Theodorico Italiæ Rege occupauerant: testatur enim id ipse his verbis: Franci extorquent de manu Athalarici, quicquid Galliarum auus eius Theodoricus Rex Italiæ tenuerat.] Sed an vera sint, exactiùs est explorandum.

FRANCI LABORANT EXPELLERE GOTHOS E GALLIIS.

Nihil enim concessum fuisse Francis aduersus Gothos certantibus, defendente Liberio Patricio illic Præfecto Prætorio res Gothorum, epistolæ Cassiodori significant, quas scripsit, cùm ab Athalarico collatum post tres annos gessit Romæ munus præfecturæ Prætorianæ; in quod tempus perseuerarat in Galliæ eius prouinciæ administratione idem Liberius Patricius, quem redeuntem Romam Athalarici mater, gratitudinis ergo, noua addita dignitate exornauit; vt Cassiodorus, dum laudes feminæ prosequitur, his narrat verbis[b]: Respicite namque Patricium Liberium Præfectum etiam Galliarum, exercitualem virum, communione gratissimum, meritis clarum, forma conspicuum, sed vulneribus pulchriorem, laborum suorum munera consecutum, vt nec præfecturam quam bene gessit amitteret, & eximium virum honor geminatus ornaret: confessus meritum, cui solus non sufficit ad præmium: accepit enim & præsentaneam dignitatem, ne de Republica benemeritus, diu absens putaretur ingratus.] hæc Cassiodorus Indictione duodecima, quando (vt dictum est) Prætoriam præfecturam est consecutus anno Domini quingentesimo trigesimo-quarto: post quod tempus Amalasuntha ipsa desiit, & Athalaricus de medio sublatus est. Quo pariter anno scribens ad Senatum eamdem de sua præfectura epistolam Cassiodorus Theodoricum Francorum Regem inuadere res Gothorum paratum, morbo iam vita functum tradit his verbis[c]: C D

[b] *Cassi. lib. 11. epist. 1.*

[c] *Cassi. ead. epist. 1. lib. 11.*

DE OBITV THEODORICI REGI FRANCORVM.

Franci enim tot barbarorum victorijs præpotentes, quàm ingenti expeditione turbati sunt? lacessiti metuerunt cum nostris inire certamen, qui præcipitatis saltibus prœlia semper gentibus intulerunt. Sed quamuis superba natio declinauerit conflictum, vitare tamen proprij Regis nequiuit interitum. Nam Theodoricus ille diu potenti nomine gloriatus, in triumphum Principum nostrorū languoris potiùs pugna superatus occubuit, ordinatione credo diuina, ne nos aut affinium bella polluerent, aut iustè productus exercitus vindictam aliquam non haberet.] hæc cùm scribat Cassiodorus (vt diximus) anno Domini quingentesimo trigesimoquarto, iam planè docet ante illud tempus Theodorici obitum contigisse. Ex quibus eumdem redarguas Sigibertum, qui eius obitum refert anno Domini quingentesimo trigesimoseptimo: & eos pariter errare conuincas, qui eumdem Theodoricum annos vigintiduos vel tres regnasse tradunt[d], quem his temporibus Athalarici Regis Italiæ morbo defunctum liquet. In primis verò mendacij redarguas Sigibertum, dum ait, Theodoricum Regem Francorum ditione Gothorum in Galliis esse potitū: non enim hoc tempore id accidit, neque ea prœuia occasione, sed à Theodato Gothorum Rege id factum testatur Procopius; cùm videlicet, vt Francos contra Græcos incitaret, quæ in Gallijs possidebat, Francis cessit: cùm alioqui & Vuisigothi, qui in Hispania regnabant sub Amalarico Rege, aliam partem prouinciæ possiderent in Gallia Narbonensi. Omnia ista Procopius[e]. E

[d] *Greg. Turo. de gest. Fran. lib. 3. c. 23.*

[e] *Procop. de bello Goth. lib. 1.*

At quod accidit, cùm Theodoricus in eiusmodi militaribus expeditionibus esset, & res Gothorum in Gallia pertentaret, memoria quidem dignum (quod & in vniuersa Gallia vulgatum fuisse tradit Gregorius Turonensis[f]) nos hic describendum putamus: pertinet enim

[f] *Gre. Mirac. lib. 2. c. 13.*

A enim ad eiusdem Regis virtutem in sacrilegos vlciscentis, & ad Dei gloriam ex miraculis sanctissimi martyris Iuliani. nam ait: Et quia nullum latere credo aliquid de hostilitate Theodorici Regis, ac infirmitatibus Sigiualdi, quæ ei in Aruerno posito contigerunt: propter virtutem tamen beati martyris Iuliani id diligentiùs exponendum, quò faciliùs fides dictis adhibeatur.

INVASORES RERVM ECCLESIAE MALE PEREVNT.

Igitur cùm ob direptionem Aruernorum (*quam ciuitatem iam diu antè cessisse Gothis, superiori tomo dictum est*) Rex antedictus Theodoricus festinaret, & ingrediens terminum vastationi cuncta subigeret: pars aliqua exercitus separata ad Briuatensem vicum infesta prorupit, fama vulgante, quòd in basilica essent incolę cum multis thesauris adunati. Cumque peruenissent ad locum, inueniunt multitudinem promiscui sexus, obseratis ostiis, in templo ipso cum propriis facultatibus residere. Cumque intrare non possent: vnus effra-
B ctam ceu fur in altari sancto fenestram vitream ingreditur: quia qui non intrat per ianuam, hic latro est. Dehinc reseratis ædis illius valuis, exercitum intromittit. At illi direpta cuncta pauperum supellectilia cum ministris ipsius basilicæ, reliquumque populum, qui intra erat, eductum, foris diuiserunt haud procul à vico. Quæ cùm ad Regem delata fuissent, comprehensos ex his aliquos diuersis mortibus condemnauit. Fugiens verò ille, qui irrupta æde, caput fuit huius sceleris, igne de cælo dilapso consumptus interiit. Super quem cùm multi aceruum lapidum congregassent, à tonitruis & coruscationibus detectus, terrena caruit sepultura. Qui verò de consentaneis latentes Regem in patriam sunt regressi, correpti à dæmone, diuersis exitiis hanc vitam crudeliter finierunt. Hæc audiens Rex, omnia quæ exinde sunt sublata reddidit: præceperat enim, ne à septimo à basilica milliario cui vim quis inferret.] hæc Gregorius, qui de eisdem agit [a] in historia rerum Francorum;
C & narratis hæc subdit [b]:

[a] *Greg. de rebus gest. Franc. lib. 3. c. 12.*
[b] *Greg. Mirac. li. 2. c. 14*

OCCVPATOR VILLAE ECCLESIAE IN DISCRIMEN ADDVCITVR

Tunc Sigualdus cum Rege præpotens cum omni familia sua in Aruernam regionem ex Regis iussu migrauit: vbi dum multorum res iniustè competeret, villam quamdam, quam gloriosæ memoriæ Tetradius Episcopus Bituricensis basilicæ S. Iuliani reliquerat, sub specie obumbratæ commutationis auidus peruasit: sed mense tertio postquam ingressus est, correptus est febre, & sine sensu effectus declinauit caput in lectulum. Cuius vxor dum de hoc exitu mæsta penderet, à quodam sacerdote commonita est, vt eum si videre vellet incolumem, auferret è villa. At illa hæc audiens, præparatis carrucis, compositoque plaustro quo eum ueheret, mox vt prædium sunt egressi, protinus diuina sunt pariter gratia munerati: nam iste sospitate, illa meruit ex huius incolumitate lætitiam. Ferunt etiam in oratorio prædij illius S. Iulianum martyrem cum Tetradio Episcopo colloquentem cui-
D dam religioso reuelatum fuisse, promittentem se Episcopo, villam quam pro animæ suæ remedio sibi reliquerat, recepturum.] Sed quòd Theodoricum his temporibus Athalarici defunctum diximus: quæ obitum eius subsecuta sint, videamus.

THEODOBERTVS REX PATRI SVCCEDIT.

Huic autem ex hac vita sublato eius filius Theodobertus successit, de quo hæc idem Gregorius in Nicetio [c]: Cùm, Theodorico decedente, Theodobertus filius eius regnum ambisset, ac multa iniquè exerceret, & ab eodem plerumque corriperetur *S. Nicetio Episcopo Treuerensi*, quod vel ipse perpetraret, vel perpetrantes non argueret: aduenit dies Dominicus, & ecce Rex cum his qui ab hoc sacerdote communioni abesse iussi fuerant, ecclesiam est ingressus. Lectis igitur lectionibus, quas canon sanxit antiquus, oblatis muneribus super altare Dei, ait sacerdos: Non hic hodie Missarum solemnia consummabuntur; nisi communione priuati, priùs abscedant. Hæc Rege renitente, subitò exclamat vnus de popu-
E lo arreptus à dæmone puer iuuenis, cœpitque valida inter supplicia torturæ suæ & Sancti virtutes & Regis crimina confiteri: dicebatq; Episcopum castum, Regem adulterum, hunc timore Christi humilem, illum gloria regni superbum, illum sacerdotio impollutum à Deo in posterum præferendum, hunc ab auctore sceleris sui velociter elidendum.

[c] *Greg. in Vita S. Nicetij Episc. Treuer.*

PARET TANDEM REX SACERDOTI.

Cumque Rex timore concussus peteret, vt hîc energumenus ab ecclesia eiiceretur, dixit Episcopus: Priùs illi qui secuti sunt, id est, incesti, homicidæ, adulteri ab hac ecclesia extrudantur, & hunc Deus silere iubebit. Et Rex statim iussit omnes hos qui sacerdotis sententia damnati fuerant, egredi ab ecclesia. Quibus expulsis, iussit sacerdos dæmoniacum foras extrahi: sed cùm, apprehensa columna, euelli à decem viris non posset; Sanctus Dei sub vestimento suo, propter iactantiam euitandam scilicet, faciens crucem contra dæmonem, relaxari præcepit. Qui protinus corruens cum his qui eum trahere nitebantur, post paululum sanus erectus est. Deinde post acta sollemnia requisitus, numquam reperiri potuit,

nec vllus sciuit vnde venerit, vel quo abierit: coniiciebatur tamen à plurimis, eum à Deo A
missum,qui Regis, sacerdotisque opera non taceret. Vnde factum,vt sacerdote orante,Rex
mitior fieret.] hæc Gregorius: quæ autem subdit de excommunicato Clothario Rege,suo
loco inferiùs dicturi sumus.

Quod verò ad eumdem Theodobertum pertinet: censura Nicetij correctum & emen-
datum, meliori frugi redditum, idem Gregorius alibi ita testatur[a]: Ille in regno firmus
magnum se omni bonitate præcipuum reddidit: erat enim regnum cum iustitia gerens,sa-
cerdotes venerans, ecclesias munerans, pauperes eleuans, & multis multa beneficia pia ac
dulcissima accommodans volũtate:omne tributum,quod in fisco suo ab ecclesiis in Aruer-
no sitis debebatur,clemẽter indulsit.] hæc ibi. Laudatur ab eodem[b] Theodobertus, quod
piè religioseq; inuiseret loca Sanctorum: cùm recitat quid mirè acciderit de eo qui à Rege
compulsus est iurare supra tumulum S. Maximi Episcopi Treuerensis. Commendatur præ- B
terea ab eodem auctore[c] clementia ipsius Theodoberti erga S. Agericum Virdunensem
Episcopum dirè vexatum à Theodorico eius parente.

[a] Greg. de gest. Franc. lib. 3. c. 25. THEODOBERTVS REX MELIOR REDDITVS.
[b] Greg. de Glor. confess. c. 93.
[c] Gre. de gest. Franc. lib. 3. c. 34.

Accidit insuper, vt defuncto patre,cùm hoc tempore in eius regnum successisset, legatio-
nem miserit ad Iustinianum Imperatorem. functus est eo munere Munzolus vir illustris;
qui cùm Patras in Achaiam aduectus esset, vsque ad interitum morbo calculi laborans,
quomodo ope S. Andreæ Apostoli curatus sit, idem Gregorius[d] alibi narrat: idemque[e]
tradit patrem suum Aruernensem ciuem obsidem aliquando cum aliis datum eidem Re-
gi Theodoberto,quando virtutem reliquiarum Sanctorum contigit experiri. Sed de Theo-
doberto satis.

[d] Greg. de Glor. mart. lib. 1. c. 31.
[e] Eod. lib. c. 84.

IESV CHRISTI ANNVS 531. | BONIFACII PAP. ANNVS 2. | IVSTINIANI IMP. 5. ATHALARICI REG. 6. C

ANnus Redemptoris quingentesimus trigesimusprimus vacuus Consulibus ordinariis,
post Consulatum præcèdentium Consulum Lampadij atque Orestis inscribitur: quo
Romæ à Bonifacio Papa Synodus collecta est,de qua hæc breuiter Anastasius: Hic congre-
gauit Synodum in basilica beati Petri Apostoli,& fecit constitutum,vt sibi successorem or-
dinaret; quo constituto cum chirographis sacerdotum & iureiurando ante Confessionem
beati Petri Apostoli diaconum Vigilium constituit] successorem videlicet. Quod enim (vt
superiùs fusiùs dictum est) Gothorum Reges Italiæ dominantes impiè sibi vendicassent D
Romani Pontificis electionem: vt eiusmodi præsumptam & vi vsurpatam licẽtiam ex Go-
thorum manibus Romana Ecclesia extorqueret, hoc prætextu visus est Bonifacius nouam
hanc & à prædecessoribus hactenus intentatam viam aggredi; nempe vt successorem de-
ligens Pontifex, nullum relinqueret locum vacantis sedis: quod quidem licet speciem iu-
stitiæ aliquam præseferret, postea tamen ab omnibus est improbatum atq; rescissum. Nam
subdit de his idem Anastasius:

ROMANA SYNODVS SVB BONIFACIO.

* censuerunt

Eodem tempore facta iterum Synodo, hoc cassauerunt* sacerdotes omnes propter reue-
rentiam sanctæ sedis,& quia contra canones hoc fuerat factum,& quia culpa eum respicie-
bat,vt successorem sibi constitueret: ipse Bonifacius Papa reum se confessus est maiestatis,
quòd diaconum Vigilium sui subscriptione chirographi ante Cõfessionem beati Petri suc-
cessorem constituisset: & ipsum constitutum in præsentia omnium sacerdotum & cleri & E
Senatus incendio consumpsit.] hactenus de his Anastasius. Maiestatis verò ea ex parte cri-
men videri poterat Gothis Bonifacius incurrisse; quòd contra Regis voluntatem,ad quem
electionem Romani Pontificis spectare Theodoricus statuerat, à Bonifacio fuisset institu-
tus successor. Sed nec placuerunt ista clero, neque Romano populo.

QVID IN VIGILIVM OBIECTVM.

Certum quidem est eiusmodi conatum probro esse datum ambobus, in primis verò ipsi
Vigilio, quòd id curasset. Scimus enim Siluerium Papam in decreto anathematis in Vigi-
lium hæc ita exprobrasse[f]: Quia contra iura canonica temporibus sanctæ memoriæ Boni-
facij Papæ, ipso viuente, designari conabaris, nisi tibi amplissimi Senatus obuiasset iustitia:
tunc prouidentia pastorali ac Pontificali auctoritate tua execranda iam debuerant auspicia
detruncari. Sed dum prauum vulnus in te neglectũ est,insanabile accreuit apostema,&c.]
hæc in Vigilium delectum à Bonifacio successorem Siluerius. Porrò rerum gestarum Boni-

[f] Epist. Siluer. ad Vigilium. tõ. 2. Concil.

facij

A facij Papæ non tantum hæc de eligendo successore, ipso viuente,& ab ipso deleta fuere; sed & ea etiam postea,quæ ab ipso post mortem Dioscori, eum damnando, anathematiq; subiiciendo,gesta fuerunt. In ipsum enim Bonifacium ista peracta ab Agapeto Pontifice,testatur Anastasius Bibliothecarius[a]: Hic, *Agapetus videlicet*,in ortu Episcopatus sui libellos anathematis, quos inuidiæ dolo extorserat Bonifacius presbyteris & Episcopis contra canones & contra Dioscorum,in medio ecclesiæ, congregatis omnibus,incendio consumpsit,& absoluit totam Ecclesiam ab inuidia perfidorum.] hæc ibi.

[a] *Anast. in Agapeto.*

ADVERSVS BONIFACII DECRETVM QVID AGAPETVS.

Sic igitur vides, non solùm quæ per Bonifacium acta sunt in decernendo successore, ab ipso primùm, deinde à successoribus esse damnata, sed etiam quòd in Dioscorum veluti simoniacum idem damnando eumdem post mortem egisset. Ob causam quidem pecuniariam damnatum Dioscorum à Bonifacio,ex Iustiniano diximus; cuius in epistola inscripta
B ad Ioannem Papam, sed ad Vigilium data, hæc sunt verba: Super hæc autem omnia quis ignorat ea quæ nostris temporibus in Ecclesia antiquioris Romæ contra Dioscorum acta sunt? qui cùm nihil in fidem peccasset,tamen solùm propter Ecclesiasticum ordinem, post mortem ab eadem Ecclesia Romana anathematizatus est. Si igitur nihil in fidem peccantes Episcopi, propter solum Ecclesiasticum ordinem & propter causam pecuniariam anathemati & post mortem subiiciuntur: quanto magis Theodorum, &c.] hæc quo ad causam Dioscori,quem Agapetus iniusta sententia condemnatum absoluit.

NIMIS ABSVRDVM VT ROM. PONT. SIBI DELIGAT SVCCESSOREM.

Quod verò spectat ad successoris electionem: intelligis,puto,lector,ex his quæ dicta sunt, quantum exhorruerint Romani omnes, in primis verò iidem ipsi Romani Pontifices,vt aliquis sibi viuens quouis digno prætextu Pontifex deligat successorem; cùm eadem ipsa qui
C ea statuit Bonifacius fuerit compulsus rescindere in posteriori Synodo, quæ in priori, suadente iusta sibi visa ratione, facere decreuisset. At licet eadem cassata ab ipso auctore penitus & reddita prorsus nulla fuissent, in ipsa tamen perperam gesta Siluerius & successores Romani Pontifices declamarunt.

BONIFACII PAPAE OBITVS.

Verùm etsi videri potuissent istæc de eligendo successore commissa à Bonifacio, ab eodem expiata; tamen citò Deus, ad aliorum exemplum, eum ex hac vita subtraxit. Hoc namque anno die decimaseptima mensis Octobris post dictum Consulatum Lampadij ipsum ex hac vita migrasse, Bibliothecarius habet; quod & (vt dicemus) alia vetera monumenta testantur,quibus innotescit,hoc eodem anno post Consulatum Lampadij &Orestis iam eius successorem sedere cœpisse Ioannem cognomento Mercurium. Sic igitur dicta die mortuus est Bonifacius, cùm sedisset annum vnum & dies duos; licet Bibliothecarius annos duos eius sedi tribuat & dies vigintisex: verùm cùm ipsum hoc anno post Consula-
D tum Lampadij defunctum dicat atque sepultum decimaseptima mensis Octobris, nonnisi annum vnum & dies duos vixisse Pontificem oportuit, cùm creatus habeatur anno superiori decimaquinta die Octobris.

Antequam verò de eius vacatione sedis & electione successoris agamus: quæ de reliquis rebus gestis Bonifacij ex antiquioribus memoriis Ado descripsit, hîc referamus: Non multo pòst (inquit) *ab apparitione videlicet facta sancti Michaelis in monte Gargano sub Gelasio Papa*, venerabilis etiam Bonifacius Pontifex ecclesiam sancti Michaelis Archangeli nomine constructam dicauit in summitate Circi, criptatim miro opere altissimè porrectam: vnde & idem locus in summitate sua continens ecclesiam, inter nubes situs vocatus.] hæc Ado: qui cùm ea Bonifacio ipsi tribuat, qui primus post Gelasium vixit, nihil est vt alicui alij ex Romanis Pontificibus eius nominis tribui possint, nisi huic secundo eius nominis
E Bonifacio. Quod autem ad ipsum locum pertinet, super quem erectam fuisse ecclesiam sancti Michaelis affirmat: nullum alium nisi scrupolum locum illum, super quem olim Hadriani moles erecta est trans Tiberim apud Circum Domitiæ, fuisse, diximus in Notis ad Romanum Martyrologium[b].

[b] *Mart. Rom. die 8. Maij. a.*

De Bonifacio rursus hæc in Anastasio leguntur: Eodem tempore venit relatio ab Afris Episcopis de constitutione, vt cum consilio sedis Apostolicæ omnia Carthaginensis Episcopus faceret.] præerat his temporibus Carthaginensi Ecclesiæ Reparatus Episcopus, de quo etiam inferiùs dicturi sumus. Ad postremum verò idem ait vacasse sedem Bonifacij menses duos & dies quindecim. Verùm cum ex dicto numero mensium atque dierum dicendum esset successorem Bonifacij Ioannem creatum esse sequenti anno ipsis Kalendis Ianuarij post Lampadij & Orestis Consulatum secundò, erroris patentis auctor arguitur, cùm constet hoc anno post dictorum Consulatum Ioannem cognomento Mercurium

creatum esse Pontificem. in Titulo enim Eudoxiæ, quæ est ecclesia S. Petri ad Vincula dicta, eiusmodi inscriptio legitur[a]: A

[a] *Extat in eccles. S Petri ad Vincula, descripsit etiã Panuin.*

✝ SALBO PAPA NOSTRO IOANNE COGNOMENTO MERCVRIO EX SANCTÆ ECCL. ROM. PRESBYTERIS ORDINATO. EX TIT. S. CLEMENTIS AD GLORIAM PONTIFICALEM PROMOTO. BEATO PETRO AP. PATRONO SVO A VINCVLIS EIVS SEVERVS PRESB. OFFERT ET IT. P. C. LAMPADII ET ORESTIS VV. CC. VRBICVLVS CÆDRINVS EST.

IOANNES PAPA II.

Ex his igitur quàm perspicuè vides, sedere cœpisse hoc anno post Bonifacij obitũ Ioannem cognomento Mercurium, natione Romanum (vt habet Bibliothecarius) ex patre Proiecto, de Cælio monte: quo autem die & mense creatus sit, haud quid certi affirmari posse B videtur: circa finem tamen anni huius sedere cœpisse, ex dictis apparet.

AMALARICI REGIS OBITVS.

Quod insuper ad Occidentales res spectat, hoc ipso anno Amalaricus Rex Gothorum in Hispania, cùm à tempore obitus Theodorici Regis in Italia regnantis potitus regno esset annis quinque, occisus desiit, inque locum eius subrogatus est Theudis Gothus pariter & Arianus. Sed interitus Amalarici causa altiùs repetenda est. Childebertus enim quartus filius Clodouei, qui Parisiis regnabat, sororem suam Crotildem matrimonio iunxit eidem Amalarico Regi. Sed quòd Catholica illa esset, hæreticus verò iste, nulla conuentio lucis ad tenebras, neque templi Dei cum idolo penitus esse poterat: & licet iuncti corpore essent, animo tamen erãt quàm longissimè separati. Quæ autem ob hanc causam pati contigerit ipsam Crotildem, ex Gregorio audi, qui hæc ait[b]: Crotildis multas insidias ab Amalarico viro suo propter fidem Catholicam patiebatur: nam plerumque procedente illa ad sanctam ecclesiam, stercora & diuersos fœtores super eam proiici imperauit. Ad extremum autem tanta crudelitate dicitur eam cecidisse, vt illa infectum de proprio sanguine sudarium fratri transmitteret. C

AMALARICVS MALE HABET CROTILDEM.

[b] *Greg. de gest. Franc. lib. 3. c. 10.*

Vnde ille maximè commotus, Hispanias appetiuit. Amalaricus verò hæc audiens, naues ad fugiendum parat. Porrò imminente Childeberto, cùm Amalaricus naues deberet ascendere, ei in mentem venit multitudinem pretiosorum lapidũ in suo thesauro reliquisse: cumque ad eos petendos in ciuitatem regrederetur, ab exercitu è porta exclusus est. Videns autem se non posse euadere, ad basilicam Christianorum *Orthodoxorum* confugere cœpit: sed priusquam limina sancta contingeret, vnus, emissa manu, lancea eum mortali ictu sauciauit; ibique decedens reddidit spiritum. Tunc Childebertus cum magnis thesauris sororem assumptam, secum adducere cupiebat: quæ nescio quo casu in via mortua est; D & postea Parisios delata, iuxta patrem suum Clodoueum sepulta est.

PRAEDA CAPTA EX DITIONE AMALARICI.

[c] *Isidor. in Chronica Goth.*

[d] *Procop. de bello Goth. lib. 1.*

Childebertus verò inter reliquos thesauros ministeria ecclesiarum pretiosissima detulit: nam sexaginta calices, quindecim patenas, viginti Euangeliorum capsas detulit, omnia ex auro puro & gemmis pretiosis ornata. sed non est passus confringi: cuncta enim ecclesiis & basilicis Sanctorum dispensauit & tradidit.] hæc Gregorius: discrepat ab eo Isidorus[c], dum Amalaricum non in Hispania, sed Narbone in Gallia esse occisum tradit. Agit & de his Græcus historicus Procopius[d], eandemque refert causam belli inferendi, quam ex Gregorio recitauimus: at non Childebertum nominat, sed Theodobertum. verùm Theodobertus nõ fuit filius Clodouei, sed nepos, nempe filius Theodorici ipsius Clodouei filij. Tuncque dicit cessisse Francis eam partem Galliarum, quam hactenus Vuisigothi possederant: ait enim: Theodobertus verò suis cum rebus omnibus sorore redempta, Galliæ partem, E quantamcumque sortiti Vuisigothi fuerant, recepit. Qui itaque Vuisigothorum ex gente bello deuicta reliqui ex ea clade fuere, ex Galliis cum vxoribus liberisque suis iam sedibus exciti, ad Theodem in Hispania tyrannidem exercentem se contulere.] hæc Procopius. Verùm siue rursus receperint Vuisigothi eam partem Galliæ Narbonẽsis, siue non penitus ea caruerint; certum est, posterioribus Francorum Regibus cum Vuisigothis eam prouinciæ partem possidentibus fuisse pugnandum; vt quæ dicentur suis locis inferiùs, perspicuè demonstrabunt. Successit autem (vt diximus) post Amalaricum Theudis, qui licet Arianus, tamen bene habuit Orthodoxos, vt S. Isidorus affirmat.

TOLET. CONCIL SECVNDVM SVB MONTANO EPISC.

Hoc eodem anno, quo absoluitur quintus eiusdem Amalarici Regis, & primus incipit numerari Theudis eiusdem successoris, celebratum reperitur Concilium Toletanum, dictum secundum, sub Montano Archiepiscopo Toletano. De hoc acturi, primùm omnium

A omnium more nostro ipsam rectam temporis rationem statuamus. Cùm omnium assertione & antiquorum codicum lectione constet, ipsum habitum esse anno quinto eiusdem Regis Amalarici; sitque omnibus pariter exploratum, quinquennium eiusdem Regis deduci ab obitu Theodorici Italiæ Regis, quem decessisse diximus anno Domini quingentesimo vigesimosexto: hìc primùm, vnde erroris occasio manare possit, emendandus est mendosus locus Isidori, ne ipsum sibi ipsi contrarium esse & turpiter hallucinatum quis dicere aliquo modo audeat. Sunt enim hæc verba in Chronico Gothorum Regum Isidori: Æra DLXIIII. XIIII. anno Iustiniani Imp. defuncto Theodorico, Amalaricus nepos eius quinque annis regnauit.] quæ verba tum his quæ superiùs, tum his quæ inferiùs in eodem leguntur Chronico, penitus contradicunt, vt decimoquarto Iustiniani Imp. anno dicatur regnare cœpisse Amalaricus, qui vltimo anno Iustini Imp. auspicatus est regnũ. Quam-
B obrem necessariò restituenda est germana lectio, ita vt loco Iustiniani, Iustinus, & loco numeri XIIII. annorum Iustiniani, ponatur VIIII. Iustini, vt dicat textus: Æra DLXIIII. VIIII. anno Iustini Imperatoris, defuncto Theodorico, Amalaricus nepos eius quinque annis regnauit.] quo annorum numero tum ex Æra, tum ex annis Iustini Imperatoris consignatur annus Domini quingentesimus vigesimussextus, quo (vt dictum est) Amalaricus primum annum exordiens, hoc Domini anno terminat quintum, quo eadem Toletana Synodus habita esse sine controuersia ab omnibus affirmatur, & in codicibus tum scriptis, tum cusis æquè legitur. Sed & emendandum quod in nouissimam editionem ex mendoso exemplari irrepsisse videtur, dum quintus annus Amalarici, sub quo dicta Synodus acta ponitur, notatur Æra DLXV. qua non præsens annus quintus eiusdem Regis Amalarici, sed secundus inchoatus eiusdem notandus esset; quintus verò cùm absoluitur (qui est præsens
C annus) inscribendus esset Æra DLXVIIII.

EMENDATVR ERROR ILLAPSVS IN CHRONIC. S. ISIDORI.

His igitur locis emaculatis, & sincera lectione vbique restituta, adhuc addimus: quòd etsi hoc anno, qui numeratur quintus Amalarici Regis, dicta Synodus celebrata inueniatur: tamen sancti Isidori verba suadent, vt ipso potiùs Amalarico mortuo, exordio Theudis successoris regni, hoc eodem anno Patres conuenerint: id, inquam, Isidori, qui hoc sæculo vixit, verba declarare videntur, quibus ait: Æra DLXVIIII. Iustiniani Imperatoris tempore, post Amalaricum Theudis in Hispania creatur in regnum per annos sexdecim: qui dum esset hæreticus, pacem tamen concessit Ecclesiæ Dei, vt licentiam Catholicis Episcopis daret, in vnum apud Toletanam vrbem conuenire, & quæcumque ad Ecsiasticam disciplinam necessaria existerent, dicere, licenterque disponere.] hæc ipse, planè significans, id inconcessum omnino fuisse, viuente Amalarico, Catholicis (vt diximus)
D infensissimo.

SVB THEV. DE CONC. TOLET.

Sed & quod dicit de Synodo Toletana cogenda impartitam ab ipso esse licentiam: id non de alia, quàm de hac ipsa, de qua est sermo, Toletana Synodo Isidorum constat intellexisse: nam nulla alia Synodus Toletana sub dicto Rege habita reperitur. Vnde opinari licet, quòd etsi anno quinto Amalarici Synodus ista habita inueniatur hoc anno, tamen non sub ipso, sed æquè hoc anno sub eius successore celebrata fuerit. sed quòd nomen Amalarici in ipsa Synodo legatur, ex appositio titulo irrepsisse puto. Hæc quidem opinari suadent, quæ ex Isidoro magnæ huius temporis auctoritatis scriptore recitata sunt, adiuuantibus coniecturis, iisdemque ex odio Amalarici & benignitate Theudis erga Catholicos acceptis: addito ad hæc etiam, quòd cùm Patres ipso exordio deplorent præterita tempora, quibus conueniendi denegata licentia videretur: id sub Amalarico accidisse, ex
E Isidoro conspeximus. His de tempore stabilitis, iam de ipso Toletano Concilio quæ sunt notatu digna referamus.

DE S. MONTANO EPISCOPO TOLETANO.

Qui primum locum in hac Synodo iure tenuit Montanus Toletanus Episcopus celebris nomine fuit tum doctrina, tum etiam vitæ sanctitate: vtraque enim dignus laude à sancto Ildefonso in libello de Viris illustribus celebratur. Extant eius lucubrationum duæ epistolæ, quarum idem meminit, altera data ad Ecclesiam Palentinam, ad Thuribium solitarium altera, digna felicissimi ingenij monumenta. Sed quod ad vitæ sanctitudinem spectat, hanc diuino testatam miraculo idem Ildefonsus eiusmodi perspicuo declarat exemplo: Hic vir, ex antiquissima relatione narratur, ad explosionem infamiæ tamdiu prunas tenuisse vestimentis ardentes, donec coram sedis suæ altari sacro totius Missæ celebritatem per semetipsum expleret. Peractis autem solemnibus, nec prunæ ignem, nec vestis inuenta est amisisse decorem. Tum Deo relatis gratiarum actionibus, qui per simplicem

naturam ignis cognita esset & fallacia detestabilis accusantis, & innocentia beatissimi sacerdotis.] hæc de eo Ildefonsus. A

EPISCOPI INSIGNES QVI INTERFVERVNT SYNODO.

Cum Montano septem alij tantùm interfuerunt Episcopi, sed si numero pauci, virtute atq. doctrina præstantes: qui cum Zorobabele suo, in medio licet hostium positi, templum reædificare magna animi constantia sunt aggressi. Enituit autem in eo conuentu Patrũ præter Montanum Iustus Vrgelitanus Episcopus, & ipse clarus inter scriptores Ecclesiasticos, & trium germanorum collegio æquè disertorum, nempe Iustiniani Episcopi Valentini, Nebridij, & Helpidij, illustrior redditus: licet iniuria temporum deperditis ipsorum scriptis, fratrum subobscura memoria sit relicta. agit de his omnibus Isidorus [a].

[a] *Isidor. de vir. illustr. c.10.21.*

Quinque in hac Synodo reperiuntur sanciti canones esse ad disciplinam Ecclesiasticam illustrandam, & mores Fidelium informandos; quos tu consulas. Nos verò non omittimus, quòd gratitudinis ergò iidem Patres, absoluta Synodo, Regi licet Ariano, ob concessam coeundi licentiam bene precati sunt. Ad finem enim Synodi ista leguntur: Nunc ergo in nomine Domini finitis his quæ in collatione venerunt, gratias agimus omnipotenti Deo, deinde domino nostro glorioso Amalarico * Regi, diuinam clementiam postulantes, vt innumeris annis regni eius ea quæ ad cultum fidei proueniunt peragendi nobis licentiam præstet. Amen.] Quid his simile habes præfatos esse Patres in Consilio Agathensi sub Alarico item Ariano Gothorum Rege collecto, ipsius accedente concessione. B

* Theudi

At bene vsi Montanus & alij Patres Regis beneficio, non semel tantùm coierunt in Synodum, sed frequenter diuersis in locis. Etenim inter alia Concilium Palentinum patet congregatum fuisse: ita legendum, pro Valentino, Palentinum, vt ex eiusdem Montani epistola ad Thuribium data possumus intelligere: quæ cùm alia habeat digna memoria, hic mihi eam reddere & tibi legere gratum erit. sic enim se habet [b]: C

[b] *Apud Collect. Concil. Hispan. Gars. 10a.*

Domino eximio præcipuoque Christicolæ, domino & filio Theoribio * Montanus Episcopus.

* Thuribio.

MONTANI TOLETANI EPISCOPI EPIST. AD THVRIBIVM

Alumnum te fidei Catholicæ & sanctæ religionis amicum etiam in actis mundialibus conuersantem valde & nouimus & probauimus. Cùm enim adhuc floreres in sæculo, ita claritatis tuæ vita perpatuit, vt secundùm sententiam Domini, & quæ sunt Cæsaris Cæsari non negares, & Deo quæ sua sunt deuota mente persolueres. Iure etenim te diuini cultus in hac præsertim prouincia nominabo * ... Putas ne quanta tibi apud Deum maneat merces, cuius solertia atque instinctu & idololatriæ error abscessit, & Priscillianistarum detestabilis & pudibunda secta contabuit? Si tandem adhuc & in nomine honorare desistant, cuius per tuam admonitionem collapsa esse opera non ignorant. Nam de terrenorum dominorum fide quid loquar? cui ita tuum impendisti laborem, vt feroces cohabitantium tibi animos ad salubrem regulam & normam regularis disciplinæ duceres. præstauit diuina clementia: quia id quod summo labore conatus es, precibus & oratione perficeres. Quæ tamen ex Palentino conuentu ad nos peruenerint, celsitudini vestræ indicare curaui, quo faciliùs per vestram increpationem nefanda præsumptio in posterum conquiescat, &c.] subdit de presbyteris reprimendis, qui sibi chrisma cõficiendi auctoritatem vsurparant; deque Episcopis coercendis, qui in aliena diœceси ecclesias consecrarent: de quibus omnibus est querela eiusdem in epistola data ad Palentinæ Ecclesiæ subditos. Porrò Thuribium istum longè diuersum esse ab illo ad quem extat S. Leonis Papæ epistola, diuersitas temporum persuadet. D

Quod ad statum rerum Orientalium anni huius pertinet: tumultuosum illum quidem fuisse Constantinopoli, quæ habet Marcellinus hoc anno post Consulatum Lampadij atque Orestis significant, nimirum conspirationem factam esse aduersus Iustinianum Augustum, de qua hæc ipse: E

CONIVRATIO CONTRA IVSTINIANVM.

Hypatius, Pompeius, & Probus genere consobrini, Anastasij Imperatoris nepotes, quòd Imperium sibi singuli indigna ambitione exoptarent, Idibus Ianuariis cum plerisque nobilium coniuratis, omnique seditiosorum turba armis donisque ministratis illecta, dolis inuadere tentauerunt; atque per quinque continuos dies vrbem regiam rapinis, ferro, igneque per sceleratos ciues sine certo interrege discurrentes hostili impietate, ipsi se fideles Reipublicæ in Palatio dissimulantes, depopulati sunt. Quinta verò huius nefandi sceleris die, dum de foro Hypatius sceleratorum comitantium manibus torque redimitus aureo, & Pompeius Comes sua sub veste loricatus ad inuadendum tenendumque ascendunt Palatium: vterque eorum ante fores Palatij captus est; statimque piissimi Principis nostri nutu

catena-

A catenatus, trucidatus pœnas luit,& ante Imperium perdidit quàm haberet, innumeris passim in Circo populis trucidatis, & tyrannorum sociis continuò proscriptis.] hæc Marcellinus, quæ à Procopio [a] fusiùs enarrantur. Coactum verò fuisse Iustinianum acclamanti populo satisfacere,& Ioannem atque Tribonianum magistratu deponere, idem affirmat; sed eo cessante tumultu, restitutos tradit: verùm Ioannes postea (vt dicetur) pœnas dedit. Quanta autem fuerit præter incendia & prædam hominum cædes, idem Procopius refert, dum ait desiderata esse hominum triginta millia.

[a] *Procop. de bello Persic. lib. 1.*

His igitur permotus Iustinianus, præcauens in futurum, Nouellam edidit sanctionẽ qua armorum vsum à priuatis adimere conatus est, dum prohibuit, ne quis priuatus esset armifactor; neque qui publico operi in armis faciendis inseruirent, venderent ea priuatis. His namque impulsum esse ad hæc sancienda, ipse eiusdẽ constitutionis exordio declarat, vbi

ARMORVM VSVS QVIBVS INTERDICTVS.

B ait [b]: Magnum Deum & Saluatorem nostrũ Iesum Christum & eius auxilium semper inuocantes,studemus omnes subditos nostros, quorum regimen credidit nobis Deus, illæsos & sine calumnia custodire,& inhibere bella,quæ per suam inconsiderationem suscipientes aduersus alterutros operantur dolores, duplex ex hoc contra se supplicium inferentes,tam quod sibimet inferunt, quàm quod ex lege vesaniam eorum puniente patiantur.]

[b] *Nouel. 85.*

Promulgauit etiam idem Imperator hoc anno post Consulatum Lampadij & Orestis constitutionem, qua [c] vetuit hæreticos & Iudæos contra Orthodoxos testimonium ferre: in contractibus dumtaxat eorum attestationem inspici debere. Addidit postea & illam [d], ne quis hæreticus hereditatem, legatum, vel fideicommissum accipere possit. data est constitutio quinto Kalendas Augusti, anno secundo post Consulatum Lampadij & Orestis, quibus perperam iungitur annus secundus Iustiniani Imperatoris. Sed opinor in-

QVAE IN HAERETICOS ATQVE IVDAEOS.

[c] *l. 13. Cod. de hæret.*

[d] *l. vlt. Cod. de hæret.*

C de erroris manasse occasionem, quòd notata lege post Consulatum Lampadij & Orestis secundò, nempe anno sequenti,putarit imperitus scriptor,eo numero appositio, secundum Iustiniani Imperatoris annum conscribi, cùm annus potiùs post eorum Consulatum secundus significetur.

Hoc item anno,quinta die Decembris, decima Indictione, ex hac vita migrauit mirificus ille Sabas, de cuius legatione ad Iustinianum Imperatorem pro Palæstinis aduersus Samaritas egimus anno superiori: haud enim diu pòst, eo perfuncto munere, ipsum superstitem fuisse,eius à Cyrillo scripta Acta citata superiùs indicant. Cui veritati assentiuntur quæ scripta sunt ab eodem Cyrillo in rebus gestis Ioannis Silentiarij, nempe eũdem Sabam vita functũ decima Indictione: quod & in scriptis codicibus à nobis citatis in Notis ad Romanum Martyrologium pariter notatum vidimus,decima nimirum Indictione defunctũ esse.

DE OBITV ET AETATE S. SABAE.

D Ex quibus necesse est emendes quod in Vita eiusdem Sabæ scriptum habes, ipsum peruenisse ad annum ætatis nonagesimumquartum. Nam cùm sub decimoseptimo Consulatu Theodosij Iunioris eum natum idem auctor affirmet, qui est annus Domini quadringentesimus trigesimus nonus, & die quinta Decembris Indictionis decimæ constet esse defunctum: nonnisi annos nonaginta duos vixisse reperies. Quem errorem qui non considerarunt,eum anno Domini quingentesimo trigesimotertio diem obiisse dixerunt,quod & nos professi eramus: verùm ad exactiorem rationem tempore reuocato, hoc potiùs anno eum esse defunctum consenserimus, pluribus id affirmare suadentibus; nempe quod diximus testificatione eiusdem Cyrilli,qui eum,absoluta illa legatione,esse vita functum tradit: nam ipsum amplius biennio oportuisset fuisse superstitem, si ad dictum annum nonagesimum quartum peruenisse dixerimus. Rursum verò cùm idem auctor in fine numeret annos vi-

E ginti tres ab obitu Sabæ vsque ad annum post Quintam Synodum, quæ celebrata est anno Domini quingentesimo quinquagesimo tertio: vtique hoc anno eum vita functum ostendit: ita vt nullus dubitandi relictus videatur esse locus, sed tantùm emendandi sint illapsi errores de anno nonagesimo quarto,quem diximus, & de anno centesimo quinto, qui habetur de vita Sabæ in Actis Theodosij cœnobiarchæ.

Iam verò quæ de tanti viri obitu idem auctor enarrat, audiamus [e]: Reuersus (inquit) Hierosolyma, adoratis sanctis locis, & iis dictis quæ quodammodo dici solent in exitu; venit ad maximam suam Lauram: in qua cùm parum esset moratus, morbus quidã ingruens illum verè fortem adamãtem lecto tradit. Quod quidem cùm significatum fuisset Patriarchæ, repentè venit ad illum visendum. Cùm verò veniisset,& sic vidisset eum in cella iacentem,egenum rerũ omnium necessariarum, quando oportet etiam ea suppetere quę redundant, & circa corpus omnem excogitare curationem, vtpote quòd & morbus & senectus & lon-

[e] *Cyril. in vita S. Sabæ, apud Sur. die 5. Decem.*

& longi labores possint vehementer cruciare: supplex ab eo contendit, vt exportetur ad sibi A
subiectam Ecclesiam, vt possit illic frui aliquo ex iis quæ pertinent ad remissionem & recreationem. Ille autem Patriarchæ reueritus supplicationem, & illuc asportatus iacebat, cum ipso morbo luctans, & ab eo similiter confectus. Cùm verò aliquantum temporis intercessisset, ad eum diuina quædam aduenit visio, significans illius hinc futurum excessum. Statim ergo reportatus in cellam, cùm vltima verba dixisset fratribus, & postremum eis dedisset osculum, & cuidam Melitæ illorum commisisset præfecturam viro idoneo, cui id crederetur; à terrenis migrat ad cælestia, suam animam in manu Dei disponens, iam natus no-
*secundum nagesimumquartum *annum. erat verò quintus Decembris dies, quo mortuus est vir ille inclytus, & ad vitam quæ illic est commigrauit comitatus ab Angelis ac martyribus, vt paulo pòst ostendet oratio. Nunc autem per seriem procedat narratio.

FVNVS S. SABAE. Cùm ergo mors Sancti breui tempore in omnem partem peruasisset, cucurrit quidem ad B
sacrum illius corpus multitudo innumerabilis: cucurrit quoque vniuersus ordo monachorum, & quicumque erant Episcopi: qui cùm quo par erat ornatu corpus composuissent, hymnos & cantica ei de more canentes, piè admodum & sanctè inter duas ecclesias in media Laura deponunt, vbi cùm ille esset superstes, vidit columnam lucis. Atque talis quidem fuit vita beati Sabæ, & eius tam admiranda & quæ naturam superant rectè facta. Nobis autem eundum est ad miracula quæ facta sunt post mortem, quæ fiunt & numero multa & insignia magnitudine.] hucusque ex Cyrillo: quòd si tu cupis quæ ipse subiicit sanctissimi viri post obitum miracula edita noscere, ipsum consulas. Ita planè, quo Deus in cælo viuere iustos ostendat, ex eorum reliquiis tamquam è viuo fonte facit scaturire miracula: sicuti enim arbores ex foliis, floribus, atque fructibus virides esse certa significatione percipimus: eodem modo apud Omnipotentem viuere certò scimus cui omnipotentiam in ostensione C
signorum post mortem ipse communicauit.

S. SABAE IVGIS MEMORIA IN ECCLESIA. Eiusmodi planè esse consueuere post iustorum obitum diuinitus exhiberi solita munera, vt loco funeris paretur Sanctis in cælo triumphus, qui licet humanis oculis minùs perspicuus videatur; ex fulgoris tamen radiis, qui inde miraculorum editione coruscant, satis superque possit haberi perspectus, vespertilionibus & aliis lucifugis volatilibus tantùm obscurus. Catholica igitur Ecclesia diuino semper lumine desuper illustrata, quem ex certis signis nouit receptum in cælum S. Sabam, eumdem in terris colere ab ipso transitus eius die, repetito ipsius anniuersario cultu, tam in Oriente, quàm in Occidente, numquam destitit, nec in posterum desitura est vsque ad diem nouissimum celebrare; vtpote quæ & nouerit concessum à Deo tantum virum eo potissimùm tempore, quo tot tenebris offusus totus Oriens tenebatur: cùm, silentibus, immo & in deteriora prolabentibus Ecclesiarum Epi- D
scopis, ipse ex aduerso surrexerit, Regesque impios redarguerit, hæreticos exagitarit, fidemque Catholicam illæsam conseruandam curarit. Sunt ista modò numquam interitura sancti Sabæ præconia perpetuis notis affigenda sepulchro, quod non angusto sarcophago continetur manibus impiorum expositio, sed ipsa latitudine sui terram cælumque ambiente, manente semper Ecclesia, in qua viuit iugi memoria, loquitur viuis exemplis, operatur editione signorum, & vigilat semper opem laturus se precibus inuocantibus. Sed de magno Saba hactenus.

S. ANTONII CORPORIS INVENTIO. Hoc item anno post eorumdem Lampadij & Orestis Consulatum à Mariano Scoto consignatur inuentio corporis sancti Antonij magni in eremo, & translatio eiusdem Alexandriam in Basilicam S. Ioannis Baptistæ: licet alij in alios Christi annos hæc referant. Sed cùm ea de re huius temporis scriptorum testimonia desint; cui magis quàm dicto auctori E
assentiamus, haud est liberum definire.

IESV CHRISTI ANNVS 532. IOANNIS PAP. ANNVS I. IVSTINIANI IMP. 6. ATHALARICI REG. 7.

IVSTINIAN. BELLVM VVANDALICVM MEDITATVR. QVi ordine temporum sequitur quingentesimus trigesimus secundus Redemptoris nostri annus, absque Consulibus nouis ex more creatis, post Consulatum Lampadij & Orestis secúdò, notatus reperitur in Fastis, quo Iustiniani Imperatoris sextus inchoatur annus: cùm iam decernit ipse, quem cóceperat animo apparatum ad bellum VVandalicum,

à quo

A à quo quamplurima erant quæ Imperatoris animum auocarẽt, nempe exhaustum ærarium ob bellum Persicum in hoc vsque tempus productum, difficultas eius ob hostium longiorem terra mariq́ue distantiam, roburq́ue inuictum eorumdem barbarorum, qui hactenus gladiis Romanorum visi erant impenetrabiles: his accedebat præteritorum memoria tristium, quæ absterrebat ab eo auspicando bello, quod aliàs fuerat sub Leone Imperatore infelicissimè pertentatum: siquidem etiam animalia natura docet, vt ea caueant loca, in quibus aliàs fuerint periclitata. Cùm, inquam, istæc omnia à bello susc ipiendo Iustiniani animum dimouerent; alia tamen complura erant, quæ ipsum ad eam belli prouinciam susc ipiendam incitabant, nempe quòd ipsum maximè lacessissent barbari tyranni tumor atque superbia, quibus haud pridem fuerat nonnihil offensus: pariebatq́; fiduciam eiusdem impietas in Deum & homines, vtpote quod Arianum esse sciret fidei Catholicæ perduellem,
B & in proximos contra omne ius fasq́ue peccasse, cùm legitimum Regem, eiusq́ue coniunctos in vincula coniecisset; Deumq́ue ipsi aduersaturum esse putans, qui adeò feris auspiciis sibi tyrannidem vendicasset. Impellebant verò ipsum præ cunctis ad bellum illud licet perdifficile aggrediendum, quæ de victoria aduersus hostes magnus ille Sabas prædixerat, cum apud eum ante biennium pro suis Palæstinis legatione fungeretur. His itaque dum excitaretur, tamen ab aliis quæ sunt dicta nonnihil retinebatur.

DE PACE FIRMANDA CVM PERSIS

Cùm igitur eiusmodi veluti euripo huc illucq́ue agitaretur Imperatoris animus fluctuando: numen planè diuinum ad prosequendum quod mente conceperat arduum bellum impulit remorantem. Quod vt aggredi possit, primum omnium necessarium ducit pacem cum Persis firmare atque stabilire: non enim nisi Orientalibus pacatis rebus, Occidentales tentare posse satis intelligens, in opus incumbit; quod hoc anno aggressus, nonnisi se-
C quenti, cùm Imperator tertium iniret Consulatum, perficere potuisse, idem ipse Imperator suis sanctionibus testatum reddidit, vt suo loco patebit. Inter hæc autem vt omnes optimi Principis numeros expleret, de re tanta more maiorum voluit consuluisse Senatum. Est de his omnibus locuples testis Procopius[a], qui (quod ad tempus spectat) anno septimo eiusdem Imperatoris pacem cum Persis esse sancitam affirmat, sequenti videlicet, cùm (vt dictum est) idem Imperator tertium iniit Consulatum: aitq́ue totum hunc annum in consultatione apparatuq́ue esse consumptum. Verùm non solùm apud Senatum inuenit, qui conceptam de bello VVandalico spem, suiq́ue animi calorem exardescentem extinguere penitus conarentur; sed præter aduersantes Senatores, cùm ista foris euulgarentur, etiam tumultuantem populum passus est.

[a] *Procop. de bello Persic. lib. 1.*

Cùm autem ex his & adhuc inter ambigua versaretur: ex visione quadam Imperatoris
D animum confirmatum esse, quem bona spe antea erexisset sanctus Episcopus, Procopius tradit, qui post multa hæc de his habet[b]: Episcopus quidam ex Orientis partibus veniens, dixit se paucis cum colloqui velle. Facta potestate, ait, Deum ei somnium noctu misisse, Imperatori assimilatum, illumq́; impietatis accusasse, quòd Christianos è manibus barbarorum in Africa liberare constituens, nulla postea de causa destitisset: Negotium aggredienti omnino præstò esse, atque Africæ dominum eum facturum, se accepisse. Hæc vbi Iustinianus audiuit, animo deliberato rem vltrà differre non potuit, exercitum properè coëgit, naues quoque & cibaria præparauit, Belisarium verò exercitui præfecit.] laboratumq́ue est tota hieme in comparandis naualibus, vtensilibus, annona, & scribendis exercitibus, donec sequentis anni soluendi tempus adesset.

[b] *Procop. de bello VVand. lib. 1.*

PRAEDICTIONES DE FELICI EVENTV BELLI.

Præcesserant & de his alia vaticinia in Africa sanctis Episcopis demonstrata: fore nimi-
E rum, vt hoc tempore à dura VVandalica tyrannide liberarẽtur omnino: vsque adeò diuulgata, vt puerorum ore eadem occini consueuerint. nam audi Procopium[c]: Dicebatur (inquit) antiquum Carthagine prouerbium solitum esse iactari: quod γ, quandoque β, & rursum β, γ, persequeretur: quod enim ludentibus tunc pueris in ænigmate, nunc omnibus manifestum esse. Primum enim Gensericus Bonifacium expulit, nunc verò Gilimerem Belisarius. Hoc itaque siue ex fama quadam, seu ex oraculo fuerit, sic res se habuit.

[c] *Procop. de bello VVand. lib. 1.*

ORE PVERORVM VATICINIVM PRAENVNCIATVM.

Tunc insuper insomnium quoddam priùs visum obscurum, vbi res contigit, in lucem venit. Fuit autem huiuscemodi: Cyprianum virum sanctum ex omnibus maximè Carthaginenses colunt, ipsiusq́ue templo pulcherrimo ante vrbem iuxta littus constituto festum quotannis celebrant, quod Cypriania vocant; eodemq́ue vocabulo (vt ego nuper didici) ruentem tempestatem nominare solent, quod hæc eodem tempore, quo hoc festum Afri celebrant, oriri consueuit. Hoc itaque templum Vuandali, imperante Honorio, pulsis Christianis,

ſtianis, ac ſacerdotibus multa ignominia eiectis, tenuerunt, ipſius cura Arianis delegata. A

S. CYPRIANI DELIBERATIONE AFRICAE PRAEDICTIO.

Quamobrem Afris maximo dolore perculſis ac animi pendentibus dicunt, Cyprianum in ſomnis apparuiſſe, ac bono eſſe animo Chriſtianos huius rei gratia iuſſiſſe, ſeſe breui tẽpore vltorem futurum pollicẽdo. Vbi res in vulgus prodiit, Afri omnes vltionem hanc in Vuandalos expectabant: nec propterea vnde hæc procedere poſſet, coniicere vllo pacto poterãt.] Sed quomodo viderint impletum oraculum, ſequenti anno dicetur. Ita planè plurima ſunt exempla conſueuiſſe Dominum, cùm peccanti populo infligit verbera, ne in afflictione deficiat, ſed emendatus erigat animum, quoſdam inter denſas tenebras lucis radios è longè monſtrare, cùm videlicet in ærumnis populum laborantem meliorum rerum prædictione ſolatur: ſicuti cùm Dei populus teneretur in Babylone captiuus per Prophetas ſuos liberationem futuram ſæpe prædixit, id implorantibus ſuis precibus Sanctis.

Quis, rogo, ſatis exprimere valeat, quot quantiſq; hæc fuerint expetita ieiuniis atq. vigiliis, imploratáq; lacrymis & precibus confeſſorum atque etiam promerita ſanguine martyrum quorũ ingens numerus ſub Gẽſerico præcucurrit, & maior exercitus ſub eius filio Hunerico eſt ſubſecutus? Horum prima fuit militum ad inuadendos hoſtes in fronte bene diſpoſita acies, cuius robore infirmi quique vinci ſoliti facti ſunt fortes; & qui hactenus aduerſarij perſtitiſſent inuicti, ſunt debellati. Sancti namque per fidem (clamat Apoſtolus [a]) vicerunt regna, fortes facti ſunt in bello, caſtra verterunt exterorum.] B

[a] *Heb.* 11.

SANCTORVM OPE NITITVR IVSTINIAN.

Horum haud ignarus Iuſtinianus, huiuſmodi militibus maiora ſtipendia contulit, cùm (teſte Procopio) ſanctis martyribus diuerſis in locis templa conſtruxit, aliáq; erigenda propoſuit, itemque reditibus annuis locupletauit, necnon militiæ cæleſtis ſummo Principi Michaëli pluribus in locis erexit eccleſias: probè ſciens, ſi talem tantumq; Ducem ſibi conciliaret, qui rebelles Angelos cientes in cælo prœlium ſuperaſſet, certam ſecuramq; poſſe devincendis Vuandalis habere fiduciam. Sed & præter omnia maximam omnium ex eo ſpem concepit & aluit, quòd ſanctiſſimæ Dei genitricis Mariæ ſtudioſiſſimus cultor, eamdẽ ſummis frequentauit honoribus, obſequiiſque demeruit, cùm vbique locorum apud barbaras etiam nationes in eius memoriam baſilicas ſumma impenſa conſtruxit. Eſt de his omnibus locuples teſtis citatus ſæpe Procopius. Prægrandi igitur ex his ſibi parta fiducia, idem Iuſtinianus Imperator perdifficilem arduamque non veretur ſubire prouinciam, durumq; opus pauendum cunctis aſſumere, Dauidicum illud animo voluens & ore concinens [b]: In Deo faciemus virtutem, & ipſe ad nihilum deducet inimicos noſtros.] Et quidem quomodo Deo auſpice omnia dexterè contigere, dicemus anno ſequenti. C

[b] *Pſal.* 107.

RVRSVS INSVRGVNT HAERETICI.

Hoc eodem anno, qui ſequitur poſt obitum magni Sabæ, inualeſcentibus Origeniſtis in Palæſtina, magna facta eſt perturbatio Orthodoxis. Incipiens à monachis eiuſmodi conflagratio, inde longè lateque ſerpente incendio, magnam vniuerſæ Catholicæ Eccleſiæ intulit cladem, vt quæ ſingulis annis inferiùs dicentur, oſtendent. Quod verò ad anni huius res geſtas pertinet, planè contigit ſecundùm vaticinium illud Ioannis miræ ſanctitatis viri nouæ Lauræ Archimandritæ, quod recitat Cyrillus in eiuſdem S. Sabæ Actis: fore nimirum, vt hæretici magnas eſſent in monachos excitaturi turbas. Id quidem etſi ſæpe, viuente Saba, impij tentarint; continuò tamen eximia tanti Patris virtute repreſſi, fugatique ſunt. Inſtar enim veſpertilionum Solis radios declinantium, & vbi ſunt tenebræ, cauernas, ceteraque tetra loca captantium; vbi verò Sol occumbit, rurſum emergentium: hi ſiluerunt quidem & latuerunt, nec è latebris egreſſi ſunt, dum S. Sabas fulgẽtibus vitæ radiis eam viuens prouinciam illuſtraret: vbi verò contigit eum ex hac vita migraſſe, iidem veluti è portis inferi erumpentes, dæmonum ſtipati cohortibus in eiuſdem S. Sabæ filios debacchari cœperũt & inſanire. At non fuit hoc malum monachis tantùm illatum, aut in Palæſtina dumtaxat cognitum & propagatum, ſed & regiam ciuitatem Conſtantinopolim peruaſit, totumque ferme Orientem depaſtum eſt: atque adeò, vt nec valuerit Iuſtiniani Imperatoris edictis extingui; ſed infelici germine magis magiſque diffuſum, opus fuerit illud œcumenici Concilij auctoritate conuelli, vt inferiùs ſuo loco patebit. D E

ORIGENISTAE HAERETICI RVRSVM EMERGVNT.

Fuerunt hi (quod mirari poſſis) Origenis errores ſæpe damnati, ſed iterum reuocati, præciſi frequenter, germinantes rurſus & latiùs palmites extendentes. Haud enim profuit labor impenſus, nec ſatis fuit ſudor effuſus tot tantorumque Patrum, qui aduerſus eiuſmodi monſtruoſam beſtiam ſtudio indefeſſo certarunt, Dionyſij Epiſcopi Alexandrini, Epiphanij Hieronymi, Theophili in Oriente, in Occidente verò Anaſtaſij Romani Pontificis & aliorum, qui ad conficiendum monſtrum hoc vnà ſimul in ſacris Conciliis conuenere, & anathemate

A themate Origenis omnes errores cum eorum sectatoribus damnauere. Verum in Palæstina, vbi altas olim (vt vidimus) eiusmodi impietas radices fixerat, post centum annorum curricula, iterum sursum prodire visa est tamquam ostentum, coopertum tamen pallio sanctitatis, cùm inter alumnos sanctissimi Sabæ se occuluissent qui essent eiusmodi præcones errorum. At quid de his sanctissimo Archimandritæ Ioanni diuinitus fuerit obitus tempore reuelatum (vt rem ipsam ab ipso exordio repetentes, testatam posteris relinquamus) hic in primis ex Cyrillo in rebus gestis S. Sabæ in medium est adducendum: ait enim [a]:

[a] *Cyril. in Saba, c. 49.*

IOANNIS DE ORIGENISTIS PRAEDICTIO.

Cùm è præsenti vita Ioannes iam esset migraturus, & extremum iam traheret spiritum, & extrema verba emitteret: quoniam multi eum circumsistebant ex iis qui erant è Laura, cum profundis suspiriis, lacrymisque & animi turbatione: Ecce, inquit, veniunt dies, in quibus qui præsentem locum habitant, discedent à recta fide, & extollentur quidem in se
B ipsis (vt cum diuino Dauide [b] dicam) qui exacerbant, in audacia verò sua destruentur, & altitudo eorum repentè concidet. Hæc cùm dixisset, migrauit, cùm septem annos implesset in præfectura Lauræ.] hæc de Ioannis prædictione Cyrillus, qui subiicit de eius successore Paulo miræ simplicitatis viro, Romano genere, sed qui sibi vacans à regimine penitus abhorreret: etenim quietis amore, præfecturæ oneris & honoris impatiens, fuga sibi consuluit, vbi tantùm sex menses Lauræ monachis præfuisset, in Arabiam se conferens, vbi & ex hac vita decessit.

[b] *Psal. 65.*

PAVLI SIMPLICITATE ABVSI HAERETICI.

At quid tunc accidit? Aucupati simplicitatem Pauli quatuor scelestissimi nebulones Origenis hæresum defensores, oportunamq; nacti occasionem viri ad cauendos dolos minimè prudentis vti serpentis, ad ipsum in Lauram pergunt, seque inter monachos allegi, summam vultu præseferentes animi demissionem exorant. Assensus est ille, putans se ma-
C gnum obsequium præstare Deo, si è mundo profugos omnes in solitariæ vitæ portum exciperet: quibus & occurrendum esse putaret, nedum pulsantibus aperiendum, secundùm illud Isaiæ [c]: Fugienti occurrite cum panibus.] Cùm verò Paulo (vt dictum est) fuga lapso, pastore grex destitutus esset; Sabas, cui præcipua monachorum incumbebat cura, loco eius alium dedit monachis præfectum, qui fuerat eiusdem Pauli discipulus, nomine Agapetum, de quo ista Cyrillus in Saba [d]: Cùm Agapeto Lauræ commissa esset præfectura, inuenit quosdam ex fratribus (erant autem hi quatuor à Paulo Abbate admissi, qui fuit simplicissimus, neque accuratè examinati) tamquam virus sub labris quædam Origenis occultantes. Inter quos primas partes obtinebat quidam Nonnus Palæstinus, qui videbatur quidem esse Christianus, & pietatis præseferebat speciem, laborabat autem morbo Gentilium, &
D Manichæorum, Didymique, Euagrij & Origenis, qui nugati sunt de præexistentia. Cùm ergo eos ita se habere deprehendisset Agapetus: timens ne malum manaret ad alios, & omnes communiter inficerentur, eam rem communicat Patriarchæ; eoque in eius quod statuerat, adhibito societatem, illos è Laura expellit.

[c] *Isaiæ 21.*

[d] *Cyril. in Saba c. 50.*

DE NONNO SIGNIFERO ORIGENISTARVM.

REIECTI AB AGAPETO ORIGENISTAE.

Non multum temporis intercessit, & cùm è vita excessisset Elias Episcopus Hierosolymitanus (vt deinceps apertiùs ostendet oratio) accedens Nonnus cum suis ad eum, qui successit, Patriarcham (erat is Ioannes) rogabat vt rursum restituerentur Lauræ, à qua dicebant se non iustè nec rectè fuisse expulsos. Ille verò cùm alia quidem nondum sciret, sed solùm eos fuisse expulsos à Deo dilecto Agapeto, & existimasset illum virum nihil feciisse vel dixisse aut gratia aut odio, eum statim accersit, rogatque num fieri posset, vt illi rursus admitterentur. Cùm autem is dixisset, non licere, & se malle illinc recedere, quàm videre illos in gregem relatos, qui sunt pleni tali contagione: ipse quoque eos abominandos amandat Pa-
E triarcha. Sed cùm Agapetus quoque post hæc quinto anno susceptæ administrationis migrasset ad Dominum, & cuidam Mamanti commissa esset fratrum præfectura: Nonnus cum suis, tamquam morte Agapeti ansam accepissent libertatis, reuertuntur ad Lauram, & in ea clanculum subiiciuntur Mamantis administrationi, malignum quidem morbum adhuc in animis inhabitantium circumferentes, sed quem metu Sabæ non proferebant, nec ad aliorum aures audebant transmittere.] hæc de eorum primordiis Cyrillus: qui & post multa ait [e]: Hos ipsos, cùm S. Sabas eius monasterij præfecturam accepisset, eosdemq; esse Origenistas intellexisset, protinus expulit monasterio: qui Constantinopolim accedentes, non tantùm Origenis, sed & Theodori Mopsuesteni dogmata tuebantur. Erat vnus ex his Leontius monachus patria Byzancenus.]

[e] *Cyril. ibid. c. 95.*

S. QVIRIACI LABORES ADVERSVS ORIGENISTAS.

Quænam autem essent execranda horum dogmata ex Origene iterum restituta: ex rebus gestis S. Quiriaci anachoretæ, qui eorumdem fuit ætate æqualis, quique aduersus eos multos

multos labores exantlauit, referimus: quæ sic se habent[a]: Mota itaque misericordia bona illa & clemens anima, *Quiriacus videlicet*, rursus descendit ad Lauram: & cùm ad beati Charitonis cellam quinque vixisset annis, vehementissimè decertauit aduersus eos qui eadem sentiebant quę Origenes. Atque tunc quidem admirabilis quoque Cyrillus, qui à magni Euthymij Laura ad beati Sabæ Lauram accesserat, vt videret Silentiarium Ioannem Episcopum, fit ei minister litterarum ad hunc beatum Quiriacum *. Litteræ autem significabant bellum tunc fuisse suscitatum aduersus sanctam ciuitatem: & eum obsecrabant, vt Deum oraret intentiùs, vt qui erant in noua Laura cum Nonno & Leontio, qui Origenis dogmata defendebant, & aduersus rectam fidem militauerant, vincerentur, & summam illam amitterent arrogantiam. Cyrillus itaque cùm venisset in Sucæam, & incidisset in Zosimum & Ioannem primos illius discipulos, cum eis venit ad magnum Quiriacum, & ei tradit epistolam, & narrat omnia quæcumque illi coràm dicta fuerant. Ille autem cùm ardenter & ex corde ingemuisset & lacrymasset: Dic, inquit, ei qui te misit: Ne animo angamur, ô Pater: citò enim videbimus Nonnum quidem & Leontium è vita excessisse miserrimè; lupos autem qui versati sunt in Laura, turpissimè illinc expelli, & oues ratione præditas sine molestia eam rursus habere, & sine metu in ea ali & pasci.

[a] *Cyril. in Vita Quiriac. c. 10. apud Surium die 29. Septem.*

* Cyriacum

ORIGENIS ERRORMALE DEFENSVS AVCTORITATE GREGORII.

Ad hæc idem Quiriacus: Quænam sunt ea, ô Pater, inquit, quæ illi sua tuentur sententia? Affirmant, respondit Cyrillus, dogmata de præexistentia & restitutione in eumdem statum esse media & ab omni periculo aliena; dicentes illa eis ad hoc ferre testimonium, quæ alicubi in suis Apologeticis magnus Gregorius ita scripta reliquit: Mihi videtur res non vilis & non contemnenda, dare in tempore vnicuique dimensum rationis, & dispensare in iudicio veritatem nostrorum dogmatum, quæ de mundo, aut de mundis philosophamur, de materia, de anima, de intelligentia, & naturis intelligentibus tam præstantioribus, quàm deterioribus, de prouidentia quæ omnia colligat quæ videntur euenire ratione, & quæcumque præter rationem inferiorem & humanam: & quæ præterea de prima nostra constitutione, figurisque, veritate, & testamentis, & Christi primo aduentu & secũdo. In his enim & assequi est non inutile, & non assequi vacat periculo.] hæc Cyrillus. Porrò quàm perperam hic locus Gregorij consarcinatus ex Apologetico & ex libro contra Eunomianos ab Origenistis in comprobationem suorum dogmatum adducatur, liquidò monstrat Aloysius Lipomanus Episcopus Veronensis, vir cum primis doctus ac pius in nota sua ad eadem Acta Quiriaci. Sed pergit auctor:

ORIGENISTARVM ERRORES.

Cùm admirabilis hæc dixisset Cyrillus. Beatus Quiriacus: Nequaquam, inquit, sunt media & vacant periculo dogmata de præexistentia, immo sunt lubrica potiùs & periculosa. Quomodo autem multiplicem eorum impietatem aperiendo, tibi paucis exponam: Dicunt Christum non esse vnum ex Trinitate. Dicunt corpora nostra, quæ habuerimus ex resurrectione, esse penitus ventura ad interitum, & Christi primùm. Dicunt Trinitatem non fuisse mundi opificem: & quod in pristinum statum restitutione poterunt quæcunque sunt ratione prædita, ac dæmones vsque fabricari æones, id est, sæcula, & quod ætherea & sphærica excitantur nostra corpora in resurrectione. Sic quoque dicunt Domini quoque corpus fuisse excitatum, & nos futuros ei pares in restitutione.

Cùm autem rogasset Cyrillus: Cur non sustinuerunt tot labores pro virtute, sed eos consumpserunt in hac quæ euacuatur & aboletur sapientia? Respondens beatus Quiriacus: Euanuerunt[b], inquit, in suis cogitationibus, & obscuratum est insipiens cor eorum: & dicentes se esse sapientes, stulti facti sunt. Nonnus autem fuit horum malorum primitiæ: qui cùm non ignauum ad hæc ministrum inuenisset Leontium Byzantinũ post decessum beati Patris nostri Sabæ, continuò hunc malum morbum seminauit vbique in Ecclesia. Et primùm quidem eos qui in noua Laura erant doctiores, vel (vt ita dicam) indoctiores, in suam induxit hæresim. Deinde non hactenus constitit: sed vt alia quoque monasteria solitudinis hac impartiret peste, magnum sibi censebat studium adhibendum. Demùm vt me quoque humilem & abiectum suis comprehenderet laqueis, qua non vsus est contentione? Sed se ipsam fefellit iniquitas (vt dicam sicut diuinus Dauid[c]) & mihi diuina visio apparuit, illius hæresis cœnum accuratè ostendens. Neque ego solus vici eius improbitatem; sed hi etiam, qui erant conuentus Sucææ, per nostrum consilium illius malitiæ fortiter restiterunt, & fraudulentos illos mores & artificium ad malum superarunt.

[b] *Rom. 1.*

DE NONNO ATQVE LEONTIO ORIGENISTIS.

[c] *Psal. 26.*

PETRVS ALEXANDRINVS ORIGENISTA.

Quoniam autem tam apertè congressus fuit superatus, alia ratione conuentum suæ potestati subiicere est machinatus; & quemdam Petrum Alexandrinum, qui in eum & hãc improbam

A probam hæresim erat iam olim propensus, præficit conuentui, si quo modo hac quidem certè ratione eos paulatim attraheret ad communionem. Solent enim principi magna ex parte esse conformes ij qui sunt in eius potestate. Sed nesciebat stultus se deprehensu facilem & apertam escam proponere: nam cùm consuetum illius vitium conuentui paululum se ostendisset, protinus ille totus commotus, Petrum pellit præfectura. Deinde rursus Nonni cœtus alium Petrum è Græcia ortum, qui à priore nihil differebat, ei præfecit. Conuentus autem videns expressos eius, qui præcesserat, malitiæ in eo characteres, protinus eum quoque expellit: & veniens in beati Sabæ Lauram, præfectum accipit Cassianum genere Scythopolitanum, religione fidelissimum, & in virtute & doctrina educatum. Et sic vix tandem potuimus eorum, qui morbo laborant Origenis, ardentem reprimere & arcere impetum, &c.] hæc in Actis Quiriaci fidelissimè scripta habentur; quæ & descripsit Cyrillus in
B libris, quos edidit: quem scias hunc ipsum esse Cyrillum discipulum Euthymij & Sabæ, qui eorum res gestas conscripsit.

At iam quæ idem Cyrillus de his ipsis Origenistis sit prosecutus in Vita sanctæ Sabæ post obitum eius vsque ad Quintam Synodum, in qua iidem cum auctore damnati sunt Origene, hîc (vt sumus polliciti) describamus. Sed priùs quid diuinitus postea ostensum sit aliquando de Origene & aliis hæresiarchis, cùm idem Quiriacus liberauit Nestorianum hæreticum, in medium adducamus: in Prato enim Sophronij id his antiquis monumentis testatum habetur[a]:

Senex quidam sedebat in Laura Calamonis iuxta Iordanem fluuium, Cyriacus * nomi-
C ne, magni apud Deum meriti. Ad hunc profectus est frater peregrinus ex regione Dora, Theophanes nomine, vt interrogaret senem de cogitatione fornicationis. quem senior hortari cœpit atque vrgere verbis de pudicitia atque castitate. Frater itaque magnificè ædificatus, ait seni: Verè, Pater mi, ego nisi in regione mea Nestorianis cõmunicarem, tecum permansissem. Cùm verò audisset senex Nestorij nomen, afflictus de perditione fratris, corripiebat eum, & orabat vt recederet ab hac pessima & pernicioſa hæresi, accederetq; ad sanctam Catholicam & Apostolicam Ecclesiam: dicens non esse aliam salutis spem, nisi rectè sentiamus & credamus (vt re vera est) sanctam Mariam Dei genitricem esse. Dixit autem frater ille seni: Profectò, domine Pater, omnes hæreses sic dicunt: Nisi nobiscum communices, saluus esse nõ poteris. Quid ergo faciam infelix nescio. Deprecare igitur Dominum, vt re ipsa me certum faciat, quænam sit vera fides. Senex autem cum gaudio verba fratris suscepit, dixitque illi: Sede in spelunca mecum, & omnino spem in Deo habeto: quia reuelabit tibi ipsius benignitas, quæ sit vera fides. Dimisso fratre in spelunca sua, egressus est se-
D nior prope mare mortuum, orans Deum pro fratre.

Circa autem horam nonam diei sequentis, aspexit frater, qui erat in spelunca, quemdam astantem sibi aspectu terribilem, ac dicentem: Veni, & vide veritatem. Assumensque eum, duxit in locum tenebrosum ac fœtidum ignem euaporantem: atque in ipsis ignibus videt Nestorium, Eutychetem, Apollinarem, Dioscorum, Seuerum, & Origenem, & alios quosdam. Dixitque illi is qui apparuerat: Locus iste præparatus est hæreticis, & blasphemantibus, & iis qui illorum dogmata sequuntur. Si ergo placet tibi locus, persiste in tuo dogmate. Si autem supplicium istud experiri non vis, accede ad sanctam Catholicam & Apostolicam Ecclesiam, quam te senex docet. Dico enim tibi: quia si omnes virtutes homo operetur, & non rectè credat, in hoc loco cruciabitur. Atque in hoc verbo venit frater in semetipsum, & redeunti seni narrauit omnia quæ viderat, accessitque ad communionem sanctæ Catho-
E licæ Ecclesiæ. Remansit autem cum sene, impletisque quatuor cum illo annis, quieuit in pace.] hæc ibi. Porrò ista ostensa Theophani videntur post obitum Seueri, de quo suo loco dicemus inferiùs. Quiriacus autem, de quo agimus, cùm vixisset centum & septem annos (vt eius Acta testantur[b]) quieuit in Domino, de quo in eodem Prato[c] Sophronij itemum mentio habetur.

Hæc Deus de damnato cum aliis hæresiarchis Origene opportuno ostendi voluit tempore, quo plurimum Origenistæ inualescebant: aduersus quos etiam certasse constat magnum illum Theodosium cœnobiarcham, de cuius in Origenem odio habet ista idem Cyrillus: Quoniam autem (inquit) difficile est recensere omnia eius certamina pro fide orthodoxa: oportet illud in summa dicere, quòd ipsi quoque cum Propheta[d] inimicos Christi odisse mirabiliter inerat. Maximè autem ostendebat se auersari Origenem, qui existimauit suum in hoc ponendum studium, vt diuinæ Apostolorũ prædicationi nugas contexeret

* Quiriacus DE NESTORIANO LIBERATO AB HAERESI.

ORIGENES CVM ALIIS HAERESIARCHIS DAMNATVS.

S. THEODOSIVS DITESTATVS ORIGENEM

[a] *Prat. Spirit. c. 26.*
[b] *Apud Sur. die 29. Sept.*
[c] *Prat. Spirit. c. 46.*
[d] *Psal. 138.*

Gentilium,& luderet in rebus minimè ludicris.] hæc de Theodosio Cyrillus,qui eum longè post sanctum Sabam diem extremum clausisse docet, dum ait vixisse adhuc temporibus Agapeti Romani Pontificis: vt planè corrigendum sit, quod additum est in Actis Sabæ, Theodosium ante eum diem obiisse. A

Sed iam vnde digressi sumus, reuertamur ad Origenistarum execrãda facinora,quæ post obitum S. Sabæ in Palæstina aduersus orthodoxos monachos perpetrarunt: quæ idem qui suprà Cyrillus scribit his verbis[a]: Conuerti (inquit) oportet ad ea quæ deinceps sequuntur, & narrandum est bellum,quod deinceps exortum est in Ecclesiis. Postquam enim fuit Ecclesia recèns liberata ab hæresibus, & respirauit à longis illis tumultibus & perturbationibus, & fuit in ea quies & tranquillitas: malignus rursus in eam inuidum iniiciens oculum, mouit aduersus eam quosdam Nonni asseclas,Domitianum (inquam) & Theodorum:qui cùm iam olim sentirent quæ Origenes, vbi etiam assumpserunt auxilium temporis, & eorum alter quidem Galatarum,Theodorus autem Cæsareę Cappadociæ creati sunt Antistites,magnam suam ostentarunt potestatem. Hinc Nonni quoque asseclæ per classes in omnem partem proficiscentes, & in omnia Orthodoxorum monasteria & ecclesias securè facientes incursiones, aduersus ipsam quoque maximam Sabæ Lauram militant cum securibus & dolabris & quibusdam aliis instrumentis aptis ad diruendum & euertendum: vt vel eam funditus euerterent, vel eam etiam sua peste implerent. B

[a] *Cyril in Saba c.105.apud Sur. die 5. Decemb.*

TVRBAE ORIGENISTARVM IN MONACHOS S. SABAE.

Sed magni Sabæ Deus nunc quoque magnum operatur miraculum: & eos, sicut olim Ægyptum[b], densis tegit tenebris & profunda caligine. Et cùm esset hora diei secunda, illi cùm perinde ac noctu per totam diem ambulassent, nec vbi quidem essent scirent, vt illud Isaiæ in eis compleretur, qui dicit[c]: Contritio & infelicitas in viis eorum,& viam pacis nesciuerunt. palpabunt,vt cæcus,murum:& tamquam non sint oculi, palpabunt. Cùm sic ergo nihil scirent, sed in viam asperam & accliuem & omnino minimè tritam incidissent,vix tandem die sequenti inuenti sunt circa monasterium beati Marciani:& sic cùm lucem aspexissent communem, pudore sunt repleti, & re infecta redierunt. Hoc sapientibus & non mente captis suffeciisset, si vel paruam honesti curam gessissent,vt scirent se ea aggredi,quę non essent Deo grata: sed non illis. verùm eis magis crescebat vitium,& bellum excitabatur vehementius & tetrius. C

[b] *Exodi 10.*

[c] *Isaiæ 59.*

Dolis enim quibusdam compositis & sceleratis instructis insidiis, mittunt quẽdam paulo pòst, nomine Theodorum, ad Petrum Episcopum Hierosolymitanum, & egregio illi viro (hei mihi!) persuadent iis quæ improbè confinxerunt, vt Petri Alexandrini,& Ioannis,cui erat cognomen Stongylus,id est,Rotundus,susciperet communionem. Quod quidẽ Nonni asseclis maiorem addidit animum, & plus dedit fiduciæ: & suam hæresim non latenter, sed apertè circumcirca abeuntes, tamquam legem ferentes,promulgabant. Quinetiam si aliquem ex Orthodoxis monachis deprehendissent in sancta ciuitate, impia manu ferientes,& Sabaitem vocantes,illinc eum turpiter expellebant. Multos quoque cùm grauissimis tradidissent suppliciis: quoniam non potuerunt latere,apertè eis bellum indicunt. D

PETRVS EPISCOP. HIEROSOL. DECIPITVR AB ORIGENISTIS.

Cùm autem rem sensissent viri qui circa Iordanem habitabant, Eliæ zelum (vt par erat) spirantes, veniunt ad eis opem ferendam, & communiter cum eis tamquam ad aliquod præsidium confugiunt ad Lauram diuini Sabæ. Postquam verò hæc renunciata fuerunt Origenistis, in eos maximo impetu irruunt: & cùm portarum confregissent cataractas, Lauram ingressi sunt: & vulnerantur multi ex Orthodoxis & ex sociis, Deo quoque hîc permittente arcanis rationibus, & minimè prohibente, vt fieret manifestior furor hæreticorum,& suis athletis splendidior contexeretur corona. Cùm autem hæc sic processissent, E mittitur Patrum communi suffragio Gelasius, cuius fidei commissa fuerat Lauræ præfectura,Byzantium,vt significaret Imperatori ea quæ facta fuerant. Qui cùm interim tantum terræ & maris obiisset, ei tamen excluso omni aditu ad Imperatorem & Patriarcham:omnes enim aditus præoccupauerat vitij colophon, qui Nonni sectatorum erat præcipuus Theodorus, eis diligentibus impositis custodibus & speculatoribus,ne per aliquem eorum, eis inscientibus, ingrederetur monachus ex Hierosolymis, & Patriarchæ & Imperatoris aures ad se attraheret.

FVROR ORIGENISTARVM.

Cùm ergo sic omni aditu excluſus fuisset Gelasius, post tantæ viæ longitudinem, quam propter Christum pro fide Catholica sustinuit, post tantam afflictionem vacuis manibus reuertitur: & cùm fuisset Amorij,quæ est ciuitas clara & illustris,propria morte è vita excedit. Cùm hoc resciuissent Nonnus,Theodorus,& Domitianus,& quicumque erant

GELASII OBITVS.

ciusdem

A eiusdem vitij æmulatores, Georgium, qui ipse quoque sequebatur sectam Originis, eius loco præfectum & ducem constituunt,& in diuinissimi Sabæ throno improbè (ô iustitia & tolerantia Dei!) collocant. Rei acerbitate meus intumescit animus, iraque dissrumpor & suffocor. Hinc enim miserabiliter accidit, vt Patres,qui erant in Laura, alius aliò dispergerentur, non secus atque agni quidam, lupo aduentante.

Sed non diu admodum permisit Deus hanc superare tempestatem: neque diuini Sabæ preces passæ sunt eum amplius tacere, & vti lenitate: sed mox diuinam iustitiam excitant ad vindictam. Et ideò Nonnus quidem malorum illorum studiorum opifex vitam euertit miserrimè. Euestigio quoque Georgius accusatus cuiusdam libidinis, cuius vel meminisse solum linguam polluit,ab illa Laura turpiter expellitur,cùm septem solùm menses illi præfuissent. Deinde autem rectionem suscipit Cassianus, vir qui ab infantia fuerat educatus
B apud diuinum Sabam,& in pulchra illius disciplina pulcherrimè institutus, & factus sacerdos maximæ Lauræ: qui cùm decimum mensem impleisset in administratione, & deinde ex hac vita excessisset, Cononi post mandant monachi præfecturam: mandant verò, Deo (vt arbitror) monachorum animos ad hoc mouente. Fuit autem vir ille summè resplendens & rectis dogmatibus & omni virtute & rectè factis: qui etiam in præfectura vsus est magna cura & diligentia. Nam & eos qui illinc recesserant electi ab Origenistis, Patres rursus collegit; & Lauram, quæ à frequentibus illis tumultibus & bellis hæreticorum iam inclinata fuerat in genua, mox erexit, & veluti renouauit.

Post hæc cùm sancta & œcumenica Synodus Quinta congregata fuisset Byzantij, Theodorus Mopsuestiæ, & Origenes & vnà cum his impia de præexistentia & rectitudine dogmata generali subiecta fuerunt anathemati: & sic hæreticis deinceps omni ablata liber-
C tate loquendi, diuini Sabæ Lauræ & vniuersa ferè cum eis Palæstina vigesimotertio anno post illius mortem à grauioribus hæresibus & temporum acerbitate & iniquitate respirarunt, gratia & benignitate Domini nostri Iesu Christi, cum quo Patri simul cum sancto Spiritu sit gloria & potentia nunc & semper & in sæcula sæculorum. Amen.] hactenus Cyrillus de Origenistis, aduersus quos etiam magnos labores exantlauit magnus ille Ioannes Silentiarius, prout discipulus eius, qui Vitam illius scripsit, idem Cyrillus profitetur: quos ideirco ipse non refert, eò quòd scriberentur ab aliis, vt ipse testatur in fine Vitæ ipsius.

Habes, lector, Origenistarum conatus, quibus vsque ad œcumenicam Synodum Quintam fatigauerunt Palæstinos. Quòd enim hæc ipsa annis singulis haud facile distingui possint, placuit vna simul narratione relata prosequi. Quæ autem in aliis Orientis re-
D gionibus aduersus Orthodoxos moliti sint, nos latent: sed ex his discе reliqua. Quæ verò aduersus eos in primis Iustinianus Imperator suis edictis statuerit, suis locis dicturi sumus, iisdem ipsis annis quibus eædem ab ipso promulgatæ sunt sanctiones; quarum intelligentiam faciliorem tibi reddent quæ de Origenistis iterum emergentibus hîc enarrata legisti. Porrò id isti profecerunt Origenistæ, vt qui hactenus in Ecclesia toleratus fuerat Origenes, cùm errores in ipsius scriptis reperti tantummodo à maioribus damnati fuerint, post hæc nomen ipsum Origenis sit execrabile redditum, damnatusque ipse à Patribus in Concilio post annos ab eius obitu fermè trecentos. Sed de his inferiùs suis locis agendum.

Idem Iustinianus Imperator solicitus,omnes hæreticos ad Catholicam Ecclesiam reuocare, sciens Seueri sectatores Episcopos & monachos adhuc in Oriente, eius hæresis esse
E pertinaces defensores, atque propagatores: ad errorem extirpandum, & errantes corrigendos, collationem inter ipsos atque Catholicos habendam censuit Constantinopoli, sex ex Seuerianis vocatis Episcopis, Catholicis verò quinque pro Catholicæ fidei defensione ex aduerso stantibus. Quod autem ad tempus spectat, licet acta non prodant: tamen quod idem Imperator Iustinianus in sanctione, siue epistola ad Ioannem Pontificem data anno sequenti, tradat se laborasse, vt sacerdotes Orientales ad communionem Ecclesiæ Catholicæ reuocaret: planè intelligere possumus, ante sequentem annum ea fieri contigisse, & hoc puto anno. Qui enim in hac collatione ex parte Catholicorum primum obtinuere locum Hypatius Episcopus Ephesi & Demetrius Philippensis Episcopus inuenti Constantinopoli, sequenti anno ab eodem Imperatore missi sunt Legati ad Ioannem Romanum Pontificem, vt suo loco dicetur. Porrò Acta huius collationis ab Innocentio vno ex Catholicæ partis collegis Episcopo scriptis mandata, iam alta obliuione sepulta, his die-

IVSTINIANVS IN REVOCANDIS AD CATHOLICAM ECCLESIAM HAERETICIS LABORAT.

bus à Deo datum est, in lucem prodere, missis iis ad nos Parisiis vnà cum aliis Ecclesiasticæ antiquitatis monumentis à nostro Nicolao Fabro, cui plurimum hoc nomine nos debere fatemur. sic enim se habent. A

De Collatione quæ sub Iustiniano Imp. facta est Constantinopoli.

Domino amabili Thomati presbytero Innocentius Episcopus Maroniæ ciuitatis in Domino salutem.

ACTA COLLATIONIS CONSTAN. TINOPOL. SVB IVSTINIANO IMPER.

Scripsit mihi tua Deo amabilis caritas, eo quòd susceptis humilitatis nostræ litteris vnà cum exemplaribus piissimi atque amatoris Dei Principis nostri, & sanctissimi Archiepiscopi litterarum præcipientium me ad regiam pergere ciuitatem, in grandi solicitudine deuenerit, nescíens occasionem euocationis nostræ. Propterea significo, venerande frater, eo quòd propter Orientales Episcopos qui cum Seuero à sancta Catholica & Apostolica Ecclesia separati sunt, euocati sumus. Scriptum est autem de hac eadem re, primori qui- B dem loco domino meo reuerentissimo ac Domino amabili Hypatio Ephesinæ ciuitatis Archiepiscopo, atque idem domino meo Ioanni* Vesinæ ciuitatis Episcopo, & meæ, sicut dictum est, humilitati. Dominus enim meus vir venerabilis Episcopus Stephanus Seleuciensium ciuitatis, & idem dominus meus Anthimus Trapezuntinæ ciuitatis Episcopus, qui nobiscum vnà in Collatione fuerunt iam præcessissent in regiam ciuitatem cum Domino meo Demetrio Philippinæ ciuitatis Episcopo, etsi ipse propter corporalem ægritudinem præsens esse non potuit.

* Geraſinæ

Ante Collationem igitur euocauit sanctissimum Archiepiscopum tranquillissimus Imperator in venerabili palatio suo, quod cognominatur Hormisdæ, relictoq; sacratissimo senatu, cum eo parumper secedens, conuocauit & nos, & cœpit nobis dicere: eo quòd pro his qui cum Seuero Episcopo ab Ecclesia desciuerunt, cõuocaui vos, vt de his quibus ambi- C gunt conferatis cum eis cum omni mansuetudine & patientia, sicut decet Orthodoxos & sanctos viros. Etsi enim illi exasperati fuerint, vos tamquam Dei amatores cum omni mansuetudine & tranquillitate eis satisfacite. Nolo autem sub mei præsentia fieri Collationem, ne in contemptum veniant; sed præcipio glorioſissimo Patricio Strategio (ille enim eo tempore locum tuebatur glorioſi Magistri Officij) vt vobiscum vnà resideat.

Prima itaque die conuenimus in eodem Heptaconco triclinio, in quo & tunc pietas eius nos susceperat, & nos quidem eramus quinque, illi verò sex: Sergius ciuitatis Cyri, Thomas ciuitatis Germaniciæ, Philoxenus Dulichij, & Petrus de Theodosiopoli, Ioannes Con-
* Geraſinæ stantinæ, Nonnus* Ceresinæ, & reliqui tam clerici quàm monachi. nobiscum verò dominus vir venerabilis Eusebius presbyter & Cimiliarcha sanctissimæ maioris Ecclesiæ, & viri reuerentissimi presbyteri & Syncelli beati Archiepiscopi Epiphanij, Heraclianus atq; Lau- D rentius, sed & Antiochenæ siue Theopoleos ciuitatis venerabiles presbyteri & œconomi atque Apocrysarij Hermisigenes, Magnus, & Aquilinus vnà cum Leontio viro venerabili monacho & Apocrysario Patrum in sancta ciuitate constitutorum: Et vt ex pluribus quæ illic dicta sunt, breuiter referam, quasi capitulatim: Si enim omnia voluero scribere, tempus me antè deficiet.

Sedentibus ergo nobis, cœpit præfatus glorioſissimus Patricius Strategius, qui nunc Comes diuinarum vbique largitionum est, ad Orientales ita dicere. Piissimus atque tranquillissimus noster dominus tamquam Orthodoxus, & rectam fidem quotidie augere desiderans, conuocauit vestram religionem, non ex auctoritate principali, sed paterna & sacerdotali compunctione, quòd de his quibus ambigitis, à præsentibus sanctissimis Episcopis satisfiat vobis, qui propter hoc ab eius pietate sunt euocati. Scitis autem & vos quoniam E glorioſæ memoriæ pater meus Appius ex Ægyptiorum oriundus prouincia, & tam vestras quàm Alexandrinorum secutus sectas dubitabat communicare sanctæ maiori Ecclesiæ in hac ciuitate constitutæ; sed piissimi atque fidelissimi Imperatores ratione ei persuaserunt, eo quòd non aliud symbolum, vel aliam fidem tradiderint nobis hi qui in Chalcedone congregati sunt reuerentissimi Episcopi, nisi eamdem quæ in Nicæa & in Constantinopoli & Epheso confirmata est. Ipsi quoque fidem decreuerunt, & Nestorium & Eutychem, qui nouas hæreses inducebant, condemnarunt. Qua ratione persuasus communicauit sanctæ Ecclesiæ. Et vos igitur non contentioſa mente, sicut decet venerabiles viros, quæcumque vobis dubia videntur, opponite coram religione eorum, & Dominus per ipsos satisfaciet vobis.

Orientales dixerunt: Nos satisfactionis chartulam de fide nostra compositam piissimo Impera-

A Imperatori porreximus. & in ea omnia quæ nobis ambigua videbantur, & scandalizabant nos, intexuimus. Reuerentissimus Archiepiscopus Hypatius os nostrum factus, sicut & beatus Petrus Apostolorum Princeps respondit, dicens: Chartulam illam peruidimus, in qua tam supra quàm infra Chalcedonense Concilium criminamini, quod aduersus Eutychianam est hæresim congregatum: Propter quod, dicite nobis, qualem opinionem de Eutyche habetis? Orientales dixerunt, tamquam hæreticus, magis autem princeps hæresis. Reuerentissimus Episcopus dixit: De Dioscoro verò, & secundo in Epheso Concilio, quod ab ipso congregatum est, qualem? Orientales: Tamquam Orthodoxorum. Episcopus dixit: Si Eutychen velut hæreticum condemnatis, quemadmodum Dioscorum & cum eo congregatos, Orthodoxos dicitis esse, qui Eutychen quidem hæreticum iustificarunt, Flauianum verò & Eusebium condemnarunt. Orientales: Eutychen tamquam acta forsitan pœ-
B nitentia, iustificarunt. Episcopus: Si ergo pœnituit Eutyches, quemadmodum illum anathematizatis? Illis verò ad hanc responsionem hæsitantibus, rursus Episcopus: In tantum non pœnituit, quin & antequam implerentur, quæ in Constantinopolitana vrbe aduersus eum gesta sunt, illum quidem tamquam Orthodoxum iustificarunt, Flauianum verò & Eusebium velut hæreticos condemnarunt. Si enim pœnituit Eutyches, rogari oportuit eos, non condemnari. Vt autem dicamus secundùm vos, confessionem duarum naturarum esse hæreticam: quam exigebat Eutyches confiteri ab Eusebio & Flauiano, docebat Dioscorus laudare eum tamquam non susceptam duarum naturarum confessionem. Vt autem consubstantialem Patri secundùm diuinitatem, & consubstantialem matri secundùm humanitatem, dicere oportuit: Cum omni subtilitate exigere eum, vt confiteretur. & nisi hoc fuisset confessus, suscipi non oportuit. Dioscorus verò non solùm quia non
C exigit ab eo consubstantialis confessionem, sed magis consensit contrariæ eius & peruersæ confessioni, quæ dicit: Ante vnitionem quidem ex duabus naturis confiteor: post vnitionem verò vnam naturam. Et compulit omnes qui cum eo erant vociferari: Eutychen quidem Orthodoxum esse, Flauianum verò & Eusebium impios & hæreticos. Quid ergo vobis de istis apparet?

Contradicentes dixerunt: Reuera oportuit exigi Eutychen à Dioscoro consubstantialis confessionem: Sin autem sine ista suscepit eum & iustificauit, cæcitatem passus est idem Episcopus. Si ergo illum cæcitatem passum esse fatemini, ea quæ superiùs dicta sunt repetamus. Orthodoxum aut hæreticum Eutychen dicitis fuisse? Contradicentes dixerunt, hæreticum: & Episcopus: iustè ergo ab Eusebio accusatur; condecenter verò à Flauiano
D damnatus est. Contradicentes dixerunt: iustè. Et Episcopus: Si ergo iustè à Flauiano condemnatus est. Iniustè & irrationabiliter suscepit eum Dioscorus & cum eo congregatum Concilium, an non? Contradicentes: Proculdubio apparet, quòd iniustè. Episcopus: Quoniam ergo totum illud vniuersale Concilium, quod cum Dioscoro congregatum est, consensit, sicut vos ipsi fatemini, iniustitiæ & cæcitati: Oportebat vniuersalis illius Concilij iniustitias & cæcitates ab altero vniuersali emendari Concilio, an non? Contradicentes dixerunt: Modis omnibus ita fieri oportebat. Episcopus dixit: Chalcedona itaque iustè congregatum Concilium est: vt ea quæ vniuersale Concilium deliquerat, vel, sicut vos dicitis, minùs viderat, ab vniuersali Concilio corrigerentur. Contradicentes dixerunt: Bene quidem & necessariè congregatum est, si & iustum finem suscepit. His ergo per plures sermones, sicut suprà dictum est, habitis, primi diei conuentus est dissolutus.

Secundo autem die cùm conueniissemus, vir reuerendissimus Archiepiscopus Hypatius
E ait: Recordamini finem hesternæ collationis, & nullius estis obliti. tamen si placet iterum commemoremus vos. Contradicentes dixerunt: Recordamur quidem; attamen ad pleniorem dictorum cognitionem & iterum reuoca nobis in mentem. Episcopus dixit: Confessi estis hesterna secundùm veritatem, hæreticum esse Eutychen, & iustè à Flauiano religiosæ memoriæ condemnatum, & iniustè susceptum à Dioscoro, vel ab eo congregato Concilio; & quia oportuit vniuersalis illius Concilij culpas ab altero Concilio item vniuersali corrigi; & quia propter prædictas occasiones iustè congregatum est Chalcedonense Concilium. Contradicentes dixerunt: Recordamur hæc omnia. Episcopus dixit: Ostentum ergo vobis est, quia iustè est congregatum Chalcedonense Concilium. Contradicentes dixerunt: Iustè conuenit, si & iustum finem suscepisset. Episcopus dixit: Quid enim reprehenditis illud peccasse Concilium, vt aduersus hoc possimus vobis reddere rationem? Contradicentes: Ante omnia duarum naturarum nouitatem. Beato enim Cyrillo &

anteceſſoribus eius ex duabus naturis vnam naturam Dei Verbi incarnatam, poſt vnitio- A
nem prædicantibus illis, in duabus naturis, innouare præſumpſerunt. Epiſcopus dixit: Omnis quidem nouitas peregrina eſt, non tamen omnis obnoxia. Ipſi ergo ſecundùm quam rationem dicitis, innouantes damnandos illos ſecundùm peregrinam vocem, an ſecundùm noxiam? Contradicentes dixerunt: Secundùm vtraque: Beato enim Cyrillo & beato Athanaſio Alexandrinæ ciuitatis Epiſcopis, Felice etiam & Iulio Romanæ Eccleſiæ, Gregorio quin etiam mirabilium factore, & Dionyſio Areopagita, vnam naturam Dei Verbi decernentibus poſt vnitionem: hos omnes tranſgreſſi illi, poſt vnitionem præſumpſerunt duas naturas prædicare.

Epiſcopus: In tantum falſæ ſunt epiſtolæ, ſiue teſtificationes illæ quas dicitis, vt neque vnam ex illis beatus Cyrillus voluerit recordari; nec in epiſtolis quas ad Neſtorium ſcripſit, vel in his quas contra blaſphemias eius protulit teſtificationes in ſancta Synodo Epheſina, B
quando maximè debuit proferre eas; ſed nec in expoſitione duodecim capitulorum aduerſus Theodoretum & Andream ſcribens, qui contra eadem capitula ſcripſerunt; ſed nec aduerſus Orientale Concilium, quod vnde neſcio, Arij illi vel Apollinaris opinionem impoſuiſſe viſum eſt; neque enim Arius aliquando vel Apollinaris duas naturas confeſſi ſunt, ſed vnam naturam Dei Verbi incarnatam ipſi magis nouiter protulerunt, vt creatam & paſſibilem ipſam diuinam Verbi naturam introducerent. Aduerſus quas duas ſubſtantias atque naturas omnes ſancti Patres decreuerunt; ſed & hoc dicimus, quia duodecim glorioſorum Patrum teſtimonia aduerſus Neſtorij blaſphemias in Epheſo beatus Cyrillus proferens, id eſt, S. Petri Epiſcopi Alexandrinæ & Martyris, ſancti Felicis Epiſcopi Romanæ & Martyris, Cypriani Epiſcopi Carthaginenſis & Martyris, beati Athanaſij & beati Theophili Epiſcoporum Alexandriæ, Iulij Epiſcopi Romanæ, Ambroſij & Baſilij, Gregorij & alte- C
rius Gregorij, Amphilochij, Ichonij & Attici Conſtantinopolitani, nullum teſtimonium eorum de vna natura protulit: ſed non ſolùm aliorum, ſed nec beati Athanaſij, qui à vobis profertur, in vnius naturæ incarnati Verbi confeſſione, cùm certè diuerſa teſtimonia eius illic intexuerit, ſed & beati Iulij, eo quòd Dei Genitrix ſit ſancta Virgo, & Dominum eſſe eum qui carne paſſus eſt. Si ergo ſciebat de vna natura quemquam ex his dixiſſe: illic maximè proferre habuit, vbi tantum erat & tale vniuerſale Concilium. Si autem illic non ſunt prolatæ: quemadmodum nunc à vobis proferantur, ſatis admiror.

Contradicentes: Quid ergo ſuſpicamini quia nos eas falſauimus? Epiſcopus: Vos non ſuſpicamur, ſed antiquos hæreticos Apollinariſtas, qui reprehendunt eum in epiſtola, quam ad Orientales pro vnitione & pace de duabus naturis ſcripſit. Quoniam & hi qui cum Neſtorio ſapiunt, falſauerunt ad Epictetum S. Athanaſij epiſtolam: ſicut beatus Cyrillus beato Ioanni Antiochenæ ciuitatis Epiſcopo ſcribens, docuit nos. Contradicentes: Poſſumus oſtendere, quia beatus Cyrillus vſus eſt iſtis teſtimoniis in libris aduerſus Diodorum & Theodorum editis. Epiſcopus: Modò maximè & illos aduerſus Diodorum & Theodorum libros ambiguos facitis, tamquam fictos aduerſus mortuos prolatos dicentes, non poterant refellere falſitatem: ſi enim aduerſus mortuos prolati ſunt, multò magis aduerſus Neſtorium, & eos qui contra capitula eius ſcripſerunt proferre habuit eadem teſtimonia. ſed nunc videtur, quoniam & in illis libris hæretici falſantes, addiderunt ea. Contradicentes dixerunt: Si ergo ex antiquis reſcriptis, & ex Archiuis Alexandriæ potuerimus vtraque oſtendere ſic habentia, quid eſtis dicturi? Epiſcopus: Si ſub temporibus beati Proterij, vel Timothei cognomine Salofacioli oſtenſa ſunt, indubitabilia erunt: quoniam verò iam à multis hi qui aduerſantur Orthodoxæ duarum naturarum confeſſioni illa antiqua E
apud ſe retinent, indulgete nobis, ſi aduerſarios noſtros teſtes ſuſcipere dubitamus: nam & beati Iulij famoſam illam epiſtolam manifeſtè Apollinaris oſtendimus fuiſſe, ſcriptam ad Dionyſium; illam autem quam ſancti Gregorij mirabilium factoris dicitis teſtificationem, ſuadete Seuero, & his qui ea quæ illi ſapiunt confiteri: quia incorruptum carnis ipſe decreuit, & tunc vobis credendum eſt: quoniam & ea quæ de vna natura dicta ſunt, ipſius ſunt, quod autem priùs dici debuit hoc in vltimo dicimus: illa enim teſtimonia quæ vos Dionyſij Areopagitæ dicitis, vnde poteſtis oſtendere vera eſſe, ſicut ſuſpicamini? ſi enim eius erant, non potuiſſent latere beatum Cyrillum. Quid autem de beato Cyrillo dico? quando & beatus Athanaſius ſi pro certo ſciſſet eius fuiſſe, ante omnia in Nicæno Concilio de conſubſtantiali Trinitate eadem teſtimonia protuliſſet aduerſus Arij diuerſæ ſubſtantiæ blaſphemias. Si autem nullus ex antiquis recordatus eſt ea: vnde nunc poteſtis

oſten-

A ostendere, quia illius sint, nescio. Contradicentes dixerunt: Si hæc falsa dicitis esse testimonia, duodecim capitulorum, quæ inserta est, in Ephesino sancto Concilio, quam neque vos potestis denegare Synodicam esse, cur non recipit Chalcedonense Concilium? Episcopus: Si omnes formas & definitiones Fidei in Epheso aduersus Nestorium facti Concilij suscepit & confirmauit Chalcedonense Concilium, quemadmodum hanc habuit refellere? sed quia aduersus Nestorij blasphemias, quæ duas naturas in duas personas & duas subsistentias diuidunt, vnam personam, & vnam subsistentiam volebant definire: illa autem epistola duarum subsistentiarum intulit mentionem, propterea propriè ea nominare distulerunt, vt non inuenirentur aut illi aut sibi esse contrarij: sed magis illam alteram epistolam eius præposuerunt, quæ super consensu Symboli Nicæni Concilij laudata est. Et eam quæ ad Orientales scripta est.

B Contradicentes dixerunt: In epistola duodecim capitulorum duas subsistentias pro duabus naturis dicit. Episcopus: Antiqui Patres, & maximè Romani, pro substantia & naturæ subsistentiam nuncupabant. Vnde sicut vnam naturam & vnam substantiam, ita & vnam subsistentiam sanctæ Trinitatis esse dicebant. Orientalibus verò sanctis Patribus pro persona suscipientibus subsistentiam, & sicut tres personas ita & tres subsistentias in sancta Trinitate dicentibus: per multa tempora dissidium factum est inter Orientales & Occidentales sanctas Ecclesias; Orientalibus quidem Occidentales Sabellianorum sectam defendere suspicantibus, quia vnam dicebant esse in Trinitate subsistentiam; Occidentalibus verò Orientales Arianam sectam sequi dicentibus, eo quòd tres subsistentias in tres alterius substantiæ vel naturæ personas proferrent secundùm imitationem Arij. Quam diuisionem per S. Athanasium Deus vniuit. Vtriusque enim linguæ petitus vtrasque partes per Dei
C gratiam ad concordiam reuocauit, & ab eo tempore vsque in hodiernum diem, & apud nos & apud Romanos, sicut vna substantia & vna natura in Trinitate suscipitur, & sicut tres personas in sancta Trinitate confitemur, ita & tres subsistentias glorificamus. Sic auditis igitur, quoniam indifferenter beatus Cyrillus idem dicebat esse substantiam quod naturam vel subsistentiam, & ideo in illis duodecim capitulis suis pro duabus substantiis vel naturis duas subsistentias posuit. Ostendite nobis & in sancta Trinitate ita indifferenter eum dicere, & pro tribus personis vel subsistentiis, vnam personam secundùm Sabellium confiteri, & vnam subsistentiam in sancta Trinitate glorificantem, & pro vna trium personarum substantia vel naturas atque substantias secundùm imitationem Arij prædicantem: & ita & vos confitemini vel potestis glorificare, & tunc credimus vobis quia præ duabus naturis, duas docuit dici subsistentias.

D Contradicentes: Et hæ ipsæ quæ nominatim in Chalcedonense Concilio positæ sunt epistolæ beati Cyrilli, id est, tam illa quæ ad Nestorium, quàm quæ ad Orientales scripta est ex duabus naturis, & in duabus. Contradicentes dixerunt: plurimum. Episcopus dixit: quàm hanc? Contradicentes: quòd ex duabus quidem naturis dicere vnam significat Dei verbi naturam incarnatam, secundùm beatum Cyrillum & sanctos Patres. In duabus autem naturis duas personas & duas subsistentias significat, pro certo & hi qui in duabus naturis vnam naturam dicunt, inuenientur & ipsi ex duabus personis atque substantiis vnam personam atque subsistentiam declarare. Contradicentes: quemadmodum? Episcopus dixit: Sicut vos dicitis vnam; & sancta Synodus vtrosque sermones pari honore suscepit & pertractat. Et quæ in Constantinopoli acta sunt aduersus Eutychen, & in-
E uenietis Flauianum Archiepiscopum, & alios cum ipso quosdam ex duabus naturis accusantes: Beatum autem Basilium Seleucenæ ciuitatis Episcopum, cum aliis iterum quibusdam in duabus naturis; & neque isti illos reprehendunt, neque illi istos, tamquam vnius honoris arbitrati voces vtrasque, quando & vnam naturam Dei Verbi incarnatam non renuit beatus Flauianus in confessione, quam propria manu subscripsit, dicere; quæ piæ recordationis Theodosio data est: nam confessio manu eius perscripta his ipsis sermonibus declarat.

Exemplum rescriptæ fidei Flauiani Archiepiscopi Constantinopolitani, datæ ab eo patenti.

Imperatori Theodosio salutem.

Nihil itaque congruum est sacerdotibus, & diuina docenti dogmata, sicut esse semper paratum ad satisfactionem omni exigenti eum rationem de spe quæ in nobis est, & gratia: nec enim erubescimus Euangelium: Virtus enim Dei est ad salutem omni credenti. Quoniam ergo & nos misericordia omnipotentis Dei prædicationem Euangelij sortiti sumus,

rectè

rectè ſapimus', & ſine reprehenſione ſemper diuinas ſecuti ſcripturas, & expoſitiones ſanctorum Patrum tam in Nicæa congregatorum, quàm in Epheſo ſub beatæ memoriæ Cyrillo Epiſcopo Alexandrinæ ciuitatis. Prædicamus itaque Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum ante ſecula à Patre ſine initio natum ſecundùm diuinitatem: in vltimis verò diebus eumdem propter nos & propter noſtram ſalutem ex Maria virgine ſecundùm humanitatem Deum perfectum, & hominem perfectum, eumdem cum aſſumptione animæ rationalis & corporis, conſubſtantialem Patri ſecundùm diuinitatem, & conſubſtantialem matri eumdem ſecundùm humanitatem. Nam ex duabus naturis Chriſtum poſt incarnationem ex ſancta Virgine ſumptam in vna ſubſiſtentia, & in vna perſona vnum Chriſtum vnum Filium vnum Dominum confitemur; & vnam quidem Dei Verbi naturam incarnatã tamen dicere nõ negamus: quia ex vtriſque vnus idemq; Dominus noſter Ieſus Chriſtus eſt. Nam eos qui duos Filios, vel duas ſubſiſtentias, vel duas perſonas denunciant, & non vnum eumdemque Dominum Ieſum Chriſtum Filium Dei viui prædicant, anathematizamus, & alienos Eccleſiæ decernimus, & ante omnes quidem Neſtorium impium anathematizamus, & eos qui cum eo ſapiunt, vel eadem dicunt, quibus & continget, vt excidant tales ab adoptione promiſſa rectè credentibus. Subnotatio eiuſdem ex notis, ſic; Domine Chriſte auxiliare nobis Deus. & iterum: hæc ſcripſi manu propria ad ſatisfactionem tuæ ſerenitatis, & vt confundantur ij qui ſimplicem conuerſationem noſtram in Chriſto calumniantur. A

Epiſcopus dixit: Ecce ſatisfactio beati Flauiani manu eius perſcripta ex duabus confitetur Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, & tamen ex duabus ei dicenti naturis non pepercit bonus ille Dioſcorus. Propterea itaque cognoſcens ſanctum Chalcedonenſe Concilium, quia nihil ita recreat eos, qui cum Eutyche aduerſantur Orthodoxis duarum naturarum confeſſioni, niſi confuſa & commixta & imaginaria vel Manicheica vnius naturę confeſſio, explanatiuam potiùs vocem præpoſuit, vt in duabus naturis vnam perſonã & vnam ſubſiſtentiam confitentem. Sed & beati Flauiani rectam fidem collaudans omnia quæ ab eo dicta ſunt, confirmauit. B

Contradicentes dixerunt: Nos & (ſicut ſuperiùs dictum eſt) beati Cyrilli proferimus epiſtolas, in quibus duas ſubſiſtentes naturas confiteri poſt vnitionem abdicat. Epiſcopus dixit: Nos ea quæ epiſtolis eius ſynodicis conſentiunt, ſuſcepimus: quæ autem non conſentiunt, neque damnamus, neque velut legem Eccleſiaſticam ſequimur. Synodicas autem eius dico (ſicut ſuperiùs dictum eſt) epiſtolas quæ à ſanctis Conciliis & ſuſceptæ & confirmatæ ſunt, id eſt, tam eam quæ ad Neſtorium, quàm eam quæ ad Orientales ſcriptæ ſunt. Nam contraria his neque damnamus, neque ſicut illius ſuſcipimus, quia & in Actibus ſanctorum Apoſtolorum inuenimus, quia diſpenſationis gratia beatus Paulus Timotheum circumcidit, qui certè Galatis ſcripſit: Quoniam ſi circumcidimini, Chriſtus vos nil adiuuabit. ſed & beatus Petrus diſpenſatiuè aliquotiens quidem cum Gentilibus comedebat; aliquoties verò ſubtrahebat ſe, & ſecernebat ab eis. Poſtquam verò vtrique Hieroſolymas aſcenderunt, & cum omnibus Apoſtolis vel ſenioribus, magnum illud decretum decreuerunt, per quod dicunt: Placuit Spiritui ſancto & nobis nihil vltrà oneris imponere vobis, niſi quod ex neceſſitate eſt, hoc eſt, abſtinere à ſacrificato idolis & ſanguine & necato & fornicatione: à quibus cuſtodientes vos bene agitis. Valete. Ab eo tempore ea quidem quæ communi conſenſu ſcripta ſunt, & à Spiritu ſancto confirmata, ſicut legem Eccleſiaſticam ſuſcipimus; quæ autem diſpenſationis gratia ab vnoquoque ſigillatim facta ſunt, neque æmulamur, neque damnamus. Sicut ergo hæc in Actibus ſanctorum Apoſtolorum inuenientes, non ſimiliter his attendimus: ita & illic etiam ſi profiteamur, ſecundùm indulgentiam tamen dictum ſit, beati Cyrilli eſſe quæ à vobis proferuntur epiſtolas (aduerſantur autem prædictis Synodicis rectæ fidei eius epiſtolis, in quibus duarum naturarum apertè decreuit confeſſionem) neque damnamus, neque ſicut eius ſuſcipimus. Continet autem illa ad Neſtorium epiſtola de inconfuſa & indiuiſa duarum naturarum vnitate. His ſermonibus B. Cyrilli ex epiſtola ad Neſtorium quia diuerſa quidem ſunt quæ ad vnitatem veram conuenerunt naturæ. Vnus autem ex vtriſque Chriſtus & Filius & Dominus non naturarum diuerſitate ſublata propter vnitatem: ſi autem non eſt ſublata duarum naturarum diuerſitas propter vnitatem: Saluator ergo & poſt vnitatem in vna perſona & * in vna ſubſtantia, magni Dei, & Saluatoris noſtri Ieſu Chriſti, & quemadmodum ſuſcepta vel confirmata eſt, paucis expediam. C D E

* hic aliquid deeſt.

Recenſito

A Recensito Symbolo sancti Niceni Concilij,& venerabili hac epistola omne quod aduersus Nestorium congregatum est illi Concilium non aceruatim, sed singuli per nomen & personam confessi sunt parem atque consimilem eam esse sancto illi Symbolo: Enotica autem & pacifica ad Ioannem Antiochenæ ciuitatis Episcopum. epistola enim per quam vnitatem & pacem sanctis Ecclesiis suis Deus donauit his verbis continet: ita beati Cyrilli ex epistola ad Ioannem & Orientales: Confitemur itaq; Dominum nostrum Iesum Christum Dei Filium vnigenitum Deum perfectum & hominem perfectum ex anima rationali & corpore, ante sæcula quidem ex Patre genitum secundùm Deitatem: in vltimis verò diebus eumdem propter nos, & propter nostram salutem ex Maria sancta Virgine secundùm humanitatem, & consubstantialem Patri secundùm Deitatem, & consubstantialem nobis secundùm humanitatem. Duarum enim naturarum vnitio facta est, propterea vnum
B Christum, vnum Filium, vnum Dominum confitemur: secundùm hunc inconfusè vnitionis intellectum confitemur sanctam Virginem Dei genitricem, ob id quod Deus Verbum ex ea incarnatus est, & ex ea conceptione vniuit sibi templum quod ex ea processit. Euangelicas autem & Apostolicas de Saluatore voces scimus, mirificos viros quasdam quidem communicantes, tamquam in vna persona, quasdam verò euidenter, tamquam in duabus naturis, & Deo quidem dignas secundùm Diuinitatem Christi, humiles autem secundùm humanitatem eius tradentes.

Si verò dicetis non esse has voces illius, sed Orientalium: cognoscite quia cum multis laudibus eis consensit, & tamquam suas, eas ita in propria epistola intexuit cum laudibus: superiùs quidem dicens chartam sibi allatam à viro venerabili Paulo Episcopo, irreprehensibilem continentem Fidei confessionem. inferiùs verò: Has sacras vestras voces contem-
C plati, sic & nos sapere inuenimus. Vnus enim Dominus, vna Fides, vnum baptisma, glorificamus omnium Saluatorem Dominum inuicem congratulantes, quoniam diuinis scripturis, & traditioni sanctorum Patrum consonantem habent Fidem tam quæ apud nos, quàm quæ apud vos sunt sanctæ Ecclesiæ. hæc Synodica & rectæ Fidei epistola de inconfusæ & indiuisæ vnitatis & extantibus duabus naturis docuerunt. Quales ergo ex his præferamus, quæ in secreto scriptæ ad vnum vel secundum amicum vel familiarem sunt, quæ & facillimè potuerunt à quolibet deprauari, an istas quæ in certamine dictæ sunt, & ab vniuersalibus Conciliis tam laudatæ, quàm confirmatæ sunt, & super concessu Symboli sancti Nicæni Concilij sunt laudatæ? nónne potiùs has quæ Synodicæ sunt, suscipiemus & præferemus, & tamquam legem Ecclesiasticam recipiemus, velut à tantis sanctis Patribus cum iudicio confirmatas, sicut sæpe retulimus?

D Contradicentes: Nos non solum ad Eulogium sed etiam ad Successum secundam & alteras epistolas eius volumus relegere: Vos autem cùm neque vnam audisse tis, iam condemnastis eas. Episcopus: Quantascumque vultis prælegere sine præiudicio relegite, vt ex consensu vel dissensu possit veritas apparere. His ergo dictis cœperũt Contradicentes legere ad Eulogium epistolam, & cùm ad illud capitulum peruenissent, quo dicitur: Sed & illud non ignorent, quoniam vbi vnitio dicitur, non vnius rei declaratur conuentus, sed duarum vel plurium dissimilium secundùm naturam. Episcopus: A superioribus & ex ipsis penè principiis epistola ista opitulatur: etsi in quibusdam locis falsata est, tamen etsi omnia secundùm vestram haberet intentionem, hoc capitulum sufficiebat omnem contradictionem compescere: Si enim vnitio non vnius rei conuentum declarat, sed duarum vel plurium dissimilium secundùm naturam: Et quia qui dicunt duas naturas, ita confitentur,
E admiramur quemadmodũ habentes hæc ac relegentes, à nobis quæritis suaderi, qui etiam alios ex his Orthodoxam esse duarum naturarum confessionem, suadere potestis, vel debetis. Cùm enim mox in principio ipsius epistolæ relegatis dicentem eum, quia non omnia quæ dicunt hæretici fugere nos vel auersari oportere: multa enim ex his confitentur quæ & nos confitemur. quando enim dicunt Ariani Patrem Dominum esse, & omnium Creatorem, numquid nos oportet tales eorum voces auersari? Sic & Nestorius etiamsi duas dicat naturas, diuersitatem tamen significat carnis & Verbi: Alia enim natura carnis, & alia Verbi. Si autem alteram confessus est carnis naturam & alteram verbi, quam ex his duabus naturis vos vel minuatam dicitis: vel subreptam beato Cyrillo, sicut ipsi narratis, in altera dicente epistola, neque minuatam, neque subreptam humanam naturam, cùm & inferiùs dicat, compelli autem illos?

Attendite ad lectionem epistolæ beati Papæ Athanasij: illic enim contendentibus quibusdam,

busdam, quia ex propria natura corpus sibi passibile ipsum creauerit Verbum, & suprà & A
infrà nititur dicens: quia non est consubstantiale Verbo corpus; si autem non est consubstantiale, alia atque alia necesse est vt sit natura, ex quibus vnus & solus intelligitur Christus. Ecce etiam hic apertè duas substantias in duabus naturis posuit, ex hoc hæreticos arguens, qui consubstantiale Verbo etiam corpus esse dicunt. quam ergo ex istis duabus naturis vel substantiis dicitis minuatam, ipsi fatemini. Sed & idem mox in sequenti versu ita addidit dicens: Sed & hoc non ignorent: vbi enim vnitio dicitur, non vnius significatur rei conuentus, sed duarum vel plurium & diuersarum secundùm naturam. Si ergo dicimus vnitionem, proculdubio confitemur quia carnis animatæ & Verbi. Sed & hi qui duas naturas dicunt idem sentiunt. Illi ergo qui totiens in superioribus epistolæ suæ partibus ita duas naturas Orthodoxè & apertè prædicauit. Sed & post eos qui falsati sunt sermones qui dicunt: Etsi parum circa proprietatem sermonis obscurati sunt, dicens de Orientalibus B
duas naturas manifestè confitentibus: qui enim confitentur, quia ex Deo Patre natus Vnigenitus Verbum, idem ipse natus est secundùm carnem ex muliere, quoniam & Dei Genitrix est sancta Virgo. Et quia vna persona est & non duo filij neque duo Christi, quemadmodum cum Nestorij blasphemiis consentiunt. Nestorius enim duos dicit filios & Dominos & Christos, vt breuiter complectar. Orientales autem fratres nil tale dixerunt, sed tantummodo voces diuidunt. Diuidunt autem secundùm hunc modum dicentes: eo quòd quædam ex his Deo dignæ sunt, quædam verò homine: quæ autem communiter prolatæ sunt tamquam habentes tam dignationem diuinam quàm humanitatem, sed tamen ab vno eodemque prolatas. Et non sicut Nestorius qui quasdam quidem de Verbo propriè adsignat, quasdam verò nato ex muliere quasi alteri Filio. Aliud autem est vocum sine diuersitate, aliud diuidere in duabus personis tamquam alteri & alteri. qui enim superiùs il- C
la, inferiùs autem hæc: numquid in medio loco poterat seipsum conuellere? absit: sed contrarij sermones Synodicis eius epistolis ab hæreticis sicut apparet falsati sunt. proferentibus autem his, qui contradicebant tamquam inuictum scutum secundæ ab ipsis prolatæ ad Successum epistolæ capitulum. Illud quod dicit: Repugnant nihilominus vnam dicentibus filij naturam incarnatam; & velut cassum volentes illud ostendere, contendunt vbique, duas naturas subsistentes ostendere.

Postquam recensitum est, dicentibus illis: Ecce vbique beatus Cyrillus renunciat duas dici naturas post vnitionem. Episcopus: Nullo præiudicio habito, sicut sæpe diximus, Orthodoxæ Fidei, etiamsi demus Cyrilli esse nuper relectam epistolam: multo magis duabus naturis existentibus aduocationem præbuit post vnitionem quam vnius Dei Verbi incarnatæ, ex eo quod dicit: Vestitus verò etiam nostra natura etiamsi non est consubstantiale ex D
Deo Patre procedenti Verbo corpus quod vniuit sibi. Si ergo non est consubstantiale Verbo corpus quo circumdata est Dei Verbi natura, alia modis omnibus atque alia pro certo natura est. Sed & illud quod ait, carne eum passum & non Deitate, aliam iterum atque aliam ostendit naturam. Altera enim carnis natura passibilis, & altera Verbi impassibilis, sicut & vos ipsi fatemini. & iterum quod dicit, quia semen Abrahæ suscipiet, formam serui accipiens: alteram illam seruilem ex Abraham susceptam naturam docet, & alteram illam Dominicam Dei Verbi naturam. Sed & quod ait: Non est confusum, sicut illis placet, sed nec carnis in eius, sed in proprietate secundùm vtrasque tam intelligi quàm permanere: ex his magis ille, quàm Chalcedonense Concilium in vna persona duas existentes naturas decreuit intelligi. Sed & quod ait, non minuatam neque subreptam humanam naturam, manifestè duas naturas existentes ostendit, diuinam scilicet naturam quæ E
assumpsit, & quæ assumpta est, humanam. Sed & quod ait: Rectè & nimis prudenter tua perfectio de salutari passione sermonem protulit, non illum Vnigenitum Dei Filium, secundùm quod intelligitur & est Deus, passum in propria natura ea quæ sunt corporis confitendo, sed magis passum eum natura terrena, apertè etiam hic duas naturas docuit subsistentes, & terrenam passibilem, & diuinitatis impassibilem. Sed & in fine epistolæ suæ illud quod ait: quid enim est humana natura nisi caro animata sensibiliter, sed & passum carne dicimus Dominum: Ecce in ipsa quæ à vobis prolata est epistola, licet falsata est, non totiens de vna natura quantum de duabus naturis fidei rectæ tribuit aduocationem non solùm post vnitionem, quæ in Virginis facta vulua est: sed & post passionem & resurrectionem magni Dei & Saluatoris nostri Iesu Christi, qui post resurrectionem ostendit perforatas immaculatas manus suas & transfixos pedes suos sanctis discipulis suis, ostendens se

viuum

A viuum & vnum esse in vna persona & in duabus naturis: quod enim dicit:[a] Videte manus meas & pedes meos, quoniam ego ipse sum: Vnam eius personam ostendit incarnatæ diuinitatis. quod autem addidit: Pertractate & videte quoniam spiritus carnem & ossa non habet, sicut me videtis habentem: Diuersitatem ostendit in semetipso duarum naturarum, tam assumentis Deitatis, quàm assumptæ humanitatis magni Dei Saluatoris nostri Iesu Christi. In tantum autem abfuit beatus Cyrillus à contradictione Orthodoxæ duarum naturarum confessionis, quòd Gregorium Nazianzenum, & Gregorium Nyssenum, & Ambrosium Mediolani protulit in sæpedicto Ephesino sancto Concilio, ac veluti eos sibi aduocans perduxit: quorum prior his verbis dixit: *Beati Gregorij Nazianzeni Episcopi:* Naturæ quidem duæ, Deus & homo: nam & anima & caro, filij autem non duo, neque Dei: neque enim hic duos homines: Etsi ita Paulus[b] tam interiorem quàm exteriorem hominem

B appellauit: etsi licet breuiter dicere; aliud quidem & aliud, ex quibus Saluator, & si reuera non est, idem, visibile & inuisibile, & temporale & sine tempore, non autem alter & alter: Absit: Item & beatum Gregorium Nyssenum protulit dicentem: Quid humilius in Deo quàm forma seruilis? aut quid humilius in Rege omnium, quàm in commune nostræ exiguæ naturæ propria voluntate descendere? Per beatum autem Ambrosium in eodem duas naturas esse ita approbauit dicens: Custodiamus diuersitatem carnis & diuinitatis: Vnus enim Dei Filius in vtroque loquitur, quia vtraque natura in eo est. Attende in ipso, nunc quidem gloriam Dei, nunc verò hominis passiones. Sicut Deus docet, diuina, quoniam verbum est: sicut homo loquitur humana, quoniam in mea loquitur natura. Hæc testimonia ad confirmationem rectæ & inlibatæ fidei suæ in Ephesiaco Concilio protulit. Et sicut rectę fidei, ea secundùm illud Concilium confirmauit. Quanticunque ergo sermones sub nomi-

C ne Domini prolati istis consentiunt, tamquam S. Cyrilli suscipimus: Quanti verò his aduersantur, aut non sunt illius, aut certè falsati sunt, etiam si concedamus illius esse. Ideo neque condemnamus talem Patrem, sed nec ad præiudicium rectæ fidei conlaudamus quæ ex persona eius proferuntur diuersæ laceratæ epistolæ.

Contradicentes: Concilia pro vnitate sanctorum, sanctarum Ecclesiarum in diuinis Dypticis intexta sunt, aut pro maiori diuisione? Episcopus: quid autem & antequam nominatim insererentur? numquid in omnibus Ecclesiis quæ sub cælo sunt non recitabantur Episcopi? Et si nominatim Concilia ipsa non recitabantur, tamen in propriis regionibus & ciuitatibus singuli quique adnotabantur. Si ergo in propriis ciuitatibus singuli quique adnotabantur, vnusquisque in quocumque subscripto Concilio recitabatur: quanto magis rationabilius erat eos qui cum labore & sudore in vnum conuenerunt aduersus hæreticos,

D & Deo placitum prœlium susceperunt, & bonam illam victoriam per gratiam Dei vicerũt, vno consensu inseri in gloriam Dei & laudem certantium ad maiorem adhortationem eorum qui post certaturi sunt? Contradicentes: Sicut priùs dum recitabantur, neminẽ scandalizabant: Nunc autem plurimos scandalizant. Episcopus: Si cœperimus per singulos de

E his qui scandalizantur hæreticis Concilia offerre, inuenimus fidem nostram denegantes: Ariani enim scandalizantur in Nicæno Concilio, Macedoniani in Constantinopolitano, Nestoriani in Ephesino, Eutychianistæ in Chalcedonensi: si ergo illos voluerimus placare, Dominum offendimus fidem nostram denegantes. Nam & vos quanta per singula tempora innouastis? Imperatores, qui à vobis persuaderentur indempti, sicut Endodia Basilici aduersus Orthodoxam Fidem, & Enoticum Zenonis, & Trisagij nouitatem, & alia multa eiuscemodi, quæ ad euersionem fidei facta sunt, & Orthodoxos non sine causa scandalizarunt. Hæc enim nullum fidelium scandalizant: Si autem infideles hæretici scandalizentur, nec enim ex hoc conscientia nostra perturbatur.

Contradicentes: Ibas ergo & Theodoretus sicut rectæ Fidei susceptí sunt à Synodo, & sicut rectæ Fidei in diuinis Dypticis recitantur. Episcopus: Vtrique Nestorium anathematizantes susceptí sunt in sancto Concilio. Contradicentes: In tantum per dolum anathematizauit Theodoretus, quia postquam anathematizauit discedens dixit eis: Valete. Episcopus: Quid ergo? Quoniam Eusebius Nicomedenæ & Theognius Nicænæ, & alij quidam cum ipsis, & in ipso Nicæno sancto Concilio fictè subscripserunt, & post hæc Arium apertè secuti Ecclesiam deuastarunt, & sanctos Patres nostros Eustathium Antiochiæ, Athanasium Alexandriæ, & Paulum Constantinopolitanum fugauerunt: propter illos nec Nicænum sanctum Concilium debemus suscipere, aut in diuinis id Dypticis recitare? Absit: Nos autem non tamquam Theodoretum defendentes, vel ea quæ præcesserunt diximus,

[a] Luc. 24.

[b] Rom. 7.

mus,vel quæ ſequenter dicemus,ſed veritatem,& ſanctum Concilium quod eum iuſtè ſuſ- A
cepit. Volens enim ſatisfacere quemadmodum ſaperet; nec tamen permiſſus eſt propter anticipatos quoſdam atq; in eo ſcandalizatos, poſtquam vidit nō ſuſcipi ſatisfactionem ſuam, anathematizans Neſtorium & Euthychen addidit, Valete. Cur autem hoc ipſum dixerit, Valete,ſuperiùs manifeſtauit,dicens: quoniam nec ſedem ambio, nec pro Epiſcopatu ſolicitus veni. Sed vt perſuadeam quemadmodum credo, propter quod anathematizo, ſicut iubetis,& Vale vobis facio. Vnde neque ſanctum Concilium, neque glorioſiſſimi iudices ad iniuriam hunc ſermonem ſuſceperunt: pro certo ſcientes quia antequam ſanctum iſtud Concilium fieret, pacificatus eſſet beato Cyrillo, qui ab eo iniuriatus eſt in contradictoriis libris duodecim Capitulorum.

Contradicentes: Et vnde hoc poteſtis oſtendere? Epiſcopus: Ex ipſa quæ ad Ioannem & Orientales ſcripta eſt epiſtola beati Cyrilli pro vnitate Eccleſiarum. B

Contradicentes: non habetis vnde oſtendere, quia indulſit eis. Epiſcopus: Nos ad omne Orientale Concilium epiſtolam ipſam ſcriptam inuenimus. Oſtendite autem vos quòd in vnitionem hos ex illa pacifica & coadunante epiſtola ſua ſubtraxit. Quid autem amplius eſt, verbis detrahere, an per condemnationem inferre contumeliam? Sic ergo ipſi beato Ioanni, & omnibus qui cum eo fuerant in Epheſo & per condemnationem eum iniuriantes indulſit beatus Cyrillus; multo magis qui tantummodo verbo in eo peccauerunt, indulgentiam præſtitit,ſed & inuenimus in Theodoreti litteris quas ad Dioſcorum fecit,quia & ſecūdo in his quæ contra Neſtorium ſcripta ſunt,ſcripſerit. Et quando contra Iulianum, vel Aponpeos conſcripſit libros ipſos deſtinauit in Antiochiam beatus Cyrillus, & rogauit beatum Ioannem oſtendere illos Orientalibus præclaris doctoribus. Et quia oſtenſis eis, ſcripſit eis Theodoretus, & reſcripſit ei beatus Cyrillus, & diligentiam & affectum ei teſti- C
ficans. Et quia duas ab ipſo ſuſcepit affectuoſas epiſtolas, quæ & cuſtodiuntur apud eum, nullam de eo contumeliam deſignantes. Sed tamen & his ita ſcriptis atque dictis,non aliter eum ſuſcepit ſanctum Chalcedonenſe Concilium niſi clarè ſub conſpectu omnium anathematizaſſet Neſtorium & omnes definitiones eius.

His autem ita de Theodoreto dictis. Contradicentes: Et Ibas ergo iuſtè ſuſceptus eſt à Chalcedonenſi Concilio? Epiſcopus: Ibæ & accuſantium eum iudicium ex imperiali auctoritate delegatum eſt Photio Epiſcopo Tyri & Euſtathio Epiſcopo Beryti & Vranio Himerorum ciuitatis Epiſcopo;qui reuerentiſſimi viri,& nimium horrentes Neſtorij blaſphemias cum omni diligentia diſcutientes, eum immunem & ſine culpa eum decreuerunt, ſicut & Acta ipſorum & relatio manifeſtat. quem ergo iudices iuſtificauerunt,quemadmodum Concilium poterat condemnare? Contradicentes: Et illa ergo quæ ad Marin Perſam D
epiſtola eius ſcripta eſt rectè continet, quæ & prolata ab eis, & relecta nobis eſt, & inuenta eſt narrationem habens Actorum inter beatum Cyrillum & nefandum Neſtorium, eo quòd quaſi per iſtos duos homines omne ſæculum conturbatum eſſet: Neſtorio quidem ea quæ Paulus Samoſatenus ſaperet, affirmante, & propter hoc à beato Cyrillo in Epheſino Concilio condemnato. Cyrillum autem ſuſpicantibus quaſi cum Apollinario ſaperet in illis duodecim Capitulis,& propter hoc cōdemnato à Ioanne Antiochenæ ciuitatis Epiſcopo, & cum eo habito Concilio. Et quia propter hanc cauſam cum inimicitia de Epheſo diſceſſerunt. Et propter illam inimicitiam diuiſæ ſunt omnes vbique Eccleſiæ, & fideles populi, aliquantis quidem huic parti conſentientibus, aliis verò illi. Et quia dum in his eſſent rebus, compunxit Deus piiſſimum Imperatorem Theodoſium conuocare virum reuerentiſſimum Epiſcopum Conſtantinopolitanæ ciuitatis Maximianum, & eos qui tunc E
fortè in eadem glorioſa aderant ciuitate, hortariq́ue & ſolicitūdinem habere, vel cogitare de pace ſanctarum Eccleſiarum. Et poſt illam pacificam cogitationem deſtinauit piiſſimus Imperator Ariſtolaum Tribunum & Notarium ob hoc ipſum: qui perueniens tam in Antiochia quàm in Alexandria, vtraſque partes miſerante Deo ad pacem perduxit.

His ergo per epiſtolam declaratis, Epiſcopus dixit: Hæ litteræ etiam in vita beati Cyrilli diuulgatæ ſunt, & non ſolùm quia non mouerunt eum propter factam pacem & vnitatem propter Dominum: ſed & Valeriano ſcribens Epiſcopo Iconij, talia de ipſis ſatisfecit, dicens: Nam ſi epiſtolas ſibi componentes quidam circumferunt, tamquam ex perſona ſcriptas inluſtrium virorum non debent credi, qui enim ſemel ſcriptis fidem propriam confeſſi ſunt, quemadmodum diuerſa poſſunt ſcribere tamquam ex pœnitentia ad non bene credendum traduci? Sed tamen & beato Cyrillo ita pro eis teſtificante, & re-

cenſita

censita præfata epistola in Chalcedonensi sancto Concilio, non tamen aliter præuidit
A susci pi eum propter suspiciones in eadem epistola insertas, nisi & ipse Nestorium, & omnia eius decreta anathematizasset: & postquam anathematizauit, tunc susceptus est in sancto Concilio. Nec tantùm de his solis dico, sed & Nestorius & Eutyches simili modo, si proprias hæreses anathematizassent, modis omnibus etiam illi susceptì fuissent à sanctis Conciliis. Chalcedonense ergo Concilium circa Ibam & Theodoretum districtiùs agit quàm beatus Cyrillus. Beatus enim Cyrillus contentus fuit in consensu damnationis Nestorij, & ordinatione beati Maximiani, qui pro illo in hac ciuitate Episcopus factus est; Chalcedonense autem sanctum Concilium nisi sub præsentia sua anathematizassent Nestorium & omnia dogmata eius, & scriptis inter Acta insertæ fuissent voces eorum, non fuit contentum susci pere eos. In his ergo dictis, Contradicentes: De his quidem per-
B suasum est nobis.

Et ita secundæ diei conuentu dissoluto, & discedentibus nobis, & multa testimonia de duabus naturis præparantibus, piissimus atque amator Dei Imperator noster accersito sanctissimo Archiepiscopo Patriarcha Epiphanio, præcepit etiam nos ingredi cum ipso. Et postquã per confabulationem locutus est ei quæ illi Deus inspirauit, ipsum quidem dimisit, secundùm morem oratione facta pro eius pietate, nos autem vnà cum venerando senatu retinuit; censuitque etiam Contradicentes ingredi. Quibus ingressis, ipsos quidem præcepit in vno scamno sedere, nos autem in altero, vnà cum glorioßissimis iudicibus. Et omnibus nobis tacentibus, pietas eius tanta ac talis ad eos locuta est cum omni mansuetudine & tranquillitate, vt si alter mihi diceret ab eius pietate hæc dicta, vix crederem, nisi ipse auribus meis audissem, quæ cum magna gratia Dei ex benedicto eius ore prolata sunt.
C Nam Dauidicæ mansuetudinis, & Mosaicæ patientiæ, & Apostolicæ clementiæ instar, in eo conspexi: etsi enim non iisdem sermonibus, quibus beatus Paulus, sed tamen eadem mente qua ille ad sanctam Ecclesiam vestram scripsisset, locutus est cum eis. De qua idem beatus Paulus sanctæ Ecclesiæ vestræ, sicut dictum est, scripsit, dicens: [a] Quia fuimus in medio vestrum tranquilli, & tamquam nutrix fouens filios suos; ita cum bona voluntate festinauimus tradere vobis non solum Euangelium Dei, sed & proprias animas; propter quod dilecti nobis facti estis. Et vt ex paucis possitis coniicere quæ multifariè, multisque modis tam illo die ab eius pietate ad eos dicta sunt, quàm in reliquis confabulationibus, ex exemplaribus piæ eius epistolæ æquè cognoscetis, quæ scripta est ad Euphemium virum reuerentissimum Theopolitanæ ciuitatis Archiepiscopum, vt per hoc appareat omnibus qui ab ipsis decepti sunt in Oriente: quæ præsenti subiungentes epistolæ, vestræ veneration i
D transmisimus, vt per eam cognoscatis, quanta, Dei Gratia, per benedictum os eius tam primo die, quàm reliquis locuta est ad eos.

[a] *Thess.* 1.

Et postquam in nomine Domini conlocuti sumus inuicem, accusare nos tentantes Contradicentes ad piissimum Imperatorem, secretò suggesserunt ei per quemdam, tamquam non confitentibus nobis Dominum passum carne, vel vnum eum esse de sancta Trinitate, nec eiusdem esse personæ tam miracula quàm passiones. Ingresso itaque sanctissimo Patriarcha in venerando palatio ad piissimum Imperatorem, & domino viro reuerentissimo Archiepiscopo Hypatio, cum eo percontata est pietas eius ab ipsis, his verbis: Non confitemini eiusdem personæ Domini nostri esse Iesu Christi tam passiones, quàm miracula? vel Deum esse qui carne passus est, atque vnum eum esse de Trinitate? Respondit idem reuerentissimus vir: Nos, Domine, magis autem mater vestra Catholica & Apostolica sancta
E Dei Ecclesia eiusdem personæ magni Dei & Saluatoris nostri Iesu Christi prædicat & passiones & miracula, non tamen eiusdem naturæ; sed sicut docuerunt sancti Patres, passibilem carnem, impassibilem diuinitatem, circumscriptum corpore, incircumscriptum spiritu, terrenum, & cælestem, visibilem, & intelligibilem: vt integro homini eidem & Deo, integer homo cohæreat qui ceciderat sub peccato: sicut beatus Gregorius Nazianzenus docuit in epistola scripta ad Cledonium, & vtraque sancta Concilia tam in Epheso aduersus Nestorium, quàm in Chalcedone aduersus Eutychen & Nestorium congregata consenserunt, & confirmauerunt. Sed & Dominum carne passum ita rursus confitemur propter eos qui confundunt vel diuidunt, vt passibilem eum dicentes carne, impassibilem confiteamur diuinitatem, similiter & vnum esse ex Trinitate secundùm diuinam naturam tam credentes quàm confitentes, secundùm carnem verò vnum ex nobis placuisse ei, credimus fieri; & sicut consubstantialem Patri secundùm diuinitatem, ita nobis consubstan-

tialem ſecundùm humanitatem ; & ſicut perfectum in Diuinitate , ita perfectum & in humanitate. Si autem illi aliter dicunt, & præſumunt eum dicere, vt ſecundùm carnem quidem ante ſæcula ſit , ſecundùm diuinitatem verò in nouiſſimis diebus ; vel creaturam eum eſſe ſecundùm Deitatem , non creatum autem ſecundùm humanitatem , vel viſibilem & paſſibilem ſecundùm diuinitatem , inuiſibilem verò ſecundùm humanitatem : tunc calumnientur nos tamquam fruſtra contrarios ſibi. A

Poſt Collationem ergo habitam cum Orientalibus Epiſcopis ac noſtra tenuitate : ex piiſſimi noſtri Imperatoris iuſſu, alia vice ingreſſis nobis in venerabili palatio eius, vnà cum domino meo Archiepiſcopo, vel aliis qui conuenerant reuerentiſſimis Epiſcopis, piiſſimus Imperator exultans in virtute Dei , & gaudens in ſalutari eius , ac lætus nimis, quia deſiderium cordis eius , ſecundùm [a] propheticam vocem , præſtiterat ei ; & voluntate labiorum non priuauit eum : cœpit dicere ad nos , præſente venerabili Senatu : Quia poſtquam locuti eſtis cum Orientalibus Epiſcopis per duos dies, tertio die conuocatis tam vobis quàm illis , antequam ſuſciperemus vos, ingreſſus ſum in Oratorium glorioſi Michaelis Archangeli, quod eſt in Cochlio; & rogaui Dominum dicens : Quia ſi in veritate vniri habent nobis , magis autem ſanctæ tuæ Eccleſiæ : compunge eos velociter conſentire nobis : ſin autem nolunt , præpedi eos , vt ex ipſis magis culpa naſcatur , & non ex nobis. Et cognouiſtis quantis propoſitionibus rationabilibus & pacificis cum omni manſuetudine & patientia prolatis à nobis , vir reuerentiſſimus Epiſcopus Philoxenes tantummodo perſuaſus eſt. Ceterorum verò peruerſitatem cordis Deus aſpiciens , conligauit linguas eorum, vt neque ſatisfactionem inuenirent , neque veritati conſentirent : vt ex ipſis fiat occaſio auerſionis eorum , & non ex nobis. Et hæc quidem gratias agens Domino , dixit eius tranquillitas de eorum peruerſitate. Sed tamen & vſque hactenus omni continentia & beneficio dignatur eos attendere , non ceſſauit expectans propter Dominum , eorum conuerſionem ad bonum. Quæ illum ſpes non fefellit : nam etſi non Epiſcopi , qui hactenus in ſua diſſuaſione permanſere ; ſed tamen plurimi clericorum & monachorum qui cum his conuenerunt, ad ſanctam communionem cum gaudio remearunt in Eccleſiis ſuis ac monaſteriis. Ex quibus quidam lingua Syriatica per interpretes locuti ſunt nobis , dicentes : Quia ab illis decepti , & nos euerſi ſumus , & multas animas euertimus : dicebant enim nobis , & quòd Spiritus ſanctus receſſit ab Eccleſiis & baptiſmate , communione eorum : & ideo hæc audientes , & velut veracibus credentes decepti ſumus ; ſed gloria Domino , qui ſatisfecit nobis de errore eorum , & vniuit nos Catholicis & Apoſtolicis ſanctis Eccleſiis ſuis : confidimus enim in bonitate eius, & quoniam dabit nobis virtutem , vt eorum quos euertimus , pluriores iterum conuertamus ad ſanctas Eccleſias eius , in gloriam & laudem ſancti nominis eius. Explicit epiſtola Innocentij Epiſcopi Maroniæ ciuitatis.] Quomodo verò modò nonnihil compreſſi , rurſus maiori audacia ſub eodem Iuſtiniano Imperatore exſurrexere aduerſus Catholicam Eccleſiam Epiſcopi Seueri ſocij, turbaueruntque Conſtantinopolitanam Eccleſiam , occaſionemque dedere , vt quinta Synodus ageretur , ſuo inferiùs loco dicetur. B C D

[a] Pſal. 20.

IESV CHRISTI ANNVS 533. IOANNIS PAP. ANNVS 2. IVSTINIANI IMP. 7. ATHALARICI REG. 8. E

QVingenteſimus trigeſimus tertius Redemptoris annus , idemque ſeptimus Iuſtiniani Imperatoris inchoatus, tertio eiuſdem Conſulatu lætiſſimè aperitur , quem ob innumera à Deo accepta beneficia idem Imperator perpetuis ſuarum ſanctionum diuinæ maieſtati conſecrat monumentis [b] : nominatiſſimus ipſe quidem, vtpote qui Romano Imperio feliciſſimus extitit , idemque Imperatoris conſtitutionibus redditus celeberrimus : quot enim à Deo hoc anno ſub ſuo ipſius tertio Conſulatu cõſecutus eſt dona, iiſdem ſæpe commemorat, de quibus inferiùs agendum erit.

[b] l. 1. & 2. ff. de confirm. Digeſt.

Primum verò omnium auſpicaturus ipſe hoc anno perdifficile bellum VVandalicum, non aliunde magis quàm ex bene cuſtodita Catholica religione , exemplo Theodoſij Senioris maximè pij Imperatoris, conciliare ſibi diuinum numen contendit. Cumque ſoleant deten-

A detenti curis bellicis Principum animi, aliis negotiis remittere nuncium, vt vbi maius vertit rei momentum, ibi totis neruis in opus incumbant: Iustinianus veluti summo otio summaque pace, ac rerum tranquillitate, nihil sibi magis propensiori studio perficiendum putauit, quàm vt curaret quæ essent Catholicæ fidei: cuius rei causa hoc ipso anno ad Ioannem Romanum Pontificem honorificam legationem decernit, mittens duos primarios Orientis Episcopos Hypatium & Demetrium. LEGATIO A IVSTINIANO IMPERAT. AD IOANNEM PAP.

Huius decernendæ hoc anno legationis causam refert Liberatus diaconus [a], dum rem gestam prolixam satis his paucis complexus est: Defuncto Bonifacio Papa, Ioannes cognomento Mercurius sedis Apostolicæ suscepit præsulatum. Ad quem missi sunt ab Imperatore Iustiniano Hypatius Ephesiorum Episcopus & Demetrius à Philippis contra legatos Acœmetarum * Cyrum * & Eulogium negantes esse confitendum beatam Mariam ve-
B rè & propriè Dei genitricem, & vnum de Trinitate incarnatum & carne passum. Sed Papa Ioannes, nobis ibi positis, hoc confitendum, epistola sua firmauit, & Imperatori direxit. A cuius communione discedentes Romæ quidam monachi, Acœmetarum legatos secuti sunt, & vsque nunc hanc confessionem de Christo non suscipiunt.] hæc Liberatus, quem hoc ipso anno Romæ fuisse, ipsius testificatione satis intelligis. Exscripsimus ista Liberati ex recentiori Conciliorum editione, cùm in veteri nonnullis omissis verbis textus reddatur obscurus.

[a] *Liberat. diac. Breu. c. 20. tom 2. Conc. nou. edit.*

LEGATIONIS MITTENDAE CAVSA.

* Acimicorũ * Caruna

Antequam autem magni momenti historiam ingrediamur: memoria repetas necesse est, quæ tum Constantinopoli, tum Romæ contigisse diximus temporibus Hormisdæ Pontificis, cùm Scythas monachos Romam veniisse superiùs enarrauimus conquesturos de legatis Apostolicæ sedis negantibus addenda esse Chalcedonensi Concilio verba illa, quibus
C dicebatur, vnum de Trinitate esse crucifixum in carne; quos etiam, sicut legati Apostolicæ sedis, cùm essent Constantinopoli, ita Hormisda Papa Romæ reiecit, negans pariter recipiendam esse nouitatem illam verborum; quæ quamuis in rectum potuissent deduci sensum, ex multis tamen causis suo loco superiùs recensitis, ad explodendam omnem fraudem, quę per occultos Eutychianos clàm irrepere potuisset, verbis illis haud necessariis abstinendum esse Fidelibus, idem Pontifex litteris iteratis admonuit: ita vt sicuti additamentum illud ad Trisagion appositum, Qui crucifixus es pro nobis] Catholici abhorrerent, ita dicere, vnum de Trinitate in carne passum, pariter exhorrerent. Sed quid actum? Etsi idem ad certamen campus; nouis tamen & prioribus planè contrariis pugnatoribus in arenam descendentibus, fuerunt quoque arma mutanda, & certandi modus fuit ineundus à priori planè diuersus, integra illæsaque permanente fide Catholica: cui vt consuleretur in omni-
D bus, aliter tunc, nunc verò aliter fuit à ducibus captandum pugnandi consilium, modusq; quærendus. At quinam iste fuerit, audi. DIVERSA CERTANDI RATIO EX OCCASIONE DIVERSA.

Cùm contra Eutychianos dolis fidem Catholicam inuadentes reiectam illam sententiam Nestoriani audirent, qua assereretur vnus de Trinitate esse passus in carne: perinde ac si secundùm suam ipsorum assertionem duplex assereretur Christi esse persona, sicut & naturæ duæ, humana atque diuina; & sic dici videretur passus homo, vt negaretur Deus esse passus in carne: mox illud quasi ex necessaria consequeretur assumptione: Si non est passus vnus de Trinitate in carne, ergo nec natus idem in carne: ergo nec propriè dici posse videbatur (aiebant illi) Mariam verè & propriè esse Dei genitricem: quod Nestorius, eiusque sectatores Nestoriani professi erant. His accedebat, quòd (vt diximus) è latebris fuliginosi emergentes Origenistæ, inter alias quas proponerent sententias illa erat, vt negarent
E Christum vnum de Trinitate fuisse. Quamobrem ex asserentium prauitate reddi cœpta est prohibitio illa profana, quæ antea videri poterat ad cauendos Eutychianos vtiliter introducta. In tale igitur tantumque discrimen adducta Catholica fide, cùm ista Constantinopoli controuersia agitaretur, vt periclitari Christiana pietas videretur, irrumpentibus ex aduerso Nestorianis atque Origenistis ex aditu illo, quem ad expugnandos Eutychianos occasio temporis aperiri suaserat: Epiphanius Constantinopolitanus Episcopus & cum eo Iustinianus Imperator ac reliqui Orthodoxi ex aduerso pugnantes, firmiterque resistentes, sicut asserebant, piè sancteque dici vnum de Trinitate esse passum in carne, ita ex præscripto Catholicæ fidei nefas esse dicebant negare sanctissimam Virginem Mariam verè proprieque matrem Dei à fidelibus nuncupandam. NESTORIANI EX VICTORIA CONTRA EVTYCH. CAPTANT ARMA.

Istis in hunc modum se habentibus: qui Nestorianæ sententiæ potissimi assertores essent monachi Acœmetæ, cùm ab Imperatore Iustiniano, Epiphanio agente, magnopere vr-
geren- ACŒMETAE MONACHI NESTORIANI.

gerentur:auxilium ab Ecclesia Romana sperantes,à qua scirent eam fuisse reiectam sententiam,qua ab Eutychianis callidè dicebatur vnus de Trinitate passus in carne: simulac audierunt Ioannem creatum esse Romanum Pontificem,legatos ad eum misere,rogantes vt quę semel esset exposa ab ipsa Ecclesia Romana sententia,nullo aduersariorum conatu reciperetur, ne tantæ Ecclesiæ nota posset præuaricationis inuri, secundùm Pauli Apostoli in seipsum dictum [a]: Si enim quæ destruxi,iterum hæc ædifico:præuaricatorem me constituo.] Audientes autem Epiphanius & Imperator, missam ab aduersariis esse Romam legationem, aduersus eam ad eundem Ioannem Romanum Pontificem dictos legatos Episcopos cum litteris & ipsi miserunt: directa autem legatio est nomine Imperatoris, qui & ad eum litteras dedit. Sed quòd ante eiusmodi legationem Romam missam,idem Imperator testetur in Epistola ad Epiphanium [b], se ea de causa edictum promulgasse; hìc primò ipsum reddere, operæ pretium iudicamus: recitat illud Græcè scriptum Contius, quod Latinitati his verbis tradidit [c]:

[a] Galat.2.

[b] l.7.C. de Summa Trin.

[c] Cont prætermiss.li.1. Cod. pag.3.

EDICTVM IVSTINIANI DE FIDE CATHOLICA

Cùm Saluatorem & Dominum nostrum Iesum Christum verum Deum nostrum colamus per omnia: studemus etiam,quatenus datum est humanæ menti assequi, imitari eius condescensionem, seu dimissionem. Etenim cùm quosdam inuenerimus morbo atque insania detentos impiorum Nestorij & Eutychetis, Dei & sanctæ Catholicæ & Apostolicæ Ecclesiæ hostium, nempe qui detrectabant sanctam gloriosam semper Virginem Mariam Theotocon siue Deiparam appellare propriè & secundùm veritatem: illos festinauimus, quæ sit recta Christianorum fides,edocere. Nam hi ineuitabiles cùm sint,celantes errorem suum, passim circumeunt (vt didicimus) & simpliciorũ animos exturbant & scandalizant, ea astruentes,quæ sunt sanctæ Catholicæ Ecclesię contraria. Necessarium igitur esse putauimus, tam hæreticorum vaniloquia & mendacia dissipare, quàm omnibus insinuare, quomodo aut sentiat sancta Dei & Catholica & Apostolica Ecclesia, aut prædicent sanctissimi eius sacerdotes: quos & nos secuti, manifesta constituimus ea quæ fidei nostræ sunt, non quidem innouantes fidem (quod absit) sed coarguentes eorum insaniam, qui eadem cum impiis hæreticis sentiunt: quod quidem & nos in nostris Imperij primordiis pridem satagentibus fecimus manifestum.

IVSTINIANI FIDEI PROFESSIO

Credimus itaque in vnum Deum Patrem omnipotentem,& in vnum Dominum Iesum Christum Filium Dei,& in Spiritum sanctum, vnam essentiam in tribus hypostasibus, siue subsistentibus personis, adorantes vnam Deitatem,vnam potestatem, Trinitatem consubstantialem. In vltimis autem diebus confitemur Dominum nostrum Iesum Christum,vnigenitum Dei Filium ex Deo vero Deum verum ante sæcula & sine tempore ex Patre natum, coæternum Patri,ex quo omnia, & per quem omnia,qui descendit de cælis, incarnatus de Spiritu sancto & sancta gloriosa & semper Virgine Maria, & humanatus siue homo factus est,& passus crucem pro nobis sub Pontio Pilato,sepultus est, & resurrexit tertio die. Vnius ac eiusdem passiones ac miracula, quæ sponte pertulit in carne, cognoscentes. Non enim alium Deum Verbum & alium Christum nouimus, sed vnum & eumdem, consubstantialem Patri secundùm diuinitatem,consubstantialem matri secundùm humanitatem. Vt enim est in diuinitate perfectus, ita idem ipse & perfectus est in humanitate. Nam eius secundùm hypostasin, seu secundùm personam vnitatem susscipimus & confitemur. Mansit enim Trinitas,Trinitas; & post incarnationem vnum ex Trinitate Dei Verbum: neque enim quartæ personæ adiectionem admittit sancta Trinitas.

ANATHEMATIZAT HAERETICOS

His ita se habentibus, anathematizamus omnem hæresim, præcipuè verò Nestorium anthropolatram, & qui eadem cum ipso sentiunt & senserunt, qui diuidunt vnum Dominum nostrum Iesum Christum Filium Dei & Deum nostrum, & qui non confitentur propriè & secundùm veritatem sanctam glorioſam & semper Virginem Mariam Theotocon seu Deiparam, id est,matrẽ Dei: Sed & qui duos Filios dicunt, vnum ex Deo Patre Deum Verbum, alterum ex sancta semper Virgine Deipara Maria, gratia, habitudine, & propinquitate, quam cum Deo Verbo habet, natum esse: Et qui negant, nec confitentur Deum Dominum nostrum Iesum Christum Filium Dei & Deum nostrum incarnatum & hominem factum & crucifixum, vnum esse ex sancta & consubstantiali Trinitate. Ipse enim solus est coadorandus & conglorificandus Patri & sancto Spiritui.

CAVSA PROMVLGANDI EDICTI.

Anathematizamus insuper & Eutychetem mente captum, & qui cum eo sentiunt aut senserunt, qui phantasiam introducunt, negantque veram natiuitatem seu generationem Domini & Saluatoris nostri Iesu Christi ex sancta Virgine & Deipara, hoc est,nostram salutem:

A lutem: & qui non confitentur ipsum consubstantialem Patri secundùm deitatem, & consubstantialem nobis secundùm humanitatem. Similiter anathematizamus Apollinarium psychophtoron, siue animicidam, & qui cũ eo sentiunt vel senserunt; qui dicunt inanimem, hoc est animæ humanæ expertem esse Dominum nostrum Iesum Christum Filium Dei & Deum nostrum; & qui confusionem aut conturbationem introducunt & inuehunt in vnigeniti Dei Filij humanationem siue humanitatem; & omnes postremò qui eadem cum ipso senserunt, aut sentiunt. Dat. Idibus Martij, Constantinopoli, Iustiniano PP. A. tertiùm Consule.] post hæc edicto ista subiecta leguntur: Scriptum est superiùs edictum Ephesiis, item Cæsariensibus, item Cyzicenis, Amidenis, Trapezuntiis, Hierosolymitanis, Apameis, Iustinianopolitanis, Augustanis, Tarsensibus, Ancyranis.]

Ad huiusmodi autem edictum promulgandum ante legationem Romam missam eo
B fuisse videtur motus impulsu Iustinianus, ne aduersariis, aduersus quos ante Rom. Pontificem initurus per legatos suos esset certamen, aliquis cauillandi calumniandiq; locus relinqueretur: cùm ipse Imperator æquè Eutychetem atq; Nestorium eorumq; sectatores condemnet & cum eis Apollinarem: peculiare enim tunc tẽporis erat, vt cùm quis Nestorium damnaret, ab his Eutychianus diceretur, siue Apollinarista; contrà verò Eutychetem condemnans, ab iisdem appellaretur Nestorianus. Sic igitur se munire voluit Imperator, hos omnes antè condemnans, vt se esse verè Orthodoxum publico significaret edicto. Sed iam ad missam Romam ad Ioannem Papam legationem veniamus. Delectis igitur præcipuis Orientis Metropolitanis Episcopis, nempe Cæsariensi atque Ephesino ad obeundam legationem collegis, per eosdem hæc scripsit ad Ioannem Romanum Pontificem[a]:

Imperator Iustinianus, pius, felix, inclytus, triumphator semper Augustus Ioanni sanctis-
C simo Archiepiscopo almæ vrbis Romæ & Patriarchæ.

Reddentes honorem Apostolicæ sedi & vestræ sanctitati (quod semper nobis in voto & fuit & est) vt decet patrem honorantes vestram beatitudinem, omnia quæ ad Ecclesiæ statum pertinent, festinauimus ad notitiam deferre vestræ sanctitatis: quoniam semper nobis fuit magnum studium, vnitatem vestræ Apostolicæ sedis, & statum sanctarum Dei Ecclesiarum custodire, qui hactenus obtinet & incommotè permanet, nulla intercedente contrarietate. Ideoque omnes sacerdotes vniuersi Orientalis tractus & subiicere & vnire vestræ sanctitati properauimus. In præsenti ergo quæ commota sunt, quamuis manifesta & indubitata sint, & secundùm Apostolicæ vestræ sedis doctrinam ab omnibus semper sacerdotibus firmè custodita & prædicata: necessarium duximus, vt ad notitiam vestræ sanctitatis perueniant. Nec enim patimur quicquam quod ad Ecclesiarum statum pertinet, quamuis
D manifestum & indubitatum sit quod mouetur, vt non etiam vestræ innotescat sanctitati, quæ caput est omnium sanctarum Ecclesiarum. Per omnia enim (vt dictum est) properamus honorem & auctoritatem crescere vestræ sedis.

Manifestum igitur facimus vestræ sanctitati, quòd pauci quidam infideles & alieni san- DE NESTO-
ctæ Dei Catholicæ atque Apostolicæ Ecclesiæ, contradicere Iudaicè atque apostaticè ausi RIANORVM
sunt aduersus ea quæ ab omnibus sacerdotibus secundùm vestram doctrinam rectè tenen- CONATV.
tur & glorificantur & prædicantur, denegantes Dominum nostrum Iesum Christum vnigenitum Filium Dei Deum Dominum nostrum incarnatum de sancto Spiritu & ex sancta atque glorioſissima semper Virgine Dei genitrice Maria hominem factum atq. crucifixum, vnum esse sanctæ & consubstantialis Trinitatis, & coadorandum & conglorificandum Patri & Spiritui sancto, & consubstantialem Patri secundùm diuinitatem, & cõsubstantialem
E nobis eumdem ipsum secundùm humanitatem, passibilem carne, eumdemque ipsum impassibilem Deitate. Recusantes enim Dominum nostrum Iesum Christum vnigenitum Filium Dei & Dominum nostrum fateri vnum esse sanctæ & consubstantialis Trinitatis, videntur Nestorij malam sequi doctrinam, secundùm gratiam dicentis vnum Filium Dei, & alium dicentis Dei Verbum & alium Christum.

Omnes verò sacerdotes sanctæ Catholicæ atque Apostolicæ Ecclesiæ & reuerendissimi DE VERBI
Archimandritæ sanctorum monasteriorum sequentes sanctitatem vestram, & custodientes INCARNA-
statum & vnitatem Dei Ecclesiarum, quam habent ab Apostolicæ vestræ sanctitatis sede, TIONE
nihil penitus immutantes de Ecclesiastico statu, qui hactenus obtinuit, atque obtinet, vno QVID SEN-
consensu confitentur & glorificant prædicantes Dominum nostrum Iesum Christum vnigenitum Filium & Verbum Dei & Dominum nostrum ante sęcula & sine tempore de Patre natum, in vltimis diebus descendisse de cælis, & incarnatum de Spiritu sancto, & ex

[a] l. 8. C de summa Trinit.

EPIST. IVSTINIANI AD IOANNEM ROM. PONT.

sancta & glorioſa Virgine Maria natum & hominem factum & crucifixum, vnum eſſe ſanctæ & conſubſtantialis Trinitatis, & coadorandum & conglorificandũ Patri & ſancto Spiritui: nec enim alium Deum Verbum & alium Chriſtum cognoſcimus, ſed vnum atq; eundem ipſum conſubſtantialem Patri ſecundùm diuinitatem, & conſubſtantialem nobis ſecundùm humanitatem, paſſibilem carne, eundem ipſum impaſſibilem deitate. Vt enim eſt in diuinitate perfectus, ita etiam ipſe in humanitate perfectus eſt. In vna enim ſubſtantia deitatem ſuſcipimus & confitemur, quod dicunt Græci τὴν καθ' ὑπόστασιν ἕνωσιν ὁμολογοῦμεν, id eſt, eam quæ ſecundùm perſonam eſt vnitatem ſeu coniunctionem confitemur. A

S. MARIA VERE MATER DEI.

Et quoniam vnigenitus Filius & Verbum Dei ante ſæcula & ſine tempore de Patre natus, idem ipſe & in vltimis diebus deſcendens de cælis incarnatus eſt de Spiritu ſancto, & ex ſancta atq; glorioſa ſemper Virgine Dei genitrice Maria homo factus Dominus noſter Ieſus Chriſtus propriè & verè Deus eſt: ideo & ſanctã atque glorioſam Virginem Mariam propriè & verè Dei matrẽ eſſe dicimus: non quia Deus Verbum principium ex ipſa ſumpſerit, ſed quia in vltimis diebus deſcendit de cælis, & ex ipſa incarnatus & homo factus & natus eſt: quem confitemur & credimus (ſicut dictum eſt) conſubſtantialem eſſe Patri ſecundùm diuinitatem, & conſubſtantialem nobis eumdem ipſum ſecundùm humanitatem: eiuſdem miracula & paſſiones, quas ſponte in carne ſuſcepit, agnoſcentes. B

Suſcipimus autem ſancta quatuor Concilia, id eſt, trecentorum decem & octo ſanctorum Patrum qui in Nicæna vrbe congregati ſunt, & centum quinquaginta ſanctorum Patrum qui in hac regia vrbe conuenerunt, & ſanctorum Patrum qui in Epheſo primum congregati ſunt, & ſanctorum Patrum qui Chalcedone conuenerunt, ſicut veſtra Apoſtolica ſedes docet atque prædicat. Omnes ergo ſacerdotes ſequentes doctrinam Apoſtolicæ ſedis veſtræ ita credunt & confitentur & prædicant. C

DE LEGATIS MISSIS ET LITTERIS DATIS.

Vnde properauimus hoc ad notitiam deferre veſtræ ſanctitatis per Hypatium & Demetrium beatiſſimos Epiſcopos: vt nec veſtram ſanctitatem lateant, quæ à quibuſdam paucis monachis malè & Iudaicè ſecundùm Neſtorij perfidiam denegata ſunt. Petimus ergo veſtrum paternum affectum, vt veſtris ad nos deſtinatis litteris & ad ſanctiſſimum Epiſcopum huius almæ vrbis & Patriarcham fratrem veſtrum (quoniam & ipſe per eoſdem ſcripſit ad ſanctitatem veſtram, feſtinans in omnibus ſedem ſequi Apoſtolicam beatitudinis veſtræ) manifeſtum nobis faciatis, quòd omnes qui prædicta rectè confitentur, ſuſcipit veſtra ſanctitas; & eorum qui Iudaicè auſi ſunt rectam denegare fidem, condemnat perfidiam. Plus enim ita & circa vos omnium amor & veſtræ ſedis creſcet auctoritas: & quæ ad vos eſt vnitas ſanctarum Eccleſiarum, inturbata ſeruabitur, quando per vos didicerint omnes beatiſſimi Epiſcopi eorum quæ ad vos relata ſunt, ſinceram veſtræ ſanctitatis doctrinam. Petimus autem veſtram beatitudinem orare pro nobis; & Dei nobis acquirere prouidentiam. *Item ſubſcriptio talis fuit.* Deus te conſeruet per multos annos, ſancte ac religioſiſſime Pater.] D

MVNERA IVSTINIANI OBLATA S. PETRO.

Litteræ autem ab Epiphanio Epiſcopo Conſtantinopolitano ad Ioannem Pontificem, quarum Iuſtinianus mentionem facit, non extant. Meminit huius legationis Anaſtaſius, qui & de muneribus à Iuſtiniano miſſis agit his verbis: Eodem tempore vir religioſus Auguſtus Iuſtinianus ſummo amore Chriſtianæ religionis mittit fidem ſuam ſcriptam chirographo proprio ad ſedem Apoſtolicam per Epiſcopos Hypatium & Demetrium. His diebus obtulit Chriſtianiſſimus Imperator beato Petro Apoſtolo ſcyphum aureum circumdatum gemmis praſinis & albis, & alios calices argenteos duos, ſcyphum penſantem libras quinque, calices argenteos ſingulos penſantes libras ſex, & alios calices argenteos duos penſantes libras quindecim, palliola verò auro texta quatuor.] hæc ibi. E

Detentos autem legatos fuiſſe vſque in ſequentem annum, ex reddita à Ioanne Pontifice epiſtola ad Iuſtinianum Imperatorem data ſub quarto eiuſdẽ Iuſtiniani Conſulatu cum collega Paulino, ſatis intelligi poteſt: reddemus ergo eamdem ſuo loco. Quid autem hoc anni tempore actum ſit, antequam dicamus, agendum de epiſtola eiuſdem Imperatoris ad Epiphanium Conſtantinopolitanum Epiſcopum data hoc ipſo anno ſub tertio Iuſtiniani Conſulatu, ſeptimo Kalendas Aprilis: in qua cùm mentio habeatur dictæ Iuſtiniani epiſtolæ ad Ioannem Papam, eam ante dictam diem fuiſſe ſcriptam oportet. Quoniam verò res agitur maximi ponderis, nihil planè prætermittendum eſt, quod in ea ſcriptum reperiatur. Ipſam igitur in primis Iuſtiniani Imperatoris ad Conſtantinopolitanum Epiſcopum poſt miſſam Romam legationem conſcriptam reddamus epiſtolam. Quod enim aduerſarij

Iuſti-

A Iustiniani sparsissent in vulgus, ipsum eorum assertione verborum Concilium Chalcedonense labefactare, contemnere verò alia Concilia generalia: visum fuit ipsi perneccessarium palàm exponere, quo esset erga sanctas quatuor Synodos affectu, & quomodo pro ipsis iugiter laboraret. Epistolâ autem sic se habet[a]:

Imperator Epiphanio sanctissimo ac beatissimo Archiepiscopo regiæ huius vrbis & œcumenico Patriarchæ.

[a] *l. 7. C de summa Trinit.*

IVSTINIANI EPIST. AD EPIPHANVM.

Cognoscere volentes tuam sanctitatem ea omnia quæ ad Ecclesiasticum spectãt statum: necessarium duximus hisce ad eam vti diuinis compendiis, ac per ea manifesta eidem facere quæ iam moueri cœpta sunt, quamquam & illa eamdem cognoscere sumus persuasi. Cùm itaque comperissemus quosdã alienos à sancta Catholica & Apostolica Ecclesia, impiorum Nestorij & Eutychetis secutos deceptionem; diuinum antehac promulgauimus
B edictum (quod & tua nouit sanctitas) per quod hæreticorum furores reprehendimus: ita vt nullo quouis omnino modo immutauerimus, immutemus, aut prætergressi simus eum, qui nunc vsque coadiuuante Deo seruatus est, Ecclesiasticum statum, quemadmodum & tua nouit sanctitas; sed in omnibus seruato statu vnitatis sanctissimarum Ecclesiarum cum ipso sanctissimo Papa veteris Romæ, ad quem similia hisce perscripsimus. Nec enim patimur, vt quicquam eorum quæ ad Ecclesiasticum spectant statum, non etiam ad eiusdem referatur beatitudinem, cùm ea sit caput omnium sanctissimorum Dei sacerdotum: vel eo maximè, quòd quoties in his locis hæretici pullularunt, & sententia & recto iudicio illius venerabilis sedis correcti sint.

Ideoque ex præsentibus diuinis nostris breuiculis sciet tua sanctitas, quæ à nobis proposita sunt * quam & quibus studio est pessimè interpretari quæ à nobis statuta sunt, compre- *
C hendetur. Pauci quidam infideles, & alieni à sancta Dei Catholica & Apostolica Ecclesia contradicere Iudaicè ausi sunt aduersus ea quæ ab omnibus sacerdotibus rectè obseruantur, probantur, & annunciantur; negantes Dominum nostrum Iesum Christum vnigenitum Filium Dei & Deum nostrum incarnatum ex Spiritu sancto & sancta glorioſa semperque Virgine & Deipara hominem factum & crucifixum, vnum esse sanctæ & consubstantialis Trinitatis, coadorandum & conglorificandum Patri & sancto Spiritui, consubstantialem Patri secundùm deitatem, consubstantialem nobis eumdem secũdùm humanitatem, passibilem carne, eumdem impassibilem deitate. Recusantes enim Dominum nostrum Iesum Christum vnigenitum Filium Dei & Deum nostrũ fateri vnum esse sanctæ & consubstantialis Trinitatis, manifestè deprehẽduntur impij Nestorij sequi prauam doctrinam, secundùm gratiam cum dicentes Filium Dei, & alium Deum Verbum, & alium Christum
D dicentes: quos anathemate damnamus, eorum etiam dogmata, eos etiam qui eadem cum ipsis senserunt, vt alienos à sancta Dei Catholica & Apostolica Ecclesia.] Quod audis, lector, Iustinianum anathemate hæreticos condemnare, sic intelligas (vt sæpe ostensum est) eosdem iam antè in sacris Synodis à Patribus condemnatos, eadem ipsorum sententia punitos atque damnatos habendos. Pergit verò:

Et reuerendissimi sacrorum monasteriorũ Archimandritæ sequentes sanctorum Patrum traditionem (ea scilicet fide, vt nihil omnino antehac immutarint, aut hodie immutent ab eo, qui nunc vsque, sicut dictum fuit, obtinuit, Ecclesiastico statu) vnanimiter fatentur & cum gloria annunciant Dominum nostrũ Iesum Christum vnigenitum Filium esse & sine tempore ex Patre genitum, & in nouissimis diebus descendisse ex cælis, & incarnatum ex Spiritu sancto & sancta glorioſa semper Virgine & Deipara Maria, & hominem factum &
E crucifixum, vnum esse sanctæ & consubstantialis Trinitatis. Consubstantialem enim ipsum scimus Patri secundùm deitatem, & consubstantialem nobis eumdem secundum humanitatem, passibilem carne, eumdem impassibilem deitate. Quemadmodum enim est in deitate perfectus, sic idem in humanitate perfectus: ideoque eam quæ est secundùm hypostasin vnionem amplectimur & confitemur: quemadmodum etiam vnigenitus Filius Verbum Dei ante sæcula & sine tempore ex Patre genitus, idem quoque in nouissimis diebus descendit de cælis, & carnem assumpsit ex Spiritu sancto & sancta glorioſa Deipara Maria, & homo factus est. quem confitemur (quemadmodum dictum est) consubstantialem Patri secundùm diuinitatem, consubstantialem eumdem nobis secundùm humanitatem: eiusdem miracula & passiones, quas vltro sustinuit carne, confitentes.

Hæc igitur sunt, in quibus per diuinum nostrum edictum hæreticos coarguimus: cui diuino edicto vel omnes reperti hîc verissimi Episcopi & reuerendissimi Archimandritæ cum

tua

tua ſanctitate ſubſcripſerunt, ſeruantes in omnibus ſancta quatuor Concilia, & quæ in vnoquoque eorum conſtituta, Nicænum trecentorum decem & octo Patrum, & huius regiæ vrbis centum quinquaginta, & Epheſinum prius, & Chalcedonenſe, manifeſtè omnibus qui vnà nobiſcum ſentiunt Fidelibus ſanctæ Catholicæ & Apoſtolicæ Eccleſiæ traditam regulam fidei, hoc eſt, ſanctam formulam ſeu Symbolum tenemus & cuſtodimus à trecentis decem & octo Patribus expoſitam, & illud quod in hac regia vrbe centum quinquaginta ſancti Patres apertiùs expoſuerunt, non quod defectuoſum eſſet prius: ſed quoniam veritatis hoſtes partim ſubuertere cœperunt ſancti Spiritus deitatem, partim ex ſancta ſemper Virgine Maria Deipara veram incarnationem Dei verbi negauerant: propterea Scripturæ teſtimoniis idem Symbolum ſupradicti centum quinquaginta Patres apertiùs expoſuerunt; idque & ante omnes ſanctæ Synodi Epheſina prior & Chalcedonenſis eamdem fidem ſequentes ſuſceperunt & cuſtodierunt, ſanctam & glorioſam ſemper Virginem Mariam Deiparam publicarunt, & non confitentes eam Deiparam anathemate percelluerunt; ſimiliter anathematizarunt eos, qui aliud Symbolum, aliámve ſanctam formulam traderent præter eam quæ à trecentis decem & octo ſanctis Patribus expoſita eſſet, & explicata & corroborata à centum quinquaginta ſanctis Patribus in hac regia vrbe congregatis. A B

Et quidem Epheſinum prius impium Neſtorium & eius dogma ſuſtulit & anathematizauit, ad hæc eos qui cum eo ſenſerunt & ſentiunt, & qui conſenſerunt & conſentiunt. Chalcedonenſe verò ſanctum Concilium damnauit & eiecit à ſanctis Dei Eccleſiis & anathematizauit impium Eutychetem, eiuſque dogmata, & qui eadem cum illo ſenſerunt & ſentiunt, & qui conſenſerunt eidem & conſentiunt; & omnes hæreticos, eorumque dogmata, & qui cum illis ſenſerunt & ſentiunt, anathematizauit: pariter anathematizauit Neſtorium ſcilicet, eiusque dogmata, & qui cum eo ſenſerunt & ſentiunt, & qui cum eo conſenſerunt & conſentiunt. Chalcedonenſe verò ſanctum Concilium magni Procli ad Armenios conſcriptam epiſtolá, quod oporteat *confiteri* Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum Filium Dei & Deum noſtrum vnum ſanctæ Trinitatis per propriam relationem, ſuſcepit & confirmauit. C

Quæ prædicta quatuor ſancta Concilia ſi negligimus, aut ea quæ his conſtituta; damus licentiam damnatis ab iis hæreticis eorumq; dogmatibus ſuam peſtem rurſus in ſanctis Dei Eccleſiis oſtendere. Optandum itaq;, vt quod nondum contigit fieri, hoc aliquando cõtingat: idq; eo magis, quòd ſupradicta quatuor ſancta Concilia ſpeciali confeſſione hæreticos eorumque dogmata damnarunt. Ideoq; ſi quis ab vno ſupradictorum ſanctorum quatuor Conciliorum diſſentiat, palàm eſt eum amplecti dogmata à ſanctis illis Patribus damnata & anathematizata. Nullus itaque fruſtra vos turbet ſpe vana innixus, quaſi nos contrarium à ſupradictis quatuor Cõciliis fecerimus, aut faciamus, aut fieri à quibuſdam permittamus, aut aboleri eorumdem ſanctorum quatuor Conciliorum piam memoriam ex dictis Eccleſiæ Diptychis ſuſtineamus: Omnes enim qui ab iis damnati & anathematizati ſunt, & damnatorum dogmata, eoſq; qui eadem ac ipſi ſenſerũt, aut ſentiunt, anathematizamus. Ita bene precetur nobis & noſtro Imperio beatitudo tua, omnes de noſtra intentione & noſtro erga irreprehenſibilem fidem ſtudio docens & certiores faciens. Data VII. Kalend. Aprilis, Conſtantinopoli, D. N. Iuſtiniano PP. A. III. Conſule.] hactenus ad Epiphanium, publicum tamen exponẽdum edictum. Quòd enim ea de paſſo vno ex Trinitate verba Hormiſda non recepiſſet, ne quid inferretur præiudicij Chalcedonenſi Concilio, quod ea profeſſus Iuſtinianus diceretur ab aduerſariis Chalcedonenſis Concilij: ea de cauſa apologiam pro ſua fide in dicta ad Epiphanium epiſtola inſtituiſſe videtur. Sed res geſtas Romæ, cùm legati ibidem morarentur, accuratiùs proſequamur. D E

Illud verò hîc in limine admonendum, ſeu potiùs ad memoriam reuocandum, quod in Hormiſda ſæpè ſuperiùs dictum eſt: nunquam eam ſententiam ab ipſo Hormiſda fuiſſe reiectam tanquam hæreticam, ſed proſcriptam vt nouam atq; ſuſpectam, ne ſub ea Eutychianorum fallaciæ occultarentur: re tamen ipſa, ſi dolus abeſſet, qui timebatur in monachis illis valde ſuſpicione Eutychianæ hæreſis laborantibus, recipienda eſſet omnino. Quamobrem cùm perſonæ mutatę eſſent, deſiiſſentque penitus illæ de quibus doli ſuſpicio haud leuis eſſet: abſque Hormiſdæ Papæ iniuria reuocari ea poſſe videbatur in dubium, abutentibus præſertim Neſtorianis & Origeniſtis ipſius Hormiſdæ Papæ Apoſtolica auctoritate. Hinc enim licentia parta eſt Orthodoxis Epiſcopis Conſtantinopoli agentibus vnà cũ Epi-

phanio

A phanio eius ciuitatis Episcopo, simulque Iustiniano Imperatori, de his tractandi apud Ioannem Romanum Pontificem, missa ad eum honorificentissima legatione.

Cùm autem legatio Imperatoris Romæ audita esset, lectæque litteræ eodem argumento conscriptæ tum ab ipso Iustiniano Imperatore, tum etiam ab Epiphanio Episcopo Constantinopolitano: sed & nec spreti essent legati ab Acœmetis monachis Constantinopoli degentibus Romam missi; auditi & ipsi, qui Hormisdæ Papæ se tueri sententiam profiterentur: diu fluctuatum est apud nonnullos Ecclesiæ Romanæ clericos, num Iustiniani Imperatoris fidei confessio recipienda esset, quam in Scythiæ monachis ante visus erat explosisse (vt vidimus) Hormisda Papa. Prudentiores autem causæ diuersitatem considerantes, vt iure tunc ab Hormisda, cùm ageret aduersus subdolos Eutychianos, esse reiectam eam sententiam intellexerunt; ita conuersa nunc alea, & aduersus Nestorianos mutato certa-
B mine, rectè à Ioanne Papa debere recipi affirmarunt. Contrà verò dubitauere plerique, num quod semel ab Ecclesia Romana negatum esset, deberet admitti.

Inter hæc ambigua, dum graues hinc inde sententiæ dicerentur, neque quicquam definiretur ab ipso Romano Pontifice cuncta graui lance iudicij expendente: toto anni huius temporis spatio, ab aduentu videlicet legatorum vsque ad eorumdem profectionē ab Vrbe, nihil propensiori studio est Romæ ab Apostolica sede curatum, quàm vt quid decernendum esset, quàm accuratissimè quæreretur. Tunc temporis Anatolius S. R. E. diaconus consuluit Ferrandum diaconum Carthaginensis Ecclesiæ, discipulum S. Fulgentij, virum huius temporis doctrina insignem, quæ ipsius esset de proposita quæstione sententia: num videlicet absque aliqua licet leui fidei Orthodoxæ offensione dici posset vnus de Trinitate passus in carne. Ad quem idem Ferrandus prolixam satis atque eruditam epistolam scripsit,
C haud pridem editam vna cum aliis eius opusculis ab Achille Statio Lusitano; qua cum multa de Verbi incarnatione disseruisset, vbi ad quæstionem de qua est controuersia venit, hanc firmat conclusionem: Rectè dici vnum de Trinitate passum, sed securiùs addi, passum in carne: nam hæc post multa habet:

FERRANDVS CONSVLTVS AB ANATOLIO ROM. DIAC.

Propter istos ista dixi, qui nunc audientes vnum de Trinitate passum, dicunt, Adde secundùm carnem: quasi aliter intelligi debeat, etiam si ego non addam; vel addere multum necessarium sit, quod etiam si non additur, apparet. Libenter autem exigi à me patior, quod vltro addere sum paratus. Incunctanter profert lingua, quod retinet conscientia. Vnus de Trinitate Filius Dei Iesus Christus, qui est vna persona de tribus personis, passus est secundùm carnem.] ad postremum autem post alia fusiùs disputata, hæc subdit: Supereſt nunc in conclusione huius voluminis eisdem duabus sententiis, de quibus inter se disputantium
D fratrū prolixa fit altercatio, nequa remanere vel suspicionis videatur ambiguitas, dare quamdam fidei regulam, qua præcedente, simplicitas loquentium manifestetur, & audientium remoueatur scandalum. Dicturus ergo vnum de Trinitate passum, priùs addat, omnipotentis Dei vnam substantiam, tres esse personas, ex quibus vna persona, id est, Filius Deus permanens, homo factus, natus, & passus sit, neque Patre neque Spiritu sancto pariter incarnato; quamuis opus nostræ redemptionis tota fuerit Trinitas operata, &c.] hæc ad omnes obstruendos aditus impiæ calliditati.

Scripsit verò idem Ferrandus eodem argumento aliam epistolam ad Seuerum Scholasticum Constantinopolitanum; quæ licet minimè integra habeatur, satis suppleri potest ex dicta ad Anatolium diaconum epistola. Sicut ergo Ferrandus monuit, ita factum à Iustiniano Imperatore apparet, vt cùm assereret vnum de Trinitate passum, multa præmiserit, &
E rursus multa subiecerit, quæ omnem possent de subdola captione suspicionem auferre: vt non mirum sit, si ipsius Imperatoris confessio à Rom. Pontifice post anni vnius agitatā controuersiam recepta fuerit atque probata, vt videbimus ex litteris eiusdē Pontificis ad ipsum redditis anno sequenti. Quæ quidem omnia ex sententia etiam Chalcedonensis Concilij esse dicta, Facundus Episcopus Hermianensis in tractatu ad Iustinianum Imperatorem de Tribus capitulis, pluribus docet ipso libri principio: extat ipse scriptus in Vaticana Bibliotheca. Sed & Dionysius Exiguus eidem fauit sententiæ; cuius rei gratia tunc in Latinum transtulit Procli epistolam ad Armenos, cui præfationem affixit, qua docuit piè rectèq; dici, vnum ex Trinitate passum in carne. Erat viri huius Romæ hoc tempore (vt dictum est ex Cassiodoro) æstimatio summa. Sed ad legationem redeamus.

Meminit huius à Iustiniano missæ legationis Procopius, vbi agit de Theodato Gotho conante in odium Amalasunthæ prodere Tusciam, cui ipse præerat, Iustiniano Imperatori.

nam

nam ait[a]: Hanc sibi mali animi imprimere promptitudinem Amalasuntha* occeperat, eaque de causa infensior illi Theodatus erat, remque molestè ferebat: Vnde huic animo inerat, Iustiniano Tusciam prodere; cuius rei ob gratiam vbi primùm vim magnam pecuniarum & Consularem dignitatem ab eo in præmium retulisset, Byzantij mens erat de cetero commorari. Hæc Theodato animo voluente, ex Byzantio ad Romanum Antistitem legati venerunt, Christianorum altercationis sedandæ causa, sentientium varia, & inter se disceptantium. Sed qualesnam istorum controuersiæ sint, etsi minùs ignorem, haudquaquam tamen in præsenti meminerim, nimirum qui furentis esse vesaniæ ducam, Dei velle qualisnam sit peruestigare naturam: homine namque mortalem ne humana hæc quidem ad verum posse comprehendere reor, nedum ad diuinæ naturæ peruenire cognitionem sat queat. Sed per me ista sine discrimine prætereantur, quæ sola credulitate venerantur mortales: ipse verò de Deo fateri nil aliud hoc tempore ausim, nisi quod bonus omnino & rector sit, & vniuersa in sua habeat potestate.] ista Procopius, qui impietatis arguitur ab eiusdem temporis scriptoribus: vt non mireris, si quæstiones de fide Christiana contemnit. Porrò his dictis indicat perplexas satis atque prolixas eiusmodi controuersias fuisse, pugnantibus ex aduerso legatis Acœmetarum.

* Procop. de bello Goth. lib. 1.
* Amalasuentha
THEODATVS QVID CVM LEGATIS.

SIMONIACA LABES INVALVIT.

Sed ne discedamus ab Vrbe: hoc ipso tempore, quo Ioannes Papa (vt dictum est) Pontificiam sedem obtinuit, quod multa accidissent indigna in ipsa Romana Ecclesia sede vacante, dum videlicet complures vt ad Pontificatum adipiscendum sibi aditum præpararent, Ecclesiæ bona effudissent, & inter eos fuissent alij qui corruperint aliquos ex Senatoribus dando pecunias, vt postularentur in Romanum Pontificem: id indignè ferens senatus ipse in primis, aduersus eos qui adeò turpiter aliquid accepissent, Senatus consultum promulgauit. Egit insuper & Ioannes Papa apud Athalaricum Regem, vt qui impudenter Ecclesiasticos canones proculcarent, Regis perterrerentur edicto: per Ecclesię enim Defensorem petiit ab ipso Athalarico Rege, vt aduersus eiusmodi simoniacos, quos non compescerent sacri canones, regia ageret potestate, pœnisque sæculi eosdem comprimeret, quos nec Dei timor, neque Ecclesiastica censura corrigeret. Sic igitur idem Athalaricus hæc ad ipsum Ioannem Papam rescripsit[b]:

[b] Apud Cassi. Var. lib. 9. epist. 15.
ATHALARICVS ADVERSVS SIMONIACOS.

Ioanni Papæ Athalaricus Rex.

Si antiquis Principibus studium fuit leges exquirere, vt subiecti populi delectabili tranquillitate fruerentur: multo præstantius est, talia decernere, quæ possint sacris regulis conuenire. Absint enim à nostro sæculo damnosa compendia. Illud tantùm possumus verum lucrum dicere, quod constat diuina iudicia non punire. Nuper siquidem ad nos Defensor Ecclesiæ Romanæ flebili allegatione peruenit, cùm Apostolicæ sedi peteretur Antistes, quosdam nefaria machinatione necessitatem temporis aucupatos, ita facultates pauperum extortis promissionibus ingrauasse, vt (quod dictu nefas est) etiam sacra vasa emptioni publicæ viderentur exposita. Hoc quantum fuit crudele committi, tantum religiosum est, adhibita pietate, resecari. Atque ideo sanctitas vestra statuisse nos præsenti definitione cognoscat, quod etiam ad vniuersos Patriarchas atque metropolitanas Ecclesias volumus pertinere, vt à tempore sanctissimi Papæ Bonifacij, cùm de talibus prohibendis suffragiis Patres conscripti Senatusconsultum nobilitatis suæ memores condiderunt.] quodnam autem fuerit istiusmodi Senatusconsultum, ita subiicit:

SENATVSCONSVLTVM ADVERSVS SIMONIACOS.
* efferretur efficeretur

Quicumque in Episcopatu obtinendo siue per se, siue per aliam quamcumque personam aliquid promisisse declaratur, vt execrabilis contractus cunctis viribus exueretur*. Si quis autem in hoc scelere deprehenditur fuisse versatus, nullam relinquimus vocem: verùm etiam si aut repetendum, aut quod acceptum est, non reddendum esse crediderit, sacrilegij reus protinus habeatur, accepta restituens compulsione Iudicis competentis.] hactenus Senatusconsultum non aduersus clericos promulgatum, sed in laicos, quibus ob postulationem alicuius in Episcopum aliquid datum vel promissum esset, sed omnia reddens irrita, nec eis aliquod voluit esse suffragium in postulando. Hæc autem Rex Athalaricus confirmans à Senatu decreta, eosdem impiè agentes coërcet, ista subdens:

CONFIRMATIO S.C.

Iustissimæ quidem leges vt bonis aperiunt, ita claudunt malis moribus actionem: propterea quicquid in illo Senatus decretum est consulto, præcipimus in eos modis omnibus custodiri, qui se quoquo modo per interpositas quascumque personas scelestis contractibus miscuerunt.] his in confirmatione Senatusconsulti appositis, eidem ipse festinus occurrere studuit sacrilegio, cùm videlicet quis, vt subriperet sibi Pontificatum, maiorem pecuniæ

A cuniæ summam,quàm alij solerent,populo daturum promitteret, istiusmodi promissionibus veluti auctione quadam emens sibi,conciliata populi gratia, Pontificiam sedem : quod nefandum scelus vt penitus tolleretur eo modo quo diximus, per Defensorem Ecclesiæ apud Regem agens Ioannes Papa curari petiit: cui rex annuens, ista subiunxit :

Et quia omnia decet sub ratione moderari, nec possunt dici iusta quæ nimia sunt : cùm de Apostolici consecratione Pontificis intentio fortasse præuenerit *, & ad Palatium nostrum producta fuerit altercatio populorum, suggerentes nobis,intra tria millia solidorum cum collectione chartarũ censemus accipere; à quibus tamen omnes inidoneos * rei ipsius consideratione remouemus : quia de Ecclesiastico munere pauperibus est potiùs consulendum. Alios verò Patriarchas,quando in Comitatu nostro de eorum ordinatione tractatur, in supradictis conditionibus atque personis intra duo millia solidorum iubemus expende-

B re: in ciuitatibus autem suis tenuissimæ plebi non ampliùs quàm quingentos solidos se distributuros esse cognoscant. Reliquos accipientes & edicti præsentis & Senatusconsulti nuper habiti pœna constringat, & dantes canonum seueritas persequatur.] Vides non audere Regem in dantes clericos pœnam conuertere,sed in accipientes tantum modo laicos,relinquens illos canonum censura plectendos: vt sicut Senatusconsultum,ita & Regis edictum laicas tantùm personas respiciat , quæ aliquid huiusmodi ex causa acceperint ; prout etiam quæ dicentur,insinuant. Sed & hîc obiter illud obserua , per Patriarchas intelligi Archiepiscopos : præter enim Romanum Pontificem,nullus Patriarcharum in ditione erat Athalarici Italiæ Regis. Ex Gothis enim eiusmodi vocis vsus emersit, vt Archiepiscopi in Occi-

dente Patriarchæ etiam dici cœperint. Subdit ergo :

Vos autem, qui Patriarcharum honore reliquis præsidetis Ecclesiis, quoniam constitu-

C tio nostra ab illicita promissione liberauit : restat , vt bona imitantes exempla , sine aliquo Ecclesiarum dispendio dignos maiestate Pontifices offeratis. Iniquum est enim , vt locum apud vos habeat ambitus,quem nos laicis diuina consideratione præclusimus. Quapropter si quis Apostolicæ Præsulem Ecclesiæ , vel Patriarcharum Episcopum siue per se , siue per parentes nobis * seruientium quascumque personas aliquâ suffragij crediderit ambitione promouẽdum : & ipsum reddere accepta definimus ; & quod est canonibus statutum,eum modis omnibus esse passurum.Si quis verò quæ dederit aut promiserit,eodem superstite,timuerit publicare, ab heredibus vel pro heredibus eius Ecclesia repetat, cuius suffragio Antistes deprehenditur ordinatus : nota infamiæ nihilominus superstites inurente , reliquos quoque ordines sub eadem fieri distinctione præcipimus.

Quòd si forsitan dolosæ machinationis inuento , sacramentis persona intercedentibus

D fuerit obligata, vt saluo statu animæ cõmissam iniquitatem neque approbare possit, neque audeat accusare : damus licentiam quibuslibet honestis personis in singulis quibusque ciuitatibus apud Iudices competentes hoc crimen deferre ; & quicquid ex ea potuerit probatione recolligi,vt ad probationem * insequentes animemus,tertiam partem iudicatæ rei ille percipiat , qui tale facinus voluerit publicare : reliqua verò ipsis ecclesiis proficiant quæ videntur extorta,aut in fabrica earum, aut in ministerio nihilominus profutura. Decet enim ad vsus bonos conuertere , quæ voluit peruersitas inimica fraudare. Quiescat igitur malignantium praua cupiditas. Quò tendunt, qui à fonte præcluſi sunt? Recolatur & timeatur Simonis iusta damnatio, qui emendum credidit totius largitatis auctorem.

Orate igitur pro nobis , edicta nostra custodientes ; quia diuinis noscitur conuenire mysteriis.Sed quò faciliùs Principis votum vniuersorũ mentibus innotescat: hoc Senatui, hoc

E populis per Præfectum Vrbis præcipimus intimari : vt generalitas agnoscat,nos illos prosequi , qui maiestati diuinæ potiùs viderentur aduersi. Vos quoque hoc vniuersis, quos Deo propitio regitis,Episcopis intimate : neque sit alienus à culpa,qui potuit cognoscere constituta.] hactenus ad Ioannem Papam rescriptum siue edictum Athalarici Regis. Ex quibus intelligis,quàm execrabilis semper fuerit in Ecclesia simoniaca culpa,aduersus quam (quòd canones non proficerẽt) Ariani Regis auxilium oportuerit imploraſſe.Sed illud cessit ignominiosiùs, cùm recitatum edictũ aduersus huiusmodi delinquentes idem Rex voluit marmoreæ inscribi tabulæ,& ante S.Petri atrium illam perspicuam cunctis apponi. Ex violentis hisce remediis,quàm grandis morbus irrepserit,est facile iudicare.Ad hęc igitur nauiter implenda ipse Athalaricus ad Præfectum Vrbis ista conscripsit[a] :

Saluantio V. I. Præfecto Vrbis Athalaricus Rex.

Grata res est , cuncta profutura vulgare : vt generale fiat gaudium , quod potuit esse votiuum:

* peruenerit DE PECVNIAIN CONSECRATIONE SOLVENDA.

* idoneos

* nos

POENA SEQVATVR HEREDES.

APERTA VIA ACCVSATORIBVS

* approbatione

[a] *Apud Cassiod. lib. 9. epist. 16.*

*noscitur

tiuum : alioqui læsionis causa nascitur*, si beneficia potiùs occultantur. Dudum siquidem A Senatus amplissimus à splendore suo cupiens maculam fœdissimæ suspicionis abradere, prouida deliberatione constituit, vt in beatissimi Papæ consecratione nullus se abominabili cupiditate pollueret ; pœna etiam constituta, qui talia præsumere tentauisset. Non iniuria : quia tunc electi verè meritum quæritur, cùm pecunia non amatur. Quod nos laudantes & augentes inuentum, ad beatissimum Papam direximus constituta, quæ his antelata perfulgent, vt ab honestate sanctæ Ecclesiæ profanus ambitus auferatur. Hoc nos ad

EDICTVM REGIS ANTE ATRIVM S. PETRI AFFIXVM.

notitiam Senatus & Romani populi volumus sine aliqua dilatione perducere, quatenus cunctorum figatur cordi, quod cupimus omnium studio custodiri. Verùm vt Principale beneficium & præsentibus hæreat sæculis & futuris, tam definita nostra, quàm Senatusconsulta tabulis marmoreis præcipimus decenter incidi, & ante atrium beati Petri Apostoli in testimonium publicum collocari. Dignus enim locus est, qui & glorioſam mercedem no- B stram, & Senatus amplissimi laudabilia decreta contineat. In quam rem illum direximus: quo redeunte, noscamus impleta quæ iussimus. Incertum enim videtur habere quod præcipit, cui rerum effectus tardiùs innotescat.] hactenus mandatum Præfecto Vrbis datum, ad quem etiam de relaxandis à vinculis duobus nobilibus Romanis ciuibus, agente pro illis eodem Ioanne Papa, rescriptum [a] extat. Sed de Ioannis Papæ rebus gestis hoc anno iam satis : ad Iustinianum recurrat oratio.

[a] *Apud Cass. siod. Var. li. 9. epist. 17.*

Hoc ipso anno, cùm idem Imperator tertium gereret Consulatum, vbi cum Persis pacem firmauit, comparata classe aduersus VVandalos, ipsis expugnatis, Africam ab illis possessam Romano recuperauit Imperio, ducto captiuo, qui regnum Hilderici inuaserat, Gilimere. De his cùm simus acturi, temporis in primis ratio est ineunda atque firmanda, cùm

DE TEMPORE QVO VICTI SVNT VVANDALI.

sciamus apud Marcellinum Comitem, qui his temporibus vixit, hæc referri ad quartũ Iu- C stiniani Consulatum, nempe anno sequenti, sub quo ista habet: Prouincia Africana, quæ in diuisione orbis terrarum à pleriſque in parte tertia posita est, volente Deo, vindicata est. Carthago quoque ciuitas eius, anno excisionis suæ nonagesimosexto, pulsis deuictisque VVandalis, & Gilimere eorum Rege capto & Constantinopolim misso, quarto Iustiniani Principis Consulatu, ipsius moderatione recepta est, suaque cum patria firmiùs quàm dudum fuerat, redintegrata.] hæc Marcellinus sub dicto quarto Imperatoris Consulatu, anno sequenti. Verùm secundùm initam ab eo rationem temporis captæ Carthaginis, dum numerat ab eo tempore annos nonagintasex ; dicendum esset, non sequenti, sed post sequentem, nempe anno Domini quingentesimo trigesimoquinto à Iustiniano captam Carthaginem, quam olim à Genserico expugnatam vidimus anno Domini quadringentesimo trigesimonono, vt præter Prosperum idem ipse Marcellinus affirmat. Verùm ne summæ so- D cordiæ Marcellinum arguas, vt in iis rebus, quas ob oculos habuit, ita fuerit hallucinatus: dicam in eius Chronicon mẽda potiùs irrepsisse: in promptu est enim qui eum errasse conuincat Iustinianus, quem præstat audire ; qui in constitutione hoc anno sub tertio ipsius Consulatu edita decimoseptimo Kal. Ianuarias ista habet eius exordio [b] :

[b] *l. 1. ff de cõfirm. Digest.*

Tanta circa nos diuinæ humanitatis est prouidentia, vt semper æternis liberalitatibus nos sustentare dignetur. Post bella enim Parthica æterna pace sopita, postque VVandalicam gentem ereptam, & Carthaginem, immo magis omnem Libyam Romano Imperio iterum sociatam, &c.] ad finem eadẽ his verbis : bene autem properauimus in tertium nostrum Consulatum & has leges edere: quia maximi Dei & Domini nostri Iesu Christi auxilium felicissimũ cum nostro Consulatu Reipublicæ donauit, cùm in hunc & bella Parthica abolita sunt, & quieti perpetuæ tradita, & tertia pars mundi nobis accreuit : post Europam E enim & Asiam & tota Libya nostro Imperio adiuncta est, & tanto opere legum caput impositum est, omnia cælestia dona nostro tertio Consulatu indulta.] hæc ipse (vt dictum est) decimoseptimo Kalen. Ianuarias sub suo tertio Consulatu : adeò vt nihil sit quod adeò patenti testificationi Imperatoria sanctione firmatæ possit aliquis refragari.

SVB TERTIO IMP. CONS. MAGNA A DEO CONCESSA.

Cùm tot tantaque hoc anno succesſerint ipsi feliciter : cur tantopere annuerit votis Deus, cùm plures reddi possint causæ, quas & superiùs recensuimus : potissima tamen illa videtur, quod hoc anno (vt diximus) negotium tuendæ fidei Catholicæ aduersus iterum insurgentes Nestorianos suscepit, cuius rei gratia honorificentissimam legationem huius anni exordio (vt dictum est) Romam ad Pontificem misit. Res quidem admiratione digna, quòd cùm tantæ expeditioni parandæ totus deditus esset, perinde ac si summo otio frueretur, & nihil nisi de seruanda illibata fide Catholica præterea curandum esset, decernit le-

QVIBVS OPERIBVS IMP. PARARIT SIBI VICTORIAM

A nit legatos, sancit edicta, scribit epistolas, ac denique plusquam opus esse videri posset, publicas edit de fide Catholica sanctiones. His accessit veteris iuris enucleandi & in obseruantiam pristinam reuocandi egregiè nauatum opus: ad postremum additæ ad hæc vigiliæ atque ieiunia, vt ipse in alia antè promulgata constitutione[a] testatur. Ex quibus discant Principes, cùm bellica tractant, quibus operibus diuinum sibi numen concilient, nempe, exemplo Iustiniani, præmissa defensione Catholicæ fidei, legum custodia & obseruantia, Sanctorum cultu, ac demum assiduis ad Deum precibus cum vigiliis atque ieiuniis. Tanta namque tam breui temporis spatio Iustiniano esse concessa, vt vnica expeditione paucorum dierum termino indomitam gentem subegerit, vniuersamque subditam olim Imperio Romano Africam recuperarit, nonnisi ex diuinitus impertito desuper auxilio, omnibus exploratissimum est.

[a] *Constit. Nouel. 30. in fin.*

B Sed quomodo isthæc omnia se habuerint, vt enarremus, præter Procopium copiosiorem habemus neminem antiquorum referentem, neque fideliorem, quem sequamur; cùm ipse sub Belisario militans, omnibus præsens fuerit, & quæ vidit, scriptis ediderit. Verùm haud opus est nobis singula eius assectari vestigia, sed ea tantùm prosequi, quæ ad institutum à nobis susceptum spectare noscuntur. Hoc igitur anno, ipsius Iustiniani Consulatu tertio, veris tempore Constantinopoli è portu soluisse classem Africam versus narrat: sed quibus auspicibus, ab ipso Procopio sic accipe[b]: Iustinianus igitur anno septimo Principatus, in veris initio, nauim prætoriam ad littus iuxta ædes Imperatorias deduci iussit. Tunc Epiphanius ciuitatis Præsul classi de more benedicens ac benè precatus, milites paulo ante baptizatos, nomen profitentes Christianum singillatim in nauim introduxit.]

[b] *Procop. de bello Vvand. lib. 1.*

BENEDICITVR CLASSIS.

Noluit pius Imperator quemquam non plenè Christianum in classe, quam aduersus im-
C pios pietas Christiana ducebat, penitus inueniri: si quis ergo inter scriptos milites inuentus esset adhuc catechumenus, baptismum suscipere iubebatur: sed & Catholicam fidem omnes æquè professos, exomologesimque alios feciſſe, atque ita vniuersum exercitum expiatum Principis voluntate putamus. Sed pergit auctor: Sic itaque Belisarius cum Antonina vxore soluit, cum quibus Procopius etiam auctor huius historiæ fuit, ab initio quidem cunctabundus ac periculum metuens, deinde somnio quodam admonitus, maximè fuit ad iter accensus. Videbatur enim ei in domo esse Belisari: vbi quidam è seruis nunciant, dona esse à quibusdam allata: quæ Belisarius cùm è pergula aspiceret, vidit homines quosdam suprà dorsum triticum cum floribus ferentes, quod deponi iussit in atrio domus: vbi ipse cũ suis militibus accumbens, flores ipsos edebat, qui cibus longè suauissimus est eis visus. hæc somnij summa.] ex quo victoriam esse significatam accepit: per flores enim, quos ipse cum mi-
D litibus pastus est, ingens gloria demonstrabatur, quam cùm suis esset consecuturus; fructus verò cessuros Imperio. Pergit autem Procopius:

VICTORIA PER SOMNIVM OSTENSA.

Igitur classis omnis prætoriam secuta, Perinthum applicuit, quæ nunc Heraclea dicta est: hîc dies quinque consumpti sunt, quod plurimis Ducem equis donauerat, *Imperator scilicet*, è sobole equorum Imperatoria, quæ in Thraciæ locis educatur. Inde soluentes, Abydum perueniunt: ibique dies item quatuor maris tranquillitatem expectandam censentibus, casus contigit huiusce modi. Duo Massagetæ quemdam è sociis vt ebrios irridentem interfecerunt: nam omnium maximè vino dediti Massagetæ sunt. Belisarius igitur ambos hos in Abydi quodam promontorio palo infixit. Quod factum cùm alij, tum ex eorum genere viri maximè ægrè ferre: Belisario dixerunt, se non ex lege aut pœna aliqua coactos, cùm Romanis subditi non sint, sed sponte in exercitu esse: tali igitur supplicio non esse apud eos
E consuetudinem delinquentes plectere. Cùm his itaq; plures consensere, qui maximè propter scelera, impunita esse delinquentium peccata cupiebant.

BELISARIVS SEVERE PVNIT EBRIOS HOMICIDAS.

Belisarius igitur vniuersum congregans exercitum, hæc alloquitur: Si nunc apud vos belli expertes ac nunc primùm militantes verba haberem, longa mihi opus esset oratione ad enarrandum quantam vim habeat ad victoriam obseruatio iustitiæ. Huius disciplinæ summam, tum pugnæ finem atque fortunam imperiti in dextris consistere tantùm existimant. Vos autem, qui sæpè inimicos vicistis neque corporibus neque viribus vobis inferiores, sæpè etiam victi fuistis, non ignorare puto, quòd homines quidem vtrinque ex acie inter se dimicant, finem verò tantùm quem Deus voluerit consequuntur. Nam & corporis prosperitatem, & armorum diligentiam, ceteramq; belli præparationem longè inferiora iustitia & in Deum obseruantia esse, non dubium: quam si quis sectatus fuerit, magis ei quàm ex supradictis felicitas obuenerit. Prima igitur iustitiæ cura, iniustè interfectos vlcisci. Si enim

CONCIO BELISARII DE IVSTITIA CVSTODIENDA.

iusti & iniusti iudicium in eos exerceri qui ptope nos sunt, prætereatur; nullus iam metus erit: vilis admodum fuerit homini animæ ratio. Si quis enim barbarus proximũ per ebrietatem occiderit, ac venia propterea postulata, se crimine solutum dixerit: peccata licentia longè fuerint peiora. Neque enim vlla ratione fas ebrium esse, multo minùs in exercitu militi proximos ob id interficiendo. Ipsa enim per se temulentia, vel cæde non consequente, pœna est digna: quanto magis si ea consequatur, multo item magis in proximum, quàm alienum. Exemplum itaque facti quale sit, & quàm detestabile, ipsi conspicitis. A

PROBATVR REVERITAS BELISARII. Vos ergo manibus temperare, ab iniuriaque abstinere opus. Nec putatote me conniuentem, iniustum quoquo modo toleraturum; neque illum quamuis hostibus formidolosum ac terribilem, qui alioquin manibus in hostes puris non feratur, vllo modo commilitonem putaturum; cùm frustra sit fortitudo, vbi iustitia defuerit.] hactenus concio Belisarij pro iustitia in exercitu seruanda. Subdit verò Procopius: Vbi Belisarius finem dicendi fecit, exercitus omnis & verba Imperatoris non contemnenda considerans, & illorum supplicia spectans, timore corripitur; iamq; ex illo frugi esse, & ex æquo inter se viuere apud talem Ducem non iniusta passurum cogitabant.] B

RES GERMANORVM DEPLORANTVR. Ita quidem seueritate in suos adhibita, strauit sibi per sobrietatem atque iustitiam viam ad vincendos inuictos hactenus hostes. Ista ego considerans, & ad præsentia tempora conuertens oculos, eadem planè deploratissima facile sentio, vbi Christianorum exercitus impietate atque ebrietate corruptos intueor, & damna contemplor, quæ passi sunt Germani ab infidelibus Turcis: vnico tantùm illo remedio subleuandi, si eosdem obsignatos fide Catholica milites, sobrios redditos Belisarius alter ducat: fore tunc quidẽ, vt iidem recepto & integrato pristino robore, quo didicerant quoque superare Romanos, facillimè victores quosque vincerent, atque fortissimos debellarent. Sed quẽ non videm reddat impietas (cùm fugiat[a] impius, etiam nemine persequente) quemve non emolliat, frangat, atque sternat ebrietas? Præsentium itaque rerum miserrimus status ista obiter deplorare, & ex imo pectore deducere suspiria importunè coegit. Sed cœpam historiam prosequamur. C

[a] *Prou.* 28.

CLASSIS APPVLSVS ET AQVAE INVENTIO. Postquam Procopius varios casus, qui in ea naugatione contigerunt, enarrauit; post tres menses, ex quo soluerant Constantinopoli, ad littus Africanum classem refert appulsam in locum qui nouem dierum itinere à Carthagine procul aberat in prouincia Byzacena. E Byzantio igitur cùm Byzacium feliciter peruenissent, tale quid memoria dignum factum accidisse narrat, ex quo plurimùm Dei prouidentia & benignitas erga suos commendata est:

Vbi autem (inquit) fossa castrorum fodiebatur, miraculo quodam animaduersum: aquæ multum sub terra erupit, numquam priùs apud Byzacium visæ, vt locum perpetuò siccum: hæc igitur tunc cunctis hominibus & animalibus suppeditauit. Procopius verò simul cum Duce lætatus, ait non ob aquæ vsum atque copiam se gaudere, sed ob auspicium victoriæ facilis & paruo negotio consecuturæ cælicolas voluisse significare: quod profectò euenit.] D

[b] *Procop. de ædific. Iustin. Imp. orat. 6.*

cuius miraculi testificationis causa, Iustinianus Imperator (alibi inquit Procopius[b]) statim diuini doni testimonio confirmatus, id consilij cepit, vt locus ille in vrbem trãsferretur muro firmatam, & alio apparatu in felicis vrbis cumulum descriptam.]

SVMMAE BELISARII IVSTITIAE EXEMPLVM. Quod verò die sequenti acciderit factum, ex quo Belisarij summa enituit in exercitu ducendo iustitia, accipe ex eodem Procopio, qui mox ista subiungit: Die sequente, postquam militum quidam in agros discurrentes fructus attigerũt: eos ignominia notatos conuocans Belisarius sic est allocutus: Vim afferre & alienis pasci, turpe semper ac probrosum videtur, &c.] Tale autem exemplum, quo iustissimi Ducis Belisarius specimen edidit, ea planè haud modici leuisque momenti vtilitas consecuta est, vt (quod idem auctor subdit) Afri non sicut hostes, sed sicut amicos Romanos haberent, spontaneamque illis ministrarent annonam, & ipsi vice versa pretium soluerent, fidelissimosque se illis in omnibus exhiberent: qua securitate Carthaginem vsque progressi fuerint; vbi Duces Belisarij, diuinitus oblata occasione benè pugnandi, bis vicerint obuios hostes: cùm interea Gilimer tyrannus necari fecit in carcere Hildericum Regem, & socios, qui cum ipso eadem ex causa captiui detinebantur. E

DE TEMPORE APPVLSVS CLASSIS. Quonam autem mense vel die anni huius contigerit classis aduentus, & visa sit contra Carthaginem: ex his quæ inferiùs Procopius habet, satis intelligere possumus, nempe fuisse diem decimamquintam mẽsis septembris, qua natalis sancti Cypriani Carthaginensis Episcopi anniuersariæ vigiliæ agebantur: vt ex hoc magis diuina id prouidentia factum ex Sanctorum patrocinio, qui creberrimis id precibus implorarint, omnibus innotesceret:

quod

A quod & præcedens oraculum relatum superiùs significauerat. Eo namque die, quo eiusdem Sancti (vt dictum est) vigiliæ agebantur, aduenit classis: ex cuius aduentu tanta est parta fiducia Africanis, vt iidem templum illud ad Decimum positum, in quo erat sepulchrum S. Cypriani, detentum ab hostibus inuadentes, sibi, pulsis VVandalis, vindicarint, summaq; tranquillitate more pristino diem festum natalis eiusdem martyris sanctissimi Cypriani solemniter celebrarint. Sed audi rursus ipsum, qui in exercitu erat, Procopium cœptam historiam prosequentem his verbis:

Postquam autem Iustiniani classis aduenit, dies erat secuturus, in quo festum consue- S. CYPRIANI TEMPLVM SIBI VINDICANT AFRICANI.
tum reuertebat. Sacerdotes tunc Christiani, quamquam Ammatas ad Decimum contra
nostros veniret (*hic erat germanus Gilimerus tyranni, qui ducebat partem exercitus VVandalorum*) in spem erecti, protinus pulsis Arianis, templum recipiunt, lustrationibus curant, su-
B perstitionibus purgant: donaria quæ pulcherrima essent, tholo suspendunt, lychnos præparant, aurea vasa, omnemque pretiosam & sacram supellectilem è sanctuariis promentes reconcinnant, diligenterque in ordinem restituunt, vt cùm opus, sint vsui parata. Hæc apud Decimum gesta, vt mihi relatum. Christiani igitur reliqui, quibus ex opinione res pulchrè successit, templum & ipsi adeuntes, lychnos accendunt; sacerdotibus, quibus ex lege cura est horum, præsto adsunt.] hæc Procopius. Sic igitur mirando quodam modo antè contigit celebrari triumphum, quàm adipisci victoriam, quæ tamen celeriter est diuina ope secuta, cùm Ammatas ad dictum locum Decimum nuncupatum aduenientes, ibi cum Ioanne Præfecto Prætorio, qui copiarum partem iussu Belisarij antè deducebat, manus conserens, occisus est, conuersis in fugam ceteris qui secum erant, quorum ab insequentibus eos Romanis magna strages facta est: quo ex facto rem vniuersam Romanis benè ces-
C sisse, idé Procopius tradit: cùm videlicet Gilimer Rex victoriam præ manibus habens, consternatus morte germani, à cœptis desistens, aduersariis reparandi vires & cum impetu hostes inuadendi tempus præbuit & occasionem: cùm & ipse diuino quidem consilio, veluti vertigine quadam mentis arreptus, in fugam actus vnà cum suis ad Bulæ campum diuertens, seclusus ab vrbe, occasionem præbuit, vt Carthaginenses portas ciuitatis Belisario aperirent.

Sed magna tunc enituit Belisarij Ducis prudentia, cùm ea nocte continuit exercitum ex- BELISARIVS POTITVR CARTHAG.
tra mœnia: ne noctu ciuitatem ingrediens, præberet militibus occasionem cuncta rapina
& cæde vastandi. Curæ enim illi summæ fuit, vt qui venisset VVandalos debellare, liberaret Afros captiuitate detentos. nam audi Procopium: Die sequenti (*ipse est dies natalis sancti Cypriani martyris*) pedites omnes è munitionibus vnà cum Belisarij vxore adfuere, vna-
D que omnes Carthaginem contendimus: quò cùm vespere peruenissemus, extra vrbem sub tentoriis ea nocte fuimus, quamquam nemine ingressum prohibente: Carthaginenses enim portas illico aperuerunt, lumina vbique dispposuerunt, ignes nocte tota per vrbem accenderunt: VVandali qui relicti erant, ad templa supplices cõfugerunt. At Belisarius statim rem ita disponit, vt tam ex hostibus quàm ex nostris insidias vtrinque prohiberet, ne per noctis tenebras latentes in rapinam & direptionem venirent.

Hac insuper nocte naues, Euro spirante, ad promontorium sunt actæ: quas vbi Cartha- LIBERANTVR E CARCERE VINCTI.
ginenses conspexere, ferreas catenas portus, quem Mandracium vocant, trahentes, faci-
lem classi aditum fecerunt. Est autem in domo regia carcer, vbi omnes miseri supplicio
destinati à tyranno concludebantur: inter quos mercatores fuere plures eius temporis,
qui ad bellum Gilimerem cuntem iuuare opibus rogati fuere, eaque die perituri erant,
E qua Ammatas apud Decimum interiit, in tantum venere discrimen. Huius igitur carceris custos vbi hæc apud Decimum gesta audiuit, tum intra promontorium classem iam vidit; intus ingrediens, eos qui numquam ad eam diem ex quo capti fuere, bonum nuncium audiuere, sed in tenebris constituti, mortem quoque expectabant, interrogat, quid ex eorum substantia concessuri essent his qui eos liberarent. At illi protinus respondent: quæcumque velint. Ipse autem nihil se dixit aliud ab eis velle, quàm omnes iurare, si inde aufugerent, ei in periculo constituto, omnibus viribus se auxilio adfuturos. Illi verò sic egerunt. Ipse autem rem omnem manifestans, fenestrasque ex ea parte, quæ mare prospiciebat, aperiens, classem nostram ostendit: nec mora, cum eisdem è carcere liberatis simul abiit.] ista Procopius.

Post hæc autem, vnitis VVandalorum copiis, Gilimer cum fratre Zanzone, quem ex Sardinia reuocauit, Carthaginem obsidere parauit: progressus est aduersus eos obuiam cum exer-

exercitu Beliſarius; quos inuentos centum quadraginta ſtadiis apud Tricamacam caſtra habere, ad prœlium prouocauit, congreſſiſque ſimul exercitibus, in ea pugna Regis frater Zanzon occiditur, tandemque VVandalorum caſtra ſunt expugnata, Gilimere fuga lapſo. hicque finis anni huius victoriæ: nam contigerunt hæc poſt dimidium menſis Decembris, vt idem Procopius tradit, vbi ait[a]: Hæc igitur omnia, appulſus claſſis, pugna, inſecutio, Carthaginis recuperatio, & caſtrorum expugnatio tribus facta ſunt menſibus, terminata ipſa poſt dimidium menſis Decembris.] atque hîc finis præſentis anni memorabilium rerum geſtarum in Africa à Romanis vindicata poſt annos nonagintaquinque, non ab expugnatione Carthaginis, ſed ex quo VVandali Africam poſſederunt. A

[a] Procop de bello VVand. lib 2.

Mira quidem diuina prouidentia factum fuiſſe, alibi Procopius[b] narrat, vt VVandali omnia propugnacula & loca munita Africæ, excepta Carthagine, muro cincta, ne Africanis rebellandi aliquo modo animus eſſe poſſet, mœniis omnibus atque munitionibus ſpoliauerint; quibus ita inuentis, abſque aliqua obſidione omnibus Beliſarius eſt potitus, qui mox eadem muro cingenda & munienda curauit. Profuit igitur magnopere Romanis conſilium VVandalorum, vt paucis diebus vniuerſa Africa VVandali priuarentur, nulla exiſtente munitione, qua ſe protegere potuiſſent. Hæc conſiderans qui interfuit ipſe Procopius, in hæc verba admiratus erumpit[c]: B

[b] Procop de ædific. Iuſtin. Imp. orat. 6.

SIBI IPSIS VVANDALI MALVM INTVLERE.

[c] Procop. de bello VVand. lib. 2.

PROCOPII ADMIRATIO.

Hîc tandem philoſophari licet, ac res humanas penſare: nequicquam omnino deſperandum, quin in omni ſæculo ſemper meliora ſperare liceat, donec ipſæ hominũ fortunæ fuerint. Et quæ dictu factuq; difficilia & fieri poſſe minimè videntur, audentibus ſæpe ad effectum adducuntur, ita vt admiratione multa ſint digna, quemadmodum hic contigit. Nam ſi talia vnquam euenerint, non habeo dicere. Quartum enim à Genſerico ſucceſſorem venientem, eiuſq; regnũ opibus multis ac militum robore florens à quinque millibus hominum aduenarum, portu, ſtationeq; carentium, tam breui tempore diſſolui atque ruere (tantus enim equitum numerus, qui Beliſarium ſunt ſecuti, & toto hoc tempore bellum ſuſtinuere) ſiue fortunæ, ſiue virtuti ſit aſcribendum, iure quis ita euenisſe mirabitur.] hæc Procopius. Sed mirantem ipſum, cunctantemq; certa ſententia definire, fortunæ ne tanta iſta, an virtuti ſint tribuenda, miramur: cùm haud dubium eſſe poſſit, facta eſſe hæc nutu diuino, cùm tot tantiſque piis operibus Principem ad hæc peragenda conciliaſſe ſibi diuinum numen, ex his quæ ſuprà retulimus, ſatis ſuperque pateat. C

DE NAVALI VICTORIA SVB PIO PAP. QVINTO.

Vidimus planè, Diuinitate propitia, diebus quoque noſtris iſta miracula; quid piæ preces, ſanctificato bello ex diuinarum legum præſcripto, in re bellica valeant; & quid conferat, ſi pugnantibus aduerſus Amalechitas Iſraëlitis, Moyſes ad Deum ſupplices manus expandat. Quænam, rogo, vel tenuis poterat eſſe ſpes, Turcarum claſſem ſemper inuictam, & ex recenti victoria, capta inſula Cypri, exultantem, inſultantemque Fidelibus, potuiſſe à Chriſtiana ſancto fœdere iuncta claſſe vinci, vincirique vniuerſam, atque integram, perpaucis tantùm fuga lapſis triremibus, paucarum horarum ſpatio in portum deduci captiuam; reclamantibus præſertim aliquibus è ſummis Ducibus, haud res omnes Chriſtianorum vni iactui aleæ committendas? Cùm ſanctiſſimus ille Summus Dei Sacerdos, Eccleſiæ Catholicæ Princeps, totiuſque Chriſtianæ religionis Antiſtes, Romanus Pontifex Pius Quintus poſt primum miraculum illud (ita viſum ſapientibus) quo adeò diuerſas mentes in diuerſa contrariis ſtudiis agitatas in vnum coniunxit, ſanctoque fœdere ſtrinxit: adiecit, vt piis ad Deum precibus Ducum conſilia inter ſe pugnantia diuino quodam impulſu mutarit, & quantumlibet longè abſens, inuitos ac refragantes diu licet, vno momento alacres ad ineundum difficillimum nauale certamen impulerit, atque demum inſperatam illis à Deo victoriam impetrauerit. D

At nónne huic ſimile, quod præſenti anno, quo iſta deſcribimus, præter omnem ſpem vidimus eſſe factũ? vnum Tranſiluaniæ Orthodoxum Principem exiguo militum numero, ſi cõpares cum numeroſiſſimis Turcarum copiis, tendentibus ad cælum manibus cũ Summo Pontifice Catholicis omnibus, debellaſſe prouincias, expugnaſſe munitiſſima loca, ipſumq; ſemper inuictũ Orbi tremendum copioſiſſimũ Turcarum exercitũ crebris inſultibus laceſſiſſe, atque demum quàm ignominioſiſſimè terga vertere coëgiſſe? At longiori indigent iſta tractatu: hæc modò obiter occaſione Procopij nimis abiectè de Dei prouidentia ſentientis; cùm ipſa ſemper rebus humanis inuigilet, & Fidelium precibus ſanctiſq; operibus ſæpe concedat, quæ etiam mortalium exiſtimationẽ excedant, ſecũdùm illud Prouerbiorũ[d]: Equus paratur ad diem belli: Dominus autem ſalutem tribuit.] Sed iam reliqua proſequamur. E

[d] Prou. 21.

Renun-

CHRISTI 533. IOANNIS PAP. 2. IVSTINIANI IMP. 7. ATHALARICI REG. 8.

A Renunciata autem tanta hæc fuisse Constantinopoli de recuperata vniuersa Africana prouincia, antequam præsens annus elaberetur: argumento sunt constitutiones [a] Iustiniani Imperatoris, quarum superiùs meminimus, de confirmatione Digestorum datæ hoc anno sub tertio Consulatu eiusdem Imperatoris, decimoseptimo Kal. Ianuarij, in quibus de recuperata cum Carthagine Africa vniuersa narratur. qua item die & Consule data legitur constitutio de iuris docendi ratione: quæ verò loco præfationis Institutionum libris præfigitur ad iuuentutem legum cupidam epistola; post sex dies data reperitur, nempe vndecimo Kal. Ianuarias (licet vulgata editio habeat vndecimo Kalendas Decembris) hoc anno sub eodem suo ipsius Consulatu tertio: in quibus omnibus cum iure eluceat titulus VVandalicus & Africanus ob VVandalos hoc anno deuictos & Africam recuperatam; reliqui tamen, vt Alemannicus, Gothicus, Francicus, Alanicus, postea adiecti fuisse videntur: etenim
B nullum hactenus cum his populis fuit Iustiniano certamen.

[a] *l. 1. & 2. ff. de confirm. Digest.*

LIBRI DIGESTORVM ET INSTIT.

Sic ergo ad huius anni finem constat post tot accepta à Deo beneficia edita esse volumina Institutionum ac Digestorum: quod & disertis verbis ipse Imperator profitetur in fine posterioris constitutionis de confirmatione digestorum his verbis: Hæc igitur volumina (Institutionum & Digestorum dicimus) in fine nostri tertij felicissimi Consulatus suum robur obtinere sancimus, id est, ex ante III. Kal. Ianuariarum præsentis duodecimæ Indictionis in omne æuum valitura, & cum Imperialibus constitutionibus vigorem, &c.] paulo verò pòst rememorans accepta hoc anno à Deo beneficia, ista habet: Quem quidem Consulatum tertium nobis nominatissimum dedit Deus, quando & sub ipso pax cum Persis confirmata est, & hoc tantum legum volumen repositum est, quod à nemine maiorum vmquam excogitatum fuit: atque ad hæc tertia pars mundi (dicimus autem totam Li-
C byam) nostris adiuncta est sceptris. Hæc omnia à summo Deo & Saluatore nostro Iesu Christo dono * tertio nostro Consulatu indulta.] hæc tam grandia ab ipso Iustiniano reperiuntur sæpiùs inculcata.

DE BENEFICIIS HOC ANNO OBTENTIS.

* Domino

In veteri autem iure enucleando quam Tribonianus cum collegis inierit rationem, idem Imperator explicat in sua constitutione de conceptione Digestorum edita, cuius est exordium: Deo adiutore nostrum gubernante Imperium, &c.] & in superiori constitutione de confirmatione Digestorum nuper citata idem docet verbis istis: Tanta nobis reuerentia antiquitatis fuit, vt neque mutari nomina veterum Iureconsultorum sustinuerimus, sed vniuscuiusque illorum appellationem legibus inscripsimus: mutantes quidem si quid iam habere visum est non rectè, partes iuris illas nunc tollentes, has nunc addentes, &c.] & inter alia quæ erant ab Vlpiano & aliis aduersus Christianos responsa, illa esse sublata, secun-
D do Annalium tomo diximus. quod etsi rectè factum negari non possit; consultum tamen antiquitati fuisset, si codices omnes illi, ex quibus & libri Digestorum & Codex collecti sunt, non minori fuissent diligentia custoditi. Porrò totum hunc laborem in libris Digestorum atque Institutionum conficiendis quatuor ferme annis absolutum fuisse, data ab eodem Imperatore prima constitutio, qua id præcipit, docet: etenim scripta habetur ipsis Kalendis Ianuarij, Lampadio & Oreste Consulibus, qui est annus Domini quingentesimus trigesimus. At de his hactenus.

NON PLENE ANTIQVITATI CONSVLTVM.

Ad finem insuper anni huius idem Iustinianus Imperator iustitiæ cultor exactissimus edidit sanctionem [b] aduersus eos, qui sacris virginibus vel viduis violento raptu ignominiam irrogassent, seueriissimam illam quidem, ne eiusmodi sacrilegiis Deus tot beneficiorum conciliator in vltorem conuerteretur: probè ostendens, iisdem iustitiæ operibus, qui-
E bus adepta sunt, esse conseruanda impertita diuinitus beneficia. Sed iam de rebus gestis hoc anno satis.

[b] *l. 54. C. de Episc. & cler.*

IESV CHRISTI ANNVS 534. IOANNIS PAP. ANNVS 3. IVSTINIANI IMP. 8. ATHALARICI REG. 9.

QVi tot à Deo dona suo tertio Consulatu Iustinianus est consecutus, hoc sequenti anno Domini quingentesimo trigesimoquarto quartum auspicatus est Consulatum, nactus collegam Paullinum Iuniorem, quem Romanus Senatus Athalarici Regis voluntate delegit. Extat eiusdem Regis ad Senatum epistola [c] de eodem Consulatu Paulini, quem ex

[c] *Apud Cassi. Var. lib. 9. epist. 23.*

DECONSVLATV PAVLINI.

Deciorum familia, filium verò Venantij Patricij fuisse tradit: de cuius laude plura locutus, hæc de gloria ex impertita frequentiùs eius filiis dignitate Consulatus: Si homines (inquit) ornat semel accepisse palmatam: quid ille censendus est, qui tot meretur in filiis Consulatus? Et ideo, Patres conscripti, alumnum vestrum Paulinum laurea dignitate vestimus; vt iuuentus eius, quæ fulget meritis, trabea quoque resplendeat triumphali. Hunc honorem Deciorum familia non miratur; quia eorum plena sunt atria fascibus laureatis. Aliis rarò dignitas ista contigit; in hoc decursu generis pene nascitur Consularis, &c.] Exstat itidem ad eumdem Paulinum de collato ipsi Consulatu eiusdem Regis epistola [a], vbi pluribus agit de nobilitate Deciorum antiquæ familiæ his temporibus florentissimæ, qua dicit Romanam curiam esse refertam.

[a] *Apud Cassi. Var. lib. 9. epist. 22.*

Aui namque vestigiis illis prioribus sibi insistendum Athalaricus Rex, consilio vsus matris Amalasunthæ, iure putauit, vt de nobilibus Romanis ciuibus benemereretur: quamdiu enim id ipse præstitit, res felicissimè progressæ sunt, secus verò vbi tyrannicè illis est vsus. Quamobrem hoc item anno, duodecima indictione, Aurelius Cassiodorus Senator ab eodem Rege auctus est amplissima dignitate Præfecturæ Prætorij, de qua ad eumdem extat eiusdem Regis epistola [b], vbi post multa in ipsius laudem ex magistratibus bene perfunctis hæc habet: Quapropter iuuante Deo, quo auctore omnia prosperantur, ab indictione duodecima in Præfecturæ Prætorianæ te suggestu atque insignibus collocamus.] Verùm scias, non ipsis Ianuariis Kalendis, quibus Consules, sed ante, Præfectos Prætorios donari solitos Præfectura: nam Natali die Domini, idem qui creatus erat Præfectus Prætorio, præfectorios creare consueuerat magistratus. est de his eiusdem Cassiodori attestatio, cùm in erogandis officiis ista præfatur [c]: Si hodierno die redemptionis inuenimus natale remedium, si cælesti beneficio panditur spes salutis: conuenit etiam nos, &c.] Quanta autem vir iste clarissimus enituerit pietate, præter illa quæ de eo dicta sunt, præsens magistratus ostendit: insignitus enim tanto munere Cassiodorus, ad Ioannem Romanum Pontificem, eius implorans ad Deum preces pro bono regimine, ista conscripsit [d]:

[b] *Apud Cassi. Var. lib. 9. epist. 24.*

[c] *Cassio. Var. lib. 11. epi. 17.*

[d] *Cassio. Var. lib. 11. epist. 2*

EPIST. CASSIOD. AD IOAN. PAP.

Supplicandum vobis est, beatissime Pater, vt lætitiam, quam per vos, Deo largiente, percepimus, custodiri nobis vestris orationibus sentiamus. Quis enim dubitet, prosperitatem nostram vestris meritis applicandam, quando honorem adipiscimur, qui à Domino diligi non meremur, & permutatione efficaci bona recipimus, dum talia non agamus? Ecclesiasticis siquidem ieiuniis fames est exclusa popularis; decoris lacrymis tristitia fœda discessit; & per sanctos viros acceleratum est, ne traheretur diutiùs quod grauabat. Et ideo salutans officiositate qua dignum est, precor vt viuaciùs oretis pro salute regnantium: quatenus eorum vitam cælestis Princeps faciat esse longæuam, Romanæ Reipublicæ hostes imminuat, tempora tranquilla concedat: deinde quod ornat pacem necessariam nobis copiam de abundantiæ suæ horreis largiatur: mihique filio vestro intelligentiæ sensus aperiat; vt quæ verè sunt vtilia, sequar; quæ vitanda, refugiam: vigor ille rationabilis animæ nobis consilium præstet; facies veritatis albescat, ne mentem nostram innubilet caligo corporea sequamur quod intus est, ne foris à nobis simus: instruat quod de vera sapientia sapit; illuminet quod cælesti claritate resplendet; talem denique Iudicem excipiat publicus actus, qualem filium Catholica mittit Ecclesia: in suis nos etiam muneribus virtus sancta custodiat: quia grauiores insidias antiqui aduersarij tunc subimus, quando eius dona suscipimus.

Nolite in me tantùm reiicere ciuitatis illius curam, quæ potiùs vestra laude secura est. Vos enim speculatores Christiano populo præsidetis: vos Patris nomine vniuersa diligitis. Securitas ergo plebis ad vestram respicit famam, cui diuinitus est commissa custodia. Quapropter nos decet custodire aliqua, sed non omnia. Pascitis quidem spiritualiter commissum vobis gregem: tamen nec ista potestis negligere, quæ corporis videntur substantiam continere; nam sicut homo constat ex dualitate, ita boni patris est vtraque refouere. Primùm penuriam quidem temporis, quam delicta promerentur, orationibus sanctis amouere. Si quid tamen (quod absit) acciderit, tunc bene necessitas excluditur, quando contra eam sub vbertate tractatur.

BONVS PASTOR CVM ANIMA PASCIT ET CORPVS.

PRAEFECTI PROVINCIARVM DISCIPVLI SVNT PONTIFICVM.

Monete me quæ sunt gerenda solicitè: bene agere vel correptus exopto: quia difficiliùs errat ouis, quæ voces desiderat audire pastoris; nec facilè efficitur vitiosus, cui admonitor insistit assiduus. Sum quidem Iudex Palatinus, sed vester non desinam esse discipulus: nam tunc ista rectè gerimus, si à vestris regulis minimè discedamus. Sed cùm me à vobis

A bis desiderem & moneri consiliis, & orationibus adiuuari: iam vobis est applicandum, si in me fuerit aliter quàm optabatur inuentum. Sedes illa toto Orbe mirabilis proprios tegat affectione cultores, quæ licet generalis mundo sit præstita, nobis * etiam cognoscitur & localiter attributa. * vobis

Tenemus aliquid sanctorum Apostolorum proprium, si peccatis diuidentibus non reddatur alienum; quando Confessiones illas quas videre vniuersitas appetit, Roma feliciter in suis finibus habere promeruit. Nihil ergo timemus, talibus patronis, si oratio non desistat Antistitis. Arduum quidem est multorum desideriis satisfacere: sed nouit Diuinitas magna præstare: ipsa retundat inuidos: ipsa nobis faciat ciues cælesti aspiratione gratissimos, & supplicationibus vestris tempora tribuat, quibus superna gratia prædicetur indulta.] hactenus ad Ioannem Papam Cassiodorus Præfectus Prætorio: quibus planè, quid delecti magistratus ipsô suo exordio functionis agere deberent, admonuit; & tunc dexterè cuncta administrari in præfecturis, cùm se humili obsequio Præfecti subiiciunt sanctis Episcopis, quorum fulti precibus concilient sibi diuinum auxilium. Hæc quidem non ignorans sapientissimus Cassiodorus, non Romanum tantùm Pontificem, sed & reliquos Italiæ Episcopos interpellat, vt orationibus atque ieiuniis agant, & plebem ita instituant, vt quæ in ea Iudex puniat, non inueniat. Extat digna quidem Christiano Præfecto ad ipsos Episcopos eo argumento scripta epistola, quæ ita se habet [a]:

CONFESSIONES APOSTOLORVM.

Corporalium patrum naturalis mos est, de filiorum prouectione gaudere: dum eorum institutionibus applicatur, quicquid laudis in chara prole conceditur. Vos autem spirituales parentes, qui auctorem rerum illuminata mente conspicitis, pro me sanctæ Trinitati sedulò supplicate, vt splendere latè faciat in medio positum candelabrum, quatenus nec mihi interior desit visus, & de me alius pandatur aspectus. Numquid proderit, Iudicem aliis esse perspicuum, si sibi potiùs reddatur obscurus? Dignitatem conscientiæ donet, qui tribunalia conferre dignatus est: faciat inoffensum iudicem ne damnet errantem: sit nobis prosperrimè præsens, vt infausta vitia reddantur absentia: amorem suum tribuat, vt peccandi ambitum miseratus excludat.

[a] *Cass. Var. lib. 11. epist. 5* CASSIODORI PRAET. PRAET. EPISTOLA AD EPISCOPOS

Quapropter animæ verè parentes, affectuosa & probabili petitione vos deprecor, vt indicto ieiunio, Domino supplicetis, qui vitam Principum nostrorum florenti regno protendat, hostes Reipublicæ defensor imminuat, donet quieta tempora, & ad laudem sui nominis copiosa, faciatq; rerum omnium tranquillitatem, vt me vobis reddere dignetur amabilem. Sed quò facilius vestra quoque exaudiatur oratio: estote circa eos, quos destinamus, attenti *. Quod nescimus, nobis non debet imputari. Actus eorum testimonia vestra prosequantur; vt aut laudatus gratiam, aut accusatus apud vos inuenire possit offensam: neque enim nobis imputare poterunt, si delinquunt, quando non iubentur mala dare, vt perperam cogantur accipere. Orphanis, viduisque contra sæuos impetus debent placita præstare solatia; ita tamen, ne (quod accidit) per nimiam pietatem, dum miseris subuenire quæritis, locum legibus auferatis. Nam si aliquid offendit fortè districtum, talia date cunctis monita, vt iura possitis reddere feriata. * attonitl

EPISCOPORVM OFFICIVM PRO MISERIS.

Excludite, sanctissimi, inter immundos spiritus implacabiles vitiorum furores, violentiam temperate, auaritiam depellite, furta remouete, depopulatricem humani generis luxuriam à vestro populo segregate. Sic auctorem iniquitatis efficaciter vincitis, si eius persuasiones de humanis cordibus auferatis. Episcopus doceat, ne Iudex possit inuenire quod puniat. Administratio vobis innocentiæ data est. Nam si prædicatio vestra non desinat, necesse est vt pœnalis actio conquiescat. Et ideo dignitatem meam in omni vobis parte cõmendo, quatenus actus nostri Sanctorum orationibus adiuuentur, qui minus in humana potestate præsumimus. Familiariter etiam mihi suadete quod iustum est. Non solùm callidus adiurator *, quod generaliter debeo, incoactus exoluo: rependo etiam sanctitati vestræ honorificæ salutationis officium, textumq; epistolæ affectuoso fine concludo, vt in mente vestra dulciora remaneant; quia bene sibi animus posteriora commendat.] hactenus ad Episcopos Cassiodorus; quibus quidem, quid sæculi potestates, ipsi magistratus sibi ipsis, quid populo, quid Episcopis, atque in primis diuino cultui debeant, quid etiam Episcopi ipsis magistratibus atque populis præstare teneantur, edocet.

MVNERA EPISCOPORVM ERGA SVBDITOS.

* adiutor, *vel* adiuuator.

Ingentem planè hoc anno famem vexasse Vrbem, tum recitatæ nuper epistolæ, tum aliæ plures ad diuersos ab eodẽ datæ significant. Degens enim ipse Rauennæ, vbi Rex erat, cùm vices suas Ambrosio Romæ delegat, de eadem penuria dum agit, sententiam ipso Cassiodoro

INGENTI FAME VEXATA ITALIA.

[a] Cassio. Var. lib. 11. epist. 5

doro dignam accipe[2]: Procul enim sit (inquit) vt aliquo eius ciuitatis esuriente, satiemur. A Illorum indigentia nostra penuria est. Quid plura? læti esse non possumus, nisi & illos gaudentes communiter audiamus.] Extat etiam eiusdem eo argumento, dum eadem fames vrgeret, ad Datium Mediolanensem Episcopum hæc epistola[b]:

[b] Cassiod. lib. 11. epist. 17. CASSIOD. EPIST. AD DATIVM EPISC. MED.

Minus prodest bonum iubere, nisi hoc per viros sanctissimos velimus efficere. Auget enim beneficium voluntas recta iustorum; & quicquid sine fraude geritur, hoc verè donantis meritis applicatur. Decet enim, vt munificentiam Principalem sacerdotalis puritas exequatur: nam cui est studium bonũ de proprio facere, laudabiliter potest aliena vota complere. Et ideo sanctitatem vestram petimus (cuius propositi est diuinis inseruire mandatis) vt de horreis Ticinensibus & Dertonensibus panici speciem (sicut à Principe iussum est) tertiam portionem esurienti populo ad viginti quinque modios per solidum distrahi sub nostra ordinatione faciatis; ne cuiusquam venalitate ad illos perueniat, qui se de populo videntur posse transigere. Accipiat minus habens indulgentiam Principalem. Egentibus visum est, non diuitibus subuenire. Fundit potiùs, qui mittit in plenum: nam illud potiùs reconditur, quod vasis vacuis congregatur. B

Quapropter sanctitas vestra miserationis officia non putet iniuriam: quia totum vobis dignum est, vbi pietas inuenitur: siquidem aliena desideria fideliter gerere, hoc est bona propria perfeciſſe. Ad quam rem, Deo iuuante, procurandam, illum atque illum curauimus festinare: qui sanctitatis vestræ ordinationibus obsecuti, nihil ex se faciant, sed tantummodo vobis obedire contendant. Solidi verò quanti ex supradicta quantitate panici poterunt congregari, vestra nobis relatione declarate, vt apud Arcarium reconditi ad suprà memoratam speciem reparandam, futuris reseruentur, Deo auxiliante, temporibus more vestis rediuiuæ, cuius adunatio per fila resoluitur, vt in nouam faciem splendido potiùs decore texatur[*]. C

[*] taxetur

[c] Cass. lib. 12. epist. 28. COMMENDATA DILIGENTIA CASSIOD.

] hæc Cassiodorus ad Datium sanctissimum Mediolanensem Episcopum, de quo plura inferiùs dicturi sumus. Extat de subleuata inopia eiusdem edictum[c], quo Regis munificentia mirificè commendatur. His addidit etiam prouidus Præfectus Prætorio, vt Episcoporum arbitrio esse voluerit pretium venalium rerum, quas hospites iter agentibus distraherent: habetur enim de his ipsius promulgatum edictum[d]. Sic igitur tanti Præfecti Prætorij industria factum est, vt ab ingruente fame Italia seruaretur: quibus his omnibus satis superque ostensum est, quod vbi magistratus religione nituntur, cuncta feliciter cedant. Sed iam ad res Ecclesiasticas orationem conuertamus, detenti in his occasione magistratuum, qui vnà cum anno sunt progressi, Paulini videlicet Consulis collegæ Iustiniani, & Cassiodori Præfecti Prætorio, digni perenni memoria viri.

[d] Cassiod. lib. 11. epist. 2.

ROM. CONC. OB EMERGENTEM QVAESTIONEM.

Cùm anno superiori (vt vidimus) Iustinianus Augustus ob exortas controuersias in Ecclesia Orientali, potissimùm verò Constantinopoli ob monachos Acœmetas in Nestorianismum dilabentes, duos Archiepiscopos Cæsarienſem & Ephesinum legatos misisset ad Ioannem Romanum Pontificem, quem etiam conueniſſent missi ab aduersa parte legati: Romæ diu multumque disceptatum est, atq; ad conuincendos aduersantes Catholicæ pietati, curatum (vt diximus) fuit, vt etiam à transmarinis eruditis viris, & inter alios à Ferrando diacono Carthaginensi ea de re tractatio scriberetur: demum verò in sacro Patrum consessu, habito de his Romæ Concilio, rogata cuiusque sententia, ex veteri Catholicæ fidei præscripto, quid sentiendum dicendumque esset, fuit firmiter stabilitum: sed & quę ab ipso Imperatore missa erat scripta fidei professio, cognita, examinata fuit, pariterque probata. Cunctis insuper aduersariis sententiis confutatis atque reiectis, ab ipso Romano Pontifice Ioanne scripta est ad Imperatorem epistola, qua missa ab eo fidei cõfessio probaretur: vt ita palàm facta in Oriente Catholicæ & Apostolicæ Ecclesiæ sententia, confirmarentur Fideles, solidarentur infirmi, debilesq; roborarentur; qui autem lapsi essent, scirent se extra Ecclesiam esse, apertum verò sibi aditum patere, si quam nossent probari ab Ecclesia Catholica fidem, eam, abdicata hæresi, vellent amplecti: ceterùm nulla excusatione ampliùs digni essent, neque causari possent, nõ teneri se Imperatoris, vtpote laici hominis, sectari promulgatam de fide Catholica sanctionem; cùm iam quid de his senserit, statueritque Romanus Antistes, ex patentibus ipsius litteris fieret manifestum. D E

IOANNES PAP. SCRIBIT AD IVSTINIANVM IMP.

Scriptis igitur Romæ ad Iustinianum Imperatorem Apostolicis litteris, ipse Ioannes Romanus Pontifex hoc anno sub dictis Consulibus octauo Kal. Aprilis illas dedit legatis opperientibus ibidem opportunum nauigandi tempus: quibus quidem laudauit in primis Summus Pontifex in Catholico Imperatore egregiam pietatem, debitumq; ipsius religio-

nis

A nis cultum, quo prosequeretur Apostolicam sedem, à qua Euangelicam requireret veritatem: Rogauit demum eumdem Augustum, vt quos à recto fidei Catholicæ aberrare itinere sciret, omni adhibito studio reuocaret, & inter alios ipsos legatos à monachis Acœmetis Romam missos. Sed præstat ipsas sancti Pontificis inspicere litteras, quas, vt posteris omnibus perspicuæ semper essent, in recentiori hoc anno facta sui Codicis editione Iustinianus voluit exarari. sunt verò huiusmodi [a]:

[a] *l. 8. C. de sum Trin & fide Cathol.*

Glorioſissimo & clementissimo filio Iustiniano Ioannes Episcopus vrbis Romæ.

Inter claras sapientiæ ac mansuetudinis vestræ laudes, Christianissime Principum, puriore luce tamquam aliquod sidus irradiat, quòd amore fidei, quòd charitatis studio, edocti Ecclesiasticis disciplinis, Romanæ sedis reuerentiam conseruatis, & ei cuncta subiicitis, & ad eius deducitis vnitatem: ad cuius auctorem, hoc est, Apostolorum primum, Do-
B mino loquente, præceptum est: Pasce oues meas. Quam esse omnium vere Ecclesiarum caput, & Patrum regulæ & Principum statuta declarant, & pietatis vestræ reuerentissimi testantur affatus. Patet igitur in vobis impletum fore, quod Scripturæ loquuntur: Per me Reges regnant, & potentes scribunt iustitiam. Nihil est enim, quod lumine clariore præfulgeat, quàm recta fides in Principe: nihil est, quod ita nequeat occasui subiacere, quàm vera religio. Nam cùm auctorem vitæ vel luminis vtraque recipiant, rectè & tenebras respuunt, & nesciunt subiacere defectui.] Sed antequam progrediamur vlteriùs, scito, pie lector, ad huiusceemodi adeò ab Imperatore prædicatas & promulgatas Romani Pontificis super omnes Ecclesias prærogatiuas fremere leguleiorum turbam hæreticorum, secundùm illud Dauidicum [b]: Peccator videbit, & irascetur; dentibus suis fremet, & tabescet.] haud pati valentes, adeò amplissimis notis Imperatorio stylo in perpetuum permansuris
C legibus in ipso fronte Codicis veluti æneis tabulis exarato epitaphio eiusdem Romanæ Ecclesiæ maiestatem & potestatem inspiciendam proponi: quamobrem tantæ lucis radiis caligantes, amicas tenebras captant filij tenebrarum, iniectoque desuper mendacij furuo pallio, negant esse Ioannis Papæ & Iustiniani Imp. has epistolas: aduersus quos ad finem huius narrationis erit fusior disputatio, ex qua cum insciti hæreticorum fraudes & dolos, quibus erubescant, perspicua luce inspicies: modò autem quæ sunt reliqua Ioannis Papæ epistolæ accipe. pergit enim:

ROMANAE ECCLESIAE PRAEROGATIVA.

[b] *Psal. 111.*

Quamobrem, glorioſissime Principum, votis omnibus exorabitur diuina potentia, vt pietatem vestram in hoc ardore fidei, in hac deuotione mentis, in hoc integræ religionis studio sine defectu sui in longiora tempora conseruet: hoc enim & sanctis credimus Eccle-
D siis expedire. Scriptum est enim [c]: Labiis regit Rex. & iterum [d]: Cor Regis in manu Dei est, & vbi voluerit, inclinabit illud. Hoc est enim quod vestrum firmat Imperium, hoc est quod regna vestra conseruat. Nam pax Ecclesiæ, religionis vnitas, auctorem facti in sublime prouectum grata sibi tranquillitate custodit. Neque enim parua ei vicissitudo à potentia diuina tribuitur, per quem nullis rugis Ecclesia diuisa secernitur, nullis insertis maculis variatur. Scriptum est enim [e], quia cùm Rex iustus sederit super sedem, non aduersabitur ei quicquam malignum. Proinde serenitatis vestræ apices per Hypatium atque Demetrium sanctissimos viros fratres & coepiscopos meos reuerentia consueta susceperimus: quorum etiam relatione comperimus, quod fidelibus populis proposuistis edictum amore fidei, pro submouenda hæreticorum intentione, secundùm Apostolicam doctrinam, fratrum & coepiscoporum nostrorum interueniente consensu: quod quia Apostolicæ doctrinæ conuenit, nostra auctoritate confirmamus.

[c] *Apoc. 22.*

[d] *Prou. 21.*

[e] *Prou. 20.*

E Liquet igitur, Imperator glorioſissime (vt lectionis tenor & legatorum vestrorum relatio patefecit) vos Apostolicis eruditionibus studere: cùm de religione Catholicæ fidei ea sapitis, ea scripsistis, ea protulistis, ea populis fidelibus publicastis, quæ (sicut diximus) & sedis Apostolicæ doctrina, & sanctorum Patrum veneranda decreuit auctoritas, & nos confirmamus in omnibus. Opportunum est ergo, voce exclamare Prophetica [f]: Iucundetur tibi & abundet cælum desuper, & effundant montes iucunditatem, & colles lætitia lætabuntur. Hæc igitur in tabulis cordis fideliter scribere, hæc vt pupillam oculorum conuenit obseruare. Neque enim quisquam est, in quo Christi charitas feruet, qui tam rectæ, tam veræ confessionis vestræ fidei refragator existat: cùm euidenter impietatem Nestorij, Eutychetisque & omnium hæreticorum damnantes, vnam veram Catholicam fidem Domini & Dei nostri Saluatoris Iesu Christi magisterio institutam, & Propheticis Apostolicisque prædicationibus vbique diffusam & nostræ doctrinæ consentaneam, inconcusse

[f] *Psal. 95.*

atque

atque inuiolabiliter deuota Deo & pia mente seruetis. Soli etenim professionibus vestris aduersantur, de quibus diuina Scriptura [a] loquitur, dicens: Posuerunt mendacium spem suam, & mendacio operti sperauerunt. Et iterum, qui secundùm Prophetam [b] dicunt Domino: Recede à nobis: vias tuas scire nolumus. Propter quod Salomon dicit [c]: Per semitas propriæ culturæ errauerunt, colligunt autem manibus infructuosa. A

[a] Isaiæ 28.
[b] Hier. 44.
[c] Prou. 4.

Hæc est igitur vera vestra fides, hæc certa religio: hoc beatæ recordationis (vt diximus) Patres omnes, Præsulesque Romanæ Ecclesiæ, quos in omnibus sequimur, hoc sedes Apostolica prædicauit hactenus & inconcusse custodiuit. Huic confessioni, huic fidei quisquis contradictor extiterit, alienum se ipsum à sancta communione, alienum ab Ecclesia iudicabit esse Catholica. Nos enim Cyrum cum sequacibus suis in Romana inuenimus ciuitate, qui de Acœmetensi [*] monasterio fuit: quos Apostolicis suasionibus ad rectam fidem, & velut oues quæ perierant, errantes, ad ouile contendimus reuocare Dominicum: vt agnoscant (secundùm Prophetam [d]) linguæ balbutientes loqui quæ ad pacem sunt. Ad non credentes autem per nos primus Apostolorum Isaiæ Prophetæ [e] verbum dicit: Ambulate in lumine ignis vestri & flammæ, quam succendistis. Sed obduratum est cor eorum (vt scriptum est [f] vt non intelligerent: & pastoris [g] vocem oues, quæ meæ non erant, audire minimè voluerunt. In quibus obseruantes ea quæ ab ipsorum sunt statuta Pontifice, eos minimè in nostra communione recepimus, & ab omni Ecclesia Catholica esse iussimus alienos; nisi errore damnato, doctrinam nostram quantocyus sequi, habita regulari professione, signauerint. Æquum quippe est, vt qui nostris minimè obedientiam accommodant statutis, ab Ecclesiis habeantur extorres. B

[*] Cumitensi Græc. ἀκοιμήτων, sic dicti quasi insomnes.
[d] Psal. 28.
[e] Isaiæ 50.
[f] Psal. 35.
[g] Ioan. 10.

Sed quia gremium suum numquam redeuntibus claudit Ecclesia: obsecro clementiam vestram, vt si proprio depositio errore, & praua intentione depulsa, ad vnitatem Ecclesiæ reuerti voluerint, in vestram communionem receptis, indignationis vestræ remoueatis aculeos; & nobis intercedentibus, benigni animi gratiam condonate. Deum autem & Saluatorem nostrum Iesum Christum exoramus, quatenus longæuis & pacificis vos dignetur custodire temporibus in hac vera religione & vnitate & veneratione Apostolicæ sedis, cuius principatum vt Christianissimi & pij conseruatis in omnibus. Præterea, serenissime Principum, laudamus legatorum vestrorum personas Hypatij & Demetrij fratrum & coepiscoporum nostrorum; quos clementiæ vestræ gratos fore, ipsa manifestauit electio. Nam tantæ causæ pondus nonnisi perfectis in Christo potuisset iniungi: tantæ verò pietatis, tantæ reuerentiæ plenos affatus, nisi per amantes minimè dignaremini destinare. Gratia Domini nostri Iesu Christi, & charitas Dei Patris, & communicatio sancti Spiritus sit semper vobiscum, piissime fili. Amen. *Item subscriptio:* Omnipotens Deus regnũ vestrum & salutem vestram perpetua protectione custodiat, glorioſissime & clementissime fili, Imperator Auguste. Dat. Romæ octauo Kal. Aprilis, D. N. Iustiniano PP. A. & Paulino V. C. Conss.] hactenus Ioannis Papæ ad Iustinianum Imperatorem epistola: quæ autem continet ipsius Iustiniani Imperatoris fidei confessionem, suo loco seorsum superiùs, quo scripta est tempore, recitauimus. C D

IVSTINIANVS EX SENTENTIA EPISCOPOR. CVNCTA DECERNIT.

In hac verò Ioannis epistola potissimùm velim consideres illa ipsius verba, quibus ait: Quorum etiam *legatorum videlicet*, relatione comperimus, quod fidelibus populis proposuistis edictum amore fidei pro submouenda hæreticorũ intentione, secundùm Apostolicam doctrinam, fratrum & coepiscoporum nostrorum interueniente consensu: quod quia Apostolicæ doctrinæ conuenit, nostra auctoritate confirmamus.] attendas ex his, inquam, velim quod ait, non solùm secundùm Apostolicam doctrinam, sed interueniente Episcoporum consensu, illa ab ipso Imperatore esse statuta atq; pariter promulgata: ne putes (quod & superiùs admonuimus) ipsum Iustinianum Augustum in huiusce modi promulgãdis edictis aliquid sibi præter ius fasque temere vsurpasse: cùm in primis in his decernendis Apostolicæ doctrinæ ratio haberetur; inde verò Episcoporum Orthodoxorum, qui aderant, expeteretur iudicium, atque requireretur sententia: ad postremum autem (vt vides) num omnia piè sancteq; in omnibus consentientia essent Catholicæ veritati, ipse qui primarius Ecclesiæ Catholicæ præsideret Antistes, Romanus Pontifex consuleretur, eiusque auctoritas, quæ confirmaret omnia, peteretur: adeò vt nihil his sanctius rectiusque perfici potuerit ab Orthodoxo Imperatore, qui Catholicę fidei patrocinium studio indefesso susceperit. Quòd enim in aliis antè promulgatis de fide Catholica sanctionibus, quibus potiùs quid ipse de Catholica fide sentiret reddi omnibus voluit manifestum, hæc visus esset prætermisisse: E

ne quid

A nc quid deesset ad plenam auctoritatem, ab Episcopis (vt videri potest) admonitus, Romanum Pontificem per litteras atque legatos ex more consuluit; quod tunc facere prætermiserat, cùm non essent qui ex aduerso consurgerent: sed excitatis illis Nestorij defensoribus, non sibi nec Episcopis Orientis satis virium & auctoritatis esse sensit ad cõfutandos hæreticorum errores, nisi accederet Apostolicæ sedis scriptis declarata sententia, quam quæsiuit & promulgauit.

Hic insuper opus est monere lectorem, reperiri in tomis Conciliorum longè prolixiùs scriptum edictum, immo librum (ita enim eum appellat Liberatus diaconus) inscriptum ad Ioannem Romanum Pontificem: quod cùm præ se ferat ipsius fidei rectæ cõfessionem, est tamen veluti catechismus & fidei Catholicæ exacta declaratio, ac de tribus capitulis diu postea in Ecclesia controuersis exacta discussio; cui eiusmodi præfixa reperitur inscriB ptio: Edictum piissimi Imperatoris Iustiniani fidei confessionem continens, & refutationem hæresum quæ aduersantur Catholicæ Dei Ecclesiæ, Ioanni Papæ Secundo transmissum, vt patet in Vita eiusdem Papæ ex libro Pontificali.] at hæc inscriptio alicuius est recentioris auctoris res aut satis exploratas habentis: in libro enim qui esse creditur Anastasij de Romanis Pontificibus nulla penitus mentio de hoc habetur edicto, sed de priori dumtaxat per dictos legatos Romam allato. Sed & scias perperam additum, ipsum missum fuisse ad Ioannem Secundum Romanum Pontificem, quod (vt dicemus) constat tempore Vigilij Papæ conscriptum. hic ille enim est liber, quem aduersus Tria capitula Theodorus Cæsariensis Episcopus ab ipso Imperatore edendum curauit, vt testatur Liberatus diaconus[a], qui & his viuebat temporibus, atque ob oculos ea quæ est testatus habebat: cuC ius pariter libri mentio est apud Vigilij Papæ decretum de damnatione ipsius Theodori Episcopi Cæsarienſis. Sed hæc manifestiora fient suis locis inferiùs, cùm de Tribus capitulis opportuna tractatio erit. Vt autem de his hoc tempore Iustinianus ad Ioannem Pontificem scriberet, nulla penitus ratio exigebat, quòd nec aliqua causa id postularet, cùm nondum de Tribus capitulis altercatio aliqua oborta atque vulgata esset. Contius igitur doctissimus Iureconsultus, dum in appendice ad Iustianianeum Codicem inter alia prætermissa ipsum edictum recitat, in præposita ei à se erudita notatione minime nobis probatur, dum tempore huius Ioannis Papæ ab eodem Imperatore editum tradit: neque dum etiam plus æquo illud commendat, non considerans fuisse in Ecclesia Catholica seminarium dissensionum, quæ diutiùs coalescentes, schismata germinarunt vbique. etenim (vt constat ex Liberato diacono) fuit illud scriptum contra Pelagium sanctæ Romanæ Ecclesiæ diaconum à Theodoro Cæsariensi, cuius sicut nec causa bona præcessit, ita D nec felix finis est consecutus, turbata vniuersæ Ecclesiæ pace; vt ex his quæ inferiùs dicenda erunt, satis perspicuum apparebit. Sed prosequamur iam cœptam de legatis remeantibus narrationem.

EDICTVM IMP. POSTERIVS AD IOANNEM PAPAM FALSO INSCRIPTVM.

[a] *Liberat dia. Breu. c. 24.*

Iustinianus Imperator, reuersus Roma legatis, cùm fidei suæ professionem, Catholicæque fidei rectam sententiam (vt optarat) ab ipsa Apostolica sede confirmatam accepisset: ne ea vllatenus è populi animis elaberetur, sed fixiùs vniuscuiusque menti inhæreret, quod Apostolicæ sedi placuisset: prudenter illud excogitauit, vt eam ad Ecclesiastici cantici rhythmos accommodatam, instar psalmi, Ecclesiis traderet concinendam: id namque ab ipso factum anno sequenti, quo Imperij nonus incipit, Miscella habet, licet Cedrenus anno septimo actum tradat: sed magis illi sententiæ inhæremus, vt non antè id tentatum fuerit, quàm idẽ Imperator acceperit ab Apostolica sede confirmatum fidei suæ E edictũ. fuisse autẽ eius cantici eiusmodi exordium: Vnigenitus Filius & Verbum Dei, &c.] æquè confirmant. Quod enim ipso fermè initio nascentis Ecclesiæ vidimus factitatum, vt Romanorum Pontificum litteras cùm acciperent Orientales, easdem conseruatas in ecclesiis populo publicè lectitarent: ex maiorum vtique disciplina atque exemplo peractum apparet, vt quam sedes Apostolica cognouisset & confirmasset fidei professionem, omnes simul occinerent.

DE CANTICO A IVSTINIANO ECCLESIIS TRADITO.

Sed ad Ioannem Romanum Pontificem redeamus: qui non solùm Iustiniani Imperatoris fidei professionem probauit, sed & aduersantes illi Acœmetas monachos damnauit: idemque, etsi satis esset confirmasse scriptam ab Imperatore fidem, tamen eo argumento adhuc longiorem tractationem aggressus scribere, interpellatus inter hæc à doctissimis quibusdam Senatoribus breuiorem eo argumento scripsit epistolam, quæ est huiusmodi[b]:

[b] *Extat to. 4. Biblioth. sanct.*

Ioannes

Ioannes Episcopus Romanus illustribus & magnificis viris Auieno, Senatori, Liberio, Seuerino, Fideli, Auito, Opilioni, Ioanni, Siluerio, Clementiano, & Ampelio salutem. A

IOANNIS PAP. DE FIDE EPIST. AD SENATORES.

Olim quidem, illustres & magnifici filij, ad hoc sententiæ meæ summa constiterat, vt ante iussionem vestram, postquam epistolæ vel dogmatis tenorem cuncta Ecclesia, hoc est, sacerdotum, Senatus, & populi probauit assensus, sub paginali alloquio vestris etiam sensibus intimanda dirigerem. Sed consilij ordinem illa res vertit, quia & dogmati per dies singulos diuinæ Scripturæ subduntur, & imperfecta destinari non poterant in exemplaribus scripta transmitti. Nouimus enim, quod Domino docente præceptũ est, quod pastor diligens gregem, salubria vltro non desistat ingerere: quia res quæ ad salutem animæ pertinet, omnibus necesse est sensibus intimari. Proinde illustres & magnifici filij, quia festinatio non pertulit portitores, vt ea scribi & dirigi potuissent, in continenti tamen, si dictus diuinus fauor arriserit, tam epistolæ quàm dogmatis exemplaria destinabimus. B

* vestris

Nunc autem, ne quid de nostris * sensibus relinquatur ambiguum; quid epistolæ tenor habeat, quid textus dogmatis contineat, breuiter insinuare curaui. Iustinianus siquidem Imperator filius noster (vt eius epistolæ tenore cognouistis) de his tribus quæstionibus orta certamina fuisse signauit: Vtrùm vnus ex Trinitate Christus & Deus noster dici possit, hoc est, vna de tribus personis sanctæ Trinitatis sancta persona: An Deus Christus carne pertulerit, impassibili deitate: An propriè & veraciter mater Domini Dei nostri Christi Maria semper Virgo debeat appellari. Probauimus in his Catholicam Imperatoris fidem, & ita esse, Propheticis & Apostolicis vel Patrum exemplis euidenter ostendimus. Vnum enim ex sancta Trinitate Christum esse, hoc est, vnum de tribus sanctæ Trinitatis personis sanctam esse personam, siue subsistentiam, quam Græci ὑπόστασιν dicunt, in his exemplis euidenter ostendimus. In libro Geneseos [a] per Moysen Trinitas ipsa sic dicit: Ecce Adam factus est tamquam vnus ex nobis. Et item vas electionis Paulus ad Corinthios ita euidenter expressit [b]: Vnus Deus Pater, ex quo omnia, & nos in ipso: & vnus Dominus noster Iesus Christus, per quem omnia, & nos per ipsum. Et in Symbolo Synodi Nicænæ: Credimus in vnum Deum Patrem omnipotentem, & in vnum Dominum nostrum Iesum Christum vnigenitum. C

[a] Gen. 2.

[b] 1. Cor. 8.

Item sanctus Augustinus, cuius doctrinam secundùm prædecessorum meorum statuta Romana sequitur & probat Ecclesia, in libro vndecimo de Ciuitate Dei sic dicit: Credimus & tenemus, fideliter prædicamus, quòd Pater genuerit Verbum, hoc est, Sapientiam, per quam facta sunt omnia, vnus vnum, æternus coæternum, summus bonus æqualiter bonum. Et quòd Spiritus sanctus simul & Patris & Filij sit Spiritus, & ipse consubstantialis & coæternus ambobus, atque hoc totum Trinitas sit propter proprietatem personarum, & vnus Deus propter inseparabilem vnitatem; sicut vnus omnipotens propter inseparabilem omnipotentiam: ita tamen, vt cùm de singulis quæritur, vnusquisque eorum & Deus omnipotens esse respondeatur. Eiusdem in libro secũdo contra Maximinum: Et Pater Deus est, & Filius Deus est, & Spiritus sanctus Deus est, & hi simul tres vnus Deus est, nec huius Trinitatis tertia pars est vnus, nec maior pars duo quàm vnus est. In libro S. Augustini quintodecimo de Trinitate: Ratione etiam reddita intelligentibus palàm est substantia veritatis, non solùm Patrem Filio non esse maiorem, nec ambos simul aliquid esse maius, quàm Spiritum sanctum, aut quoslibet duos in eadem Trinitate maius esse quàm vnum, aut omnes simul tres maius esse quàm singulos. Gregorius Nazianzenus ex sermone de Epiphania: Deum, &c.] subtexit Græcorum Patrum atque Latinorum testimonia fidelissima, quibus (quod contendit) probatur vnam personã sanctissimæ Trinitatis dici Christum, eumdemq; natum & passum in carne, vereq; ac propriè Mariam sanctissimam Virginem Dei matrem dici, & esse quod dicitur. Ad postremum verò ita concludit: D E

DE VERBI INCARNATIONE CATHOLICA DOCTRINA

His igitur euidenter ostensum est, illustres & magnifici filij, quod scripserit Imperator, quod Romana sequatur & colat Ecclesia, atque Christum Dominum nostrum vnum esse (vt sæpè diximus) sanctæ Trinitatis ex duabus naturis cognoscendum, hoc est, in deitate & humanitate perfectum, non antea existente carne & postea vnita Verbo; sed ab ipso Deo Verbo initium, vt esset, accipiens, ex materno corpore caro sumpsit initium, salua proprietate vel veritate vtriusque naturæ, hoc est, diuinitatis atque humanitatis, Dei Filium Dominum nostrum Iesum Christum Catholici confitemur, omni post hanc communionis confusione submota: neque enim naturas in eo aliter agnoscimus, nisi differentiam intelligentes & confidentes diuinitatis atque humanitatis. Sed nec duas personas in Christo intelli-

A telligimus per id quod dicimus duas naturas, vt adunationis diuisionem facere videamur, & sit (quod absit) Quaternitas, & non Trinitas, sicut Nestorius sensit insanus. Nec confundimus easdem vnitas naturas, cùm vnam personam Christi confitemur, vt Eutyches impius credidit. Tomum verò Papæ Leonis, omnesq; epistolas, necnon & quatuor Synodos, Nicęnam, Constantinopolitanam, & Ephesinam primam, & Chalcedonensem (sicut Romana hactenus suscepit & veneratur Ecclesia) sequimur, amplectimur, atque seruamus. Hoc est enim nostræ fidei firmamentum, hæc est fidei nostræ petra firmissima.

Hæc autem, illustres & magnifici filij, agentes gratias solicitudini vestræ, pauca intimare curauimus: pleniùs tamen directis exemplaribus, poteritis agnoscere. Acœmetas, qui se monachos dicunt, qui Nestoriani euidenter apparuerũt, Romana etiam eos damnat Eccle-
B sia. A quibus vos, propter canonem, qui cum excommunicatis Christianum nec loqui nec communicare permittit, diligentia pastorali admonere non desino, vt eorum etiam simplicem collocutionem vitetis, nihilque vobis cum eis existimetis esse commune. Quod ideo facio, ne reus silentij inueniar, si hæc ad vestram minimè, Christianissimi filij, notitiam pertulissem. Incolumem magnitudinem vestram Deus noster custodiat, domini filij meritò illustres atque magnifici.] hactenus Ioannes Pontifex ad Senatores.

DE VITANDIS DAMNATIS ACOEMETIS NESTORIANIS.

Hæc quidem epistola si innotuisset Nouatoribus leguleis, puto erubuissent (si tamen in ipsis innatæ homini verecundiæ aliquid remansisset) negare epistolam Iustiniani ad Ioannem Pontificem, illamq; ab ipso ad eum redditam, esse germanas; cùm ex hac ad Senatores conscripta ambæ legitimæ declarentur. hanc autem nactus doctissimus Cuiacius[a], nihil penitus moratus, ex eadem dictas Iustiniani atque Ioannis epistolas cognouit genuinas, asse-
C ruitq; esse germanas, secutus sententiam disertissimi Alciati, qui hæc de his habet[b]; Sunt qui & suspectam habeant Ioannis Pontificis epistolam, quæ sub titulo de summa Trinitate in Iustiniani Codice sita est; dicuntq; in antiquis codicibus non inueniri: quod (vt arbitror) eò faciunt, vt illos adiuuent, qui Pontificis Romani auctoritatem deprimunt; quo nomine alios quoque auctores deprauatos ab eis deprehendi, vt Othonis Frisingensis Chronica, & Lygurini poëtæ carmina quædam. Ego in antiquis plurimis eam extare scio, nec vlla suspicione conuelli posse. Quòd si vnus aut alter codex non habeat, id scriptorum incuriæ tribuendum, qui eam quandoque omiserint, quòd non multum ad legalis scientiæ materiam pertineret: non tamen ideo hæsitandum est, quin genuinus germanusq; Ioannis sit fœtus.] hucusque doctissimus Alciatus, cui absq; vllo hæsitationis scrupulo vir insignis, iuris æquè consultissimus Cuiacius non tantùm (vt diximus) inhærens adstipulatus est; verùm etiam ex recitata dicta epistola eiusdem Ioannis Pontificis ad Senatores, eamdem sententiam fir-
D miùs roborauit, solidiùs confirmauit, atque penitus stabiliuit, dum ait[c]:

[a] *Cuiac. obseru. lib. 12. c. 26.*

[b] *Alciat. parerg. lib. 4. c. 23.*

PROBAT AE EPIST. IVSTINIANI ATQ. IOAN. PAPAE.

Meritò doctissimus Alciatus non tulit eos, qui à titulo de summa Trinitate & fide Catholica conabantur abstrahere epistolam Ioannis Papæ siue Archiepiscopi Romani ad Imperatorem Iustinianum, cui inserta est ab ipso Iustiniano ad eumdem scripta fidei professio. Nec enim in eo titulo ponendæ epistolæ illius auctor alius fuit, quàm Iustinianus ipse, qui Pontificis Romani, cui libenter defert primas in Ecclesia, iudicio & approbationi tribuebat omnia. Et omnino res ita procedit. Posuit primùm in eo titulo Iustinianus fidei suæ professionem, quam ediderat statim ipso initio sui Imperij, quæ est lex quinta: Deinde edictum de fide sua, & hæreticorum condemnatione propositum omnibus populis fidelibus (vt Ioannes ait in sua epistola) Constantinopolitanis scilicet, & Ephesiis, & Cæsarienſibus Cyzicenis, & Amidenis, & aliis plerisque, quæ est lex sexta: Tum ad Epiphanium Archiepiscopum Constantinopoleos specialiter epistolam ea de re, quæ est lex septima: Et octauo atque vltimo loco similem aliam, præterquam quòd Latinè inter summa
E verborum serie & consequentia parem ad Ioannem Archiepiscopum vrbis Romæ, quam maluit vna confirmatione & approbatione Ioannis iniectam nobis quàm solam exhibere, vt probatur hic ordo euidenter in libris Basil. in quibus vltimo loco, quod Ioannis Latinè exordium est huiusmodi: Inter claras mansuetudinis vestræ laudes, ita redditur: Ἐν τῇ λαμπρότητι τῆς ὑμετέρας ἡμερότητος, &c. Et de hac epistola idem Ioannes scribens illustribus viris Auieno, Senatori, Liberio, & aliis: Iustinianus, inquit, Imperator (vt ex eius epistolæ tenore cognouistis) de his tribus quæstionibus orta certamina fuisse signauit: Vtrùm vnus ex Trinitate Christus & Deus noster dici possit, &c.] hæc Cuiacius, in omnibus firmiter insistens Alciati vestigiis, quem præ ceteris sciret in his dignoscendis præstare scientia, atque pollere prudentia & fide.

[c] *Cuiac. obseru. lib. 12. c. 26.*

ALCIATI ATQVE CVIACII EADEM SENTENTIA.

At præterierunt tanta hæc quauis meridiana luce clariora offusum caligine hæresis Nouatorem Iureconsultum[a], qui in ipso superliminari operis sui responsionum amicabilium egregium ac dignum auctore affixit tum impietatis tum etiam insciti̯ę titulum cunctis spectandum; dum videlicet ipso primo operis sui capite, in odium, quo vehemẽtissime flagrasse perspicitur, Romanorum Pontificum, probare frustra nisus est, constitutionem, Inter claras, partum esse suppositum, non genuinum ipsius cuius asseritur, Ioannis secundi eius nominis Romani Pontificis. Inter claras planè sedis Apostolicæ laudes tantæ claritudinis fulgoris impatiens cęcutiit vespertilio, quem captantem tenebras non aliter quàm veritatis luce fugandum putamus. Quid enim? Num si (vt frustra putas) ab huiusmodi splendoris radio absconderis, vitare poteris alia plurima lucis spicula vndique haud minore fulgore infirmam tuam oculorum aciem fortiùs ferientia? Et vt à viciniori incipiamus: Numquid non ingens splendor ignis, & de igne fulgur egrediens est sententia illa Iustiniani in constitutione[b] ad Epiphanium Constantinopolitanum Episcopum, qua de iisdem datis ad Ioannem Romanum Pontificẽ litteris meminit, cùm ipsum Romanæ sedis Antistitem nominat caput omnium sacerdotum, cuius sit muneris pullulantes omnes hæreses condemnare? sed eius singula verba inferiùs reddemus. Numquid & hanc negas esse legitimam, de qua nulla vnquam extitit vel leuis saltem controuersia? Numquid ipsum corpus Iuris euiscerabis, vt cuncta quæ fauent Ecclesiæ Romanæ primatui, prorsus euellas? Quod si non negas (sicut nec potes) hanc esse Iustiniani ad Epiphanium editam sanctionem: habes ex ea non tantùm assertam eiusdem Ecclesiæ Romanæ super omnes Ecclesias principalem auctoritatem, sed etiam ad Ioannem Romanum Pontificem datam epistolam confirmatam.

[a] *Perstringit auctor Othomanum I.C. qui lib. 1. c. 1 Resp. amic. de his agit.*

[b] *l. 7. Cod de Sum. Trinit.*

Sed audi singula verba Imperatoris: In omnibus (inquit) seruato statu vnitatis sanctissimarum Ecclesiarum cum ipso sanctissimo Papa veteris Romæ, ad quem similia hisce perscripsimus. Nec enim patimur, vt quicquam eorum quæ ad Ecclesiasticum spectãt statum, non etiam ad eiusdem referatur beatitudinem, cùm ea sit caput omnium sanctissimorum Dei sacerdotum; vel eo maximè, quòd quoties in his locis hæretici pullularunt, & sentẽtia & recto iudicio illius venerabilis sedis coerciti sunt.] Quid ad hæc data ad ipsum Constantinopolitanum Episcopum dicis? Quid tu adeò inaniter blateras Iustinianum Imperatorem & alios superiores Augustos Patriarchæ suo Constantinopolitano vel maiorem quàm aliis omnibus, vel certè parem potentiam atque auctoritatem tribuisse? Sed quibus ista probes auctoritatibus, quæras licet diutiùs, minimè poteris inuenire: cùm è contrà quibus contrarium affirmetur, confluant vndique testes & testimonia.

PRIMATVS ROM. ECCL. PLVRIES TESTATVS.

Numquid te præterierunt qui alios iuris prudentiam docendos susceperis, quæ idem Iustinianus Augustus pluribus sanctionibus de Ecclesiæ Romanæ primatu, deq; summa super omnes Romani Pontificis potestate, supremaq; auctoritate in vniuersa Catholica Ecclesia amplissimis notis testata reliquit? Accipe hic ea in vnum collecta, quæ pro temporis ratione diuersis in locis Annales exhibent, atque in primis quæ item ad Ioannem Papam idem Iustinianus scribens, in ipsius exordio epistolæ habet his verbis[c]: Vt legum originem anterior Roma sortita est, ita & summi Põtificatus apicem apud eam esse, nemo est qui dubitet. Vnde & nos necessarium duximus, patriam legum, fontem sacerdotij speciali nostri numinis lege illustrare, &c.] Sed & intuere illa quæ ad Mennam Constantinopolitanæ Ecclesiæ Patriarcham itidem de Romana Ecclesia scribit[d], dum agit de Agapeto Rom. Pontifice, quòd Constantinopolitanæ sedis Episcopum iure deposuerit Antimum, eo quòd cum Ecclesia Romana minimè conueniret; vtpote quæ tamquam lapis Lydius, quæ sincera, quæve sint spuria dogmata probet; atq. etiam quæ Apostolica auctoritate præcellens, omnes cuiusuis amplissimæ Ecclesiæ sacerdotes à recto fidei tramite deuiantes condemnet.

[c] *Iustinian. Nouel. 9.*

[d] *Iustinian. Nouel. 42.*

Sed & quàm disertis verbis primatum declaret eiusdem Romanæ sedis, cùm secundùm locum tribuere satagit Constantinopolitanæ Ecclesiæ, accipe ex eiusdem Nouella[e] constitutione ad Petrum Præfectum Prætorio data, vbi post alia: Ideoque sancimus (inquit) secundùm earum, *quatuor scilicet Conciliorum regularum*, definitiones, sanctissimum senioris Romæ Papam primum esse omnium sacerdotum, beatissimum autem Archiepiscopum Constantinopoleos nouæ Romæ secundum habere locum post sanctam Apostolicam senioris Romæ sedem, aliis autem sedibus omnibus præponatur.] hæc ipse: quorum verborum exordio vides non ista ipsum concedere, vt primum locum obtineat Romana Ecclesia; sed ea iam antè sacris canonibus constituta seruari debere, noua lege sancire. Quid his singulis recitatis sententiis, rogo, firmiùs dictum, dilucidiùs repetitum, instantiùs inculcatum,

[e] *Nouel. 131. c. 2.*

PATEFIT IMPERITIA NOVATORIS

A tum, euidentiùs apertum, atque gloriosiùs prædicatum inueniri potest? vt planè non oculis tantùm, sed mente penitus captum eum quis dixerit, qui tot fulgentibus radiis veritatis adhuc cęcutiit, ac delirauit, dum ad negandum sacrosanctæ Ecclesiæ Romanæ primatum satis sibi sufficere putauit, si vnam Iustiniani Imp. constitutionem in Ioannis Papæ epistola recitatam, in dubium reuocet atque neget.

Dum ergo pro foribus operis sui istiusmodi adeò spectanda gloriosè proponit: tu ex postibus tanta nigredine foris obductis intellige carbonariam, & ex ordita mendaciorum tela textorem impium, & imperitum considera. Quid enim scisse potuit, qui ad vnius constitutionis dubietatem expendendam putauit vniuersam sedis Apostolicæ auctoritatem; cùm si vel mediocriter tinctus Ecclesiasticis litteris fuisset, plusquam sexcentas non ignorasset de ea firmissimas Patrum extare sententias? Et ne quis putet nos ista dicentes, hyperboles lo- PRIMATVS ROM. ECCL. VBIQVE LVCET.
B qui, legat digestos à nobis hactenus singulos annos, & vix eorum inueniet aliquem, in quo suprema Romanæ Ecclesiæ super omnes Ecclesias non eluceat vel dictis vel factis auctoritas. Cùm igitur de primatu Romanæ Ecclesiæ idem Imperator eadé sæpiùs inculcarit: cùm semel dixisse dicatur[a]: Constantinopolitana Ecclesia omnium aliarum est caput] quis non intelligat, ipsum ad Orientales tantùm Ecclesias habuisse respectum? prout expresè habet in Nouella centesima trigesima prima. Zenonis quoque constitutionem[b] quis non videat ita intelligendam? nam nihil ampliùs idem ei contulit Imperator, nisi vt vindicatam à tyrannide Basiliski in integrum restitueret ipsam Constantinopolitanam Ecclesiam.

[a] l. 24. C. de sacrosanct. Eccl.
[b] l. 16. C. eod.

At ne quis existimet, non ita facile esse obiecta diluere, sicut est veritatem astruere: necessarium existimamus, ipsius aduersarij hîc verba reddere, quibus adulterinam esse Ioannis constitutionem affirmare conatur: post enim nonnulla in dedecus opprobriumq; Apo-
C stolicæ sedis furiosè iactata, hæc habet: Harum epistolarum architectus in duabus vicinis legibus, septima scilicet & octaua, pugnantia scripsisse arguitur, vehementerque inter se dissidentia. Nam cùm lege septima Græcè scripta & anno Christi quingentesimo trigesimotertio data, nępe sub Iustiniano solo tertiùm Consule, septimo Kal. Aprilis, faciat eum scripsisse litteras (vt nunc loquimur) patentes, omnibus cognoscendas, ad Patriarcham suum Constantinopolitanum; quibus litteris prædicat se hanc suam fidei confessionem iam antè Romano Papæ spectandam cognoscendamq; misisse: Tamen hac nostra lege octaua, quę confessionem illam continet, facit easdem illas litteras ad Papam Romanum datas, legatosque missos anno demum insequente, nempe quingentesimo trigesimoquarto, Paulino Consule, septimo Kal. Aprilis. Superiore, inquam, anno scribit se iam misisse legatos ad Papam Romanum: at anno vertente, duodecimo denique pòst mense, scribit se tum primùm le- QVAE OBIECERIT ADVERSARIVS
D gationem & confessionem illam mittere. Quàm sunt ista, quæso, consentanea & inter se congruentia?] hæc ipse, dum pluribus patens (vt putat) mendacium & impostura exaggerat, atque perinde ac si deprehendisset cum furto furem, exclamat.

Sed risimus imperitiam hominis; simulque miserti magis sumus praua affectione imbuti animi, qui adeò patentem licet, tamen nolit, siue nesciat admittere veritatem. Dicit ipse, in constitutione data ab ipso Imperatore anno superiori ad Epiphanium mentionem haberi sanctionis eiusdem datæ ad Ioannem: hoc concedimus. insuper epistolam Ioannis redditam ad Imperatorem esse scriptam hoc anno, æquè assentimur. Cùm verò asserit, sanctionem Imp. ad Ioannem, quæ intexta habetur in dicta Ioannis ad eumdem Imperatorem epistola, hoc anno trigesimoquarto post quingentesimum sub Paulini Consulatu datam: hoc negamus; cùm id probare minimè valeat, & contrarium expresè pateat. Sed COMPVTATIO MENDACIORVM.
E noscat primùm, quàm insulsum ac penitus vanum sit, quo nititur, argumentum. Num quia in Ioannis epistola data hoc anno inseritur dicta sanctio ab Imperatore ad ipsum scripta sine die & Consule, dici necesse est hoc itidem anno datam? minimè gentium; cùm potuisset Ioannes in sua reddita ad Imperatorem epistola quoduis scriptum ante plures etiam annos datum intexere.

Sed & cùm in sua constitutione data anno superiori septimo Kal. Aprilis ad Epiphanium Constantinop. Episcopum Imperator mentionem habeat eiusdem datæ à se ad Ioannem Papam sanctionis: nullum dubium est, eam non hoc anno, sed superiori scriptam esse ante dictam diem, quo tępore etiam legatio ab eodem Imp. Roma ad Ioannem Pōtificem missa est. Ioannes autem Papa ad ipsum Imperatorem rescripsit anno sequenti, hoc ipso vide- SCRIPTORVM ORDO RECTE DISPOSITVS.
licet, cùm legatos Iustiniani dimisit: adeò vt nulla in his sit discrepantia, sed omnia concinnè disposita vnà cōcordent, prout superiùs à nobis inuenies ea cuncta pro ratione temporis

collocata: nimirum anno superiore ex insperato emergentibus Nestorianis, opus fuisse Imperatori præsentaneum adhibere remedium, sancireque aduersus eosdem edictum, quo tamen nihil nouum de fide decerneret, sed (vt profitetur) quæ iam in Ecclesia stabilita essent aduersus Nestorianos, cunctis obseruanda proponeret. Sed quòd sciret (vt asserit) ad comprimendos insurgentes hæreticos, more maiorum, requiri solere auctoritatem primarij in Ecclesia Catholica Antistitis: quo illum suæ parti coniungeret, rectæ fidei confessionem per honorificentissimam legationem ad ipsum Romanum Pontificem misit. A

De his verò omnibus à se rebus gestis in illa data paulo pòst ad Epiphanium constitutione cùm meminit Imperator, animi sui consiliũ, quo id egerit, verbis antea recitatis aperuit, quæ hîc ipsi rursum necessariò ob oculos ponenda putamus; sunt autem hæc[a]: Diuinum (inquit) antehac promulgauimus edictum (quod & tua nouit sanctitas) per quod hæreticorum furores reprehendimus: ita vt nullo quouis modo immutauerimus, immutemus, aut prætergressi simus eum, qui nunc vsque seruatus est, Ecclesiasticum statũ, (quemadmodum & tua nouit sanctitas) sed in omnibus seruato statu vnitatis sanctissimarum Ecclesiarum cum ipso sanctissimo Papa vrbis Romæ, ad quem similia scripsimus. Nec enim patimur, vt quicquam eorum, quæ ad Ecclesiasticum pertinent statum, non etiam ad eiusdem referatur beatitudinem, cùm ea sit caput omnium sanctissimorum Dei sacerdotum; vel eo maximè, quòd quoties in his locis hæretici pullularunt, & sententia & recto iudicio illius venerabilis sedis coerciti sunt, &c.] habes igitur his verbis expressam mentem Imperatoris, animiq; consilium. Ex quibus æquè expresse intelligis, sanctionem Imperatoris ad Ioannem non hoc anno datam esse, sed superiori ante constitutionem ad Epiphanium scriptam, prout ipse Iustinianus in dicta constitutione data ad Epiphanium profitetur. B

[a] *l. 7. C. de summa Trin.*

PERSTRINGITVR NOVATOR.

Iam, puto, planè conspicis, qualia esse soleant hæreticorum deliria, imperitiæ tenebris inuoluta, & mendaciorum nexibus obligata, dum datam sine die & Consule sanctionem Imperatoris ad Ioannem Pontificem, scriptam esse hoc anno septimo Kal. Aprilis auctor turpiter mentiatur; cùm tamen totidem verbis eam fuisse scriptam anno superiori ante septimum Kal. Aprilis, ipse Iustinianus testetur in dicta sæpiùs constitutione ad Epiphanium Constantinopolitanum Episcopum. Hoc & certiùs liquet ex eiusdem Iustiniani sanctione ad Ioannem data, recitata verò in eiusdem Imperatoris epistola ad Agapetum Romanum Pontificem: expressè enim ibi habetur data anno superiori sub eiusdem Iustiniani Consulatu tertio, vt in fine dicturi sumus. Ignosce, lector: terere in obiectionibus his tempus inuiti cogimur, quæ suâ fatuitate essent potiùs sibilis insectandæ, quàm responsione vincendæ: his enim (vt initio operis præfati sumus) his, inquam, nos legibus obstrinximus, vt veritatem historicam ab hæreticis labefactatam in genuinum candorem vindicemus. C

IVSTINIANVS CVLTOR APOST. SEDIS.

Stat ergo firma sententia, Iustinianum Imperatorem, quamdiu sapuit, quamdiu in Catholica perseueranit Ecclesia, semper cognouisse, professum, atq; veneratum esse super omnes totius Orbis Ecclesias primatum Romani Pontificis, vniuersasq; de fide Catholica causas ad eumdem deferendas esse intellexisse, testatũ esse, atque opere perfecisse, prout ostendunt quæ ab exordio eius Imperij dicta sunt, & quæ per annos ferme singulos dicturi sumus, apertissimè declarabunt. Quæ verò ad œconomiam vel disciplinã Ecclesiasticam restituendam, roborandamq; ab eodem sancita esse reperiuntur, eadem ex sacrarum regularum præscripto (vt sæpè diximus atque dicturi sumus) à se fieri solita, ipse est sæpiùs contestatus, non autem vt Imperatoria potestate existimarit se posse præscribere Ecclesiæ, ipsiusq; sacerdotibus leges, à quibus (vt ex dictis eiusdem constitutionibus intellexisti) leges ipse requirat, suasque eis subiiciat. D

QVAM INSVLSE EX STYLI DIVERSITATE ARGVAT NOVATOR.

Sed non hic febre hæretica laborantis hominis deliramentorum est finis: quem enim semel eiusmodi phrenesis morbus inuaserit, non mente tãtùm mouet, sed & corporis sensus vsum adimit, vt faciat eum etiam festucas sibi videri colligere, quæ non extant. Ita quidem iste, qui vt ostendat non esse Iustiniani eam constitutionem intextam Ioannis epistolæ, ad postremum ex diuersitate styli argumentationẽ studio inani ita compingit: Primùm omniũ (inquit) plena hæc epistola est indecoræ assentationis, & tanto Imperatore indignæ: quam ne verisimile quidem est Patriarcham Constantinopolitanum, haud minùs fortasse quàm ille Occidentalis fuit, ambitiosum, æquo animo laturum fuisse. Nos (inquit) reddentes honorem Apostolicæ sedi Romanæ. Quasi verò hæc sedes vel sola esset Apostolica, vel propter excellentiam commune multarum Ecclesiarum nomen suum fecisset.] hæc ipse. Sed hîc primùm aduerte, non haberi in textu, Romanæ, sed simpliciter Apostolicæ sedi: E

addi-

A addidit ipse, Romanæ, quòd sciret de Romana loqui Imperatorem. hæc ad eius excusationem dicta velim, ne ter miser adhuc legis Corneliæ pœnis reddatur obnoxius.

Quamuis autem aliæ essent Ecclesiæ, quæ dicerentur Apostolicæ sedes: cùm tamen absque certi nominis expressione sedes Apostolica nominatur, ob sui excellentiam, Romanam Ecclesiam esse intelligendam, in confesso apud omnes Catholicos est. Receptæ itaque vulgatæque in Ecclesia nomenclaturæ haud insciùs Imperator, simplici nomine Apostolicæ sedis, Romanam ipsam expressit Ecclesiam. quod cùm vsitatum sit dicendi genus apud Catholicos omnes; nec quidem (vt putat iste Nouator) ab eiusdem Imperatoris stylo abhorret, immo quàm maximè congruit: nam id frequenter vsurpatum inuenies in epistolis [a] ab ipso Iustiniano ad Hormisdam Papam conscriptis, vt illud: Apostolicæ sedis communioni societur.] ac rursum: Missa legatione, sedis Apostolicæ promeruimus sacerdotes.] itemq; B alia, vbi ait: Vt intelligant cuncti, recte vos Apostolicæ sedis primatum sortitos.] id ipsum etiam sæpiùs dictum inuenies in epistolis eiusdem Imperatoris ad Agapetum Pontificem datis, necnon aliorum Episcoporum temporis huius; vt de aliis cuiusq; sæculi dicere omittamus, iisdem verbis in eodem sensu millies vsis.

[a] *Extant omnes inter epist. Hormisd. Pap. tom. 1. epist. Rom. Pont.*

Expressum id habes & in litteris ipsius Epiphanij Constantinopolitani Episcopi ad eumdem Hormisdam, quem calumniosè vult Nouator ægro animo tulisse effusas laudes Romanæ Ecclesiæ ab Imperatore prolatas: ipse, inquam, Epiphanius non eo tantùm nomine honorat sanctam Romanam Ecclesiam sæpiùs, sed & se ipsi subditum pluribus profitetur. Vt ex his magis admireris refractarij procaciam hominis, qui tribuere velit Constantinopolitano Episcopo, quæ ipse nolit accipere; quod nec posse iure, conspiceret. vt meritò obstupescas, quò liuor & conceptum aduersus sedem Apostolicam odium ferat præcipites homines infelices. Scias præterea, non solùm Apostolicæ Ecclesiæ nomine per excellentiam C Romanam intelligi, sed etiam appellatione Catholicæ Ecclesiæ, itidem Romanam significari, vt apparet ex epistola [b] Hormisdæ Papæ ad Iustinum Imperatorem.

[b] *Hormisd. epist. 22.*

His exufflatis festucis, ad postremum, etsi cuncta citata superiùs de veritate illius Iustiniani constitutionis ad Ioannem datæ deessent, satis superque esse posset eiusdem Iustiniani Imp. testificatio in epistola, quam scripsit ad eiusdem Ioannis successorem Agapetum [c], vbi more solito, simulac creatus ipse est Pontifex, mittens ad eum fidei Catholicæ professionem, non aliam quidem, quàm ad eius prædecessorem Ioannem Pontificem iam antea missam intexuit verbis istis: Reddentes honorem Apostolicæ sedi & vestræ sanctitati; quod semper nobis & in voto fuit & est, vt decet patrem, honorantes vestram beatitudinem: omnia quæ ad Ecclesiarum statum pertinent, festinamus ad notitiam deferre vestræ sanctitatis: D quoniam nobis semper magnũ fuit studium, vnitatem vestræ Apostolicæ sedis, & statũ sanctarum Ecclesiarum custodire, qui hactenus obtinet & incommotè permanet, nulla intercedente contrarietate.] & reliqua, à librario prætermissa, quod à se descripta meminisset in dicta Ioannis Papæ ad Iustinianum epistola, cuius est exordium: Inter claras.] subiiciens tantùm ea, quæ postea idem Imperator ita adiecisset in fine epistolæ: Petimus, &c.] vsque ad calcem, vbi & recitantur dies & Consul, qui desiderantur in Codice Iustinianeo, his verbis: Data octauo Idus Iuniarum, Constantinop. D. N. Iustiniano perpetuo Aug. tertiùm Cons.] anno nimirum superiori, vt à nobis superiùs est demonstratum. Sed pro Iuniarum, restitue, Ianuariarum: nam Iustiniani constitutio ad Epiphanium, in qua de ea mentio habetur, data reperitur mense Martio. Exemplo autem Ioannis prædecessoris Agapetus eamdem à Iustiniano ad se missam fidei professionem in suis ad eum redditis litteris [d] po- E suit, quarum est exordium: Gratulamur, venerabilis Imp. &c.]

[c] *In epist. Agapeti 6.*

[d] *Agap. ep. 6.*

Habes igitur abundè satis, lector, ex his vindicatas à calumniis oblatrantis Iurisconsulti tum litteras Ioannis Romani Pontificis, tum Iustiniani Imperatoris constitutiones, easdemque ex hac defensione magis illustratas: ex quibus reliquas ab eodem sparsas quisquilias verras: nimis enim ab instituto longè abduceremur, si verba singula singulis suscriperemus confutanda sententiis. Satis iam verò ex his tibi possunt esse comperti, quales esse soleant, qui ex legum progressi gymnasiis, statim ostentant se tamquam in scena Theologos: à qua facultate quàm procul abhorreant, vel inde valeas intelligere, quòd cùm differunt de legum scientia, quam in primis professi sunt adeò enormiter (vt vidisti) hallucinati penitus conuincuntur: quod & rursus inferiùs ostendemus, cùm aduersus alium leguleium hæresis etiam furore percitum nobis pro defensione historicę veritatis cominus certandum erit. Hanc afferunt secum inter alias pœnam hæreses, vt nobilissima quæque obtundant, hebe-

ADVERSVS IVRECONSVLTOS HAERETICOS.

tent,obdurent,infatuent, atque prorsus obscurent ingenia, quæ fidei Catholicæ nitore flo- A
rida videri potuissent,secundùm illud Apostoli[a]: Obscuratum est insipiens cor eorum: di-
[a] Rom.1. centes se esse sapientes, stulti facti sunt.] sed de his hactenus.

Quod rursum ad res gestas eiusdem Ioannis Pontificis spectat, hoc item anno mense Aprili priuauit Episcopatu, redegitque in monasterium ad pœnitentiam Contumeliosum quemdam ita dictum in Gallia Episcopum,cuius Ecclesiam commendauit S. Cæsario Episcopo Arelatensi. Extant de his duæ epistolæ eiusdem Ioannis Papæ ex Arelatensi archiuo depromptæ,quarum prior ad vniuersos Galliarum Episcopos data sic se habet:

Dilectissimis vniuersis Episcopis per Gallias constitutis Ioannes.

IOANNIS PAP. EPIST. AD GALL. EPISCOPOS DE CONTVMELIOSO EPISC.

Innotuit nobis à fraternitate vestra missa relatio,in qua contumeliosus multis legitur cri- minibus inuolutus. Et quia huiusmodi persona sacris non potest inhærere mysteriis,ab ho- B
dierno vel officio eum nostra censet remoueri auctoritas: vt in monasterio constitutus de- licti veniam à Domino petere non omittat. Nihil est enim impossibile eius clementiæ, qui potest cuncta relaxare quæ facta sunt. Sed ne eius Ecclesia destituta videatur, in eius loco Visitatorem dari,præsenti auctoritate decernimus,qui à se ita nouerit omnia exhibenda,vt nihil de ordinibus clericorum, nihil de Ecclesiastica facultate præsumat, sed ea quæ ad sacrosancta mysteria pertinent exequatur. Prædictum autem Contumeliosum, vbi habeat pœnitendi licentiam, petitorium dare vobis censemus, vbi errorem suum euidenter allegans sub die profiteatur ei * culpam. Dominus vos incolumes custodiat, fratres charissimi. Dat. VII. Id. Apr. Fel. Paulino Iun. V.C.Conf.] Posterior autem epistola sic se habet:

* &

Ioannes presbyteris, diaconibus, & cuncto clero Ecclesiæ, in qua fuit Contumeliosus Episcopus.

Peruenit ad nos à fratribus & Coepiscopis nostris missa relatio, vbi Contumeliosus de C
criminibus suis confessus legitur atque conuictus. Et quia huiusmodi sceleribus implicatus sacerdotij non potest ministeria iam tractare, necessaria vobis solatia credimus Visitatoris adiungere: & ideo in Ecclesia eius Visitatorem dari nostra decreuit auctoritas, vt Ecclesia suo priuata Præsule summi nequeat Pontificis solatiis indigere: cui vos in omnibus parere decreuimus ad ea tantummodo quæ sacris sunt gerenda mysteriis,ita tamen vt nihil de Ecclesiastica facultate præsumat; sed clerus in eo quo nunc est ordine constitutus nullis gradibus promoueatur, donec proprium sacerdotem possit habere. Omnem verò hanc solicitudinem Cæsario fratri & Coepiscopo nostro iniungimus, ad cuius curam cuncta quæ necesse sint pertinere censuimus. Dominus vos incolumes custodiat, dilectissimi filij. Dat. VII. Ad. Apr. Paulino Iun. V.C.Conf.] cuius autem hic fuerit Ecclesiæ Episcopus, non di- D
cit, vtpote de re notissima agens.

Cùm audis Contumeliosum ita nominatum Episcopum,ne mireris: huius namq; temporis vsus id ferebat: habes enim his etiam temporibus claruisse sanctitate in Gallia Iniuriosum Episcopum Turonensem, de quo multa Gregorius eius Ecclesiæ successor Episcopus. Obserua in reliquis morem veterem,consuli consueuisse in damnatione Episcoporum Apostolicam sedem. Porrò quem modò audis sententia damnatum, scias ipsum appellasse ad successorem Ioannis Agapetum Papam anno sequenti, vt suo loco patebit.

Iam verò res bellicas,Deo iuuante,feliciter gestas in Africa prosequamur. Qui enim nihil antiquius habuit Iustinianus Imperator,quàm vt rectam fidem,euulsis hæresibus,stabiliret,cuius rei causa singulis fermè annis nouas ediderat sanctiones,nec ab eo studio ex belli potuit multiplicibus curis auerti: Deum sibi conciliauit Imperij defensorem, hostiumq; debellatorem: vt planè perspicuo valde fuerit declaratum exemplo,pro Imperio cõtra bar- E
baros pugnare Deum,cùm Imperator pro Ecclesia aduersus hæreticos bellum gerit. Quod igitur anno superiori(vt vidimus) feliciter cœptum, & feliciùs gestum est in Africa bellum aduersus semper inuictos vbique VVandalos, hoc anno est feliciſſimè absolutum, cùm videlicet eorum Rex Gilimer ad Mauros profugus, obsidione fatigatus sese tandem Romanis dedit. Quomodo autem id acciderit, rem gestam Procopius[b] fusiùs prosecutus est:quod scilicet superatus cũ suis Gilimer ipse se contulit in Numidię montem, Papuam dictum,accessu difficillimum, quem à Phara Duce obsidendum Belisarius mandauit: atque demum trium mensium consumpto spatio, finita hieme, fame vexatus, ærumnisq; confectus dedidit ille se Pharæ, & per eum Carthaginem ad Belisarium ductus est, atque susceptum feliciter confectum est bellum. hæc,inquam, pluribus Procopius narrat.

GILIMER SE DAT ROMANIS.
[b] Procop. li. 2. de bello Vvand.

Eneruata iam fuerat in VVandalis pristina illa bellica fortitudo, qua domuerant orbem

Occi-

A Occidentalem: quantum enim à primæuo illo robore, necnon ab optimis moribus, quos prædicatos vidimus à Saluiano Massilienſi, defeciſſent, operæpretium eſt verba hîc Procopij reddere, cùm ait[a]: VVandali namque omnium ſunt, quos ſciam, molliſſimi atque delicatiſſimi; omnium verò miſerrimi Mauruſij. Illis, ex quo Africam tenuerunt, menſa quotidie copioſa, tum omnium rerum quas ea fert regio continuò referta: geſtabant præterea veſtem Medicam ac ſumptuoſam, quam ſericam vocant: in theatris quoque & hippodromis ac omnibus aliis oblectamentis, præſertim in venationibus continuò verſabantur: ſaltatores & mimos ſpectabant: auditum & acroamatis & muſicis & omnibus quæcumque grata animo malè inſtituto deliniebant. Eorum item plurimi in hortis agitantes aquis & arboribus amœnis, ac ſympoſia plura, conuiuiaque facientes, Venerea denique magnopere frequentantes.] hæc de VVandalis Procopius, contraria planè omnibus iis quæ
B de iiſdem ſcribit Saluianus, antequam in Africam venerint, cùm tamen impietate ſemper perſeuerauerint Ariani.

VVANDALI CORRVPTI DELICIIS.

[a] *Procop. eod. lib. 2.*

Sed proſequamur Beliſarium Conſtantinopolim redeuntem, relicto in Africa Salomone Duce exercitus, qui aduerſus rebellantes Mauros dimicaret. Superata igitur calumnia, quam in eum inuidi pararant, & patefacto Imperatori animi ſui candore, decernitur ipſi ab illo triumphus, qui ab eodem Procopio ita deſcribitur[b]: Beliſarius interea vnà cum Gili-
C mere ac VVandalis Byzantium profectus, omnes aſſecutus eſt honores, qui ſuperiorũ temporum Ducibus maximas adeptis victorias ſtatui conſueuerunt, quóſve nemo abhinc annis ſexcentis habuiſſe viſus eſt, præter quàm Titus, & Traianus, & alij quicumque Imperatores in bellum euntes, barbaras gentes ſuperauerunt. Spolia namque atque trophæa patefaciens, captiuoſque præferens, per mediam vrbem triumphum egit, non quidem antiquorum modò, ſed ex propria domo pedibus vſque ad Hippodromum proceſſit, inde rurſum ad locum vſque vbi ſedes erat Imperatoris.

BELISARII TRIVMPHVS

[b] *Procop. de bello VVand. lib. 2.*

Erant autem ſpolia quæcumque ad Regis capti miniſterium eſſe conſueuerunt, aurei throni, vehiculaque quibus Regis vxorem vehi mos erat, ornatu deinde vario, lapidibuſq; pretioſis conſtructa: aurea quoque pocula, & alia omnia quæ menſæ regiæ adhibentur: argentum præterea multarum talentorum myriadum: omnis denique regia ſupellex admodum pretioſa atque admiranda, vtpote à Genſerico quondam Romæ è Palatio direpta, vti ſuprà commemoraui: in qua & Iudæorum res multæ nobiles extitere, quæ olim à Tito Veſpaſiano, cùm Hieroſolymas cepit, Romam cum quibuſdam aliis exportatæ fuerunt:
Quas cùm Iudæus quidam aſpiceret, ait ad quemdam ſibi proximum ex notis Imperatori, has opes Byzantium inferri in palatium minimè oportere, quòd alibi nuſquam quàm in lo-
D co vbi Salomon Iudæorum Rex ab initio eas conſtituit, conſiſtere queant: propterea Genſericus Romanorum Imperium diripuit, nunc rurſus ex eadem cauſa Romanus exercitus VVandalorum Gentem proſtrauit. Hæc ad ſe delata Imperator intelligens, valde timuit, ac illico omnia illa Hieroſolymam ad Chriſtianorum templa remittenda mandauit.

DE SPOLIIS AB HOSTIB. CAPTIS.

VASA TEMPLI HIEROSOLYMAM RELATA.

Erat autem intra triumphi captiuos Gilimer ipſe purpuream quamdam veſtem humeros amictus vnà cum omnibus conſanguineis ac VVandalis, quot proceritate corporum & pulchritudine præſtarent. Poſtquam verò Gilimer in Hippodromo conſtitit, ac Imperatorem in alta ſede conſtitutum, populumque circumſtantem conſpexit, ac demum ſe ipſum in quod fatum peruenerit, conſideraſſet: neque fleuit, neque aliter conqueſtus eſt: tantùm illud Hebræorum voluminum memorauit[c]: Vanitas vanitatũ & omnia vanitas. Nec mo-
E ra, ipſe pariter & Beliſarius iuſſi ab his qui Imperatoriam purpuram ſuſtinebant, Iuſtinianum ſupplices adorauerunt. At ille, ſimul & Theodora coniux, Hilderici filios & nepotes omnes, vt ex Valentiniani Imperatoris ſanguine venientes, neceſſitudine quadam ſibi deuinctos, opibus ſatis amplis munerauerunt. Gilimeri autem loca quædam in Galatia non admodum contemnenda ad habitandum ſimul cum omnibus ſuis propinquis dedit. Inter Patricios eum referre non licuit, quod à ſecta nollet Ariana diſcedere.] hucuſque res anni huius de Beliſarij triumpho & Gilimeris ſtatu Procopius. Quos autem eidem Beliſario ſequenti anno vnà cum Conſulatu contulit Imperator honores, res ſingulas ſingulis reddentes annis ſuo loco dicturi ſumus. Voluit Iuſtinianus in Auguſteo à ſe erecto, ipſa curia, quò Senatus conuenire conſueuit, in ampliſſimi veſtibuli fornice eiuſmodi de VVandalis ſuperatis hiſtoriam muſiuo opere elegantiſſimè pingi, vt cuncto populo ob oculos eſſet tantum à Deo acceptum beneficium. teſtatur id quidem Procopius[d], vbi de eiuſdem Imperatoris ædificiis agit.

DE GILIMERE REGE CAPTIVO.

[c] *Eccleſ. 1.*

[d] *Procop. de ædific. Iuſtiniani Imp. lib. 1.*

Tanta

Tanta potitus victoria Imperator, tam eximij hactenus nemini conceſſi à Deo accepti beneficij memor, haud ingratus videri voluit; ſed in his totus exiſtens, præter redditas priuatim in cubiculo & publicè in eccleſia ingentes gratiarum actiones, adhuc illud adiecit, vt & in Codice à ſe edito id ipſum poſteris omnibus tot vocibus, quot ſyllabis, iugiter loqueretur, eoque Deo gratioribus, quo maiori animi ſummiſſione diuino numini eſt repenſum obſequium, dum perpetuæ memoriæ gratiarum actionem Deo debitam noua conſtitutione edita voluit conſecraſſe. Etenim vbi eadem recuperata Africa, ad optimum eius regimen addixit animum, eidemque ſanctiſſimè moderandæ Præfectum Prætorio creauit Archelaum, qui ſub Beliſario in eodem prœlio militauerat: conſtitutionem cùm edidit de officio Præfecti Prætorio Africæ; quanta à Deo fuerit ex ea re conſecutus beneficia, recenſens, oſtentat magis, dum & mala quæ à VVandalis Africa paſſa eſſet enumerat. ſed ipſum audi[a]:

[a] *l. 1 C. de offic. Pr. fect Præt. Afric.*

GRATIARVM ACTIO IMP.

In nomine Domini N. Ieſu Chriſti, Imp. Iuſtinianus, &c. Quas gratias, aut quas laudes Domino Deo noſtro Ieſu Chriſto exhibere debeamus, nec mens noſtra poteſt concipere, nec lingua proferre. Multas quidem & à Deo meruimus largitates, & innumerabilia circa nos eiuſdem beneficia confitemur, pro quibus nihil dignum nos egiſſe cognoſcimus. Præ omnibus tamen hoc, quod nũc omnipotẽs Deus per nos pro ſua laude & pro ſuo amore demonſtrare dignatus eſt; excedit omnia mirabilia opera, quæ in ſæculo contigerunt, vt Africa per nos tam breui tempore reciperet libertatem, antea nonagintaquinque annos à VVandalis captiuata, qui animarum ſimul fuerant hoſtes & corporum: nam animas quidem diuerſa tormenta atque ſupplicia non ferentes, rebaptizando ad ſuam perfidiam transferebant; corpora verò liberis natalibus clara iugo barbarico duriſſimo ſubiugabant. Ipſas quoque Dei ſacroſanctas eccleſias ſuis perfidiis maculabant, aliquas verò ex eis ſtabula fecerunt. Vidimus venerabiles viros, qui abſciſſis radicitus linguis, pœnas ſuas miſerabiliter loquebantur. Alij verò poſt diuerſa tormenta per diuerſas diſperſi prouincias vitam in exilio peregerunt.

EXAGGERATIO ACCEPTI DIVINITVS BENEFICII.

Quo ergo ſermone aut quibus operibus dignas Deo gratias agere valeamus, qui per me vltimum ſeruum ſuum Eccleſiæ ſuæ iniurias vindicare dignatus eſt, & tantarum prouinciarum populos à iugo ſeruitutis eripuit? quod beneficium Dei anteceſſores noſtri non meruerunt, quibus non ſolùm Africam liberare non licuit, ſed & ipſam Romam viderunt ab eiſdem VVandalis captam, & omnia Imperialia ornamenta in Africam exinde tranſlata. Nunc verò Deus per ſuam miſericordiam non ſolùm Africam & omnes eius prouincias nobis tradidit, ſed & ipſa Imperialia ornamenta, quæ, capta Roma, fuerant ablata, nobis reſtituit. Ergo poſt tanta beneficia, quæ nobis Diuinitas contulit, hoc de Domini Dei noſtri miſericordia poſtulamus, vt prouincias, quas nobis reſtituere dignatus eſt, firmas & illæſas cuſtodiat, & faciat nos ſecundùm voluntatem ſuam ac placitum gubernare: vt vniuerſa Africa ſentiat omnipotentis Dei miſericordiam; & cognoſcant eius habitatores, à quàm diriſſima captiuitate & iugo barbarico liberati, in quanta libertate ſub feliciſſimo noſtro Imperio degere meruerunt.] Sed antequam vlteriùs progrediamur, attende, quæſo, quæ ſubdit de imploratione diuini auxilij precibus Mariæ Virginis; quam ſolitus inuocare cùm eſſet, cuius opitulatione tanta à Deo Iuſtinianus conſequi meruerit beneficia, intelligas: precibus namque ſanctiſſimæ Dei genitricis Mariæ id factum cognoſces ex iis quæ idem mox ſubiicit, cùm ad reliqua impetranda rurſum per eiuſdem preces diuinum implorans auxilium, mox iſta ſubiungit: Hoc etiam deprecantes exoramus ſanctæ & glorioſæ ſemper Virginis & Dei genitricis Mariæ precibus, vt quicquid minus eſt Reipublicæ noſtræ, per nos vltimos ſeruos ſuos reſtituat in ſuo nomine Deus, & dignos nos faciat ſeruitium eius adimplere.

DE PRAEFECTO PRAETOR. AFRICAE DANDO

Deo itaque auxiliante, pro felicitate Reipublicæ noſtræ per hanc diuinam legem ſancimus, vt omnis Africa, quam nobis Deus præſtitit, per ipſius miſericordiam optimum ſuſcipiat ordinem, & propriam habeat Præfecturam: vt ſicut Oriens atque Illyricum, ita & Africa Prætoriana maxima poteſtate ſpecialiter à noſtra clementia decoretur: cuius ſedem iubemus eſſe Carthaginem, & in præfatione publicarum chartarum Præfecturis aliis eius nomen adiungi. quam nunc tuam excellentiam gubernare decernimus. Et ab ea, auxiliante Deo, ſeptem prouinciæ cum ſuis Iudicibus diſponantur. Carthago & Byzacium & Tripolis Rectores habeant Conſulares: reliquæ verò, id eſt, Numidia, Mauritaniæ duo, & Sardinia à Præſidibus cum Dei auxilio gubernentur, &c.] ſubdit enim de reliquis Iudicibus

A cibus iisdem præficiendis; & quæ emolumenta persolui debeant tum ipsis, tum aliis ministris, Notitiam, qua declaretur, adiungit.

Ista quidem sanciens Imperator, posteros omnes docuit Principes, digno quod retineretur exemplo: post populos Dei beneficio debellatos, tum verbis, tum factis gratias summas diuino numini esse reddendas: verbis quidem ea animi summissione depromptis, vt cuncta ipsi Deo optimo maximo ferantur accepta, ne illud blasphemum proferant, vt impiè cum impiis dicant[a]: Manus nostra excelsa, & non Deus fecit hæc omnia.] Factis verò gratias agant, vt intelligentes ea se lege tanta esse consecutos à Deo, vt deuicto populo non tyrannicè præsint, sed prosint: se vt pastores gerant, pascentes, & non depascentes populum sibi à Deo creditum. Hac quidem conditione præfici populis à Deo Reges, Dauid Rex verbis illis docens, occinuit[b]: De post fœtantes accepit eum, pascere Iacob seruum suum & B Israël hæreditatē suam: Et pauit eos in innocentia cordis sui, & in intellectu manuum suarum deduxit eos.] quod tunc fiet, cùm videlicet sanctis legibus eorumdem prospiciunt securitati atque quieti: dum leges iustè sancteque præscribunt magistratibus atque militibus subiectas sibi prouincias moderantibus & defendentibus; optime scientes, primùm hos legibus coercendos, ne populus ab his pati cogatur, quæ vix ab hostibus perpeti consueuit, vbi magistratibus atque militibus liberæ relaxantur habenæ.

[a] *Deut. 32.*

[b] *Psal. 77.*

Sic igitur post primam sancitam legem, idem Imperator, quæ militibus in Africa militantibus, eorumque Ducibus per singulas prouincias disponendis debeantur, alia ad Belisarium Ducem exercitus data constitutione sanciuit hoc eodem anno, sub quarto suo Consulatu, Idibus Aprilis; cuius hîc tantùm satis erit exordium[c] recitare: se habent enim ista veluti acceptorum à Deo beneficiorum æneæ incisæ tabulæ, quas voluit cunctis patentes C perpetuò permanere, quæ ita exordiuntur: In nomine Domini nostri Iesu Christi ad omnia consilia omnesque actus semper progredimur: Per ipsum enim iura Imperij suscepimus: per ipsum pacem cum Persis in æternum confirmauimus: per ipsum acerbissimos hostes & fortissimos tyrannos deiecimus: per ipsum multas difficultates superauimus: per ipsum Africam defendere, & sub nostrum Imperium redigere nobis concessum est: per ipsum quoque vt nostro moderamine gubernetur & firmè custodiatur, confidimus. Vnde per eius gratiam etiam ciuilium administrationum Iudices & officia singulis Africanis prouinciis constituimus, attribuentes quidem emolumentum, quod vnusquisque percipere debeat. Ad eius igitur prouidentiam etiamnum animum nostrum referentes, & armatas militias & Duces militum ordinare disponimus. Sancimus itaque] & reliqua vsque ad finem, quæ breuitatis causa prætermittimus: ea tu ipse, si cupis, consulere poteris. Voluit D autem ipse Imperator has recèns editas à se constitutiones hoc anno inferri in Codicem suum, quem antea editum vidimus; vt sic idem ex nouis promulgatis postea sanctionibus, quibus interdum nonnulla iura sancita emendabantur & alia addebantur, augeretur: ipsum enim hoc anno, suo Consulatu quarto, Imperator decimosexto Kal. Decemb. edidit iterum (vt diximus) auctum & emendatum, recenti de his, quæ hæc significaret, apposita sanctione[d].

[c] *l. 2. C. de off. Pref. Præt. Afr.*

RECOLIT GRATO ANIMO ACCEPTA A DEO BENEFICIA IMP.

Multa præterea dispositi de his quæ spectarent ad res Africanas Ecclesiasticas moderandas, quorum meminit in sanctione[e] anno sequenti sub Consulatu Belisarij edita, quam suo loco recitaturi sumus. Erat planè miseranda facies Ecclesiæ Africanæ, vtpote quæ speciem quamdam præseferebat agri inculti, quem vepres, spinæ, & vrticæ vndique repleuissent, in quibus & immanium bestiarum latibula essent. ad annorum enim fermè centum spatium E ab Arianis truculentis barbaris possessa, quænam potuerunt in ea remanere pristini decoris & pulchritudinis? Ad eam autem excolendam, & in pristinam culturam (quantum fas esset) restituendam impigro studio, sequenti anno omnium Orthodoxorū qui reperiri potuerunt in Africa Episcoporum Concilium celebratum est: agemus de eo suo loco.

[d] *l. 1. de emend. Cod.*

[e] *Nouel. 36.*

Iustinianus insuper, vt quam recepisset nobilissimam summo labore Romano Imperio à maioribus partam prouinciam ad pristinum statum politicum reuocaret, pro viribus laborauit, sanctionem illam edens, qua voluit vt quisque sua reciperet, quæ perdidisset; cuius hoc tantum fragmentum reliquū est[f]: Omne infinitum, &c. Vt Afri, quæ VVandalorum temporibus vel ipsis, vel propriis parentibus, vel auis vtriusq; sexus, vel ex transuersis cognatis vsque ad tertium gradum erepta sunt, intra quinque annorum spatia vindicent, nisi legitimis excludantur præscriptionibus. Vt ad comprobandum genus ambæ partes probationes proferant. Vt omnes Afri Romanis legibus subditi sint.] hæc sunt quæ de rebus

[f] *Nouel. 15.*

DE REBVS AFRICANIS ALIA CONSTITVTIO.

Africa-

Africanis Iustinianus sancitis legibus statuisse reperitur. Sed quæ idem Imperator siue ad pietatem, siue ad decorem, vel munimentum spectantia in Africa ædificia erigenda curauit, Procopius diligenter prosecutus est diffusè satis. A

DE ECCLESIIS CARTHAGINE AB IMP. ERECTIS.

In primis autem grati animi signum illud rependit, cùm ob gratiarum actionem, veluti triumphales quosdã fornices ei, cuius fultus præsidio & intercessione ad Deum vicerat, ipsi Dei genitrici semperque Virgini Mariæ Carthagine nobiles ædificauit ecclesias. Quodammodo enim visi sunt mutuis officiis atque etiam beneficiis certasse Dei genitrix atque Iustinianus: cùm enim hic aduersus improbos Nestorianos eius defendisset summum omnium titulum dignitatis, quo verè Dei mater appellaretur; ab ipsa datum est ei, vt Imperio potiretur: & cùm ipse complures eidem erexisset ecclesias, potissimùm verò Hierosolymis nobilem basilicam; ab ea repensum est, vt quàm facillimè vniuersam Africam subiugaret: qui rursum ob accepta à Deo tam ingentia munera, pluribus ipsam basilicis honorauit, B quas Carthagine extruendas curauit. Ita quidem reddendis beneficiis cùm mutuo simul certent Deus & homo: semper tamen vincit Deus: sed vnam illam tantùm cõsequi potest homo victoriam, si gratias agens, se fateatur diuinis beneficiis superatum: quod quidem Iustinianum fecisse vidimus.

Agens itaque idem qui suprà Procopius de ædificiis ab Imperatore Carthagine erectis, vbi locutus est de structuris antiquis à VVandalis per vniuersam Africam demolitis, hæc addit[a]: Solùm Carthagine pauca quædam in antiqua specie manserunt, & ipsa quoque diuturnitate temporis iam collapsa.] & paulo pòst: Primùm Carthagine murum collapsum reparauit totum. fossa, quæ antè non fuit, egesta. Posuit quoque sacra templa Dei genitrici; & in palatio cui indigenarum sanctæ Primæ.] non (vt puto) quòd Prima nomine diceretur aliqua nota Carthaginensis martyr (nulla enim apud maiores de ea mentio est) C sed quæ primaria inter alias ecclesias à ciuibus haberetur. Addit Procopius & monasterium ab eo erectum, mœnibusque munitum iuxta mare, in quo monachi debitas Deo laudes persoluerent: insuper & Bagaiensem vrbem cinxisse muris, eamdemque nomine coniugis Theodorianam appellasse; Adrumetum præterea muris ab ipso cinctum, Iustinianam nuncupatum: quo etiam nomine ab eo fuisse Carthaginem nominatam Iustinianam, multiplex memoria est: id enim patet ex litteris Synodi Carthaginensis, & in ipsius Iustiniani constitutionibus[b].

[a] *Procop. de ædific. Iustin. lib. 6.*

[b] *Auth. de Eccles. tit. & aliis.*

DE MAVRIS AD CHRISTVM CONVERSIS.

Sed & illud laude dignissimum, dum barbaros repertos in Africa, quos Mauros vocant, Romanis subiectos, ex Gentilibus reddidit Christianos; de quibus ista Procopius[c]: Tripolis hîc promontoria sunt, habitantque Mauri, barbara gens & Romanis antiquo fœdere iuncta. Hi omnes à Iustiniano Rege persuasi Christianorum dogma spontaneè am- D plexati sunt, vocanturque nunc Pacati, quòd Romanis semper confœderati sunt, à pace ita dicti Latina voce.] ceterùm reliqui Mauri ab eodem Imperatore sub Duce Salomone Darensi & aliis post eum vix post decennium subiugari potuerunt, reliquis parêre recusantibus in partes interiores Africæ effugatis. Sed de Africanis rebus satis: iam ad Gothicas transeamus.

[c] *Procop. de ædific. Iustiniani Imp. orat. 3.*

ATHALARICI OBITVS.

Hoc eodem anno Athalaricus Rex Gothorum corruptis moribus adolescens, vbi annos octo in regno absoluisset, moritur, vt Procopius[d] auctor est. Theodatus verò consilio Amalasunthæ regnum suscepit, de quo ista idem auctor: Erat autem Theodatus nomine quidam Theodorici ex sorore Amalafreda nepos ad multum ætatis prouectus, Latinarum litterarum, Platonicorumque dogmatum satis peritus, rei tamen bellicæ prorsus ignarus; longoque interuallo cùm ab industrio & strenuo quouis abesset, accumulandis pecuniis E enixiùs incumbebat.] Extant litteræ Amalasunthæ ad Senatum Romanum de subrogatione Theodati in regnum Gothorum, quibus eum plurimùm laudat; necnõ ipsius Theodati ad Senatum item epistola. Sed quid accidit ingrati animi indignum facinus? Simulac Theodatus ipse liberas est nactus regni habenas, Amalasuntham vinculis alligatam in insula ad lacum Vulsinum posita asseruari in carcere iussit. Interea verò oratum pacem legatos Constantinopolim Libarium atque Opilionem cum aliis tribus misit, litterasque eiusdem argumenti Amalasuntham ad eumdem Imperatorem dare coëgit, vt Procopius tradit[e]. Extant ipsæ litteræ[f], in quibus de missa legatione pacis mentio habetur: sed & litteræ Theodati[g] pariter apud Cassiodorum integræ habentur, quibus pacem petit per legatos ab se missos. Qui igitur egit vt per Amalasuntham inuitam licet litteræ scriberentur ad Imperatorem, ad idem officij præstandum Senatum Vrbis adegit, antea expostulatus aduer-

[d] *Procop. de bello Goth. lib. 1.*

THEODAT. REX GOTH.

AMALASVNTHA CAR. CERI TRADITA.

[e] *Procop. de bello Goth. lib 1.*

[f] *Apud Cassi. Var. lib. 10. epist 3. 4.*

[g] *Apud Cassi ibid epist. 2.*

A aduersus eum quasi nutantem, cuius exemplo vniuersum regnum facilè commoueri posset. nam inter alia: Quæ, inquit, ciuitas non fiat excusabilis, si Roma deliquerit?] Epistola autem Senatus ad Imperatorem sic se habet [a]:

[a] *Apud Cass. Var. lib. 11. epist. 13.*

ROMANI SENATVS AD IVSTINIAN. IMP. EPIST.

Honestum nimis & necessarium videtur esse negotium, pro securitate Romanæ Reipublicæ pro Principe supplicare: quia conuenit à vobis expeti, quod nostræ possit proficere libertati. Nam inter cetera bona, quæ vobis singulariter diuina tribuerunt, nihil gloriosius probatur accedere, quàm quod vos cognoscitis vbique posse præstare. Rogamus ergo, clementissime Imperator, & de gremio curiæ duplices tendimus manus, vt pacem vestram nostro Regi firmissimam præbeatis, nec nos patiamini abominabiles fieri, qui semper de vestra concordia videbamur accepti. Romanum siquidem nomen vos commendatis, si nostris dominis benigna conceditis: gratia vestra nos erigit ac tuetur: & hoc
B mereri cognoscimus, quod de vestra mente sentitur. Quietem ergo Italiæ fœdera vestra componunt; quia tunc amari possumus, si per vos dilectio votiua copuletur. Cui rei si nostræ preces non videntur posse sufficere: æstimate patriam nostram in hæc precatoria verba prorumpere:

ROMA IPSA QVID AD IVSTINIAN. IMP.

Si tibi aliquando grata fui; ama, piissime Principum, defensores meos. Qui mihi dominantur, tibi debent esse concordes; ne incipiant talia in me facere, quæ à votis tuis cognouerint discrepare. Non mihi sis causa crudelis exitij, qui semper vitæ gaudia præstitisti. Si me lædi pateris, vbi iam nomen tuæ pietatis ostendes? Quid enim pro me nitaris
C amplius agere, cuius religio, quæ tua est, cognoscitur sic florere? Senatus meus honoribus crescit, facultatibus indesinenter augetur. Noli per discordiam dissipare, quod deberes per bella defendere. Habui multos Reges, sed neminem huiusmodi litteratum: habui prudentes viros, sed nullum sic doctrina & pietate pollentem. Diligo Amalum meis vberibus enutritum, virum fortem, mea conuersatione compositum, Romanis prudentia charum, gentibus virtute reuerendum. Iunge quinimmo vota, participare consilia: vt tuæ gloriæ proficiat, si mihi aliquid prosperitatis accedat. Noli me sic quærere, vt non valeas inuenire. Tua sum nihilominus charitate: sic nullum facias mea membra lacerare. Nam si Libya meruit per se recipere libertatem, crudele est me amittere, quam semper visa sum possidere. Impera motibus iracundiæ, triumphator egregie. Plus est quod generali voce petitur, quàm si vester animus cuiuslibet ingratitudinis offensione vincatur. Hæc Roma loquitur, dum vobis per suos supplicat Senatores.

APOSTOLI VRBIS PATRONI.

Quod si adhuc minus est, beatorum Apostolorum Petri atque Pauli petitio sanctissima cogitetur. Nam qui securitatem Romanam sæpè defendisse probátur ab hostibus; quid
D erit quod eorum meritis vester non tribuat Principatus? Sed vt omnia reuerentiæ vestræ congruere videantur, per illum virum venerabilem legatum piissimi Regis nostri ad vestram clementiam destinatum preces nostras credimus dirigendas, vt multa debeant efficere, quæ vel singuli poterunt apud pios animos obtinere.] hæc Senatus, id expetente (vt apparet) Rege Gothorum. Diuersa hæc legatio est ab ea postea per Petrum legatum exhibita: hæc autem missa est hoc anno, cùm legati profecti sunt Senatores, Liberius scilicet & Opilio: quod ipsi indicant iis litteris, vbi dicunt: Hæc Roma loquitur, dum vobis per suos supplicat Senatores.]

Post hæc Theodatus Rex Gothorum, nonnullorum persuasione, quorum cognatos olim Amalasuntha neci tradi iussisset, eamdem obtruncandam curauit. ita Procopius [b], sed Iordanus eam in balneo strangulatam tradit. hunc tandem finem consecuta est femina supra
E sexum magno & excelso animo prædita: qualis enim quantaque ista mulier fuerit, præter illa quæ de ea Procopius atque Iordanus habent, consule Cassiodorum [c] in epistola hoc anno scripta ad Senatum de collata sibi Prætorij Præfectura. Qui autem in Occidentem ab Imp. Iustiniano missus est Petrus, vt necem Amalasunthæ cognouit, quæ suæ virtutis ergo charissima erat Imperatori, detestatus est immane facinus, contestatusque pariter rem indignissimâ perpetratam, quæ animum Iustiniani commouere plurimùm posset; foreq; post hac vt nulla ampliùs spes pacis esset, sublata de medio femina æqui amantissima, ipsiq; Imperatori amicitia coniunctissima; quod & accidit. Etenim (vt idem testatur Procopius) vbi ista accepit Iustinianus hoc ipso anno ipsius Imperij octauo, aduersus Gothos bellum parare cœpit, dimissis re infecta legatis: cœpitque exercitum comparare, & aduersus eosdem commouere Francos, iam antè (vt vidimus) viu ente Athalarico concitatos. Quæ autem acta sint, dicemus suo loco anno sequenti, quo gesta esse noscuntur. Sed quæ hoc transacta

[b] *Procop. de bello Goth. lib. 1.*

AMALASVNTHA NECATVR.

[c] *Cassiod. Var. lib. 11. epist. 1.*

sunt

sunt anno his subiicimus: nempe dimisso legato Petro ad eumdem Imperatorem à Theodato Rege, tam ab ipso quàm ab eius coniuge Regina Gudelina ad Iustinianum Imp. redditas esse litteras, quibus obnixiùs pacem petere significarunt. habet eas qui scripsit Cassiodorus [a]: in quibus & mentio habetur de legatione iterum per virum venerabilem cum iisdem litteris ad Imperatorem missa: Sacerdotem planè quemdã meritis insignem à Theodato delectum legatum esse, eædem scriptæ litteræ docent. Quod verò ad Petri legationem ab Imperatore directam pertinet, meminit eius pluribus Procopius [b].

[a] *Cass. Var. lib. 10. epist. 19. 20. 21.*

[b] *Procop. de bello Goth. lib. 1.*

Hic verò in Theodati Regis exordio tibi cudendam curauimus, lector, eiusdem Regis Gothorum imaginem, cultumque regium sacro non absimilem, quo sacerdotes vti consueuerunt: in qua præterea habes quod obserues, Gothum Regem in barba rasa pristinos imitatum esse Romanos; & aduersa eius parte in Victoriæ imagine serpentem calcantis, inscriptione VICTORIA PRINCIPVM, adulatum Iustiniano, qui VVandalorum Regem debellasset.

A

B

[c] *Apud Lalii Pasquilm.*



C



C

MARCELLINI SCRIPTA

Hoc anno sub dictis Consulibus finem imponit suo Chronico Marcellinus Comes, vt ipse eius operis præfatione testatur, aitq; hoc opus alij cuidã suæ scriptioni subiecisse; quam illam putamus, cuius Cassiodorus his verbis meminit [d]: Marcellinus etiam quotuor libros de temporum qualitatibus & positionibus locorum pulcherrima varietate conficiens, itineris sui tramitem laudabiliter percurrit: quem vobis pariter dereliqui.] & paulo pòst, vbi de Eusebij Chronico habuit mentionem, ista subiungit: Hunc subsecutus est supradictus Marcellinus Illyricanus, qui adhuc Patricij Iustiniani fertur egisse cancellos; sed meliore dictione deuotus à tempore Theodosij Principis vsque ad fores Imperij triumphalis Augusti Iustiniani opus suum, Domino iuuante, perduxit: vt qui antè fuit in obsequio susceptо gratus, postea ipsius Imperio copiosè amantissimus appareret.] hæc Cassiodorus de Marcellini Chronico, cuius & aliam refert inferiùs lucubrationem, cùm ait [e]: Marcellinus, de quo dixi, pari cura legendus est, qui Constantinopolitanam ciuitatem & vrbem Hierosolymorum quatuor libellis minutissima narratione conscripsit.] hactenus de eo ipse. Sed præter Chronicon reliqua Marcellini scripta periisse videntur.

[d] *Cassiod. de diuin. lect. c. 17.*

D

[e] *Cassiod. de diuin. lect. c. 25.*

IESV CHRISTI ANNVS 535. AGAPETI PAP. ANNVS 1. IVSTINIANI IMP. 9. THEODATI REG. 2.

E

BELISARII CONSVLATVS HONORIFICVS.

QVi sequens est Christi annus quingentesimus trigesimusquintus Consulatu solius Belisarij feliciter incipit: ob præclaras enim res gestas in Africa summa Consulatus dignitate Iustinianus Imperator eum ornandum putauit, quem ad non minoris momenti expeditionem Gothicam accincturus esset. De ipso Consulatu Belisarij agens Procopius, hæc ait [f]: Paulo pòst Belisario decretus triumphus antiquorum more: nam Consul factus est, curuli sella humeris captiuorum inuectus argentea, zonas aureas, aliasque è spoliis VVandalorum diuitias populo disperfit, quamquam rem nouam facere visus.] Quæ autem ad Gothicam expeditionem spectare videntur, antequam attingamus, res Ecclesiasticas prosequamur.

[f] *Procop. de bello VVand. lib. 2.*

Prouinciam Iustinianus perarduam subiturus, perdifficileq; bellum Gothicum auspicaturus, nullum sibi meliorem apparatum cessurum existimauit, quàm si probè factis consuleret

A suleret rebus sacris, præteritorum satis doctus exemplo, debellari à Deo feliciter hostes, cùm Imperator piè pro religione laborat. Quamobrem in id totis incumbit viribus, vt quæ in primis in ipsa Constantinopolitana ciuitate aduersus sacros canones, probatamque consuetudinem, in ecclesiarum detrimentum, dispendiumque diuini cultus videret admitti, corrigeret. At quænam fuerint ista, eodem temporis ordine, quo sunt edita, hîc nobis dicenda erunt. Inter alias autem eiusdem Principis hoc anno promulgatas sanctiones sub Belisarij Consulatu, primum locum illa obtinet ad Epiphanium Constantinopolitanum Episcopum data, decimasexta mensis Martij, vt determinatus sit numerus clericorum sanctissimæ maioris ecclesiæ[a]: quæ quidem nonnisi ex canonum præscripto se facere, ipso eius exordio profitetur, cùm regularum sacrarum meminit. Eius verò sanciendæ legis ab ipso causam expressam habes: nimirum quòd cùm ab Episcopo plures ordinarentur clerici, quàm
B reditus ecclesiæ ferrent; inde accideret, vt ipsa ære alieno oppressa semper esset, alienareq; cogeretur bona etiam immobilia sibi relicta. Sed accipe quid agere solerent structores ecclesiarum: de his enim ista habet.

IVSTINIANVS PRO RELIGIONE LABORAT.

[a] *Nouel. 3.*

Inuestigantes igitur illud vndique, inuenimus, quoniam singuli horum, qui sanctissimas ecclesias ædificauerunt in hac felicissima ciuitate, nõ pro ædificio solummodo cogitarunt, sed etiam vt expensas sufficienter darent à se factis venerabilibus domibus, & determinarent quantos quidem competens esset presbyteros per vnamquamque ecclesiam, quâtosq; diaconos, masculos atque feminas, & quantos subdiaconos, & rursum cantores atque lectores & ostiarios constitui: & super hæc etiam oratorij expensas definierunt, & reditus proprios sufficientes dederunt iis quæ à se constituta sunt; si quis autem adiecerit multitudinem, nequaquam ampliùs penitus extendi valentes. Et quidem permanserunt vsq; ad mul-
C tum tempus talia conseruata; & donec hoc fuit, duraverunt sanctissimarum ecclesiarum domibus quæ sufficerent. Cùm verò Deo amabiles Episcopi ad aliquorum preces semper respicientes pertracti sunt ad ordinationum multitudinem, aucta quidem est expensarum quantitas ad immensitatem multam: creditores autem vndique & vsuræ: & nouissimè neque creditores inueniuntur propter incredulitatem iam causæ; sed alienationes cum necessitate & contra leges, &c.] plura enim aggregat mala, quæ prouenire solerent ex eiusmodi causa in dispendium ecclesiarum. Sed non prætermittenda sunt, quæ de numero clericorum ecclesiæ maioris Constantinopolitanæ cùm decernit, de aliis eidem annexis ecclesiis habet. Erat illa ceteris eminens basilica, Sophiæ nomine nuncupata, de qua sæpe superiùs cùm dictum sit, plura adhuc inferiùs dicenda erunt.

CONSVLIT IMP. ECCLESIIS AERE ALIENO OPPRESSIS.

Sancimus igitur (inquit) eos qui hactenus sunt in eadem sanctissima maiori ecclesia, &
D reliquas omnes venerabiles domos, & reuerendissimos clericos & mulieres diaconissas & ostiarios manere in eo quo sunt schemate, *eodem modo scilicet & ordine perseuerent* (non enim quod est minuimus, sed de futuro prouidentes hæc sancimus) Reliquo verò tempore nulla fiat ordinatio, donec ad antiquum numerum institutum ab iis, qui sanctissimas ecclesias ædificarunt, reuerendissimorum clericorum quantitas redigatur. Sed quoniam pridem etiam reuerendissimorum clericorum sanctissimæ maioris ecclesiæ nostræ ciuitatis determinatus est numerus, & valde breuis erat, vtpote vna existente sanctissima ecclesia, postea verò & venerabilis domus sanctæ glorioseque Virginis & Dei genitricis Mariæ iuxta sanctissimæ maioris ecclesiæ vicinitatem posita ædificata est à piæ memoriæ Verina Augusta *vxore Leonis Imperatoris*, & veneranda domus sancti martyris Theodori ab Asporatio * glorioſæ memoriæ dedicata est (*gessit hic Consulatum vnà cum Herculano tempore Marciani*
E *Imperatoris, anno Domini quadringentesimo quinquagesimo secundo*) erat autem etiam venerabilis domus sanctæ Helenæ, quæ sanctissimæ maiori ecclesiæ copulata est: propterea redigere numerum ad antiquam figuram, impossibile est: non enim sufficient tantis ecclesiis pauci consistẽtes; quoniam quidem proprios clericos neque vna quidem harum trium habet basilicarum, sed communes sunt sanctissimæ maioris Ecclesiæ & earum: & omnes circumeuntes, secundùm quemdam ordinem & circum *, ministeria in eis celebrant. Dededucta, gratia quidem magni Dei & Saluatoris nostri Iesu Christi, laboribus autem & immutationibus nostris oporteat plures quàm à principio ad præsens officij ministerium definiri.] Quod de hæreticis ait in maiorem ecclesiam receptis, intellige de iis, qui ex eiusdem ecclesiæ clero in hæresim lapsi, sed Catholicam fidem rursum professi, in locum pristinum sunt pariter restituti, Catholicis iam antè in locum ipsorum subrogatis; ex quo

MAIORI BASILICAE TRES ANNEXAE.

* Speratio, vel Sporatio.

* circulum

fiebat, vt necessariò auctus esset numerus clericorum. Sed quot cuiusque ordinis esse de- A
berent, ita decernit:

NVMERVS CLERICORVM MAIORIS ECCL.

Quapropter sancimus, non vltra sexaginta quidem presbyteros in sanctissima maiore ecclesia esse, diaconos autem masculos centum, & quadraginta feminas, *diaconissas scilicet*, subdiaconos verò nonaginta, lectores autem centum & decem, cantores vigintiquinque: ita vt sit numerus reuerendissimorum clericorum sanctissimæ maioris ecclesię in quadringentis vigintiquinque, & insuper centum existentibus iis qui vocantur ostiarij.] hæc de numero clericorum maioris ecclesiæ Constantinopolis, longe hac ex parte primaria Romana numerosioris: vt vel ex his perspicuò intelligas, non ex nimio Romanæ Ecclesiæ splendore (vt aliqui garriunt) comparatam esse illi super omnes Orbis totius Ecclesias auctoritatem & potestatem, quæ hac ex parte pluribus diuersarum ciuitatum Ecclesiis inuenitur inferior; sed ex cathedra Petri à Deo super vniuersalem Ecclesiam constituti id ipsi B
perpetuò inhæsisse. Hinc vides, his etiam temporibus, cùm Romana Ecclesia sub Gothis barbaris atque hæreticis videretur teneri captiua, & quodammodo sub tributo redacta (vt ea quæ sunt dicta superiùs docent) nihilominus summa auctoritate, quæ velit vt seruet, ipsi Constantinopolitanæ Ecclesiæ iubere, vt recitatæ nuper Hormisdæ Romani Pontificis litteræ manifestant.

Adiicit idem Imperator post hæc ex canonum præscripto, ne liceat clericis de minore ad maiorem ecclesiam fauore potentium pertransire; sed vt vbi sunt ordinati, illic debeant ministrare, etiam si è domo Imperatoria id veniat imperatum. Ad postremum verò illud inculcat, vt quæ supersunt de ecclesiarum facultatibus ministrantibus clericis, eadem in pauperes erogentur. atque demum ad Epiphanium Patriarcham ista perorat: Beatitudinem igitur tuam, quæ ab initio & infantili pene ætate in sacro omni ordine & schemate C
*ordinauit sanctissimam ornauit * Ecclesiam; quæ & ex sacrato vtique genere descendit: hæc custodire continuè sancimus, scientes quia non minor nobis cura est horum, quæ sanctissimis ecclesiis prosunt, quàm quæ ipsi animæ. Data decimoseptimo Kal. Aprilis, domino Belisario viro clarissimo Consule.]

Paulo pòst autem, vt quæ à sanctis Patribus de electione Episcoporum sancitæ sunt regulæ seruarentur, ad eumdem Epiphanium scripsit; ad quem etiam, à promulgata dicta de numero clericorum constitutione triduo tantùm elapso, idem Iustinianus Imperator
*Nouel.5. decimanona eiusdem mensis Martij * de obseruantia monachorum sanctionem dedit (vt suo loco dicemus) in qua huius de Episcopis editæ constitutionis meminit, vt appareat ante data. Sic igitur ad Epiphanium Constantinopolitanum Episcopum ista scribens, ad felicem successum belli Gothici viam sibi aperire putauit, si vt Ecclesiastici canones obseruarentur, inuigilaret: quæ enim ipse in hunc præfatur modum, animi eius consilium reddunt D
manifestum:

*Nouel.6. SACERDOTII REFORMATIO PROCVRANDA.

Maxima quidem (inquit *) in hominibus sunt dona Dei superna collata clementia, Sacerdotium & Imperium: & illud quidem diuinum ministrans, hoc autem humanis præsidens ac diligentiam exhibens, ex vno eodemque principio vtraque procedentia humanam exornant vitam. Ideoque nihil sic erit studiosum Imperatoribus, sicut sacerdotum honestas, cùm vtique & pro illis ipsi semper Deo supplicent. Nam si hoc quidem inculpabile sit vndique & apud Deum fiducia plenum; Imperium autem rectè & competenter exornet traditam sibi Rempublicam: erit consonantia quædam bona, omne quidquid vtile est, humano conferens generi. Nos igitur maximam habemus solicitudinem circa vera Dei dogmata & circa sacerdotum honestatem: quam illis obtinentibus, credimus quia per eam E
maxima nobis dona dabuntur à Deo: & ea quæ sunt, *adepta scilicet*, firma habebimus; & quę nondum hactenus venerunt, acquiremus. Bene autem vniuersa geruntur & competenter, si rei principium, *auspicatio videlicet belli Gothici*, fiat decens & amabile Deo. hoc autem futurum credimus, si sacrarum regularum obseruatio custodiatur, quam iusti & laudandi & adorandi inspectores & ministri Dei Verbi tradiderunt Apostoli, & sancti Patres custodierunt & explanauerunt.]

Quod igitur probè sciret, spem omnem Ecclesiasticæ disciplinæ in eo esse repositam, si qui præsunt Ecclesiis sacerdotes, à quibus sunt alij illustrandi, ipsi sint superna luce respersi: in hoc laborans, vt præscriptæ de his à Patribus leges seruarentur, ista subiungit; sancimus igitur, sacras per omnia sequentes regulas, &c.] planè significans, quæ sacris essent canonibus constituta, seruanda se proponere, non autem de personis vel rebus Ecclesia-

A clesiasticis ferre legem. Et inter alia multa cohærentes vxori arceri voluit Episcopatu: nam subdit: Sed neque ineruditus existens sacrorum dogmatum ad Episcopatum accedat. Priùs autem monachicam vitam professus, aut in clero constitutus non minùs mensibus sex, vxori tamen non cohęrens, aut filios, aut nepotes habens. Hoc enim omnimodo super Deo amabilibus Episcopis quærimus, sicut etiam priùs duabus nostris constitutionibus hoc sancitum est, per quas dudum cohærentes vxoribus non perscrutamur, omne præteritum relinquentes, de cetero autem nulli permittentes à positione legis vxorem habenti talem imponi ordinationem, &c.] Vides cælibatum & sacris legibus & Imperatoria sanctione præscribi in Græcorum etiam Ecclesia eligendis Episcopis: quod non in Episcopis tantùm, sed & in reliquis clericis sacris ordinibus mancipandis obseruandum esse, inferiùs idem Imperator admonet: subditque alia plura ex sacris regulis impedimenta, quibus quis repel-
B latur ab Episcopatu. DE EPISCOPORVM ORDINATIONE

Sed & subiicit item de Episcopis, ne vltra annum absentes sint ab Ecclesiis suis, neque ad Comitatum accedant absque litteris suæ Metropolitæ. His multa addit de ordinatione clericorum atque diaconissarum, & aliis; quæ tu otiosiùs, si libet, legere poteris. Ad finem verò, omnia ista ex sacrorum canonum præscripto à se esse deprompta, verbis his contestatur: Quæ igitur à nobis sancita sunt, & sanctum ordinem statumque custodiunt secundùm sacrarum regularum statum & virtutem, &c.] Sed neque hæc satis visa sunt Imperatori: qui paulo pòst, nempe decimanona mensis Martij rursum de monastica disciplina seruanda ad eumdem Constantinopolitanum Episcopum Epiphanium constitutione scripsit[a]: in qua inter alia de his qui essent in monasterio suscipiendi, salubriter cauit, ne intra triennium sacro monachorum habitu induerentur, sed probarentur eo temporis spatio:
C hæcque ex canonum sententia, vt profitetur his verbis: Sancimus ergo sacras sequentes regulas, eos qui singularem conuersationem profitentur, non proruptè mox à reuerendissimis Præsulibus venerabilium monasteriorum habitum percipere monachalem; sed per triennium totum (siue liberi fortè sint, siue serui) tolerare, nondum monachicum habitum promerentes, sed tonsura & veste eorum qui laici vocantur vti, & manere, diuina discentes eloquia, &c.] hęc & alia plura ad ordinem monasticum sub disciplina continendum eadem sanctione Imperator inculcat. [a] *Nouel. 5.* DE OBSERVANTIA MONASTICAE DISCIPLINAE.

Qui igitur de Episcopis, clericis, atque monachis in officio continendis tres has recensitas constitutiones ad Epiphanium Constantinopolitanum scripsit: aliam rursus ad eum de non alienandis permutandisve bonis ecclesiarum, sequenti mense, eodem anno dedit, nempe XVII. Kalendas Maij, sub dicto Belisarij Consulatu. Ita quidem tum personis, tum
D rebus sacris idem Imperator optimè voluit esse consultum, quò sibi ad ardua pertentanda diuinum numen per eiusmodi pia conciliaret officia. Neque verò, sacra in pristinum decorem reformanda laborans, quæ laicorum essent, prætermittenda putauit: sed quòd salus integra Reipublicæ, quæ ex vtroque personarum statu & ordine constat, in vtroque vigeret; illud adiecit, vt eos quibus regimen subiectorum in diuersis prouinciis mandatum esset, regeret disciplina, & legibus coërceret, qui seruandis legibus populis præfecti essent. De Prouinciarum igitur Præfectis moderandis dignam Christiano Principe edidit sanctionem sequenti die, nempe decimosexto Kal. Maij, sub eodem Belisarij Consulatu, qua in-
E ter alia singulis præfectis voluit Episcopos imminere, vt si quid iniustum admitterent, iidem Imperatori deferrent: nam post multa: Damus (inquit[b]) prouincialibus licentiam, si quid apud prouinciam iniustum, qui administrationem habet, egerit; vel si damnis aliquibus aut calumniis subdat nostros collatores: vt Deo amabiles Episcopi & prouincię primates preces ad nos dirigant, exponentes cingulum habentis delicta. Nos enim hæc cognoscentes, dirigemus in prouinciam hæc examinaturum; quatenus ipse, vbi iniustitiam fecit, illic quoque pœnas subeat delictorum.] Adiecit insuper, vt Præses prouinciæ, vbi ei succeſſum esset, adhuc quinquaginta dies ibidem moraretur expositus cuiusque querelis. Inhibuit præterea, ne pro consequenda Præfectura aliquid quisquam persolueret, sicque Præfecturæ venales redderentur; immo voluit eis à fisco stipendium assignari, vt sic omnis occasio vexandi subditos tolleretur. cuius rei gratia subiectos sibi populos ad persoluendas Deo laudes excitat verbis istis[c]: [b] *Nouel. 8.* PRAEFECT. EMENDATIONE REI PVB. BENE CONSVLTVM

Itaque Deo & Saluatori nostro Iesu Christo omnes similiter offerant hymnos pro hac lege, quæ eis dabit & patrias habitare cautè, & proprias facultates habere firmissimè, & Iudicum frui iustitia. Nam & nos propterea ea posuimus, vt & iustitiam, quæ in lege est, [c] *Nou. 8. c. 12.* PRO NOVA SANCITA LEGE GRATIAE AGENDAE DEO.

valeamus Domino Deo noſtro vouere, & noſmetipſos & noſtrum commendare Imperium, & non videamur homines deſpicere, quos nobis tradidit Deus, vt eis per omnia parcamus, eius ſequentes benignitatem. Ideoque (quantum ad nos) conſecretur hæc lex Deo; eo quòd nihil in mentem noſtram veniens boni, pro tuitione ſubiectorum relinquimus. Volentes enim inhoneſta hæc & ſeruilia furta perimere, & noſtros ſubiectos in quiete à prouincialibus Iudicibus conſeruare: propterea feſtinauimus gratis adminiſtrationes eis dare, vt nec ipſis liceat delinquere, & abripere ſubiectis, quorum cauſa omnem perferimus laborem, dedignantes imitari eos qui ante nos imperauerunt, qui pecuniis ordinabant adminiſtrationes, ſibimetipſis licentiam auferentes adminiſtratoribus nocentibus increpandi iuſte, &c.] Hanc editam à ſe legem Iuſtinianus ad Epiſcopos miſit in diuerſas prouincias vnà cum edicto ad omnes Archiepiſcopos & Patriarchas, quos ſuper cuſtodiam latæ legis monet inuigilare, cùm eos his verbis alloquitur[a]:

EPISCOPI INSPECTORES PRAEFECTORVM.

Traditæ nobis à Deo Reipublicæ curam habentes, & in omni iuſtitia viuere noſtros ſubiectos ſtudentes, ſubiectam legem conſcripſimus, quam & tuæ ſanctitati, & per eam omnibus qui tuæ prouinciæ ſunt, facere manifeſtam, benè habere putauimus. Tuæ igitur ſit reuerentiæ & ceterorum hæc cuſtodire; & ſi quid tranſcendatur à Iudicibus, ad nos referre: vt nihil contemnatur horum, quæ ſanctè & iuſtè à nobis ſancita ſunt. Sic enim nos quidem noſtrorum ſubiectorum miſerati, quoniam ſuprà fiſcalium functionum exactionem maximas ſuſtinent ex furto Iudicum violentias propter factas prouinciarum venditiones, hæc auferre per ſubiectam ſtuduimus legem. Vos autem ſi negligentes non referatis à nobis quidem conſecratam Domino Deo: rationem reddetis apud eum pro aliorum iniuſtitia, ſi quod non agnoſcentibus nobis damnum apud vos hominibus inferatur. Sed oportet præſentes vos, & pro eis ac reliquis deteſtantes, manifeſtos nobis facere & rectos Iudices, & tranſcendentes hanc legem noſtram: quatenus vtroſque cognoſcentes, hos quidem puniamus, illis autem repenſemus. Cumque lex publicè propoſita fuerit & omnibus manifeſta: tunc intus recondatur in ſanctiſſima eccleſia cum ſacris vaſis, vtpote & ipſa dedicata Deo, & ad ſalutem ab eo factorum hominum ſcripta. Facietis autem meliùs, & illic habitantibus vniuerſis vtiliùs, ſi eam inſculpentes aut tabulis, aut lapidibus, in porticibus ſanctiſſimæ eccleſiæ deſcribatis, plenam præbentes omnibus horum quæ ſancita ſunt lectionem atque poſſeſſionem.]

[a] *Habetur in appendice Nouel. 8.*

Adiecit inſuper illud commendatione digniſſimum, vt qui eſſent prouinciarum Præfecti, iidem iurarent Metropolitano eius prouinciæ Epiſcopo, omnia ſeruaturos, quæ eſſent Imperatoris legibus imperata. habetur eiuſmodi iuriſiurandi præſcripta forma, quæ ſic ſe habet[b]:

IVSIVRANDVM PRAEFECTORVM PROVINC.

Iuro ego per Deum omnipotentem & Filium eius vnigenitum Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum & Spiritum ſanctum, & per ſanctam glorioſam Dei genitricem & ſemper Virginem Mariam, & per quatuor Euangelia, quæ in manibus meis teneo, & per ſanctos Archangelos Michaelem & Gabrielem puram conſcientiam, germanumque ſeruitium me ſeruaturum ſacratiſſimis noſtris dominis Iuſtiniano & Theodoræ coniugi eius occaſione traditæ mihi ab eorum pietate adminiſtrationis, & omnem laborem & ſudorem cum fauore ſine dolo & ſine arte, quæcumque ſuſcipio in commiſſa mihi ab eis adminiſtratione de eorum Imperio atque Republica. Et communicator ſum ſanctiſſimæ Dei Catholicæ & Apoſtolicæ Eccleſiæ; & nullo modo vel tempore aduerſabor ei, nec alium quemcumque permitto, quantum poſſibilitatem habeo.

Iuro quoque idem iuriſiurandum, quod nulli penitus neque dedi, neque dabo occaſione dati mihi cinguli, neque occaſione patrocinij, neque promiſi, neque profeſſus ſum de prouincia mittere, neque mittã, neque occaſione dominici ſuffragij, neque famoſiſſimis Præfectis, neque iis qui circa eos ſunt, neque alij hominum vlli: ſed ſicut ſine ſuffragio percepi cingulũ, ſic etiam purè me exhibebo circa ſubiectos piiſſimorum noſtrorum dominorum, contentus iis quæ ſtatutæ ſunt mihi à fiſco annonis. Et primùm omne adhibebo ſtudium vt fiſcalia vigilanter inſpiciam: & indeuotos quidem & indigentes neceſſitate cum omni exigam vehementia, nequaquã ſubinclinatus, neque ob hoc lucrũ ipſum omnino conſiderans, aut per gratiam aut odium exigens aliquẽ citra quàm competit, aut concedam alicui. Deuotos autem paternè tractabo, & ſubiectos piiſſimorum noſtrorum dominorum illæſos vndique (quantum poſſibilitatem habeo) cuſtodiam. Et æquus in cauſis vtrique parti & in publicis diſciplinis ero: nulliq; parti, citra quàm iuſtum eſt præſtabo; ſed exequar vniuerſa

[b] *Sub Nou. 8. in fin. edit. tit. 3.*

delicta,

A delicta, & omnem æquitatem seruabo, secundùm quod mihi visum fuerit iustum: & eos quidem qui innoxij sunt, vndique innoxios illæsosq; conseruabo: noxiis autem imponam supplicium secundùm legem: & omnem iustitiam (sicut iam dictum est) in publicis & priuatis contractibus eis seruabo; etsi comperero fiscum iniustitiam * pati. Non ego solùm hoc ago, sed etiam semper mihi assidentem talem studebo assumere & circa me omnes: vt non ego purus quidem sim, si qui verò circa me sunt, furentur & delinquant. Si quis autem inueniatur circa me talis, & quod fit ab eo, me sanare & eum expellere*. Si verò non hæc omnia ita seruauero: recipiam hîc & in futuro sæculo in terribili iudicio magni Domini Dei & Saluatoris nostri Iesu Christi, & habeam partem cum Iuda, & lepra Giezi, & tremore Cain: Insuper & pœnis, quæ lege eorum pietatis continentur, ero subiectus.] hactenus iusiurandum à Iudicibus præstandum Episcopis.

* dispendiū.

* opus erit.

B His igitur probè dispositis, cunctisque aptè compositis, quæ tam ad sacra, quàm etiam ad profana spectare posse videbantur: Iustiniani animum cogitatio illa subiit, vt Romanæ Ecclesiæ aliquod, sancita lege, priuilegium conferret: quæ cùm adhuc sub Gothorum ditione detineretur afflicta, nonnulla tamen in sibi subiecto Imperio latifundia possidebat; quæ quo essent remotiora, eo facilius occupari possent. Vt igitur eadem, nullo obice, perpetuo iure seruarentur ipsi Romanæ Ecclesiæ integra: munire eam voluit Imperator eo priuilegio, vt ipsam non triginta vel quadraginta tantùm, sed centum annorum prescriptione vallaret; indignum omnino ratus, vt eo ipsa omnium caput Ecclesiarum priuilegio careret, quod meminerat Orientalibus Ecclesiis concessisse ante septennium, anno secundo sui Imperij, suo pariter Consulatu secundo [a] cuius quidem sanciendæ legis occasio quæ præcesserit, dicemus inferiùs, cùm primùm reddiderimus ipsam pro Romana Ecclesia editam hoc anno sanctionem vigesimasexta mensis Aprilis, cui eiusmodi titulus præfixus habetur [b]:

IVSTINIAN. IMP. PRIVILEGIO MVNIT ROM. ECCL.

[a] *l. 23. C. de sacr. Eccles.*

[b] *Nouel. 9.*

Imperator Iustinianus Augustus viro beatissimo ac sanctissimo Archiepiscopo & Patriarchæ veteris Romæ.

Vt legum originem anterior Roma sortita est, ita & summi Pontificatus apicem apud eam esse, nemo est qui dubitet. Vnde & nos necessarium duximus, patriam legum, fontem sacerdotij speciali nostri numinis lege illustrare: vt ex hac in vniuersas Ecclesias Catholicas, quæ vsque ad Oceanum fretum positæ sunt, saluberrimæ legis vigor extendatur: & sit totius occidentis, necnon & Orientis, vbi possessiones sitæ inueniuntur ad Ecclesias nostras siue nunc pertinentes, siue postea eis acquirendæ, lex propria ad honorem Dei consecrata. Cùm enim antiqua iura triginta annorum metis temporales exceptiones concludeD bant, & si hypotheca fuerat, paulo longiora eis spatia condonabant: nos sacrosanctas Ecclesias huiusmodi quidem curriculis temporum nullatenus excludi contendimus, maximè in illis rebus, in quibus vel læsionem sustinuerint, vel quicquam debeatur: sed centum tantummodo annorum lapsu temporalem exceptionem eis opponi sancimus, vt maneant per totum prædictum tempus integra iura Ecclesiastica, & non possit eis alia præter centum annorum obuiare exceptio; cùm hoc tempus vitæ longæui hominis plerumque finis esse dignoscatur.

IVSTINIANI CONST. DE PRAESCRIP. CENTVM ANNORVM.

Habeat itaque sanctitas tua hanc legem Catholicis totius Occidentis Ecclesiis profuturam, & in Orientales partes propagandam, in quibus aliquid sacrosanctæ possident Ecclesiæ: vt sit Deo omnipotenti dignum donatiuum diuinarum rerum tuitio; nec iniquis hominibus impium remaneat præsidium, & tutus peccandi locus etiam scientibus relinquaE tur: sed ille seruetur innocens, qui re vera innoxius sit, nec improba temporis allegatione sese tueatur, tempus pro puritate prætendens. Quod igitur nostra æternitas ad omnipotentis Dei honorem venerandæ sedi summi Apostoli Petri dedicauit, hoc habeant omnes terræ, omnes insulæ totius Occidentis, quæ vsque ad ipsos Oceani recessus extenduntur, nostri imperij prouidentiam per hoc in æternum.

Reminiscentes huius legis prærogatiuam (sicut suprà dictum est) non solùm in Occidentalibus partibus, in quibus Ecclesiasticæ vrbis Romæ possessiones sunt, vel postea fuerint, scilicet omnibus iudiciis maioribus, siue minoribus, qui Christiani & Orthodoxi sunt, vel postea fuerint, hanc nostram consuetudinem seruantibus; nihilominus huius legis temeratoribus post cælestes pœnas etiam legitimum semper vigorem pertimescentibus, & pœnam quinquaginta librarum auri formidantibus, hac lege non solùm in postea emergentibus causis suum tenorem exercente, sed etiam in iis quæ iam sunt deductæ in iudi-

cium. Sanctitas itaque tua præsentem nostræ manſuetudinis legem piiſſimam, ſiue ſacro- A
ſanctam oblationem,quam Deo dedicamus, accipiens, intra ſacratiſſima vaſa reponat & à
vobis ſeruandam, & omnes Eccleſiaſticas poſſeſſiones ſeruaturam. Datum ſexto Kalendas
Maij, Beliſario V. C. Conſule.] hactenus ſanctio & priuilegium à Iuſtiniano conceſſum
Romanæ Eccleſiæ, atque Occidentalibus omnibus, quæ Catholica communione coniun-
ctæ ipſi Romanæ Eccleſiæ eſſent: cùm tamen idem priuilegium Orientalibus Eccleſiis
ab eodem Imperatore conceſſum fuiſſet (vt diximus) ante ſeptennium. porrò cauſam
[a] *Suid. verb. Priſcus.* apud Suidam ita recenſitam inuenies[a]:

CAVSA SANCIENDAE LEGIS.

Priſcus Emeſenus alienas litteras mirabiliter imitari potuit, artifex in eo fraudis genere
nimium ſolers. Acciderat autem,vt Emeſenorum Eccleſia multis ante annis à quodam ho-
mine locupletiſſimo hæres eſſet inſtituta. Erat & homo quidam dignitate Patricius, nomi-
ne Mamianus,& genere & pecuniæ copiis illuſtris. Priſcus verò hic, dinumeratis ſub Iuſti- B
niano vrbis huius facultatibus omnibus, ſi quos inuenerat opibus florentes, qui magnam
mulctam ſuſtinere poſſent, horum maioribus accuratè peruestigatis, antiquas eorum litte-
ras nactus, libellos multos quaſi ab illis ſcriptos compoſuit, qui confiterentur ſe Mamiano
pecuniam magnam reddituros, vt quam ab eo depoſiti nomine accepiſſent. Ac pecunia fi-
ctitiis iſtis libellis comprehenſa non minùs centum centenariis confecit. Atque iam viri cu-
iuſdam,de quo eſſet magna & veritatis & virtutis opinio,qui tum temporis in foro ſedens,
cùm ſuperſtes eſſet Mamianus,omnes conficiebat ciuium tabulas, ſuis litteris ſingulas illa-
rum obſignando,quem Tabellionem Romani vocant,litteras ſolertiſſimè imitatus,procu-
ratoribus Emeſenæ Eccleſiæ tradidit, partem ita partæ pecuniæ ipſi pollicitus. Quia verò
lex obſtabat,cauſas omnes ad annorum triginta præſcriptionem redigés, paucas verò quaſ-
dam & hypothecarias omnes quadraginta annorum ſpatio excludens: Bizantium profecti, C
& Imperatori Iuſtiniano pecuniam largiti,ſine vlla cunctatione impetrarunt,vt legem fer-
ret, vt præſcriptionum cauſę non conſtitutis temporibus, ſed centum annorum ſpatio con-
cluderentur.] hæc Suidas, cùm agit de Priſco. Sed ad datam ab Imperatore ad Ioannem

DE IOAN. PAP. SEDIS TEMPORE.

conſtitutionem redeamus. Eſt autem vt ex ipſa eos erroris redarguas,qui eumdem Pontifi-
cem anno ſuperiori defunctum ponunt ſexto Kalendas Iunij: etenim in hunc annũ ipſum
propagaſſe vitam, ex dicta ad eum ſcripta ſanctione perſpicis.

Quo etiam anno data reperitur ad eumdem Pontificem Synodalis epiſtola ex Concilio
Africano. Vindicata enim in priſtinam libertatem Eccleſia Africana, ij qui tunc extabant
in vnum conuenere ſanctiſſimi ſacerdotes, qui reſtituere conantes collapſam ob longam
ſeruitutem Eccleſiaſticam diſciplinam,ad ipſum Rom. Pontificem legationem miſere,qua
perfuncti ſunt Petrus & Lucius Epiſcopi, atque Liberatus diaconus Eccleſiæ Carthaginen- D
ſis,cui hoc tẽpore præerat Reparatus Epiſcopus. His igitur legatis ad Ioannem ipſum Pon-
[b] *Extant Tomo 1. epiſt. Rom. Pont. in Agapet.* tificem has dedere litteras[b] Epiſcopi Africani ex Concilio Carthaginenſi.

Domino beatiſſimo & honorabili ſancto fratri & conſacerdoti Ioanni Reparatus, Flo-
rentinianus,Datianus,& ceteri ducenti decem & ſeptem Epiſcopi, qui in vniuerſis Conci-
liis apud Iuſtinianam Carthaginem fuimus.

EPISTOLA CONCILII CARTHAG. AD IOAN. PAP.

Optimam conſuetudinem præteriti temporis, quam violenta captiuitas per annos cen-
tum,dolentibus cunctis,abſtulerat, iterum ſeruare cupientes, ad vniuerſalem totius Africæ
Synodum fideli deuotione conuenimus in illa Iuſtinianæ Cathaginenſis baſilica congrega-
tionis noſtræ primitias Domino conſecrantes, vnde noſtros patres tyrannus Hunericus ex-
pulerat. Hæc baſilica Fauſti apud nos dicitur, multis martyrum corporibus inſignita: quo-
rum Deus exaudiuit orationes,vt daret huius rei fiduciam ſacerdotibus. Ibi igitur quantum E
ſinguli lacrymantibus gaudiis flere potuerint,cogitandum potiùs beatitudini veſtræ dimit-
timus. In omnibus enim lætitiæ ſpiritualis vnus fuit affectus,agere gratias omnipotẽti Deo,
cuius gratia peccatoribus ſine meritis operum datur, & antidotum fidei ſalutaris nuper re-
conciliatis hæreticis obtinetur.

DE ARIANIS POENITENTIBVS SVSCIPIENDIS.

Definitionibus autem Nicæni Concilij publica lectione tranſcurſis, inter alia de quibus
naſci debuit, diſputatione requiri iam cœperat. Quomodo Arianorum ſacerdotes ad Ca-
tholicam fidem ſuſcipi oporteat, vtrum ne in ſuis honoribus, an in laica communione.
Sic omnibus nobis vnanimiter ſubitò placuit ſciſcitari primitus beatitudinis veſtræ ſenten-
tiam. Poteſt enim ſedes Apoſtolica (quantum ſperamus) tale nobis interrogantibus dare
reſponſum, quale nos approbare concorditer, explorata veritas faciat. Ex omnium quidem
collegarum tacitis motibus nemini placere ſenſimus, vt in ſuis honoribus Ariani ſuſci-
piantur.

A piantur. Verumtamen conuenire charitati credidimus, vt quid habeat sensus noster in publicam notitiam nemo perduceret, nisi priùs vel consuetudo nobis, vel definitio Romanæ Ecclesiæ proderetur.] Disce ex his, lector, quo cultu, quo honore ac reuerentia prosequi solerent transmarini Episcopi etiam conuentu Synodali pollentes Romani Pontificis auctoritatem; vt etiam diuersam ab eo sententiam meditati cùm essent, tamen paratos se præbeant ab ea libenter recedere, si ipse Pontifex, quem consulunt, diuersa rescriberet: cuius standum omnino decreto, esset Catholicis omnibus in confesso. Sed quæ sunt reliqua Synodalis epistolæ prosequamur.

Hanc igitur nostræ salutationis epistolam per fratres & consacerdotes nostros Caium & Petrum, & per filium nostrum Liberatum diaconum continuò destinauimus, & auctoritatem vestræ beatitudinis & gratiam debitis obsequiis honorantes. Talis quippe es, B qualem sancta sedes Petri merebatur habere Pontificem, dignus veneratione, plenus dilectione, loquens veritatem sine mendacio, nihil faciens arroganter: vnde etiam libera charitas vniuersæ fraternitatis requirendum putauit consilium tuum. Respondeat, obsecro, mens illa sancto Spiritui seruiens affabiliter & veraciter. Non solùm enim de sacerdotibus, sed de ipsis quoque paruulis apud eos baptizatis, vtrum soleant, vel debeant ad clericatum, si petierint, applicari, consulimus. Multis enim facere istas frequenter petitiones concedimus, nec negamus; donec habito vobiscum diligentiore tractatu, legatio nostra reuertatur.

LAVDES PAP. IOANNIS.

Illud etiam beatitudini tuæ credimus intimandum: Fratres aliquantos ex nostro collegio, relictis sine causa plebibus suis, ad transmarinas nauigare sæpiùs regiones: hos diutiùs Ecclesia tolerauit, excusante * eos violentia temporis mali. Petimus nunc, vt quicum- C que forsitan Episcopus, aut presbyter, siue diaconus, aut cuiuslibet inferioris ordinis clericus sine nostra epistola venerit, & non approbauerit se pro vtilitate sanctarum Ecclesiarum fuisse directum, similis hæretico iudicetur, neque vestra communione dignus existat: vt in omnibus & per omnia beatitudinis vestræ disciplina laudetur. *Et alia manu.* Vegetem te, nostriqúe memorem præstet omnipotens Deus, Domine frater.] At quid accidit? Antequam eiusmodi litteræ Romam per legatos perlatæ essent, Ioannes Papa ex hac vita decessit.

* accusantes

ADVERSVS VAGOS CLERICOS.

Cùm autem legatio missa ab Africano Concilio ad Ioannem Romanum Pontificem, inuenisset ipsum esse defunctum, ei qui in locum illius esset subrogatus, Agapeto Papæ litteras Synodales dedit. Antequam verò quæ post hæc acta sunt prosequamur, ordo rerum gestarum postulat, vt de illius obitu & huius creatione primùm agamus. Quod igitur D ad Ioannis Papæ obitus tempus pertinet: satis certè errare conuincuntur, qui eum anno superiori ex hac vita migrasse tradunt: ex litteris enim, seu potiùs constitutione data hoc anno ab Imperatore Iustiniano ad ipsum Ioannem sexto Kalendas Maij, ad id vsque tempus peruenisse, intelligi potest. Sed quo potissimùm anni huius die decesserit, habet Anastasius, ipsum hoc anno esse defunctum sexto Kalend. Iulias, atque post sex dies suffectum in locum ipsius Pontificem Agapetum.

IOANNIS OBITVS, ET CREATIO AGAPETI.

Hæc si vera dixerimus, corrigendæ essent quæ reperiuntur eiusdem Imperatoris Iustiniani litteræ hoc anno datæ ad Agapetum Papam pridie Idus Martias sub Consulatu Belisarij, redditæque ad ipsum ab eodem Pontifice xv. Kal. Aprilis sub eodem Belisarij Consulatu: Sed magis illapsus videtur error in diem datæ dictæ Imperatoriæ sanctionis ad Ioan- DE TEMPORE CREATIONIS AGAPETI. nem: cùm præsertim successoris eius Agapeti ordinationem contigisse hoc anno, ipsa hie- E me, litteræ eiusdem Agapeti Papæ ad Reparatum Carthaginensem Episcopum datæ declarent, suo loco paulo pòst recitandæ: quarum auctoritate optimè congruit, vt eadem ordinatione quamprimùm renunciata Constantinopoli, statim ipse Imperator (vt dictum est) scripserit ad ipsum Agapetum Pontificem, ex more, fidei Catholicæ professionem; de qua Imperatoris epistola agetur inferiùs. Verùm etsi hoc anno contigisse & Ioannis obitum & Agapeti ordinationem, tot testimonia probent, quo tamen potissimùm die vnumquodque contigerit, minimè affirmari potest. At de Ioanne iam quæ sunt reliqua describamus: de eo enim Bibliothecarius hæc habet. Hic fecit ordinationem in vrbe Roma vnam per mensem Decembrem, creauit presbyteros quindecim, Episcopos per diuersa loca numero vigintiunum. Qui sepultus est in basilica S. Petri.] & paulo pòst: Cessauit Episcopatus eius dies sex.] Eius autem sepulchro eiusmodi epitaphium inscriptum tradit Manlius ex antiquis monumentis basilicæ Vaticanæ:

IOANNIS PAP. EPITAPHIVM.

Hic

Hic tumulus Vatis conseruat membra Ioannis A
Ordine Pontificum qui fertur iure secundus.
Licet in extremis solers, fidusq́; minister
Claruit, & primus iure Leuita fuit.
Missus ad Imperium vice Præsulis, extitit auctor,
Hunc memorant Synodus, Pontificisq́; thronus.
Cum titulus fidei vigilantia quanta regendi
Commissas animas, ne lupus hostis oues
Carperet, ammixtus premeret, vt † potentior vnam
Iustitiam cunctos nixus habere parem.
Prouidus, humanus, summus, verusq́; sacerdos,
Nil temerè, atque nimis pondere cuncta gerens.] hæc ibi, nonnihil, vt B vides, deprauata.

Qui autem in locum Ioannis subrogatus est Agapetus, patria fuit Romanus, filius Gordiani presbyteri tituli sanctorum Ioannis & Pauli. Fuisse autem Agapetum Archidiaconum, eumdemque apprimè eruditum, testatur Liberatus in Breuiario [a]. Quid verò, simulac creatus est Pontifex, egerit, ab Anastasio accipe: Hic (inquit) in ortu Episcopatus sui libellos anathematis, quos inuidiæ dolo extorserat Bonifacius à presbyteris & Episcopis contra canones, contra Dioscorum, in medio Ecclesiæ, congregatis omnibus, incendio consumpsit, & absoluit totam Ecclesiam ab inuidia perfidorum.] hæc ipse: sed de his superiùs pluribus actum est.

[a] *Liberat. diac. Breu. c. 21.*

IRRITATA ACTA BONIFACII CONTRA DIOSCORVM.

Vbi verò Iustinianus Imperator cognouit Agapetum esse creatum Romanum Pontificem, officium non defuit. Cùm enim more maiorum (vt dictum est superiori tomo ex C Symmacho) consueuerint omnes Catholici Imperatores ad singulos recèns creatos Romanæ sedis Episcopos mittere Catholicæ, quam profiterentur, fidei professionem: id ipsum præstitit Iustinianus Imperator, qui mox eamdem direxit ad Agapetum fidei confessionem, quam Ioanni Papæ eius prædecessori miserat confirmandam, cui & hanc præfationem præfixit post huiusmodi consuetum apponi titulum [b]:

[b] *Extat inter epist. Agapet. Tom. 1. epist. Rom. Pont.*

In nomine Domini nostri Iesu Christi Dei, Imperator Flauius Iustinianus, Alemanicus, Gothicus, Francicus, Germanicus, Anticus, Alanicus, VVandalicus, Africanus, Pius, Felix, Inclytus, Victor, ac Triumphator semper Aug. Agapeto sanctissimo Archiepiscopo almæ vrbis Romæ & Patriarchæ.] inter tot è deuictis populis apponi solitos gloriæ titulos cur Anticus voluerit nominari, habes quem consulas doctissimum Alciatum [c], nempe ab Antis Istri fluminis accolis, quos idem Imperator ad internecionem ferè deleuit. Sed D epistolam audi:

[c] *Alciat. parerg. lib. 5. c. 3.*

IVSTINIANI IMP. AD AGAPETVM FIDEI CONFESSIO.

Ante tempus in hac regia vrbe nostra quorumdam de causa fidei extitit morbosa contentio: quam nos congruè respuentes, interposito edicto, repressimus. Et quia nostri studij est, emergentes eiusmodi causas ad Apostolicæ sedis vestræ referre iudicium: eiusdem fidei, quàm sequendam duximus, tenorem epistolæ nostræ ad beatæ memoriæ prædecessorem vestrum Ioannem per Hypatium & Demetrium venerabiles Episcopos missa legatione direximus. Quam pro integritate fidei memoratus prædecessor vester libenti gratulatione suscipiens, suo & totius Ecclesiæ Romanæ firmauit assensu. Cuius epistolæ nostræ tenor huiusmodi est: Victor Iustinianus, &c. Reddentes honorem Apostolicæ sedi.] & quæ sequuntur, prout suprà descripta habetur. Porrò fidei professioni recitatæ ista ad Agapetum Iustinianus adiunxit: Quamobrem petimus sanctitatem vestram, E vt memoratam epistolam vestra auctoritate firmetis, & Cyrum vel sequaces eius à communione habeatis alienos, donec statutis sanctitatis vestræ obtemperent. *Excmplar subscriptionis.* Diuinitas te seruet per multos annos, sancte ac religiosissime Pater. Data pridie Idus Martiarum, Constantinopoli, Flauio Belisario V. C. Consule.] qui est præsens annus Christi quingentesimus trigesimusquintus. Quid ad hæc Agapetus Papa rescripserit, accipe [d]:

[d] *Agapet. epist. 6.*

Agapetus Episcopus Iustiniano Augusto.

AGAPETI PAPAE EPIST. AD IVSTINIANVM. IMP.

Gratulamur, venerabilis Imperator, quòd tanto Catholicæ fidei ardore succenderis, vt omnibus piissimæ vitæ vestræ temporibus piam solicitudinem circa seruandam augendamque Ecclesiarum concordiam clementer exhibeas, & vnam fidem, suaq́; per omnia firmitate consimilem omnibus populis Christianis cupias prædicari. Nec mirum in eiusmodi clemen-

A clementiam vestra placita Deo cogitatione persistere, cùm non alius Imperij vestri beatior sit prouectus, quàm religionis augmentum. Quapropter libenti hoc & Prophetica voce cantabo[a]: Repletum est gaudio os nostrum, & lingua nostra exultatione: quòd florentissimum Principatum vestrum diuinis quotidie inspicimus beneficiis adornari. [a] *Psal.* 125.

Cupis enim, venerabilis Imperator, vt tuæ pietatis epistolam de fidei vestræ expositione nuper ad beatæ memoriæ prædecessorem nostrum Ioannem Romanæ sedis Antistitem per Hypatium atque Demetrium Episcopos destinatam, & à præfato Præsule roboratam, nostra quoque auctoritate firmemus: laudamus, amplectimur: non quia laici* auctoritatem prædicationis admittimus, sed quia studium fidei vestræ Patrum nostrorum regulis conueniens confirmamus atque roboramus: per quod iam & vnitas prouenit Ecclesiæ, & reliqua Catholicæ membra Ecclesiæ ad eius compagem Christianitatis constantia redituB ra confidimus. Cuius professionis vel epistolæ vestræ tenorem inferiùs adnectentes, studium, quod circa Deum integrè geritis, nostra auctoritate firmamus, prædicantes huiusmodi fidem omnium Patrum nostrorum regulis conuenire, & Apostolicæ sedis concordare dogmatibus. * laicis QVALITER PROBETVR IMP. CONST. DE FIDE.

Constituentes, vt si quis nostræ Catholicæ fidei contraire tentauerit, quam pro submouenda hæreticorum suspicione paternis regulis consentaneam præsenti definitione firmamus, sanctæ communionis efficiatur extraneus. Vnde & Cyrum, eiusque sequaces iam antè pro hac insania ab Ecclesiæ Catholicæ communione suspensos, & in sua hactenus perfidia permanentes, nisi sub satisfactione canonica doctrinam Apostolicam fuerint consecuti, nullatenus patimur eos sacræ communioni restitui, sed etiam vt hæreticos anathemati subiicimus: vt qui nostris constitutionibus parere contempserit, EcclesiasticumC statum, puritatemque non maculet.] hucusque cùm perduxisset Agapetus suas litteras, mox subnexuit dictam Iustiniani Imperatoris epistolam, necnon eius fidei professionem superiùs recitatam.

Hæc ipsis exordiis Agapeti Pontificatus transacta sunt inter Imperatorem atque ipsum Pontificem: cuius sententia in dicta epistola Romano Pontifice digna numquam è memoria dilabatur: ita nimirum recipere Catholicam Ecclesiam, ipsamque Apostolicam sedem Imperatorum leges atq. sancita de rebus ad Ecclesiam pertinétibus, quatenus ea sunt sacris canonibus consentientia, non vt laici hominis docere in Ecclesia præsumentis: FIRMAMVS (inquit) LAVDAMVS, AMPLECTIMVR: NON QVIA LAICIS AVCTORITATEM PRÆDICATIONIS ADMITTIMVS, SED QVIA STVDIVM FIDEI VESTRÆ PATRVM NOSTRORVM REGVLIS CONVENIENS CONFIRMAMVS ATQVE ROBORAMVS.] Sicque & in ceteris discas, ita probatasD Ecclesiæ Catholicæ & Apostolicæ Iustiniani vel aliorum Principum de rebus Ecclesiasticis editas sanctiones, si eædem sacris canonibus innitantur, quibus faueant, eisdemq; consentiant: secus si contrà. Hæc quidem Agapeti Pontificis verba ad reliquas eiusdem Imperatoris editas de rebus Ecclesiasticis sanctiones admittendas, vel respuendas, regula sunto: nimirum vt illæ dumtaxat Iustiniani Imperatoris recipiantur in Ecclesia de rebus sacris promulgatæ constitutiones, quæ auctoritate canonum fulciuntur; explodendæ verò penitus illæ, quibus sacri canones aduersantur. IVSTINIANI CONSTITVTIONES QVAE PROBATAE.

Post hæc autem idem Imperator prudentior factus ex hac Agapeti censura, non ampliùs priuatam à se editam fidei confessionem vsurpauit: sed ne quid sibi arrogare visus esset, publicam misit, & illam ipsam quam olim Hormisda Pontifex miserat per legatos ConstanE tinopolim subscribendam ab iis qui Catholicę & Apostolicæ Ecclesiæ communionem consequi vellent: hanc, inquam, ipsam iterum misit Iustinianus Imp. ad Agapetum Pontificem, cuius est exordium[b]: Prima salus est, &c.] insertam in epistola data hoc anno, decimooctauo Kal. Aprilis sub Consulatu Belisarij. Sed quæ reliqua sunt, eiusdem Pontificis rerum gestarum ipsius Pontificatus exordio, his coniungamus. [b] *Extat inter epist. Agapet.*

Simulac igitur idem Agapetus in Ioannis Papæ defuncti locum subrogatus est, legati ex Africano Concilio antea ad eius prædecessorem directi, eo ex hac vita iam abiisse inuento, easdem litteras Synodales ipsi Agapeto dedere, adiecereque alias à Reparato Carthaginensi postea scriptas: quas vbi Agapetus omnes accepit, in primis ad Concilium Africanum, cui præfuerat Reparatus, mox verò priuatas adiunxit ad eumdem Carthaginensem Episcopum litteras. Reddamus hic singulas, ac primo loco ad ipsam Synodum datas[c]: [c] *Tom. 1. epist. Rom. Pont. in Agapito epist. 1.*

Aga-

Agapetus Episcopus Reparato, Florentiniano, Datiano, & ceteris Episcopis per Africam constitutis. A

EPIST. AGAPETI PP. AD AFRIC. CONC.

Iamdudum quidem, fratres amantissimi, de prosperitatibus vestris repletum est[a] gaudio os nostrum, & lingua nostra exultatione. Sed & nunc, cùm litteras charitatis vestræ ad prædecessorem nostrum datas accepimus, pridem gaudia concepta renouamus, benedicentes Dominum sempiternum, qui liberauit nos ab inimicis nostris & de manu omnium qui nos oderunt. Vobiscum enim rectè nos dicimus, cum quibus & tribulati sumus: nam cùm vnum corpus vbique sit Ecclesia, & apud nos quoque principalia compatiebantur & membra. Vester enim mæror nostra semper fuit afflictio, & de vestrorum omnium gemitu, imperante charitate, visceribus frequentabamus sæpe singultus. Quæ cùm ita sint, redeuntibus Caio & Petro fratribus & coepiscopis nostris, atque Liberato diacono filio nostro, proferimus sinceriſſimam consilij vestri charitatem: quoniam sicut & sapientes facere decebat & doctos, immemores principatus Apostolici non fuistis; sed quæstionis illatæ volentes vincula dissoluere, ab eius sede requisiuistis (sicut decebat) aditum, cui potestas esset indulta claustrorum. B

[a] Psal. 125.

Vnde nos ea quæ de eiusmodi negotio in penetralibus Patrum constituta posuerunt, libenter aperimus, & præsentibus alloquiis translata subnectimus: vt sine dubitatione possitis agnoscere, transcendi positos iamdudum terminos non licere. Itaque si vitare volumus offendiculum; quod à senioribus nunciatum est, hoc sequamur. Carent enim excusatione, quos præmonitos contingit excedere; & acerbitatem cumulant excessuum, quos ignorantia non tuetur. Hinc est, vt quia in tantùm Deus omnipotens erexit[b] cornu salutis nobis in domo Dauid pueri sui, vt de omnibus, quorum iniquitati subiacuimus, reconciliatione tractemus: ita solicitè remedia debeamus adhibere, ne incolumitati nostræ sit incommodum quod curantur, aut medicina subeat maculam de vulnere, cui tribuere vult salutem: sed eiusmodi (sicut & nobis cautissimè visum est) præstemus officium in obseruatione pastorum, ne cùm perdita volumus congregare, pereamus; & cùm sub nimia relaxatione absoluimus, obnoxij (quod auertat Dominus) cadamus in culpam: maximè cùm priorum nostrorum sententia, redeuntes ad nos ex Arianis, quolibet modo, in qualibet ætate illius pestilentiæ labe pollutos, tanta charitate in fide complexa est eiusmodi iustitia, & sub dilectione redarguit, tanta ratiocinatione de ambitu honoris excluſi, vt erubescerent aliud magis quærere, quàm redire. C

[b] Lucæ 1.

RESPONDET AD CONSVL. CONC. CARTHAG.

De eo verò quod piissima compunctione requisistis, vtrum ad officium suum debent suscipi, aut eos non oportet omnino promoueri, an alimoniorum saltem vtilitatibus adiuuentur. Laudamus, hortamur, amplectimur, vt re vera eius promotionem aut officium, in quo fuerint, abnegantes, canonum vos reuerentia iudicent omnes appetere potiùs, quàm gerere cupiditatis ardorem. Venientes igitur ad fidem sinceriſſimam, nutriat humanitas, consoletur; prompta sit omnibus misericordia, in cuius remuneratione dictum est[c]: Beati misericordes, quia ipsi misericordiam consequentur. Illud quoque, quòd Catholicos, qui præsunt aut militant Ecclesiæ, sine sacerdotum suorum litteris susciпi à nobis minimè debere mandatis, & canonibus est congruum, & disciplinis prodesse iudicamus ac fidei: quia permanendo in Ecclesiis, in quibus militant, & ministerij sui poterunt assiduitate in Dei Saluatoris nostri amore feruescere, & quæ in peruagatione reprehensibilia sunt, vitare. Datum quinto Iduum Septembris.] Idem verò Agapetus ad priuatas litteras Reparati Episcopi Carthaginensis ad se datas, postquam innotuit illi ipsius electio, ista rescripsit[d]: D

[c] Matth. 5.

[d] Extat to. 1. epist. Rom. Pont. in Agapet. epist. 2.

AGAPETI PAP. EPIST. AD REPARATVM.

Agapetus Reparato Episcopo Carthaginensi. E

Fraternitatis tuæ litteris indicasti, post epistolam decessori meo dirigendam, inter nauigij suscipiendi moras, quas hiemis continuati generabat asperitas, ordinationem nostram tibi omnipotentis Dei beneficio nunciatam, & gratulatum te fraternitatis affectu, quia Pontificatus mihi diuinitas indulsit officium. quod de sinceritate tua non sumus admirati: sic enim te nobis alloquij directi præsentauit affectio, vt cùm dilectissimas tuas litteras legerem, te viderim. Quapropter ipsa te qua vidi mente complexus, postulo misericordiam Diuinitatis, vt & in vobis quietis reparata gratia fructificet, & Deus omnipotens, qui mihi sacerdotij dedit donum, concedat & meritum.

Præterea ad ea quæ Caius atque Petrus fratres & coepiscopi nostri, sed & Liberatus diaconus filius noster, vt apud nos agerent verbo, à fraternitate tua sibi iniuncta dixerunt: congruum

A gruum putauimus verbo dare responsum, quod per legatos nostros (si Domino placuerit) reddere non moramur. Vniuersa præterea, quæ inimicorum peruersitas inuaserat, charitati tuæ Metropolitana iura reparantes hortamur, vt ea quæ tuo vel aliorum nomine rescripsimus, vniuersis debeas innotescere. Metropolitani quippe auctoritate suffultus, ne quis se excusabiliter asserat ignorare, quòd sedis Apostolicæ principalitas canonum consideratione præscripsit. Data quinto Idus Septembris, post Consulatum Paulini V.C.] qui est præsens annus signatus aliter Belisarij Consulatu. hactenus ad Carthaginensem Episcopum Reparatum Agapetus: non extant tamen decretales litteræ ipsius Pontificis, quas in Africana Ecclesia promulgandas dedit.

Egit & Iustinianus Imperator apud Agapetum litteris de rebus Ecclesiæ Africanæ, rogans ita recipi Arianos Episcopos in Ecclesiam ad pœnitentiam, vt tamen eisdem indulgeretur in Episcopatu permanere: sed quid decreuerit Agapetus, paulo pòst dicendum erit.
B Constat etiam, ex eadem Synodo Carthaginensi legationem missam esse Constantinopolim ad Iustinianum Imperatorem pro recuperandis rebus, ac iuribus Ecclesiasticis à VVandalis vsurpatis: functus est hac legatione Theodorus diaconus. Quæ autem rescripserit pro Africana Ecclesia Imperator, iam dicamus. Susceptis idem Augustus litteris ex Concilio Africano, inter alias redditas litteras reperitur ista rescripsisse ad Salomonem Prefectum Prætorio in Africa[a]:

LEGATIO CONC. CARTHAG. AD IVSTINIAN. IMP.

[a] *Post Nouel. Iustinian. edit. Iulian. pag. 246. & Nouel. 36. 37*

Venerabilem Ecclesiam nostræ Carthaginis Iustinianæ, ceteraſque omnes Africæ Ecclesiæ diœceseos sacrosanctas Ecclesias Imperialibus beneficiis releuare, noctu dieque festinamus: postquam nostræ Reipublicæ per Dei præsidium à tyrannis direptæ sociatæ sunt, nostras etiam sentiant liberalitates. Cùm igitur Reparatus * vt sanctissimus sacerdos nostræ
C Carthaginis Iustinianæ, qui venerando Concilio totius Africæ sanctissimarum Ecclesiarum præesse dignoscitur, vnà cum ceteris eiusdem prouinciæ reuerendissimis Episcopis, propriis per Theodorum virum religiosum diaconem & responsalem eiusdem venerabilis Ecclesiæ Carthaginis ciuitatis Iustinianæ litteris destinatis nostram deprecati sint maiestatem, possessiones Ecclesiarum totius Africæ tractus tyrannico quidem tempore ablatas eis, post victorias autem cælesti præsidio nobis contra VVandalos præstitas, per nostram piam dispositionem eis redditas (salua in quocumque loco tributorum solutione) firmiter possidere secundùm legis tenorem, quæ iam super hac causa promulgata est: petitionibus eorum prono libentique animo duximus annuendum.

QVAE IVSTINIAN. CONCESSIT AFRICANIS ECCLESIIS.

* Separatus

Ideoque iubemus sublimitatem tuam suis disponere præceptionibus, vt prædictas possessiones, salua (vt dictum est) tributorum ratione, venerabiles Ecclesiæ tam nostræ Car-
D thaginis Iustinianæ, quàm omnium ciuitatum Africanæ diœceseos firmiter possideant, & sine vlla concussione à nullo penitus abstrahendas. Si quas autem alias possessiones, siue domos, siue Ecclesiarum ornamenta apud Afros vel Arianos vel Paganos vel alias quaslibet personas detineri probatum fuerit: ea quoque omnimodo sine aliqua dilatione sacrosanctis Ecclesiis Orthodoxæ fidei assignari, nulla prolixitate temporis his qui easdē res iniquè detinent vti concedendis, sed earum restitutionem, omni explosa machinatione, facere compellendis. Quia non patimur sacratissima vasa vel ornamenta venerabilium ecclesiarum, aut alias possessiones apud Paganos vel alias personas detineri: & lex quæ à nobis antea prolata est, abundeque huiusmodi capitulo consultum fecerit. Alterius etiam nostræ constitutionis prærogatiua, quam pro Ecclesiasticis etiam fecimus rebus & possessionibus, Africæ quoque venerabiles Ecclesias perpotiri censemus: & secundùm eius tenorem licen-
E tiam eis damus, res proprias & possessiones, & quicquid ad eas pertinens ablatum est, vel fuerit, ab antiquis detentoribus vindicare.

Curæ autem erit sublimitati tuæ, quatenus neque Arianis, neque Donatistis, neque Iudæis, neque aliis qui Orthodoxam religionem minimè colere noscuntur, alia detur omnino communio penitus ad Ecclesiasticos ritus, sed omnino excludantur à sacris & templis nefandis, & nulla eis licentia concedatur penitus ordinare Episcopos vel clericos, aut baptizare quascumque personas, & ad suum furorem trahere: quia huiusmodi sectæ non solùm à nobis, sed etiam ab anterioribus legibus condemnatæ sunt, & à sceleratissimis, necnon inquinatis coluntur hominibus. Omnes autem hæreticos secundùm leges nostras, quas imposuimus, publicis actibus amoueri, & nihil penitus publicum gerere concedantur hæretici constituti, & Orthodoxis imperare: cùm sufficiat eis viuere, non etiam sibi aliquam auctoritatem vendicare, & ex hoc Orthodoxos homines & Dei omnipotentis rectis-

rectissimos cultores quibusdam afficere detrimentis. Rebaptizatos autem militiam quidem habere, nullo modo concedimus. Pœnitentiam autem eorum, si ad Orthodoxam fidem mente purissima venire maluerint, non respuimus: sed damus eis licentiam hoc faciendi: quia Deo omnipotenti nihil ita est acceptabile, vt peccatorum pœnitentia. Iudæis autem denegamus seruos habere Christianos, quod & legibus anterioribus cauetur, & nobis cordi est illibatum custodire, vt neque seruos Orthodoxæ religionis habeant, neque si fortè catechumenos accipiant, eos circumcidere. Sed neque eorum synagogas stare concedimus, sed ad ecclesiarum figuras volumus reformari: neque enim Iudæos, neque Paganos, neque Donatistas, neque Arianos, neque alios quoscumque hæreticos, & speluncas habere, vel quædam quasi ritu Ecclesiastico facere patimur cum hominibus impiis sacra peragendi permittere, satis absurdum est. A

Insuper sacrosanctæ Ecclesiæ Carthaginis Iustinianæ omnia condonamus, quæ Metropolitanæ ciuitates & earum Antistites habere noscuntur, quæ Codici nostro in primo eius libro segregata sacrosanctis Ecclesiis suum honorem præstare noscuntur: vt ciuitas, quam nostri nominis * cognomine decorandam esse perspeximus, Imperialibus etiam priuilegiis ornata floreat. Confugas etiam, qui ad venerabiles ecclesias & earum fines conuolare festinant, & suæ voluntati proficere; nulli penitus licere sacrilegis manibus ab iis abstrahere, sed eos venerabilibus locis habita reuerentia perpotiri, nisi tantùm homicidæ sint, vel virginum raptores, ac Christianæ fidei violatores. Illos enim qui talia facinora committunt, nullis esse dignos priuilegiis quis non confiteatur? cùm non possint sacrosanctæ ecclesiæ & homines iniquos adiuuare, & hominibus læsis suum adiutorium præstare. B

* numinis

Si quid præterea sacrosanctæ Ecclesiæ sæpe dictæ Carthaginis Iustinianæ & aliis Ecclesiis Africanæ diœceseos à quacumque persona pro suæ salute animæ oblatum est vel fuerit quocumque modo legitimo, seu in possessionibus, seu aliis quibuslibet speciebus; & hoc apud venerabiles Ecclesias manere sinatur, nullius vmquam manibus abstrahendum: cùm homines quidem tam laudabiles tamque Deo acceptabiles actus & pias facere oblationes deproperant, satis & nos laudamus, & Dei cælestis remunerat clementia. Hæc igitur omnia quæ ad honorem sacrosanctarum dedimus Ecclesiarum totius Africanæ diœceseos per præsentem piissimam & in perpetuum valituram legem, quam omnipotenti Deo dicandam esse perspeximus, sublimitas tua cognoscens, firma, illibataque custodire festinet, & omnibus (prout solitum est) manifestare, edictis vbique proponendis: vt nostra iussa summæ pietatis habentia, ex omni parte immutilata seruentur: temeratoribus eorum pœnæ decem librarum auri subdendis, aliqua graui nostri numinis plectendis omnibus, qui nostram dispositionem quocumque modo vel tempore violare concesserint. Dat. Kal. Aug. C.P. Belisario V.C. Conss.] Hanc accipiens Salomon Præfectus Præt. in Africa sanctionem, cùm eam executioni mandaret, Arianorum (quorum magna in Africa multitudo ad centum fermè annos regnarat) maximè in se odium concitauit. sed de his suo loco agendum erit. Porrò huius anni exordio de rebus priuatorum idem Imperator ad eumdem Salomonem rescripserat sanctionem [a] ipsis Kal. Ianuarij, qua admonuit, vt vnusquisque Catholicorum infra quinquennium sua bona cognosceret atque repeteret. At de his quæ ad res Africanas pertinent, cuius Concilij occasione & petitione, eam quam superiùs recitauimus Iustinianus edidit sanctionem, iam satis. C D

[a] *Post Nouel. Iustinian. à Iulian. trãslatas in fin. pag 245. edit. nou.*

Cùm autem (vt nuper dictum est) idem Iustinianus Imp. apud Agapetum Pontificem litteris egisset pro Ecclesia Africana, petens, vt iis qui ab Ariana hæresi ad Catholicam fidem redirent, pateret aditus ad Episcopatum capiendum: iis acceptis Agapetus quid ad eumdem Imperatorem rescripserit [b], accipe: E

[b] *Agapet. epist. 3. Tom. 1. epist. Rom. Pont.*

AGAPETI EPISTOLA AD IVSTINIAN. IMP.

Agapetus Episcopus Iustiniano Augusto.

Licet de sacerdotij mei primitiis, pietatis diuinæ muneribus ad referendas essem gratias multipliciter obligatus: susceptis tamen, venerabilis Imperator, per Heraclium venerabilem presbyterum filium nostrum vestræ serenitatis affatibus, quos æterni fructus vbertate plenissimos destinastis, votorum meorum sunt in Domino gaudia geminata, quòd adunatis felicitatis vestræ prouectibus, tali mentis glorioſæ proposito terrena vobis regna subiicitis, vt simul cælestia conquiratis. Cuius rei non sunt ambigua documenta, quando ita vestris, quæ direxistis, oraculis Catholicæ professionis lumen irradiat, vt etiam beatis operibus enitescat. Siquidem illa est in Deo nostro plena & firma credulitas, quam

spi-

A spiritualium simul fructuum commendat vbertas, sicut Vas electionis annunciat, dicens [a]: In Christo Iesu neque circumcisio aliquid valet, neque præputium, sed fides, quæ per dilectionem operatur. Quod enim maius fidei vestræ poterit opus existere, quàm quod tantis Apostolicam sedem charitatis & munificentiæ titulis eleuastis, vt ipsa etiam desideria sperantium transiretis? Et quidem hoc in vobis olim (sicut ego quoque probaui) per Dei gratiam semper floruit institutum, vt possibilitatis vestræ meritum quantitas ostenderet præstitorum, & ad hos prouectus inditæ * momenta potentiæ tenderetis, vt benignitas vobis ingenita vota poscentium aut præueniret, aut vinceret. Hinc est, quòd vsque ad Principalis coronæ fastigia, & vltra nunc vsque prosperis vestra tranquillitas successibus gloriatur, nec vmquam cælestibus fraudabitur adiumentis; quia scriptum est [b]: Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum.

[a] *Galat. 5.*

* indeptæ *vel* inclytæ.

[b] *Rom. 8.*

B Vnde ego quoque piissima vestræ liberalitatis eloquia cum deuotione gratulantis Ecclesiæ (sicut præcepistis) diuinis scripta feci mysteriis adherere, vt supernæ maiestatis obtutibus indefessis semper precibus ingerantur, & ad impetranda vobis retributionis vestræ præmia sit commemoratio sempiterna. Atque ideo, domine clementissime fili, obsequium salutationis vberrimæ reuerenter exoluens, specialis vos sinibus charitatis amplector, sperans vt de mea deuotione (quantum in me est) in his quæ pro Ecclesiasticæ pacis vnitate præcipitis, vos vobis potiùs quæ sunt Catholica promittatis, iuxta hoc quod dicit Apostolus [c]: Ita quod in me est, promptum est & vobis. Nec in aliquo eorum in quibus licitè possumus obedire, mansuetudinis vestræ nos adhortationibus credatis obsistere: quia sicut Gentium Doctor asseruit [d]: Spem habeo, crescente fide vestra, & in vobis magnificari secundùm regulam nostram. Et ideo immensas Deo nostro gratias exhibeo, quòd pro popu-

[c] *Rom. 1.*

[d] *2. Cor. 10.*

C li multiplicatione Catholici tanto charitatis ardore feruetis, vt vbicumque vestrum propagatur Imperium, regnum mox incipiat proficere sempiternum.

Cuius studij beneuolentiæ vehementiùs insistentes, etiam nos in acquirendis eis, quos Arianam significatis vitare velle perfidiam, paternæ traditionis existimatis declinare posse censuram, scilicet vt in his honoribus, in quibus fuerunt apud hæreticos, perseuerent, & promoueantur ad alios. Quapropter bonum hoc quidem & summa laude præcipuum, quòd omnes ouili Dominico per veram fidem cupitis aggregare: sed nõ oportet nobis eos, qui non rectè ingredi moliuntur, excipere, beato Paulo Apostolo commonente [e]: Nemini dantes vllam offensionem, vt non vituperetur ministerium nostrum. Quantam autem paternarum constitutionum, si sic recipiantur (quod absit) incurrant offensionem; ne quid pietatem vestram latere contingeret, ipsas quoque regulas credidi subnectendas, quæ specialiter censuerant, ne quis talium conciliatus aut Ecclesiastici ordinis prouectibus augeatur, aut desideret honores vlteriùs possidere, quos se dubitare iam non debet culpabiliter amisisse: ex quibus pietas vestra meliùs poterit æstimare, si quo modo tam aperta & Synodalia sedis Apostolicæ licet infringere constituta; cùm sententia clamet Apostoli [f]: Si tamen quæ destruxi, ea iterum reædifico, præuaricatorem me ipse constituo. Et ideo securus cum ipsius Apostoli voce profiteor: Quia confido in vobis & in Domino, quòd nihil aliud sentiatis. Etenim sicut idem Doctor asseruit: Certus sum & ego de vobis, quòd pleni estis bonitate, tepleti omni scientia, vt possitis inuicem monere.

RECIPIENDOS NON ESSE LAPSOS CVM HONORIBVS.

[e] *2. Cor. 6.*

D

[f] *Galat. 2.*

Si igitur hi, de quibus indicastis, ad fidem rectam legitimè venire festinant: nostræ fidei regulas sequi non abnuant, dicente Domino [g]: Si quis vult venire post me, abneget semetipsum, & sequatur me. Quòd si adhuc vituperandi * honoris ambitionibus excitantur, & pro lucro sanctæ fidei humanæ gloriæ pati damna formidant: ipsi pronunciant, necdum se à vitiis & errore discedere, & nos magis velle suis excessibus implicare. De talibus ergo dicit Apostolus [h]: Aemulantur autem vos non bene, sed exludere vos volunt, vt eos æmulemini. Quæ cùm ita sint, sancto studio vestro, quòd Ecclesiam Catholicam cupitis ampliari, nihil ex hoc, si tales in clero non recipiantur, credatis imminui, Apostolo præmonente [i]: Quid enim, si quidam eorum non crediderunt? numquid incredulitas eorum fidem Dei euacuauit? Absit. Nam licet simili studio charitatis pro multiplicatione Fidelium ille beatus Petrus cælestis regni ianitor traheretur, qui vt Iudæorum plures acquireret, à doctrina & tramite regulari in non respuendo omni Iudaismo descenderat: huic tamen ille iunior vinctus in Domino Paulus se retulit obuiasse, dicens [k]: Sed cùm vidissem, quòd non rectè ingrederentur ad veritatem Euangelij, dixi Petro coram omnibus: Si tu cùm sis Iudæus, gentiliter viuis, quomodo Gentes cogis Iudaizare? Hæc

VERE POENITENTES HONORES NON QVAERVNT.

[g] *Matth. 16.*

* recuperãdi

[h] *Galat. 4.*

[i] *Rom. 3.*

[k] *Galat. 2.*

ergo per omnia, Deo cordi vestro assidente, pensantes, agnoscere poteritis, non occasionem nos excusationis inquirere, sed ea quæ pro officij nostri ratione transcendere non possumus, vobis humiliter intimare, dicente Apostolo[a]: Non enim possumus aliquid contra veritatem, sed pro veritate. A

[a] 2. Cor. 13.

Vnde & de Stephani Episcopi persona simul & causa non credatis alicuius nos studio defensionis * impelli. Absit à quorumlibet mentibus Christianis, vt in quacumque persona aut innocentiam redarguant, aut crimen absoluant. Sed vniuersa, quæ Apostolicæ sedis super hac sunt parte dispositа, illo semper studio manauerunt, quæ principatui beati Petri vos quoque cupitis per omnia reseruari; scilicet ne in his qui sedis eius audientiam postulassent, separata * ipsius reuerentia, alterius sententia proueniret. Et ideo quia clementia vestra salubriter offerre dignata est, vt à legatis nostris omne negotium tractaretur: hanc operam his quos in continenti dirigimus, Deo auctore, mandamus: ita tamen, vt iam nunc communione nostra vir religiosus Achilles pro vestra iussione debeat gratulari. At verò de sacerdotio perfruendo, cum ad nos vniuersa quæ legati nostri cognouerint, plenissima eorum fuerint relatione perlata, consideratis sanctorum canonum regulis, quas seruari præcipitis, sequenda firmiùs censebuntur. B

* offensionis

* speratа

LEGATIS ROM. PONT. NEGOTIA COMMISSA.

Quòd autem clementia vestra fratris & coepiscopi nostri Epiphanij dignata est excusare personam: quia in prædicti Achillis consecratione vestra potius iussio quàm illius ordinatio præueniisset: credimus quod & ipse cognouerit iure culpatum; qui præter alia quæ deliquit, hoc certè excusare vix poterit, quòd tam piissimo & clementissimo Principi, beati quoque Petri priuilegia defensanti non vel opportunè vel importunè suggesserit, quid in hac parte sedis Apostolicæ reuerentiæ deberetur. De quo simul negotio, sed & de Iustiniana ciuitate glorioſi natalis vestri conscia, necnon & de nostræ sedis vicibus iniungendis, quid, seruato beati Petri, quem diligitis, principatu, & vestræ pietatis affectu, plenius deliberari contigerit, per eos quos ad vos dirigimus legatos, Deo propitio, celeriter intimamus. Supereſt, vt (sicut à beato Petro indesinenter exposcimus) de salute & prosperitate vestri semper Imperij gratulemur. Datum Idibus Octobris.] hactenus Agapetus, describens ad Iustinianum Imperatorem: sed desiderantur aliæ litteræ, sicut & collectio canonum de non recipiendis hæreticis cum honoribus, quam se his subiicere tradit. C

IN EPIPHANIVM ILLICITA PRAESVMENTEM.

At nec etiam de legatis missis, quinam isti fuerint, mentio vlla fit; sed ex Actis Quintæ Synodi[b] intelligere possumus: nam iidem subscripti habentur in sententia lata contra Seuerum, Petrum, & Zoaram sub Menna Episcopo anno sequenti, nempe Sabinus Episcopus Canusinus, Epiphanius Episcopus Asculanus, Asterius Episcopus Salernitanus, Leo Episcopus Nolanus, Rusticus Episcopus Fesulanus, Theophanes & Pelagius diaconi sanctæ Romanæ Ecclesiæ. Intelligis iam satis, puto, ex eadem epistola, nonnisi Romani esse Pontificis de recipiendis hæreticis pœnitentibus formam præscribere & dispensare; iureque Agapetum expostulasse aduersus Epiphanium Constantinopolitanum Episcopum, qui inter alia quæ perperam egisset, absque requisita Romanæ sedis auctoritate Achillem ab Arianis ad Ecclesiam Catholicam venientem ordinasset, iubente Iustiniano Imperatore. D

[b] Quint. Synod. Act. 1. Tom. 2. Conc. non. edit.

SEDIS APOSTOL. TANTVM ESSE DE LAPSIS DECERNERE.

Quod pertinet ad Iustinianam ciuitatem, quam Agapetus in eadem sua epistola patrium solum ipsius Iustiniani nominat, cuius Episcopum petierat idem Imperator pallio insigniri, sicque vices gerere Apostolicæ sedis: cùm totum negotium legatis tractandum se commisisse dicat; quid ea in re factum sit, diligentiùs est inuestigandum, atque in primis à Procopio noui nominis origo petenda. Ipse enim cùm agit de eiusdem Imperatoris ædificijs, ista habet[c]: Apud Dardanos Europæ, qui iam post Epidamiorum terminos habitant, locus est Taurestia dictus: hinc Iustinianus Rex Orbis reparator oriundus erat. Hunc locum muro circumdans quadrangula figura, singulis angulis turrim imposuit, effecitque vt esset & vocaretur Quadriturrita. Iuxta hunc locum vrbem nobilissimam condidit, quam Iustinianam Latina voce appellauit; atque hoc modo nutricationis officium altrici patriæ rependit. Fabricauit etiã canales aquarũ, vt vrbs aquis abundaret, & multa alia narratu digna. Non est facile enumerare Deo sacrata templa, verbis comprehendere Principum habitacula, ingentes porticus, nitida fora, fontes, vias, balnea, loca vbi res venum exponuntur. Magna' planè vrbs est, & totius regionis Metropolis Illyricorum Archiepiscopum sortita, aliis vrbibus ipsi tanquam magnitudine præstanti cedentibus: quo fit vt etiam honorem Regi rependat. Vt enim ipsa vrbs Rege honoratur tamquam alumno, ita è di- E

DE PRIMA IVSTINIANA.

[c] Procop. de ædific. Iustinian. Imper. lib. 4.

uerso

A uerso Rex locum illum in vrbem euehere curauit.] hæc de Prima Iustiniana Procopius, qui pergit dicere de Secunda Iustiniana ita nomitata ab eo, quæ olim apud Dardanos vrbs erat nomine Vlpiana, necnon & de Iustinopoli auunculi nomine nuncupata,& alijs.

DE PRIVILEGIIS PRIMAE IVSTINIANAE.

Porrò quo ad priuilegia quæ ab Apostolica sede per Agapetum Papam impertienda idem Imperator rogarat,re diutiùs dilata,cùm interea (vt dicetur anno sequenti) contigerit Agapetum ex hac vita migrare, Vigilius Papa eidem Iustiniano assensus est, vt idem Imperator sua constitutione declarat his verbis[a]: Beatissimum Primæ Iustinianæ nostræ patriæ Archiepiscopum habere semper sub sua iurisdictione Episcopos prouinciarum Daciæ Mediterraneæ,& Daciæ Ripensis,& Priualis *, & Dardaniæ, & Mysiæ Superioris, atque Pannoniæ,& ab eo hos ordinari, ipsum verò à proprio ordinari Concilio, & in subiectis sibi prouinciis locum obtinere sedis Apostolicæ Romæ, secundùm ea quæ definita
B sunt à sanctissimo Papa Vigilio. Simili quoque modo ius Pontificis, quos Episcopo Iustinianæ Carthaginis Africanæ ciuitatis dedimus, ex quo Deus hanc nobis restituit, seruari iubemus.] hæc ibi Imperator. Est Nouella constitutio de priuilegiis collatis Archiepiscopo Primæ Iustinianæ,quæ incipit[b]: Multis & variis modis,&c.] data hoc anno sub Belisarij Consulatu.de iisdem in aliis ab eodem promulgatis mentio habetur[c].

[a] *Auth. de Eccl. tit. col. 9 tit. 14. Nouel. 131.*
* Briualis
[b] *Nouel. 11.*
[c] *Nouel. 131. cap. 3.*

Agapetus autem haud quicquam in præiudicium aliarum prouinciarum Metropolitanorum Antistitum visus est voluisse concedere: magnopere enim cauere consueuerunt Romani Pontifices,ne in canonum iniuriam & alterius præiudicium conferrent alicui priuilegium:sed Vigilius diu vi Imperatoria agitatus (vt suo loco patebit) acquieuit. Extant & Gregorij Papæ litteræ[d] de collato pallio Ioanni Archiepiscopo Primæ Iustinianæ. Sic igitur quatuor habes Iustinianas,duas apud Europæ Dardanos, totidemque in Africa, vbi
C diximus duas ampliſſimas ciuitates eodem nomine appellatas, nempe Adrumetum atque Carthaginem. Sed de his satis.

[d] *Greg. lib. 4. epist. 15.*

OBITVS EPIPHANII, ET ANTHIMI SVBROGATIO.

Quòd autem in recitatis nuper litteris Agapeti Pontificis ad Iustinianum querela est aduersus Epiphanium Episcopum Constantinopolitanum de illegitima ab eo ordinatione præsumpta,& aliis quibusdam perperam factis:haud impunè intentatum scias: nam quàm citissimè Deus vltus est,quòd idem Episcopus in sacros canones deliquisset, & quidem seuerè, cùm ipsum ex hac vita præripuit. Sciendum est enim, ipsum Epiphanium hoc anno ex hac vita sublatum, inque locum eius Anthimum subrogatum. Ad hæc vsque tempora Epiphanium peruenisse,tot constitutiones hoc anno sub Belisarij Consulatu ab Imperatore ad ipsum datæ satis apertè demonstrant: quem tamen hoc eodem anno finem viuendi feciſſe,ex iis quæ dicentur inferiùs,certum redditur.

D Sic igitur Epiphanius cùm sedisset annos quindecim, hoc ipso anno ex hac vita decessit: quo è medio sublato valido satis Orthodoxæ fidei propugnatore, callidis occultisque consilijs impiæ Theodoræ Augustæ Anthimus Episcopus Trapezuntius, qui foris licet Catholicam fidem profiteretur, intrinsecus tamen Eutychianam hæresim sectabatur, in sedem Constantinopolitanam intruditur. Id quidem de ipso publica sanctione[e] anno sequenti edita Iustinianus testatus est.

[e] *Nouel. 45.*

Hinc malorum origo, hinc ipsi Imperatori atque vniuersæ Ecclesiæ Catholicæ acerbissimarum cladium fons erupit, cùm videlicet Theodoram Augustam coniugem audiens Imperator, monstrum horrendum in regiæ ciuitatis Pontificiam sedem prouehit. Plus æquo,& quàm deceat Catholicum Principem, audire solebat Iustinianus consilium hæreticæ feminæ impiæ Theodoræ: quod ipsemet in constitutione hoc ipso anno edita profi-
E tetur, cùm ait[f]: Hæc omnia apud nos cogitantes, & hîc quoque participem consilij sumentes eam, quæ à Deo data est nobis, reuerendissimam coniugem, &c.] Sed planè facta est ipsi in scandalum atque ruinam, vt quæ dicentur annis singulis demonstrabunt.

[f] *Nouel. 8. c. 1.*

De studijs autem Theodoræ erga Anthimum auctor est Liberatus diaconus, qui ista ait[g]: Ea tempestate mortuo Epiphanio Constantinopolitano Episcopo, Theodora Augusta Anthimum transtulit in sedem, qui fuit Episcopus ciuitatis Trapezunti regionis Ponti, latenter Chalcedonense Concilium non suscipientem.] hæc ipse huius temporis scriptor. Sed audi ex Actis Quintæ Synodi[h] Anthimi nebulonis in sedem ingressum ex libello monachorum Syriæ: Epiphanio sanctæ memoriæ Archiepiscopo huius regiæ vrbis in pace vita functo, Anthimus, qui aliquando ordinatus fuit Episcopus Trapezundarum, magnitudinem & dignitatem sacerdotij, non spiritualium animarum diligentiam esse putauit, sed quemdam ciuilem principatum,& propterea maiorem appetens, iam multo

[g] *Liberat. diac. de caus. Nest. c. 10.*
[h] *Quint. Synod. Act. 1.*

tempore derelinquens propriam Ecclesiam,& ciuitatem regiam, *Constantinopolim scilicet*, apprehendens tamquam quædam plaga Ægyptiaca,vitamque fictam ipsius figuratæ continentiæ omnibus ostendens,cum hæreticis hîc nidificantibus conuersatus est;similia quoque illis hæretica furta largiendo, & placita illis faciendo & dicendo, voluit adulterinè subripere sacerdotalem sedem ipsius ciuitatis contra omnem æquitatem Ecclesiasticam & canones, &c.] hæc pluribus Syriæ monachi prosecuti sunt in libello, quem postea Agapeto Papæ obtulerunt anno sequenti.

Sed vnde tanta vis homini nequam, vt fauore paucorum hæreticorũ (haud enim conferendi erant hæretici Constantinopoli commorantes cum degentibus ibidem Orthodoxis) sedem inuaderet tantæ vrbis,sub Catholico præsertim Imperatore, nisi insidiis Theodoræ Augustæ fauente illi vti Orthodoxo? quod & suasit viro suo, qui ad eum vt ad Orthodoxum Antistitem sequenti anno Idibus Augusti constitutionem dedit[a] Ecclesiasticam de numero clericorum ordinandorum.Porrò hæc eadem de Anthimi nefaria electione prosecuti sunt Archimandritæ Constantinopolitani in libello,quẽ obtulerunt Agapeto Papæ,cùm peruenit(vt dicemus) Constantinopolim anno sequenti: quo etiam testati sunt in fine ipsius,se ea dẽ causa hoc anno misisse legationem Romam ad ipsum Pontificem, vt de his quæ acta essent Constantinopoli, deque persona Anthimi idem Agapetus certior redderetur.extat ipse libellus prope finem primæ Actionis Synodi Quintæ[b].

[a] *Auth. de mensur. ord. cler. col. 3. tit. 3. & Nouel. 16.*

[b] *Conc. Tom. 2. edit. nou.*

DE THEODORA AVG. MAXIME IMPIA.

Tanta hæc mala ordita est pessima femina, quæ altera Eua serpenti obaudiens facta est viro malorum omnium causa, nouaq; Dalila Samsoni, eius vires dolosa arte eneruare laborans, Herodias altera sanctissimorum virorum sitiens sanguinem,petulansq; summi sacerdotis ancilla, Petri negationem solicitans:sed parum sit ipsam huiusce modi fugillasse nominibus, quæ reliquas impietate feminas antecelluit: accipiat potiùs nomen ab inferis, quod Furiis fabulæ indiderunt,femina furens, Alecto potiùs, vel Megera, aut Tisiphone nuncupanda,ciuis inferni,alumna dæmonum,satanico agitata spiritu,œstro percita diabolico,initæq; summo labore inimica concordiæ, pacisque redemptæ sanguine martyrum & sudoribus confessorum partæ fugatrix: quanta enim hæc Ecclesiæ Catholicæ mala inuexerit,quæ dicenda erunt ostendent. Quàm verò religiosissimo ista obfuerit Imperatori, satis superque,si quæ dicentur attendet,spectator luctuosæ tragœdiæ intuebitur.

IVSTINIAN. LAESVS A CONIVGE HAERETICA.

Quàm felicissimus Iustinianus Imp.extitisset, & planè cui nullus vmquã vel Gẽtilium, vel Christianorum Imperatorum longo interuallo fuisset exæquandus, si Theodora cõiuge caruisset,& Catholicam nactus fuisset sibi similem consortem Imperij: vt planè secundùm illud Ecclesiastici[c]: Commorari leoni & draconi placebit, quàm habitare cum muliere nequam]ipsi contigerit.Et quidem secũdùm quod subditur: Mulier si primatum habeat, contraria est viro suo] quanto propensiori studio palam fauit Iustinianus Catholicæ fidei,tanto ista callidiori consilio clam Eutychianæ hæresi atque Eutychianis hæreticis adiumento fuit & augmento, necnon etiam firmamento. Ceterùm pristinum adhuc vigorem retinens Iustinianus, cùm sibi,qualis esset Anthimus, bene perspectus est, eumdem è sede eiectum proscripsit;sed hæc anno sequenti, postquam idem scelestus iudicio Agapeti Romani Pontificis detectus,eiusq. sententia condemnatus est,accedẽte Synodali decreto.

[c] *Eccles. 25.*

Sed quodnam hoc item tẽpore,ipsa peccati fomes, præpotensq. diaboli telum Ecclesiæ Alexandrinæ damnum intulerit, accipe à Liberato diacono, vbi post subrogationem Anthimi in Epiphanij locum mox ista coniungit[d]: Verùm defuncto Timotheo Alexandrino Episcopo, studio & permissione Calotychi cubicularij partis Theodoræ Augustæ, Theodosius ordinatur: qui licet haberet cleri decretum, contradicere volentibus non permisit certamen populi & monachorum, quos non habuit: hi enim pro Gaiano fuerunt. Consuetudo quippe est Alexandriæ,illum qui defuncto succedit, excubias supra defuncti corpus agere,manumque dexteram eius capiti suo imponere,& sepulto manibus suis, accipere collo suo beati Marci pallium, & tunc legitimè sedere. Dum hæc Theodosius pertentat, cognouerunt populi & monasteria,quod esset factum vespere in Episcopio studio Calotychi & Iudicum,id est, Aristomachi Ducis, & Dioscori Augustalis: mox Theodosium persecuti sunt,& expulerunt, ne colligeret funus Timothei.

[d] *Liberat. diac. Breuiar. c. 20.*

THEODOSIVS ET GAIAN. ALTERCANTVR.

DIRO SCHISMATE VEXATA ECCLES. ALEXANDR.

Inthronizauerunt autem Gaianum, qui fuit Archiepiscopus ex parte assertorum incorruptibilitatis:habens autem consentaneos aliquantos ex clero, & possessores ciuitatis, & Corporatos,& milites,& nobiles,& omnem prouinciam, permansit Gaianus in Episcopatu dies centum & tres: post hæc à Iudicibus pulsus abscessit. Et post menses duos Narses

missus

A missus ab Augusta Theodora Theodosium quidem inthronizauit, porrò Gaianum misit in exilium: qui adductus Carthaginem, & inde quasi in Sardiniam directus, quid de eo contigit, ignoratur. Mansit autem Theodosius in sede annum vnum, menses quatuor, paucis ei communicantibus: plurimi enim communicabant ad nomen Gaiani: populi autem pugnauerunt pro Gaiano multis diebus: qui cæsi à militibus, maiorem sui partem amiserunt: sed & militum maior cecidit numerus. Vincebatur Narses non armis, sed ciuitatis concordia: De superioribus domorum iactabant mulieres super milites, quicquid occurrisset. At ille igne vicit, quod ferro non potuit. Diuisa est vsque nunc illa ciuitas hoc schismate, vt Gaianitæ & Theodosiani in eo vocentur, id est, Phantasiastæ & Corruptícolæ.] Fuerunt ista adeò cruenta atque funesta veluti pingues victimæ à Theodora immolatæ diabolo. Pergit auctor:

B Nouissimè Theodosius de sede discessit, non ferens seditiones & bella quæ contra eum exercebantur à populo. Missus est Constantinopolim cum honore, eò quòd ita Augustæ scripta præceperunt. Quò illo veniente, promittebat Augusta Imperatori, quoniam posset Theodosius Chalcedonensem suscipere Synodum: sed persistente & nolente eo, cum eius voluntate foras ciuitatem regiam sexto milliario in exilium missus est, iuxta basilicam, in via quæ ducit ad Stoma pontem: viuitque vsque nunc.] hactenus de his Liberatus. Eamdem prosecutus historiam Leontius [a] Scholasticus, tradit inter alia Gaianum fuisse Ecclesiæ Alexandrinæ Archidiaconum, Theodosium autem scriptorem orationum, hunc que sectatorem Seueri, illum verò Iuliani Halicarnassei, magnates fauisse Theodosio, plebem verò Gaiano.

INDVCITVR CONSTANTINOP. THEODOSIVS.

[a] *Leont. de sect. Act. 5.*

Quod autem ad successionem Alexandrinorum Antistitum pertinet, ex quo ibi præcipuam sedem hæretici occuparunt, ab ipsis & per ipsos successio spuria deducta est, interrupta verò Catholicorum: cùm tamen & ij qui ibi erant Orthodoxi, licet longè inferiores numero hæreticis essent, Orthodoxum aliquando haberent Episcopum, cui communicabant. Diximus superiùs de Euagrio quodam Orthodoxo Episcopo Alexandrino; sed & mentio est apud Iustiniani Imperatoris sanctionem de Epiphanio Episcopo Alexandrino Catholico. nam in ea constitutione, cuius est titulus [b]: Quomodo oporteat Episcopos, & reliquos clericos ad ordinationem adduci] scripta ipsa (vt diximus) hoc anno ad Epiphanium Constantinopolitanum Episcopum, hæc de alio habet Epiphanio Episcopo Alexandrino: Scripta exemplaria sanctissimo Archiepiscopo Alexandriæ Epiphanio, sanctissimo Archiepiscopo Theopolitano, *nempe Anthiocheno Antistiti*: scripta exemplaria Petro Episcopo Hierosolymorum, &c.] Post Theodosium autem atque Gaianum, quorum mutuæ altercationes ad biennium productæ fuerunt, qui creati sunt postea Episcopi Alexandrini, omnes fuere Orthodoxi defensores Concilij Chalcedonensis, quos numerat Leontius, nempe Paulus, Zoilus, Apollinaris, Ioannes, & Eulogius æqualis sancti Gregorij: quos ob cultum Synodi Chalcedonensis Synoditas appellat [c].

C ORTHODOXIS ORTHODOXVS ANTISTES PRAEFECTVS.

[b] *Nouel. 6.*

Inter hæc autem cùm Constantinopoli sederet Theodoræ Augustæ fauore Anthimus, & Alexandriæ (vt diximus) Theodosius; Seuerus ille perditissimus hæresiarcha ab Antiochena sede pulsus Iustini tempore, sciens hos qui præcipuas Oriétis sedes occupassent, suæ esse farinæ homines, sperans eiusdem Theodoræ potentia Antiochenæ fore se restituendum Ecclesiæ, egressus è latebris, conuolat Constantinopolim ad ipsam Theodoram & Anthimum Patriarcham in hæresi propaganda collegam. De his enim hæc habet Euagrius [d]: Exstant (inquit) adhuc epistolæ Seueri ad Iustinianum & Theodoram scriptæ: ex quibus intelligi potest, eum ab initio, postquam sedem Episcopatus Antiocheni deseruerat, iter suum Constantinopolim versus distulisse, postea tamen eò se contulisse.] Spe enim vana Theodora impia Augusta illudebat Imperatoris pio animo, dum sicut Anthimum, atque Theodosium quasi professurum Concilium Chalcedonense vocauit Constantinopolim, ita & de Seuero persuasit hoc ipsum eidem Imperatori, absque cuius assensu idem sæpe proscriptus hæresiarcha haud ausus esset conferre se Constantinopolim de sceleribus perpetratis daturus pœnas. Subdit verò de ipso ista Euagrius:

[c] *Leont. de sect. Act. 5.*

D

[d] *Euagr. lib. 4. c. 11.*

E Scripsisseque Seuerum, se, cùm esset Constantinopoli, & cum Anthimo collocutus esset, comperisseque eum eamdem secum tenere opinionem, idem de Deo sentire persuasisse, vt sedem Episcopalem relinqueret. Scripsit præterea iisdem de rebus ad Theodosium Episcopum Alexandrinum litteras in quibus magnopere gloriatur se Anthimo (vt dictum est) persuasisse, vt huiusmodi dogmata gloriæ terrenæ & Episcopatui longè præponeret.]

SEVERI HAERESIARCHAE CONATVS.

hæc quidem, cùm Anthimus (vt paulo pòst dicturi sumus) factus reus impietatis, abdicare hæresim & profiteri Chalcedonense Concilium quæsitus est, vt remaneret in sede. Post hæc autem rursus Euagrius: Extant porrò Anthimi ad Theodosium de iisdem rebus epistolæ, & Theodosij rursum ad Seuerum & Anthimum: quas, ne in librum, qui in manibus est, nimis multas res includere videar, præterire animus est, easque relinquere iis qui earumdem voluendarum cupiditate incenduntur.] hactenus de his Euagrius: quæ autem subiicit, postea facta sunt, nosque de iis suo loco dicemus. Vidisti quos colligit Theodora & in præcipuis sedibus Orientis collocat impios hæreticos, & quas infert in vrbem Constantinopolitanam hominum pestes, id ordiens funestissima, vt occupatis maioribus sedibus ab hæreticis, inualesceret nefanda hæresis & dominaretur vbique: sed hæc (vt diximus) clanculò per cuniculos in Ecclesiam conabatur inferre, quòd sciret viri animum pro fide Catholica semper inuigilare solere, & neruos omnes pro eadem roboranda contendere.

Theodosius verò Alexandrinus Episcopus hæreticus degens Constantinopoli, inter hæc noua occasione oborta, à suis diuisus est. quomodo id se habuerit, Leontius[a] Scholasticus docet, cùm ait: Cùm autem priuatus Byzantij Theodosius degeret, Agnoitarum (sic ab ignoratione dictorum) dogma motum fuit. Nam quia Dominus ait, neminem horam iudicij scire, ne Filium quidem, extra solum Patrem: quæsitum est, An Christus eam ignoraret vt homo. Theodosius Christum ignorare negabat, & aduersus Agnoitas scripsit. Alij verò Christum horam ignorare tradebant, quemadmodum ipsum dolorem sensisse diximus. Inde diuulsi sunt à Theodosio qui Agnoitæ vocantur; cumque peculiarem sibi fecissent ecclesiam, seorsum communicabant.] Sed aduersabatur Agnoitis Theodosius, vtpote Seuerianus, Gaianitisque contrarius.

[a] Leont. de sectis Act. 5. tom. 4. Biblioth.

AGNOITARVM HAERESIS.

Quinam autem error fuerit Gaianitarũ, idem qui suprà scriptor huius temporis Leontius Scholasticus docet his verbis[b]: Confitentur Gaianitæ Deum Verbum è Virgine naturam humanam sumpsisse perfectè ac verè, sed post vnionem esse corpus incorruptibile dicunt: omnes enim malorum species Christum perpessum aiunt, vt esurierit & sitiuerit & defatigatus fuerit, at non eodem ista quo nos modo passum. Aiunt enim, nos quadam naturali necessitate, tum esurire, tum sitire, sed Christum hæc omnia sponte sustinuisse: non enim (inquiunt) naturæ legibus seruiebat: alioqui passiones istas fatebimur præter voluntatem accidisse, quod absurdum fuerit. Hæc Gaianitarum est opinio, Incorruptibilium dicta. Nos ad ea respondemus, etiam nos fateri, passiones & affectiones illas fuisse voluntarias, nec tamen idcirco dicere Christum eas perpessum eo modo quo nos: Nam sponte dicimus ipsum seruisse naturæ legibus, volentemque se concessisse corpori, vt sua perpeteretur eo modo quo & nos patimur.] hæc Leontius, qui testificationibus sanctorum Patrum ista vt Catholica roborat atque firmat. Porrò aduersus eosdem Gaianitas disputat Euthymius in panoplia.

[b] Idem Act. 10.

DE GAIANITIS ET THEODOSIANIS.

Leontius verò vbi de Gaianitis locutus est, de Theodosianis hæc habet: Agnoitæ verò confitentes omnia quæ Theodosiani, *de corruptibilitate videlicet*, discrepant in hoc quod Christi humanitatem ignorare negant, illis ignorare affirmantibus: Aiunt enim, per omnia nobis Christum assimilari: quòd si nos ignoremus, & ipsum ignorasse, &c.] Qui verò à Theodosio Theodosiani appellati fuerunt, eosdem postea à Iacobo propagatore Iacobitas esse dictos, eosque pariter Ægyptios nominatos, affirmat sanctus Ioannes Damascenus[c]. Contra eiusmodi hæreticos Agnoitas dictos scripsit sanctus Eulogius Alexandrinus Episcopus, cùm ad finem sæculi huius eamdem Alexandrinam Ecclesiam gubernaret, qui eo argumento editum commentarium cognoscendum Romam misit sancto Gregorio Papæ; de quo ipse Gregorius ista respondit[d]: De doctrina vestra contra hæreticos, qui dicuntur Agnoitæ, fuit valde quod admiraremur: quod autem displiceret, non fuit. In eodem autem sensu iamdudum communi filio nostro Anatolio diacono plurima rescripseram. Ita autem doctrina vestra per omnia Latinis Patribus concordauit, vt mirum mihi non esset, quod in diuersis linguis spiritus non fuit diuersus, &c.] id quidem sensisse sanctum Augustinum ostendit, & veritatem aduersus eosdem hæreticos ex aliis diuinæ Scripturæ locis docet. De iisdem alio quoque nomine nuncupatis hæc Ioannes Damascenus[e]: Agnoitæ, qui iidem Themistiani vocantur, impiè & improbè Christum diem iudicij ignorare, palàm docent, eumque ignauiæ & timiditatis arguunt. Hi sunt quidem ex secta Theodosianorum: Themistius enim, qui eiusdem sectæ ac disciplinæ princeps fuit, vnam

IACOBITAE HAERETICI.

[c] Ioã. Damas. lib. de hæres.

[d] Greg. lib. 8. epist. 42.

[e] Ioã. Damas. de hæres.

DE THEMISTIANIS HAERETICIS.

A vnam in Christo naturam coniunctam fuisse tradidit.] hæc de propagine Theodosianorum Themistianis Damascenus.

ACEPHALORVM CAPITA MVLTA.

Ita quidem Seueriani omnes isti professione, hostesque Concilij Chalcedonensis, inter seipsos more hæreticorum pugnarunt: vt planè acciderit hoc veluti portento quodam, vt bellua sine capite (ita Acephalorum hæresis appellata) eadem pluribus prodierit armata capitibus inter se pugnantibus: nam ex eis primum eminuit caput Seuerus, ex quo denominati sunt Seueriani; ex hoc verò plura alia capita pullularunt, nempe Gaianus, ex quo Gaianitæ; Theodosius, ex quo Theodosiani; Iacobus, ex quo Iacobitæ; Themistius, ex quo Themistiani: numerat adhuc aliud caput Ioannes Damascenus, nempe Barsanium, ex quo Barsaniani, siue Semidalitæ, de quibus ait: Hi cùm omnia Gaianorum & Theodosianorum decreta defendant; aliquid tamen præterea addiderunt de suo, symbolis Dio-
B scori relictis, vt à reliquis Dioscori sectatoribus noscerentur.] Aduersus has pessimas Seueri propagines Euthymius [a] disputat, idemque testatur aduersus Theodosianos Anastasium Sinaitam scripta edidisse.

[a] *Euthym panopl. tit. 16. 17.*

Fuit & præpotens illud etiam ex Acephalis caput exortum, quod ita in eorumdem corpore, qui cum Eutychianis atque Seuerianis vnam tantùm faterentur in Christo naturam, prominebat, vt tamen se ceteris capitibus aduersarium exhiberet, morsibusque depasceret ea: etenim fuit qui aduersus eiusmodi fæces hæreticorum stans ex aduerso Ioannes Philoponus ita pugnarit, vt tamen in hæreses ipse æquè prolapsus ruerit; de quo primùm ista Leontius [b]: Hoc eodem tempore adhuc degente Theodosio Byzantij, denuo motum fuit dogma Tritheitarum, cuius sectæ princeps Philoponus fuit. Quoniam enim obiiciebat Ecclesiæ, si duas in Christo naturas diceret, necessariò esse duas hypostases con-
C fessuram, Respondebat Ecclesia: Si natura & hypostasis idem sint, necessarium quoque fatendum individuum: sin aliud natura, & aliud hypostasis, quænam illa sortitio fuerit, vt naturas duas statuentes, omnino duas quoque confiteamur hypostases? &c.] pluribus ipse inuicem aduersantia altercationum argumenta retexens, ita planè Philoponum ad oppugnandam veritatem Catholicæ fidei ex deliramentis hæreticorum mutuatum esse arma demonstrat. Sed & adhuc de eodem Ioanne Philopono quæ habet Suidas, videamus: sunt enim hæc eius verba:

[b] *Leont. de sectis Act. 5.*

DE IOANNE GRAMMATICO DICTO PHILOPONO.

Ioannes Grammaticus Alexandrinus, cognomento Philoponus, plurima scripsit gram-
matica, philosophica, arithmetica, rhetorica, sacras quoque litteras tractauit. Scripsit &
contra decem & octo Procli argumenta & contra Seuerum: sed tamen ab Ecclesiæ doc-
toribus, vt Tritheites, vt qui tres deos asserat, reiicitur, & in Orthodoxorum catalogo non
D admittitur.] ista de Philopono Suidas. Quod verò pertinet ad eius scripta aduersus Proclum Lycium, magnam quidem sibi ex eo laudem conciliauit, quòd aduersus impium hominem, qui scripserat instar Porphyrij contra religionem Christianam, stylum exeruisset. Suidas enim hæc ait, dum de Proclo agit: Hic est Proclus ille, qui alter à Porphyrio impuram linguam & contumeliosam contra Christianos exercuit: sed Ioannes Philoponus præclarissimè eius propositiones refutauit, eumque in Græcis etiam, quibus efferebatur, rudem atque indoctum esse ostendit.] hæc Suidas de libris Procli atque redargutione Philoponi, ex qua sibi eximiam (vt diximus) gloriam comparauit: sed euanescens in cogitationibus suis, non Gentilium dumtaxat atque hæreticorum, verum Orthodoxorum dogmata confutare aggressus est.

PHILOPONI ERRORES.

Porrò delirans Philoponus indignus factus est, qui non solùm inter Ecclesiæ magistros
E adnumerari meruerit, sed neque inter Christianos adscribi: Etenim & de eo scribit Photius in Bibliotheca, ab eodem impio elaboratum fuisse commentarium aduersus resurrectionem mortuorum, quo & Christianos irrisit: aduersus quem tradit scripsisse Theodosium monachum, item & Cononem, Euagrium, atque Themistium, licet omnes hi hæretici fuerint non assentientes Concilio Chalcedonensi. Auctor est idem Photius scripsisse eumdem Ioannem Philoponum in Hexameron opus aduersus Theodorum Mopsuestenum, qui in eodem argumento versatus fuerat. & rursus de eodem: Philoponus (inquit) homo insanus scripsit librum aduersus Quartam œcumenicam Synodum.] Idem quoque affirmat Photius, extare Acta disputationis Seuerianorum aduersus Tritheitas habitæ coram Ioanne Episcopo Constantinopolitano sub Iustino Imperatore, Conone & Euagrio altera ex parte aduersus Tritheitas, altera verò Paulo atque Stephano Tritheitis Philoponi defensoribus, impiis æquè omnibus. Hæc monstra his temporibus peperit Oriens

rit Oriens inter se ipsa morsibus conflictantia, Theodora Augusta aspidum oua fouente. A

At quomodo intelligendum sit, quod dictum est, Philoponum negasse resurrectionem mortuorum, erit ex Nicephoro declarandum: non enim vt animas diceret sine corporibus cælesti gloria fruituras, sed eas aliis corporibus induendas, illis quidem ex nihilo creatis, quòd videlicet assereret corpora nostra corrumpi secundùm formam atque materiam. hæc ipse Nicephorus[a] de Philoponi sententia pluribus: qui postquam ait ipsum asseruisse materiam simul & formam corrumpi, hæc addit: Ad hæc consummationem, siue interitum visibilis huius mundi, ac rursus noui mundi creationem alteram asserit: Statuit etiam resurrectionem mortuorum esse, rationabilium videlicet animarum cum corruptibili corpore indissolubilem vnionem. Quibus sententiis renitens Conon, ipsum iuxtà & lucubrationes eius (sicuti à me dicetur) reiecit, quamuis eas antea receperit. Conon ipse corpora dixit non secundùm materiam, sed tantùm iuxta formam occidere, eaque denuo reformari, præstabiliorem speciem materia ipsa recipiente, &c.] Propagata quidem est Philoponi hæresis ex Origine accepta ad posteros, qua imbutus Eutychius Constantinopolitanus Episcopus confutatus est à sancto Gregorio Papa tunc sanctæ Romanæ Ecclesiæ diacono, & Apocrisarium agente Constantinopoli, vt suo loco dicetur. B

[a] Niceph. lib. 18. cap. 47.

Quinam autem fuerint Philoponi hæresum confutatores, præter hæreticos illos superius nominatos idem Nicephorus inferiùs docet his verbis[b]: Cum (inquit) plerique alij scriptis suis ea oppugnauerunt, tum Leontius monachus omnium maximè egregium librum triginta capitum contra illùm conscripsit, quo simul & hæresim eam prorsus euertit, & piam nostram sententiam valde confirmat: post hunc & admirabilis ille diaconus atque referendarius Georgius Pisides æqualis siue coætaneus illius, quamuis ætate aliquanto iunior, iambis pulcherrimis, quos scribere consueuerat] confutauit scilicet, & in eo præsertim, quòd licet Philoponus consentiret Catholicis, duas esse in Christo vnitas naturas, alteram diuinam, humanam alteram; erraret tamen, cùm adderet, facta vnione, non ampliùs duas, sed vnam tantùm compositam esse naturam: ex quo Monophysitarum hæresis pullulauit, & Monothelitæ progressi sunt. hunc igitur confutaturus Georgius Pisides, rem seriam ludicro temperando, ad hunc modum absurditatem illius refert[c]: C

[b] Eod. lib. 18. c. 48.

[c] Niceph. lib. 18. c. 48.

Ψηφίζεται θᾶττον μίαν τε καὶ μίαν.
εἰ γὰρ μίαν τε καὶ μίαν λέγης μίαν,
γέλως τὸ λεχθὲν γίγνεται καὶ παιδίοις.] hoc est:
Vnam atque mox vnam lapillo computat:
At vnam & vnam fortè si vnam dixeris, D
Pueri vel ipsi tale dictum riserint.] subdit Nicephorus: Quod autem versiculis his expressit, sic habet: Profiteris (inquit) Philopone philosophorum omnium laboriosissime & sapientissime, duas naturas in Christo vnitas esse, vnam diuinitatis, & vnam humanitatis. Si ergo duas naturas dicis in eo conuenisse, quomodo duas in vnam rursum contrahis? vna namque & vna, duæ sunt, non vna, &c.]

EPHRAEM EPISC. ANTIOCH. SCRIPTA.

Rursus autem aduersus huiuscemodi hæreticos ex Seuero descendentes, præter eos quos recensuimus, addit Photius in Bibliotheca sua, Ephræm Episcopum Theopolitanum, Antiochenum scilicet egregium commentarium conscripsisse, quo perstringit Seuerianum hominem Iacobum, quem diximus, à quo sunt Iacobitæ denominati, ibique aduersus Baradatum, Eutychetem, & alios Trisagitas; in quo quidem commentario ait explicatum esse Athanasij locum, vbi naturam & hypostasim idem esse visus est aliquibus affirmare. De eodem quoque Ephræm addit Photius, commentarium elucubrasse aduersus eos qui verba sancti Cyrilli impugnabant, quo & hæresim Seueri apertissimè confutauit: addidisse his adhuc tractationem aduersus Anatolium Sebastenum, atque insuper disertam apologiam pro sacrosancto Chalcedonensi Concilio. E

DE IACOBO, A QVO IACOBITAE.

Quod verò pertinet ad Iacobum, quem (vt ait Photius) Ephræm Antiochenus Episcopus suis scriptis exagitauit: ista de eo Nicephorus habet[d]: Iacobus porrò, à quo nunc quoque Iacobitarum hæresis denominata celebratur, Syrus genere fuit, obscurus prorsus & nulla gloria vir, qui etiam Zanzalus propter summam tenuitatem est cognominatus. Hic Eutychetis & Dioscori, Cnapheique præterea Petri atque Seueri dogmate recepto, magnopere id apud Syros propagare studuit] nempe Monophysitarum atque Theopaschitarum dogmata. & inferiùs: Enimverò eo quem diximus Iacobo Monophysitarum

[d] Niceph. lib. 18. cap. 52.

A rum opinionem apud Syros prædicante, magnum exortum est dissidium. Nam qui rectæ opinioni adhæserunt, Melchitæ appellati sunt, quod sanctam Quartam Synodum & Imperatorem ipsum (Melchi enim Syris rex est) consectarentur. Qui autem diuersum senserunt, multa variaque habuere nomina: Iacobitæ tamen maxime sunt cognominati, propterea quod ei quem dixi Monophysitarum hæresis studioso Iacobo abhærerent. Qui etiam anathemati traditi sunt, vt Monophysitæ scilicet, & Theopaschitæ.] ac rursum [a]:

[a] *Niceph lib. 18. cap. 53.*

IACOBVS AVCTOR HAERESVM ARMENIORVM.

Iacobus autem Armeniorum quoque sectæ dux fuit. Ea sanè hæresis multiplex est, & vt quispiam dicat, hæresum omnium confluens sentina Nam cum Ario aberrant in eo, quòd Deum Verbum naturam mutationi obnoxiam habentem, carnem anima carẽtem assumpsisse dicunt. Cum Apollinari autem, quòd corpus Domini mentem non habere, eique diuinam naturam sufficere, mentisque vim operatricem perficere dicunt: atque hæreticis
B multis laudatis, depravatas ipsorum opiniones sibi ipsis arrogant. Magistri horum illi, quos diximus, fuere post Iacobum & Euchanius & Mantacunes. Et quandoque illi Deum Verbum incorruptibile & increatum & cæleste & à perpessione alienum & subtile, nobisque non consubstantiale corpus cepisse, atque ea quæ carnis sunt, nobis in specie tantùm spectri more exhibuisse, executumque esse opinantur: quandoque autem carnem eius in naturam deitatis conuersam, eique consubstantialem factam esse dicunt.

ERRORES ALII IACOBITARVM.

Multoties verò etiam Deum Verbum humanum ex Virgine corpus assumpsisse negãt, sed ipsum immutabili modo mutatum & carnem factum, transitum tantùm per Virginem fecisse: & cruci diuinitatem, quæ circumscribi & definiri nequeat, Vnigeniti affixam, eamdemque sepulchro traditam asseuerant. Atque fidem etiam natiuitati Christi secundùm carnem derogãtes, & eam in speciem tantùm, phantasmatis instar factam esse dicen-
C tes; & nõ sicut nos per interualla particulatim, sed ad quindecimum Ianuarij mensis diem tempus extendentes, Annunciationem simul & Natiuitatem & Baptismum Christi celebrant. Quinetiam multa diuini Euangelij dicta, suam ipsorum opinionem astruere conantes, tollunt atque inducunt: ac veluti Monophysitarum & Theopaschitarum & Apthartodocitarum & Monothelitarum hæresim hereditate creuerint, Cnaphei Petri accessionem ter sancto hymno annexam valde complectuntur.] hæc de Armeniorum dicta hæresi, à Iacobo post Seuerum originem hoc ipso tempore ducente: quod ostendimus, dum aduersus eumdem Iacobum ex Photio vidimus scripsisse Ephræm Episcopum Antiochenum, qui hoc tempore illi præerat Ecclesiæ: vnde nihil est, vt ad posteriora quis tempora illam referat.

HAERETICORVM CONDITIO.

En in quos vepres atque dumeta, inuia loca, scabra, abditosque recessus per rupes &
D præcipitia, præruptaque scopula, immanium ferarum latibula incurrerint à recto fidei tramite aberrantes humanæ mentes! En quomodo monstrum monstro iunctum concipiat, pariatque horrenda spectra atque deformia simulacra! Vt ex his ipsis prudens quisque intelligere valeat (secundùm illud Iob [b]) vbi lux habitet, & tenebrarum quis locus sit, vt quisque ducat vnumquodque ad terminum suum, & intelligat semitas domus eius; cognoscat scilicet, vbi sit fides Catholica, vbi verò hæreses habitent. At non hîc finis portentorum: alia adhuc prodierunt ex cornuta bestia capita, vt longè ista superet tricipitia conficta à Gentilibus monstra, vel septem capitum hydram: præter enim eas superius recensitas ex Seuero progenitas hæreses, ad eumdem pertinere tradit Nicephorus [c] Caucobabditas à loco quodam ita denominatos hæreticos, Angelitas etiam & Damianistas ita dictos ab Episcopis & locis iisdem nominibus appellatis: nam Angelitas ab Alexandriæ
E loco, cui nomen erat Angelij, dictos tradit: quibus præterea addit & Tetraditas, Petritas, atque Paulitas, quorum alij Petrum, alij Paulum Seuerianos, sed ab inuicem dissidentes consectabantur.

[b] *Iob 38.*

[c] *Niceph. lib. 18. c. 49.*

Gignebantur hæc monstra potissimum in Ægypto, quæ mox post ortum in se ipsa vngulas conuertebant & dentes: vt planè acciderit Ægyptiis secundùm illud Propheticum [d]: Concurrere faciam Ægyptios aduersus Ægyptios, & pugnabit vir contra fratrem suum, & vir contra amicum suum, ciuitas aduersus ciuitatem, & regnum aduersus regnum: & dirumpetur spiritus Ægypti in visceribus eius, & consilium eius præcipitabo: & interrogabunt simulacra sua & diuinos suos & pythones & ariolos.] donec tot scelera consecuta est quæ subditur vltio: Et tradam Ægyptum in manus dominorum crudelium, & Rex fortis dominabitur eorum, ait Dominus Deus exercituum.] Ad hæc planè hæreses deducunt populos, vt post abominationes secum vehant seruitutem atque desolationem:

[d] *Isaiæ 19.*

lationem: quam cunctis manifestam ob oculos positam tam in Aegypto, quàm in aliis Orbis regionibus à Catholica fide refugis, nemo non videt. At de Acæphalorum capitibus multiplicibus hactenus. A

ANTHIMVS STVDET VIDERI CATHOLICVS.

Iam verò ad Anthimum Constantinopolitanum Episcopum hæreticum subrogatum hoc anno in locum Epiphanij ab impia Theodora Augusta redeamus. Ita se comparauit vulpis ista, Anthimus inquam, vt cùm nefandus hæreticus esset, studeret tamen in omnibus apparere Catholicus, probans Chalcedonense Concilium, & reliqua quæ veri Orthodoxi probarent: Sed & adiecit, quòd cùm de eius hæresi sparsus rumor esset, sese homo callidus perpurgauit, dum coràm ipso Iustiniano Imp. disertis verbis professus est, se in omnibus assensurum iis quæ Apostolica sedes sentienda præscriberet: hoc enim nullum euidentius signum edi posse videbatur, quàm si secuturum polliceretur; quicquid Ecclesia Romana credendum ostenderet; cui assentiri, sit se Catholicum demonstrare. Sed accipe B cuncta hæc intexta in ipsius Anthimi damnationis sententia à Quinta Synodo promulgata verbis istis[a]:

[a] *Quint. Synod. Act. 4.*

SVBDOLI CONATVS ANTHIMI.

Cumq; sic obtinere potuerit magnũ Pontificium Anthimus, quemadmodum dictum est; paulatim putauit oportere depascere sanctissimas Dei Ecclesias tali morbo, & contrarium quàm diuinæ voces dicant, pro congregando rationabiles oues Dei ouilis diuisiones excogitabat aduersus omnes (vt ita dicam) Ecclesias, vt periclitando vnionem sanctissimarum Ecclesiarum tantis piissimi Imperatoris nostri laboribus reformatam in multas diuisiones scinderet. Denique paulatim hanc corruptionem significabat, simulans quidem suscipere sanctas Synodos, Nicænam dicimus contra impium Arium, Constantinopolitanam contra impium Macedonium, & Ephesinam primam contra impium Nestorium, ac Chalcedonensem contra impium Eutychetem, saltem ipsas habens in sacris Diptychis: sed C cùm inserta ipsis Synodis esset sancta memoria beatissimi Leonis Papæ, nullo tamen tempore aliter vel percipit, vel participat sanctissimis Dei mysteriis, nec celebrationem ipsorum prædicat ne in hac quidem sanctissima Dei Ecclesia', resiliens vniuersaliter à rectis ipsorum confessionibus, & neque magnorum Pontificum, neque venerabilium Priorum, qui pro talibus respiciunt, & omnino tolerat, aut aliquam defensionem dat.] & paulo pòst: In talibus enim cùm se ipsum magnus Imperator disposuerit, ad memoriamq; sibi reuocauerit sententiam Principis Apostolorum, qua dicit[b], paratos nos semper esse oportere ad respondendum omni petenti rationem de ea quæ in nobis est spe: nihil plus iuuit, sed ad eius serenitatem deceptibilibus rationibus vsus, promisit se omnia facere, quæcumque Summus Pontifex magnæ sedis Apostolicæ decerneret; & ad sanctissimos Patriarchas scripsit, se sequi per omnia Apostolicam sedem.] D hucusque de primordiis Anthimi captiosi, formam ad tempus induentis Præsulis Orthodoxi.

[b] *1. Pet. 1.*

SPVRIA EPISTOLA NOMINE AGAPETI PAP.

Hæc cùm ita se habuerint, non vacat impostura suspicione epistola illa nomine Agapeti Papæ vulgata ad Anthimum inscripta, qua erroris hæresis Eutychianæ ipsum redarguit: etenim hæc simulata ab Anthimo, nequaquam detecta atque damnata fuere, antequam sequenti anno (vt dicetur) se contulit ipse Pontifex Constantinopolim: interea autem quasi professor fidei Catholicæ & communicator Apostolicæ sedis est habitus idem Anthimus ex sua ipsius (vt dictum est) publica professione, qua se cuncta recipere, quæ Summus Pontifex credenda præscriberet, publicè ob omnium oculos, coramq; ipso Iustiniano Imp. testatus est. Sed & ex falsa omnino Consulum nota Iustiniani quartùm cum Theodato, seu potiùs Theodoro collega, detegitur impostura; cùm data ipsa epistola reperiatur anno superiori Kalendis Maij: nam ex his quæ superiùs dicta sunt, certum est, tunc non Agapetum, sed Ioannem eius prædecessorem sedisse in hunc vsque annum Romanum Pontificem. Sed & longè diuersus stylus ab aliis Agapeti epistolis, alterius esse sobolem parentis, satis indicat. Neque enim quicquam conquestus fuerat Iustinianus Imperator apud Agapetum de Anthimo, sed tantummodo de Cyro & sectatoribus eius. At de rebus Agapeti & Anthimi sequenti anno fusiùs agendum erit. E

Quæ verò sunt reliqua eiusdem Agapeti hoc anno rerum ab ipso Romæ gestarum, seu potius quæ agenda conceperat animo, perfecisset q; nisi bellico tumultu impeditus fuisset, nempe de publicis Romæ sacræ Theologiæ scholis erigendis, Cassiodorus narrat his verbis[c]: Nisus ego cum beatissimo Agapeto * vrbis Romæ, vt sicut apud Alexandriam multo tem-

[c] *Cassiod. in præf. li. diuin. lect.*

* Pontifice

A to tempore fuisse traditur institutum, nunc etiam in Nisibi ciuitate Syrorum Hebræis sedulò fertur exponi, *diuina Scriptura scilicet*, collatis expensis in vrbe Romana professos doctores scholæ potiùs acciperent Christianæ, vnde anima susciperet æternam salutem, & casto atque purissimo eloquio Fidelium lingua comeretur. Sed cùm propter bella ferentia, & turbulenta nimis in Italico regno certamina, desiderium meum nullatenus valuisset impleri: quoniam non habet locum lex* pacis temporibus inquietis, ad hoc diuina charitate probor esse compulsus, vt ad vicem magistri, introductorios vobis libros istos, Domino præstante, confecerim, per quos (sicut æstimo) & Scripturarum diuinarum series, & sæcularium litterarum compendiosa notitia Domini munere panderetur.] hæc de his Cassiodorus in eo laborans, ne docta Latinitas inter barbaricos vepres omnino siluescceret; Agapetumque tradens hoc ipsum optasse de rebus Theologicis fa-

B ciendum, vtpote qui esset (vt ait Liberatus diaconus[a]) in Ecclesiasticis rebus apprimè eruditus.

DE SCHOLIS APERIENDIS IN VRBE.

* rex

[a] *Liberat. diac. in Brev.* 21.

Sed sicut admiratione, ita & obseruatione dignum est considerare, non extitisse hactenus Romæ, qui in scholis publicè sacras litteras profiterentur: vt ex hoc magis intelligas puritatem Apostolici fontis Romæ iugiter scaturientis, & in vniuersum Orbem aquas limpidas deriuantis: cùm non pro arbitrio differentium, verbisque pugnantium hominum (vt fiebat à Græcis, ob idque diuersis semper erroribus fatigatis) sacra dogmata Romana Ecclesia definiret; sed quæ ab Apostolis tradita, à maioribus deducta, à patribus seruata accepisset, hæc ipsa, vtpote sacrosancta, vniuersæ Ecclesiæ seruanda atque inuiolabili lege custodienda eadem Ecclesia Romana præscriberet; quam ceteris omnibus Orbis Ecclesiis diligentiorem fuisse Apostolicarum institutionum custodem, cùm ex S. Irenæo,

C tum ex aliis antiquis Patribus superiùs abundè demonstratum est. Quæ enim olim sub Gentilitatis insaniis ipsa Roma antiquitatis amans & cultrix in rebus dubiis Sibyllinos libros consulere iugiter consueuit: Vbi sepultis erroribus, particeps facta est veritatis, quas ab Apostolis omnium præcipuis sacras traditiones accepit, easdem fida custodia conseruatas in rebus dubiis consulere, & ex eis responsa dare quærentibus consueuit, cunctis veluti diuinum oraculum accipientibus, quæ scirent nonnisi ex Apostolico fonte manare.

ROM. ECCL. DOCTRINA EX APOST. TRADITIONIBVS.

At verò ne videretur Apostolica sedes Apostolicis innixa traditionibus repulisse scientiam, & examina declinasse, atque refugisse discussiones, quasi verita ne constarent, quæ simpliciter seruanda proponeret: eadem ipsa postea quæ docuisset, in scholis differenda, & quæstionibus ventilanda proposuit (vti de auro obrizo fieri solet, quod Lydio probandum

D lapide vnicuique vbique & semper libenter offertur) occasione præsertim hæreticorum, quæ pura sunt atque sincera, esse adulterina clamantium: Fuit enim quondam tempus (inquit Gregorius Nazianzenus[b]) cùm res nostræ florerent, ac præclarè se haberent, cùm nimirum superflua hæc & verborum lepore atque arte fucata tractandæ Theologiæ ratio ad diuinas caulas ne aditum quidem habebat: verùm idem erat calculis ludere inuersionis celeritate aspectum fallentibus, & omnigenis & lasciuis corporis flexibus spectatores ludificare, quod noui quippiam ac curiosi de Deo vel dicere, vel audire: Simplex è contrà, ingenuaque oratio atque doctrina pietas existimabatur. At posteaquam Sexti & Pyrrhones, & contradicendi libidine incitata lingua velut grauis quidam ac malignus morbus in Ecclesias nostras infeliciter irrepsit; quodque Actorum liber de Athenienſibus narrat[c], ad nihil aliud vacamus, quàm ad noui aliquid dicendum vel audiendum.] tunc namque opus fuit Eccle-

E siæ Catholicæ tractatoribus, ne quasi infirmi ipsi viderentur in hac parte[d], aduersus moles librorum obloquentium detrahentium in fidem Catholicam hæreticorum, cuncta quæ sunt fidei Christianæ aduersus eosdem differendo tractare, omnique genere argumentorum vera certaque firma atque solida demonstrare. Sed ad scholas Orientis reuocemus orationem.

QVA OCCASIONE INTRODVCTAE SCHOLAE THEOL.

[b] *Greg. Naz. orat. in laud. Athan.*

[c] *Act. 17.*

[d] *2. Cor. 11.*

De scholis autem Nisibitis, quarum meminit Cassiodorus, est mentio etiam apud Iunilium Africanum Episcopum in libro ad Primasum legatione fungentem his ferme temporibus Constantinopoli, vbi ait: Dum te inter alios reuerendissimos coepiscopos tuos vsque Constantinopolim peregrinæ prouinciæ coegisset vtilitas, ex ciuitatis affectu in notitiam colloquiumque peruenimus. Tu autem more tuo nihil antè quæsisti, quàm si quis esset inter Græcos, qui diuinorum librorum studio intelligentiaque flagraret. Ad hæc ego respondi, vidisse me quemdam Paulum nomine, Persam genere, qui in Syrorum schola in Nisibi vrbe est edoctus, vbi diuina lex per magistros publicos, sicut apud nos in munda-

DE SCHOLIS NISIBITIS.

mundanis ſtudiis grammatica & rhetorica, ordine ac regulariter traditur, &c.] ſubiicit his regulas aliquot ab eodem Paulo acceptas, confecitque ex eis librum illum de Partibus diuinæ legis inſcriptum. A

BELLI GOTHICI TEMPVS.

Sed quinam fuerint bellici tumultus, quibus (vt vidimus ex Caſſiodoro) hoc anno flagrare Italia cœpit, iam dicamus. Fuit id bellum Gothicum, hoc anno (vt huius anni exordio dictum eſt) ab Imperatore Iuſtiniano cœptum, cùm videlicet idem Auguſtus annum nonum Imperij inchoaret. de quo Procopius [a]: Imperator vbi iam didiciſſet, quemadmodum cum Amalaſuntha actum fuiſſet, confeſtim ſe ad bellum parabat annos nouenos potitus Imperio.] feliciſque progreſſu per Mundum Præfectum Illyrici Dalmatiam Gothis ſubiectam inuadentem, Salonam vrbem expugnaſſe tradit, ſed & per Beliſarium Siciliam tentaſſe, eademque potitum eſſe affirmat: huicque vni Beliſario accidiſſe, vt triumpho auſpicatus Conſulatum, eumdem triumphans pariter depoſuerit, aperiens & claudens annum quàm feliciſſimè. B

[a] *Procop. de bello Goth. lib. 1.*

FELICITAS BELISARII

Subdit de eo iſta Procopius: Cum Beliſario itaque actum, quàm dici queat, longè feliciùs: quippe qui Vuandalis recens deuictis, Conſulatus dignitate accepta, cùm eo adhuc munere fungeretur, Sicilia inſuper in poteſtatem redacta, poſtrema Conſulatus die Syracuſas ingreſſus, plauſu ingenti exceptus, aureorum numiſmatum vim magnam circumfuſam iactauit in turbam: nec ſanè id ex induſtria factum, ſed ſorte quadam Beliſario omine contigit, qui vniuerſam Siciliæ inſulam Romanis recuperaſſet, ea vt die Syracuſas eueheretur, qua & ei Conſulatus finiretur, ſuſceptum antea munus.] hucuſque Procopius. Quæ hæc ſecuta ſunt, ſequenti anno magis opportunè dicentur.

Ad inuadendam autem Italiam, quam forti robore Gothi tenebant, viſum eſt Iuſtiniano Imperatori Francos ſibi fœdere coniungere: ex pietate potiſſimùm ad eos aduerſus Gothos permouendos argumenta deducens: quòd enim ſcriret Francos Catholicæ fidei ſtudioſiſſimos, facilè ipſis ſuaſit, vt bellum Gothis inferrent, quos conſtaret eſſe Orthodoxæ fidei perduelles, vtpote impios Arianos. de his enim iſta Procopius habet [b]: Litteras deinde ad Francos Iuſtinianus in hanc ſententiam miſit: C

[b] *Procop. de bell. Goth. lib. 1.*

FRANCI ADVERSVS GOTHOS VOCANTVR.

Noſtræ ditionis Italiam per vim Gothi ceperunt, nec ſolùm reſtituere hanc nobis haud quaquam decernunt, ſed iniuria inſuper nos afficere nec toleranda quidem, nec mediocri. quocirca exercitus aduerſus nos mittere cogimur. Vos verò par fuerit, nobis hoc bello vt auxilio ſitis, quod vtique vtriſque noſtrum commune rectior illa ac vera de Deo opinio facit, in Gothoſque odium, vt Arianorum errores reiiciẽtibus deteſtandos.] hactenus litteræ. Subdit verò Procopius: His litteris Imperator præſcriptis, & Francorum Principibus magna pecunia condonatis, maiorem ſe pollicetur daturum, vbi bellando rem geſſerint. Franci verò hoc pacto illecti, bellum ſe promptiùs geſturos promittunt.] hæc ipſe: cetera autem inferiùs ſuis locis. D

OPTIMIS LEGIBVS IVSTINIAN. VICIT HOSTES.

Ita proſperè cuncta cedunt Imperatori (quod ſæpè ingerendum eſt) dum perinde atque omni feriatus bello, in ſummo otio, tranquillaque pace dies duceret, nihil præterea curaſſe (vt diximus) viſus eſt, niſi vt nouis ſemper iteratis legibus Catholicæ veritati bene conſultum eſſet, & quàm iuſtiſſimè per prouinciarum Præſides vniuerſum adminiſtraretur Imperium, & ſuccreſcentes diuerſis ex cauſis prauos mores legum falce ſuccideret. Id quidem indicant multiplices ſanctiones ſub diuerſis titulis collocatæ ab eodẽ Imperatore hoc anno editæ, nempe ſub Conſulatu Flauij Beliſarij; ſed in nonnullis earum errore puto librariorum illapſum, vt loco V.C. Conſ. *quod eſt*, Viro clariſſimo Conſ.] putauerit imperitus ſcriptor per illa elementa ſignificari Vicariam Præfecturam, atq. loco V. C. Conſ. ſcripſerit Vice Conſule.] quod mendum minimè emendatum à tot clariſſimis Iureconſultis, mirati ſumus. Sic igitur cùm in expeditione eſſet exercitus, erat ipſe totus Imperator in legibus ſanciendis, probeque ſciens leges etiam ipſas potentiſſima eſſe ad hoſtes vincendos arma, id in Inſtitutionum exordio hac ipſa voluit ſententia declaratum: Imperatoriam maieſtatem non ſolùm armis decoratam, ſed etiam legibus oportet eſſe armatam.] ita quidem armatam legibus dixit: quod ſcilicet intelligeret ad hoſtes ſuperandos præſtare leges armis, quæ prorſus obtuſa atque inutilia omnino reddantur, cùm iniuſtitia viget, prauique mores inſurgunt, & inulta ſcelera dominantur. E

Porrò de Sicilia hoc anno Romano Imperio è Gothorum manibus vindicata mentionem habet idem Imperator in Nouella conſtitutione hoc anno ſub eodem Cõſulatu Beliſarij data ad Ioannem Præf. Præt. de Proconſule Cappadociæ; vbi in fine & quam de Deo fidu-

A fiduciam conceperit ad ea quæ reliqua essent prœlia,notum facit,cùm ait[a]: Quæ res summo à nobis studio habita effecit, vt magnas etiam opes despexerimus: quamquam in tot sumptibus & magnis bellis,per quæ Deus nobis dedit vt non solùm pacé ad finé deduxerimus,& Vuandalos, Alanos, Mauritanos subegerimus, & totam Africam, insuper & Siciliam recuperauerimus;sed & bonam spem habeamus, quod Deus nobis annuet, vt & ceteras gentes, quas socordia sua Romani amiserunt, tùm ad vtriusque Oceani terminos tenerent,iterum ditioni nostræ adiungamus; quas nos diuino freti auxilio ad meliorem statum redigere properamus. Neque quicquam detrectamus eorum,quæ vel ad extremam pertingunt difficultatem,vigiliis simul & inediis, ceterisque laboribus iugiter pro subditis nostris vltrà quàm humanæ naturæ modus patiatur;vtentes.] hæc & alia ipse ibi hoc anno. Redacta verò sub Imperio Sicilia insula, eam Prætori more maiorum Iustinianus tradidit
B gubernandam[b].

[a] *Nouel.30.* NITITVR DIVINO AVXILIO IVSTINIANVS.

[b] *Nouel.75. & 104.* PVRGATOR BEM AB IMMVNDITIIS IMP.

At quid exsoluit pro tot à Deo acceptis beneficiis Imperator? illud quod maximè ipsi Diuinitati gratum esse sentiret,nempe, vt ab omni turpitudine emundaret (quantum fas esset) Imperij primariam ciuitatem & omnes prouincias Romano Imperio subiectas, in primis verò eas quas Deus ipsi recens subegerat nationes, quas omnes cœno putentis luxuriæ expurgaret,exhauriens omnium lenonum cloacas,in quas vndique inferrentur verminibus insumenda cadauera, Nouella edita sanctione, qua veluti scopa verreret collectas vndique sordes. Ad finem enim anni huius, vbi acceptorum in eo à Deo beneficiorum recensuit rationem, aduersus omnes lenonum turpitudines Deo inuisas ad Constantinopolitanos ciues inscriptam sanctionem promulgandam curauit: nec ipsi id satis, sed & addidit,vt amplissimum monasterium exædificaret ad recipiendas miseras prostitutas ab ip-
C sis feminas, quæ resipiscentes Deo vellent iugi pœnitentia deseruire. Tantas autem res Christianissimo Principe dignas haud compendiosa narratione angustandas esse existimamus:sed in primis ipsam aduersus lenones editam ab eo sanctionem, ob exactam rerum cognitionem,quo magis eiusdem Imperatoris pietas elucescat, & animi puri candor appareat,hìc describendam putauimus;sic enim se habet[c]:

[c] *Nouel.14. & Auth. de lenon. col. 2. tit. 1.* IVSTINIANI ADVERSVS LENONES SANCTIO.

Et antiquis legibus & dudum imperantibus satis odibile visum est lenonum nomen & causa,in tantum vt etiam plurimæ contra talia delinquentes scriberentur leges. Nos autem & dudum posita contra eos, qui sic impiè agunt, supplicia auximus; & si quid relictum est à nostris prædecessoribus, etiam hoc per alias correximus leges; & nuper interpellatione nobis facta rerum impiarum pro talibus negotiis * in hac maximè ciuitate commissis, causam non despeximus. Agnouimus autem quosdam viuere quidem illicitè, ex causis
D autem crudelibus & odiosis occasionem sibimet nefandorum inuenire lucrorum, & circumire prouincias & loca plurima, & iuuenculas miserandas decipere, promittentes calciamenta & vestimenta quædam, & his venari eas, & deducere ad hanc felicissimam ciuitatem, & habere constitutas in suis habitationibus, & cibum eis miserandum dare & vestem,& deinceps tradere ad luxuriam eas volentibus, & omnem quæstum miserabilem ex corpore earum accedentem ipsos accipere,& celebrare conscriptiones,quia vsque ad tempus quod eis placuerit,obseruabunt impiam hanc & sceleстam functionem implétes. Quasdam verò earum etiam fideiussores expetere, & in tantum procedere illicitam actionem, vt in omni penè hac regia ciuitate,& in transmarinis eius locis,& (quod deterius est) iuxta sanctissima loca & venerabiles domos sint tales habitationes, & causæ sic impiæ & iniquæ sub nostris temporibus præsumantur: ita vt etiam quosdam miserantes earum, & ab-
E ducere à tali operatione crebrò volentes, & ad legitimum deducere matrimonium, non sinerent.

* nequitiis

Alios autem sic scelestos existere, vt puellas nec decimum agentes annum ad periculosam deponerent corruptionem:& quosdam aurum dantes non paruum, vix inde redemisse miseras,& nuptiis copulasse castis. Esse etiam decies mille modos, quos nullus præualeret sermo comprehendere,cùm ad infinitam crudelitatem deductum sit tale malum: ita vt primùm quidem in vltimis partibus ciuitatis esset,nunc autem & ipsa,& quæ circa eam sunt,omnia talium plena sint malorum. Hoc igitur dudum aliquis nobis secretè denunciauit;deinde etiam nuper magnificentissimi Prætores à nobis talia inquirere præcepti, hæc eadem ad nos retulerunt:moxque audiuimus & iudicauimus oportere Deo huiusmodi commendare causam,& velociter liberare tali scelere ciuitatem.

Sancimus igitur,omnes quidem (secundùm quod possunt) castitatem agere,quæ etiam

ſola Deo cum fiducia potiſ eſt hominum animas præſentare. Quia verò plurima ſunt humana cum arte & dolo & neceſſitate quaſlibet talium ad luxuriam deduci: omnibus prohibemus modis & nulli fiduciam eſſe paſcere meretricem, & in domo habere mulieres, aut publicè proſtituere ad luxuriam, & pro alio quodam negotio talia mercari, neque conſcriptiones ſuper hoc percipere, neque fideiuſſores exigere, nec tale aliquid agere, quod cogat miſeras & inuitas ſuam caſtitatem confundere, neque ſperare quia licebit de cetero eis veſtium datione & ornamentorum forſan aut alimenti decipere, vt etiam inuitæ ſuſtineant. Non enim permittimus quicquam fieri tale, ſed etiam nunc omnia talia breuiter competenti cura diſponimus, ſtatuentes etiam reddi eis omnem quam contigerit cautionem occaſione ſceleris huius exponi: & neque permittimus ſceleſtos lenones, ſi quid dederunt eis, hoc ab eis auferre. Sed etiam ipſos lenones iubemus extra hanc fieri feliciſſimam ciuitatem, tamquam peſtiferos & communes caſtitatis vaſtatores factos, & liberas ancillaſque requirentes & deducentes ad huiuſmodi neceſſitatem, & decipientes & habentes educatas ad vniuerſam confuſionem. A B

Præconizamus itaque, quia ſi quis de cetero præſumpſerit inuitam puellam aſſumere & habere ad neceſſitatem nutritam, & fornicationis ſibi deferentem quæſtum: hunc neceſſe eſſe à ſpectabilibus Prætoribus populi huius feliciſſimæ ciuitatis comprehenſum omnia nouiſſima ſuſtinere ſupplicia. Si enim pecuniariorum eos furtorum & latrociniorum emendatores elegimus: quomodo non multo magis caſtitatis furtum & latrocinum eos coercere permittimus? Si quis autem patiatur in ſua domo quemdam lenonẽ, & huiuſmodi propoſitum operationis habere, & hæc denunciata cognoſcens, non etiam domo ſua expulerit: ſciat ſe decem librarum auri ſuſtinere pœnam, & circa ipſam periclitaturum habitationem. Si quis autem conſcriptionem de cetero in talibus præſumpſerit, aut fideiuſſorem acceperit: ſciat nullam quidem ſe vtilitatem huiuſmodi fideiuſſionis aut conſcriptionis habere. Etenim fideiuſſor quidem obligatus non erit, conſcriptio autem omnino inualida manebit, & ipſe (ſicut prædiximus) corpore ſupplicium ſuſtinebit, & à magna hac longiſſimè ciuitate expelletur. C

Mulieres itaque caſtè quidem viuere volumus & oramus, non autem inuitas ad luxurioſam vitam deduci, nec impiè agere cogi: omnino enim lenocinium fieri prohibemus, & factum punimus, præcipuè quidem in hac feliciſſima ciuitate & in eius circuitu: nihilominus autem & in locis foris poſitis omnibus, & quæ ab initio noſtræ ſunt Reipublicæ, & quæ nunc denuo à Domino Deo data ſunt nobis, & maximè in illis; eò quòd Dei dona, quæ circa noſtram fecit Rempublicam, volumus conſeruari pura ab omni tali neceſſitate, & Domini Dei circa nos munera permanere digna. Credimus enim in Domino Deo, etiam ex hoc noſtro circa caſtitatem ſtudio magnum fieri noſtræ Reipublicæ incrementum, Deo nobis omnia proſpera per talia opera conferente. D

Quatenus ergo vos primi noſtri ciues caſta hac noſtra fruamini diſpoſitione: propterea hac ſacra prædicatione vtimur, vt ſciatis noſtrum circa vos ſtudium, circa caſtitatem ac pietatem labores noſtros, per quos in omnibus bonis cuſtodiri noſtram Rempublicam ſperamus. *Scriptum exemplar glorioſiſſimo Magiſtro; mutatis ad hunc modum verbis:*

Vt ergo omnibus hæc manifeſta fiant in noſtra habitantibus Republica, tua ſublimitas hanc noſtram ſuſcipiens ſacram legem, in omni ditione præceptis propriis eam vniuerſis inſinuet: vt non ſolùm in hac feliciſſima ciuitate, ſed & in prouinciarum cuſtodiatur locis, Domino omnium Deo pro alio quodam odore ſuauitatis oblata. Data Kalendis Decembris, Conſtantinopoli, Beliſario V. C. Conſule.] hactenus conſtitutio hoc anno data: ſequenti verò poſt Conſulatum Beliſarij addidit aliam [a] aduerſus eos qui iuramentum exigerent à meretrice, quod numquam ob ea infami arte recederet. E

[a] *Conſt. 45. apud Iulian. Antecеſſ.*

Adiecit his etiam Iuſtinianus Imperator maximè pius, quo verè Chriſtianiſſimi Imperatoris ſpecimen edidit, vt miſerabiles illas mulierculas proſtitutas ita lenonum ſubſidio deſtitutas nequaquam abiiceret, ſed regia munificentia in regias exciperet domos, vbi eaſdem alendas regiis expenſis curauit. De his enim iſta Procopius [b] dum eiuſdem Imperatoris ædificia præclara recenſet: In oppoſito littore olim Regiæ erant ſpectatu dignæ: has Deo in hunc modum conſecrauit Iuſtinianus Imperator. Apud Byzantium conuentus erat mulierum in lupanari Veneri ſeruientium, non quidem ſponte, ſed vrgenti paupertate, à lenone victum accipientes, cogebantur ſubinde per ſingulos dies corpora vulgare, & viris ignotis, quos caſus ferebat, admiſceri. Olim enim hîc erat lenonum copioſa familia,

[b] *Proco. de ædific. Iuſtiniã. Imp. or at. 1.*

A milia, quippe qui ex libidinis officina lucrum aucupabantur, in foro publicè alienam pulchritudinem venditantes, & illaqueantes castitatem. Rex autem Iustinianus & Theodora Regina inuicem pietate moti scelestum lupanaris conuentum expurgarunt, & expuncto lenonum nomine, mulieres paupertate oppressas ab intemperantia seruili liberarunt, dato illis libero victu & castitate libera. Hæc igitur Rex administrauit in littore, quod in dextra occurrit ingredienti Euxinum mare: priores Regias in celebre monasterium commutauit, in receptaculum scilicet mulierum, quæ propter vitam malè actam pœnitentiam agunt. Quapropter hoc mulierum conuenticulum, ob rei similitudinem, cognominabant Pœnitentiam. Multis pecuniarum prouentibus Reges ipsi hoc monasterium locupletarunt, multa præterea venustate & sumptibus in primis excellentia ad consolandas mulieres ædificarunt, ne ad seruanda castitatis munia quoquo modo segniores fiant.] hactenus de his

B Procopius, hicque finis dicendi de rebus ab Imperatore gestis post Siciliam vendicatam. Qui igitur erepta à barbaris accepit à Deo regna, aliquam ex parte saltem vicem pendens, ipse erutas à diaboli tyrannide Christianas feminas in Regiis collocauit.

MONASTERIVM DICTVM POENITENTIA.

Iam verò quæ reliqua sunt Agapeti Papæ anni huius videamus: accepimus ab Ecclesia Arelatensi duas eius epistolas ad S. Cæsarium Episcopum Arelatensem, priorem quidem de non alienandis bonis Ecclesiasticis, posteriorem verò de appellatione Contumelioſi Episcopi ad Apostolicam sedem, datas ambas hoc anno, nempe post Consulatum Paulini; quarum prior sic se habet:

Dilectissimo fratri Cæsario Agapetus.

Tanta est, Deo propitio, & à Deo * libentissimè concedenda quæ alimoniis proficiunt pauperum & circa tuæ fraternitatis affectum nostra deuotio, vt oneroſum nobis nullatenus esse iudicemus, quod annui vestris desideriis postulatis: sed reuocant nos veneranda Patrum manifestissima cõstituta, quibus specialiter prohibemur prædia iuris Ecclesiæ, cui nos omnipotens Dominus præesse constituit, quolibet titulo ad aliena iura transferre. Quam rem vestræ quoque sapientiæ credimus esse gratissimam, quod in nullo contra priscæ definitionis constituta vel regulas pro qualibet occasione, vel sub cuiuscumque personæ respectu venire præsumimus; ne tenacitatis studio, aut secularis vtilitatis causa hæc facere nos credatis. Sed diuini considerationè iudicij necesse nobis est, quicquid sancta Synodalis decreuit auctoritas, inuiolabiliter custodire. Quod vt charitati tuæ indubitabiliter elucescat, ad locum de hoc articulo ex constitutis Patrum fecimus releuari: quæ cum præsentibus pariter affatibus credimus dirigenda. Dominus te incolumem custodiat, frater reuerendissime. Dat. xv. Kal. Aug. P.C. Paulini Iun. V. C.] post finem epistolæ idem Pontifex

D eiusmodi apposuit decretum editum in Romano Concilio tertio[a] sub Symmacho Papa totidem verbis exscriptum, appositio huiusmodi titulo:

* adeò A GAPETI PAP. EPIST. AD CAESARIVM EPISC. ARELAT. DE NON ALIEN. BON. ECCLES.

[a] *Cõcil. Rom. 3 sub Symmacho, c. 4.*

Ex constituto Synodali inter cetera, & ad locum: His ergo perpensis, mansuro cum Dei nostri consideratione decreto sancimus, vt nulli à præsenti die (donec disponente Domino Catholicæ fidei manserit doctrina Saluatoris *) liceat prædium rusticum, quantæcumque fuerit vel magnitudinis, vel exiguitatis, sub qualibet * alienatione ad cuiuslibet iura transferre. Nec cuiusquam excusetur necessitatis obtentu, quippe cùm non sit personale quod loquimur: nec aliquis clericorum vel laicorum sub hac occasione accepta tueatur. Ac paulo pòst[b]: Quicumque oblitus Dei, & decreti huius immemor, cuius Romanæ ciuitatis sacerdotes volumus religiosis nexibus deuinciri, contra facere aut aliquid alienare tentauerit, * honoris sui amissione mulctetur. Præterea[c] qui petierit aut acceperit, vel qui

E presbyterorum aut diaconorum seu Defensorum danti subscripserit, illo quo iratus Deus animo percutitur, anathemate feriatur: sitque accipienti vel subscribenti de personis superius comprehensis, id est, quas anathemate feriri censuimus (statuta pœna contubernio * seruata) quam promisimus in dante * vindicta; nisi fortè dator * sibi celeri repetitione prospexerit. Quòd[d] si minori animæ suæ cura quisquam remedium oblatum fortè neglexerit, subeat ea pœnarum genera, quæ superiùs tenentur ascripta. Contra fas si qua corrupta fuerit scriptura, vniuersis viribus, quamuis ab initio nullas habuerit, effœtetur. Sed etiam liceat quibuscumque Ecclesiasticis personis vocem contradictionis afferre; & Ecclesiastica auctoritate fulciri, ita vt cum fructibus possint alienata reposcere, nec aliquo se ante tribunal Christi obstaculo muniat, qui à religiosis animabus ad substantiam pauperum derelicta contra fas sine aliqua pietatis consideratione dispergit.] Hucusque descripsit Agapetus ex dicto Romano Concilio ad Cæsarium: ex quibus æquè intelligis,

* *saluaria*
★ *perpetua*
[b] *Eod. concil. c. 6. in 17. q. 4 quicũque Dei* ★ *omittit plura quæ illic leguntur verba.*
[c] *Eod. Rom. Concil. cap. 7.*
* *contubernalium*
★ *alienatore*
* *alienator*
[d] *Eod. Concil. 3. cap. 8.*

quàm auersi & prorsus alieni essent sancti Pontifices à rerum Ecclesiæ alienatione quouis obtentu quæsito. Qui enim rogat, sanctus est; pro quibus rogat, pauperes sunt, & vtique sub cura Romani Pontificis: etenim etsi facta sit inter Principes Apostolorum in prædicatione verbi distinctio nationum, cura tamen pauperum (vt ait Paulus [a]) in solidum cessit vtrique: cùm alioqui Romano incumbat Pontifici ex prærogatiua primatus, pauperum omnium pro facultate curam gerere. At de his nulla habita ratione, perstitit sanctissimus Agapetus firmiter in decreto de non alienandis bonis Ecclesiasticis, exemplum posteris præbens, quàm in his debeant esse tenaces. Sed reddamus hic posteriorem Agapeti epistolam ad eumdem Cæsarium cõscriptam in causa Contumelioſi antea damnati Episcopi:

[a] Gal. 2.

AGAPETI PAP. EPIST. AD CAESARIVM EPISC. DE CONTVMELIOSO EPISC.

Dilectissimo fratri Cæsario Agapetus.

Optaueramus, frater amantissime, vt Episcopi Contumelioſi opinione integra permanente, nec tibi dudum fieret necessitas iudicij, nec nobis causa censendi: maximè quia in suprascripti viri accusatione communis honoris reuerentia quodammodo videtur incursata. Vnde quatenus præsumptione (sicut asserit) innocentiæ ad appellationis voluit auxilium conuolare, orationibus assiduis hoc innitamur, vt eum cognitionis iteratæ beneficium gratulationi omnium restituat absolutum. Delegaturi enim, Deo nostro adiuuãte, sumus examen, vt secundùm canonum venerabilium constituta sub consideratione iustitiæ omnia, quæ apud fraternitatem tuam de eiusmodi negotio acta gestáue sint, diligentissima vestigatione flagitentur: neque enim prædictum virum conuenit euentu prius habitæ cognitionis vrgeri, quippe cùm & ipse iudicium petierit: Non auertatur voluntas animi à precibus infirmorum, cùm in necessitate fuerint; ne nobis (quod auertat Dominus) ea quæ leguntur in Prouerbijs dici possint [b]: Qui obturat aurem suam, vt non audiat infirmum, & ipse inuocabit Dominum, & nõ erit qui exaudiet eum. Quid est enim infirmius Episcopo Contumelioſo, qui in tribulatione positus & de præteriti iudicij pudore cõfunditur, & cognitionis quæ futura est expectatione turbatur? quia quamlibet ei (quod optandum est) puritas fortè suffragetur innocentiæ, non potest iudicij solicitudinem non habere.

[b] Prou. 21.

Et nos quidem, quamuis culpatus à vobis Emeritus defensor memoratum Episcopum reuersum ad Ecclesiã suam charitatis tuæ voluntate firmauerit vsque ad exitũ iudicij, quod delegauerimus Episcopo Contumelioſo, reddita sibi modò propria substantia, suspensum interim volumus ab administratione patrimonij Ecclesiastici, & celebratione Missarum: quia id quod sibi viderat iudicio fuisse sublatum, glorioſiùs, si ei veritas suffragatur, iudicio receperit, quàm vsurpationibus occuparit. Melius autem fecerat fraternitas tua, si postea quàm sedis Apostolicæ appellationem interpositam desiderauit, examen circa personam eius à tempore sententiæ nihil permisisses imminui, vt esset integrum negotium, quod interposita prouocatione quæreretur: nam si in executionem mittitur prima sententia, secunda non habet cognitio quod requirat. Addendum, quia etsi non esset prædictus Episcopus iudicationi refragatus, priuatam magis potuit secundùm canones expetere secessionem, quàm seueritatem religionis excipere. Suspensus igitur (sicut præfati sumus) Episcopus Contumelioſus habeat tantùm quam præsumpsisse dicitur celebrationem Missarum: & patrimonio Ecclesiæ in gubernatione Archidiaconi eiusdem Ecclesiæ constituto, ita vt alimonia sufficiẽter Episcopo non denegentur, visitatoriam in eius loco præcipimus ordinari personam, & patienter expectare Iudices, quos inspirante nobis Domino, constituerimus, audire. Præterea ne quid esset quod charitati tuæ videatur incognitum, studio dilectionis constitutorum fecimus capitula subter annecti, vt scientia communicemur canonum, sicut participamur affectu. Dominus te incolumem custodiat, frater reuerendissime. Dat. xv. Kalen. Augustas. P. Con. Paulini Iun. V. C.] hactenus Agapeti epistola ad Cæsarium. Iam ad res gestas anni sequentis transeamus.

IESV CHRISTI ANNVS 536. AGAPETI PAP. ANNVS 2. IVSTINIANI IMP. 10. THEODATI REG. 3.

AGAPETVS PAPA LEGATIONEM SVSCIPIT.

QVi sequitur Christi annus quingentesimus trigesimusextus, nullius Consulatu notatus, post Consulatum Belisarij in veteribus monumentis inscriptus habetur, idemq; primus annus belli Gothici in Italia à Procopio numeratur, cùm Iustiniani Imperatoris decimus inchoatur: Quo Agapetus Papa à Gothorum Rege Theodato subire cogitur difficillimæ

A ficillimæ legationis onus Constantinopolim ad Iustinianum Imperatorem. Quantumlibet enim anno superiori ad eumdem Augustum pro Ecclesiasticis rebus honorificam plenamque satis misisset, quam recensuimus, legationem, per quam pacem à Iustiniano efflagitasset, nec obtinuisset, immo iam bellum indictum accepisset, atque etiam Rex barbarus dispendium passus esset Dalmatiæ atque Siciliæ; timeretque, simulac hieme lapsa, opportunum nauigandi tempus adesset, fore, vt Belisarius, qui in Sicilia hiemauit, Italiam inuaderet: tantum discrimen anteuertendum putauit, non alio obice, quàm Summi Pontificis legatione, qua pacem rursum peteret ab Imperatore. de qua legatione hæc Liberatus diaconus[a]: Quo tempore Theodatus Rex Gothorum scribens ipsi Papæ & Senatui Ro- [a] *Liberat. in Breu. c. 2.*
mano (*Rauennæ enim degere consueuit*) interminatus non solùm Senatores, sed & vxores,
& filios, filiasque se gladio interempturum, nisi egissent apud Imperatorem, vt destinatum
B exercitum suum de Italia submoueret. Sed Papa pro eadem causa legatione suscepta, Constantinopolim profectus est.] hæc Liberatus. Porrò erroris arguuntur, qui hanc Agapeti legationem in superiorem reiiciunt annum; cùm ex Procopio, qui rebus præsens fuit, satis liqueat, hæc de legatione acta absoluto anno superiori, cuius die nouissimo Belisarius Consulatus insigna, absoluto munere, Syracusis deposuerat.

Quæ autem præcesserint Agapeti hoc anno legationem, ex eodem auctore rem accuratè prosequente dicamus. Missus est ad Theodatum rursum Petrus à Iustiniano Imperatore legatus, vir eloquens & in rebus agendis quàm dexterrimus, cum quo Theodatus quæ egerit anni huius exordio, Procopius ita scribit[b]: Petrus interea in Italiam delatus, de his [b] *Procop. de bello Goth. lib. 1.*
omnibus, *quæ scilicet Belisario feliciter contigissent*, certior factus, instare tunc acriùs, & DE PACIS
Theodatum terrere haudquaquam intermittebat. Tum ille timore perculsus & attonito CONDITIONIBVS.
C similis, haud secus voce emissa ac bello captus fuisset, amotis arbitris, cum Petro in colloquium venit. Et inter eos demum conuentum, vt Imperatori Theodatus vniuersam Siciliam cederet, illique auream in annos singulos trecentarum librarum coronam mitteret, è Gothisque item ad tria millia pro eius vt traderet arbitratu. Theodato verò vt minimè liceat siue sacri, siue Senatorij ordinis, sine Imperatoris permissu quemquam occidere, vel eius bona in publicum proscripta redigere. Et si quem fortè ex subditis ad Patriciam velit, siue aliam hîc dignitatem prouehere, ab Imperatore hanc dari deposcat. Quinetiam Romanus vt populus pro eius consuetudine, in acclamationibus ac plausu ipso, Imperatoris in primis nomen pronunciet, Theodati deinceps, siue in theatris, siue in triuiis, siue alibi vbicumque id fieri contigerit. Statua præterea siue ænea, siue alia quauis materia structa, numquam soli Theodato, sed vtrisque semper imponatur, Imperatoris ad dexteram,
D Theodati ad læuam.

His quidem & scriptis cum pactionibus Petrum legatum Theodatus Byzantium ad Im- THEODATVS NIMIO TIMORE AGITATVR.
peratorem remisit. Quo inde demisso, hominem statim trepidatio cepit, & in varias quasdam formidines egit, eiusque mentem variè volutabat, vel solo belli nomine territando, ne si fortè Imperatori haudquaquam placerent quæ inter se fuissent & Petrum conuenta, bella essent mox occursura. Vnde abeuntem Petrum & in Albanos profectum, ad se reuocatum, perinde ac alia secum acturus, seorsum rogabat, num petitiones inter se factas voluptati esse Imperatori existimaret. Cui affirmanti ita se suspicari, respondit: Sin verò minùs oblectent, quid deinde agendum? At Petrus: Belligerandum tibi proculdubio erit, ô strenue. Tunc Theodatus: Num æquum id fuerit? Cur non id æquum futurum sit, inquit, vt studia animo cuiusque insita obseruentur & artes? Quid enim sibi vult illud, ô Theo-
E date, vt ipse studij plurimum philosophiæ impendas, Iustinianus verò Romanorum Imperator animi magnitudini studeat, strenueque vt omnia peragat: in eo tamen differat plurimum, quòd qui philosophiæ operam det, mortem afferre hominibus & his quidem tam multis, haudquam sat deceat, & ex Platonicis præcipuè disciplinis, quarum te scilicet participem factum, quauis cæde vacare, profectò nil sanctius sit: sed illum pristino ac suo Imperio loca sedulò addere, atque identidem vendicare, nil prorsus dedeceat.

Hac Thodatus tam callida suggestione facilè persuasus, cessurum se Iustiniano Imperatori principatum fatetur: idque ipse in primis, atque eius deinceps vxor iurauit; Petrumq. adegerunt, vt iureiurando polliceretur, non se prius id editurum in vulgus, quàm Imperatorem cognouerit priores illas non admissurum conditiones. Vnde & Rusticum sacerdo- DE LEGATIONE RVSTICI AGAPETI.
tum è numero quemdam, Romanum virum, & peridoneum ad eam rem confirmãdam Byzantium cum Petro transmisit: Huic ad Imperatorem litteras dedit.] hæc Procopius:

quod verò de rustici legatione ait, hunc certum est fuisse Agapetum, qui rusticus dictus est. A porrò visus est Procopius ignorasse, hunc ipsum fuisse Romanum Pontificem, cuius nec ampliùs vsquam meminit. Sed ne quid de hac legatione prætermittatur, quam Pontificia dignitas adeò illustrauit, néve quid ambiguum relinquatur; exactè cuncta sunt disquirenda, & quo sunt facta ordine recensenda.

DE TRIBVS PETRI LEGATIONIB.

In primis autem meminisse debemus, Petrum hunc, de quo agitur, sæpiùs ab eodem Imperatore missum ad Theodatum, eodem esse legationis munere functum: primò videlicet (vt ex Procopio patuit) cùm adhuc superstes esset Amalasuntha, quam cùm in Italiam peruenisset, defunctam inuenit: secundò verò hanc, de qua est sermo, legationem obiuit: tertiò verò missus, vt quæ promiserat Theodatus Imperatori præstaret. hæc omnia ex Procopio. Quod autem ad secundam hanc, de qua agitur, legationem pertinet: has illi dedisse litteras Theodatum, Procopius tradit[a]: B

[a] *Procop. de bello Goth. lib. 1.*

LITTERAE THEODATI AD IVSTINIAN. IMP.

Non quidem ipse ad id regium culmen vt aduentitius & peregrinus perueni, quippe qui ex auunculo Rege sim genus sortitus, & pro eius nutritus hîc dignitate: bellorum verò ac bellicæ turbulentiæ sum equidem non omnino peritus. Cùm enim in audiendis litterarum optimis disciplinis exercitus sim, & in eas studium meum omne contulerim, contigit sanè vt à bellicis his perturbationibus quàm longè semotus, ad id demum venerim, vt haud quaquam decere me ducam, pro terrestris Imperij & bonorum præsentium cupiditate vitam vt in discrimine agam, sed ab his prorsus vt procul absim, nimirum cui neutrum mihi sit voluptati: tum quia alterum satietate metimur (nam suauitatú omnium satietas est) tum quia insolentia ipsa, consuetudoque in anxietates plerumque & turbas inducunt. Ipsa igitur si modò mihi prædia sint, quæ aureos ducentos * & mille quotannis, parui equidem sum regnum facturus, tibique statim Gothorum & Italorum permissurus Imperium, vt qui C longè malim terræ cultor sine negotio esse, quàm in Imperatoriis curis vitam hanc degere, vicissim in pericula transmittentibus. Mittes ergo quàm celerrimè hunc ad nos virum, cui cùm Italiam ipsam, tum res ceteras tuo sim nomine traditurus.] hactenus litteræ Theodati ad Iustinianum à Procopio recitatæ.

* *aliter ex Græco habet, nempe* XII. *centenariorum annuum prouectum.*

THEODATI ALIAE SECRETAE, ALIAE PVBLICAE LITTERAE.

Porrò has litteras secretas esse oportuit. Etenim quas eidem Petro hoc anno datas recitat Cassiodorus[b], ab his diuersæ sunt, nihilque præterea habent, quàm exhortationem ad oblatam pacem non respuendam: cuius etiam sunt argumenti, quas eidem Petro ad ipsum Imperatorem dedit Gudelina Regina vxor Theodati, & aliæ ad Augustam Theodoram, vel quas Theodatus misit, cùm primùm profectus est Petrus: itemque & aliæ, quas dedit Summo Pontifici; quem licet non nominet, illis tamen verbis significat, quibus ait[c]: Nunc iterum per *illum* virum sanctissimum eadem credimus esse repetenda, vt vera atque affe- D ctuosa iudicetis, quæ frequenter repetita cognoscitis, &c.] & in litteris Reginæ[d]: Et ideo *illum* virum venerabilem, vestris conspectibus verè dignissimum, legatum nostrum ad vos specialiter credimus esse dirigendum.]

[b] *Cassiod. Var. lib. 10. epist. 19. 20. 21. 22. 23.*

[c] *Cassiod. Var. lib. 10. epist. 22.*

[d] *Cassiod Var. lib. 10. epist. 23.*

Vera tamen esse, quæ de Theodato Rege Gothorum meticuloso Procopius scribit, & illis quidem maiora fuisse, vetera monumenta declarant, ex quibus ipsum statim adimplere cœpisse constat oblatas conditiones, quas Iustinianus postea respuit: nummos siquidem mox cudere aggressus est, in quorum singulis primo loco Iustiniani imaginem effigiandam curauit, ex aduersa autem parte nomen suum; prout ex vno ipsorum, cuius hîc tibi formam curauimus exprimendam, poteris intelligere.

* *Ex nummo argento è prætuario antiquitatum Lælij Pasqualini.*



e



E

Satis vides, primum locum tributum Imperatori, in nummi verò postica inscriptum tantùm haberi nomen ipsius Gothorum Regis Theodati absque aliqua eius imagine. Ex qua etiam

A etiam in nummo posita inscriptione intelligis (vt id obiter tangam) quomodo eiusdem nomen Regis scribi solitum fuerit, nempe triplici aspiratione, Theodahathus, non vt frequenti vsu receptum, vt simplici aspiratione Theodatus secundùm Latinam, non secundùm Gothicam pronunciationem scribatur. Habes de his præterea oppignoratam fidem scholiastis in notatione affixa apud eumdem Procopij locum de alio item eiusdem Theodati nummo huic simili, vbi ait: Ad hanc pacis conditionem accedit inscriptio nostri numismatis argentei, in cuius latere dextro D. N. IVSTINIANO P. AVG. à sinistro D. N. THEODAHATHVS REX.] Sic igitur certò vides, timore nimio Theodatum exagitatum antè implere cœpisse quas obtulit pacis conditiones, quàm eas Iustinianus probasset, quæ nouis emergentibus causis (vt inferiùs dicturi sumus) contemptæ sunt. Sed iam de missa ab eo legatione agamus.

B Agapetus igitur eiusmodi subire prouinciam barbarico coactus imperio, ad expensas in via faciendas, regio Arcario opus habuit vasa sacra oppignorare. Operatus est tamen postea Cassiodorus apud Regem, vt eadem redderentur ecclesiæ S. Petri, à qua sublata fuerant: de quibus eiusmodi memoria dignas litteras idem Cassiodorus [a] scripsit Arcariis, cùm adhuc fungeretur ipse officio Prætorij Præfecturæ:

DE LEGATIONE AGAPETI PONT.

[a] *Cassiod. Var. lib. 12. epist. 20.*

Tomaci * & Petro VV.CC. Arcariis Senator Præfect. Prætorio.

Retinetis mecum, fidelissimi viri, sanctum Agapetum * vrbis Romæ Papam, cùm ad Orientis Principem legationis gratia mitteretur, iussione regia, datis pignoribus, à vobis tot libras auri, facto pactacio, solemniter accepisse: vt cui prouidus dominator iussit ad subditum * eius etiam vrgere excessum. Primùm quidem benignè præstitit, qui in necessitate mutuas pecunias dedit; sed quanto glorioſiùs fecit, etiam illud elargiri, quod cum gratia-

C rum actione potuisset offerri? Victa est sine damno necessitas: manus Papæ dabat, quod eius substantia non habebat: & illud iter est indemne redditum, quod donis constat expletum. Quale, rogo, videbatur, Antistitem petentibus Ecclesiam, & Ecclesiam nulla detrimenta sentire? Distributor fuit potiùs, quàm donator: quia necesse est illi applicari, de cuius facultatibus videbatur expendi. quid non agat apud pium Principem talis legatio, quam destinatam singulari constat exemplo?

* Tomati
* Agabitum

VASA OPPIGNORATA REDDI IVBENTVR.

Quapropter nostra præceptione commoniti, & regia iussione securi, Sanctorum vasa cum obligatione chirographi auctoribus sancti Petri Apostoli sine aliqua dilatione refundite, vt lucrosè reddita celeriter impetrata videantur. Optata referantur manibus Leuitarum ministeria toto Orbe narranda. Donetur quod proprium fuit: quoniam iustè per largitatem recipit, quod sacerdos legibus obligauit. Superatum est exemplum, quod in histo-

D ria nostra magna intentione retulimus. Nam cùm Rex Alaricus vrbis Romæ deprædatione satiatus, Apostoli Petri vasa suis deferentibus excepisset; mox vt rei causam habita interrogatione cognouit, sacris liminibus deportari diripientium manibus imperauit: vt cupiditas, quæ deprædationis ambitu admiserat scelus, deuotione largissima deleret excessum. Sed quid mirum, si reuerendorum Sanctorum diripere vasa noluit, qui tanta se Vrbis vastatione ditauit? Rex autem vester religioso proposito reddidit vasa, quæ iure pignoris propria videbantur effecta. Et ideo talibus factis frequens præstetur oratio: quando læta cõcedi posse credimus, cùm retributionẽ bonis actibus postulamus.] hucusq; Cassiodorus.

Ad hæc modò prouoco Nouatores, qui ex opulentia creuisse Romanæ Ecclesiæ summam auctoritatem, nõ ex Apostolica potestate, dixere: cùm cernere sit sub barbarico iugo captiuam sanctam Romanam Ecclesiam eò paupertatis adactam, vt cùm nec ex omnibus

NON EX DIVITIIS, SED EX APOSTOLICA AVCTORITATE MAIESTAS ROM. ECCL.

E suis reditibus corradere tantum pecuniæ posset, quæ Pontifici legatione fungenti ad iter conficiendum Constantinopolim satis esset, opus fuerit vasa sacra pignori dare ad pecuniam tunc necessariam comparandam: & tamen nihil vmquam toto eo tempore supremæ Pontificiæ auctoritatis fuit imminutum, vel relaxatum ad delinquentes coercendos Apostolici roboris: immo nescio an aliquo alio tempore magis viguerit in Ecclesia Romana suprema potestas, & adeò fuerit à rebellibus cognita experimento, Orbi imperans, & coercens Apostolicæ sedis auctoritas & culta maiestas, sicut hoc seculo, vt quæ sunt dicta superiùs in Hormisda docent de tot Constantinopolitanis Patriarchis, inuito etiam populo & contradicente clero, ex Albo Catholicorum abrasis, deque duobus condemnatis post obitum Imperatoribus, de præscriptis toties ab ea legibus Orientalibus & Occidentalibus, si recipi ad eadem Romana Ecclesia vellent, de frequentioribus vndique ex diuersis prouinciis Occidentalibus atque Orientalibus ad ipsos Romanos Pontifices consultationibus missis,

missis,crebrioribusque legationibus Imperatoriis destinatis: quæ omnia & alia quamplurima superiùs exempla enarrata declarant, & quæ hoc ipso anno paulo pòst dicturi sumus ostendent;cùm videlicet idem Agapetus Pontifex licet à Rege visus sit missus ad Imperatorem pro pace roganda,à Deo tamen proficisci iussus apparuit,vt imperaret imperãtibus, & ab eis perperam facta rescinderet: nimirum vt quem Principes statuissent in sede, post Epiphanium, Anthimum Patriarcham Constantinopolitanum, inuentum hæreticum in ordinem redigeret, & loco eius eadem Apostolica auctoritate Mennam protinus subrogaret,atque delatos damnaret, hæreticos:quæ omnia vigenti Apostolica auctoritate fecisse, etiam diuinitus ostensa signa primitus docuerunt.

Etenim illud ipsum ferme contigit Agapeto, quod olim Petro Apostolo, qui rogatus à claudo eleëmosynam dare,pro petita pecunia,qua carebat,illud responsum dedit [a]: Argentum & aurum non est mihi: quod autem habeo,hoc tibi do: In nomine Iesu Christi Nazareni surge & ambula.] ita planè Agapetus egentem se quidem pecunia in sacrorum oppignoratione vasorum ostendit,sed in ostensione signorum diuina gratia opulentum,cùm & cuius esset successor,antequam Constantinopolim peruenisset,innotuit. Ostensum quippe est,Romanum Pontificem,Petri successorem, Christi Vicariùm semper & vbique esse locupletem,abundareque cælestibus donis,licet auri appareat egẽtissimus;vtpote qui habeat in cælo promptuaria diuina promissione secura,eademque auro illo referta,de quo in Canticis Sponsa [b]: Caput eius aurum optimum] Christum scilicet, in quo sunt (inquit Apostolus [c]) omnes thesauri sapientiæ & scientiæ Dei;quorum ipse dispensator fidelis existens, pro ratione locorum & temporum quod opus est Fidelibus erogat. Qui igitur inops, ex oppignoratione sacrorum vasorum pecunia comparata, ab Vrbe discedit, viaticum à Deo locupletius,nempe virtutem miraculorum accepit, quorum amplissimum meruit assertorem,nempe Gregorium Magnum itidem Pontificem Maximum, cui ad prærogatiuam dignitatis & sanctitatis accedunt loci atque temporis adminicula, dum & suæ Ecclesiæ suique sæculi scribit historiam.

[a] *Act.* 3.
[b] *Cantic.* 5.
[c] *Col.* 2.

Quæ igitur in itinere constitutus sanctissimus Agapetus miracula fecerit, idem S. Gregorius narrat his verbis [d]: Post non multum temporis, exigente causa Gothorum, vir quoque beatissimus Agapetus huius sanctæ Romanæ Ecclesiæ Pontifex, cui, Deo dispensante,deseruio,ad Iustinianum Principem accessit. Cui adhuc pergenti, quadam die, in Græciarum iam partibus curandus oblatus est mutus & claudus,qui neque vlla verba edere,neque ex terra vmquam surgere valebat. Cumque hunc propinqui illius flentes obtulissent:vir Domini solicitè requisiuit,an curationis illius haberẽt fidem. Cui dum in virtute Dei ex auctoritate Petri fixam salutis illius spem habere se dicerent: protinus venerandus vir orationi incubuit,& Missarum solemnia exorsus, sacrificium in conspectu Dei omnipotentis immolauit. Quo peracto,ab altari exiens, claudi manum tenuit, atque assistente & aspiciente populo,eum mox è terra in propriis gressibus erexit:cumque ei Dominicum corpus in os mitteret,illa diu muta ad loquendum lingua soluta est. Mirati omnes, flere præ gaudio cœperunt, eorumque mentes illico metus & reuerentia inuasit, cùm videlicet cernerent quid Agapetus facere in virtute Domini ex adiutorio Petri potuisset.] hæc Gregorius. Vtinam totius peregrinationis Agapeti extarent scripta diaria, ex quibus nostri essent Annales locupletandi. Verùm de reliquis ab eo rebus gestis in via, quousque Constantinopolim aduenit,altum vbique silentium.

[d] *Greg. Dial. lib. 3. c. 3.*

MVTVS ET CLAVDVS AB AGAPETO CVRATVR.

DE ADVENTV AGAP. CONSTANTINOP.

Quando autem peruenerit Constantinopolim, Anastasius refert id accidisse decimo Kalendas Maij: verùm Acta Synodalia eum illuc maturiùs peruenisse, significare videntur. Porrò de eius aduentu hæc habet Liberatus diaconus [e]: Primùm quidem honorificè susciplens directos sibi ab Imperatore,spreuit tamen Anthimi præsentiam, eumque ad salutãdum suscipere noluit. Deinde viso Principe, causam agebat legationis susceptæ. Imperator autem pro multis fisci expensis ab Italia destinatum exercitum auertere nolens, supplicationes Papæ noluit audire. At ille (quod summum* fuit) legationeChristi fungebatur.] quænam ista fuerit,paulo pòst dicetur.

[e] *Libera. diac. in Breuiar. c. 21.*

* suum

CVR DE PACE SPES DEMPTA.

Cur præterea Iustinianus non acquieuerit Agapeto pacem Theodato petenti, ex Procopio possumus intelligere: nempe accidisse, vt dum hæc tractarentur, Gothi qui residui erant in Dalmatia, cum Romanis conferentes manus, priores tulerint, occiso primùm Mauritio Mundi filio, atque demum Mundo ipso, qui anno superiori Salonas ceperat, quas hoc anno itidem Gothi recuperauerunt: quibus cùm factus esset elatior Theodatus,

ipsum

A ipsum de promissione facta pœnitere cœpit: quamobrem Iustinianus & ipse eam reiiciens, confestim Belisarium iam paratum è Sicilia in Italiam cum exercitu traiicere præcepit; qui improuiso agmine perueniens in Campaniam, Neapolim munitam valde ciuitatem obsedit: quid autem postea factum sit, infrà dicemus. Interea verò Agapeti Papæ res gestas Constantinopoli prosequamur, de quibus ista habet in primis, cuncta summatim referens Liberatus[a]:

[a] *Liberat. vbi supra c. 22.*

AGAPETVS DEPONIT ANTHIMVM.

Denique petentibus Principibus, vt Anthimum Agapetus Papa in salutatione & communione susciperet: illud fieri inquit posse, si se libello probaret Orthodoxum, & ad cathedram suam, *nempe Trapezuntium*, reuerteretur. Impossibile esse aiebat, translatitium hominem in illa sede permanere. Augusta verò promittente munera multa, & rursus Papæ minas intentante, in hoc Papa perstitit, ne eius audiret petitionem. An-
B thimus verò videns se sede pulsum, pallium quod habuit, Imperatoribus reddidit, & discessit, vbi eum Augusta suo patrocinio tueretur. Tunc Papa Principis fauore Mennam pro eo ordinauit Antistitem, consecrans eum in basilica sanctæ Mariæ. Fuit iste Mennas Præpositus xenodochij maioris, quod vocatur Samsonis, genere Alexandrinus, suscipiens Chalcedonense Concilium.] hæc summatim (vt dixi) complexus est Liberatus: sed alij paulo latiùs rem sunt prosecuti, addentes nonnulla, quæ desiderari in his posse videntur.

At quæ primùm de his scripta ab Anastasio[b] reperiuntur, in medium afferamus: Ingressus (inquit) Constantinopolim Agapetus, primùm cœpit habere altercationem cum piissimo Principe domino Iustiniano Augusto de religione: cui beatissimus Agapetus constantissimè responsum dedit de Domino Iesu Christo Deo & homine, hoc est, de dua-
C bus naturis in Christo, &c.] Qui autem, simulac est Agapetus Papa creatus, ex more (vt vidimus) Iustinianus Imp. rectæ fidei misit Romam professionem; vt rursum ab eo idem exigeret Agapetus Catholicæ fidei professionem, non aliam ob causam accidisse potuit, quàm quòd ob consensum adhibitum in creatione Anthimi hæretici ipse etiam Imperator in suspicionem hæresis esset adductus. Potuisset aliquo prætextu idem Iustinianus tergiuersari, renuereq; id sibi præstandum fore, quod semel & iterum (vt vidimus) antea præstitisset: verùm in his non obtemperare Romano Pontifici exigenti, nefas ratus & impium, mox editam fidei confessionem illam iterat, quam Orientalibus ab Hormisda Pontifice vidimus fuisse præscriptam, cui eiusmodi legitur affixa inscriptio[c]: Exem-
D plar libelli piissimi domini nostri Iustiniani Imp. quem dedit Agapeto Papæ apud Constantinopolim de fide. In nomine Domini Dei nostri Iesu Christi, Imperator Cæsar Flauius Iustinianus, &c. Agapeto sanctissimo ac beatissimo Archiepiscopo Almæ vrbis Romæ & Patriarchæ.] incipit: Prima salus, &c.] omnia habens vt illa ab Hormisda per legatos Constantinopolim missa. Sed quòd data habetur decimo octauo Kalend. Aprilis sub Belisarij Consulatu, mendum irrepsit, vt post Consulatum, loco Consulatus, sit corrigendum.

[b] *Anast. in Agapeto.*

[c] *Extat inter epist. Rom. Pont. in Agapeto.*

IVSTINIAN. OBTVLIT LIBELLVM FIDEI AGAPETO.

Quomodo autem ante hæc, cùm nõdum compertus esset Iustiniano hæreticus Anthimus Patriarcha, eius causa succensus ipse sit Agapeto Pontifici, Anastasius ita narrare pergit: Dum contentio versaretur, ita Dominus adfuit, vt Episcopũ Constantinopolitanum nomine Anthimum * inueniret Agapetus Papa hæreticum. Cumque contentio verteretur cum Augusto & Agapeto Papa, dixit ei Imp. Iustinianus: Aut consenti nobis, aut exilio de-
E portari te faciam. Tunc beatissimus Papa Agapetus respondit cum gaudio dicens ad Imperatorem: Ego quidem peccator ad Iustinianum Imp. Christianissimum venire desideraui: nunc autem Diocletianum inueni: qui tamen minas tuas non pertimesco. Et dixit ei iterum Agapetus venerabilis Papa: Tamen vt scias tu, eum idoneum non esse religioni Christianæ, Episcopus tuus confiteatur duas naturas in Christo. Tunc accersito ex præcepto Augusti Episcopo Constantinopolitano nomine Anthimo, & discussione facta, numquam voluit confiteri in doctrina Catholicæ responsionis ad interrogationem beati Papæ Agapeti, duas naturas in vno Domino nostro Iesu Christo. Quem cùm vicisset sanctus Papa Agapetus, glorificatus est ab omnibus Christianis. Tunc piissimus Augustus Iustinianus gaudio repletus, humiliauit se sedi Apostolicæ, & adorauit beatissimum Agapetum Papam. Eodem tempore eiecit Anthimum à communione, & expulit in exilium. Tunc piissimus Augustus Iustinianus rogauit beatissimum Papam Agapetum, vt in locum Anthimi Episcopum Catholicum consecraret nomine Mennam.] hactenus Anastasius, quæ

* Anthemiũ RES GESTÆ INTER AGAPETVM ET IVSTINIAN.

quæ etiam in Miſcella hiſtoria leguntur. Reſtitit primò haud dubium Iuſtinianus Agapeto pro Anthimo, impiæ Theodorę Auguſtæ, qui ipſi Anthimo patrocinabatur, impulſu: ſed re comperta, plus apud eum tandem valuit iuſſio Pontificia, quàm Auguſtæ coniugis perfidæ blandimenta: vt digno poſteris exemplo ſit, omnia fidei Catholicæ poſthabenda. A

Sed quid facit infelix, quæ ſe hac in re deſpici videt à viro ſuo, à quo non ſolùm amari, ſed coli ſe mirificè ſciſſet? Haud deſpondet animum, ſed vehementioribus à prauo dæmone ſtimulis agitata, cuius malo ſpiritu percita erat, ad Epiſcopos ſe conuertit, quos noſſet fauere Eutychianæ hæreſi: hos vrget, hos impellit, vt Agapeto reſiſtant, qui vnus à ſe tanto labore parta diſſoluit, virumque ſuum tamquam captiuum in ſuam ſententiam trahit. Narrat hæc Zonaras verbis iſtis [a]: Nonnulli è primoribus ſacerdotibus Agapeto Papæ Romano in Imperatricis gratiam ſunt refragati, ab eadem quoque largitionibus corrupti: quos tamen ille, qui veritatem defenderet, omnes ſuperauit.] hæc ipſe. B

[a] *Zonar. Annal. par. 3. in Iuſtiniano.*

DAMNATI AB AGAP. PAP. ALII HAERETICI

Sunt planè his conſentientia quæ recitantur in libello Archimandritarum oblato Iuſtiniano Imp. poſt obitum Agapeti: ex quo etiam illud apparet, vnà cum Anthimo eodem tempore damnatos ab eodem Agapeto veternoſos illos Conſtantinopoli degentes hæreticos, Seuerum, Petrum, atque Zoaram: de quibus omnibus hæc in eodem libello [b]: Canonicum iudicium à Romano Pontifice in ipſum Anthimum & prædictos hæreticos audiri voluiſtis, illo perſuaſus qui dicit [c]: Interroga patrem tuum, &c.] & paulo pòſt: Miſit itaque Deus huic ciuitati Agapetum, qui verè Ἀγαπητός, id eſt, dilectus à Deo & hominibus, Pontificem antiquæ Romæ in depoſitionem Anthimi & prædictorum hæreticorum Seueri, Petri, atque Zoaræ, tamquam olim Petrum magnum Apoſtolum Romanis in depoſitione Simonis Cretiani *. Iſte enim venerabilis vir ſciens per libellos plurimorum noſtrorum ea quæ iniquè contra Eccleſias præſumpta fuere, ea ipſo viſu ſemel accipiendo, neque ad viſum ſuſcipere voluit Anthimum furentem aduerſus canones, ſed tunc iuſtè deiecit de ſacerdotali ſede ciuitatis ſuæ; & coopitulante & coadiuuante Catholicæ fidei & diuinis canonibus veſtro Imperio, præfecit ipſi Eccleſiæ ſanctiſſimum Mennam.] hæc & alia ipſi ibi. C

[b] *Extat in Cõſtantinop. Synod. ſub Menna Act. 1. tõ 2. Concil.*

[c] *Deut. 32.*

* magi *vel* Samaritani.

AGAPETVS QVAM MAGNIFICE AGERIT.

In his quidem omnibus peragendis ſumma poteſtas Apoſtolicæ ſedis Antiſtitis demonſtrata eſt, dum tantæ Eccleſiæ Patriarcham fauore Iuſtiniani Imperatoris & Theodoræ Auguſtæ pollentem, plurium iam antea Epiſcoporum (vt dictum eſt) ſuffragiis confirmatum ipſe Summus Pontifex Agapetus, nullo ſuper hoc cõgregato (vt moris fuit) antè Concilio, condemnauit. Quòd enim ſciret in gratiam Auguſtorum eoſdem Epiſcopos facillimè conſpirare; iis omiſſis, ſimplici habita diſcuſſione, ſimulac hæreticus idem Anthimus apparuit, ipſum condemnauit, atque Mennam in locum eius protinus ſubrogauit, damnatis cum Anthimo itidem Apoſtolica auctoritate Seuero, Petro, atque Zoara. Immo nec etiam citatum, nec viſum, ſed & reiectum penitus, nec in conſpectum admiſſum, fuiſſe ab Agapeto Pontifice Anthimum condemnatum, Nicephorus tradit, hæc dicens [d]: Agapetus cùm de rebus Anthimi inquireret, multoſque ab Archimandritis eius vrbis & aliis libellos oblatos acciperet: illi ne in conſpectum quidem admiſſo, Epiſcopatum abrogauit: cuius calculum monaſteria etiam Palæſtinæ & Petrus Hieroſolymitanus Antiſtes, nec non reliqui Eccleſiarum præfecti comprobauerunt.] hæc ipſe conſentientia ijs quæ ex libello monachorum modò ſunt recitata. D

[d] *Niceph. lib. 17. c. 19.*

At verò quod ex Nicephoro dictum eſt, Anthimum nec in conſpectum admiſſum ab Agapeto Papa, è ſede fuiſſe depoſitum: magis inhærerem ſententiæ Anaſtaſij dicentis vocatum Anthimum, & diſcuſſione de eo facta, cùm nollet confiteri duas in Chriſto naturas, id ab eo exigente Pontifice Agapeto, ab ipſo tunc damnatũ fuiſſe: niſi præter Nicephorum eſſent Acta Synodalia hoc teſtantia ex libello monachorum Iuſtiniano oblato, nuper à nobis citato. Vnde intelligere poſſumus, vſum ipſum plenitudine poteſtatis, nõ ſeruata in omnibus forma iudicij. Porrò etſi aduerſus Anthimum Agapeti Papæ iudiciũ abſque Synodo huiuſmodi fuit ſecundùm ſupremam Apoſtolicæ ſedis auctoritatem, qua ſupra omnes canones Pontifex eminet: haud tamen extitit commiſeratione ieiunum: ſiquidem aditum ei apertum reliquit, vt ſi quando ab errore pœnitens ad Eccleſiam redire vellet, Epiſcopatus priſtinus Trapezuntinæ Eccleſiæ eidem integer ſeruaretur. Quam tamen commiſerationem Pontificis Agapeti erga Anthimum ægrè ferentes Orthodoxi Archimandritæ Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ, in alio libello quem poſtea eidem Pontifici hoc anno obtulerunt, iſta arctari ad certum ten pus petierunt, nempe vt præfinitus illi daretur ad E

MITIVS EGIT CVM ANTHIMO AGAPETVS.

reſi-

A resipiscendum terminus, quo elapso, nullus illi vltrà pateret aditus ad priorem Ecclesiam. Sed accipe eorum verba[a]:

Non vultis omnimodam eius perditionem, sed vt conuertatur : imitamini enim Christum Deum nostrum, qui venit[b] vocare non iustos, sed peccatores ad pœnitentiam: & omnino paternis visceribus suscipitis, si recognouerit proprium peccatum, & conuertatur. Adiuramus vestram beatitudinem (licet audax quid faciamus) per sanctam & consubstantialem Trinitatem, ac per principem Apostolorum Petrum, ac salutem & victoriam piissimi Imperatoris nostri, non contemnere diuinos canones, qui ab isto pessumdantur; neque Ecclesiam ei traditam, quæ ab ipso despicitur : sed sequendo in omnibus eos qui ante ipsam tuam beatitudinem in sede vestra claruerunt ; facere in ipsum adhuc & contra auctoritatem canonum inualescentem, & qui prætulit vitam degere cum hæreticis, quàm
B cum propria Ecclesia ; ea quæ sanctum Cælestinum contra Nestorium liquet fecisse, assignando ei terminum, sicut & ille Nestorio : intra quem nisi occurrens prædictum libellum Apostolicæ vestræ sedi porrexerit, ac vestræ beatitudini & sanctissimo Archiepiscopo vrbis regiæ, & à morbo hæretico se ipsum liberauerit, ne ad Trapezuntinam Ecclesiam sibi creditam proficiscatur: definite, sanctissimi, ipsum alienum esse & nudum ab omni Pontificali dignitate atque efficacia, & se ipsum submittere condemnationi prædictorum hæreticorum, & partem illorum accepisse ; alterum verò pro isto Ecclesiæ Trapezuntinæ ordinandum esse.] hæc ipsi ad Agapetum, quòd mitiùs visum esset cum Anthimo actum hæretico.

[a] *Ex Synod. Constantinop. sub Mena. Act. 1.*

[b] *Matth. 9.*

VT CERTVS TERMINVS ANTHIMO PRAESCRIBATVR.

Quo minùs autem Anthimus vteretur impertita ab ipso Romano Pontifice humanitate, Seuerum illum caput hæreticorum Acephalorum, qui tunc (vt dictum est) Constanti-
C nopoli erat, impedimento fuit : etenim hortatus est eum, vt sede carere mallet, quàm Chalcedonense Concilium profiteri. testatur id Euagrius [c] ex eiusdem Seueri litteris datis ad Theodosium hæreticum Episcopum Alexandrinum, de quo superiori anno actum est pluribus.

SEVERVS HAERETICVS FOVET ANTHIMVM.

[c] *Euagr. hist. lib. 4. c. 11.*

Sic igitur postquam præfuisset sedi Constantinopolitanæ Anthimus (sicut habet Nicephorus in Chronico) menses decem, vel (vt Zonaras ait) annum vnum, ab Agapeto Papa depositus est: atque ab eodem subrogatus est Mennas magni nominis Orthodoxus, qui antequam Episcopus diligeretur, suæ fidei professionẽ publicè edere iussus est. Protulit ille quidem eamdẽ ipsam, quam præscripsisse diximus Romanos Pontifices omnibus Orientalibus communionẽ Catholicam expetentibus, cuius est exordium : Prima salus est rectam fidei regulam custodire, &c.] cui ipse sua manu antequam subscriberet, hæc apposuit:
D Mennas misericordia Dei presbyter & Xenodochus suscipio prædictas quatuor sanctas Synodos, & omnia quæ in ipsis continentur dogmata, & epistolas Papæ Leonis, quas pro fide conscripsit. Et confiteor in duabus naturis, id est, in diuinitate & humanitate Christum Deum nostrum inconfusè & indiuisè agnoscendum ; anathematizans omnes qui præter hæc sapiunt vnà cum omnibus qui condemnati sunt, vt superiùs dictum est, subscripsi.] Hæc quidem Mennas ante suam ordinationem: postea autem, simulac ordinatus est, obtulit rursum more maiorum ipsi Romano Pontifici libellum fidei, quo omnes condemnauit hæreses, & Catholicam fidem professus est. meminit eiusdem libelli Vigilius Papa [d] in epistola quam scripsit postea ad Iustinianum Imperatorem.

[d] *Vigil epist. 2. tom. 1. epist. Rom. Pont.*

His peractis, idem Agapetus Papa litteras dedit Apostolicas easdemque circulares ad omnes Episcopos Orientales qui cum Anthimo communicarant, quibus eosdem de An-
E thimi depositione ab Episcopatu, & de subrogatione Mennæ reddidit certiores : quarum quidem litterarum extat ad Petrum Episcopum Hierosolymorum exemplar his verbis conscriptum, exscriptum verò ex Synodo [e] Constantinopolitana sub Menna, vbi eædem Agapeti litteræ recitantur:

[e] *Cõst Synod. sub Menna Act. 1. in fin. & tò. 1. epist. Rom. Pont. in Agapet. epist. 5.*

Dilecto fratri Petro Agapetus.

Voluissemus quidem, fratres dilecti, propter coniunctionem nostræ charitatis omnes Domini sacerdotes iuxta Apostolicam [f] traditionem irreprehensibiles inuenisse, & neminem aut per gratiam, aut per metum ab ecclesiasticis canonibus declinare. Sed quoniam multa multoties subsequuntur, quæ pœnitudinem parere possunt, & Dei misericordia delicta peccatorum vincit, & idcirco differtur pœna, vt reformatio locum inuenire possit: monere necessarium iudicauimus, vt assumpta de cetero impræuaricata custodiantur. Oportebat enim vestram charitatem memorem paternarum traditionum, neminem

[f] *1. Tim. 3.*

AGAPETI EPIST. AD PETRVM.

nem permittere prohibita facere, sed si quis audax appareret, tota virtute resistere. A
Cùm itaq; peruenimus ad Comitatum sereniſſimi Imperatoris filij nostri, inuenimus sedem Constantinopolitanæ Ecclesiæ contra omnem canonum honestatem ab Anthimo Ecclesiæ Trapezundarum Episcopo inconuenienter vsurpatam. cuius animam non solum secundùm istam partem, sed (quod maius est) in confessionem veræ fidei è perditione reducere desiderauimus: sed Eutychetis errori insistens, ad viam veritatis redire contempsit.
QVID IN ANTHIMVM AGAPETVS.
Vnde cùm ipsius in fide pœnitentiam isto modo expectemus, neque Catholico neque sacro nomine dignum esse sententiauimus, donec omnia à Patribus tradita, per quæ veræ religionis fides & disciplina custoditur, secundùm congruentem satisfactionem suscipiat. Ceteros verò similes contumaciæ ipsius & sententia Apostolicæ sedis condemnatos similiter vestra charitas aduertat, quorum ipse se ipsum participem fecit. Constantinopolitanæ verò sedis iniuriam, Apostolica auctoritate adiuuante, & adiutorio fideliſſimorum Impe- B
ratorum, emendauimus. Et supra modum quidem admirati sumus, quòd istud opus ita apertè contrarium decretis Patrum vestra fraternitas non solùm ad notitiam nostram adducere neglexit, sed & reprehensibili consensu confirmauit.
Sed gratias agimus Deo, cuius spiritu mala ad melius vt plurimum vertuntur, & paruæ transgressiones ad vtilitatem & occasionem magni fuerint gaudij. Hoc autem pro excitando vestræ conspiritualitatis lætitiam significo, quia Mennam fratrem & coepiscopum nostrum, virum multis laudum modis ornatum, prædicta Constantinopolitana Ecclesia Episcopum susceþit. Cui licet præter ceteros sereniſſimorum Imperatorum electio arriserit, similiter tamen & totius cleri ac populi consensus accessit, vt à singulis eligi crederetur: Etenim alicui neque scientia, neque vita fuit ignotus; sed & fidei integritate, & sacrarum Scripturarum studio, atque etiam piæ administrationis officio sic præ- C
MENNAE EPISC. LAVDES.
dicta viri resplenduit opinio, vt ipsi tardiùs venire videretur, quo dignus erat.] Hic, lector, obserua, dum Agapetus ait, arriſiſſe electioni Mennæ Imperatores, intelligere absque dubio Iustinianum & eius coniugem Theodoram Augustam: vt cognoscas Theodoram licet maximè impiam feminam, præsetuliſſe tamen foris imaginem Orthodoxæ, qua sæpe virum vidimus decepiſſe, magiſque Ecclesiæ Catholicæ obfuiſſe, quàm si quæ erat, se palam ostendiſſet hæreticam. Pergit verò Agapetus de eiusdem Mennæ electione:
AB AGAPETO CONSECRATVS MENNAS.
Et hoc dignitati suæ addere credimus, quòd à temporibus Petri Apostoli nullum alium vmquam Orientalis Ecclesia susceþit Episcopum manibus nostræ sedis ordinatum. Et forsitan vel ad demonstrationem laudis ipsius, vel ad destructionem inimicorum instans res tanta peruenit, vt illis ipse similis esse videatur, quos in his quandoque partibus ipsius Apostolorum Principis electio ordinauit. Commune itaque gaudium, fratres, pia exulta- D
tione susciþite. Et quantum vos Apostolicæ sedis nostræ iudicium comprobatis, consueta rescriptione significate, habentes duplicem exultationis causam, & quòd mala sine mora corrigantur, & pro his optata subsecuta fuerint. De cetero præcauentes, ne rursus canonicis sanctionibus quid contrarium per vos (quod non credo) fiat, vestro accedente consensu: cumque sicut error eius qui semel peccauit, venia dignus est, sic frequens transgressio motum austeritatis deposcit. Deus incolumem te custodiat, frater venerandiſſime.] hactenus Encyclica Agapeti.
AGAPETI PRAECLARVM FACTVM.
At de damnatione Anthimi atque Mennæ substitutione per Agapetum facta iudicium si tibi, lector, ob oculos ponas, factique speciem mente consideres, admirari non desines: Videre nimirum Romanum Pontificem, quem furor barbaricus sub pulchro nomine pacis ab Vrbe remouet, vt Constantinopolim ad Imperatorem supplex accedat, eumdem- E
que ipsum egentem mutua collecta ex sacrorum vasorum oppignoratione pecunia, vbi Constantinopolim venit, imperare Imperatoribus, exigereq; debitum fidei, & perperam ab illis facta rescindere, & quam cùm ipsi, tum Orientales Episcopi probassent, Anthimi ordinationem irritam reddere, eumq; è sublimi, quem conscẽderat, throno deponere, iura dare, omnibusque iubere, litterasque publicas scribere, eiusq; succeſſorem deligere & ordinare, hæcq; omnia (vt dictum est) absque coacto vllo Synodali conuentu; cùm antea in simili causa Cælestinus Papa eiusdem Ecclesiæ Pontificem deponendum Nestorium scripserit, & per Theodorum Imperatorẽ ea de re non prouinciale dumtaxat, sed œcumenicum Ephesi Concilium cõuocandum curarit. Quibus intelligas, maiori tunc niti solere auctoritate Apostolicæ sedis Antistitem, quando magis ea videtur oppressa; quòd certò sciat omnia illi cedere opus esse, si ea vti velit. In quibus & commendes Iustiniani Imp. moderationem,

A rationem,animiq́ue demissionem,vtpote qui mari terraq́ue victor, barbarorumq́ue domitor ab vno Romano Pontifice vinci patiatur, accipiatq́ue ab ipso leges,qui Romanis ac barbaris leges sanciat,& exercitibus imperet.Sed iam quæ reliqua sunt rerum gestarum Agapeti Pontificis Constantinopoli prosequamur.

Quoniam dictum est,præter Anthimum excommunicatos quoque ab eodem Agapeto Rom.Pontifice Seuerum pseudoepiscopum Antiochenum atque collegas eiusdem cum eo impietatis:qua occasione id factum sit,hîc ordine recensendum putamus.Cùm autem omnes sordes,fæcesq́ue hæreticorum, fauente illis Theodora Augusta Seueri discipula, Constantinopolim conueniissent, illicq́ue nidificantes, graui damno fidei Orthodoxæ multiplicarentur in fœtibus: fuit iusta querela Orthodoxorum Antistitum aduersus horum antesignanos Seuerum,Petrum,atque Zoaram, & Isacium Persam. Quamobrem ijdem scri-
B ptum à se libellum obtulerunt Agapeto Papæ commoranti Constantinopoli.Extat ipse quidem, sed qui vitiosa translatione & librariorum incuria mendosus nonnihil appareat; sic enim se habet[a]:

Domino nostro per omnia sanctissimo ac beatissimo Patri Patrum, Archiepiscopo Romanorum & Patriarchæ Agapeto,ab Episcopis Orientalis diœcesis, & ab his qui sunt sub sanctis locis Christi Dei nostri, necnon Ambasiatoribus & ceteris clericis in hac regia vrbe congregatis.

[a] *Hieros. Syn. Act. 1. ad fin. recitata in Synod. Constantinop. sub Menna Act. 1*

EPISTOLA ORIENTALIVM AD AGAPETVM PAP.

Ex quo Christus Deus noster pro debitis vobis præmijs,propter ipsam in omni tempore cum vera fiducia sua inuisibili ac terribili virtute diuulgatam confessionem super venerabile caput vestrum requiescere fecit, cùm sedem Apostolorum vobis, Pater beatissime,com-
C misit,& firmauit supra firmam Petram pedes vestros,& direxit gressus vestros, & impleuit os vestrum cantico nouo,hymno Deo nostro:sperauerunt in Domino secundùm Psalmidicum eloquium,clarificati à spirituali splendore vestro, per quem tãquam lucerna splendens super sancto candelabro caliginem eorum qui in tenebris sedent, & cæcos illuminastis, & oculos mentis ipsorum aperuistis. Et propterea confisi & credentes diuino eloquio dicenti: In tempore non timebit cor confugiens ad intellectũ.Et experientia intellectus cognoscentes vos esse diligẽtes custodes thesaurorum Apostolicorũ,exossauimus * modò Anthimum, habitum pietatis circumferentem,potentiam verò ipsius negantem;qui conuenientem sibi sponsam dimisit,& aliam contra diuinos canones accipere ausus est: cognoscentesq́ue, & à Deo custoditum Imperatorem nostrum, tamquã Christi discipulum approbatam animam habere,& participem vobis huius boni operis fuisse: Qui à primordijs regni sui vsque nunc studuit custodire omne corpus Ecclesię sanum & perfectè integrum & ab omni morbo hæ-
D retico liberũ: & propter hoc statuit quatuor sanctas Synodos in diuinis ac sacris initiationibus,quando fecit magna voce à sacris prædicatoribus prædicari,quę fortificant corda Fidelium,& hæreticorum compungunt; sperans ipse ex clementia secundùm naturam suam,& putans,quòd sicut eos qui ex simplicitate errore subducti sunt,decenti tempore conuerti;sic & huius inuentores,immo diaboli discipulos, & numquam veritatem recognoscentes, iactum hæreticorum à principio prouidere & præmeditari.

* excommunicauimus

Rogamus, beatissime, rememorari memorato ac à Deo custodito Imperatori nostro illam sacram vocem dicentem: Omnem abominationem odit Dominus, quæ prima, media, & vltima est, Seuerus facinorosus, qui contra Deum semper locutus est super iniqui-
E tatem, & quandoque quidem Græcorum vanidicorum mysteria imbutus, ipsa honorauit: quandoque verò Eutychetis insaniam docuit,& in tota vita dixit,Bene valete in fide Christianorum: & appellationem Nestorij anthropolatræ ad decipiendos qui in simplicitate paratas habent aures, susc ipiendam excogitauit, euidenter illa illis dicendo, Nestorianosq́ue vocabat magistros rectorum dogmatum: & nec illi pepercit qui baptizauit ipsum; inualidisq́ue anathematibus impleuit totum mundum; ac arroganter decernere ipse præsumpsit, & validiores sortitus est cum his qui adhærebant ei in ordinando Scythiam contra prædictam sanctam œcumenicam Chalcedonensem Synodum,& contra sacras ac Deo dilectas epistolas sanctæ memoriæ Leonis Papæ, qui fuit illuminator & colũna Ecclesiæ, quiq́ue firmauit Fideles ambulare in recta semita. sicq; illud relinquetur diuinæ Scripturæ impleri[b]: incidit in foueam quam fecit. Vnde dubitantes quomodo ipsum propriè vocemus idem cum Gentilibus sentientem, eiusdem opinionis cum Eutychete, eiusdemq́ue moris cum Nestorio: magis insigni & propria appellatione nominabimus, ipsum itidem cum veritate organum diaboli vocantes.

DE SEVERO NEFANDISSIMO HAERETICO.

[b] *Psal.7.*

Prætereuntes igitur multitudinem eorum quæ præsumpta sunt ab ipso, & sanguinem A
sanctorum virorum qui in Eoan * effusus est ab Eftasiasmeno Iudaico de Fatria tunc sub ip-
so militante, ac alia difficiliora prædictis propter longam narrationem: Supplicamus,
sanctissime, cùm nunc sit tempus acceptabile, nunc dies salutis, clamamus: Adiuua nos
& sanctas animas occisas; quas astare cogitate prudenter & ostendere vobis, quòd propter
Christum traditæ sint morti à bestia multi capitis; ac rursus ex sua omnibus manifesta
mangania & Manichæo errore, quo confidens iste iniquus ausus est intrare mundas aulas
regias, cùm nullum locum debeat habere, sed barathrum, ad conuersantium destructio-
nem. Et cùm in præsenti pax donata sit omnibus Fidelium Ecclesijs cum tantis laboribus
& sudoribus vestris ac Deo amantissimi Imperatoris nostri: parcentes ipsi extremitati ani-
marum facientium conuentiones ad ipsum & communicantium per interpellationem
anathematibus contra ipsum prolatis, studete longè expellere illum pollutum & abdica- B
tum, qui anathematibus scriptis, & apertiùs ab Apostolica sede vestra, & à tantis Pontifici-
bus, & in cælo ab Angelis electis suis iam condemnatus est. Qui secundùm Euangelicam
& diuinam vocem * . . . . cum iniquo & facinoroso alio Petro suo discipulo appellatio-
nem propriam vsque nunc mentiri non erubuit, & verba apostasiæ quotidie loquitur: nec-
non cum Zoara, qui omnino diuinam Scripturam & omnem sacrum ordinem & Missam
ignorat; sed cum audacia (nescimus vnde) sibi tradita pessumdat Ecclesiasticum orna-
tum atque statum per conuenticula & parabaptismata, quæ quotidie temerariè aguntur;
cuius synagogam mulierculis, comessationibus & ebrietatibus, luxibusque & adulterijs de-
ditis implet. Persuasimus autem & pijssimo Imperatori nostro, non permittere aggregari
bestias edaces cum agnis; cùm clarè & apertè sciat illud diuini Apostoli dictum [a], quòd nul-
la participatio iustitiæ est ad iniquitatem, vel communicatio lucis ad tenebras, vel pars fi- C
delis cum infideli.

At verò si ea quę ab Isacio Persa nunc perpetrata sunt, sine lacrymis dicere non valemus:
non est possibile neque metum abijcere, si narrare volumus quę suis iniquis manibus ille fa-
cere non horruit. Nam in quodam diuersorio reposita honorabili imagine præsentis pijssi-
mi Imperatoris, prædictus scelestus & arrogans vir, tamquam certans & secundùm recen-
tiorem modum dicendi blasphemauerit, diuinum extẽdens baculum, in quo inhonoratam
senectutem suam firmare fingit, implensq; simulatum stellionatum in conspectu eorum qui
ab ipso seducti sunt, percutiebat sine venia similitudinem Christo amantissimi Imperatoris,
hæreticum denominando: nec à furore cessauit, donec diuisit tunicam habentem nobilem
eius effigiem, & partem pro se tenuit; quam & igni traditam, totam exterminare nõ voluit:
nam conseruata fuit à meliori prouidentia in redargutionem manifestam & notam homi- D
cidialis temeritatis, & maioris omnibus accusationis. Testes sunt viri (sicut nouistis, sanctis-
sime) manifestam veritatem aduocatam habentes.

Quoniam igitur præter opinionem hæresiarchæ submutauerunt eorum deiectionem,
quæ cum ignominia debebat esse, & ante tempus multum dederunt audaciam habitandi
in regalibus cellis, his qui per alium modum Deum negant, multis designatis & enumera-
tis ipsis nomen fictæ orthodoxiæ: & periculum est, fideles numquã ambulare in domo Do-
mini, cum consensu: Tollite à nobis citò malos, offerte consuetum sacrificium hoc Deo &
Saluatori pro conseruanda nobis bona defensione in futuro tremendo iudicio: liberum ab
omni timore & hæretica tertiò repetita fluctuatione ornatum Ecclesiasticum conseruate,
statum confirmate; rursumq; exponendo iustissimo Imperatori nostro pias ac iustas sen-
tentias contra ipsos priùs ab Apostolica sede prolatas, statuendo per illas, impia scripta tra- E
dere igni, & habentes illa in publicum prodere, iuxta imitationem eorum qui zelant pes-
sumdare Manichæa & illa impij Nestorij & Eutychetis insensati ac Dioscori patris & pro-
tectoris eorum. Sic enim euacuabitur omnis expectatio his qui frustra sperant in eis. Roga-
mus etiam, sanctissime, finem perfectum imponere diuinæ ac vestræ sententiæ contra An-
thimum, paternis vestris decretis conuenientem, vt omne de medio extinguatur scanda-
lum à paruulis in Dominum credentibus & omnibus nobis. Custodiat Dominus sedem
vestram ac pijssimi Imperatoris nostri, tamquam dies cæli, qui Petri imitatores saluatis &
nos à tribulationibus saluastis, eosq; qui vos oderunt confudistis.] hactenus Orientales Epi-
scopi ad Agapetum Romanum Pontificem.

His subijcitur in Actis subscriptio Episcoporum Secundæ Syriæ, qui eam dederunt epi-
stolam, primoque loco positus Thalassius Episcopus Berythorum. At non hi tantùm, sed
& qui

* Locus corruptus.

EXCLAMANT CONTRA EVMDEM HAERETICVM.

* aliquid deest.

DE ZOARA.

[a] 2. Cor. 6.

DE ISACIO PERSA.

ROGANT LIBERARI AB HAERETICIS.

A & qui erant Constantinopoli, & alij Archimandritæ Orthodoxi itidem libellum obtulerunt eidem Pontifici Agapeto, qui & ipse pariter habetur intextus primæ Actioni eiusdem Synodi, hîc verò ob multa notatu digna in eo posita recitandus nobis est: in primis enim quàm deploratissimus esset huius temporis Ecclesiæ status, cùm adeò vbique in Oriente hæretici inualescerent, ostendit; continetque nonnulla, quibus recitatæ epistolæ siue libelli obscura dilucidentur: sic enim se habet[a]:

Domino nostro sanctissimo & beatissimo Archiepiscopo antiquæ Romæ & œcumenico Patriarchæ Agapeto Marianus presbyter & Primas Monasteriorum regiæ vrbis, & ceteri Archimandritæ eiusdem, & Archimandritæ ac monachi Hierosolymorum ac Orientales in eadem Synodo congregati.

Eos qui sanctas Dei ecclesias opprimunt, considerantes, & inimicos Dei quotidie ad-
B uersus eam scribere conspicientes, lamentationes sancti Gregorij [b] in procemium facimus opportunè ad vestram beatitudinem, dicentes: Visa est cura Dei penitus dereliquisse præsentem vitam, quæ temporibus ante nos Ecclesiam custodiebat.] habet enim hæc Gregorius Nazianzenus in epistola ad Nectarium Constantinopolitanum Episcopum data, ipso eius exordio, cùm dolet Constantinopolitanam Ecclesiam à se derelictam diuersorum commercio hæreticorum pessumire. Sed pergunt ipsi: Et iam tantum cuiuslibet anima immersa est à calamitatibus, vt quidem proprios dolores vitæ nostræ non in malis esse putetur. Tot & tanta sunt communia mala Ecclesiarum ad singula respiciendo: quorum nisi aliqua in præsenti tempore fieret diligentia ad reformationem, ad omnimodam desperationis confusionem paulatim perueniretur. Cùm multis itaque modis iam hæc enarrauerimus: non minùs verò & nunc magnas & incredibiles insidias aduersus Dei Ecclesiam
C factas multiplicauimus.

Schismatici & Acephali, qui à furia Dioscori & Eutychetis descenderunt (nescimus quis eos ad amétiam mouerit) qui veluti quadam audacia freti, suo proprio morbo triumphant, synagogas facientes, & parabaptismata innouantes, & tamquam ex euersione hoc facientes, & * nomen Episcoporum sibiipsis in locis nostris diffamantes, apertè ingruescunt, & licenter omnia audent non contra Ecclesias solùm, sed etiam contra ipsum pijssimum Imperatorem nostrum & vestrum honorabile caput, sicut tanta prædictorum insania vestræ beatitudini manifesta fuit.]

* etiam

Magna quidem admiratione dignum, sub Imperatore Catholico leges quotidie aduersus hæreticos sanciente, & pro fide recta patrocinium suscipiente, adeò coaluisse, inualuisseque in Oriente, ac potissimùm vbi ipse Imperator erat, Constantinopoli nefandos hæreti-
D cos, vt Catholici qui ibi erant (vt audis) tentati supra modum (vt ita dicam cum Apostolo [c]) & vltra vires, in vltimam penè desperationem videri possent adducti. Sed vnde malorum omnium in mundum olim fluxit origo, ex eodem fonte diabolus modò tot damna in Ecclesiam deriuauit, eosdem aliquando obstructos reserans aquæductus per malam feminam; vtpote qui sciret, potentiori nullo vti posse ad Ecclesiam demoliendam ariete, adhibens ad hoc ipsam impiam sæpe dictam Theodoram Augustã Seueri discipulam; cuius arte, fraude, dolisque femineo ingenio comparatis, omnes leges in hæreticos latæ pressæ faucibus strangulantur, vt sileant, cùm & loquaces hæreses reuiuiscunt, atque hæretici maiori audacia, spreta etiam Imperatoria maiestate, clamantes, insurgunt. Ita planè secundùm illud Ecclesiastici [d]: Vnus ædificans & vnus destruens: quid prodest illis nisi labor? Vnus orans & vnus maledicens: cuius vocem exaudiet Deus?]

[c] 2. Cor. 1. THEODORA AVGVSTA CLADEM INFERT ECCL.

[d] Eccl. 34.

E Sic igitur quæ Iustinianus Imperator sanctis legibus erigebat, impia femina occultis machinis destruebat; & quam ille voce scriptoque sæpe professus est singulis fermè annis Catholicam fidem, ista consueta perfidia abolere sategit. At non puto tanta ista iam in foris atque triuijs vbique vulgata, lacrymis & lamentis Catholicorum deplorata, altioribus (vt vides) dolentium declarata clamoribus, atque libellis scriptis toties ob oculos repræsentata Iustinianum Imperatorem latere penitus potuisse. Sed quid? Frangit Adam Eua, & Dalila Samsonem eneruat, vt illi ipse licet non seductus, sed turpiter emollitus acquiescat, atque incautè caput in eius sinum somno pressus inclinet. Sed quæ sunt libelli reliqua audiamus. Subdunt enim monachi, quàm contumelioſi facti sint hæretici in ipsa etiam primaria Imperij ciuitate vbi degeret Imperator, & quò tandem procaciæ venerint, vt in eiusdem Imperatoris imaginem insanierint:

[a] Synod. Constantinop. sub Menna Act. 1 LIBELLVS MONACHORVM OBLATVS AGAPETO.

[b] Gregor. Nazianzen. ad Nectarium.

Nam venientes (inquiunt) ad quamdam domum figuram oratorij habẽtem, in qua mo-

IN IMPERATOREM MOLESTISSIMI HAERETICI.

nachi quidam de iniquo contubernio illorum habitant, imaginem pijſſimi Imperatoris furia excæcati *, illud patris eorum diaboli fecerunt, qui cùm non poſſit contra Creatorem, aduerſus figmentum ſuam oſtendit furiam. Irruit enim vnus ex eis Iſacius Perſa, qui magia quadam vtens, ſeducit corda volentium ab eo decipi, &c.] quę ſuperiùs in Epiſcoporum libello ſunt recitata. Inferiùs verò dilemma illud adhibent, quo vſus eſt Gregorius Nazianzenus ad Nectarium ſcribens, qui fatua tolerantia ſinebat cum Orthodoxis hæreticos coaleſcere, ſuaſq; ſynaxes agere permittebat: rogantq; (vt ille petebat) ab ipſa vrbe Conſtantinopolitana pelli procul hæreticos. eſt autem huiuſmodi adhibitum argumẽtum: Non poſſunt duo contraria eſſe ſimul vera: Si hæreticis facultas datur hæreſes prædicandi; iſtud ipſum fateri eſt, veritatem apud ipſos eſſe, à nobis autem illam penitus defeciſſe: Sin autem eam apud nos eſſe iure firmemus; illos ea deficere, & vt mendaciorum textores Deo & hominibus execrabiles eſſe abijciendos, dicere neceſſe: cùm præſertim in eo ſtatu res modò poſitæ eſſent, vt tolerare iſta, etſi non iubere, patiq. ſaltem ipſum Principem ſub pacatiſſimo ac florentiſſimo Imperio, cùm vbique terrori eſſet etiam longè poſitis barbaris, indecens eſſet, atque propemodum eiſdem conſentire, ac patrocinio ipſos fouere ſuo. Sed quomodo ijdem tacitè perſtringant fautores illorum, accipe:

* excæcantes

A

B

OPTIMATVM PLVRES HAERESI INQVINATI.

Quoniam igitur ex hac cauſa in multas domos eorum, qui in excellentia ſunt, intrant, & indecentia faciunt, captiuantes mulierculas quaſdam peccatis oneratas, quæ varijs ducuntur deſiderijs, & ſemper addiſcunt, & numquam ad cognitionem veritatis venire poſſunt: verùm etiam in ipſis proprijs domibus & ſuburbijs altaria & baptiſteria erigunt in oppoſitum veri altaris & ſancti fontis: & omnia ſimul contempſerunt propter attributum eis patrocinium ab his qui in domo domini & aliquo alio modo potentes ſunt.] proculdubio iſta dicentes, ſignificant, non ipſam vnam dumtaxat Theodoram Auguſtam infectam Seueri peſte, ſed alios eiuſdem ciuitatis optimates, eorumque coniuges eodem morbo peſſimè laboraſſe. Quòd enim cuncta Theodoræ arbitrio volui perſpicerent, & hac ex parte prorſus imbellem eſſe noſſent Imperatorem, cùm minimè repugnaret vxori; non damnum & pœnam timebant, ſed gratiam ſe eſſe ſperabant conſecuturos, dum fauerent hæreticis, quibus Auguſtam ſtudere ſciebant.

C

DE FVGANDIS A CIVITATE HAERETICIS.

Hæc igitur ſanctiſſimæ fidei confeſſores monachi deplorantes, eumdem Agapetum Pontificem vnà ſimul interpellauerunt his verbis: Nolite pati, beatiſſime, non vti ſolita fiducia ad reformandum tantum malum. Sed ſicut priùs contra Anthimum inſurrexiſtis, & lupum qui conabatur cooperiri per pellem ouis, & tranſcendere oſtium Eccleſiaſticorũ ordinum, ſanctionum & canonum, & qui latrocinanter mandram ouium tranſcenderat, pelle denudaſtis, & ipſummet demonſtraſtis, & procul à mandra expuliſtis: ſic & nunc iterum vigilate, & oſtendite pijſſimo Imperatori noſtro, quòd nullum lucrum exierit (vt inquit diuinus Gregorius) ſtudio reliquo ſuo circa Eccleſias, ſi tale malum in deſtructione ſanæ fidei per ipſorum fiduciam prævalebit, & permittantur adhuc iſti ad corruptionem Eccleſiæ nidificare in domibus dominorum & in proprijs, & iniqua in ipſis facere.

D

Hæc quidem dumtaxat portamus, licet incredibilia, & à diris doloribus incuruati: ſpem habentes ad clementiſſimum Deum, qui in tempore opportuno veſtrum aduentum nobis oſtendit; quòd ſicut Petrum magnum Apoſtolorum principem his qui Romæ erant in depoſitione Simonis Soetici * miſit, ſic & vos miſit in depoſitione & expulſione Seueri, Petri, & Zoaræ, & eorũ qui ſimilia eis ſapiunt, & qui omnigenis honoribus circumfouentur ad inhonorationem Dei, blaſphemiaſq; ac eiectiones *: dabit vobis poteſtatem, coopitulante vobis pijſſimo & à Deo cuſtodito Imperatore noſtro, iſtos expellere de omni Eccleſia tãquam inſidiatores & violatores non ſolùm ſanctiſſimarum Eccleſiarum, ſed & politię ipſius: Nam cùm hos ad ſuam malitiam conuenientia organa inſidiator boni, *nempe diabolus*, inueniſſet, totum orbem terrarum commotum fecit, & Sanctorum ſanguine terram contaminauit, & ciuitates iugulationibus & tumultibus turbauit. Expellite igitur iſtos.

* Samaritani

* electiones

E

IN EOS QVI HAERETICOS NON EXPELLVNT

Scimus benè, ſi pijſſimum Imperatorem noſtrum & ipſius Chriſto amabiles Principes informatis, quòd communicant anathemati, in medio habentes anathema, ſicut oſtendit nobis antiqua Scriptura [a] in Achan & Ionathan, qui ſcienter & ignoranter inciderunt in anathema, & hæc ignorando in periculo fuerunt perire cum eis: quoniam in medio eorum fuit anathema. Et ſi cõmemoratis ſuo Deo amato & dilecto Imperio adducere Deo eos qui ab ipſis à recta fide abducti ſunt, & ſi hoc non valeat facere, inſidiatores Eccleſiæ repellantur. Non enim latuit tuam beatitudinem, quòd quamquam pijſſimus Imp. noſter mandauerit

[a] *Ioſ. 7. 1. Reg. 14.*

A dauerit hæreticos non conuentus facere, neque rebaptizare: Zoaras tamen tale præceptum despexit, & parabaptizauit in die Paschæ non paucos, inter quos erant pueri eorum qui permanent in domo herili, sicut depositi ille, qui ab ipsis gratia Dei potuit euadere & aufugere, & ad Dei Ecclesiam refugere. In alijs quoque locis & domibus excellentissimorum virorum hæc & similia istis facta fuerunt. Verùm semper isti soli Dei Ecclesiam perturbauerunt & contristauerunt, & nos vsque ad istud tempus fletum vtique continuimus.

Sed quoniam & ab his qui intus iam esse videntur, ac in ordine Pontificum existere, omnino expugnatur, *Catholica fides scilicet:* tempus est dicere de eis illud Psalmi [a]: Si inimicus maledixisset mihi, sustinuissem vtique: & si is qui odit super me magna locutus fuisset, abscondissem me forsitan ab eo, tu verò homo vnanimis, dux meus & notus metus, qui mecum dulces capiebas cibos, in domo Dei ambulauimus cum consensu. Tales fuerunt non- [a] *Psal.* 54. DE EPISCOPIS PIETATEM SIMVLANTIBVS.

B nulli commorantium in magna & regia vrbe, prima ciuitatum, nomen quidem pastorum portantes, totaliter autem sunt lupi rapaces: è quorum numero maximè existit Anthimus Trapezuntinus & alij aliarum ciuitatum. isti enim & similes huic ex hæreticis Acephalis existentes, ac paululum religionis pietatem simulãtes, in Ecclesias se intruserunt tamquam quædam Ægyptiaca flagella qui nullo modo proprijs Ecclesijs vacare volunt, & hoc solùm bene sapientes vt deuastent sibi assignatas Ecclesias, &c.] pergunt dicere de Anthimo Ecclesię suæ desertore, inuasore verò alterius: sed hæc nos suo loco opportuniùs recensuimus. Atque demum hæc addunt aduersus eosdem:

Verùm quoniam non solùm iste, sed & ceteri Episcopi, clerici, & Archimandritæ in ma- DE PSEVDO-
gno numero, qui insidijs aduersus Dei Ecclesiam vtuntur, & propter hoc solùm in hac ci- EPISCOPIS
uitate commorantur, ei & vniuersis Ecclesijs perturbationes dare, nullo modo recusant: ro- DEGENTIB.
C gamus & vniuersos tales ad vos adduci, & exactiones promittere canonibus condecentes: CONSTAN-
quippe & in prædicto Anthimo & in istis omnibus vigilante iusto iudicio canonum à vobis TINOP.
benè custoditorum, vt paululum refrigeretur Dei Ecclesia ab istis liberata: & cognoscant qui ad pastoralem curam & clerum hoc modo venire volunt, quòd non in fine tacebit Dominus, sed euigilabit super tales pastores, super quos secundùm Prophetam [b] exacerbatus est furor eius. Isti enim pascunt non oues, sed se ipsos; & iudicium abominantes, & omnia recta peruertentes, ad nihilum duxerunt insidias quæ fiunt contra Ecclesiam, & blasphemiam contra sanctos Patres. [b] *Ezech.* 34.

Quam defendentes *Ecclesiam*, beatissimi, suscipite nostram supplicationem: & potestatem vobis à Deo datam in ipsos mouentes, purgate Dei Ecclesiam, & à lupis liberate, immittentes in ipsos nõ pastoralem, sed disciplinatiuam virgam vestram. Nam etsi pœnitere pro-

D mittunt; præterita vita ipsorum, quæ alio & alio tempore & non veritate commutatur, non permittit committere pastoralia eis qui Ecclesiam Dei negauerunt, & hæreticis qui extra ipsam iustè constituti sunt, Seuero videlicet, Petro & Zoaræ, & qui similia his sapiunt, super quos iudicium vestrum pijssimus Imperator suscepit, iamque condemnatos ab Apostolica sede vestra, & ab alijs Patriarchalibus sedibus, necnon ab omni Pontificio, cùm non patiantur canonicè venire ad Ecclesiam Dei, expelli ab omni publica & priuata domo, pijssimo Imperatore nostro pro pace Ecclesiarum idem vobiscum sententiante, cui omnis cura & studium die noctuque de hac re super omnes est: & cessare facere omnem turbationem ab ipsis factam Ecclesijs, atque omnem alienam doctrinam simul videre, beatissimi, & hortari Deo amatum dominum nostrum, vt sanciat, sicut illa impij Nestorij, ita & ista Seueri mente capti animę corruptibilia scripta in sanctam Chalcedonensem Synodum & in thro-

E num sancti Patris nostri Leonis Archiepiscopi blasphemantia igni tradere: nam per ista dubiam fidem in animas simpliciorũ facere studuit, & subsannari fecit apud Gentes magnum & venerabile nomen Christianismi.

Etenim huius gratia & Romam ad vos misimus, & vestrum exoptatum aduentum denunciauimus, & ipsum suscepimus. Tales à pijssimo Imperatore nostro promissiones accepimus, quòd ea quæ à vobis canonicè pronunciata sunt, sua pietas omnino studeat mandare executioni, & totum mundum deinceps liberare à temporali horum turbatione. Nomina verò clericorum & monachorum tempore opportuno denunciabimus, exhibentes quomodo hi quidem quę Nestorij sunt, hi verò quæ Eutychetis sentientes, ab vtraque parte diuellere Ecclesiam conantur.] hactenus Orthodoxorum monachorum libellus, cui subscripta leguntur nomina Archimandritarum & presbyterorum pro suis monasterijs legatione fungentium numero nonaginta duo magna ex parte prouinciæ Palæstinæ. Nam

inter alios affuit legatio à magno illo Theodosio cœnobiarcha, de quo plura superiùs laude A dignissima pro fide perfuncta enarrata sunt: Hesychius enim presbyter eius monasterij Theodosij legatus subscriptus eidem libello legitur.

DE THEODOSIO COENOBIARCHA.

Viuebat adhuc quidem Theodosius ipse, de quo ista in eius Vita post alia susceptа pro fide Orthodoxa certamina leguntur: Cùm de eo, *Theodosio scilicet*, intellexisset & qui veteris Romæ sedem pulchrè tenebat (is autem erat Agapitus) & qui Antiochenam sedem regebat Ephraim, *siue Ephræm*: ipsi quoque populis rectam fidem prædicabant. In quibus multa sunt ad laudem huius beati composita, quæ non minorem gloriam afferunt ijs qui scripserunt, quàm ei qui laudabatur; quòd non ad gratiam, sed planè ad veritatem fieret laudatio.] hæc ibi.

Sed quod ad libellum recitatum pertinet, oblata ista fuerunt ab Archimandritis Agapeto, vt quæ præcedunt ipsum libellum Acta testantur: ita tamen, vt ea omnia, antequam B libellos tum Episcoporum tum monachorum Agapetus susciperet, celeritate præuenerit, vtpote quòd iam Anthimum condemnasset; nam vbi primùm exuisset Episcopatu Constantinopolitano, summa qua nitebatur Apostolica auctoritate rursum in eum sententiam tulit, qua iudicauit, vt etiam ab Episcopatu Trapezuntij & omni sacerdotali munere & functione esse omnino deberet extorris: acceptos verò dictos libellos tum Episcoporum, tum etiam monachorum misit ad Iustinianum Imperatorem, quò ab eo damnati expellerentur hæretici.

AGAPETVS ITERVM DAMNAT ANTHIMVM.

Sed quid interea, peccatis exigentibus populi, funestum accidit? Cùm iam omnia ista ab ipso facta essent, implesset; in omnibus partes suas, sanctissimus Agapetus ex hac vita migrauit, tamquam omnibus absolutis ad quæ missus erat, post opus vocaretur ad præmium. Hæc autem omnia breui narratione à nobis perstricta, accipe quàm diligentissimè enarrata C in libello [a] eorumdem monachorum, quem Iustiniano Imperatori post Agapeti obitum obtulerunt, in quo post recensitum ab eis primum & secundum iudicium contra Anthimum latum, quorum priori è sede Constantinopolitana eum deposuerat, posteriori etiam è sacerdotio Ecclesiæ Trapezuntinæ, ista adiecere de his quæ post hæc sunt subsecuta:

AGAPETI EX HAC VITA TRANSITVS.

[a] *Apud Synod. Constantinop. sub Menn. Act. 1.*

Has verò petitiones nostras, *oblatas scilicet Agapeto, vt omni sacerdotio exueret Anthimum*, præueniens prædictus sanctissimus vir Agapetus, cùm Anthimus se ipsum manifestum constituerit, simul cum prædictis hæreticis condemnauit, & omni dignitate sacerdotali & officio nudauit, & omni Episcopatu & Orthodoxo nomine vsque ad pœnitentiam eorum quæ deliquit. Et misit pietati vestræ libellos nostros, vt quæ in ipsis sunt, *nempe vt ijdem damnati hæretici procul ejicerentur*, per quos ad finem deducantur. Sic enim opportunè assumptus est hic honorabilis vir à dispensatore nostro Deo, & additus est patribus suis, & D bonum certamen certauit, & cursum perfecit, fidemque seruauit.] hæc ipsi de transitu sanctissimi Agapeti: atque eodem libello Imperatorem, vt eosdem abijciat hæreticos, interpellant his verbis:

QVID ORTHODOXI PETANT AB IMP.

Obtestamur itaque vestrum Imperium (licet temerarium quid faciamus) per magnum Deum Saluatorem nostrum Iesum Christum, qui protegat venerabile Imperium vestrum, & omnem inimicũ & hostem propter vestram rectam fidẽ vobis subijciat, non contemnere iudiciũ prædicti sancti viri, sed ipsum exequi, & Ecclesiam Dei & totum mundũ liberare à peste Anthimi & prædictorum hæreticorũ. Nam sancto Agapeto in præsenti vita existente, post Deum ad vestram pietatem respiciente, hæc accipere finem à vobis expectauimus. Implendo itaque quæ ab illo iustè & canonicè iudicata fuere, & per vestrã generalem sanctionem ista confirmando, taliaq; de cetero præsumi interdicendo, illius beatam animam E coletis, quæ cum Deo proxima sit, eò quòd vinculo terræ & carnis huius soluta sit, & fiduciam ex proprijs bonis operibus adepta, pro pace & salute vestræ pietatis intercedit.

MAGNO PERICVLO SINVNTVR HAERETICI DEGERE IN CIVITATE.

Vos autem cum Dauid ad Dominum cum fiducia clamate [b]: Nónne qui oderunt te, Domine, odio habui, & super inimicos tuos tabescebam? Perfecto odio odiui illos, & inimici facti sunt mihi. Timendum enim est, pijssime Imperator, ne propter multam dilationem illud Israëlitici populi patiamur & nos, in medio habentes ab omni sacerdotio anathematizatos; qui quoniam in medio habuit Achan [c] & Ionathan in scientia & ignorantia se ipsos anathemati subijcientes, in periculo fuit totaliter perire, licet ignoraret quòd in medio haberet anathema. Non ergo, Christianissimi Imperatores, tale malum contemnite, sed vtimini zelo ad cognitionem Dei & his quæ ipsius sunt, adimplentes quod scriptum est [d]: Ventilator impiorum Rex sapiens: vt cum Dauid, & Iosia, & Elia, ac Agapeto, qui maximè

[b] *Psal. 138.*
[c] *Ios. 7. 1. Reg. 4.*
[d] *Prou. 20.*

zelauerunt

A zelauerunt pro Deo, partem vos habeatis in præsenti quidem sicut & illi, & sub scabello pedum omnes inimicos vestros subijciat: in futuro verò cum illis æternum regnum tribuat, qui promisit coram isto centuplum, & in futuro sæculo vitam æternam donare.] hactenus Archimandritæ ad Imperatorem post obitum sanctissimi Agapeti.

Sed antequam cetera quæ hoc eodem anno Constantinopoli post Agapeti Papę obitum secuta sunt, in medium afferamus, in ipso transitu tanti Pontificis aliquantulum immorandum. Quod enim in primis ad tempus spectat: quo huius anni mense, quóve eius die defunctus sit, haud satis liquidò constat: certum est tamen errare eos, qui eius obitum contigisse referunt hoc anno vigesima prima mensis Maij: Siquidem ex Actis Synodalibus eius, quod hoc anno celebratum est Constantinopoli, Concilij post migrationem Agapeti, redarguuntur, cùm eius prima Actio die secunda eiusdem mensis Maij habita le-

B gatur: adeò vt opus sit affirmare, ante eundem mensem Maium sanctum Agapetum ex hac vita deductum. Anastasius de ipso habet, sedisse tantùm menses vndecim & dies decem & octo. Verùm cùm superioris anni exordio ipsum electum fuisse Pontificem satis apertè fuerit demonstratum, vtique ampliùs anni periodo ipsum vixisse, opus est affirmare. Ad calcem verò de eodem Agapeto hæc Anastasius: Post dies aliquantos ægritudine correptus, defunctus est Constantinopoli. Cuius corpus in loculo plumbeo translatum est Romam vsque ad basilicam beati Petri Apostoli, vbi & sepultus est duodecimo Kalendas Octobris. Hic fecit ordinationem in vrbe Roma, *creauit* diaconos quatuor, Episcopos per diuersa loca numero vndecim. Et cessauit Episcopatus eius mensem vnum & dies viginti-octo.] hactenus Anastasius. Porrò diem natalis eius illum celebrat annuatim Ecclesia, quo Romam trãslatum in basilica Vaticana ipsum excepit. Quod verò ad legationis negotium,

C cuius rei causa profectus est Constantinopolim: ipsum quidem benè gestum esse, idem Anastasius indicat, vbi ait: Agapetus Papa omnia obtinuit, pro quibus missus fuerat.] sed redarguitur ex his quæ dicta sunt superius ex Procopio, & ex ijs quæ postea sunt consecuta. Post hæc de eiusdem Agapeti obitu ista subdit Liberatus diaconus [a]: His peractis, constituens Papa apud Imperatorem Apocrisarium Ecclesiæ suę Pelagium diaconum suum, dum in Italiam reuerti disponit, Constantinopoli obijt.] hæc Liberatus.

[a] *Liber. diac. Breuiar. c. 22*

DE TEMPORE OBITVS AGAPETI.

Extat in bibliotheca Vaticana [b] de rebus gestis ab Agapeto Pontifice Constantinopoli & obitu eius & funere vetus monumentum, scriptum (vt apparet) ab aliquo qui tum interfuit; quod licet deprauatum valde, vt licuit, restitutum hîc tibi reddendum putauimus, cùm notatu digna nonnulla contineat: sic enim se habet:

[b] *Biblioth. Vat. lib. num. 1538. apud Regeif. S. Greg. pag. 194*

Anno ædificationis Romanæ Ecclesię quadringentesimo nonagesimo, Agapitus, qui pri-

D mæ sedis Antistes fuit, à Theodato Gothorum nequissimo Rege ob postulandam à Iustiniano Augusto pacem Constantinopolim venit.] Hîc obserua, lector, veterem chronographiam, qua aliqui numerarent interdum annos ab ædificatione Romanæ Ecclesiæ. Sicut enim priscis Romanis mos fuit ab Vrbe condita annos recensendo deducere, ita ijs visum ab Ecclesia Romana condita temporis nota memorias consignare: cui & consentire cohærereque nostram chonographiam adamussim omnino gaudeas. Etenim dum ostendimus anno Domini quadragesimoquinto Romanam Ecclesiam ab Apostolorum Principe Petro erectam: planè ab eo tempore absoluitur hoc anno quadringentesimus nonagesimus, & inchoatur nonagesimusprimus eiusdem, quo vertitur annus Domini quingentesimus trigesimusextus. Sed videamus quæ sequuntur:

CHRONOGRAPHIA AB ECCL. ROM. CONDITA.

Confestim vterque, Rex & Pontifex, sancta delibans oscula, & alter alterum veneratus,

E diem duxere in vesperam, legationis dumtaxat pace negata. At verò Agapitus iuxta præceptum Petri, vniuersis profuturus Ecclesijs, quæ per id tempus omnes in se inclinatæ recumbebant, in ipsarum se necessitatem conuertit, columnamque se suffulsit immobilem.] etenim (vt dictum est) vbi Constantinopolim venit, plures de miserando statu Ecclesiarum ei libelli oblati sunt; petentes omnes ab ipso, cui vniuersalis gregis cura in Petro credita fuit, cui & dictum est: Confirma fratres tuos] auxilium impertiri. Hactenus (subdit auctor) Romanum Pontificem Constantinopolim aduenisse dixi: nunc Anthimum vniuersalem Ecclesiam inuasisse dicam. Epiphanio siquidem vigesimo regiæ vrbis Episcopo vita defuncto.] ita quidem numerans à Metrophane prædecessore Alexandri Episcopi Constantinopolitani, qui vixit tempore Constantini: ab ipso enim vsque ad Epiphanium, demptis hæreticis & schismaticis, totidem numerantur eius Ecclesię Episcopi: vt planè appareat, Nicephori catalogum Constantinopolitanorum Antistitum, à Stachi (vt ait) ab Andrea Apostolo

SERIES ANTIQVA EPISCOPORVM CONSTANTINOP.

Apostolo ordinato inchoatum, his temporibus prorsus ignotum fuisse. Pergit verò auctor: A
Anthimus, qui relicto dudum apud Trapezuntium ciuitatem Episcopatu, Constantinopolim venerat, vitamque suam ieiunijs commendabat, siue Patrum decreto, siue Augusti fauore, siue procerum voto, hæreticorum pecunijs & seditiosorum turbis fretus, in Cõstantinopolitanæ Ecclesiæ sedem irruit improuisus, adulter inuasit, & Apostolicum thronum, ingemiscente clero, populoque ad cælum oculos referente, homo inimicus insedit, atque cunctis ceteris insaniam suam tacitus seminauit, stipem egenis simoniaco ritu disseminans. Talem hunc Ecclesiæ adulterum & populi seductorem Agapitus Papa sine vllis morarum obstaculis Ecclesia expulit, & pœnitentiæ eidem tempus indixit: quod cùm sine mora repelleret, & antiquam Ecclesiam quam reliquerat, reprobaret, perfidiamq; suam alta mente reponeret; Papæ Agapiti voce & canonica secure percussus est; complicesque eius Seuerus & Petrus, Antiochenæ & Apamenæ ciuitatum quondam Episcopi de exilio in exilium de- B portati; Zoaras quoque presbyter, eorumq; sequax Apostolica voce ligatus est.

EXPIARI SOLITA TEMPLA ET VTENSILIA.

Agapitus verò Papa, vas Catholicum, Euangelij tuba, præco iustitiæ, sacra altaris sedisque velamina sacrilegi Anthimi infecta flatibus, suis Catholicis precibus eluit.] citantur hæc verba à Gratiano [a] ad probandum antiquum Ecclesiæ ritum, quo ostenderet Catholicam Ecclesiam semper exhorruisse quæ sunt hæreticorum, non solùm ipsas ecclesias, sed omnia ipsarum vtensilia, nec illis absque expiatione sacra vti solere. Sed pergit: Omnesque templi ædes ab inflictis inibi per Anthimum maculis Orthodoxis obsecrationibus expiauit, mercenario, lupoq; ouium à Dominica caula detruso extra Ecclesiæ parietes. Ecclesiarum ministri, Catholico Principe sibimet arridente, consilium vnanimes ineunt: Agapito Præsuli Mennam presbyterum ordinandum sibi Episcopum suis vocibus commendantes, in medium proferunt: Agapitus Papa libellum eius instar fidei suæ manu propria editum flagi- C tat, scilicet Romæ eum per se beata Petro Apostolo porrecturus.

[a] *De cõsecrat. dist. 1. c. 23.*

LIBELLVM OFFERT MENNAS AGAPETO.

Edito Mennas iuxta præceptum creatoris sui fidei libello, & Agapito Papæ in conspectu Ecclesiæ suæ oblato, ab eodem omnium Episcoporum Principe imposita manu, vniuersalem, *subiectarum sibi prouinciarum videlicet*, Episcopatum adeptus est, solusq; vigesimus primus Ecclesiæ suæ Episcopus à Romanæ sedis Antistite meruit ordinari. Hucusque Agapiti præceptoris nostri monitis lætati sumus in his quæ dicta sunt nobis: nunc subita infirmitate eius turbati mæremus. Quis enim potuit siccis oculis Agapitum narrare morientem?

DE ÆGRITVDINE AGAPETI.

Incidit in grauissimam valetudinem: immo quod optabat, inuenit, vt nos desereret, & temporum malis mox subsequentibus careret, & Domino pleniùs cũ sanctis Patribus iungeretur. Defecerat spiritus, & anhelans in morte, anima erumpere gestiebat; ipsumque stridorem, quo mortalium vita finitur, in laudes Domini conuertebat. Necdum spiritum ex- D halauerat, necdum debitam Christo reddiderat animam; & iam fama volans tanti prænuncia luctus, totius Orbis populos, quibus ciuitas repleta erat, ad exequias conuocabat. Aderant diuersarum prouinciarum numerosi Episcopi, & sacerdotum monachorumque chori penè vrbem repleuerant. Tota ad funus eius Byzantum turba conuenit: sacrilegium putabat, qui non tali Pontifici vltimum reddidisset officium: sonabant psalmi, & excelsa tecta domorum reboans in sublime Alleluia quatiebat.] locus iste ex epistola S. Hieronymi ad Aletium de funere Ruffinæ scripta desumptus indicat auctorem fuisse Latinum, atque Latinè scripsisse: qui pergit: Hinc iuuenum choros, hinc senum videres. Quæ carmina, laudes sacerdotales, & facta feruntur?

DE SVMPTVOSO FVNERE AGAPETI.

Nemo quandoque totius Orbis vel Episcoporum, vel Imperatorum vita defunctus, inter tantas exequiarum copias funeratus visus est. Explorate procedentium & cateruatim E in exequijs eius multitudinem fluctuantem: non plateæ, non porticus, non eminentia desuper tecta capere poterant prospectantes. Tunc suos in vnum populos vrbs regia prospexit. fauebant* omnes sibi in gloriam defuncti sacerdotis. Nec mirum, si de eius fide homines exultarent, de cuius prædicatione Angeli lætabãtur in cælo. Quodque mirum sit, nihil pallor mutarat in facie: sed ita dignitas quædam & grauitas eius ora compleuerat, vt eum non mortuum, sed dormientem putarent.] hucusque ibi, sed nonnulla deesse videntur. Impendit Oriens viuo, impendit & mortuo Agapeto, quæ tantum decere sciret Romanum Pontificem, Orbis totius Antistitem: dum quam debuit eidem superstiti obedientiam exhibuit & obseruantiam, defuncto autem vt patri omnium parentauit.

*feruebant

Ne quid verò præterijsse videamur ex ijs quæ sub eodem Pontifice gesta esse antiquitas prodidit: hîc ad finem rerum ab ipso gestarum collocanda nobis erunt, quæ absque nota temporis

A temporis esse conscripta reperiuntur de iis quæ ipsi acciderunt, dum Romæ esset: cùm more nostro certis reddere annis nolimus, quæ nulla certitudine temporis enarrantur, sed ad calcem potiùs ipsa referre. Quæ igitur de eodem Agapeto Pontifice apud Sophronium narrata leguntur, his iungamus: sunt huiusmodi [a]: Narrauit nobis Abbas Theodorus Romanus, dicens: Est non procul à Romana vrbe breue oppidum, quod Rumellum * dicitur. In eo oppidulo Episcopus erat magnæ virtutis & meriti. Die ergo quadam habitatores oppidi ingressi sunt ad beatissimum Romanum Antistitem Agapetum, accusantes Episcopum suum, ac dicentes quia in sanctificato vase manducat. Pontifex autem solo auditu perculsus, mittit duos ex clericis, vt vinctum Episcopum & pedibus iter agentem Romam perducerent: venientem verò continuò misit in carcerem. Cùm ergo tres dies in carcere egisset Episcopus, venit Dominicus dies. Et cùm Papa quiesceret, illucescente Dominico die,

B vidit in somnis quemdam astantem sibi, ac dicentem: Hac die Dominica neque tu offeras salutarem hostiam, neque alius quispiam Episcoporum qui sunt in vrbe ista, nisi solus Episcopus, quem habes in carcere inclusum: illum enim hodie offerre volo.

Expergefactus autem Papa, & de visione quam viderat, hæsitans, dicebat in se ipso: Talem contra illum accusationem susceпi, & ipse habet offerre? Venit igitur ei secundò vox in visione, dicens: dixi tibi, vt Episcopus, qui est in carcere, solus offerat. Ambigenti adhuc, tertio apparuit illi, eadem repetens. Expergefactus autem Pontifex misit in carcerem, & accersito ad se Episcopo, percunctabatur eum, dicens: Quod est opus tuum? Episcopus autem nihil illi aliud respondit, nisi: Peccator sum. Cùm verò Episcopo persuadere non posset, vt aliud diceret: tunc ait ad eum Papa: Hodie tu offerre debes.

Cùm ergo sancto altari assisteret, & Papa prope illum astaret, diaconis altare circum-

C dantibus, cœpit sancta Missarum solemnia Episcopus. Et cùm complesset orationem oblationis, antequam concluderet ipsam, cœpit secundò ac deinceps tertiò & quartò dicere ipsam sanctam oblationis orationem. Cunctis verò eam moram molestè ferentibus, dicit ei Pontifex: Quid hoc est, quòd iam quarto hanc orationem dixisti, nec eam concludis? Tunc respondit Episcopus: Ignosce mihi, Pater sancte: Quia non vidi iuxta consuetudinem sancti Spiritus descensum, idcirco non terminaui orationem. Sed, sancte mi domine, diaconum illum prope me assistentem, qui flabellum tenet, ab altari remoue: ego enim illi dicere non audeo. Tunc iussu S. Agapeti recessit diaconus: & continuò vidit Episcopus & Papa sancti Spiritus aduentum. Sed & velum, quod altari superimpositum erat, vltro sublatum est, texitq; Papam & Episcopum & diaconos omnes, qui sancto altari astabant, quasi per tres horas. Tunc venerandus Agapetus, agnita sanctitate Episcopi ex perspecto miracu-

D lo, quamque falsam calumniam perpessus esset cognoscens, quòd illum ita vexauerat, tristis effectus, statuit non iam ampliùs per surreptionem quippiam agere, sed cum maturo consideratoque iudicio & magna longanimitate procedere.] hactenus ibi.

At ne tu ista legens errore ex huiusmodi narrata historia ducaris, vt existimes peccatis intercedentibus ministrorum posse effici, vt quod in Ecclesia Deo offertur sacrificium, minimè suum sortiatur effectum. Etenim si nec ipsius sacerdotis rem agentis peccata impedimento esse possunt, quo minùs incruentum illud & sacrosanctum sacrificium perficiatur omnino: quanto magis astantium ministrorũ id haud poterit retardari criminibus? Sed totum illud factum esse diuinitus ad illius sanctissimi viri sanctitudinem declarãdam, satis innotuit, atque ad reliquos admonendos, haud facilè à Deo permitti omnino falli iudicia Summorum Pontificum, quorum sit mens recta, piaque: cùm etsi aliqua possint vt homi-

E nes falsa surreptione præueniri, Deus tamen succurrat ne labantur. Quæ si in huiusmodi priuatis causis accidere consueuerunt, vt etiam superiori tomo, dum de S. Equitio egimus, est demonstratum: quomodo non præsentaneo peculiarique Deus præstò erit auxilio, cùm publica ad vniuersam Ecclesiam pertinentia iudicia exercentur, atque ea potissimùm quæ sunt Catholicæ fidei decernuntur?

At hîc finis esto historiæ rerum gestarum sanctissimi Agapeti Romani Pontificis: cui haud scio an similis alius inueniri possit, qui adeò breui temporis spatio Ecclesiæ Catholicæ præsidens, talia tantaque perfecerit, cuiusq; æquè apud Occidentales atque Orientales sint ampliſſima conclamata præconia: quique Fidelibus cunctis ex hac vita decedens sui ardentius reliquerit desiderium, quod etiam de optimis priuatus amor adimere consueuit: qui denique in deplorata adeò incidens tempora, magis sacerdotali vigore nituerit, constantiorque apparuerit Pontificia potestate.

[a] Prat. Spirit. c. 150.

* Formellum

DE EPISCOPO CALVMNIAM PASSO.

AGAPETVS ADMONITVS PROFICIT.

VISIBILE SIGNVM SPIR. SANCTI.

ADMONITIO DE IIS QVAE DICTA SVNT.

EXCELLENTIA AGAPETI.

Iam

APOST. LIGATI POST OBITVM PAPAE.

Iam verò quæ post sanctissimi Papæ decessum, antequam successor crearetur, facta sint Constantinopoli, hîc enarremus. Aderant illic adhuc Apostolicæ sedis legati illi, quos idem Pontifex (vt dictum est) præmiserat anno superiori ad res componendas Constãtinopolim, quos decedens nulla imminutos potestate reliquit. His autem cura illa potissima fuit, vt quę ab eodem Agapeto viuente constituta fuissent, nullo vmquam hæreticorum labefactarentur insultu, sed sarta tecta atque in omnibus illibata & integra permanerent: cuius rei causa suis ipsorum verbis etiam obligare Orientales Episcopos, ipsis in consilio fuit, atque in eamdem sententiam Mennam adduxerunt Constantinopolitanum Episcopum. A

SYNODVS CONSTANTINOP. SVB MENNA.

Sic igitur pari consensu Synodum in eadem ciuitate ex vicinioribus Episcopis & ijs qui Constantinopoli morabantur colligere quantocyus decreuerunt, antequam rursus insurgerent potentia freti Imperatricis depositi nuper hæretici, qui fuerant Pontificia Agapeti auctoritate compressi. Pollebat ad hæc agenda viribus Mennas, vtpote qui non legatorũ tantùm muniebatur auctoritate, sed & ipse præpotens erat vicaria sedis Apostolicæ præfectura, qua ab eodem Romano Pontifice adhuc viuente insignitus fuerat, prout eiusdem Synodi Acta, de quibus sumus dicturi, declarant. His ergo relictis, qui ex hac vita ad æternã migrauerat Agapetus, viuere visus est in legatis, superstesq; in vicario Menna Cõstantinopoli adhuc post obitum permanere. Horum igitur opera atque labore, hoc anno, die secũda Maij, celebrari cœpta est dicta Synodus Constantinopoli, præsidentibus cum Menna Apost. sedis legatis. Extant eius Synodi Acta recitata in Concilio Hierosolymitano, hoc item anno, die XIX. Septemb. habito, vbi hæc de ipsa Synodo Constantinopoli dicta die celebrata leguntur, quibus tempus & personæ quæ interfuerunt, describuntur, atque ita exordiuntur[a]: B

[a] *Extãt tom. 2. Conc. nouiss. edit.*

Post Consulatum Flauij Belisarij viri clarissimi, sexto Nonas Maias, Indictione decimaquarta, in Deo amantissima & Imperiali ciuitate Constantinopoli noua Roma, præsidente domino nostro sanctissimo ac beatissimo Archiepiscopo & Patriarcha Menna in Mesaulio * Dijtico venerabilis domus dominæ nostræ sanctæ & gloriosæ Dei genitricis semper Virginis Mariæ, quæ est prope sanctissimam magnam ecclesiam. Et à dextra quidem parte considentibus ei & coaudientibus iuxta pium iussum Christo amãtissimi & à Deo custoditi Imperatoris nostri Iustiniani, sanctissimis ac Deo amantissimis Episcopis Sabino Canusino, Epiphanio Esculano, Asterio Salernitano, Rustico Fæsulano, Leone Nolano, omnibus ex Italiæ regione priùs quidem missis à sede Apostolica] & alijs ibi recitatis Episcopis, omnibus quinquaginta numero: post quorum nomina recensita, nouissimè recitantur, qui & eodem ordine subscripsisse reperiuntur Theophanes atque Pelagius S. Rom. Ecclesiæ diaconi cum dictis Episcopis eodem munere Apostolicæ legationis fungentes, vnà cum alijs ministris Menna & Petro Apostolicæ sedis Notarijs ac subdiaconibus & procuratoribus, ac ceteris qui aderant eiusdem Apostolicæ sedis clericis: interfuerunt legati quoque ab Antiocheno Patriarcha Ephræmio, necnon alij à Petro Episcopo Ecclesię Hierosolymitanæ, itemq; Cæsarea Cappadociæ, Ancyra, & ab alijs locis missi. C D

* in meditullio aulæ occiduo.

DE HIS QVI SYNODO INTERFVERE.

DE LOCO SYNODI NOMINATO DIITICO.

Quod verò in primis ad locum Synodi pertinet: non prætereat (quod & alibi notasse meminimus) dum habent Acta, eam habitam in Dijtico: hanc vocem cùm librarij minimè intelligerent, eam corrupisse, vt pro Dijtico, scripserint Dyticum, alij Dipsychum: sed germana est illa lectio, qua Dijticum ponitur; erat enim Constantinopoli percelebre monasterium Dij appellatum, à quo Dijticum deriuatum, cuius hoc tempore præfectus erat Agapetus, qui in ordine Archimandritarum in datis Synodo libellis primo loco subscriptus habetur. Ita dictus locus ille à Dio Archimandrita sanctitate celebri, cuius natalem diem Græci notatum habent in Menologio decimanona Iulij. Cuius etiam monasterij Dij mentio habetur in Romano Martyrologio [b], vbi memoria celebratur eiusdem monasterij monachorum martyrum, qui pro Catholica fide tuenda sub Anastasio Imp. occisi sunt, de quibus ibidem in Notis diximus. E

[b] *Die 8. Febr.*

DE PRIMA SYNODI ACTIONE.

Considentibus itaque Episcopis, iussus est legi libellus oblatus antea Imp. Iustiniano ab Orthodoxis Archimandritis Constantinopolitanæ vrbis & alijs Syriæ Inferioris, qui etiam (vt nuper vidimus) alium Agapeto Papæ dedere libellum eodem argumento conscriptum, quibus omnibus petebãt damnatos hęreticos procul expelli. His actis, rursum legi eorumdem libellum datum Agapeto Papæ, Patres iusserunt, quo (vt dictum est) damnatos hæreticos non ampliùs audiri, sed procul relegari petebant; necnon alium eidem priùs oblatum Pontifici, & scriptam ab eo epistolã ad Petrum Hierosolymorum Episcopũ. His lectis, interlocutus Mennas, conueniendũ dixit esse & explorandum Anthimũ, si resipiscere ab errore vellet,

A re vellet, necne; vt si minùs id faceret, expelli posset; hac vsus benignitate ex voluntate (vt testatus est) Agapeti Papæ. Missiq. sunt ex Synodo ad eum accersendum tres Metropolitani Episcopi, duo presbyteri, totidemq. diaconi. sicq. finis impositus est præsenti primæ Actioni.

Secundò conuenerunt ijdem sanctissimi Patres Nonis Maij, siue (vt alia lectio habet) pridie Nonas eiusdem [a]. Tunc, qui missi erant, retulerunt Anthimum quæsitum in Palatij locis vbi degere consueuit, & alibi, & in suburbio, nec inueniri potuisse. His auditis, placuit sanctæ Synodo rursum aliorum trium dierum terminum ad resipiscendum illi tribuere, cuius rei gratia alij legati sunt Episcopi, presbyteri, atque diaconi, qui eum quærerent. Hæc gesta sunt in hac Actione, neque ampliùs quicquam. SECVNDA ACTIO. [a] *Habetur tom. 2. Conc. nou. edit.*

Post hęc autem statuta die rursum ad Synodum Episcopi conuenere sexto Idus Maij: vbi vocatis qui ad inquirendum Anthimum missi essent, & pariter testatis maiori cũ diligentia B perquisitum & non inuentum: interlocutus Mennas Constantinopolitanus Episcopus vna cum sancta Synodo, tertiam adhuc Anthimo ad resipiscendum dilationem decernit, eamdemq. peremptoriam; missiq. totidem Episcopi, presbyteri, atque diaconi, prorogato decem dierum spatio ad pœnitentiam Anthimo. Sed quid pręterea à Patribus additum, ex Actis ijsdem accipe [b] quod interlocutus est Mennas & vniuersa Synodus post concessum decem dierum Anthimo spatium: Et pro tollendo omnem ignorantiæ, seu (quod verius est) dissimulationis occasionem: fient, quæ à nobis sententiata fuerint, manifesta toti Christianissimo populo huius regię ciuitatis, & proclamatio apponetur continens inquisitionem esse factam super Anthimum, & ipsum hortans serò venire ad nos.] his dictis clausa est tertia Synodi huius Actio: ipsa autem proclamatio lecta est quarta Sessione. TERTIA ACTIO. [b] *Ibid. Act 3.*

Duodecimo enim Kalendas Iunij eodem anno & indictione iterum conuenere Patres: C vbi auditis Episcopis & alijs qui ad perquirendum Anthimum missi erant; cùm nusquam eum esse inuentum, singulorum relatione innotuisset; tum Mennas Constantinopolitanus Episcopus ad Anthimum proclamationem scriptam publicè legi iussit, quæ sic se habet: QVARTA ACTIO.

Mennas Archiepiscopus Constantinopolitanus œcuminicus Patriarcha & tota Synodus in ipsa Deo amata Roma Constantinopoli congregata Anthimo venerabili.

Si quidem aliqua ratio conueniens tibi fuisset & spes pœnitentiæ de peccatis commissis, nihil certè opus fuisset præsentium proclamationum. Sed olim sanctæ memoriæ Agapeto Papæ antiquæ Romę manifestam fecisti opinionem tuam, & iam in ipsis reprehensibilibus dogmatibus incusationẽ meruisti, cùm Pontifex Trapezuntinus appareas: sed neque inquisitionem illius sustinuisti; & cùm à nobis tanto tempore ad pœnitentiam euocatus fueris, D non moderatior te ipso factus es; & inobedientiam tuam maiorem * sacerdotali humilitate (sicut visum est) ostendisti. Et quidem quæ à te gesta sunt, nulla venia digna sint: Verumtamen adhuc hominum lubrico peccata ascribendo, & clementiam, vsque ad multum tempus erga eos qui peccauerunt, & occasionem emendationis (licet tarde) sæpiùs factam inuenientes, præsenti littera te prouocamus, admonentes tuam venerabilitatem, non stare in ipsa contentione vsque ad finem, & venire ad sanctam Synodum intra numerum sex dierum, & opinionem quam in rectis dogmatibus adeptus es, pura voce ostendere, palamq; facere vniuersis alijs, quãta potest ad reuocationem his qui lapsi sunt Patrum mitissimorum & Iudicum clementissimorũ admonitio. Si verò & hanc nostram vocationem despexeris: tibi de cetero non in tempore locus pœnitentiæ erit. Nobis enim non aliunde quàm ex his quæ feceris, ea quæ iudicij sunt inducentur. Subsignaui, apposita mensis Maij die quintadecima, Indictione quartadecima, post Consulatum Flauij Belisarij glorioßissimi.] hactenus ad An- E thimum captantem latebras proclamatio. Termino autem præscripto iam elapso, in eumdem Anthimum sententia lata est, immo pronunciata antea ab Agapeto Papa firmata, ex qua suprà alia occasione complura deprompsimus, sed hîc eam integram accipe [c]: PROCLAMATIO AD ANTHIMVM. * meliorem [c] *Eod. Concil. Constantin. Act 4. tom. 2. Concil.*

Multarum transgressionum Anthimus reus demonstratus est. Venerabiles quidem Patrum leges tamquam non positas ad nihilum reputauit, & paulò minus suo exemplo omnem Ecclesiasticum statum conturbauit, introducendo se in Patriarchalem sedem huius regiæ vrbis, quæ nullo modo sibi conuenit, communemque confusionem sacerdotibus Dei ac populis fidelissimis operatus est. Quinimmo non hoc solùm sibi studium erat, sed & Eutychetis opinionem habet. Cumque sic obtinere potuerit magnum Pontificium, quemadmodum dictum est, paulatim putauit oportere depascere sanctissimas Dei Ecclesias tali morbo, & contrarium quàm diuinæ voces dicant, pro congregando rationabiles oues Dei ouilis, diuisiones excogitabat aduersus omnes (vt ita dicatur) Ecclesias, vt pe- SENTENTIA LATA IN ANTHIMVM.

riclitando

riclitando vnionem ſanctiſſimarum Eccleſiarum tantis pijſſimi Imperatoris noſtri laboribus reformatam in multas diuiſiones ſcinderet. Denique paulatim hanc corruptionem ſignificabat, ſimulans quidem ſuſcipere ſanctas Synodos, Nicęnam dicimus contra impium Arium, Conſtantinopolitanam contra hæreticum Macedonium, & Epheſinam primam contra impium Neſtorium, ac Chalcedonenſem contra impium Eutychetem, ſaltem ipſas habens in ſacris Diptychis. Sed cùm inſerta ipſis Synodis eſſet ſancta memoria beatiſſimi Leonis Papæ, nullo tamen tempore aliter vel percipit, vel participat ſanctiſſimis Dei myſterijs, nec celebritatem ipſorum prædicat, ne in hac quidem ſanctiſſima magna eccleſia, reſiliens vniuerſaliter à rectis ipſorum confeſſionibus, & neque magnorum Pontificum, neque venerabilium Priorum, qui pro talibus reſpiciunt, aut omnino tolerat, aut aliquam defenſionem dat: quomodo non paruum ſingulo die affert ſcandalum in talibus, infidelibus quidem irridentibus, Fidelibus verò dolentibus; vt qui parum credunt, adhuc magis conturbentur, & in peius incidant. A B

In talibus enim cùm magnus Imperator ſe ipſum diſpoſuerit, ad memoriamque ſibi reuocauerit ſententiam Principis Apoſtolorum, qua dicit[a], paratos nos ſemper eſſe oportere ad reſpondendum omni petenti rationem de ea quæ in nobis eſt ſpe: nihil plus iuuit, ſed ad eius ſerenitatem deceptibilibus rationibus vſus, promiſit ſe omnia facere, quæcumque Summus Pontifex magnæ ſedis Apoſtolicæ decerneret: & ad ſanctiſſimos Patriarchas ſcripſit, ſe ſequi per omnia Apoſtolicam ſedem. At magno Deo & Saluatore noſtro Ieſu Chriſto non permittente talia vſque in finem procedere, miſſus eſt huic regiæ vrbi, ſecundùm ipſius deitatem, Agapetus ſanctæ & beatæ memoriæ Papa beatiſſimus, qui ſtatim ſacris canonibus manum cum Deo porrexit, & ipſum de ſede ſibi non conueniente depulit, data venia his qui talis rei participes aut communicatores ſunt, & regiæ ac à Deo cuſtoditæ ciuitati ſacrum ornatum ſuum reddidit, cùm oſtendit veſtram beatitudinem huic ſanctæ magnæ ſedi præeſſe. C

[a] 1. Pet. 1.

Quoniam verò & in dogmatibus impietatis ſibi infinita crimina impendit, ſupplicationeſque & libelli multi porrecti ſunt pijſſimo Imperatori noſtro, & beatiſſimo Papæ à diuerſis venerabilibus viris: & multis quidem ſudoribus ipſe beatiſſimus Papa animam ipſius paternè reuocare ſtuduit; ſic tamen inſanabiliter eum ſe habere inuenit & pia dogmata recuſantem, inſuper etiam & criminantem vocem illam de duabus naturis (quod aduerſus Eutychetem maximè ſancta Chalcedonenſis Synodus diffiniuit) prorſus negãdo, & rectè condemnatos à ſancta Synodo recuſantem euitare, immo è contrà ipſos amplexantem, & quantum in ipſo eſt, ſtudentem oſtendere Dioſcorum & ipſum Eutychetem prorſus inſontes, inter quos ſequi hæreſim deprehenſus eſt: ſententiam profert in ſcriptis plenam clementia & decenti ſanctitate, differens * ei tempus pœnitentiæ, decernensque, donec à tali opinione mutatus ſatisfecerit his quæ à ſanctis Patribus doctè & canonicè definita ſunt, ipſum non habere nomen Catholici, neque ſacerdotis. D

* deferens

Hæc autem ſecutus pijſſimus Imperator noſter, reſpiciensq; ad ſupplicationes ſuæ ſerenitati à diuerſis perſonis venerabilibus porrectas, veſtram beatitudinem & nos omnes in id ipſum ſuper iſto conuenire benè ſatisfaciendo, iuſtum iudicauit. Nos itaque venerabiles canones ſanctorum Patrum noſtrorum ſequentes, ſacris vocationibus ipſum aduocauimus, & tempus pœnitentiæ ei dedimus, & latenti ac medelam recuſanti proclamatione manifeſta fecimus quæ à nobis facta ſunt. Cumque in his omnibus ipſum ad conuerſionem adducere non potuerimus, apertam hanc ſuæ hæreſis demonſtrationem accipientes, ſequenteſq; ea quæ à beatiſſimo Papa benè examinata ſunt: conſpicimus (ſi hîc vobis aſtaret) omnino ipſum tamquam membrum inutile & putridum abijci de corpore ſanctarum Dei Eccleſiarum, & extra Epiſcopatum Trapezuntinum eſſe, & alienum ab omni ſacra dignitate & poteſtate, & iuxta ipſius ſanctiſſimi Papæ ſententiam à Catholica appellatione.] hactenus Synodi ſententia. E

MENNAE IN ANTHIMVM SENTENTIA.

Poſt hæc Mennas Conſtantinopolitanus Epiſcopus plura in eumdem Anthimum locutus, afferens in eiuſdem condemnationem calculum, quanta debeant flagrare charitate Iudices Eccleſiaſtici reum damnantes, declarauit exemplo, dum inter alia animi ad commiſerationem commoti indicium oſtendit verbis iſtis: Vnde ſuper impœnitẽti inobedientia voluntatis ipſius lacrymantes, & ſuper errore, qui illius animam apprehendit, gemiſcentes, ſequendo ſanctiſſimam vocem magni Dei & Saluatoris noſtri[b], qui docet nos non parcere proprijs membris, ſi alicuius ſcandali cauſa nobis fiant, ſed ipſis inciſionem facere inſinuat

[b] Matt. 5.

A sinuat ad integram totius corporis valetudinem: respicientes ad ea quæ pridem à sanctæ memoriæ Agapeto Papa antiquę Romæ decreta sunt,&c.] prelocutusq; multa,in eumdem peruersum Anthimum sententiam tulit, quam secutæ sunt acclamationes Episcoporum, clericorum,& monachorum,exclamationesq; pariter aduersus collegas Anthimi Seuerum, Petrum, atque Zoaram, iam ab Agapeto Papa prædamnatos. Post hæc monachi quoque aduersus eosdem libellum obtulerunt,cuius lectio in alium est dilata conuentum.

Ne autem ista dilatio quid suspicionis in eorum animis parere posset, ista ad postremum Mennas adiunxit: Putamus, charissimi, vestram pietatem non ignorare voluntatem & zelum pij Imperatoris nostri,quem habet ad Orthodoxam fidem nostrā: & nihil eorum quæ in sanctissima Ecclesia mouentur,conuenit fieri præter opinionem & iussum ipsius. Rogamus itaque vestram charitatem in præsentiarum acquiescere, vt nos tempus accipiamus, B adducere ad pias suas aures ea quę à vobis exclamata fuerunt.] hæc ipse dicens,ne de Imperatoris voluntate nimis profusè locutus esse videri posset, mox hac addita appendice, dicta coercuit: Nos enim (sicut scit vestra charitas) Apostolicam sedem sequimur, & ei obedimus.] hucusque Mennas, qui & subscriptionem apposuit, quam ceteri qui Synodo interfuerunt,pariter subscribendo secuti sunt. CAVSAM DILATIONIS AFFERT MENNAS.

Quòd igitur ad Imperatorem se dictorum hæreticorum causam relaturum Mennas Constantinopolitanus Episcopus dixisset,oblati sunt aduersus eos libelli eidem Imperatori, quos Synodo cognoscendos idem misit Augustus.Cuius rei causa opus fuit vt rursum Synodus conueniret: quonam verò die,ita Acta declarant[a]: Post Consulatum Flauij Belisarij, pridie Nonas Iunias,Indictione decimaquarta,in Deo amata ciuitate Cōstantinopoli,præsidente autem sanctissimo ac beatissimo domino nostro Menna,&c.] Notandū autem,quòd C in Actis Hierosolymitani Concilij hæc vltima Actio, Synodus secunda nominatur, prima verò quam recitauimus contra Anthimum: ita namque ob diuersas vtriusque Actiones distingui placuit, vtpote priorem illam esse dicendam contra Anthimum celebratā,posteriorem verò illam,quæ aduersus Seuerum,Petrum,atque Zoaram collecta est.Sed cùm re vera eodem in loco fuerit congregata, ab ijsdemque Episcopis celebrata, & eadem ex causa, nempe aduersus eiusdem classis hæreticos habita, Actionem hanc potiùs eiusdem Synodi esse dixerimus,quàm Synodum à superiore distinctam. [a] *Cōcil. Constant. sub Mēna Act. 1. tom. 2. Conc.* VLTIMA ACTIO SYNODI CONSTANT. SVB MENNA.

Cùm igitur dicta die & loco conuenissent Episcopi, iussus est ingredi Theodorus Tribunus & Notarius atque Referendarius Imperatoris,qui secum ferret ab ipso ad Synodū missos libellos,quos à diuersis acceperat: vocatiq; pariter monachi & clerici eorumdem hæreticorum accusatores,qui libellos obtulerant Imperatori.Primùm verò præcipitur legi libel- D lus Pauli Episcopi Apameæ,cuius Antistes antea fuerat Petrus, habens subscriptionem sex aliorum Episcoporum Secundæ Syriæ; cuius est exordium: Magnificauit etiam & nunc Dominus facere nobiscum, &c.] continet autem eorumdem libellus confessionem fidei Orthodoxæ, laudesque ipsius Imperatoris, quem commoueri suadent aduersus Seuerum, Petrum,atque Zoaram. mentionem pariter habet de epistola eodem argumento scripta ad Romanum Pontificem Agapetum,quam ipse morte præuentus non accepisset. Eo lecto libello, iussus est pariter recitari qui à monachis Constantinopolitanis & alijs Secundæ Syriæ eidem oblatus est Imperatori, qui incipit: Cor vestræ pietatis in manu Dei, & ad quodcumque ipse vult inclinari conspicientes,&c.] illud enixiùs expetentibus,vt dictos damnatos hæreticos iudicio Synodali subijciat, & de medio tollat omnes non communicantes Apostolicæ sedi. His lectis,dimissus est Theodorus Referendarius, qui ab Imperatore eos- E dem ad Synodum libellos attulerat.

Cùm autem ipse recessisset, iussus est à sancta Synodo eorumdem monachorum legi libellus aduersus eosdem ad Synodum datus,cuius est initium: Cùm iudicium aduersus Anthimum finem acceperit,&c.] versantur in eodem argumento,vt sicut Anthimum, ita reliquos damnet hæreticos Dei Ecclesiam perturbantes: in memoriam pariter reuocantes impia atque nefanda scelera ab ijsdem ipsis perpetrata; quæ cùm à nobis superiori tomo sint suo loco & tempore quo facta sunt,recensita, hîc eadem iterum repetere, superfluum iudicamus. Perlecto libello, quo ijdem appellauerant olim agitatum aduersus eosdem Apostolicæ sedis iudicium, lecta sunt quæ aduersus eosdem rescripta fuerāt ab Hormisda Rom. Pontifice ad Epiphanium Constantinopolitanum Episcopum, necnon ea quæ idem Pontifex scripsisset ad monachos Secundæ Syriæ: de quibus epistolis à nobis pariter actum est superiùs. Iuncta his lectio est libelli supplicis clericorum & monachorum Antiochiæ ad Ioan-

nem Hierosolymorum Episcopum aduersus eosdem hæreticos tempore Iustini Imperatoris, cùm pax reddita esset Ecclesiæ: cui subiecta est relatio à Ioanne Constantinopolitano Episcopo tunc temporis data de pace composita, & alia eiusdem temporis acta, de quibus nos suo loco abundè satis. A

His omnibus perlectis & auditis, perspicuè cognitum est, tum à Romano Pontifice, tum in Oriente in Synodis Antiochiæ, Constantinopoli, Hierosolymisque & vbique locorum ab Orthodoxis eosdem iam esse damnatos hæreticos. Quamobrem in eosdem ab ipso Menna Episcopo Constantinopolitano, & vniuersa quæ congregata erat Synodo, eiusmodi sententia lata est verbis istis:

Cùm Ioannes diuinus Apostolus & discipulus magni Dei & Saluatoris nostri Iesu Christi dicat[a], quædam esse peccata non ad mortem, quædam verò ad mortem; doceatque nos per hanc sententiam fugere blasphemias in Deum per opiniones hæreticorum veluti ad mortem ducentes: videanturque Seuerus & Petrus sponte præeligere peccata ad mortem: opportunum est eos qui à principio errauerunt, & opinionibus hæreticis seducti sunt, & propter hoc à sancta Catholica Ecclesia & Apostolica, & ab omnibus qui in ipsa partem sacerdotij sortiti sunt, condemnationem sibi ipsis superinduxerunt, sobriè pœnam portare, & ipsam existimare occasionem pœnitentiæ atque recognitionis. At cùm hi nihil tale videantur fecisse, neque toto tempore aliquam demonstrationem recognitionis fecerint, sed tamquam in ipsum Deum superbientes, manserunt in proprijs impietatibus, & paruum putauerunt stare vsque ad perditionem suam, & si non omnes alios, quibus validi fuerunt, perdidissent, & opus affectauerunt dignum solius auctoris & inuentoris iniquitatis, qui propriam ruinam communem omnium hominum perditionem constituere voluit, & vsque nunc vult. Non ergo cessauerunt vti doctrinis scriptis & non scriptis, & non solùm in ciuitatibus in quibus fuerunt commorantes, sed etiam in longè remotis simpliciorum animas alliciendo, & participes propriæ perditionis faciendo, non ad intellectum accipiētes iudicium Dei, neque Dominicam sententiam manifestissimè clamantem[b]: Si quis scandalizauerit vnum de pusillis istis, obnoxius erit gehennæ ignis. B C

[a] 1. *Ioan.* 5. SENTENTIA IN SEVERVM, PETRVM, ET ZOARAM.

[b] *Matt.* 18.

Insuper autem conculcauerunt venerabiles canones, qui prudenter sanxerunt, condemnatum in aliqua Synodo, nullo modo posse sacerdotale ministerium reassumere, donec de eo discussio ab alia Synodo facta, ipsum innocentem probasset: Et si quis audebit sacrum quid medio tempore facere ante restitutionem in alia Synodo, hunc nec postea in alia Synodo spem aliquam restitutionis habere. Sed hæc omnia despicientes prædicti Seuerus & Petrus & sui communicatores & participes, de quorum numero est Zoaras quidam monachus de Syria ortus homo, qui neque intelligere aliquid sacri potest, neque secundùm rationem facere, non quòd alijs quicquam boni impartiti possit, sed simpliciter sic hypocrisim veluti escam quamdam animabus esurientium porrigit, immo (quod verius est dicere) materiam auaritiæ facit. D

Contempserunt quidem Ecclesiam Romanam, successorem Apostolorum, quæ sententiam contra ipsos protulit, & pro nihilo reputauerunt huius regiæ vrbis sedem Patriarchalem, & omnem Synodum in ea congregatam, & eiusdē Domini & Saluatoris omnium in sanctis locis Apostolicam successionem, & vltra hæc omnia etiam omnem sententiam Orientalis diœcesis contra ipsos latam. Dicendum etiam est, quòd illotis manibus sancta contrectarunt, & tamquam porci quidam margaritas conculcauerunt (dico autem Euangelicas & paternas sententias) nec cessauerunt vsque ad hodiernum diem gnauiter obuiare statui & paci sanctissimarum Ecclesiarum. Ipsi enim clàm & occultè faciunt ea quæ canonibus interdicta sunt, alios quidem multos iniqua doctrina ipsorum persuadētium peruertendo, conuenticulaq; & parabaptismata per domos & monasteria faciendo contra canones; & ipsorum sceleratam communionem multis, qui ab ipsis peruersi fuerant, tradendo: homines dicimus neque figura, neque re, qui habebant ordinationem ab ipsis datam, similiter ipsis peruersos. E

Porrò per hæc non solùm non eradicatur anathema primò impositum à Patribus nostris, sed & ex nostra sententia, immo verò canonum auctoritate spes restitutionis ipsis aufertur, & vt Catholici filij cùm hoc intelligunt, fugiant illorum errorem & hæresim. Propterea igitur sequentes sanctorum Patrum nostrorum sententias, & Euangelicis ac paternis inhærendo sanctionibus, suscipimus & sanctissimos fratres & comministros, cùm ab ipsis lata fuerit sententia contra prædictos Seuerum, Petrum, & Zoaram, & alios quicumque

A cumque communicant ipsis in impietate,ac contra complices ipsorum.Et nos illos per Dominum nostrum Iesum Christum verum Deum nostrum tamquam lupos quosdam graviter irruentes in ouile Christi abijcimus,& cõsentanei sumus sanctissimis fratribus & comministris nostris: & sæpiùs priùs nominatos Seuerum & Petrũ simili anathemate ferimus; non autem ipsos solos,sed & Zoaram, & alios qui conuenticula & parabaptismata faciunt, necnon & omnia ab ipsis conscripta, quæ venenum draconis auctoris mali in ipsis nutriunt,& ipsum in simpliciorum animas emittunt.] hactenus sententia Synodi ex præscripto Hormisdæ & Agapeti Romanorum Pontificum.

His peractis,dedit litteras de damnatione dictorum omnium hęreticorum Mennas Episcopus Constantinopolitanus ad Petrum Hierosolymorum Episcopum,quæ sic se habent[a]:

Per omnia Deo amantissimo ac sanctissimo fratri & comministro Petrõ Mennas in Do-
B mino salutem.

Recordantes solùm venerabilium virorum qui apud vos sunt, lætamur: nam cùm sine vultus interpellatione sit allocutio per epistolas,est animum vertere ad ipsos:propter hoc ergo solum & nunc me motum esse ad scribendum, & ex ipso momento *alloquẽdi vos, delectatus sum sicut in omnibus diuitijs: nam sicut vnguentum effusum,sic odorem nominis tui nedum non præsentis, sed longè absentis, sentimus in eminentia morum vestrorum, in ipso medio cordis posita lætitia implemur,audientes virtutum vestrarum fertilissimã vbertatem.Nam sermo de vestra charitate quotidie versatur inter nos,cùm multi quidem, quæ à vobis reformata sunt,narrent,maximè verò communis frater, immo communis benefactor Deo amantissimus presbyter Eusebius (veritatem dico & non mentior) magnus generaliter & continuus de vobis sermo est,maximè ab ipsius sanctitate,qui libenter narrat quæ
C apud vos sunt,sicut fides recta,vita irreprehensibilis,mansuetudo magna,& (simpliciter dicendo) omnis virtutum chorus vobis à Deo datus est,vt & Iacobi sedem accipere, & custos Orthodoxæ fidei esse mereamini. Igitur & Seuerum tamquam blasphemum vestra sedes deiecit. Post hæc quia tua sanctitas nobis præbuit semina fructuum, fuimus vobis consentientes contra Seuerum. Adsimilis huic fuit & Petrus,qui cùm à ceteris iam depositus fuerit eadem condemnatione & à nobis ille reprehensus est. Anthimus quoque ac Zoaras in similem errorem incidisse deprehensi sunt, & vterque istorum æquali pœna iudicatus est. Communicauerunt nobis in his omnibus hi qui de antiqua Roma venerunt,&quicumque congregati sunt in nostra venerabili Synodo: studiumq; vigilans ac prouidẽtiam Deo amabilem his omnibus contulerunt venerabiles monachi,qui ex vestra à Christo amata regione in regia vrbe conuenerunt.

D Ipsas itaque actiones Actorum in his omnibus formatas vobis mittimus. Sitis igitur eiusdem sententiæ in iudicatis à nobis & à vobis contra Seuerum,rursum in approbatis à nobis & ab alijs omnibus, & (vt ità dicatur) contra Petrum & Zoaram atque Anthimum sequi tardare nolite: nam vestrum vtique fuit, indissimulanter & indifferenter in alijs quidem principium liberationis hominum prauorum ibidem accommodare, in alijs verò (si fuerit datum) ab alijs sequi. Et ostendetur quidem vobis per partem rerum gestarum ordo atque status. Verumtamen volumus hæc à vobis fieri ipsis manifesta,& horum intimationem ad eos mittite, vestram & venerabilium Episcoporum qui subditi vobis sunt intelligentiã circa gesta per litteras ipsis subijciendas significantes: quæ autem à nobis missa sunt, manere apud vos sinite; quæ vestræ rectæ confessionis & eorum qui malam opinionem sustinuerunt & passi sunt, in perpetuum erunt symbolicum instrumentum.

E Rogo autem, talentum quod creditum est,nolite abscondere, sed participatione multiplicate,exerite & tradite veritates vestras, ne quandoque videamini ipsum in terram fodere.Secundùm me ergo propere facientes,orate pro fratre,& supplicationes frequentate dicentes: Da pacem,Domine,nobis: omnia enim reddidisti nobis. Omnem in Christo fraternitatem,quæ cum sanctitate vestra est,plurimum salutamus.] hactenus Mennas: quem eiusdem argumenti alias misisse litteras ad Ephræm Antiochenum Episcopum sępe aduersus eosdem hæreticos strenuè laborantem, par est credere, sed non extant.

Quem autem audisti litteris Mennæ ad Petrum laudari Eusebium Hierosolymitanæ Ecclesiæ ministrum Constantinopoli agentem, eumdem scias commendari pariter in constitutione Iustiniani Imperatoris hoc anno data ad eumdem Hierosolymitanum Episcopum Petrum de alienatione domorum quarumdam spectantium ad ecclesiam Resurrectionis dictam, Hierosolymis existentem: quam hîc describere vtile esse putamus ob

[a] *Apud Synod Constant. sub Menna Act.1.*

EPIST. MENNAE AD PETRVM HIEROSOLYM. EPISCOP.

* motu

DE EVSEBIO PRESB.

cognitionem frequentis accessus huius temporis ex toto orbe Christiano ad loca sancta : sic A
enim se habet[a]:

[a] *Nouel 40. IVSTINIANI CONST. DE ALIENANDIS DOMIBVS ECCL. HIEROS.*

Iam quidem ea quæ de prohibitione ecclesiasticarum alienationum erant, lege communi promulgata sunt à nobis, quam sanè & obtinere & ratâ in omnibus esse volumus. Quando autem conducentis omnibus ecclesijs boni prouidentiam agere conuenit, præcipuè autem sanctæ Resurrectionis, & loci in quo mundi Creator dignatus est in humana constitui generatione : propter hoc existimauimus præsentem scribere legem, non ad subuersionem eorum quæ iam à nobis constituta sunt, sed ad aliquam conuenientem & necessariam rebus vtilitatem. Omnibus enim est hominibus manifestum hoc, sanctissimam Resurrectionem cos qui ex omni Orbe eò confluunt (quorum multitudinem infinitum est dicere) & suscipere & alere & facere sumptus immensos & insperatos, his qui illic coaceruati sunt, sufficientes, secundùm miraculorum operationem magni Dei & Saluatoris nostri Iesu Christi B
(qui multitudinem ineffabilem ex paucis enutrijt panibus) in dies suscipientem. Itaque ipsi & reditus esse oportet plurimos, & occasiones pias, secundùm quas futura sit possibilis constitui, vt multitudini auxilietur tantæ.

Nouimus igitur, quatenus secundùm præsens Eusebius Deo amantissimus presbyter & Cimeliarches eius quæ secundùm regiam hanc vrbem est sanctissimæ Ecclesiæ, profectus in præfatam Hierosolymorum ciuitatem, & honestos suos & Deo amabiles etiam nunc indicans mores (per quos multis & maximis & iustis augmentis sanctæ Ecclesiæ auxit reditum) potuit trecentis octoginta libris auri cõparare reditum triginta paulo plus minùs auri librarum, quasdam quidem pecunias colligẽs piè, quasdam verò vt mutuas sumerét, exhortans Deo amabilissimos Oeconomos præfatæ sanctæ Resurrectionis. Docuit autem & nos, C
quia & creditores sua accipere quærunt, & quia aliud excogitauit inopinabile lucrum. Multis namque confluentibus & accedentibus ad prædictam Hierosolymorum ciuitatem desiderio repositorum & dicatorum Deo locorum, concupiscunt comparare habitationes ecclesiasticas auro multo, quatenus vtique liceat ipsis, ea quæ secundùm dictum locum est, habitatione perfrui : non posse autem hæc facere Antistites sanctæ Resurrectionis metu legis à nobis de ecclesiasticis alienationibus positæ, quamuis tanta existente vtilitate huius inuenti, vt in annos quinquaginta velint quidam tabernacula seu cœnacula istiusmodi comparare, & inde multo & maiore quàm dici possit commodo futuro, si quidem possessio sanctissimæ ecclesiæ accedat reditus triginta auri librarum (hæc constituente admiratione) vix in tredecim annis, cùm ædificiorum venditio in ipsis quinquaginta annis fiat; & præsertim cùm substantia ipsius Resurrectionis in domibus sit constituta, quæ fortuitis omnibus subiacent casibus, repentè vnà pereuntes cum ipsis, nec vestigium vel tantulum ser- D
uare facilè valentes, si quidem ex aliquo (absit autem & hoc vt dicamus) casu cadant, aut aliàs consumentur.

Hæc nos venire ad præsentem legem fecerunt, quam dedicamus Deo & omnium ecclesiarum sanctissimæ Resurrectioni, per quam sancimus omnia quidem alia & in sanctissima Resurrectione obtinere occasione prædiorum ecclesiasticorum (neque enim ipsi omnino permisimus venditionem nullam facere prędiorum) super sanè ædificijs laxamus aliquid de rigore legis. Si enim super vtilitate sanctissimarum ecclesiarum hanc scripsimus, videmus autem tantam in re vtilitatem existẽtem ; quomodo non vtique per præsentem legem hoc ipsis permittemus, omnem dantes & vendentibus licentiam, & ementibus securitatem ? & maximè postquam præsumimus, tempore ipso citiùs reducturo iterum ædificia ad ipsam, vtpote ipsorum emptoribus, qui sicut propter studium circa Deum emerint ista, ita & post- E
quam obierint, ipsi illa relicturis. . Liceat igitur ipsi sanctissimæ ecclesiæ facere ædificiorum venditionem, nihil verenti legem in genere de his positam ; propterea quòd lege recentiore subdiuisionẽ accepit, neque aliqua pœna inde contra quamlibet personam omnino conueniente.] Audisti ex verbis Imperatoris Fidelium pietatem, cùm quæ ab ecclesia emerent, eidem relinquere solerent ecclesiæ. Sed pergit:

In sequens verò tempus hoc ipsum facere liceat, sicubi aliqua tanta emerserit vtilitas, vt
* multocuplum * bonum pro minimo sanctissimæ accedat per alienationem Resurrectioni: omnem habentibus facultatem eorum emptoribus, nunc & in futurum omne tempus, & nullam ablationem verentibus, non ipsis, non heredibus ipsorum, non successoribus, neque nunc, neque in aliud tempus; propterea quòd per præsentem legem ipsos confidentes posse ad emptionem accedere, non sunt iussi aliquam pro hoc sustinere turbam, aut accusationem, aut

A nem, aut damnum, aut ablationem: decreto proculdubio faciendo apud tuam beatitudinem præsentibus qui ex clero venerabili, & demonstrata causa, secundùm quam alienatio ædificiorum fit, quia maiorum causa bonorum eorum venditioni studetur, exiguis quidem rebus venditis existentibus, pluribus autem & melioribus ijs quæ inde acquiruntur. Scilicet secundùm prę̨sentem mercedem congregatum ex pensionibus habitantium, venditione in quinquaginta annis facta, & pretio in solutionem debitorum soluendo, quæ creditores dederunt pro præfati reditus acquisitione.

Si enim omnium Dominus simul & creator Deus dignatus est tantum ipsi dare priuilegium præter alias ciuitates, vt ex ipsa resurgeret secundùm carnem; manifestum, quia & nos imitantes Dominum Deum & magnas eius miraculorum operationes, quantũ homini possibile est, priuilegium aliquod dedimus ipsi præter ceteras ecclesias, vt ipsa fruatur hac
B nostra lege, quam velut aliquas primitias ipsi adducimus, eius commodum per omnia eligentes & venerantes. Quæ igitur à nobis constituta sunt per hanc propriam legem & ipsam legum inscribendam voluminibus tua beatitudo cognoscens, manifestam ipsam omnibus ibi constitutis constituat. Indicet autem nostram voluntatem, quam pro sanctissima & meritò ab omni hominum genere adoranda Resurrectione nostrũ habet Imperium, & Domino dedicat Deo, tantis nos & tot bonis prę̨ter alios omnes qui ante nos imperarũt in re quapo & Patriarchæ Hierosolymitanæ ciuitatis. Dat. xv. Kal. Iunij, C.P. post Belis. V.C. Conſ.]

libet dignato & dignanti. Specialis lex scripta Petro sanctissimo ac beatissimo Archiepisco-

Visis his, quæ tum à Menna, tum ab Imperatore hoc anno ad eumdem Petrum eodem tempore scripta directa sunt, iam ad damnatorum hæreticorum causam, è qua digressi sumus, redeamus. Cùm autem Iustinianus Imperator cognouisset ea quæ gesta essent in Syn-
C odo, consentientia in omnibus esse ijs, quæ haud pridem ab Agapeto Romano Põtifice acta essent; intelligensq; nullam reliquam spem vt Anthimus suum emendaret errorem, qui latebras captans neque audire quæ sibi proficua esse potuissent, omnino voluisset: eadem religione, qua hactenus semper enituit, pro munimento eorum quæ à Patribus sancita essent, sanctionem contra eosdem damnatos hęreticos scripsit hoc ipso anno, octauo Idus Augusti, quæ his verbis legitur in Nouellis[a]:

[a] *Nouel. 42. IVSTINIANI IMP. CONST. ADVERSVS HAERETICOS.*

Imperator Cæsar Fl. Iustinianus, &c. Mennæ sanctissimo ac beatissimo Archiepiscopo & *Vniuersali* Patriarchæ.] Hîc aduerte, quòd quæ est in tomo secundo Conciliorum editio huius sanctionis, voce illa, *Vniuersali*, caret: sed licet ab Imperatore ipso dicatur apposita; haud tamen dici potest eo sensu esse prolata, vt Constantinopolitanum Episcopum totius Ecclesiæ vniuersalem esse Antistitem, significare voluerit: cùm hoc tantum esse Romani
D Pontificis, pluribus locis idem ipse Imperator disertis verbis significarit; & ipsis Synodalibus Actis, & omnibus quæ præcesserunt actionibus expressum sit quàm euidentissimè, subiacere Constantinopolitanum Episcopum Romano Pontifici: vt planè certissimum appareat, eum appellari Vniuersalem, habito respectu ad subiectos ipsi in Oriente sacerdotes: quod nec recentiores Græci licet schismatici negant. Sed audiamus ipsius Imperatoris aduersus damnatos hæreticos sanctionem Catholico Principe dignam:

Rem non insolitam Imperio & nos facientes, ad præsentem venimus legem. Quoties enim sacerdotum sentẽtia quosdam indignos sacerdotio de sacris sedibus deposuit (quemadmodum Nestorium, Eutychetem, Arium, Macedonium, & Eunomiũ, & quosdam alios ad iniquitatem non minores illis) toties Imperium eiusdem sententiæ & ordinationis cum
E sacerdotum auctoritate fuit: sicq; diuina, humanaq; pariter consentientia, vnam consonantiam rectis sententijs fecere. Quemadmodum & nuper factum esse circa Anthimum scimus: qui quidem deiectus est de sede huius regiæ vrbis à sanctæ & glorioſæ memoriæ Agapeto sanctissimæ Ecclesiæ antiquæ Romę Pontifice, eò quòd nullo modo sibi ipsi cõueniens (contra omnes sacros canones) se intrusérat sedi: sed & communi sententia ipsius sanctæ memoriæ viri primùm, atque etiam sacræ Synodi hîc celebratæ, condemnatus & depositus fuit, eò quòd à rectis dogmatibus recessit: & quæ priùs multoties diligere videbatur, hæc demum diuersis lustrationibus aufugit, simulans sequi sanctas quatuor Synodos, trecentorum videlicet decem & octo Patrum in Nicæa, & centum quinquaginta in hac felici ciuitate, & in Epheso primò congregatorum ducentorum, & sexcentorum triginta venerabilium Patrum in Chalcedona.

CONCORDARE DEBERE CVM SACERDOTIBVS IMP.

At quidem nec dogmata sequi, nec nostram clementiam & condescensum, quem propter ipsius salutem habebamus, suscipere voluit, neque ipse abdicare auctores impiorum

dogmatum, qui priùs à sanctis Synodis expulsi fuerant; sed putauit oportere secundùm A
ipsum & in æquali ducere & condemnatos & condemnatores. Nam semel alienis à san-
ctissima Ecclesia intellectibus mancipatus, & à rectis dogmatibus alienatus, meritò ad ip-
sorum rectitudinem reuerti non valuit, etiam ad hæc inuitatus à nobis & directus, qui
omni studio vsi sumus ad ipsius salutem. Propter hæc igitur omnia sententiam deposito-
QVID DECERNAT IMP. CONTRA ANTHIMVM. nis in ipsum à sancta Synodo factam occasione non liciti, neque à sanctis canonibus appro-
bati raptus sacrarum sedium huius regiæ vrbis, & auersionis à rectis & veris dogmatibus
cyriam propriam nostrum facit Imperium, & contra istum præsentem scribit legem. In-
terdicimus autem & ei commorari in hac felici ciuitate & eius districtu, & à quacumque
alia insigni ciuitate, sancientes in quiete esse, & eos diligere, quibus se ipsum dignè suppo-
suit, & non aliquibus communicare, neque eos imbuere in perditionem interdictorum
dogmatum. B
QVAE IN SEVERVM STATVAT. Nec vtique extra Imperialem confirmationem relinquimus sententiam iustè contra Se-
uerum latam, ac ex omnibus (vt ita dicamus) Pontificalibus & Patriarchalibus vnà cùm
monachicis consensibus prouenientem sedibus, & anathematismum ipsi inferentem, qui
priùs contra sacras sanctiones accipiendo sedem sanctissimæ Ecclesiæ Theopolitanorum,
sic vniuersa conturbauit, sicque accumulatas turbationes fecit, quòd commune quoddam
ac abominabile bellum sanctissimis Ecclesijs adinuicem immitteret. Et hoc &à sceptris quę
ante nos fuerunt contra ipsum scriptum erat, varijs dogmatum & à rectitudine alienatis in-
tellectibus ac blasphemijs vsum fuisse, ac vniuersa conturbasse, & illum quemcumque erro-
rem abominabilem hæresiarcharum & iniquorum dogmatum recipere, Nestorij dicimus
& Eutychetis: & cùm vterque horum præceptorum contrarij quodammodo adinuicé esse
videantur, ad vnũ verò impietatis finem inferant, etiam illorum diuulgatos sermones eum C
in vnum formauisse: duobus enim existentibus dogmatibus adinuicem repugnãtibus, quo-
rum vtrumque similiter ad animæ perditionem adducit, Nestorij videlicet & Eutychetis
(quemadmodum dicendo narrauimus) quæ ex Arianorum & Apollinaris contagione con-
sistunt; ipse paradoxum quid perpessus, in vtrumque similiter incidit, & ibi quidem hoc,
ibi verò illud mittendo, se ipsum & sermones suos visus est constituisse commune recepta-
culum tantorum delictorum.

Sit itaque & ipse sub prædicto anathematismo, quem vniuersus Patriarchalis Pontifica-
lis, ac monachicus nostræ (vt ita dicamus) politiæ cœtus iustè in ipsum induxit, de Theo-
politana quidem Ecclesia eiectus idcirco, quòd thronus de illa ipsum remouit, eo quòd
ipsius principatum rectè non acceperat, sed adhuc viuẽte eo & in sanctissimis Ecclesijs com-
morante; qui ante ipsum sacerdotium habebat, & propter eum qui post ipsum fuit, de sa- D
cerdotio exciderat. Nec verò vsque huc stetit, sed etiam sub communi Orthodoxæ & Ca-
tholicæ Ecclesiæ anathematismo factus, multis libris, blasphemijsque & abominationibus
nobis politiam impleuit.

Quare vniuersis interdicimus aliquid de libris ipsius possideri: & sicut non licet Ne-
storij libros scribere vel possideri (quia prædecessoribus nostris Imperatoribus in suis con-
stitutionibus visum est statuere similia his quæ dicta & scripta sunt à Porphyrio in Chri-
stianos) sic nec dicta & scripta Seueri maneant penes aliquem Christianorum, sed sint
profana & aliena ab Ecclesia Catholica, igneque comburantur à possidentibus; nisi qui
ipsa habent, velint periculum pati. A nemine ergo scribantur, neque ad pulchritudinem,
neque ad velocitatem scribentium: sciendo, quia amputatio manus his qui scripta eius
scripserint, pœna erit. Neque enim volumus in futuro tempore ex illis blasphemiam E
protrahi. Similiter autem & huic interdicimus omnino regiam ciuitatem ingredi, aut di-
strictum eius, nec aliquam aliam de insignibus; sed in aliqua solitudine & in silentio se-
dere, & non corrumpere ceteros, neque in blasphemiam ipsos adducere, & non semper ali-
quid noui inuenire contra vera dogmata, per quod rursus nobis conturbare sanctissimas Ec-
clesias festinet.

QVAE IN PETRVM STATVAT IMP. Sed nec Petrum Episcopum Apameæ & simul depositum, & simul ab ipsis, à quibus Se-
uerus, sub prædicto anathemate factum, Imperium admittit: sed sint propria contra ip-
sum sententiata: & qui sub communi anathematismo ordinatus est, sub ipso esto; & sen-
tentia sanctissimorum Pontificum, quæ ipsum præuenit, firma permaneto. Neque verò
permittimus illi hanc regiam vrbem habitare, aut ipsius districtum, vel aliquam de insigni-
bus; sed quorum secutus est errorem, horum imitetur diætam, quàm longissimè abscedens,
& occul-

A & occultans se ipsum: nam talibus occultari, quàm videri, vtilius est: ignoti etenim existentes, se ipsos lædunt solos; publicantes verò sua dogmata, multis ex simplicioribus occasionem perditionis præbent: quod nullo modo fieri in Christiano ouili Dei & Orthodoxo populo iustum est, neque ab Imperio permissum est.

QVID IN ZOARAM.

Quoniam verò & Zoaram dignè penitus iudicarunt sub anathematismo esse reuerendissimi & qui iustè iudicant Episcopi (cùm parua quædam talium malorum interpositio sit) & in quibus dehonestatus est, omnia videlicet comprehendendo ex memoria quadam abundanti, sit & Zoaras interpositio quædam parua huius malæ partis (Anthimi dicimus, Seueri, ac Petri) ordineturq́.& ipse inter anathematizatos, sacra sententia ipsum deferente, quam propriam & ipsam in se ipsa existentem, adhuc magis cyrioteran * Imperium facit, & hunc de hac regia vrbe & eius districtu abijcit, & habitationem in alijs ciuitatibus ipsi omnino

* *id est*, propriam magis

B interdicit. Itaque cum illis solis habitet & consulat, qui à nobis antè memorati sunt, qui similia quidem blasphemant, similia patiuntur, & similiter in exilio ponuntur. Si quid verò aliud in sententia sanctissimorum Episcoporum continetur, quæ prædictos deponit & anathematizat, hoc firmius ponimus & diutius, ac Imperialibus nostris legibus ipsum corroboramus, ac si ab Imperio ipso proueniisset.

LEGIBVS SAECVLI COERCENDI PERTINACES.

Si verò aliquis ipsorum deprehendatur de cetero facere aliquid præter constituta, sciat incidisse in legibus Imperialibus, quæ minores pœnas declinantes, ad maiores immittunt indignationes. Interdicimus autem & omnibus conantibus Catholicam Dei Ecclesiam diuellere, siue secundùm hæretici Nestorij doctrinam, siue secundùm insensati Eutychetis traditionem, siue secundùm blasphemias Seueri, qui & similia illis intellexit, aut eorum qui illos sequuntur, seditionem immittet sanctissimis Ecclesijs, & loqui aliquid de fide: sed san-

C cimus quemlibet talium silentium ducere, & non conuocare aliquos ad se, neque accedentes recipere aut parabaptizare audere, aut sanctam communionem sordidare, & ipsam aliquibus tradere, aut interdictas doctrinas exponere siue in hac nostra regia, siue in alia ciuitate, sed omne supportare periculum, si quid tale faciat. Interdicimus etiam omnibus istos susceipere. Abijci ergo ipsos sancimus à ciuitatibus ab ipsis concitatis, scientes pœnas iam contentas in nostris diuinis constitutionibus, quæ & domos ipsas in quibus tale quid fit, & campos ex quibus nutrimenta præbentur, sanctissimis Ecclesijs assignant, & à possidentibus auferunt: quia detrimenti causa fit simplicioribus, sub sanctissimis verò & Orthodoxis Ecclesijs hæc iustè ducunt esse.

Hæc pro communi pace sanctissimarum Ecclesiarum statuimus, hæc sententiauimus, se-

D quentes sanctorum Patrum dogmata, vt omne sacerdotium imperturbatum de cetero nobis permaneat: quo in pace seruato, aliqua nobis exuberabit politia, desuper pacem habens, quam omnibus magnus Deus & Saluator noster Iesus Christus, Trinitatis vnus, vnigenitus Dei Filius prædicat & donat his qui sincerè ipsum & vetè glorificare & adorare digni habiti sunt. Custodiat itaque beatitudo tua, quæ rectè adnotata sunt, & mittat ipsa per suas dilectas litteras omnibus sanctissimis Metropolitis sub ipsa existentibus; quorum cuilibet cura erit ipsa manifesta facere sanctissimis Dei Ecclesijs sub ipsis ordinatis: vt neminem ex omnibus lateant, quæ sacerdotio visa sunt, & ab Imperio confirmata. *Diuina subscriptio.* Diuinitas te seruet per multos annos, sancte ac religiose Pater. Data octauo Idus Augusti, Constantinopoli, post Consulatum Belisarij viri clarissimi.]

DE CONCILIO HIEROSOLYMITANO.

Cùm autem Mennas, absoluta (vt vidimus) Synodo, eius Acta misisset ad Petrum Hierosolymitanum Episcopum, cuius iussione monachi Orthodoxi Palæstinæ & nonnulli Epi-

E scoporum abierant Constantinopolim acturi contra dictos hæreticos: idem Petrus Hierosolymis collegit Synodum Episcoporum decimanona mẽsis Septembris, cuius extant Acta, quæ Actiones omnes dictæ Synodi Constantinopolitanæ (vt diximus) continent. Est eiusmodi eius exordium [a]: Post Consulatum Flauij Belisarij glorioſissimi, decimotertio Kalendas Octobris, Indictione quintadecima, in colonia Ælia metropoli & Hierosolymis, præsidente sanctissimo ac beatissimo Patriarcha Petro, in Secreto venerabilis Episcopatus suæ beatitudinis, & assistentibus sacerdotio suo sanctissimis Episcopis trium Palæstinarum sub sanctis locis venerabilissimæ Synodi existentibus, &c.] interfuerunt omnes numero quadraginta quinque Episcopi. Vbi lectis in Synodo quæ Acta sunt cõtra Anthimum, Seuerum & alios hæreticos antedictos, prolata est primùm in eumdem Anthimum sententia, quæ extat: desideratur autem quæ aduersus Seuerum, Petrum & Zoaram fuit in eadem Synodo pronunciata damnatio.

[a] *Extat tom. 2. Concil.*

Sic

HAERETICI VBIQVE DAMNATI.

Sic igitur vbique locorum, vbi essent Orthodoxi, toto Christiano orbe conclamata est damnatio dictorum hæreticorum, cùm omnes Synodi æquè probarent, quæ à totius vniuersalis Ecclesiæ Antistite Agapeto aduersus eosdem Constantinopoli acta essent. Quæ verò post hæc secuta sint de Anthimo iterum fauore impiæ Theodoræ Augustæ inualescente, dicemus suo loco. De Seuero autem illud liquet, haud diu pòst fuisse superstitem, sed & præsenti vita & æterna priuatum, cum sui æqualibus blasphemis ad infernales pœnas esse damnatum: quod quidem Deus cuidam seruo suo, ad curandum hominem in errorem lapsum, ostendit; vt certa testificatione Sophronius narrat [a], nosq; superiùs alia occasione recensuimus, vt superfluum videatur eadem hîc repetere. A

[a] *Prat. Spirit. c. 20.*

THEODOSII EPISCOPI ALEX EXILIVM.

Sed & hoc anno decimo Iustiniani Imperatoris Theodosius Episcopus Alexandrinus (vt auctor est Liberatus [b] diaconus) cùm sedisset annum vnum & mẽses quatuor, cùm licet rogatus à Theodora Augusta subscribere noluisset Concilio Chalcedonensi, in exilium missus est, substitutusq; in locum eius Paulus Episcopus Orthodoxus: hæcq; omnia agente Pelagio, qui Constantinopoli fuit Apocrisarius Romanorum Pontificum, Agapeti primùm, inde Siluerij, atque demum Vigilij. Porrò de Pauli electione idem Liberatus ista subijcit [c]: Postquam ergo Theodosius Alexandrinus in exilium missus est, Paulus quidam vnus Abbatum Tabennensium monachorum ad Alexandrinam sedem ordinatur Episcopus, planè Orthodoxus, suscipiens Chalcedonensem Synodum: ordinatus est à Menna Constantinopoli, præsente Pelagio responsario Vigilij, & Apocrisario Ephræmij Antiocheni, & Apocrisarijs Petri Hierosolymorum. Seuerus autem Antiochenus iam fuerat condemnatus, & Anthimus Constantinopolitanus ab Agapeto Papa Romano & Menna Constantinopolitano, & libellis datis aduersus eos Imperatori Iustiniano, præsentibus monasteriorum præsulibus Primæ & Secundæ Syriæ, & præsidibus monasteriorum Hierosolymitanorum & eremi. Hoc ergo modo vnitas facta est Ecclesiarum anno Imperatoris glorioſi Iustiniani Augusti *decimo*.] ita supplendum ex rebus gestis superiùs enarratis. Pergit verò idem auctor hæc de Pauli inexpectata electione dicere, deque tumultibus Alexandrinis. Iste Paulus spretus erat ab aliquibus monachis suis, & venerat Constantinopolim pro se agere apud Imperatorem. Qui diuino nutu cathedram vacantem inueniens, meruit per Pelagium diaconum Alexandriæ Episcopatum.] Quæ autem contigerunt postquam Alexandriam reuersus est (vt singula singulis reddamus annis) suo loco dicturi sumus: hæc modò de rebus hoc anno gestis. B

[b] *Liber. d ac. in Breu. c. 20.*

[c] *Liber. c. 23.*

PAVLI EPISCOPI ALEXANDRINI CREATIO.

ARIANI MILITES REBELLANT IN AFRICA.

Quod verò spectat ad statum Ecclesiæ Africanæ: hoc eodem anno contigit, vt Ariani milites in Africa coniurantes aduersus Salomonem exercitus Ducem, Paschali tẽpore, in hostes conuersi, Africanam prouinciam dira afflixerint clade, Carthaginemq; diripuerint, electoq; sibi Duce Stosa tyranno, ab Imperio Romano omnino defecerint. Scribit hæc omnia Procopius: sed malè in margine lacunam impleturus quis addidit id factum anno duodecimo eiusdem Imperatoris. Etenim cùm idem auctor disertis verbis dicat, tunc accersitum in Africam ipsum Belisarium Syracusis agẽtem; nonnisi hoc anno id factum oportuit: nam (vt dictum est) vltimo anni superioris tempore potitus Belisarius Syracusis, ibi degens hoc anno vocatur in Africam; sequẽti verò Romam cum exercitu profecturus, Neapolim sibi obuiam ciuitatem vi cepit. post hæc semper perseueraſſe in expeditione Italica Belisarium, Procopius satis ostendit, qui eius singula assectatus vestigia, quæ duodecimo Imperatoris anno ab eo sunt gesta, fusiùs est prosecutus. C D

DE TVMVLTVATIONE AC REBELLIONE MILITVM IN AFRICA.

Hæc autem de militum Arianorum in Africa facta defectione quomodo se habuerint, ex Procopio [d] sic habeto: Annus (inquit) *decimus* Iustiniani Imp. agebatur, vere ineunte, quando Christiani festum celebrant, quod Pascha vocant, seditio in Africa inter milites contigit.] & inferiùs: Postquam verò dies festus proximus futurus erat: Ariani mæsti ob templorum prohibitionem, valde instabant; visumque est eorum primatibus, vt in prima festi die, quam magnam vocant, Salomonem interficerent: erat is Dux exercitus Imperatoris. Res aliquando latuit, nullo consilium retegente, vtpote multa grauia & dira consulentibus, sermo manifestus in nullum fuit inimicum, de qua causa rem celari putauerunt. Postquam verò multi Salomonis equites hastati & scutiferi ad hanc coniurationem oppidorum cupiditate asciti sunt, aduenìente die, Salomon in templo securus, procul omni suspicione resedit. Egredientes autem quibus datum erat negotium, & spiritu vehementiore inter se ensibus accincti murmurantes, nihil omnino sunt ausi, siue templi tunc sacra cærimoniasq. verentes, seu Ducis gloriam aspectumque erubescentes, vel aliqua alia re diui- E

[d] *Procop de bell. Vuandal. lib 2.*

A re diuinitus prohibiti. Sacris deinde peractis, eadem die domum redeuntibus, coniurati inter se obiurgant, ac planè illorum detestantur ignauiam atque mollitiem.

Rursus verò in diem sequentem eodem consilio re dilata, similiter re infecta discesserunt, ac in forum venientes se inuicem accusabant, quisque in alterum causam reijciebat, vt mollem ac societatis & officij desertorem, simulque Salomonis aspectus timorem probro dabant. Iamque (vti par erat) re vulgata, eorum plerique non tutum in ciuitate morari putantes; extra vagando & oppida & agros populabantur; Afrosque in quos incidebant, omnes loco inimicorum habentes. Alij verò ex coniuratis in ciuitate remanentes, consilium, mentemque dissimulando, admirari videbantur. Salomon igitur vbi accepit regionem omnem vastari à suis militibus, vt rem nouam planè mirabatur; simulque in hoc tumultu hos qui remanserant, omnes ne ab officio discederent, ac ad Imperatoris beneuolentiam sequendam est adhortatus: qui ab initio quidem auscultare visi, postquam dies quinta aduenerat, ac illos qui extra prædabantur, iam in tuto esse, ac in tyrannidem confirmatos audierunt, in Hippodromo conuenientes, in Salomonem simul cum alijs Ducibus apertè conuicium iactabant. Itaque Theodorus Cappadox à Salomone missus, eos blandis verbis ac persuasionibus ad æquum deducere minimè dicto audientes conatur. Erat autem quidam huic Theodoro tunc inimicus, & Salomonis insidiosus atque suspectus. Hunc itaque milites illico Ducem suum de consilij sententia conclamant, ac cum eo arma corripientes multo tumultu in Palatium properant. hic quidem Theodorum alium, qui custodibus præerat, ante omnes trucidant, virum perfectum, cùm alijs virtutibus clarum, tum belli disciplina præstantissimum, &c.] subdit de Salomone Duce, qui fugiens, in templo latuit, sicque euasit periculum imminens, deque Carthagine ab ijsdem seditiosis militibus direpta narrationem ingerit, ac de accersito mox Belisario Syracusis in Africam, deque Germano ab Imperatore post eum in Africam misso, cùm, eo aduenientе, Belisarius ad bellum Gothicum reuocatur. Quæ autem postea contigere, suo loco dicturi sumus.

PATEFACTA CONIVRATIO.

Iam verò Romanam Ecclesiam inuisamus, quæ tanto viduata pastore mœrens diu in luctu permansit acerbiùs afflictata à Gotho tyranno, quo ille grauiora sibi imminere mala sensit ab Orthodoxis. Cùm igitur Romæ auditus esset obitus Agapeti Papæ Constantinopoli, atque iam haberentur more maiorum sacra comitia de nouo creando Pontifice: idem Gothorum Rex Theodatus (si credimus ijs quæ ab Anastasio enarrantur) violentam manum immisit, vt non quem clerici vellent, sed qui ipsi esset in animo, crearent Agapeti Antistitis successorem. Hæc autem quomodo se habuerint, audiamus in primis ab ipso Anastasio, qui rem gestam ita recensет: Siluerius natione Campanus ex patre Hormisda Episcopo Romano sedit annum vnum, menses quinque & dies vndecim. Hic leuatus est à tyranno Theodato sine deliberatione decreti. Qui Theodatus corruptus pecuniæ dato, talem timorem indixit clero, vt qui non consentirent in eius ordinatione, gladio punirentur. Sacerdotes quidam non subscripserunt in eum secundùm morem antiquum, neque decretum confirmauerunt ante ordinationem. Iam autem ordinato Siluerio sub vi & metu, propter adunationem Ecclesiæ & religionis postmodum subscripserunt presbyteri. Post menses verò duos nutu diuino extinguitur Theodatus tyrannus, & eleuatur Rex Vitigis, &c.] Quod ad collatam pro electione pecuniam spectat: ex his quæ dicemus paulò post, calumniosè dictum intelligi potest. At quod spectat ad vim à Gotho tyranno cuncta pauente, nec patiente facilè aliquem eligi qui Iustiniani esset studiosus: quod vera fuerit, adducimur vt credamus.

DE CREATIONE SILVERII PAP.

Vidisti in clero Romano dignum exemplum, dum ad euitandum schisma, quod omnino si alium elegissent, absque dubio conflandum fuisset: cùm electionem, immo intrusionem Siluerij (vt decuit) primitus improbassent, postea demum vno omnium accedente consensu, vt legitima esset electio, effecerunt: atque planè qui eijci iure mereretur intrusus, vtpote non legitimus pastor, qui aliunde & non per ostium introisset, cleri Romani tamen clementia factum est, vt eidem rursus in ouile patente ostio ingredi liceret: idque non absque nutu diuino, vt exitus declarauit. Qui igitur primò non genuinus Antistes visus omnibus esset, mox legitimus bonus pastor apparuit, & quidem talis, qui animam suam daret pro ouibus suis, atque demum summum sacerdotium quod acceperat (quod maximæ gloriæ fuit) corona martyrij insignierit, vt suo loco dicemus. Hoc satis ad ingressum Siluerij.

CLERI ROMANI DIVINITVS INSPIRATVM CONSILIVM.

Quonam

DE TEMPORE ELECTIONIS SILVERII.

Quonam autem huius anni mense vel die eiusdem Pontificis creatio contigerit, haud A quis poterit facilè definire; cùm nihil præterea, quàm quæ de ipso Anastasius habet, ab aliquo antiquorum inueniatur expressum. Dum verò ait, cessasse Agapeti Episcopatum mensem vnum atque dies viginti; neque tamen ex his certa dies definiri potest successoris electionis. Qui verò ex animi arbitrio creationis Siluerij diem apposuerunt & mensem, oportuisset in medium adducere testes, quorum ad ea definienda fuerint nisi auctoritate: ceterùm nobis religio, absque digna maiorum testificatione quicquam vt indubitatum asserere. Simulac igitur auditus est obitus Agapeti Romæ, vim illam quam nuper diximus Theodatus Rex Ecclesiæ intulit: sed qui refragatus primò est clerus, in eius electionem (vt dictum est) tandem ipsi consensit: sed quonam mense, quotáve ea fuerit dies, haud liquidò constare potest, dum (quod demonstrauimus) & Agapeti obitus certa dies penitus ignoretur. Sed nec colligi potest ex tempore, quo Siluerius & sedisse & obijsse dicitur, nempe B qui ab Anastasio ponitur sedisse annum vnum, menses quinque & dies vndecim, obijsse verò diem vigesimaprima mensis Maij: nam ea ratione dicendus esset creatus Pontifex hoc anno, die decima mensis Decembris: Verùm cùm idem vacasse sedem Agapeti nonnisi mensem vnum & dies vigintiocto affirmet; constet verò ex Actis Synodalibus recitatis, eumdem Agapetum hoc anno defunctum ante tempus Synodi Constantinopolitanæ sub Menna, quæ cœpta est hoc anno, sexto Nonas Maias: quæ ab Anastasio dicta sunt, sponte corruunt.

Ceterùm Liberatus, qui his temporibus vixit, & Breuiarium historiæ suæ scribebat, vbi de Siluerij electione agit, nihil penitus de vi illata clero ob intrusionem Siluerij meminit, sed hæc tantùm ait[a]: De Agapeti decessu audiens Romana ciuitas, Siluerium subdiaconum Hormisdæ quondam Papæ filium (*haud dubium ex legitimo matrimonio antè susceptum, aliàs enim ad tantæ dignitatis gradum prorsus fuisset inhabilis*) C elegit ordinandum.

[a] *Liber. d'Ac. in Breu. c. 22.*

QVAE MACHINATA SIT AVGVSTA CONTRA SILVERIVM PRO VIGILIO.

Augusta verò vocans Vigilium Agapeti diaconum, profiteri sibi secretò ab eo flagitauit, vt si Papa fieret, tolleret Synodum, & scriberet Theodosio *Alexandrino Episcopo hæretico*, Anthimo, & Seuero, & per epistolam suam eorum firmaret fidem; promittens dare ei præceptum ad Belisarium vt Papa ordinaretur, & dari centenaria septem. Lubenter ergo suscepit Vigilius promissum eius amore Episcopatus & auri: & facta professione, Romam profectus est, vbi veniens inuenit Siluerium Papam ordinatum. Quin & Rauennæ reperit Belisarium in eadem vrbe sedentem, camque obtinentem.] hæc Liberatus de electione Siluerij & conatu Vigilij, quem accersitum oportuit post obitum Agapeti Constantinopolim, vbi cùm esset, ea cum ipso sacrilega femina molita est. At Liberatus nihil penitus de violentia Theodati, nec de collata ipsi à Siluerio pecunia, vt Pontifex crearetur. quod quidem D crimen neque verisimile fit, dum illud ipsum Siluerius Vigilio sedis suæ inuasori in libello sententiæ, quem de ipsius damnatione conscripsit, potenter obijciat: quod haud puto adeò liberè facere potuisse, si eiusdem ipse reus criminis extitisset. At de Siluerij electione satis: petamus modò Gallias.

AVRELIANENSE CONCIL. SECVNDVM

Hoc anno, qui numeratur vigesimus secundus Childeberti Francorum Regis (decimoquarto enim anno post quingentesimum hic cum fratribus, defuncto Clodoueo parente, regnare cœpit) celebrata est in Gallijs secunda Synodus Aurelianensis, cui interfuerunt Episcopi triginta, licet per vicarios suos nonnulli. Inter eos autem plures fuerunt sanctitate celebres, vt de quo inferiùs dicturi sumus, Gallus Aruernensis, Eleutherius Antisidorensis, Lauto Constantinensis, Paternus Abricensis; licet pro Paterno, Perpetuus legatur. horum omnium memoria est in Romano Martyrologio certis diebus, quibus eorum dies natales E celebrantur. Interfuit & Iniuriosus magni nominis Episcopus Turonensis[b]. Extant eius Synodi canones vigintiduo, inter quos qui numeratur quartusdecimus de oblationibus defunctorum, hæc habet: Oblationem defunctorum, qui in aliquo crimine fuerint interempti, recipi debere censemus, si tamen non ipsi sibi mortem probentur proprijs manibus intulisse] quorum tantummodo desperanda salus esset. Quibus videas, haud facilè consueuisse maiores negare defunctis gratiam, quam suffragijs Fidelium eisdem impartire Ecclesia soleret.

[b] *Greg. Turo. lib. 10. c. 31.*

IESV CHRISTI ANNVS 537. SILVERII PAP. ANNVS 1. IVSTINIANI IMP. 11. VITIGIS REG. 1.

A QVi sequitur annus Christi quingentesimus trigesimus septimus, post Belisarij Consulatum secundus, ponitur idem à Procopio secundus belli Gothici, & vndecimus Iustiniani Imperatoris: quo (vt idem testatur auctor [a]) Belisarius Romam cogitãs, primùm omnium Neapolim sibi obuiam munitissimam in Campania ciuitatem, post duram viginti dierum obsidionem, in deditionem accepit, humanissimeq; (si Procopio credimus) tractauit: Belisarij enim erga Neapolitanos clementia ab eodem Procopio commendatur. Verùm à maioribus inuenimus traditum, eumdem Belisarium, ob nimiam cædẽ ibidem perpetratam, à Siluerio Romano Pontifice, cùm Roma potitus est, acriter fuisse reprehensum,
B & pœnitentiam agere compulsum, vt auctor Miscellæ testatur [b], omnino diuersa ab ijs quæ à Procopio enarrantur: quem consulas rem fusiùs prosequentem.

[a] *Procop. de bello Goth. lib. 1.*

NEAPOLIS CAPTA A BELISARIO.

[b] *Paul. diac. histor. lib. 16.*

Amissione igitur tanti præsidij, quod vnicum intercedebat medium petentibus Vrbem, magnopere consternati sunt Gothi, deq; salute sua penitus iam desperare cœperunt, eoque magis, quòd sub Rege essent positi omnium ignauissimo, immo & de proditione suspecto, quòd viderent eum tanti præsidij iacturæ nullam prorsus habuisse rationem, neque de nobilissimæ vrbis excidio vel minimum quidem curasse, cùm potuisset Gothorum conflato exercitu illi suppetias ferre, & anteuertere tantam cladem. Quamobrem eius è medio tol-
VITIGES REX GOTHORVM.
C lendi consilia inter se inire cœperunt, quod & citiùs perfecere: nam hoc eodem anno ab ipsis nouo creato Rege Vitige, interemptus est, cùm regnasset annos tres, vt Procopius tradit, qui rem gestam fusiùs narrat, aitque pertæsos Gothos ignauiæ sui Regis non modò nihil de bellico apparatu in tanto rerum discrimine meditantis, sed de rebus euenturis sciscitantis malis artibus Iudæum quemdam magum, statim Vitigem Ducem exercitus antea è Dalmatia euocatum, virum strenuum, bellicis sudoribus vbique spectatum, Regem acclamasse. Cùm eius rei perculsus nuncio Theodatus, ex Vrbe profugus, Rauennam versus dum abiret, præuentus à militibus à Vitige missis occiditur. Tunc Romam cum suis
THEODATVS OCCISVS.
Rex nouus progressus, filium Theodati Regis nomine Theodegiscl um coniecit in carcerem. Interea verò, quò sibi agentes vbique Gothos redderet, vt Regi, in omnibus obsequentes, publicas omnibus ad omnes Gothos litteras dedit, scriptas ipsas quidem à Cassiodoro fungente Præfectura Prætorij, ab eodemque inter ceteras suas Varias aggregatas; quæ sic se habent [c]:

[c] *Cassiod. Variar. lib. 10. epist. 31.*

Vniuersis Gothis Vitigis * Rex.

* Vitiges

VITIGIS REGIS EPIST. AD GOTHOS.

D Quamuis omnis prouectus ad Diuinitatis est munera referendus, nec aliquid constat bonum, nisi quod ab ipsa dignoscitur esse collatum: tamen quam maximè causa regiæ dignitatis supernis est applicanda iudicijs: quia ipse nihilominus ordinauit, cui suos populos parere cognoscit. Vnde auctori nostro gratias humillima satisfactione referentes, indicamus, parentes nostros Gothos inter procinctuales gladios, more maiorum scutorum suppositio, regalem nobis contulisse, præstante Deo, dignitatem: vt honorem arma darent, cui bella opinionem pepererant. Non enim in cubilibus angustis, sed in campis latè patentibus electum me esse noueritis: nec inter blandientium delicata colloquia, sed tubis concrepantibus sum quæsitus: vt tali fremitu concitatus desiderio virtutis ingenitæ Regem sibi Martium Geticus populus inueniret. Quamdiu enim fortes viri inter bella feruentia nutriti Principem ferre poterant non probatum, vt de eius fama laboraret, quamuis de propria vir-
E tute præsumeret? Necesse est enim, talem de cunctis opinionem currere, qualem gens meruit habere rectorem. Nam sicut audire potuistis, parentum periculis euocatus aduenera m communem cum omnibus subire fortunam: sed illi Ducem me sibi esse non passi sunt, qui exercitatum Regem quærere videbantur.

Quapropter primùm diuinæ gratiæ, deinde Gothorum fauete iudicijs: quia me Regem omnes facitis, qui vnanimiter vota confertis. Deponite nunc damnorum metum: dispendiorum suspiciones abijcite: nihil sub nobis asperum formidetis. Amare nouimus viros fortes, qui sæpiùs bella peregimus. Additur, quòd vnicuique virtutum vestrarum testis assisto. Ab alio enim mihi non est opus facta vestra narrari: quia omnia vobiscum laboribus sociatus agnoui. Amici * Gothorũ nulla promissionum mearũ varietate frangendi sunt. Ad gen- * Arma
tis vtilitatem respiciet omne quod agimus: priuatim nec vos amabimus. Hoc sequi promittimus, quod ornet regium nomen. Postremò nostrum per omnia pollicemur Imperium,

quale

quale Gothos habere deceat post inclytum Theodoricum: vir ad regni curas singulariter A & pulchrè compositus: vt meritò vnusquisque Principum tantum præclarus intelligatur, quantum consilia ipsius amare dignoscitur. Idcirco parens ipsius debet credi, qui eius facta potuerit imitari. Et ideo pro regni nostri vtilitate estote soliciti, de interna conuersatione, Deo adiuuante, securi.] hactenus Vitiges ad suos Gothos, quos omnes in Theodatum infensos reddidit sibi maximè obsequentes.

CONCILIVM VITIGIS RECEDENDI AB VRBE.

At verò Belisario victori ad tempus cedere coactus est, impossibile sentiens contra fluminis impetum niti posse: haud enim satis virium nouo Regi, resistere Iustiniano Imperatori, qui per Belisarium regnum inuasum iam magna ex parte possidebat, quiq; tot tantisque ex Vuandalico bello victorijs posset quibuscumque videri tremendus. Quamobrem haud sibi tutum putauit Romæ consistere, & à Belisario obsideri, seq; ac suos in discrimen adduci. Sic igitur commonefactis (vt ait Procopius) ipso Siluerio Romano Pontifice atque vniuerso Senatu, vt Gothis de omnibus benemeritis fideles persisterent, relicto Vrbi præsidio quatuor millium selectissimorum Gothorum militum sub Duce Leudere, ipse cum ceteris ad reparandas vires & res componendas profectus est Rauennam. Vbi cùm esset, statim legationem ad suos qui in Gallia erant Gothos mittit, & ad Francos, vt eos sibi belli socios iungeret, sicq; tum ex suis tum etiam ex socijs exercitum compararet, quo rediens posset occurrere Belisario, & cum eo collatis signis de rerum summa decernere. Mittens autem legatum ad Reges Francorum, dat in mandatis, vt illis Gallias cedat, & pecuniam à Theodato pactam persoluat, vt sic illos his beneficijs obligaret. B

VITIGES EXERCITVM COMPARAT.

Interea verò veriti Romani ne paterentur quæ passi erant Neapolitani: suadente (vt ait Procopius) Romano Pontifice, sese Belisario dedere; missoq; qui eum vocaret, nuncio, vno eodemq; die per Asinariam portam ingressus est idem cum exercitu Belisarius, & ex aduersa egressi sunt Gothi Rauennam ituri. Potitus igitur Vrbe Belisarius, tamquam victoriæ insignia claues portarum Constantinopolim misit, vinctumque Leuderem Ducem Gothorum, qui capi potiùs quàm cum alijs fugam capere decreuisset. Quibus peractis, idem Belisarius in reparandis Vrbis mœnibus egregiam operam nauat. C

QVO TEMPORE CAPTA VRBS.

Quonam mense anni huius, quotóve eius die capta à Belisario Vrbs fuerit, Procopius quidem rem tantam silentio præterijt, Euagrius[a] verò his verbis notam facit: Ciuitas itaque Belisario sine pugna tradita est, & Roma denuo Romanis subijcitur post annos sexaginta, quibus à Gothis * occupata fuisset, nono die Apellei, hoc est, ad quintum Idus Decembris, vndecimo anno Imperij Iustiniani.] hæc Euagrius, eademq; Nicephorus[b]. Anastasius verò in Siluerio tradit, quarto Idus eiusdem mensis Decembris Belisarium esse Vrbem ingressum, anno autem ex quo ab Erulis capta est sexagesimo expleto, ex quo verò à Gothis possessa[c], anno trigesimoquarto. D

[a] *Euag. lib. 4. c. 18.*
* Erulis
[b] *Niceph. lib. 17. c. 13.*
[c] *Miscel. lib. 16.*

Inter hæc Vitiges non prætermittit tentare animũ Imperatoris, si ad pacem eũ perducere posset; decernitq; ad eum legatos, quibus has literas à Cassiodoro[d] conscriptas tradidit:

[d] *Cassiod. Var. lib. 10. epist. 31.*

VITIGIS LITTERAE AD IMP.

Quanta sit nobis, clementissime Imperator, gratiæ vestræ votiua suauitas, hinc omnino datur intelligi, vt post grauissimas læsiones & tãta effusione sanguinis perpetratas, sic videamur pacem vestram quærere, tamquam nos nemo vestrorum putetur antè læsisse. Pertulimus talia, qualia & ipsos offendere possunt, qui fecerunt insecutiones sine reatu, odium sine culpa, damna sine debitis. Et ne pro paruitate sui negligi potuisset, non in prouincijs tãtùm, sed in ipso rerum capite, *nempe Roma*, probatur inflictum. Æstimate quos dolores abijcimus, vt vestram iustitiam reperire possimus. Talis res effecta est, quam mundus loquatur: quæ sic à vobis meretur componi, vt æquitatem vestram generalitas debeat admirari. Nam si vindicta Regis Theodati * quæritur, mereor diligi: Si commendatio diuæ memoriæ Amalasunthæ Reginæ prę oculis habetur, eius debet filia cogitari, quam iussis vestrorum omnium perducere decuisset ad regnum, vt cunctæ gentes potuissent agnoscere vicissitudinem vos gratiæ tanto pignori reddidisse. E

* Theobaldi Theodobaldi

Illud etenim vos debuit permouere, quòd distributione mirabili ante regni fastigia * inuicem nos Diuinitas vestram fecit habere notitiam, vt amoris causam tribueret, quibus aspectus gratiam contulisset. Quali enim reuerentia Principem colere potui, quem adhuc in illa positum fortuna suspexi? Sed potestis & nunc omnia reintegrare quæ facta sunt: quando non est difficile illum in affectu retinere, qui gratiam constat desideráter expetere. Et ideo salutantes clementiam vestram honorificentia competenti, indicamus nos legatos nostros illum atque illum ad serenitatis vestræ sapientiam destinasse, vt omnia more vestro cogitetis:

* fastidia

A cogitetis: quatenus vtrique Respublicæ restaurata concordia perseuerent; & quod temporibus retro Principum laudabili opinione fundatum est, sub vestro magis Imperio diuinis auxilijs augeatur. Reliqua verò per legatos prædictos serenitati vestræ verbo insinuanda commisimus, vt & aliqua epistolaris breuitas stringeret, & causas nostras suggerentes pleniùs intimarent.] hactenus ad Iustinianum Vitiges: qui quod ait de filia Amalasunthæ; tradit Procopius, eumdem Vitigem, vbi Rauennam peruenit, eam ibi asseruatam matrimonio sibi, inuitam licet, coniunxisse, vt ita sanguinis regij vel ex coniugis saltem parte regnum ipsum minimè expers esset. Extant & tres aliæ Vitigis[a] epistolæ occasione eiusdem legationis ad diuersos datæ. At verò nihil hac legatione actum esse, declararunt euenta, cùm non pax eam secuta sit, sed bella maximo apparatu comparata, vt docent quæ suo loco dicturi sumus anno sequenti.

[a] *Cassiod. eod lib. 10. epist. 33. 34. 35.*

B Quæ verò acta esse hoc tempore memoria digna narrantur, cùm contigit Gothorum profectio ex Latio Romaq; concito gradu Rauennam; hîc minimè prætermittenda putamus, quæ probè sibi cognita S. Gregorius in Dialogis refert, atque in primis de S. Bonifacio Ferentinæ ciuitatis Episcopo, cuius complura præclara gesta vbi recensuit, hæc de Gothis habet[b]: Alio quoque tempore duo ad eum Gothi hospitalitatis gratia venerunt, qui Rauennam se festinare professi sunt: quibus ipse paruum vas ligneum vino plenum manu sua præbuit, quod fortasse in prandio itineris habere potuissent. Ex quo illi, quousque Rauennam venirent, biberunt. Gothi autē aliquantis diebus in eadem ciuitate morati sunt; & vinum quod à sancto viro acceperant, quotidie in vsu habuerunt. Sicq. vsque ad eumdem venerabilem ferentes reuersi sunt, vt nullo die cessarent bibere, & tamen vinum eis ex illo vasculo numquam deesset; ac si in illo vase ligneo, quod Episcopus eis dederat, vinum nō augeretur, sed nasceretur.] hæc de his Gregorius. Porrò si hæc in ista festinatione Gothorum contigerunt, cùm illi mense Decembri è Latio Romaq; Rauennā profecti sunt, reuersi verò ad obsidionem Vrbis mense Martio; ingens planè istud oportuit fuisse miraculum.

DE GOTHIS RAVENNAM FESTINANTIBVS.

[b] *Greg. dial. lib. 1. c. 9.*

Sed quid idem sanctus Gregorius[c] his ipsis temporibus factum à Fortunato Tudertinæ ciuitatis Episcopo tradat, accipe: Quadam (inquit) die Gothi iuxta Tudertinam ciuitatem venerunt, qui ad partes Rauennæ properabant, & duos paruulos puerulos de possessione abstulerant, quæ possessio præfatæ Tudertinæ ciuitati subiacebat. Hoc cùm viro sanctissimo Fortunato nunciatum fuisset, protinus misit, atque eosdem Gothos ad se vocari fecit. Quos blando sermone alloquens, eorum priùs studuit asperitatem placare; ac pòst intulit, dicens: Quale vultis pretium dabo; & puerulos quos abstuliſtis, reddite; mihiq; hoc gratiæ vestræ munus præbete. Tunc is qui prior eorum esse videbatur, respondit dicens:

[c] *Greg. dial. lib. 1. c. 10.*

QVID S. FORTVNATVS CVM GOTHO PERVICACE.

D Quicquid aliud præcipis, facere parati sumus: nam istos paruulos nullatenus reddemus. Cui venerandus vir blandè minatus dicit: Contristas me, fili, & non audis patrem tuum. Noli me contristare; nam non expedit tibi. Sed idem Gothus in cordis sui feritate permanens, negando discessit.

Die verò altera digressurus, rursus ad Episcopum venit: quem ijsdem verbis pro dictis puerulis iterum Episcopus rogauit. Cumq; ad reddēdum nullo modo consentire voluisset, contristatus Episcopus dixit: Scio quia tibi non expedit, quòd me contristato discedis. Quę Gothus verba despiciens, ad hospitium reuersus, eosdem pueros, de quibus agebatur, equis superimpositos cum suis hominibus præmisit: ipse verò statim ascendens equum, subsecutus est. Cumq; in eadem ciuitate ante beati Petri Apostoli Ecclesiam venisset, equi eius pes lapsus est: qui cum eo corruit, & eius coxa mox fracta est, ita vt in duabus partibus os esset

GOTHVS DIVINAM SENSIT VINDICTAM.

E diuisum: leuatusq; in manibus, reductus est ad hospitiū. Qui festinus misit, & pueros quos præmiserat reduxit, & viro Fortunato venerabili mandauit, dicens: Rogo te, Pater, mitte ad me diaconum tuum. Cuius diaconus cùm ad iacentem veniſſet, pueros quos redditurum se Episcopo omnino negauerat, ad medium deduxit, eosq; diacono illius reddidit dicens: Vade, & dic domino meo Episcopo: Quia maledixisti mihi, ecce percussus sum: sed pueros, quos quæsisti, recipe; & pro me, rogo, intercede. Susceptos itaque puerulos diaconus ad Episcopum reduxit: cui benedictam aquam venerabilis Fortunatus statim dedit, dicens: Vade citiùs, & eam super iacentis corpus proijce. Perrexit itaque diaconus, atque ad Gothum introgressus, benedictam aquam super membra illius aspersit.

Vide aquæ benedictæ vsum atque virtutem, quam subdit his verbis: Res mira & vehementer stupenda: mox vt aqua benedicta Gothi coxam contigit, ita omnis fractura solidata est & saluti pristinæ coxa restituta, vt hora eadem de lecto surgeret, & ascenso equo iter

VSVS ET VIRTVS AQVAE BENEDICTAE.

ageret,ac si nullam vmquam læsionem corporis pertulisset. Factumq; est,vt qui sancto viro Fortunato pueros cum pretio reddere obediẽtię subiectus noluit,eos sine pretio pœna subactus donaret.] hæc Gregorius,quæ se accepisse testatur à sene, ciue Tudertino, viro fideli. plura alia præterea narrat de eodem viro sanctissimo Fortunato, cuius virtus miraculorum exuberans etiam in Gothos Arianos largè aquæ benedictæ aspersione manauit, quam Nouatores infelicissimi,Arianisq; deteriores contemnunt. Floruerunt his temporibus inter tot Italiæ clades viri sanctissimi, quorum pluribus in locis idem sanctus Gregorius in Dialogis meminit,nosq; opportunè,se offerente occasione,suis locis mentionem habebimus. Iam verò ad res Orientalis Ecclesiæ narrandas orationem conuertamus. A

EXVLAT PAVLVS. SVBSTITVITVR ZOILVS.

Hoc anno Paulus Episcopus Alexandrinus Orthodoxus incautè agens, homicidij reus constitutus atque damnatus,in exilium eijcitur,subrogato in locum ipsius Zoilo. Hæc autem quomodo se habuerint,quàm diligenter prosecutus est Liberatus [a], qui de ipso hæc ait post eius electionem: Accepit ab Imperatore potestatem super ordinationem Ducum & Tribunorum, vt remoueret hæreticos, & pro eis Orthodoxos ordinaret: per illos enim populi inualescebant. Qui Alexandriam descendens,timore sui,suaq; industria addixerat suscipere Concilium Chalcedonense, nisi interuentu diaboli talis emersisset causa. Cogitante Paulo Episcopo remouere Eliam Magistrum militum, Psoius diaconus quidam & Oeconomus Ecclesiæ,amicus Eliæ,per portitores litterarũ velocissimos pedestres (quos Ægyptij Simacos vocant) omnia volumina Pauli scribebat. Contigit autem Paulum inuenire litteras eius Ægyptiacè scriptas,& legere:& timens quod de Proterio contigerat, solicitus de eo factus est,& cœpit Psoium cõpellere facere rationes Ecclesiæ: quem tradidit Iudici, & Imperatori de eo retulit. Eo tempore apud Alexandriam Rhodo erat Augustalis, qui eum accipiens custodiendum vsque ad Imperatoris præceptum,consilio cuiusdam prioris ciuitatis nomine Arsenij,acceptis muneribus,inscio (vt fertur) Episcopo, clã nocte totis viribus eum magno cruciatu occidit. Cuius filij & affines Imperatorem interpellantes, suggesserunt ei, quia vi eorum parens debitum mortis persoluisset. Quod audiẽs Imperator, vocauit Liberium & fecit eum Augustalem, misitq; eum Alexandriam inquirere causam. Ad quam vrbem Liberius cùm veniisset, Rhodonem ad se venire iussit, & ab eo requirebat, quomodo occidisset diaconum. Ille verò respondit,iussione Episcopi factum fuisse: habere se Imperatoris delegationem,aiebat,vt quicquid iuberet Episcopus,modis omnibus impleret. Sed negante Paulo Episcopo,& se nescire clamante,prior ille ciuitatis Arsenius homicidij illius auctor inuentus,morte mulctatus est. Porrò Episcopo Paulo Gazam in exilium misso, Rhodo cum gestis de eo Actis directus est Constantinopolim. Cuius Gesta cùm intra Palatium legerentur Principi: iussit eum duci,& foras regiam ciuitatem occidi. B C D

[a] *Liber diac. in Breuic.23.*

DAMNATVR PAVLVS EPISC. ALEXAND.

Et post hæc misit Imperator Pelagium diaconum & Apocrisarium primæ sedis Romanę Antiochiam cum Sacris suis, quibus præcepit vt cum Euphemio * eiusdem vrbis Episcopo & Petrus Hierosolymita & Hippatius Ephesinus venirent Gazam, & Paulo Episcopo pallium auferrent & deponerent. Pelagius verò profectus Antiochiam & inde Hierosolymam, cum memoratis Patriarchis & aliquantis Episcopis venit Gazam, & auferentes Paulo pallium,deposuerunt eum,& ordinauerunt pro eo Zoilum, quem postea Imperator deposuit, & Apollinarem ordinauit,qui nunc est Præsul ipsius Alexandrinæ Ecclesię.] hæc Liberatus. Ceterùm Zoili condemnationem post annos sex contigisse,ex numero annorum sedis eius à Nicephoro posito,dicere opus est Sed non prætermittamus referre quæ sub eodem Paulo Alexandrino Episcopo accidisse admiratione digna apud Sophronium habes [b]:

* Ephræmio

[b] *Prat. Spirit. c.207.*

Narrauit (inquit) nobis Abbas Theonas & Theodorus, quòd Alexandriæ sub Paulo Patriarcha puella quædam relicta fuerat pupilla à parentibus magna facultate locupletibus. Erat autem adhuc sine baptismo. Die verò quadam ingressa pomarium,quod sibi reliquerant parentes eius (sunt enim in medio ciuitatis pomaria) vidit quemdam parantem sibi laqueum,vt se præfocaret. Cucurrit igitur,& dixit ei: Quid facis,homo? Dixit autem ei: Dimitte me,mulier,quoniam in multa tribulatione sum. Quæ ait: Dic mihi causam,& fortassis adiuuare te potero. Dixit illi: Graui ære alieno premor,& valde suffocor à creditoribus: elegiq; potius semel vitam finire,quàm quotidie mori. Quæ dixit illi: Quæso te,accipe omnia quæ habeo,& redde: tantùm ne perdas te ipsum. Sumens verò ille, reddidit omnia. Puella ergo angustiari cœpit,non habens qui sibi curam gereret: itaque destituta parentum solatio,fornicari instituit,& inde sibi victum quærere. Dicebant ergo viri illi sancti Theonas & Theodorus,*admirantes scilicet:* Quis nouit ista,nisi solus Deus,quomodo scilicet permittatur E

A tatur anima propter causam aliquam ipsi soli cognitam ad tempus derelinqui? Post aliquantum verò temporis infirmata est puella, & in se conuersa compuncta est, orauitque Pontificem, vt faceret illam Christianam. Omnes autem aspernabantur eam, dicentes: Quis hanc suscipiat, quæ meretrix est? Affligebatur autem vehementer. Cùm verò in his esset angustijs, astitit illi Angelus in specie hominis cum quo misericordiam fecerat. Cui illa dixit: Cupio fieri Christiana, & nemo vult pro me loqui. Qui ait: Numquid re vera istud cupis? Respondit illa: Vtique, domine, & deprecor te vt hoc mihi impertias. Qui ait: Noli tristari. Ego adducam aliquos qui te accipiant. Adduxit ergo alios duos & ipsos sanctos Angelos. Duxeruntq; illam ad ecclesiam. Rursusque se ipsos transformantes in personas quasdam illustres & notas in ordine Augustalium, vocant clericos, presbyterum scilicet & diaconum, qui in hoc ipsum constituti erant. PVELLA MISERICORS MISERICORDIAM CONSECVTA.

Dicunt eis clerici: Vestra charitas pro ea pollicetur? Illi autem respondérunt: Etiam. nos
B pro illa pollicemur. Sumentes ergo illam, baptizauerunt: & albis induta, rursus ab eis subuecta est. Quam cùm deposuissent, euanuerunt. Vicini ergo cùm illam ita albis indutam viderent: postquam recesserunt illi, dicunt ei: Quis te baptizauit? Nunciauit autem eis rem totam, dicens: Venerunt quidam & tulerunt me in ecclesiam, locutique sunt clericis, & baptizauerunt me. Et dixerunt ad illam: Qui sunt illi? Cùm verò non posset dicere qui essent illi: abeuntes nunciauerunt Episcopo. Dixit autem Episcopus his qui ad baptizandum constituti erant. Et confessi sunt se illam baptizasse, exoratos ab illo & illo Augustalibus. Porrò accersitis ex Prætorio his quos clerici dixerant, dixit Episcopus: Num ipsi ista fideiussistis? Qui dixerunt: Neque nouimus, neque conscij sumus nos hoc fecisse. Tunc verò iam cogitauit Episcopus, Dei hoc esse opus. Conuocansque illam, dixit ei: Dic mihi, filia, quid gessisti boni? Quæ ait: Meretrix existens & paupercula, quid boni facere potui? Dixit illi Epi-
C scopus: Nihil omnino operata es? Dixit: Non, nisi quòd videns quemdam qui à creditoribus premebatur, se suffocare volentem, data illi omni substantia mea, liberaui eum. Et his dictis, continuò obdormiuit in Domino. Tunc Episcopus glorificans Dominum, dixit: Iustus es, Domine, & rectum iudicium tuum.] hucusque auctor, non absque probatorum virorum testificatione hæc asserens. Quod ad Zoilum pertinet Episcopum Alexandrinum, testatur Agathio Papa in epistola ad Imperatores Constantinum, Heraclium & Tiberium, ad eumdem Zoilum scriptum fuisse à Iustiniano Imperatore edictum pro fide Catholica, aduersus Acephalos: quod exscriptum idem Agatho Papa ad dictos Augustos misit: caremus nos eo, neque vsquam inuenimus, cuius saltem hîc meminisse oportuit.

Quod verò ad reliqua quæ sunt anni huius spectat, dicere minime prætermittimus, reperiri hoc anno editas complures Iustiniani Imperatoris constitutiones: est inter alias illa
D data Kalendis Septembris[a], qua in cunctis monumentis publicis apponi voluit nomen Imperatoris, Consulum, & Indictionis, de qua ad confirmandam temporis rationem superiùs egimus: aliæ[b] item de permutandis Ecclesiasticis rebus: insuper ne etiam aliquid soluatur pro admittendis clericis in ecclesiam[c]: item qua vetuit in priuatis domibus sacra[d] fieri: & aliæ[e] ad funera defunctorum constitutiones spectantes: quas cunctas tu, lector, otiosiùs consulere poteris: nos hîc imponimus anni huius rerum gestarum finem.

[a] *Nouel. 47.*
[b] *Nouel. 54. 55.*
[c] *Nouel 56.*
[d] *Nouel. 58.*
[e] *Nouel 49. 59. 60. & Iup. Nouel. 13. c. 49.*

IESV CHRISTI ANNVS 538. SILVERII PAP. ANNVS 2. IVSTINIANI IMP. 12. VITIGIS REG. 2.

E

CONsulibus Ioanne atque Volusiano aperitur annus Domini quingentesimus trigesimusoctauus, idemque à Procopio numeratus annus tertius belli Gothici in Italia: quo Vitiges Gothorum Rex, reuocatis in Italiam Gothis qui apud Francos erant, comparato exercitu (vt auctor est Procopius) centum & quinquaginta millium militum, aduersus Belisarium veniens, Romam mense Martio obsidere cœpit. quæ autem crebrò inter vtramque partem sint conflata certamina, iterati conflictus, & quàm in multis prudentia & bellica fortitudo Belisarij emituerit, eumdem exactè cuncta narrantem Procopium consule. Sat nobis pauca quædam ab instituto haud abhorrentia, sed maxime congrua hic inserere, quæ ad pietatem spectare posse pius quisque censebit, vt cùm hæc ait de mœnium custodia[f]:

VRBS A VITIGE OBSESSA.

[f] *Procop. de bello Goth. lib. 1.*

Inter hanc portam, *nempe Flaminiam*, & alteram ad dexteram huic proximam portulam, A porta alia est quæ Pinciana vocatur. Huic proximi muri pars quædam, lapidum laxata iampridem compagine, seiuncta spectatur, nõ solùm à solo, sed à medio ad summum fastigium scissa, nec sanè collapsa, nec aliàs resoluta, sed vtrinque sic inclinauit, vt cetero muro extrinsecus partim prominentior esse appareat, partim retractior. Hanc muri partem cùm demoliri tunc primùm Belisarius niteretur, & iteratò ædificare cœpisset: obstitere Romani, Petrum Apostolum pro indubitato se comperisse, asseuerantes, eius loci tuendi pollicitum curam se suscepturum. Quod vtique Romanis ex voto succesſit: quandoquidem nec eo die quo per Gothos sunt mœnia oppugnata, nec per omne id tempus quo Vrbem obsederant barbari, hostilis vis vlla ad hunc locum peruenit, nec planè vmquam eodem tumultuatum. Et sanè me admiratio subit, nec Romanis, nec hostibus ipsis in ea tam diutina Vrbis obsidione in memoriam venisse muri hanc partem. Quæ res cùm miraculi postea loco sit habita, B nec sarcire quidem in posterum quisquam, nec de integro restituere ausus est, sed ad hunc diem ea è regione seiunctus permanet murus.] hucusque Procopius. Cernitur vsque hodie ipse paries ab alio diuisus, & quasi iamiam casurus deorsum inclinatus: vt qui nesciat, timeat illac pertransire. Extant & ibi proximè venerandæ imagines, indices veteris eiusdem loci sacri cultus.

MVRVS VRBIS SVB S. PETRI PROTECTIONE.

Sed illud maioris miraculi obtinet locum, quòd cùm per annum & ampliùs, Vrbe obsessa, in suburbijs moram fecerint barbari, ijdemque Ariani atque Romanæ Ecclesiæ hostes, nihil tamen contumeliæ damnive intulere ipsis Apostolorum basilicis extra Vrbem positis, sinentes illic Catholico ritu liberè sacra peragi. Audi enim de his ipsa verba Procopij [a]: Extat autem (inquit) Pauli Apostoli templum Romanis procul à mœnibus stadijs decem & quatuor, iuxta quod Tiberis fluit, vbi nullum patet munitum esse præsi- C dium: porticus tamen eodem ab Vrbe pertinens, circaque ædificia alia pleraque non satis ad inuadendum opportunum locum hunc reddunt. Patebat & Gothis ad id sacrarium via, per quos omnibus constat per id belli tempus in * neutra dedicata Apostolis æde quicquam editum, quod incolentibus vel molestius esset, vel quoquam pacto ingratum, sed sacratos ibidem viros liberè permisisse rem diuinam peragere.] hæc Procopius: quibus vehementer redarguas, exprobres, & execrationibus diris incesses recentes hæreticos diaboli faces, fæcesque hæreticorum, sacra Deo dicata vbique Sanctorum monumenta rapinis incendijsque vastantes.

[a] *Procop. de bello Goth. lib. 2.*

GOTHI VENERATI BASILICAS ORTHODOXORVM.

* id

At audi portentum, attende facinus omni execratione dignum Romæ hoc tempore perpetratum ab eo, qui se Catholicæ fidei esse cultorem præseferebat ac defensorem hactenus laudatissimum, Belisario. Pro monstro planè habitum est, vt cùm qui foris erãt barbari hostes Gothi Ariani, ne clericulum quidem iniuria damnóve affecerint, nec impedierint quò D minus Apostolis sacri ibi consistentes Deo dicati ministri diuersi ordinis clerici consuetum cultum impenderent, Apostolorumq; basilicis nec leue damnum attulerint: eodem tempore, qui intus degebat, pius, iustusq; hactenus semper visus, ab Imperatore missus expugnare barbaros, Vrbemq; ab eorum tyrannide vindicatam tueri Dux exercitus Belisarius, idem ex improuiso tyrannus apparuerit, atque sacrilegus in cathedram Petri & in vniuersam Romanam Ecclesiam, eam barbaricè tyranniceq; iniurijs damnoq; afficiens atque profanans, injiciensq; violentam manum in ipsum Romanum Pontificem, deturbans inhonestansque ipsum visibile loco Christi positum Ecclesiæ caput. Quomodo autem id acciderit, in primis Procopium [b] audi ita rem tantam paucis absoluentem:

[b] *Procop. de bello Goth. lib 1.*

THEODORA QVAE ADVERSVS SILVERIVM SIT MOLITA.

Deinde (inquit) oborta suspicione, Siluerium vrbis Romæ Pontificem defecturum ad E Gothos; hunc quidem confestim transmittit in Græciam, alterum verò quempiam illi suffecit Vigilium nomine, non secus & alios quosdam, & hos Senatorios viros.] hæc ipse: sed dolosæ fraudis iste prætextus fuit: eiusmodi enim velamento obtegebatur, quod impia Theodora (vt dictum est ex Liberato diacono) cum Vigilio ab Vrbe Constantinopolim accersito molita fuerat: nempe se effecturam, vt ipse Pontifex, expulso Siluerio, crearetur, dummodo quod spoponderat insana cupiditate flagrans ambitione Vigilius, Anthimum ab Agapeto damnatum in Constantinopolitanam sedem restitueret. Sed quæ de his paulo fusius Anastasius habeat, audiamus: Theodora vsa consilio cum Vigilio diacono, misit epistolam Romam ad Siluerium Papam rogans & obsecrans: Ne pigriteris ad nos venire: aut certe reuoca Anthimum in locum suum. Hæc cùm legisset beatus Siluerius, ingemuit, & dixit: Modò scio quia causa hæc finem vitæ meæ adducit. Sed beatissimus

Siluerius

A Siluerius fiduciam habens in Domino & beato Petro, rescripsit, dicens: Domina Augusta, ego rem istam numquam ero facturus, vt reuocem hominem hæreticum in sua nequitia damnatum. Tunc indignata Augusta misit iussiones suas ad Belisarium Patricium per Vigilium diaconum ista continentes: Vide aliquas occasiones in Siluerio Papa, & depone illum de Episcopatu, aut festinus certè transmitte eum ad me. Ecce ibi habes Vigilium Archidiaconum & Apocrisarium, nostrum charissimum, qui nobis pollicitus est, reuocare Anthimum Patriarcham. Tunc suscipiens iussionem Belisarius Patricius, ait: Ego quidem iussionem facio: sed is qui intercedit in necem Siluerij Papæ, ipse reddet rationem de factis suis Domino Iesu Christo.

Et vrgente iussione, exierunt quidam falsi testes, qui dixerunt: Quia nos multis vicibus inuenimus Siluerium Papam scripta huiusmodi mittere ad Regem Gothorum: Veni ad QVAE CALVMNIA IN SILVERIVM EXCOGITATA.
B portam quæ vocatur Asinaria iuxta Lateranas, & ciuitatem tibi trado & Belisarium Patricium. Quod audiens Belisarius, primò non credebat: sciebat enim quòd per inuidiam de eo hæc dicebantur. Sed dum multi in eadem accusatione persisterent, pertimuit. Tunc fecit Belisarius Patricius beatum Siluerium Papam venire ad se in Palatium Pincis*, & ad primum & secundum velum retinuit omnem clerum. Ingressus itaque Siluerio & Vigilio solis in Mausoleo, Antonina Patricia *Belisarij vxor* sedebat in lecto, & Belisarius Patricius sedebat ad pedes eius. Et dum vidisset eum Antonina Patricia, dixit ad eum: Dic, domine Silueri Papa, quæ fecimus tibi & Romanis, vt tu velles nos in manus Gothorum tradere? Adhuc ea loquente, ingressus subdiaconus regionarius Regionis primę tulit pallium de collo eius, & duxit eum in cubiculum, & expolians eum, induit eum monachicam vestem, & abscondit eum. Tunc Sixtus subdiaconus Regionis Sextæ videns eum iam monachũ, egressus foras, nunciauit ad clerum, dicens: Quia dominus Papa depositus est, & factus est monachus. Quod audientes, fugerunt omnes. Quem suscipiens Vigilius Archidiaconus in sua quasi fide, & misit eum in exilium ad Pontianas, & sustentauit eum pane tribulationis & aqua angustiæ.] hucusque Anastasius. * Pincij, *vel* in *Pincis*

C Sed ab his dissentit quòd ait Procopius, eum missum in Græciam; quod æquè fatetur Liberatus diaconus*. Ceterùm Anastasius, omisso exilio Orientis, de vltima deportatione Siluerij meminit, qua ex Græcia in Pontianam insulam, siue illi Proximam Palmariam dictam, contra Circeum montem positas, deportatus, ibi tandem mori coactus est. Sed & Liberatus diaconus in eo discrepat à Procopio, dum ait, id factum, vbi Belisarius esset Rauennæ, quod non contigit nisi anno sequenti, vbi soluta est obsidio Vrbis: cùm tamen Procopius disertis verbis ostendat id factum, cùm Belisarius Romæ detineretur obsessus. Sed præ- * *Liber. diac. Breuiar. c. 22*
D stat hîc reddere quæ idem Liberatus de his habet, prætermissa ab Anastasio atque Procopio: fuit & ipse huius temporis scriptor, incipiensque à Vigilio in Italiam ex Oriente reuerso, vbi cum Theodora conuenerat, Pontificatu & auro promisso: Facta (inquit) promissione, Romam profectus est, vbi inuenit Siluerium Papam ordinatũ. Quin & Rauennæ reperit Belisarium in eadem vrbe sedentem, eamque obtinentem.] hîc puto Liberatum memoria lapsum Rauennam pro Neapoli posuisse: nam vix anno quinto belli Gothici potitus est Rauenna Belisarius: sed longè antè constat Vigilium in Orientem remeasse, & quæ dicta sunt aduersus Siluerium molitum esse. Sed pergit auctor: Cui tradens præceptum Augustæ, promisit ei duo auri centenaria, si Siluerio remoto, ordinaretur ipse pro eo. Belisarius verò Romam reuersus, euocans Siluerium ad Palatium, intentabat ei calumniam, quasi Gothis scripsisset vt Romam introirent. QVANDO CONTIGIT SILVERII EXILIVM.

E Fertur enim, Marcum quemdam scholasticum, & Iulianum quemdam prætorianum fictas de nomine Siluerij composuisse litteras Regi Gothorum scriptas, ex quibus conuinceretur Siluerius Romanam velle prodere ciuitatem. Secretò autem Belisarius & eius coniunx persuadebãt Siluerio implere præceptum Augustæ, vt tolleretur Chalcedonensis Synodus, & per epistolam suam hęreticorum firmaret fidem. Qui mox de Palatio egressus, quid de eo fieret, consiliarijs suis locutus est. Et veniens contulit se in basilicam beatæ martyris Sabinæ, ibique manebat. Vbi directus est ad eum Photis* filius Antoninæ Patriciæ, & præstito sacramento, inuitauit eum venire ad Palatium. Qui autem Siluerio astabant, persuadebant ei, ne Græcorum crederet iuramentis. Ille autem exijt, & ad Palatium venit. At illa quidem die pro iuramento ad ecclesiã redire permissus est. Ad quem rursus mandauit Belisarius, vt ad Palatium veniret. Qui de ecclesia exire nolebat, dolos sibi præparatos agnoscẽs. Sed postea orans, & causam suam Domino commendans exijt, & ad Palatium venit. Cui CALVMNIATORES SILVERII PAP. * Photius

solus ingressus, à suis vlteriùs non est visus. Et alia die Belisarius, conuocatis presbyteris & diaconibus & clericis, mandauit eis, vt alium sibi Papam eligerent. Quibus dubitantibus, & nonnullis ridentibus *, fauore Belisarij ordinatus est Vigilius. Siluerius autem in exilium missus est in ciuitatem prouinciæ Lyciæ, quæ Patara dicitur.] hactenus de expulsione Siluerij & intrusione Vigilij Liberatus. A

* renitentibus

SILVERIVS EXVLMITTITVR IN LYCIAM.

Magna hæc quidem fuit horribilisq; in Ecclesia Romana tempestas à furente hæretica femina excitata, ab ambitioso diacono procurata, per Belisarium autem impiè admodum consummata in eo quidem Pilato deteriorem, dum veritus est ipse, ne feminę offensam incurreret, cuius iussa festinauit implere, cùm ille ipsum Cæsarē pertimuerit: sed (vt suo loco dicemus) luit meritas infelix pœnas; nā qui tanto patrato scelere sibi deuincire putauit per Theodoram Imperatorem, Deo vleiscente factum, vt eumdem infensissimū expertus postea fuerit aduersarium, ab eodemq; ipse, qui tot victorijs glorioſus toto conspicuus Orbi fuit, in ordinem redactus sit; exēplum posteris factus, quanto suo quis damno in Christum Domini manus violentas inijciat. Cui ob immensitatem sceleris perpetrati nec satis fuit ad veniam promerendam facti pœnitētia: nam noluit omnino Deus, licet distulerit, absque vindicta relinqui, quod tanto sacrilegio facinus horrendum ab ipso fuerat perpetratum. B

DE POENITENTIA BELISARII.

Belisarius enim post scelus admissum, in se reuersus, veluti ebrietate iam soluta, quod deliquisset ob mentis oculos iugiter habens, se ipsum erubuit, & detestatus valde, ad expiandum immane facinus, vt offensum diuinum numen conciliaret, illudq; ipsum redderet sibi propitium, mox Romæ ecclesiam erigendam curauit, cui præ foribus eiusmodi inscriptionem lapidi incidi voluit, patrati facinoris pœnitentiæ perpetuum monumentum[a]:

HANC VIR PATRICIVS VILISARIVS VRBIS AMICVS
OB CVLPAE VENIAM CONDIDIT ECCLESIAM
HANC ICCIRCO PEDEM SACRAM QVI PONIS IN AEDEM
VT MISERETVR EVM SAEPE PRECARE DEVM C

[a] *Extat Romæ in pariete eccl. Crucifer. inter Pincij montem & Quirinalem.*

IANVA HAEC EST TEMPLI DOMINO DEFENSA POTENTI]

At licet ipsa ecclesia ab eo erecta perierit, demolita fortasse à Gothis, cùm rursum potiti sunt Vrbe (vt par est credere) in odium ipsius conditoris Belisarij: ipsa tamen inscriptio adhuc integra legitur, in alterius ecclesiæ affixa pariete, vt habes notatum in margine.

Hæc quidem passus Siluerius, haud potuit esse desinere quod erat Romanus Pontifex: qui ad suum Apostolatum illa planè adiecit Apostolica signa, quibus Petrus [b] & alij gloriabantur Apostoli, quòd videlicet digni habiti essent pro nomine Iesu contumeliam pati. Ipso enim viuente, nemo iure dixerit, Vigilium verè potuisse Pontificem Maximū dici, licet in sede Petri sederit violenter intrusus: sed Siluerium ipsum legitimum Papam & quidem claritudine auctum, vtpote adijcientem ad Pontificiam dignitatem confessionis coronam, illustrantemq; ipsam palma martyrij, præter alia egregia facta complura: cùm, dum vixit, nihil remiserit, licet exul, sacerdotalis auctoritatis atque Pontificiæ maiestatis, vt quę ab eo gesta sunt, apertè declarant, de quibus agendum erit paulo pòst. Quæ autem post hęc transacta sint Romæ inter Vigilium & Belisarium, idem Liberatus enarrat his verbis [c]:

[b] *Act. 5.*

D

[c] *Liber. diac. in Breuiar. c. 22.*

TVRPITVDO VIGILII DE AVRO POLLICITO.

Post ordinationem ergo suam compellebatur Vigilius à Belisario implere promissionem suam, quam Augustæ promiserat, vt sibi redderet duo auri centenaria promissa. Vigilius autem timore Romanorum, & auaritia patrocinante, nolebat sponsiones suas implere.] hæc quidem de Vigilio iure dicta, sententia in eum lata à Sancto Siluerio Papa demonstrat, vbi habetur simoniacam labem cōtraxisse ipsum Vigilium spondendo aurum, vt Pontifex esse posset. His de Vigilio præmissis, Siluerij in Orientē deportati vestigia assectatus idem Liberatus, quæ tunc ibi facta sunt, scriptis prodidit. Accidit planè illud admirandum, vt cùm aduersus ipsum Romanum Pontificē insurrexisset qui inhærebat lateri eius diaconus ipse Vigilius; Deus excitauerit spiritum vnius ex Græcis Episcopis, qui magno sumpto animo pro eius defensione surrexerit steteritque contra Imperatorem, ipsum de sacrilegio perpetrato redarguens. Hæc quidem Liberatus diaconus habet paucis descripta his verbis:

E

Sed Siluerio veniente Pateram, venerabilis Episcopus ciuitatis ipsius venit ad Imperatorem, & iudicium Dei contestatus est de tantæ sedis Episcopi expulsione: multos dicens esse in hoc mundo Reges, & non esse vnum, sicut ille Papa est super Ecclesiam mundi totius à sua sede expulsus. Quem audiens Imperator, reuocari Romam Siluerium iussit, & de litteris illius iudicium fieri: vt si approbaretur ab ipso fuisse scriptas, in quacumque ciuitate

IVSTINIAN. RESTITVI SILVERIVM IVBET.

Episcopus

A Episcopus degeret: si autem falsæ fuissent approbatæ, restitueretur suæ sedi.] Ita quidem sentiens Iustinianus Imperator non esse cuiuslibet potestatis damnare Romanum Pontificem, quem etiam si erasse conuinceretur, Romanum tamen Episcopum, licet non Romæ, voluit permanere, ne videlicet (quod obiectum ei fuerat) ipso moliente, daretur Vrbs Gothis; sed vt alijs in locis eamdem, qua fungebatur, retineret Pontificiam dignitatem. Sed audi quid post hæc narret idem Liberatus de conatu Theodoræ Augustæ etiá Pelagium diaconum Apocrisarium impellentis, vt Siluerij reditum impediret[a]: Pelagius verò currens cum voluntate Augustæ, volebat irritum facere Imperatoris præceptum, ne Siluerius Romam reuerteretur; sed prævalente Imperatoris iussione, Siluerius ad Italiam reuersus est. Cuius aduentu territus Vigilius, ne sede pelleretur, Belisario mandauit: Trade mihi Siluerium; alioquin non possum facere quod à me exigis. Ita Siluerius traditus est duobus Vigi-
B lij defensoribus & seruis eius. Qui in Palmariam insulam adductus, sub eorum custodia defecit inedia. Vigilius autem per Antoninam Belisarij coniugem implens promissionem suam, quam Augustæ fecerat, talem scripsit epistolam.

[a] *Liber diac. in Breuiar. c. 22.*

Dominis & patribus * Vigilius:

* fratribus

Scio quidem, quia ad sanctitatem vestram antea fidei meæ credulitas, Deo adiuante, peruenit. Sed quia modò gloriosa filia mea Patricia Antonina Christianissima desideria mea facit impleri, quod fraternitati vestræ præsentia scripta transmitterem: salutans ergo vos gratia, qua nos Deo nostro Christo Saluatori coniungimur, & eam fidem quam tenetis, Deo adiuuante, & tenuisse & tenere significo; sciens quia illud inter nos prædicamus & legimus, vt & anima vna sit, & cor vnum in Deo. Profectus * mei, quia vester est, Deo adiuuante, vobis gaudia maturauit ex meo animo, sciens fraternitatem
C vestram quæ optat & libenter amplecti. Oportet ergo, vt hæc quæ vobis scribo, nullus agnoscat, sed magis tamquam suspectum hîc me sapientia vestra ante alios existimet habere, vt possim hæc quæ concepi, facilius operari & perficere. *Et subscriptio.* Orate pro nobis Deum, mihi fratres in Christo Domino nostro charitate coniuncti.] hactenus Vigilij nomine epistola scripta.

VIGILII NOMINE EPISTOLA IMPIA.

* Prouectus

Hîc, amabo te, siste paululum gradum, lector, & illud in primis considera, etiam si verè ista scripsisset Vigilius, nullum tamen ob id inferri penitus præiudicium Apostolicæ sedi, cuius tunc ipse inuasor, Siluerius autem germanus Pontifex esset. Verùm commentitiam hanc fuisse epistolam, plura sunt quæ persuadent. Si enim re vera scripsisset ista Vigilius; cur non ex ijsdem suis scriptis conuentus est, cùm de restitutione Anthimi altercatus est postea Constantinopoli cum Theodora? Rursùm si istæc ab ipso scripta sunt; cur nõ exprobrata eadem,
D cùm ipse Constantinopoli à Theodoro Episcopo Cæsariensi & Menna Constantinopolitano duriùs vexaretur, cùm vtrumque ipse Vigilius excommunicationi subiecit? Vel cur non id factum ab ipso Iustiniano Imperatore, cùm in ipsum furore accensus etiam vi agendum putauit? Cur item id tacuit ipsa Quinta Synodus in eumdem Pontificem accedere renuentem nonnihil commota? Hæc omnia publicè sunt ventilata, & publicis Actis excepta, nec tamen de dicta epistola vel nutu vsquam mentio. Neque etiam Facundus Hermianensis Episcopus in Vigilium ob Tria capitula subinfensus aliquid huiusmodi (sicut cetera) ipsi obijcere vmquam ausus apparet. Sunt verò & alia inferiùs dicenda, quibus eamdem epistolam impostura redarguas.

Sed accipe quæ his subijcit Liberatus: Sub hac (inquit) epistola Vigilius fidem suam scripsit, & resoluens tomum Papæ Leonis, sic dixit: Nos non duas naturas in Christo
E confitemur, sed ex duabus naturis compositum Deum Filium, vnum Christum, vnum Dominum. *Et iterum:* Qui dicit in Christo duas formas, vnaquaque agente cum sua communione, & non confitetur vnam personam, vnam essentiam; anathema sit. Qui dicit, quia hæc quidem miracula faciebat, hoc verò passionibus succumbebat, & non confitetur miracula & passiones vnius eiusdemq; quas sponte sua sustinuit carne nobis consubstantiali; anathema sit. Qui dicit, quòd Christus velut homo misericordia dignus est, & non dicit Deum Verbum & crucifixum esse, vt misereatur nobis; anathema sit. Anathematizamus ergo Paulum Samosatenum, Dioscorum, Theodorum, & Theodoretum, & omnes qui statuta eorum coluerunt & colunt. Et hæc Vigilius scribens hæreticis occultè, permansit sedens. In quo impletum est illud testimonium, quod Salomon in Prouerbijs dicit[b]: Edent viæ suæ fructus, & consilijs suis saturabuntur. Ab ipsa hæresi afflictus, nec coronatus, qualem vitæ terminum suscepit, notum est omnibus.] hæc Liberatus: quem rogo, quonam pacto potuit

BLASPHEMIAE VIGILII NOMINE SCRIPTAE.

[b] *Prou. 1.*

cto potuit Vigilius anathematizare Dioscorum, si cum Dioscoro Eutychianam hæresim A
prædicat? hæc enim sibi inuicem aduersantur, vt vtraque vera esse non possint.

Sed in hunc se miser statum coniecit, vt hæretica scripsisse, ab hæreticis vel fingi potuerit. Quid reliquum esse potuit salis infatuati, nisi vt conculcaretur ab omnibus, & proijceretur in hæresum sterquilinium? putorem namque contraxit hæreticæ prauitatis ex con-
VNDE VIGILII LAPSVS. suetudine inita cum hæreticis. En in quod barathrum infelicem hominem coniecit ambitio! in quantam eum insaniam & infamiam adegit gloriæ vanæ cupido! cuius causa cogatur & in ipso portu pati naufragium, in Petra petræ scandalum esse, atque in sede videri mobilem, & in fide infidelem haberi. Ita planè sententia Domini iudicatur à fide excide-
Ioan. 5. re, qui gloriæ mancipium se constituit; ipso dicente [a]: Quomodo potestis credere, si glo-
[b] 5. Ioan. 9. riam abinuicem accipitis?] & de huius simili Ioannes [b]: Diotrepes, qui amat primatum ge- B
rere in eis, non recipit nos.]

Quis non putasset Vigilium gloriæ turbine agitatum, in transuersum ferri, & in præcipitia dedi: qui diu antè iam temporibus (vt vidimus) Bonifacij, vt ab eo viuente subrogaretur in sedem, contra leges omnes Ecclesiasticas atque morem, impudens pertentasset? Ita planè pondere scelerum prægrauatus, dum sursum ascendere meditatur, deorsum vnà cum ijs & ab ijs qui in cælo principatum superbè appetiere, demergitur, eadem cum illis consilia
[c] Isa. 14. mente voluens [c]: In cælum conscendam, super astra Dei exaltabo solium meum, sedebo in monte testamenti in lateribus Aquilonis, ascendam super altitudinem nubium, similis ero Altissimo.] cum his planè appetiuit ascendere, sedemque collocare super inanium altitudinem nubium; non supra deorsum positam in fundamento stabilem petram, de qua à Domi-
[a] Matt. 16. no dictum [d]: Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi
[e] Isa. 47. non præualebunt aduersus eam.] At non est solium [e] filiæ Chaldæorum: vagetur necesse C
[f] Genes. 4. est vt Cain [f], qui intus clausum habet, quod eum agit in diuersa, peccatum: perstat econtrà stabilis & immobilis, qui super Petram solium collocauit, licet vndique vel ex inferorum spiritibus, vel Principibus huius sæculi insurgerent tempestates, ipse Siluerius sicuti verus legitimusque Petri successor: quamuis enim in insulam fuerit relegatus, factus est tamen ibi inhærens Petræ ipse durissima petra, in quam tumentes fluctus illisi, in gracilem spumam conuersi retro fracti resilire coacti sunt: immobilisque manet in Apostolico se-
[g] Prouer. 20 dens throno instar Regis [g], qui sedens in solio iudicij dissipat omne malum intuitu suo: Habito enim illic Episcoporum Concilio, in Vigilium sententiam damnationis intorquet; vt quæ inferiùs dicturi sumus, significabunt.

QVOD EA EPIST. NEGARI POSSIT ESSE VIGILII. Ceterùm quod ad Vigilium spectat; etsi complura ab eo perperam facta ipsum condemnent, vt excusari non possit, clamantibus vndique sacrilegijs: non defuerunt tamen qui Vi- D
gilij eam esse epistolam ad Theodoram inscriptam negarint, nomine verò ipsius ab aliquo Eutychiano suppositam, eoq. imperito, vt ex pluribus colligi potest. Equidem præter ea quæ dicta sunt, non Vigilij eam putamus: nam nomine Vigilij ab hæreticis scriptas fuisse litteras,
[h] Sext. Syn. Act. 15 tom. 2. Concil. Synodi Sextæ Acta testantur [h], in quibus hæc de damnatis imposturis hæreticorũ: Anathema libro qui dicitur Mennæ ad Vigilium, & qui eum finxerunt, siue scripserunt. Anathema libellis qui dicuntur facti fuisse à Vigilio ad Iustinianum & Theodoram diuæ memoriæ, & qui sunt demonstrati.] hæc ibi. Sanè quidem inscriptio recitatæ nuper epistolæ nomine Vigilij, Ad dominos, ad Iustinianum & Theodoram Augg. scriptam eam fuisse demonstrat. Sed & abhorret à consueto scribentis more, dum præter dominos, & ad Patres, eadem epistola habeatur inscripta: vt iure possit argui impostura. Etenim cùm Vigilius, expulso Siluerio, se egerit tamquam Romanũ Pontificem: quodnam vmquam extitit prędecessorum ex- E
emplum, vt ipsos Imperatores Patres nominarit Romanus Pontifex, quos potiùs filios constat solitum appellare? Vel si dicas scriptam ad Episcopos: qui nouus mos iste & penitus inusitatus, vt Romanus Pontifex coepiscopos Patres appellet & dominos? Vel si legas, Fratres: certè procul abhorret vt eosdem dicat & dominos. Præterea verò in eadem epistola à se ipso discrepat auctor, contraria simul iungens. Etenim quomodo cum Eutychete & Dioscoro negat duas in Christo naturas, & paulò inferiùs vnà cum alijs anathema Dioscoro infert? Hæc quidem cùm sibi inuicem aduersentur, augent (vt dixi) de impostura suspicionem.

Sed licet Vigilij schismatici, alienæ sedis emptoris & inuasoris (quæ negari non possunt) eam epistolam fuisse dixerimus: haud mirum videri debet, vt perditus homo addiderit ad schisma hæresim quoque. Ausus enim semel cathedram erigere cõtra cathedram & viuente pastore legitimo, nulla nisi sæcularis hominis auctoritate absque iudicij vlla forma sententia

A tentia condemnato, sedere Pontifex: quonam alio nomine, quàm lupus gregem inuadens, fur & latro non per ostium, sed aliunde in ouile ouiũ conscendens, pseudoepiscopus contra legitimum Episcopum stans, ac denique Antichristus contra Christum iure potuit appellari? Superat eiusmodi scelus quodlibet id genus antea perpetratum: cedit huic Nouati impietas, pertinacia Vrsicini, Laurentij præsumptio, ac denique aliorũ omnium schismaticorum Antistitum superbia, arrogantia, atque facinorosa temeritas: siquidem nemo, sicut iste, tanta impudentia in viuentis Pontificis sedẽ insilijt, vt talibus perfidiæ præmissis anteambulonibus sacrilegijs eam occuparit, tantoq; periculo ex pactis conuentis cum hæreticis obtinuerit; cùm eiusmodi improbo facto ianua aperta videri potuisset, per quam in Romanã Ecclesiam (proh scelus!) hæreses cum hæreticis se immitterent, atque cuncta Apostolica dogmata pessumdarent. Nullum hactenus schisma extitit, ex quo in tantã ignominiam inducta sit
B ipsa Pontificis sacrosancta maiestas, cùm datur laico homini, absque Concilio, vlloq; sacerdotum assensu damnare primæ sedis Antistitem, viq; pellere, expoliatumq; sacerdotalibus indumentis procul eijcere in exilium, & restitutum licet sententia Imperatoris, nihilominus in insulam relegare, moriq; cogere. At quomodo Apostolicæ sedi moderandæ inuigilauerit in Vigilio Dei vindicta, atque tandem iustum sanguinem vlta sit, suo loco dicturi sumus.

NVLLVM HACTENVS TVRPIVS SCHISMA.

Cùm igitur hoc anno, expulso Siluerio, ageret Vigilius Romanũ Pontificem, quantumlibet spurius, atque penitus, dum vixit Siluerius, illegitimus: quæ tamen Pontificij muneris essent, exequi minimè prætermisit. Nam inter alia respondisse reperitur hoc anno sub dictis Consulibus ad cõsultationem Eutherij Episcopi: cùm enim ad legitimum Pont. Siluerium scriptas litterãs accepisset, illo è sede electo, ipse rescripsit. Quisnam autem fuerit Eutherius ad quem scribit, & cuius ciuitatis Episcopus, licet nulla sit mentio; tamen ipsum fuisse
C Episcopum in extremis Hispaniæ oris Oceano coniunctis, vel in Lusitania, aut in Gallicia, satis possumus ex epistolæ argumento colligere: ibi namque viguisse rursum Priscillianistarum hæresim, superiùs diximus, cùm egimus de epistola S. Leonis Papæ ad Turibiũ scripta, ex qua petenda est obscurorum hîc positorum locorum elucidatio: licet habeat aliqua amplius epistola ista, ex qua quisnam fuerit huius temporis illius prouinciæ Ecclesiarum status, intelligi posse videtur. quamobrem hîc ipsam recitare, vtile iudicamus: sic enim se habet[a]:

VIGILIVS RESPONDET AD CONSVLTATIONES.

[a] *Vigil. epist. 1 tom. 1. epist. Rom. Pont.*

Dilectissimo fratri Eutherio Vigilius.

Directas ad nos tuæ charitatis epistolas, plenas Catholicæ inquisitionis solicitudine gratanter accepimus, benedicentes Dei nostri clementiã, quia tales in extremis mundi partibus dignatur suis ouibus prouidere pastores, per quos & pascuis valeant salutaribus abundare, & ab antiqui hostis rapacitate seruari, vt insidias nequeant eius subreptionis incurrere. Vnde
D certum est, quia promissæ vos beatitudinis gratia subsequatur, quãdo à vobis cælestium perfectio doctrinarũ tam votiua scisitatione perquiritur. Scriptum est enim[b]: Beati qui scrutantur testimonia eius, in toto corde exquirunt eum. Hoc igitur, frater charissime, propositum tuę consultationis tota mente tractantes, de te quoque prouenire contendimus, qui regulam Catholicæ fidei ijsdem studes tenere vestigijs, quibus eam in Apostolica fide cognoscis esse fundatam. Et quamuis sonus[c] eorum toto orbe diffusus, & vsque ad fines orbis terræ verba eorum distensa, dilectionis tuę corda Christo probauerint esse fidelia: tamẽ si quid ex his in Ecclesia, quæ tuæ gubernationi, Deo auxiliante commissa est, necdum plena luce claruerit: ad eumdem fontem, de quo illa salutaris manarat limpha, recurritis: quod debita charitate sumus amplexi: quia fiducialiter de his, vnde apud eos obseruantiam esse dixistis ambiguam, nostra voluisti responsione firmari. Quapropter dilectionem tuam in Domino
E salutantes, de singulis quid iuxta Catholicam disciplinam teneat Apostolicæ sedis auctoritas, subiectis aliquibus etiam sanctarum capitulis regularum te credimus instruendum.

[b] *Psal. 118.*

[c] *Psal. 18.*

VIGILII EPIST. AD EVTHERIVM.

Ac primùm de his quos Priscillianæ hæresis indicasti vitijs inquinari sancta & cõuenienter religioni Catholicæ eos detestatione iudicas arguendos, qui ita se sub abstinentiæ simulatæ prætextu ab escis videntur carnium submouere, vt hoc execrationis potiùs animo quàm deuotionis probentur efficere: qua in re quia nefandissimis Manichæis esse consimiles approbantur, iustè Patrum venerabilium constitutis ab hac superstitione sub anathematis sunt interminatione prohibiti, quando aliquid eiborum contagione carnium credunt esse pollutum.] & post multa, quibus ex diuinæ Scripturę sententijs eiusmodi confutat impietatem, ista mox subijcit de alio eorumdem errore:

DE PRISCILLIANISTARVM ABSTINENTIA.

De baptismo quoque solemniter adimplendo similiter quid Apostolica vel sanxerit, vel obseruet auctoritas, in subiectis tua charitas euidenter agnoscet. Illud autem nouelli esse

iudicamus

DE BAPTISMI FORMA ET GLORIFICATIONIS HYMNO.

iudicamus erroris, quod cùm in fine psalmorum ab omnibus Catholicis ex more dicatur, A Gloria Patri & Filio & Spiritui sancto; aliqui (sicut indicas) subducta vna syllaba coniunctiua, perfectum conantur minuere vocabulum Trinitatis, dicendo, Gloria Patri & Filio Spiritui sancto. Quamuis ergo ipsa nos ratio euidenter edoceat, quia subducta vna syllaba, personam Filij & Spiritus sancti vnam quodammodo esse designent: tamẽ ad errorem talium conuincendum sufficit, quod Dominus Iesus Christus designans in inuocatione Trinitatis credentium debere baptisma celebrari, dixit [a]: Ite docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti. Ergo cùm non dixerit, In nomine Patris & Filij Spiritus sancti, sed ęqualibus distinctionibus Patrem & Filium & Spiritum sanctum iusserit nominari: constat illos omnino à doctrina Dominica deuiare, qui aliquid huic voluerint confessioni derogare. Qui si in errore permanserint, socij nobis esse nõ possunt.] hæc cùm damnet Vigilius: si quis causam huius erroris indagare voluerit, consulat citatam superiori tomo B S. Leonis Papæ epistolam ad Turibium Episcopum Asturicẽsem eodem argumento, nempe contra Priscillianistas in Hispania commorantes conscriptam.

[a] *Matt. vlt.*

DE REBAPTIZATIS AB ARIANIS.

Quòd autem vna ex parte ob Priscillianistas, altera verò ob Arianos, Arianis Principibus in Hispanijs regnantibus, Hispana angustiaretur Ecclesia; Catholicis aduersus vtramque pestem fuerunt remedia conquirenda: Vigilius ista de Apostolico fonte quæ à maioribus tradita reperit (aliter enim non licere sciret) petenti propinat: De his etiam (inquit) qui baptismatis gratia salutaris accepta, apud Arianos iterum baptizati, profundæ voraginis sunt morte demersi, quid per singulos ordines vel ætates antecessorum nostrorum decreta censuerunt, quæ multiplici sunt digesta ratione, è nostro scrinio releuata capitula his subiecta direximus. In quibus tamen illud speciali charitate etiam conuenit obseruari, vt quia pro peccatis plurimis in gentibus iniquitas ipsa surrexit, in æstimatione fraternitatis tuæ, aliorumq; C Pontificum per suas diœceses relinquatur, vt si qualitas & pœnitentis deuotio fuerit approbata, indulgentiæ quoque remedio sit vicina. Quorum tamen reconciliatio non per illam impositionem manus, quæ per inuocationem Spiritus sancti fit, quæratur, sed per illam qua pœnitentiæ fructus acquiritur, & sanctæ communionis restitutio perficitur.] Vidisti Vigilium, etsi non legitimum Pontificem, legitimorum tamen inhærentem vestigijs: quod agi solitum erat: cùm enim aliqui Ecclesiam Romanam Episcopi diuersarum prouinciarum consulerent, ne vel minimùm à prædecessorum deuiarent decretis, ipsi Pontifices ipsa antiqua referabant archiua, vt quæ de eo quod quæreretur essent à maioribus responsa, cognoscerent, & illis consentientia responderent.

Post hæc autem subijcit de reparatis ecclesijs dedicandis, quando nempe solemnis deberet in eis dedicatio iterari, vel fieri reconciliatio cum Missis, vel tantùm aqua benedicta eædem fuerint conspergendæ. His addit de tempore Paschatis celebrandi his verbis: Pascha verò futurum nos, si Deus voluerit, XI. Kalend. Maiarum die celebraturos esse cognoscite.] subdit & de ordine precum, qui seruari solitus esset ab Ecclesia Romana in celebritate Missarum ex Apostolica traditione: nam ait: Ordinem quoque precum in celebritate Missarum nullo nos tempore, nulla festiuitate significamus habere diuisum, sed semper eodem tenore oblata Deo munera consecrare. Quoties verò Paschalis, aut Ascensionis Domini, vel Pentecostes, vel Epiphaniæ, Sanctorumque Dei fuerit agenda festiuitas, singula capitula diebus apta subiungimus, quibus commemorationem sanctæ solemnitatis, aut eorum facimus, quorum natalitia celebramus: cetera verò ordine consueto prosequimur. Quapropter & ipsius canonicæ precis textum direximus subter adiectum: quem, Deo propitio, ex Apostolica traditione susceptimus. Et vt charitas tua cuncta cognoscat, quibus locis aliqua E festiuitatibus apta connectes, Paschalis diei preces similiter adiecimus.] & post exhortationem ad fidem Catholicam illibatè seruandam, hæc de missis reliquijs iungit: Significatur etiam, beatorum Apostolorum, vel martyrum (sicut speramus) sancto nos affectui tuo direxisse reliquias, præsumentes fidem vestram eorum deinceps pleniùs esse meritis adiuuandam.] & post aliqua de baptismi forma corrupta in integrum restituta, de Romanę Ecclesiæ primatu vbique cognito addit hæc verba:

ROM. ECCL. RITVS EX TRADITIONE APOSTOLORVM.

ROM. ECCL. EXCELLENTIA.

Nulli vel tenuiter sentienti, vel pleniter sapienti dubium est, quòd Ecclesia Romana fundamentum & forma sit Ecclesiarum; à quo omnes Ecclesias principium sumpsisse, nemo rectè credentium ignorat. Quoniam licet omnium Apostolorum par esset electio, beato tamen Petro concessum est, vt ceteris præmineret: vnde & Cephas vocatur, quia caput est & principium omnium Apostolorum, & quod in capite præcessit, in membris sequi necesse est.

A cesse est. Quamobrem sancta Romana Ecclesia eius merito Domini voce consecrata, & sanctorum Patrum auctoritate roborata, primatum tenet omnium Ecclesiarum: ad quam tam summa Episcoporum negotia & iudicia atque querelæ, quàm & maiores Ecclesiarum quæstiones, quasi ad caput, semper referenda sunt. Nam & qui se scit alijs esse præpositum, non molestè ferat aliquem esse sibi prælatum. Ipsa namque Ecclesia, quæ prima est, ita reliquis Ecclesijs vices suas credidit largiendas, vt in partem sint vocatæ solicitudinis, nõ in plenitudinem potestatis. Vnde omnium appellantium Apostolicam sedem Episcoporum iudicia, & cunctarum maiora negotia causarum eidem sanctæ sedi reseruata esse liquet: præsertim cùm in his omnibus eius semper sit expectandum consultũ, cuius tramiti si quis obuiare tentauerit sacerdotum, causas se nõ sine honoris sui periculo apud eamdem sanctam sedem nouerit redditurum. Data Kal. Martij, Volusiano & Ioanne viris clarissimis Conss.]

B hactenus Vigilij epistola, cùm & habitum veri pastoris induit ipse, licet adhuc profanus.

Sed & hoc etiam anno sub Ioannis Consulatu, cùm idem Vigilius Pontificem gereret, consultus de iniungenda pœnitentia Theodoberto Regi Francorum ob incestuosas nuptias contractas, ad Cæsarium Arelatensem Episcopum ita rescripsit:

Dilectissimo fratri Cæsario Vigilius.

Si pro obseruatione cęlestium mandatorum Catholicæ filios Ecclesię opportunè vel importunè sacerdotes singulos decet instruere, quãto magis his qui deuotione laudabili de rebus sibi dubijs ad studium veniunt consulendi, competenti necesse est ordine respondere? Hinc est, quòd glorioſi filij nostri Regis Theodoberti interrogationẽ, qua nos per Modericum virum illustrem legatum suum credidit requirendos, duximus amplectendam: in qua gloriam suam desiderat informari, cuiusmodi pœnitentia possit illius purgare delictum, qui

C cum vxore fratris sui illicitũ prę sumpsit inire coniugium. Cui nos equidem missis affatibus, quorum tenorẽ tua fraternitas in subiectis inueniet, hoc indicare curauimus, quoniam tale commissum non parua cordis afflictione valeat expiari. Sed quia (sicut charitatem tuam benè nosse confidimus) modus pœnitentiæ præsentiũ potiùs sacerdotum inspectioni cõmittitur, vt iuxta compunctionis meritum, veniæ quoque possit indulgeri remedium: tuæ hoc potiùs æstimationi credimus relinquendum. Quapropter charitas tua, totius facti qualitate, ac pœnitentis ipsius compunctione perspecta, prædictum glorioſum Regem filium nostrum & de temporis obseruatione non omittat instruere, & ne vlteriùs tale aliquid præsumatur instanter exposcat. Illud quàm maximè præcauendum, vt ne ipse qui hoc noscitur admisisse, ad eosdem vomitus reuertatur: sed diuisis etiam habitationibus cõmanentes, ab omni suspicione commissi facinoris reddantur immunes. Dominus te incolumem cu-

D stodiat, frater charissime. Datum pridie Non. Martiarum, Ioanne V.C. Conss.] hactenus litteræ Vigilij ad S. Cæsarium, impertitæ nobis vnà cum alijs ab Ecclesia Arelatensi. Iam verò his recensitis, quid interea in Oriente in causa Origenistarum factum sit, videamus.

VIGILII PAP. EPIST. AD CAESARIVM EPIS. DE POENITENTIA THEODOBERTI REGIS FRANC.

Quem anno superiori profectum esse Pelagium Romanæ Ecclesiæ diaconum in Palæstinam, & cum Patriarchis Antiocheno ac Hierosolymitano, iuncto simul Episcopo Ephesino, Gazæ damnasse Paulum Alexandrinum Episcopum, ex Liberato diacono dictum est: idem Pelagius, his absolutis reuersurus Constantinopolim, vbi agebat Apocrisarium, interpellatus ab Orthodoxis Palæstinæ monachis aduersus Origenistas, eosdẽ secum Constantinopolim duxit. Quid autem ibi factum sit, Liberatus diaconus ita narrat [a]: Redeunte verò Pelagio Constantinopolim, monachi qui ab Hierosolymis, per quos Pelagius in Gazam transitum habuit, venerunt ad eum in Comitatu, portantes capitula de libris Origenis ex-

E cerpta, volentes agere apud Imperatorem, vt Origenes damnaretur cum illis capitulis. Igitur Pelagius æmulus existens Theodoro Cæsareæ Cappadociæ Episcopo, volens ei nocere, eo quod esset Origenis defensor, vnà cum Menna Archiepiscopo Constantinopolitano flagitabat à Principe, vt iuberet fieri, quod illi monachi supplicabant, vt Origenes damnaretur cum ipsis capitulis talia dicentibus. Annuit Imperator facillimè, gaudens se de talium causa iudicium ferre. Iubente eo, dictata est in Origenem & in illa capitula anathematis damnatio: quam subscribentes vnà cum Menna Archiepiscopo apud Constantinopolim reperti, deinde directa est Vigilio Romano Episcopo, Zoilo Alexandrino, Ephræmio Antiocheno, & Petro Hierosolymitano. quibus eam accipientibus & subscribentibus, Origenes damnatus est mortuus, qui viuens olim fuerat antè damnatus.] hactenus Liberatus. Quæ autem hæc secuta sint, paulo pòst dicturi sumus.

[a] *Liber. diac. in Brev. c. 23. prope fin.*

MONACHI PALAESTINI AGVNT VT DAMNETVR ORIGENES.

Concitatos verò fuisse eiusmodi monachos à S. Theodosio in Palęstina Archimãdrita, de

quo

SS. THEODOS. ET SABAS HOSTES ORIGENISTARVM.

quo sæpe superiùs, eius Acta significant. siquidem Cyrillus de ipso, post damnationem hæ- A
reticorum ab Agapeto Romano Pontifice factam, hæc habet: Maximè autem Theodosius
ostendebat se auersari Origenem, qui existimauit suum in hoc ponendum studium, vt di-
uinæ Apostolorum prædicationi nugas contexeret Gentilium, & luderet in rebus mi-
nimè ludicris.] hæc ipse. Sed & sanctum Sabam magnopere auersatum esse eiusmodi hęre-
ticos dictos Origenistas, suo loco superiùs diximus.

IVDICIVM IN CAVSA ORIGENIS.

Sic igitur (vt decebat rem tantam, cuius causa per multa sæcula vniuersus Christianus
exagitatus est orbis) Occidentalibus simul conuenientibus cum Orientalibus, nẽpe pro illis
Apostolicæ sedis Apocrisario Pelagio, & pro istis Menna & ipso (vt dictum est) vicẽ agente
Romani Pontificis, vnà cum alijs Orthodoxis Episcopis, qui hoc tempore Constantinopoli
sunt reperti, magnum agitatũ est de Origene iudicium, cui nec defuit maiestas Imperato-
ris: qui cùm videret omnium vnam illam esse sententiã, vt cùm erroribus suis auctor etiam B
damnaretur, iussit (vt ex Liberato diacono modo vidimus) in Origenem eiusq; decerpta ex
ipsius scriptis erroris capitula condemnationis sententiam scribi: quod & factum est.

DE SENTENTIA IN ORIGENEM LATA.

Porrò eam scriptam esse sententiã à Menna Episcopo Constantinopolitano Vicario Apo-
stolicæ sedis vnà cũ Pelagio S.R.E. diacono, nihil est quod quis reuocare possit in dubium:
sed & eidem pariter sententiæ ceteros qui reperti sunt Constantinopoli Episcopos subscri-
psisse, Liberati assertio est: quam tamẽ Imperatoris nomine (vt aliàs plerumque factum esse
videmus) quo petulantes hæretici nihili facientes Catholicæ Ecclesiæ iudicium, neque ti-
mentes anathematis ab ea solitam exerceri censuram coerceri possent, per Imperatoriam
constitutionem edendam curarunt. Eam itaque cùm tu legis, non Iustiniani legere nescien-
tis lucubrationem existima, sed Mennæ atque Pelagij id ipsum Apostolica auctoritate tra-
ctantium, & collegarum Episcoporum accedente in subscriptione cõsensu, Imperatoris ta- C
men nomine ad Mennam inscriptam, missam verò, quo omnibus nota fieret, ad Vigilium
Romam, & ad Orientalis Ecclesiæ Patriarchas, & per eos ad Metropolitanos Episcopos.

Porrò epistola ista, siue constitutio tanti ponderis, scripta contra Origenem à Iustiniano
Imp. ad Mennam, cuius meminit Liberatus, diutissimè latuit: quam ex scripto codice An-
tonij Augustini viri præstantissimi, deque Ecclesiasticis antiquitatibus optimè meriti, Ro-
mam misso ad Antonium Carafam S. R. E. Cardinalem sanè doctissimum ac maximè
pium, acceptam, hîc tibi, ne excidat rursum obliuione sepulta, primùm edendam curamus,
prolixam licet: tamen quod hactenus nusquam cusam esse sciamus, laboris suscepti mini-
mè pœnitebit; eoque magis, quòd non ignoremus & hodie non deesse qui insano quodam
Origenis amore flagrent, eumdemque conentur defendere, Æthiopem dealbantes. Opus
namque fuit Patribus ipsis prolixè confutasse errores illos, quibus miseri Origenistæ modò D
tenebantur oppressi: vt, si vellent, possent contra venena paratum antidotum adhibere: sic
enim ipsa se habet:

* Epistola *sic ipse auctor ea vocat in fine.*

* Oratio pijssimi Imperatoris Iustiniani missa ad Mennam sanctissimum ac beatissimum
Archiepiscopum vrbis Constantinopolis & Patriarcham, aduersus impium Origenem, ne-
fariasque eius sententias.

IVSTINIANI CONST. ADVERSVS ORIGENEM.

Nobis semper studio fuit, atque etiam nunc est, rectam & irreprehensibilem Christiano-
rum fidem, statumq; sanctissimum Dei Catholicæ & Apostolicæ Ecclesiæ perturbationum
expertem vsquequaque custodiri. Hæc nobis prima & antiquissima cura est, per quam &
nobis in præsenti sæculo Imperium à Deo traditum esse & conseruari credimus, & Reipu-
blicæ nostræ inimicos subdi, & in sæculo futuro misericordiam in conspectu bonitatis eius
nos adepturos speramus. Nam si humani generis hostis varias occasiones comminiscitur, E
quibus hominum animas studet lædere: Dei tamen humanitas illius improbitatem & ma-
litiam frangens atque euacuans, aduersarioq; redarguens, gregem suum damnum accipere
aut dissipari non permittit. Hæc autem à nobis ideo dicta sunt, quòd ad nos allatũ est, non-
nullos Dei metum in animo non habentes, nec rectæ doctrinæ discrimen tenentes, quo
saluatur quicumque veritatem cognoscit, relictis diuinis Scripturis, sanctisq; Patribus, quos
Catholica Dei Ecclesia doctores habet, per quos omnis vbique hæresis expulsa est, fides ve-
rò Orthodoxa declarata: Origenem, eiusq; dogmata Paganorum & Arianorum & Mani-
chæorum erroribus affinia asserere, per quæ ille in foueam incidit.

AVCTOR HAERESIS ARII ORIGENES.

Qui eiusmodi sunt, quomodo possint in Christianis numerari, eum tuentes hominem,
qui ea quæ Pagani, Manichæi, Ariani sentiunt, tradere studuit? Qui ante omnia in ipsam
sanctam & consubstantialem Trinitatẽ blasphemias ausus est dicere, Patrem maiorem esse
Filio,

A Filio, Filium sancto Spiritu, sanctum Spiritum alijs spiritibus. Porrò hoc ad impietatem suam addidit, vt diceret nec posse Filium Patrem videre, nec Spiritum sanctum Filium: Ipsum Filium & Spiritum sanctum creaturas esse: quodq. nos sumus ad Filium, Filium esse ad Patrem. Ad suas autem blasphemias hoc quoque adiũxit in primo sermone Periarchon his verbis sic dicens: In principio quod cogitatur, tantùm numerum voluntate sua intelligibilium substantiarum constituit Deus, quantus poterat perdurare. Dicendum enim, finitam esse Dei potentiam: nec sub obtentu laudis ac bonorum verborum tollenda eius circumscriptio est. Etenim si infinita sit diuina potentia, necesse est eam nec se ipsam quidem intelligere. Natura enim infinitum comprehendi non potest. Tanta igitur fecit, quanta poterat apprehendere & sub manu habere & sub prouidentia sua continere: quemadmodum & tantam materiam apparauit, quantam regere, distinguere, ac exornare poterat.

B An vllam maiorem potuisset Origenes in Deum blasphemiam proferre? qui & in sancta Trinitate gradus excogitans, inde vult multitudinem deorum inducere; ac ipsam Dei potentiam circumscriptam esse, monstruosè asserit. Hoc verò omni impietate plenum eius fabulositatis est dicere, omnia genera, speciesq; coæternas esse Deo: quodq; rationabilia, quæ peccarunt, ac propterea de statu suo exciderunt, pro proportione suorũ peccatorum supplicij causa in corpora iniecta sunt: ac expurgata rursum afferuntur in pristinum statum, omni deposita malitia: iterumq; ac tertium & compluries diuersis ad pœnam inijciuntur corporibus. Ponit porrò diuersos constitisse & constare mundos tum præteritos, tum futuros. Et quisnam adeò fatuus est, vt hæc audiens, animo non exhorrescat propter summam impietatem? Quis non execretur insanum Origenem, qui huiusmodi finxerit ac scriptis mandarit in Deum blasphemias? quas vt omnibus Christianis interdictas, manifestaq; habentes

C impietatis argumenta, superuacaneum duximus refutatione dignari.

ORIGENIS INSANIAE ATQVE BLASPHEMIAE.

Quare si hæretici omnes ob vnius forsitan aut alterius dogmatis peruersitatem è sanctissima Ecclesia sunt eiecti, subditiq; anathemati cum suis dogmatibus: quis prorsus Christianorum sustinebit Origenem, eiusque praua scripta tueri, qui tot blasphemias dixerit, omnibusque ferè hæreticis tantam exitij ac blasphemiæ materiem præbuerit, ac idcirco pridem à sanctis Patribus anathemati subiectus sit vnà cum sceleratis eius dogmatibus? Nam quamuis concedat quis, Deo repugnantem Origenem ex veridica doctrina (quod & apud alios hæreticos inuenitur) aliquid expressisse * in improbis suis scriptis: ea ipsius propria non est, sed sanctæ Dei Ecclesiæ: atque hoc ille malitiosè in simpliciorum fraudem molitus est. Nam in Paganorum commentis enutritus, eaque propagare in animo habens, diuinas se vtique Scripturas interpretari simulauit: vt hoc modo nefariam doctrinam suam

D sacrarum litterarum monumentis malignè admiscens, Paganicum & Manichæicum errorem suum atque Arianam vesaniam induceret; eosque qui sacram Scripturam non accuratè percepissent, inescare posset.

ORIGENES QVAE SVNT PAGANORVM INTVLIT IN ECCLESIAM.

* dispersisse

Quid enim aliud exposuit Origenes, quàm Platonis, qui Paganorum insaniam dilatarat, doctrinam? Aut à quo alio Arius mutuatus propria venena concinnauit, qui in exitium animæ suæ in sancta & consubstantiali Trinitate gradus excogitauit? An hîc à Manichæo abest, qui animas hominum dicit propter peccata corporibus ad supplicium immitti? Quique primùm quidem mentes & sanctas virtutes fuisse asserat, deinde contemplationis diuinæ satietatem cepisse, ac in deterius conuersas idcirco à Dei amore refriguisse; sicq; Græco nomine appellatas ψυχὰς supplicij causa corporibus esse inditas. quod vel solum ad eius damnationem satis erat, cùm à Paganorum ortum sit impietate. Cùm enim dixerit Deus: Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram: ex eius vanis sermonibus inuenitur solum corpus absque anima ad imaginem & similitudinem Dei factum esse; si omnino præexistebat anima, & facto corpore, in id iniecta est, aut in id tamquam in vas immissa: ac necesse erit dicere, ipsum Deum opificem hominis esse, vtpote qui corpus ad imaginem & similitudinem suam fecerit. Quomodo autem corpus imago incorporei esse possit? Quamobrem absit, vt his Christiani assentiantur.

E PLATONIS SCHOLA ET A MANICHAEIS ORIGENES PLVRA.

Si verò iuxta Origenis blasphemiam animæ præexistebant, ac in pœnam peccatorum suorum in corpora demissa sunt, vt emendatæ resipiscerent: eas oportebat ampliùs nõ peccare. Nam si in supplicium datum est animæ corpus propter peccata, vt doloribus emendaretur ad glorificandum Deum; quomodo eam adiuuat ad peccandum & corroborat corpus atque id * quod puniendo est? Vincula enim, carceres, compedes, ac (vt breuiter dicam) omnia huiusmodi, iniurias & peccata eorum cohibent, quibus imponitur pœna; nec vt qui

DE PRAEEXISTENTIA ANIMARVM ERROR ORIGENIS.

* ad id quod puniendũ est

peccarit ampliùs peccet, vincula ei adduntur quæ ad peccandum adiuuent, ſed vt vinculorum cruciatu peccare deſiſtat. Quare perſpicuum eſt, non ad ſuperiorum peccatorum caſtigationem (vt illi nugantur) corporibus immiſſas eſſe animas; ſed ſimul Deum & corpus & animam, id eſt, perfectum hominem fabricatum eſſe. Itaque eorum quæ per corpus nobis geſta ſunt, ſiue bonorum, ſiue malorum, retributionem expectamus. Hoc enim nobis tradit diuinus Apoſtolus Paulus, dicens: Omnes enim nos manifeſtari oportet ante tribunal Chriſti, vt referat vnuſquiſque propria corporis, prout geſſit, ſiue bonum, ſiue malum. Attendenda ergo ſunt Apoſtoli verba: nec enim dixit, Oportet recipere eum qui iudicatur, prout geſſit ante corpus. Si verò ob ea ſola quæ per corpus homo geſſit, ab eo qui terram iudicat, vel pœna afficitur, vel præmio, nullaque mentio fit antè admiſſorum peccatorum: perſpicuum eſt animas ante corpora non eſſe: ſi enim præexiſterent, dixiſſet Apoſtolus, Geſta tum per corpus, tum ante corpus. A B

REDARGVITVR DEMENTIA ORIGENIS.

Animas verò hominum intelligentia & ratione vti, in confeſſo eſt: quod ne eos quidem negare putamus qui tuentur Origenem. Dicant igitur qui cum Origene ſentiunt animę ipſorum: ſi quidē (vt aſſeuerant) ante corpus fuerunt, quo in ordine, aut quid agebant? Oportuit enim eas ſi antè erant, ſcire quo loco eſſent, aut quomodo huc adueniſſent. Si hoc nulla ratione poſſunt dicere (nam id verum non eſt) apertum eſt eos fabulas dicere. At fortaſſe dicant, animas, poſtquam corpora ingreſſæ ſunt, tum diſcernere poſſe & cognoſcere quæ à ſe geruntur. Si hoc dicent; ex eorum inani diſputatione efficitur, vt corpus plus pretij atque honoris quàm anima habeat, quod ei in beneficij loco det intelligentiam & rationem: atqui hoc aſſerere, plenum dementiæ eſt atque abſurditatis. Cur verò ſi anima (vt aiunt) antè fuit quàm corpus, diſciplina indiget poſtquàm in corpus venit, paulatimque inſtituitur, & ad meliora perfectioraque progreditur? nam ſi antè exiſteret, vtilia vtique cognoſceret, nec vlla egeret doctrina: nec vtpote in cognitione verſans, cura & diligentia eruditur. Ac ſi quid ſit offendere ſciebat; non edoceretur quod antè ſciuiſſet. Iam verò ſi edoceretur, vt in ignoratione verſans, priùs neſciebat: ſi non præſciuit, antè non fuit: verùm enimuerò numquam antea fuit. C

HOMINIS VERA ORIGO.

Ortus enim noſtri ſolus Deus in cauſa eſt: vt nos cùm non eſſemus fecit, ſic natos gratia manuque propria tuetur ac ſalutat, ſi digni ac idonei perhibeamur. Nam Deus, qui dixit: Faciamus hominem ad imaginem noſtrā & ſimilitudinem: vtraque ſimul fecit, id eſt, corpus plaſmauit, & animam intelligentem & rationalem creauit: vnà enim & effinxit corpus, & animam immiſit, perfectum hominem exhibens: neque enim homo corpus eſt ſine anima, nec anima ſine corpore. Si enim anima præexiſtebat (vt delirat Origenes) cuius rei gratia ſanctiſſimus Propheta Zacharias dixit [a]: Figens ſpiritum hominis in eo? Iam verò cùm dicit Propheta, Figens, oſtendit, vt corpus, ſic animam non præexiſtētia Deum propria virtute & bonitate feciſſe. Quòd igitur homo (ſicut dictum eſt) ad imaginem & ſimilitudinem Dei ſit factus, dignatuſq. inſpiratione diuina: inde perſpicuum eſt, non ſolùm intelligentem & rationalem animam, ſed etiam immortalem eſſe creatam, vt omnibus ijs quæ in terra facta ſunt, imperaret. Hoc eſt enim quod à Theologo Gregorio dictum eſt, à Deo eſſe, & diuinam, ac ſupernæ nobilitatis participem: non vt nonnulli autumant ac dicunt, diuinæ ſubſtantiæ animam eſſe, ſed inſpiratione Dei factam, gratiamq; natam ab eo, vt intelligēs eſſet & rationalis & immortalis, nec vnà cum corpore moreretur more irrationabilium animalium, ſed per gratiā participaret ſupernę nobilitatis, id eſt, immortalitatis. His teſtimonium perhibet ſanctus Ioannes Conſtantinopoleos Patriarcha in vndecimo ſermone in Creationem; ſic enim ait: Et inſufflauit (inquit) in faciem eius ſpiritum vitæ, & fuit homo in animam viuentem. Hęc nonnulli imperiti homines proprijs cogitationibus moti, ac nihil Deo decens in mente habentes, nec condeſcenſionem verborum reputantes, dicere audent, è Dei ſubſtantia eſſe animam. O inſaniam! ô dementiam! Atque hæc quidem, Pater, de argumento propoſito. D E

[a] Zach. 12.

VNIVERSI CREATIO VT SIT FACTA.

Conſidera autem de alijs omnibus in terra factis dixiſſe Deum: Fiat, &, Educat terra: & factum eſt. De homine autem dicit: Faciamus: non ſolùm Faciamus, ſed, Ad imaginem & ſimilitudinem noſtram. Et ſumens puluerem de terra, proprijs manibus hominem finxit, & inſufflauit in faciem eius ſpiritum vitæ, & factus eſt homo in animam viuentem. Ex his igitur perſpici poteſt, vt Deus hominem faceret honorabiliorem ac pretioſiorem omnibus alijs quæ in terra ſunt creaturis: alia quidem omnia fecit verbo: Dixit & facta ſunt: hominem verò (ſicut dictum eſt) proprijs ipſe manibus iuxta diuinam Scripturam fecit.

A fecit. Quęcumque autem ab eo in terra facta sunt, subdidit homini, qui sexto factus est die: vt omnibus terrenis creaturis iam factis ac ipsi præparatis dominaretur ipse Dominatoris sui obediens imperio.

Hoc & nos docet S. Theologus Gregorius in oratione in Nouam Dominicam. sic enim dicit: Ita aliquid primùm in diebus numeratur & secundum & tertiũ ac deinceps vsque ad septimam diem, qua requies fuit ab operibus: quibus diebus dispertiũtur ea quæ fiunt ineffabili ratione disposita, nec confertim edita, Verbo rerum omnium potente, cuius & cogitare & dicere, ré ipsam est præstare. Quòd si postremus homo designatus est, isq; manu Dei & imagine honoratus: nihil mirum: ei enim tamquam Regi oportuit priùs regiam aulam subsistere, ac deinde Regem induci, omnium iam quasi satellitio stipatum ac munitum. Quamobrem si ex Gregorij Theologi doctrina vltimus homo est designatus, isq; Dei ma-
B nu & imagine honoratus, ac omnia à Deo ei præparata sunt, ac ei tamquam Regi priùs subsunt palatia, sicque à Deo introductus est omnium iam stipatus obsequio: quomodo dicunt qui iuxta Origenẽ desipiunt, præexistentes animas propter peccata in corpora dimitti, priùs commissa luituras? Contra enim S. Gregorius postremum omnium hominem factum esse dicit & à Deo honoratum, & ijs omnibus quæ in terra sunt, dominari: quod sanè pœna non est, sed singularis prouidentiæ ac beneficij significatio.

Theologo porrò Gregorio consentit S. Ioannis Constantinopoleos Patriarchæ doctrina in vndecimo sermone de Creatione. sic enim dicit: At fortasse dicat aliquis: Cur nam, si anima pretiosior est corpore, quod inferius est prius sit, ac demum quod maius est ac nobilius? An non vides, dilecte, in ipsa creatione idem hoc factum esse? Quemadmodum enim cælum & terra & Sol & Luna, ceteraque omnia fabricata sunt, ac postremum homo, cui eo-
C rum imperium mandandum fuerat: sic in plasmatione hominis priùs formatur corpus, tum anima, quæ honorabilior est. Nam vt expertia rationis, quæ ad vtilitatem & obsequium parabantur, ante hominẽ extitere, vt parata ministeria haberet, qui futurus erat eorum commodis frui: ita corpus ante animam fabricatum est, vt cùm iuxta occultam Dei sapientiam anima induceretur, propria officia posset motu corporis exequi. Atque hæc satis ad ostendendum audientibus nos vbique eadem sentire & dicere, quæ Patres, qui animarum præexistentiam tollunt.

ET PATRVM SENTENTIIS ASSERITVR VERITAS.

Præterea cùm sancta Scriptura de Adam atque Eua dicat: Benedixit eos Deus, & dixit: Crescite & multiplicamini, & replete terram & dominamini ei: quomodo igitur, si animæ antiquiores fuere corporibus, futurũ fuit vt crescerent ac multiplicarentur, quæ antè (iuxta eorum fabulas) erant? Et quomodo habebat Deus benedicere animas iam in peccata lapsas
D ad crescendum & multiplicandum? Animæ enim peccatis contaminatæ maledictione potiùs quàm benedictione dignæ erant. Ac si animæ præexistebant, & iuxta Origenis fabulas in alio erãt ordine: quamobrem solum Adam plasmauit Deus? An verò Adam anima tum sola peccarat, ac propterea vnum corpus à Deo fabricatum? Si enim antea aliæ animæ fuerant, alia corpora simul fabricari oportuit, quæ susciperent animas. Et quomodo peccatrix (vt eorum est ratio) anima supplicij causa in corpus coniecta in paradisum deliciarum à Deo posita est? Nam si vt pœnas penderet, in corpus esset missa: non in illo paradiso, sed in supplicij loco collocaretur. Tantopere verò dilexit hominem Deus, quem postremum fabricauerat, vt cùm ille trãsgressus esset datum sibi præceptum, ac idcirco à paradiso esset expulsus: crescente hominum genere, gliscẽte peccato, quòd cogitatio hominis ad deteriora prauo studio incumberet: figmentum suum Deus, vtpote bonus non neglexit, sed multimodis
E reprehendit & castigauit, sicut sancta Scriptura significat.

EX DIVINA SCRIPTVRA ERROR REDARGVITVR.

Postquam verò ob grauiores morbos maiore medicina indiguimus: ipsum Vnigenitum Dei Verbum, vnius, id est, vna persona sanctæ Trinitatis propter benignitatem suam homo fit, manens Deus, nec diuina sua substantia in humanam conuersa, nec humana in diuinam mutata, vnusque est ac idem in vtraque natura, in ijsq; inconfuse atque indiuisè cognoscitur. Manens enim quod erat, factum est quod non erat; mortemque nobis debitam ex transgressionis damnatione & propria carne suscipiens, æterna nos morte liberauit, primitię dormientium factus, ac primogenitus resurgens ex mortuis, consuscitauit nos & consedere fecit in cælestibus, quemadmodum nos docet traditio Apostolica. Quamuis enim à principio humana natura propter inobedientiam priuata paradiso est: tamen (vt est dictum) Vnigenitus Dei Filius propter multam charitatem suam, qua dilexit nos, naturã nostram suæ vniens indiuisè secundùm substantiam in vtero sanctæ glorioſæ semperq; Vir-

DE VERBI INCARNATIONE DOCTRINA.

ginis Mariæ,maiori nos dignatus est gratia,gratificatus nobis regnum cælorum. Atque his A
testimoniũ perhibet sanctus Ioannes Constantinopoleos Patriarcha in sermone de Ascensione, sic dicens: Qui terra indigni extiteramus,sumus & in cælum subuecti. Qui ne inferiore quidem imperio fueramus digni,ad regnum supernum conscendimus,supergressi cælos,regiumque solium adepti. Natura,propter quam Cherubim paradisum custodiebat,ipsa supra Cherubim hodie sedet.

Quamobrem demonstratum est, animas non (vt Origenes nugatur) in cælis priùs fuisse, ac deinde in corpora missas,vt perpetratorum peccatorum pœnas exoluerent;sed contrà in
CVR HOMO CREATVS. terra fabricatam vniuersam naturam humanam , bonitate ac benignitate diuina cælos adeptam esse: vt qui homines mandatum Dei custodirent ac implerent, Angelorum in cælis conuersatione digni haberentur, quos in terra imitari per confessionem in Deum iussi sumus. Nam cùm vellet Deus propter inenarrabilem bonitatem suam,sicut in cælis à sanctis B
virtutibus glorificatur, ita in terra glorificari ab hominibus: fabricatus est hominem , alterum Angelum in terris, vt Dei gloria omnia complerentur. Itaque Dominus dans nobis orandi præceptum, dicit: Pater noster,qui es in cælis, sanctificetur nomen tuum,adueniat regnum tuum, fiat voluntas tua sicut in cælo & in terra.

EX GREGORIO NAZ. TESTIMONIVM. Cum his porrò quæ à nobis dicta sunt,conueniunt quę sanctus Gregorius Theologus docet in sermone de sancto Paschate: sic enim dicit: Cùm hanc rem Verbum artifex demonstrare vellet,etiam animal ex vtrisque,natura videlicet visibili & inuisibili, hominem fabricatur;sumptoq; corpore è materia quę antè subsistebat,ac à se ipso vitam * indens,quod vtique animum intelligẽtem & imaginem Dei esse ratio nouit,veluti quemdam alterũ mundum,in paruo magnum constituit in terra,alium Angelum,promiscuum adoratorem,contemplatorem visibilis naturæ,studiosumq; eius, quæ tota mente comprehenditur. Quare C
attendendum est,Patrem hunc,cùm diceret,Deum ex vtrisque fecisse hominem, addidisse, è priùs subsistenti materia corpus sumptum; non dixisse verò,priùs extitisse animam,nec ex vlla substantia natam quæ antè existeret; sed Deum per se ipsum vitam indidisse , quod animam esse intelligentem & Dei imaginem nouit ratio. Quod autem dicit Pater,Deum fecisse hominem in terra superno obstrictum imperio,euertit eorum rationem, qui ad pœnam animas immissas corporibus dicunt. Nam in terra regnare,soliusq; Dei teneri imperio, non in supplicij loco ducendum est, sed in magno beneficio ac munere Dei.

* visum

Ad hæc illud nobis necessariò dicendum existimamus in eos qui præexistentiam asserunt: Si verum esset priùs animas esse quàm corpora: cognoscerent ac recordarentur quæ antè gessissent , quàm in corpora venirent: quemadmodum post obitum sciunt & norunt quæ in corporibus egere . Demonstrabimus autem animam post discessum è vita cognoscere quæ gessit , ex ipsis Euangelij verbis: dicit enim Dominus noster & Saluator Christus in Euangelio secundùm Lucam, in periocha Lazari & diuitis[a]: Homo quidam erat diues, & induebatur purpura & bysso, & epulabatur quotidie splendidè. Et erat quidam mendicus nomine Lazarus, qui iacebat ante ianuam eius, vlceribus plenus, cupiens saturari de micis quæ cadebant de mensa diuitis: sed & canes veniebant & lingebant vlcera eius. Factum est autem, vt moreretur mendicus, & portaretur ab Angelis in sinum Abrahæ. Mortuus est autem & diues, & sepultus est: in inferno autem eleuans oculos suos, cùm esset in tormentis, vidit Abraham à longè & Lazarum in sinu eius. Et ipse clamans dixit: Pater Abraham, miserere mei, & mitte Lazarum qui intingat extremum digiti sui in aquam, & refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma. Et dixit illi Abraham: Fili, recordare quia recepisti bona in vita E
tua,& Lazarus similiter mala: nunc autem hic consolatur, tu verò cruciaris: & in his omnibus inter nos & vos magnum chaos firmatum est: vt si qui velint hinc transire ad vos, non possint neque inde huc transmeare. Et ait: rogo te, Pater, vt mittas eum in domum patris mei: habeo enim quinque fratres: vt testetur illis, ne & ipsi veniant in hunc locum tormentorum. Quamobrem pudeat eos qui tuentur Origenem, vel ex sancti Euangelij verbis. Si enim animæ antequam corpora fuissent, cognoscerent ea quæ ante corpus fecissent, quemadmodum post migrationem è vita reminiscuntur ea quæ in corpore gesserunt: hoc enim è verbis Euangelij didicimus.

[a] *Luc.16.* EX PARABOLA DE LAZARO ET EPVLONE ARGVITVR ORIGENES.

Quod autem & sancti Patres sequentes inspiratas diuinitus Scripturas talem doctrinam condemnarunt vnà cum Origene,qui ea commentus est; iam quidem ex ijs quæ sancti Patres dixerunt, aperte ostendimus: nihilo tamen secius & ex insequentibus Patrum testimonijs

A monijs sumus demonstraturi. Ac primùm sanctum Petrum, qui Episcopus Alexandriæ & martyr fuit, præponemus, testimonium nobis his sermonibus perhibentem:

Sancti Petri Episcopi Alexandrini & martyris ex primo sermone.

Quod nec præextitit anima, nec cùm peccasset, propterea in corpus missa est: diximus quædam de primo è terra terreno homine proponenda, vt demonstretur vnum & eumdem in tempore esse factum, quamuis particulariter nonnumquam interior & exterior homo dicatur. Nam etsi secundùm salutarem sermonem qui interiora fecit, exteriora quoque fecit; tamen semel & eodem tempore, id est, ea die, cùm dixit Deus: Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram. Ex quo perspicuum est, non ex congressu, quasi aliquid aliud antecesserit & ex alio loco venerit, factum esse. Nam si congressus fuit, quamobrem scriptum est quod iam factum fuerat? Et post alia: Itaque non capit, ante B corpora in cælo peccare animas, quæ prorsus nec ante corpora quidem substiterunt. hæc enim doctrina à Paganorum philosophia est, quæ peregrina est, & ab ijs aliena qui pie in Christo volunt viuere. PETRI MARTYRIS TESTIMONIVM

Eiusdem in Mystagogia, quam fecit ad Ecclesiam, cùm martyrij coronam suscepturus esset.

Propterea obsecro, vigilate: Afflictionem enim rursus adituri estis. Scitis quot subierit pericula qui me enutriuit pater meus & Episcopus Theonas, ab ijs qui in idola insanirent: in cuius ego sedem successi, vtinam etiam in mores. Scitis vt magnus se gesserit Dionysius, qui se è locis in loca abdebat, cùm insuper Sabellius affligeret. Quid porrò dicam Heraclam & Demetrium beatos Episcopos? quales tentationes sustinuerunt ab insano Origene, cùm ipse dissidia in Ecclesia sereret, quæ ad hanc vsque diem ei turbas excitauerunt? An igitur turpe est aliquem benè sentientium ijs aduersari, quæ in Origenem dicta sunt à sancto marty- C re & Episcopo Alexandriæ Petro, qui egregium pro Christo certamen suscipiens, non solùm Origenem, sceleratamque eius doctrinam abdicauit, sed etiam testificatur, sanctos qui ante ipsum fuerunt Patres multas sustinuisse tentationes ab illius dementia?

Dixit quoque sanctus Athanasius, qui & ipse Episcopus fuit Alexandriæ, in sermone de beati Antonij vita: Quomodo nos irridere audetis, qui dicamus Christum hominem manifestatum esse: cùm & vos dementem animam esse definientes, eam errasse dicatis, ac de apside cæli in corpus descendisse? Attendant qui audiunt, sanctum Athanasium ijs apertè aduersari, qui mentem præexistere dicunt, & ex ea animam ortam, peccando se contaminasse, ac è cæli conuexo in corpus descendisse. ATHANASII TESTIMONIVM IN VITA S. ANTONII.

Eiusdem sancti Athanasij è sermone secundo contra Arianos.

Omnis creatura aspectabilis in sex diebus facta est: ac primo quidem die lux, quam vo- D cauit diem, secundo autem firmamentum, tertio collectis aquis ostendit aridam, variosque in ea produxit fructus, quarto fecit cælum & Lunam, omnemque stellarum chorum, quinto maris natatilium, aerisque volatilium generationem condidit, sexto fecit in terra quadrupedes, ac de cetero hominem, qui ex anima rationali est & corpore. Ac inuisibilia eius à creatione mundi per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur, ac neque lux est vt nox, neque Sol vt Luna, neque irrationabilia vt homo rationabilis est, neque Angeli sicut Throni, neque hi vt Potestates: sed creaturæ quidem omnes sunt, vnumquodque autem eorum quæ orta sunt secundùm genus in propria substantia, vt factum est, perstitit ac manet. Ecce sanctus quoque Athanasius tradit, post omnes creaturas Deum fecisse hominem ex corpore & anima intelligente ac rationali. Neque enim dixit corpus post omnia factum esse, vt præexistens anima in id ingrederetur: sed dixit, post omnes creaturas hominem esse fa- E ctum, qui ex anima rationali est & corpore: ostendens vtraque, id est, corpus & animam Deum simul fabricatum esse.

Quoniam autem Origenes ad ceteras blasphemias hoc adiunxit, Domini animam priùs extitisse, eiq. Deum Verbum esse vnitũ antequam è Virgine incarnaretur: hoc deliramentum euertens ipse sanctus Athanasius in epistola ad Epictetũ, sic dicit: Meritò sese damnabunt omnes qui existimant ante Mariam esse carnem quæ ex ea est, ac ante eam habuisse animam humanam Deum Verbum, ac in ea ante aduentum semper fuisse. Quare si ex ijs quæ à sancto Athanasio dicta sunt, anima Domini nostri Iesu Christi, qui per omnia nobis similis factus est absque peccato, non fuit ante eius in carne aduentum: qualis insanię est dicere alias hominum animas ante corpora esse? DE CHRISTI ANIMA DELIRIVM ORIGENIS.

Audiamus præterea sanctum Basilium in sermone in illud, In principio erat Verbum & Verbum erat apud Deum, ita dicentem: Vide ne quando te vocis ambiguitas fallat. EX S. BASILIO TESTIMONIVM.

Quomodo enim in principio erat humana ratio, cùm homo deorsum principium generationis acceperit? Ante hominem fuere bestiæ, ante hominem iumenta, reptilia tum terrestria, tum aquatilia, volatilia cæli, stellæ, Sol, Luna, herba, terra, mare, cælum. Ecce Pater apertè nobis denunciat, ne Origenis fabulis de animarum præexistentia inducamur. Docet enim nos, non in principio fuisse humanam rationem, id est, animam; sed apertè clamat, omnibus Dei creaturis ortum hominis posteriorem esse. Si ergo creaturæ omnes ante hominem, qui est anima & corpus, dicit omnia fuisse: ex hoc ostenditur simul vtrumque fabricatum esse. A

EX GREGORIO NYSSENO.

Dicit autem sanctus Gregorius Episcopus Nyssæ in disputatione de homine: Ac fortasse alienum non est à disputationis nostræ proposito, id expendere, quod in Ecclesijs de anima & corpore controuersum est. Nonnullis enim qui ante nos fuerunt placet ijs qui περὶ ἀρχῶν disseruerunt, animas veluti quemdam populum in propria vrbe antè substitisse, B atque ibi proposita esse exempla tum virtutis, tum malitiæ; eamque animam quæ in virtute atque honestate permanserit, congressum & conflictationem corporis minimè experiri: si verò à boni participatione defluxerit, hanc in vitam delabi, sicque esse in corpore. Alij attendentes ex Moyse condendi hominis ordinem, animam corpori secundam tempore esse dicunt: quandoquidem primùm Deus limum è terra sumens, finxit hominem, ac eum deinde inspiratione animauit. Ac paulo pòst: Qui primam rationem tuentur, & animarum quasi ciuitatem antiquiorem vita corporea asserunt, non mihi videntur carere Paganorum fabulis, quæ de metempsychosi proditæ sunt. Si quis enim subtiliter examinet, compertet necessariò rationem eorum deuolui. Aiunt quemdam sectæ suæ prudentium dixisse, & virum fuisse se, & muliebre corpus induisse, & subuolasse cum auibus, & fuisse arbusculam, & aquatilem vitam sortitum. Non longè, meo quidem iudicio, à vero discedit, C qui hæc de se affirmat: verè enim ranarum aut graculorum garrulo strepitu, vel irrationabilitate piscium, vel arborum insensibilitate eiusmodi disciplina digna est, quæ tot res permeare vnam animam dicat. Harum autem ineptiarum hæc causa est, quòd præexistere animas opinio sit. Consequenter enim talis doctrinæ principium ad affinia & ad adiuncta progrediens, hucusque commenta sua propagat. Nam si per vitia animus è sublimiori vita abstractus homo fit; ac si in confesso est vitam corpoream passionibus magis obnoxiam esse, quàm æternam ac incorpoream: necesse est animam in hac vita degentem, in qua plures facultates ad peccandum suppetunt, in pluribus versari vitijs, magisque passionibus affici. Animæ autem humanæ passio similitudo est ad irrationabilia: huic ergo vitæ deuincta anima, in bestiarum naturam delabetur, ac semel vitia ingressa, inque irrationabilitate versans, D nullum finem ad malitiam progrediendi faciet: vbi enim malitia sistitur, succedit impetus ad virtutem. Atqui virtus in irrationabilibus nulla est: in deterius ergo necessariò mutabitur, assiduè ad peiora turpioraque progrediens, eiusque naturæ, in qua est, deteriora quæque semper comminiscens.

FABVLAE GENTILIVM DE HOMINE

AB ABSVRDO ORIGENES REDARGVITVR.

Porrò quemadmodum rationabili sensibile subiacet, sic ab illo prolapsio est. Quamobrem huc ratio eorum euadens à veritate aberrat, & per quamdam consequentiam ex absurdis ad absurda se confert. Exinde eorum doctrina per ea quæ inter se non cohærent, fabulosè procedit. Consequentia verò ipsa ostendit omnimodam animæ corruptelam. Quæ enim semel à sublimi vita decedit, nullum modum statuit malitiæ suæ, sed propter passionum consuetudinem atque habitum à rationabili ad irrationabile deueniet: itaque in stirpium insensibilitatem mutabitur. Insensibili autem inanimum est consequens, inanimo id quod non subsistit. Itaque penitus ex hac consequentia anima ipsis ad nõ ens tandem con- E cedet: sic nullam facultatem habitura est ad meliora redeundi. Verùm enimuerò ad hominem è frutice animam reducunt. Igitur præstantiorem demonstrant esse vitam in frutice, quàm incorpoream vitam. Iam enim ostensum est progressum animæ ad deteriora, atque idcirco in inferiora esse. Subiacet autem insensibili naturæ inanimatũ, quo per consequentiam principium eorum doctrinæ animam redegit. Sed quoniam hoc nolunt, aut insensibili animam concludunt, aut si inde ad humanam vitam eam reducunt, eam vitam quæ in stirpe ducatur (vt dictum est) ostendunt antecellere primo animarum statui; siquidem inde ad malitiam fuit prolapsio, hinc verò ad virtutem est reditus. Quamobrem illa ratio conuincitur esse sine capite, sine fine, quæ viuere animas ante corpoream vitam asseuerat, propterque flagitia corporibus esse deuinctas. hæc Nyssenus.

Cùm igitur aperta si Patris huius doctrina, damnetque eos qui dicunt animas ante corpora

A pora fuisse: audiamus & sanctum Theophilum Episcopum Alexandrię in sermone ad quosdam monachos scripto, qui Origeni assentirentur: sic enim dixit: Quare anathematizantes Origenem, ceteroſq; hæreticos, exemplo nostro, & Anastasij sanctæ Romanæ Ecclesiæ Episcopi; qui ex veteribus certaminibus clarus, nobilissimi populi dux creatus est: quem & vniuersa beatorum Occidentis Episcoporum sequitur Synodus, quæ accepit ac probauit Alexandrinorum Ecclesiæ sententiam in impium latam. EX THEOPHILO TESTIMONIVM DE ANASTASIO PAPA.

Eiusdem Theophili de epistola ad sanctos qui in Sceto essent, propter eos qui incusarent damnationem Origenis doctrinæ:

Dicere nonnulli ausi sunt, Origenem Ecclesiæ doctorem. An hi, obsecro, ferendi sunt? An Ecclesiæ doctor est Origenes? Magnos sibi spiritus sumunt Ariani & Eunomiani & Pagani: illi in Filium & Spiritum sanctum blasphemantes; hi similiter atque illi impij, resurre-
B ctionem mortuorum deridentes. Ex his perspicuum est, eum qui sanctos Patres sequitur, non dubitare, quin hi qui cum Origene sentiunt, Paganorum errorem, Arianorumque insaniam sequantur.

Hæc quoque sanctus Cyrillus dicit Alexandriæ Episcopus in epistola ad monachos qui in Phua, in eos qui affirmant corporum resurrectionem non esse: Aiunt igitur nonnulli, esse qui negent humanorum corporum resurrectionē, quæ pars confessionis nostræ est, quam facimus salutare adeuntes baptisma: fidem enim profitentes adiungimus, credere nos carnis resurrectionem. Si hoc tollimus, nec credimus Christum resurrexisse à mortuis, vt nos sibi conresuscitaret: claudicantem habemus fidem, ac à via regia deflectentes, prauum iter habemus. Huiusmodi autem opinio ab improbi Origenis dementia est, quem & Patres nostri vt veri deprauatorem abdicauerunt & anathematizarunt. Non enim sensit vt Christia-
C nus, sed Paganorum secutus ineptias & nugas, in errorem incidit. Hinc autem ei contigit morbi principium: asseuerat animas ante corpora esse, & à sanctimonia abductas fuisse in cupiditates & nequitiam, desciuisseq; à Deo, à quo hanc ob causam damnatæ sunt & corpori obstrictæ, suntque in carne tamquam in vinculis. EX CYRILLO ALEXANDRINO.

Eiusdem ex epistola scripta ad eos qui in Phua erant monachos.

Ecclesia verò Scripturis obsequens à Deo inspiratis, nec animam nouit ante corpora fuisse, nec ante ea peccasse. Quomodo enim, quæ non subsistebat, peccare potuit? At nos affirmamus, vniuersitatis opificem corpus è terra finxisse, idque animasse, intelligente anima: & hæc est hominis structura. Et post alia: Animam hominis nec (vt aiunt) ob præterita flagitia atque scelera esse damnatam, nec in hunc demissam mũdum, sanctissimus Paulus fidem facit, ita scribens: Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, vt referat
D vnusquisque propria corporis, prout gessit, siue bonum, siue malum. Cur ergo propter sola propria corporis manifestari nos oportere ait, nec potiùs propter ea quæ ante corpus, si animam antè fuisse norat, & antè peccasse? Si verò ob ea sola peccata quæ in corpore designauimus, adducimur ad iudicium: non vtique habemus antiquius corpore peccatum: nam omnino ante id non constitit hominis anima. Hoc porrò planum facit & legalis litteræ vis. Si enim (vt dicit errabundus Origenes) ob superiora commissa, in supplicij ac pœnæ loco anima corpus accepit: quamobrem flagitiosis ac sceleratis mortem comminata est? Magis enim oportuerat, bonos ac iustos viros mortem oppetere, vt vinculis & supplicio liberarentur; viuere contra sceleſtos ac nefarios, vt pœna afficerentur, nec vlla vinculorum esset liberatio.

Ex expositione Synodicæ epistolæ Episcoporum Aegypti atque Alexandriæ aduersus Ori-
E *genis doctrinam.*

Hic ergo de quo agitur Origenes, veluti abominationis desolatio in medio veræ Ecclesiæ extitit, ac presbyter ordinatus, à canonica, ab vna, à vera manu dignitatem presbyteri nudam ac solam habuit, quemadmodum Apostolatus habuit honorem fur ac proditor Iudas. Is enim cùm cœpisset blasphemas homilias habere, Heraclas beatæ memoriæ tum Episcopus, vt studiosus veritatis ac arator ac vinitor Ecclesiastici agri, eum è medio pulchræ ac lætæ segetis euulsit. *Ac paulo pòst:* Quare hîc è cælo in terram decidens tamquam fulgur, sicut & eius pater diabolus, multę atrociſq. iracundiæ contra veritatem spirans, in Palęstinam regionem nauigauit, moratusq; in Cæsarienſium metropoli, cùm personam quam sibi induerat deposuisset, seq; aperuisset veluti piscis quæ sepia apud quosdam appellatur, significans quod sibi voluptati erat, ac tenebricosum & atrum vitæ venenum euomens, illic scriptis expressit, & sicut caupo Iudaicus boni specie ac simulatione dulci amarum miscuit. EX SYNODALI EPIS. TESTIMONIVM.

Quid

Quid enim iſte prauè moliens atque inſaniens dicit? Erat (inquit) anima ante corpus, & A
præexiſtebat in cælis: eamque cùm peccaſſet, in cuſtodiam immerſit Deus, id eſt, in corpus
demiſit: ad purgationem (inquit) & caſtigationem admiſſorum in cælis criminum. Hinc
primùm impijſſimus protinus fabulatur, veritatemq. oppugnare ſtudet. *Ac paulo pòſt:* Si an-
tè fuit anima in cælis, ibiq; priùs deliquit, vt malè ſanus Origenes, Deoq. repugnans dixit:
non oportuit dicere ſanctiſſimum Prophetam: Et figés ſpiritum hominis in ipſo, ſed potiùs,
demergens quaſi vtrem ſpiritum hominis in ipſo, vel fortaſſe, demittens. Iam verò cùm hoc
non dicat, ſed figens in ipſo: oſtenditur, hunc lupum grauiſſimum eſſe, indutum extrinſe-
cus ouina pelle ad deceptionem perditionis. Vecors enim è cælo animam aſſerit decidiſſe,
ceteraque quæ ibi definiuit: quaſi apertè ſciat, non ſolùm antè fuiſſe animam, ſed etiam
antè peccaſſe. Quare demonſtratum eſt tum è diuina Scriptura, tum è ſanctis Patribus,
nec veræ Chriſtianorum fidei nec rectæ rationi conuenire hæreticorum de animæ præexi- B
ſtentia imaginationes.

CAELESTIA CORPORA ANIMATA AFFIRMAT ORIGENES.

Præterea hoc quoque Origenis demonſtrat amentiam, quòd affirmat, cælum, & So-
lem, & Lunam, & ſtellas, & aquas quæ ſuper cælos ſunt, animata eſſe, & quaſdam eſſe
virtutes ratione vtentes. Hæc verò apertè refellit ſanctus Baſilius in tertio ſermone com-
mentariorum in Hexameron, ſic contra Orgienis doctrinam diſputans: Nobis porrò de
ſeparatis aquis dicendum eſt ad eos qui ab Eccleſia exciderunt, qui ſub obtentu ſenſus ana-
gogici, & ſublimiorum videlicet ſententiarum, ad allegoriam confugerunt, & aſſerunt,
virtutes quaſdam ſpirituales & incorporeas tropicè ex aquis ſignificari, ac ſurſum quidem
in firmamento manſiſſe meliores, deorſum verò in terreſtribus ſilueſtribusque locis dete-
riores perſtitiſſe: ac idcirco aiunt, aquas quæ ſupra cælos ſunt laudare Dominum, id eſt, bo-
nas virtutes, quæ dignæ ſunt propter potioris partis puritatem, dicentes laudem reddere C
Creatori: aquas verò quæ ſubter cælos ſunt, ſpiritualia eſſe nequitiæ, quæ è naturali ſubli-
mitate in malitiæ profundum deciderunt; eaque turbulenta & ſeditioſa, paſſionumque tu-
multibus fluctuantia, maria appellari propter facilem mutationem atque inſtabilem vo-
luntatem eorum motuum.

ET S. BASILIO REDARGVITO.

At nos huiuſmodi rationes tamquam confuſa ſomnia & aniles fabulas repudiemus;
aquamque aquam eſſe cogitemus, ſeparationemque à firmamento factam accipiamus ſe-
cundùm redditam rationem. Ac ſi quando ad communis vniuerſorum Domini glorifica-
tionem aquæ quæ ſuper cælos ſunt, aſſumuntur; non propterea eas dicamus eſſe naturam
ratione vtentem: nec enim cæli idcirco animati ſunt, quòd enarrant gloriam Dei: nec fir-
mamentum animal eſt præditum ſenſu, quoniam opera manuum eius annunciat. hæc
Baſilius. Attendendum porrò eſt, Patrem, cùm Græcè dicit, πρὸς τοὺς ἀπὸ τῆς ἐκκλησίας, D
de Origene diſſerere, qui à Dei gratia & à ſancta Dei Eccleſia expulſus fuerat, deque ijs qui
cum illo ſentiunt: non enim dixit, πρὸς τοὺς ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ, id eſt, ad eos qui in Eccleſia
ſunt, ſed πρὸς τοὺς ἀπὸ τῆς ἐκκλησίας, quod ſignificat, ad eos qui longè ſunt ab Eccleſia. Ca-
tholicos etiam ſignificaſſet, ſi dixiſſet, τοὺς τῆς ἐκκλησίας, id eſt, eos qui ſunt Eccleſiæ: quo-
niam verò dixit τοὺς ἀπὸ, ſignificauit eos qui abſunt & qui ab ea exciderunt. Vnum autem id
ſolum impio Origeni ſtudium fuit, Paganorum errorem confirmare, & imbecilliorum ani-
mis zizania inſerere.

DE CORPORIBVS ORBICVLATIS IN RESVRRECTIONE.

Quamobrem hoc quoque riſu dignum ab eo tamen dictum de hominum ex mortuis re-
ſurrectione, corpora hominum orbiculata ſuſcitari. O dementiam atque inſcitiam hominis
inſani, & Paganorum diſciplinæ explicatoris: qui mente cæcutiens, ſtudensque Chriſtiano-
rum fidei miſcere fabulas, ipſam Chriſtianorum ſpem ac ſalutem nixus eſt contumelia E
violare, ne reſurrectionem quidem Domini reueritus. Reſurgens enim Dominus ex
mortuis, & primitiæ dormientium factus, diſcipulis viſus eſt, eisque oſtendit foramina
manuum ac pedum & plagam lateris; poſtque reſurrectionem comedit, non vt cibo indi-
gens, ſed vt eo modo ſuſcitati corporis naturam confirmaret. Et quidem cùm Dominus
aſcenderet, Angelus ad diſcipulos dixit: Hic Ieſus qui aſſumptus eſt à vobis in cælum,
ſic veniet, quemadmodum vidiſtis eum euntem in cælum. Quod ſi (vt inſanit Orige-
nes) orbiculatum erat corpus Domini, quomodo potuit demonſtrare manuum ac pedum
foramina, aut lateris plagã? aut quomodo comedere potuit, aut omnino à diſcipulis agno-
ſci? Et quonam modo Sanctorũ corpora, quæ poſt Domini reſurrectionem ſurrexerunt, &
in ſancta ciuitate apparuerunt, potuerunt ab alijs agnoſci, ſi quidem in alia erant figura, at-
que fuerant in vita? In fidei ergo petra nullo modo ſtabilitus, ſed huiuſmodi & his multo

atrociores

A atrociores blasphemias impius Origenes cùm edidisset, nihil mirum est, cùm in ipso martyrij articulo Christum abnegasse, cultamque à Paganis deorum multitudinem, quam ipse inducit, adorasse.

Atque id Dei prouidentia factum est, ne in Ecclesia pro martyre acciperetur, atque inde gregi Christiano inferretur aliquid detrimenti. Nam si etiam nunc sunt qui de eius quidem ruina confiteantur, doctrinam verò asserant: an non eam tamquam martyris ac patris erant defensuri, si contigisset eum, nulla idolis exhibita adoratione, consummari? Nemo enim veritatis tenax excidit à Deo, ab eoque deseritur, iuxta quod dicit diuina Scriptura [a]: Respicite filij nationes hominum, & scietis quia nullus sperauit in Domino & confusus est. Quis enim permansit in mãdatis eius & derelictus est? Aut quis inuocauit eum & despexit illum? Impius autem Origenes blasphemias suas non se ipso tenus statuit, sed proprijs scriptis in B multos alios suum errorem transmisit: vt in eum valdè conueniat sancti Apostoli vox, quæ dicit [b]: Quorumdam hominum peccata manifesta sunt præcedentia ad iudicium, quosdam autem & subsequuntur. Nam eius erroris successio in infirmorum irrepens animos facit, vt eum sequantur quæ à principio ab ipso commissa peccata sunt.

DE ORIGENIS APOSTASIA.

[a] *Eccles. 2.*

[b] *1. Tim. 5.*

Quasi enim ijs qui Origenis placita sequuntur, non satis sit de præexistentia animarum impietas, ceteraque eius vaniloquentia, blasphemiæque de sancta Trinitate; hoc quoque proprio errori adiungunt, ducem & auctorem habentes peruersam eius disciplinam, vt dicat omnium impiorum hominum ac præterea dæmonum pœnam finem habituram esse, restitutumque iri tum impios homines tum dæmones in pristinum ordinem suum. Hæc cùm dicunt, ignauos homines efficiunt in Dei præceptis exequendis, eos auertentes ab angusta & arcta via, inque latæ ac spatiosæ errorem inducentes. Omnino autem aduersantur C magni Dei & Saluatoris nostri Iesu Christi dictis: Ipse enim in sancto Euangelio docet, impios quidem ituros in supplicium æternum, iustos verò in æternam vitam. Rursumque dicit ijs qui à dextris sunt: Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi. ijs verò qui à sinistris: Ite maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo & angelis eius.

DE DAMNATIS ALIQVANDO SALVANDIS ERROR.

Cùm igitur apertè Dominus in sancto Euangelio indesinens & supplicium & regnum denunciet: perspicuum est hos Origenis deliramenta sententijs Domini anteferre. Ex hoc quoque illorum amentia redarguitur: Si quis iuxta illius nugas ponat supplicium desiturum: necesse est hunc & promissæ iustis vitæ æternæ statuere finem: æquè enim in vtroque æternum ponitur. Si autem & pœna & fruitio gloriæ habet finem, cur incarnatio fuit Domini nostri Iesu Christi? cur crucifixio & mors & sepultura & resurrectio Domini? Quod D commodum ijs qui bonum certamen certauerunt & pro Christo martyrium subierunt, si & dæmones & homines impij eumdem quem Sancti ordinẽ redintegratione habituri sunt? Verùm hæc in eorum capita vertant qui hæc fabulantur: nam Christi verba in Fidelium mentibus incussa manent atque in ipsa rerum veritate.

TAM PŒNA DAMNATORVM QVAM VITA BEATORVM AETERNA.

Qui porrò Origenis improbam opinionem tuentur, firma hæc argumenta fugientes suumque conantes tegere errorem, quædam sanctorum Patrũ dicta malè excipientes, praueque ex sententia sua interpretantes, proprio morbo accommodant: quod etiam cum diuinis faciunt Scripturis. Nos autem ex ipsis sanctis Patribus ostẽdemus inanes ac futiles eorum rationes esse. Hæc igitur scribit S. Gregorius Theologus in Apologetica oratione: Nobis verò, quibus periclitatur salus animę beatæ atque immortalis, queque sempiternam aditura est vel pœnam vel laudem propter malitiam aut virtutem, quanti faciendum est hoc E certamen, aut quanta scientia opus est?

Eiusdem ex oratione de plaga grandinis.

Qua falsa defensione, qua persuasione artificiosa, quonam commento veritatem oppugnante circumuenitur ius, ac fallitur rectum iudicium, quod omnibus omnia in statera ponit, facta, dicta, cogitationesque omnes; ac nequiter commissa melioribus repensar, vt vincat quod propendet, sententiaque secundùm plura dicatur, quam nulla excipiat prouocatio, non superior Iudex, non defessio alterorum factorum, non oleum vel à prudentibus virginibus sumptum, vel ab ijs qui deficientibus lampadibus vendunt, non pœnitentia diuitis qui flamma crucietur, suorumque necessariorum quęrat emendationem, non ad mutationem præfinita dies: sed certum ac stabile ius & formidolosum & vltimum, & æquius iustiusque quàm quantus est terror, quinimò propter iustitiam terribile, cùm throni ponuntur, & antiquus dierum sedet, & libri aperiuntur, & fluuius igneus trahitur,

& lux

* pariter

& lux ante ipsum & tenebræ paratæ*: & eunt qui bona fecerunt in resurrectionem vitæ, quę A
nunc in Christo absconditur, postmodum verò cum eo apparet: qui verò mala egerũt, in re-
surrectionem iudicij, quo qui non credunt, iam iudicati, damnatiq; sunt à Verbo, quod eos
iudicauit: ac alios quidem lux ineffabilis excipit, & sanctæ regnantisq; Trinitatis gratia, aper-
tiùs, puriusq; effulgentis, ac totam se toti menti inserentis: quod vtique solum regnum cæ-
lorum esse duco: alia verò vnà cum alijs malis tormenta, vel potiùs ante alia proiectum esse
à Deo, & conscientiæ turpitudo & verecundia nullum finem habens.

Basilij Episcopi Cæsareæ, ex eius libro Regularum. Interrogatio:

EX S. BASILIO ORIGENES ARGVITVR.

Si tum dicit, vapulabit multis, tum paucis; quo pacto quidam dicunt, nullum finem sup-
plicij fore ijs qui pœna afficiuntur? *Responsio*: Quæ ambigua sunt ac videntur obscurè esse
dicta, quibusdam locis diuinitus inspiratę Scripturæ alibi ab alijs, quæ cõfessa & aperta sunt,
declarantur. Cùm ergo Dominus pronunciarit: Ibunt hi in supplicium æternũ, iusti autem B
in vitam æternam: & alicubi: Mittas eos in ignem æternum, qui paratus est diabolo & an-
gelis eius; atque ita nominet gehennam ignis: vbi vermis eorum non moritur, & ignis non
extinguitur: ac rursum per Prophetam de quibusdam prædixerit: Vermis eorum non mo-
rietur, & ignis eorum non extinguetur: Cùm hæc & huiusmodi sæpe à diuinitus inspirata
Scriptura proponantur, hoc quoque est diaboli artis & astutiæ, vt multi homines veluti ob-
liti talium tantarumque Domini sententiarum, finem sibi audeant pœnarum in posterum
adumbrare. Nam si æterni supplicij quandoque finis est futurus, omnino habebit & vita
æterna finem. Sin in vita non sic Euangelici dicti sensum accipimus: quæ ratio est, supplicio
æterno finem statuere? æterni enim adiunctio pariter in vtroque ponitur: Ibunt enim (in-
quit) hi in supplicium æternum, iusti autem in vitam æternam.

Eiusdem è sermone adhortatorio ad sanctum baptisma. C

Propter breuem ac temporariam peccati voluptatem sempiterna crucior pœna: propter
voluptatem carnis sempiterno igni addicor.

Sancti Ioannis Episcopi Constantinopoleos, è prima ad Theodorum monachum epistola.

EX S. IOAN. CHRYSOST. RE DARGVTIO ORIGENIS.

In mente iugiter habeas fluuium ignis: fluuius enim igneus, rapidusque egrediebatur à
facie eius. Non est, quòd quisquam ei deditus igni, supplicij finem expectet. Verùm impro-
bæ sæculi huius voluptates ab vmbris somnijsq; nihil differunt: priusquam enim peccatum
ad finem peruenerit, extinguitur voluptas: suppliciorum verò, quæ pro flagitijs suscipiun-
tur, nullus est finis.

Eiusdem in commentarijs in primam ad Corinthios epistolam.

Non leuis nobis hinc proposita quæstio est, sed de rebus valdè necessarijs: Quærunt ple-
rique homines, ignis gehennæ sit ne finem habiturus. Non habiturum, pronunciauit Do- D
minus, cùm diceret: Ignis eorum non extinguetur, & vermis eorum non morietur. Pau-
* 2. Thess. 1. lus verò eum perennem ostendens, ait* de peccatoribus: Pœnas dabunt in interitu æter-
nas. Quare cùm diuina nos Scriptura, sanctique Patres edoceant, nullum finem impio-
rum supplicij, dæmonumque qui ab illis coluntur: quam restitutionem imaginantur qui
cum Origene sentiunt, vbi suppliciorum nullus est exitus? Sancta enim Christi Ecclesia
quemadmodum iustis indesinentem prædicat vitam æternam, ita impios perpetua suppli-
cia manere tradit. Atque hæc quidem in his. Nos porrò paucas è multis diuinæ Scripturæ
sanctorumque Patrum auctoritatibus afferendas esse perspeximus ad confutandam Orige-
nis impietatem.

DE SYNODO HABENDA CONSTANTINOPOLI.

Cùm autem velimus omne scandalum à sanctissima Ecclesia propulsare, vt nulla in ea
macula relinquatur: obsequẽtes diuinis Scripturis, sanctisq; Patribus, qui ipsum Origenem E
ac huiusmodi sceleratam impiamq. doctrinam profligarunt, ac iure anathemati subiecerũt,
hanc epistolam ad tuam beatitudinem dedimus, qua eam hortamur, vt omnium qui in hac
regia vrbe nunc degunt, sanctissimorum Episcoporum conuentum habeat, ac Deo amabi-
lissimorum præfectorum sanctis quæ hîc sunt monasterijs: faciatq. vt omnes in scriptis præ-
fatum impium ac Deo repugnantem Origenem (qui & Adamantius) quique presbyter fuit
sanctissimæ Ecclesiæ Alexandriæ, & eius nefaria impiaq. dogmata, capitulaq. omnia quę in-
feriùs ponuntur, omnimodis anathematizent: & exempla dimittas eorum quæ à beatitu-
dine tua ob hanc causam gesta fuerint, ad alios omnes sanctissimos Episcopos, præfectosq;
venerabilium monasteriorum, vt & ipsi subscriptione propria anathematizent Origenem,
scelestaque eius dogmata cum omnibus qui declarabuntur hæreticis.

In posterum autem ne aliter ordinentur Episcopi, aut monasteriorum hegumeni, nisi
priùs

A priùs cum alijs omnibus hæreticis, qui de more in libellis anathematizantur, id est, Sabellio, Ario, Apollinario, Nestorio, Eutychete, Dioscoro, Timotheo Æluro, Petro Mogo, Anthimo Trapezuntij, Theodosio antea Alexandriæ, & Petro qui Apameæ præfuit, & Seuero qui Antiochiæ, prædictum etiam Origenem qui Paganorum Arianorumq; insania laborauit vnà cum execrabilibus impijsq; eius dogmatibus anathematizent. Omnibus enim prædicendum est, ne omnino quisquam audeat talem hæreticum aut eius expositiones asserere, sed eas vnusquisque ex toto animo & tota cogitatione oderit & auersetur & anathematizet, vt à Christiana traditione alienas, & simpliciorum animabus grauem afferentes luem ac pestem. Hæc porrò eadem scripsimus non solùm ad sanctitatem tuam, sed etiam ad sanctissimum & beatissimum Papam senioris Romæ & Patriarcham Vigilium, & ad ceteros omnes sanctissimos Episcopos & Patriarchas, id est Alexandriæ, Theopoleos, & Hierosolymorum: vt & hi huic rei prospiciant, & hæc finem adipiscantur. QVOS DEBERENT ORDINANDI PRAESVLES ANATHEMATIZARE.

B Cùm verò cupiamus omnes Christianos cognoscere scripta Origenis prorsus à vera Christianorum fide aliena esse, ex multis immensisque eius blasphemijs paucas ad verbum esse ponendas censuimus. Sic autem se habent.

Quod minor sit Filius Patre, & Spiritus Filio, è primo libro Periarchon.

ORIG. HORRENDAE BLASPHEMIAE DE TRINITATE.

Quod Deus quidem & Pater omnia continens ad vnumquodque entium peruenit, esse vnicuique impertiens de suo; esse * enim est minus. Quod verò præter Patrem Filius ad sola rationabilia peruenit; est enim secundus à Patre. Adhuc etiam minor est Spiritus sanctus, ad solos Sanctos peruenies. Ita ex hoc maior est potestas Patris præ Filio & Spiritu sancto, ampliorque Filij præ Spiritu sancto, ac rursum præstantior sancti Spiritus potestas præ alijs cunctis entibus sanctis.

* *corruptum in Græco videtur.*

C *Quod finita est Dei & Patris potestas, è secundo libro eiusdem voluminis.*

DE POTESTATE DEI ORIG. BLASPHEMIAE.

Finitam enim esse & potestatem Patris dicendum, nec prætextu laudis circumscriptio eius tollenda est. *Et paulo pòst:* Tanta enim fecit quanta sub manum comprehendere & habere poterat, & continere sub prouidentia sua: quemadmodum tantam constituxit materiam, quantam administrare & exornare poterat.

Eiusdem è quarto libro eiusdem voluminis:

Nemo autem sermone offendatur, si modum statuimus Dei potestati. Infinita enim complecti, natura impossibile est. Nam cùm semel finita sint quæ Deus ipse comprehendit, necesse est terminum esse ad finita * ipse sufficit.

Quod exitura Filius est, ex eodem libro.

Hic Filius de voluntate Patris generatus, qui est imago Dei inuisibilis & splendor gloriæ

D eius, figura substantiæ eius, primogenitus omnis creaturæ, creatura, Sapientia: ipsa enim Sapientia dicit: Dominus possedit me in initio viarum suarum.] At de blasphemijs Origenis in Deum hæc tantùm in epistola Imperatoris: quibus hi subijciuntur anathematismi:

ANATHEMATISMI ADVERSVS ORIG. ERRORES.

Si quis dicit, aut sentit, præexistere hominum animas, vtpote quæ antea mentes fuerint & sanctæ virtutes, satietatemq; cepisse diuinæ contemplationis, & in deterius cõuersas esse; atque idcirco ἀποψυγείσας, id est, refrixisse à Dei charitate, & inde ψυχὰς Græcè, id est, animas esse nuncupatas, demissasque esse in corpora supplicij causa: anathema.

Si quis dicit, aut sentit, Domini animam priùs extitisse atque vnitam fuisse Deo Verbo ante incarnationem & generationem ex Virgine; anathema esto.

Si quis dicit, aut sentit, primùm conformatum esse corpus Domini nostri Iesu Christi in vtero beatæ Virginis vt aliorum hominum, ac postea vnitum ei esse Deum Verbum & ani-

E mam, vtpote quæ antè fuisset; anathema esto.

Si quis dicit, aut sentit, omnibus cælestibus ordinibus assimilatum esse Deum Verbum, Cherubimq; factum esse ipsis Cherubim, & Seraphim ipsis Seraphim, ac omnibus planè superioribus virtutibus similem esse factum; anathema esto.

Si quis dicit, aut sentit, in resurrectione corpora hominum orbiculata suscitari, nec confitetur nos suscitari rectos; anathema esto.

Si quis dicit, cælum & Solem & Lunam & stellas & aquas quæ super cælos sunt animatas & materiales esse quasdam virtutes; anathema esto.

Si quis dicit, aut sentit, Dominum Christum in futuro sæculo crucifixum iri pro dæmonibus, sicuti pro hominibus; anathema esto.

Si quis dicit, aut sentit, finitam esse Dei potestatem, & eum fecisse quę plurima comprehendere potuit; anathema esto.

Si quis

Si quis dicit, aut sentit, ad tempus esse dæmonum & impiorum hominum supplicium, A eiusque finem aliquando futurum, siue restitutionem & redintegrationem fore dæmonum & impiorum hominum; anathema esto.

Anathema & Origeni (qui & Adamantius) vna cum nefaria eius execrabili scelestaq; doctrina; & cuiuis qui ea sentiat, aut vllo modo prorsus quocumque tempore tueri præsumat. In Christo Iesu Domino nostro, cui gloria in sæcula sæculorum. Amen.] hactenus ex scripto codice Antonij Augustini, in quo deest annus & dies.

Porrò plures his fuisse errores Origenis ex S. Hieronymo collectos, meminisse debes, superiùs suo loco recensitos. Quod verò gesta hæc essent in Oriente, prætermissa sunt referri plurium Conciliorum atque Pontificum aduersus hos & alios enumeratos Origenis errores sancita decreta, quę omnia olim delata Romam, ipsius Romanę Ecclesiæ custodirent archiua, nempe quæ aduersus eosdē habita sunt à Theophilo Alexandrino Episcopo in Ægypto, quęve à S. Epiphanio in Cypro, atque ab Anastasio Papa Romæ: de quibus omnibus suis locis superiùs dictum est. Porrò anathematismos hos hic recensitos omnes in Quinta Synodo recitatos probatosq; esse, ibiq; repetitam Origenis damnationem, Nicephorus tradit[a]. Ipse enim Imperator, quòd sciret extra fines esse regalis auctoritatis de fide sancire decreta, hanc ob causam (vt in eiusdem modò recitata epistola audiuimus) ipsum Mennam Constantinopolitanum, ad quem scribit, admonet vt Synodum habeat, à qua ista omnia, quæ aduersus Origenem scripta essent, confirmarentur: quod & factum fuit.

[a] *Niceph. lib. 17. c. 27. & 28*

QVAE RATIO IMP. DE FIDE SCRIBENDI EPISTOLAS.

Sed non prætereat, in ijs quæ ad finem prope eiusdem Imperatoris epistolæ scripta sunt de damnatione facienda hæreticorum, cùm siue Episcopus siue Abbas ordinādus esset, haberi inter alios execrādos hæreticos esse adnumeratum Anthimum Episcopum Trapezuntij haud pridem damnatum ab Agapeto Pontifice. Quibus intelligas, ea cuncta quæ dicta C sunt de studio Imperatricis apud Vigilium, vt restitueretur in sedem Constantinopolitanam Anthimus, eadem absque Imperatoris consensu vel scientia tractata esse per Theodoram Augustam primò cum Vigilio adhuc Romanæ Ecclesiæ diacono de creando ipsum Romanum Pontificem, si promitteret Anthimum restituere; deinde requisitum ab eadem, cùm pulso Siluerio, idem Vigilius euectus esset in thronum. Sed & illud ex hac eadem epistola accipe: Iustinianum, cùm nominat in eadem epistola Vigilium Romanum Pontificem, circumuentum fuisse, putasse nimirum, quem reuerti Romam & subire iudicium iussisset Siluerium Papam, & audisset relegatum in insulam, iusta sententia condemnatum, Vigilium verò legitima subrogatione suffectum: cùm talem longè aliter res se haberet. Sic planè in rebus grauissimis contingit Principes falsa relatione sæpissimè falli.

IVSTINIAN. VBIQVE DECEPTVS.

Quid autem acciderit ex huiusmodi aduersus errores Origenis litteris Imperatoris promulgata damnatione, ex Liberato sic accipe[b]: Ex reserato aditu aduersarijs Ecclesiæ, vt mortuus damnaretur Origenes, Theodorus Cæsareæ Cappadociæ Episcopus dilectus & familiaris Principum, secta Acephalus, Origenis defensor acerrimus, & Pelagio æmulus, cognoscens Origenem fuisse dānatum, dolore damnationis eius, ad Ecclesiæ conturbationē, damnationem molitus est in Theodorum Mopsuestenum; eo quòd Theodorus multa opuscula edidisset contra Origenem, exosusq; & accusabilis haberetur ab Origenistis; & maximè, quòd Synodus Chalcedonensis (sicut probatur) laudes eius susceperit in tribus epistolis. Cuius damnationem memoratus Theodorus tali machinatione perfecit. Subscribēte Principe contra Acephalos in defensionem Synodi Chalcedonensis, accedens idem Theodorus Cappadociæ vnà cum suis satellitibus, qui sub nomine Catholico Acephalis fauebant, cum Theodoræ Augustæ fauore Imperatori suggessit, scribendi laborem eum non debere pati E quando compēdio posset Acephalos omnes ad suam communionem adducere. Siquidem illi (inquit) hoc offenduntur in Synodum Chalcedonensem, quòd laudes susceperit Theodori Mopsuesteni Episcopi, epistolamq; Ibæ quæ per omnia Nestoriana cognoscitur, quam Synodus ipsa iudicio suo pronunciauerit Orthodoxam. Qui Theodorus si cū dictis suis & hac epistola anathematizaretur, tamquam retractata Synodus atque purgata, susciperetur ab eis per omnia & in omnibus, & sine pietatis vestræ labore Ecclesiæ Catholicæ societati gaudentes, in vniuersali Ecclesia clementiæ vestræ laus erit sempiterna.

[b] *Liber. diac. Breu. c. 24.*

ARTES SVBDOLAE THEODORI CAESARIENSIS.

DE TRIBVS CAPITVLIS CONTROVERSIA COEPTA.

Hæc audiens Imperator, & dolum dolosorum minimè perspiciens, suggestionem eorum libenter accepit, & facere libentissimè spopondit. Sed rursus illi callida fraude rogauerunt eum, vt dictaret librum de damnatione Trium capitulorum.] accessit enim duobus suprà recensitis capitulis tertium de Theodoreto Episcopo Cyri recepto in Concilio Chalcedonensi.

CHRISTI 538. | SILVERII PAP. 2. | IVSTINIANI IMP. 12. VITIGIS REG. 2.

A nensi. Sed pergit dicere de scripto Iustiniani Imperatoris: Quo libro (inquit) eius edito & toto mundo manifestato, dum emendare Princeps erubescit, irreuocabilis causa fieret. Sciebant enim, Principem solita pietate, scandalo emergente, sententiam suam posse corrigere, sesequ; ad periculum peruenire. Annuit his Princeps, & hoc se lætus implere promisit; & relinquens operis sui studium, vnum in damnationem Trium capitulorum condidit librum, pro delictis nostris omnibus notissimum.

Cetera verò quæ subsequenter in Episcopis & Catholica Ecclesia ab eodem Principe facta sunt, quo modo consentientes Episcopi in Trium damnationem capitulorum muneribus ditabantur, vel non consentientes, depositi, in exilium missi sunt, vel aliqui fuga latitantes in angustiis felicem exitum susceperunt, quoniam nota sunt omnibus, puto nunc à me silenda. Illud liquere omnibus credo, per Pelagium diaconum & Theodorum Cæsa-
B reæ Cappadociæ Episcopum hoc scandalum in Ecclesiam fuisse ingressum. Quod etiam publicè ipse Theodorus clamitauit, se & Pelagium viuos incendendos, per quos hoc scandalum introiuit in mundum.] hactenus Liberatus finem imponens Breuiario suo de causa Nestoriana & Eutychiana collecto (vt ait) ex Ecclesiastica historia è Græco in Latinum translata, & ex Gestis Synodalibus atque etiam epistolis sanctorum Patrum: quæ quidem paulo pòst ab ipso scripta fuisse, ex vltima rerum gestarum narratione possumus intelligere. verùm ipsum constat ex eorum classe fuisse, qui pro Tribus capitulis pugnantes, pro Theodoro Mopsuesteno, licet non pro erroribus ei ascriptis, etiam scripsere defensionem: quod non obscurè suis ipse scriptis significat[a]. Ceterùm quinam fuerit istiusmodi de fide liber à Iustiniano Imperatore editus, inferiùs suo loco dicturi sumus.

[a] *Liber. Breuiar. c. 3. 19. 24.*

Quod autem ad œconomiam Ecclesiasticam pertinet, idem Imperator aliàs edidit san-
C ctiones, atque in his totus esse visus est, perinde atque ab omni belli cura remotus, cùm tamen & Roma obsideretur à Gothis, & Africa, rebellantibus Arianis, in magno discrimine versaretur, vt paulo pòst dicturi sumus. Inter alia verò Kal. Maij hoc anno sanctionem promulgauit, ne quis [b] præter voluntatem Episcopi domos oratorias fabricaret, insuper de Episcopis qui in suis Ecclesiis minimè residerent, ac de alienatione rerum Ecclesiæ immobilium: aliam [c] rursum de clericis subrogatis, & emolumentis eisdem præstandis, necnon de iure præsentandi, quod iis competat qui in ædificandis ecclesiis ius sibi patronatus retinere voluerunt: itemque aliam sanctionem [d] de bonis eorum qui ingrediuntur monasterium. has tu maiori otio consulas.

[b] *Nouel. 67. & Auth. col. 5. tit. 17.*
[c] *Nouel. 57. & Auth. col. 5. tit. 16.*
[d] *Nouel. 76.*

Hoc eodem pariter anno duodecimo Imperatoris, cùm (vt dictum est) belli Gothici tertius adhuc annus ageretur (inquit Procopius [e]) ex Mediolano vir sacer quidam Dacius no-
D mine *(Episcopus hic erat Mediolanensis Ecclesiæ)* ciuesque primores nonnulli cùm Romam venissent, à Belisario suppliciter petiere, modicum ad se vt præsidium mitteret, quo satis se posse asseuerarent non modò Mediolanum, sed Liguriam omnem abductam à Gothis Imperatori recuperare.] qui hac functus est legatione Dacius, vitæ sanctitate insignis est habitus, de quo plura dicturi sumus. Hic ergo vt vendicaret à Gothis iisdemq; Arianis populos spirituali regimine sibi subditos, omnem adhibuit diligentiam. quo exemplo satis intelligas, non mereri calumniam, neque inuidiam Episcopos illos pati debere, qui ne sub hæretico Principe degant, omnem lapidem voluunt. Quomodo autem Belisarius eadem Mediolanensi ciuitate, totaque Liguria potius sit, idem Procopius narrat[f].

[e] *Procop. de bello Goth. lib. 2.* DACIVS EPISCOP. MEDIOL. CONTRA GOTHOS IMPLORAT AVXILIVM.

[f] *Procop. de bello Goth. lib. 2.*

IESV CHRISTI ANNVS 539. | SILVERII PAP. ANNVS 3. | IVSTINIANI IMP. 13. VITIGIS REG. 3.

E

ANnus Domini quingentesimus vndequadragesimus Apione * Ægyptio Consule absque collega notatur: ita Apio ab Api denominatus Ægyptius: licet in Nouellis Imperatoris, pro Apione, Ario ponatur, Nouellæ [g] enim complures, quæ sub Consulatu Arionis datæ reperiuntur, sub Apione Consule scriptæ noscuntur. Numeratur idem annus belli Gothici in Italia quartus. Cùm Siluerius Papa tertio exacto sedis suæ anno exagitatus (vt dictum est [h]) aduersariorum calumniis & in Palmaria insula relegatus detentus, conuentu habito quatuor, qui eum conuenerant, Episcoporum, aduersus Vigilium Romanæ Ecclesiæ cathedræ inuasorem anathematis sententiam tulit, hisque verbis conscriptam ad ipsum misit [i]:

* *alias* Appio.

[g] *Nouel. 78. vsque ad 91.*
[h] *Liber. diac. in Breu. c. 22.*
[i] *Extat inter Acta Siluerij tom. 2. Concil. & tom. 3. epist. Rom. Pont.*

Siluerius Episcopus Vigilio. A

SILVERIVS RELEGATVS DAMNAT VIGILIVM INTRVSVM.

Multis te transgressionibus irretitum, sacerdotalis iamdudum nouit generalitas. Et quia cruentis humano sanguine manibus decessoribus nostris peruicacia tua subripiens, Leuiticis præsumpseris excubare ministeriis, plerique nouerunt Fidelium. Nam quia contra iura canonica, temporibus sanctæ memoriæ Bonifacij Papæ, ipso viuente, successor eius designari conabaris, nisi tibi amplissimi Senatus obuiasset iustitia: tunc prouidentia pastorali ac Pontificali auctoritate, tua execranda iam debuerant auspicia detruncari. Sed dum paruum vulnus in te neglectum est, insanabile accreuit apostema: quod nisi ferro altiùs abscindatur, fomentorum sentire non potest medicinam. Quippe qui nequissimi spiritus audacia, ambitionis phrenesim concipiens, in illius Apostolici medici, cui animas ligandi soluendique collata & concessa potestas est, versaris contumeliam, nouumq; scelus erroris in Apostolica sede rursus niteris inducere; & in morem Simonis, cuius discipulum te ostendis operi- B bus, data pecunia, meque repulso, qui fauente Domino, tribus iam iugiter emensis temporibus ei præsideo, tempora mea niteris inuadere.] per tria hæc emensa tempora tres annos, diuinæ Scripturæ more, suæ sedis iam elapsos Siluerius notat, qui subdit:

PRIVATVR VIGILIVS ABREPTO PONTIFICATV.

Habeto ergo cum his qui tibi consentiunt pœnæ damnationis sententiam: sublatumque tibi nomen & munus ministerij sacerdotalis agnosce, sancti Spiritus iudicio & Apostolica à nobis auctoritate damnatus. Sic enim decet fidem sanctorum Patrum in Ecclesia seruari Catholica; vt quod habuit amittat, qui improbabili temeritate quod non accepit, assumpserit. Data octauo Kalendas Iulij.] quod sequitur, Principe Basilio, siue (vt alia lectio habet) Belisario Patricio] adiectum putatur, cùm temporibus his Siluerij nullus conueniat Belisarij Consulatus, neque Basilij: quorum alterius, nempe Belisarij contigit ante annos duos; alterius itidem, Basilij scilicet, post annum sequentem. Subiicitur autem huic sententiæ C eiusdem Papæ subscriptio & aliorum qui interfuerunt Episcoporum: Cælius Siluerius Papa vrbis Romæ huic decreto anathematis in Vigilio peruasore facto, ad omnia statuta consensum præbens, subscripsi. Pariter & quatuor Episcopi subscripserunt, id est, Terracinensis, Fundanus, Firmanus, & Minturnensis. Data est chartula per Anastasium subdiaconum.] hactenus ibi.

Sic igitur beatissimus Pontifex vnà cum Apostolo Paulo vinctus in Domino, æquè cum Paulo illud Apostolicum concinit: [a] Laboro vsque ad vincula, quasi malè operans: sed verbum Dei non est alligatum.] ita quidem, cùm licet deportatus in insulam, inclusus carceri, vallatus custodia, atque consumptus inedia, nihil tamen remittit sacerdotalis roboris atque constantiæ, vel Pontificiæ potestatis; potensq; gladio Spiritus, quod est verbum Dei, sciens cunctos sibi populos habere subiectos, quos suo arbitrio vel absoluat, aut æternis vinculis D obliget, auctoritate qua pollet, aduersus Romanæ Ecclesiæ inuasorem, spuriumque intrusum Pontificem validè telum damnationis intorquet; & vniuerso ostendit Orbi, illum qui fastigium Apostolici throni ruiturus ascendit, seq; pro Pontifice gerit, non referre Simonem Petrum, sed magum, neque Vicarium esse Christi, sed Antichristum. Eminet, licet conculcata pressuris, in insula Apostolica sedes: illustratur Antistitis præsentia plusquam Roma Palmaria: non angustiatur exiguæ insulæ termino, nec clauditur circumdantis maris Ecclesia fluctibus, quæ magis dilatatur aduersis & crescit angustiis. Fœcunda antiquorum martyrum palmis ipsa Palmaria, nouo germine, tanti Pontificis martyrij palma mirificè decoratur; eoque magis, quòd pacis tempore, cùm nullus Christianæ fidei hostis Gentilis tyrannus insurgit, sola ipsa eiusmodi triumphali fronde virescit.

Interea verò congemuit vniuersus Catholicus orbis ad vniuersalis Ecclesiæ Præsulis ig- E nominias, communicans ipsius vinculis (vt licuit) scriptis epistolis, quarum vnicum quod supereſt, hic tibi reddimus monumentum: quas enim vnus inter alios Amator Episcopus (quem puto Augustudinensem illum [b], qui hoc tempore claruit sanctitate) ad eum litteras cum muneribus dedit, vt ea quam patiebatur ipsum leuaret inopia, hic tibi integras exhibemus; sic enim se habent [c]:

Beatissimo Siluerio Amator Episcopus.

AMATORIS EPISCOPI EPIST. AD SILVERIVM PAPAM.

A quibusdam, Pater dilectissime, illis à partibus aduentantibus audiuimus, vos à sede sancti Petri iniustè pulsum, exilio destinatum. Quod nimis graue ferentes, misimus parua munuscula, id est, argenti libras triginta, ad vestram vestrorumq; sustentationem: quæ petimus vt ita grato animo suscipiatis, sicut grata mittuntur intentione. Precamur quoque, vt per vestram epistolam nobis remandare * non dedignemini, qualiter circa vos sit actum, vel

modò

[a] 2. Tim. 2.

IN VINCVLIS NITET PONTIFICIA POTESTAS.

[b] De eo Rom. Martyrolog. die 16. Nouemb.

[c] Tom. 1. epi. Rom. Pont. ante epist. Siluer.

* renunciare

A modò agitur: vt certam rationem de vobis scire & fratribus valeam nunciare. Quid enim putas de nobis fieri, Pater summe, cùm de summo Pastore & Vicario sancti Petri talia fiunt? Vos tamen nolite multum tristari, sed confortamini semper in Domino: quoniam potens est Diuinitas immensæ tempestatis incerta bono serenitatis amouere. Ora pro nobis, beatissime Papa.] hactenus epistola sine die & Consule. Extat ad eumdem Amatorem reddita Siluerij nomine epistola ab aliquo otioso ex Anastasij scriptis consarcinata, mendaci Consulum apposita nota, à veritate historica procul abhorrens, quam ex huius temporis scriptore Liberato diacono sincerè prodidimus: vnde indignam putantes quæ ipsius Siluerij nomine censeatur, relinquimus eam vndique impostura labe suspectam.

Quod verò ad Pontificis defensionem spectat, iniquitas temporis reddidit Siluerij vinINFELICISSIMA TEMPORA.
B cula duriora. Etenim cùm à Gothis Vrbs esset obsessa, & vniuersa Italia motibus Græcorum quateretur atque Gothorum; quodque scirent omnes, Belisarium cum vniuersis viribus Orientalis exercitus pro aduersariis contra Siluerium militare: factum est, vt relegato Pontifici ad eum in sedem restituendum nullus suppetias ferre posset: non clerus Romanus foris Gothorum obsidione vallatus, & intus custoditus ab exercitu Imperatoris, quicquam ex more præstare valuit: non reliqui Episcopi, quòd viderent frustra se niti posse, tot ingruentibus malis, contra torrentem; expectantes omnes, si meliora fortè, quod esset in optatis, tempora aspirarent. Silent leges, cùm arma strepunt; nec canonum auditur clamor, vbi reboante classico milites excitantur.

Sic itaque iniuria temporis factum est, vt ab Ecclesia indefensum ipsius Ecclesiæ visibile RELINQVITVR INDEFENSVS
C caput opprimi sineretur, quod aliàs, vrgente etiam Gentilium persecutione, accusationum vinculis absolutum, congregatum in cryptis Episcoporum Concilium suo ipsius iudicandum arbitrio iussit abire liberum. Ex quibus magis quis deploret istiusmodi infelicissimum omnium rerum statum, quo sub Christianis Principibus fieri contigerunt, quæ sub Imperatoribus Ethnicis iisdemque diris persecutoribus, ne fierent, Occidentalis orbis Episcopi sedulo studio intercesserunt: dum sine Episcoporum sententia damnatur absque spe vlla restitutionis Episcopus Episcoporum, & subrogatus artibus hæreticorum is sedet, qui cum iisdem hæreticis de restitutione damnati hæretici conuenisset. Hoc quidem discrimine grauius inuenimus numquam, neque periculum manifestius, sub quo fuerit Romana Ecclesia constituta. Sed qui super maria fundauit eam, de excelso solio clamat: Confidite, ego vici mundum.

Sed quid post hæc Siluerio accidit? Mouerunt aduersariorum inuidiam obsequia illa QVAE SILVERIVS PAPA PATI COACTVS A VIGILIO.
D ipsi ab Episcopis diuersis impensa: auxit & in eum odium ab ipso in Vigilium anathema recens illatum: cuius rei causa factum est, vt arctiori custodiæ traderetur, ac denique (quod Liberatus diaconus testatur) consumi inedia cogeretur: sed id quidem sensim, non statim violenterque: adeò vt in annum sequentem ærumnosam vitam produxerit: adhuc enim annum vnum ferme vixisse, ex eo cogimur affirmare, quòd qui mense Iunio hoc anno (vt diximus) litteras ad Vigilium dedisse reperitur, & Anastasij testificatione mense Maio obiisse diem ponitur: non hoc vtique anno, sed sequenti eum esse defunctum, affirmare necesse est. dicemus de eo suo loco.

Sed quantis hæc Deus illata in Summum Pontificem mala immissis cælitus cladibus vindicaret, vix credi potest; referreq; detrectarem, quod superare videatur humanum captum: sed cùm hæc Procopius referat, qui hoc tempore eamdem quam habebat præ oculis scribebat historiam, verbis ipsius hic describere minimè prætermittam. Sub hoc enim anno de-
E cimotertio Iustiniani Imperatoris hæc adeò infelicia contigisse narrat in Oriente, vnde malum tantum originem duxit, his verbis[a]: Ingentes igitur tunc Hunnorum exercitus Istrum transmittentes, in omnem Europam inuaserunt, nec vlla natio tot in hac parte maleficia damnaq; intulit. A sinu enim Ionico hi barbari omnia vsque Byzantij suburbana populati sunt, arcesque duas munitissimas in Illyrico, ciuitatemq; Casandream vi euerterunt, quam antiqui Potideam vocabant; multaq; gaza simul cum centum & viginti millibus hominum captis, domum reuerterunt, nullo penitus eis resistente. Posteris autem temporibus sæpius reuersi intoleranda Romanis mala intulerunt: nam in Chersonnesi expugnatione oppidanos deceperunt, ex parte maris (Melanes vocatur) muros ascendentes de improuiso eos oppresserunt, quorum partim capti, partim interfecti sunt. Nonnulli angustias maris inter Abidum & Sextum transeuntes, in Asię loca excurrentes, Chersonnesum reuerterunt. Inde denique rursus domum cum toto exercitu se receperunt. In alia item irruptione Illyricum repeten-

[a] *Procop. de bello Persic. lib. 2.* CLADES ILLATAE ORIENTALIBVS.

petentes, Thermopolim obsedere, oppidanis se acriter defendentibus. vestigabant quanam via faciliùs ascendere possent: præter spem vnam repererunt, quæ ad montem his superue- A
* superemi-nentem nientem * ducit. Sic omnes fere Græcos, præter quam Poloponnesiacos infestantes, tertiò domum remigrarũt.] hæc de Hunnorum incursionibus Procopius: quibus, tradit inferiùs, annuam esse pollicitum Imperatorem pecuniam, sicut & Sarracenis: ita ignominiosè coactus est Imperator à barbaris ingruentibus redimere pacem pensiatione tributi, qui haud pridem, cùm Dei amicus esset, Vuandalos, Gothosque inuictos superasset.

Et vnde (si quis accuratè inuestigabit) tantorum malorum causa proueniſſe dicenda, nisi ob numen offensum? Quoddam hoc fuit quodammodo monstrum, vt qui victor in omnibus Iustinianus Imperator vniuersa Africa potitus fuit, atque item bello Siciliam, Dalmatiam, Italiamque vnà cum Vrbe recepit, idem ex insperato Hunnos pati coactus sit infundentes se vsque in Constantinopolitanæ vrbis mœnia, nec eos quicquam virium ha- B buerit expellendi. Quis non manu tractet, & aperta omnino luce non videat, vocari à Deo barbaros in demolitionem & damnum Imperij, cùm sancta religio à Principibus sauciatur? Cùm factum est in Siluerium, quod nec profanus aliquis tentare ausus fuisset: passum est ab Hunnis Romanum Imperium, quod vix quælibet destituta sine Rege prouincia subitura fuisset.

ALIAE CLADES IMPERII. Sed pauca sanè hæc atque adeò leuia quisque dixerit, si conferat cum his quæ post hæc mala sunt subsecuta, hoc tamen anno fieri cœpta. Et quænam hæc? Audi ex eodem auctore Procopio, dum ait, hoc ipso anno decimotertio Iustiniani Imperatoris, Cosrhoen Regem Persarum statuisse rumpere fœdus, quod perpetuum fuerat cum Romanis sanci- tum, nec vllis potuisse ab instituto reuocari litteris vel legationibus Imperatoris: quæ- nam verò ingentia mala bellum hoc secum vexerit, idem fusiùs narrat, nosque suis locis C summatim dicturi sumus. Vitigem enim Gothorum Regem per legatos solicitasse Cos- rhoen ad inferendum bellum Iustiniano Imperatori, idem Procopius alibi tradit[a]. His quidem malis Orientale Imperium hoc anno exagitatum constat. In Occidente verò post fatigatam Italiam diuturno Gothico bello, postque longam Vrbis obsidionem, ingenti penuria vniuersus populus laborauit. Ita planè in vltionem scelerum patratorum exacuens gladium iræ suæ, famem vocauit Deus super terram[b], & omne firmamentum panis con- triuit, ac secundùm illud propheticum[c]: Residuum erucæ comedit locusta, & residuum locustæ comedit bruchus, & residuum bruchi comedit rubigo.] Equidem quod bellicæ de- uastationi superfuit, penuria deuorauit & pestis; & si quid à penuria & peste remansit illæ- sum, rursum furor Gothicus deuastauit: ita vt non soluta obsidio Vrbis, sed potiùs eiusdem dilatum videri potuisset excidium, nec Gothorum tantùm, sed Græcorum etiam gladiis D tradita Italia deuoranda.

[a] *Procop. de bello Goth. lib. 2.*

[b] *Psal. 104.*

[c] *Ioel. 1.*

QVID TEMPORE OBSESSAE VRBIS. Sed antequam ista adeò ærumnosa laboris doloriſque plena narremus (vt cuncta ordine temporum describamus) quæ priùs de Vrbis obsidione ab eodem Procopio sunt dicta, ea scilicet quæ ad institutum pertinent, hic describamus. Quæ igitur mense Martio anno superiori obsideri cœpta est, vltra annum dies nouem eamdem obsidionem propaga- tam fuisse Procopius tradit[d]: cuius quoque testificatione, Romanorum studium erga Chri- stianæ religionis cultum mirificè commendatur, cùm quæ essent Gentilitiæ superstitionis mirum in modum detestarentur; quod ex iis quæ tunc acciderunt, digno exemplo edito demonstrarunt: cuius rei causa fortasse accidit, vt non tam citò, veluti sub Alarico, tradita Gothis ipsa Vrbs fuerit, quando (vt suo loco superiùs dictum est) vigebat apud plurimos nobilium superstitio idolorum. Verùm licet purissimi modò Romani, paucis exceptis, es- E sent Christianæ religionis cultores, proculque abhorrerent ab omni cultu deorum: tamen quòd reiecto legitimo sacerdote, illic illud in loco sancto esset exaltatum idolum, ob Græ- cos tale sensit Vrbs ipsa flagellum: dederunt & pœnas, qui tantæ abominationis fuerunt auctores. Sed quæ de Iani delubro scribat Procopius, audiamus:

[d] *Procop. de bello Goth. lib. 1. & 2.*

SVPERSTITIONE GENTILITIA EXPLOSA, VRBS FORTIOR REDDITA.

Per id tempus (inquit[e]) Romani quidam Iani fanum aperire, foribus vi occultè illa- ta, tentarunt. Hic Ianus deorum antiquissimus fuit, cuius foro in medio & ex aduerso Capitolij sacellum extat paulo supra eum locum, quem nunc Romani Tres Parcas appel- lant. Id verò Iani sacellum totum ex ære constructum fuisse sat constat, & quadrata qua- dam dimensione locatum, tantæque amplitudinis, quanta integi Iani statua poterat, quæ vtique & ipsa cùm ænea sit, non minor quàm quinquepedalis esse apparet, per cetera om- nia mortali similis, capite dumtaxat bifrons, ita vt facies altera in orientem Solem diuer-

[e] *Procop. de bello Goth. lib. 1.*

gat, in

A gat, in occidentem altera: portæ vtrinque & æneæ in faciem alterutram versæ: quas ferme in pace & prosperis rebus occludi Romani veteres quondam instituerunt, contraque aperiri, dum interea bellum his esset. Sed Christianæ fidei disciplinam si vspiam alij vmquam, Romani præcipuè sunt venerati. Vnde has Iani portas perinde neglectas, ne bellantes quidem aperuere. In ea tamen obsidione nonnulli, vetustæ illius (vt reor) opinionis & cultus memores facti, enisi clàm sunt patefacere: haud tamen omnino id exequi potuerunt, nisi eatenus, vt fores vim passæ non inuicem sic cohærerent, ac antea arctiùs cohæsissent. Latuere tamen qui aggressi id facinus fuerunt, nulla eius rei, vt in tanta omnium perturbatione, habita quæstione; quippe cùm nondum ad Principes ipsos id delatum fuisset.] vtpote qui haud inultum facinus relicturi erant, vbi eius auctores solicitè perquisitos adinuenissent. Si igitur adeò magnum execrandumque æstimabatur sacrilegium, vel ape-
B rire Iani portas esse tentatum: quæ de sacrificantibus diis, aliósve superstitiosos deorum cultus tentantibus fuerant pœnæ sumendæ? Hæc de Vrbis obsidione; quam perdurasse menses quatuordecim dum alij tradunt, certè à Procopio, qui fuit præsens, erroris penitus arguuntur, cùm ipsam annum vnum & dies nouem perseueraſſe tantùm affirmet. Sed quæ his successerunt mala, narremus.

Sub hoc eodem anno, qui quartus belli Gothici à Procopio ponitur inchoatus, dira fames vexauit Italiam, de qua ista idem auctor habet[a]: Cùm (inquit) iam se verterat annus, & messis tempus adesset, in campis frumentum sua sponte matureſcebat; non tamen qua priùs id copia fuit, sed longè minori, vt quod nec hominum manibus, nec boum labore satum humoq; tectum fuisset, sed temere in agri superficiem iactum: vnde eius pars quædam terræ vi fota emerserat; ipsum id tamen cùm demeteret nemo, præ nimia sui maturitate
C in terram iteratò excidens tenaſcebatur. Quæ res cùm eumdem in modum in Aemilia accidisset, eius regionis homines propriis sedibus ac bonis relictis, in agrum Picenum profugerant, haudquaquam existimantes eius prouinciæ loca, quia maritima essent, eadem omnino rei frumentariæ inopia premi. Tuscos præterea haud secus ac pari de causa fames attigerat. Ex his tamen qui montes incolerent, frumenti in modum è glandibus commolitis confectum panem edebant. Vnde vulgatis velut in pecua morbis, vti par erat, multi mortales capiebantur, & paucis superstitibus interibant. In Picentes autem tradunt non minùs quinquaginta millia hominum præ inedia interiisse, & longè plures extra Ionicum sinum. Qua autem morbi specie, & quemadmodum hi morerentur, mox explicabo.

DIRA FAMES ITALIAM VEXAT ET PESTIS.

[a] *Procop. de bello Goth. lib. 2.*

Cùm enim nihil iis esset quo vescerentur, extenuati nimirum omnes pallentesq; reddebantur, caroque vt cibo diutiùs carens in se ipsa retracta cohæserat: fel item cùm nimium
D abundaret, atque adeò corpora ipsa vi sua oppressa iam infeciſſet, haudquaquam sinebat suo è pristino cursu in his venas defluere. Malo itaque peruincente, nihil prorsus succi corporibus relinquebatur. Cutis præterea obdurata corio persimilis erat, præ se maximè ferens quòd impacta ossibus inhæsisset, liuore iam in nigredinem commutato: vnde & homines exustis facibus nihil absimiles videbantur, eorumque facies stupidior erat, toruusque & furentis aspectus. Mortem itaque passim obibant, cibi partim inopia, nimia partim saturitate. Nam postquam in his fuerat calor omnis extinctus, quem natura introrsum exusserat: si quis fortè eos ad satietatem & non paulatim cibasset (vt recens nati lactari solent) cùm ingestos minùs digererent cibos, celeriùs longè moriebantur. Fuere qui fame cogente, alter-
E ni se elitarent: Feminas enim duas fuisse tunc tradunt, quæ viros septemdecim interfectos absumpserint, hæ namque (vt ferunt) cùm solæ & resides domi, ceteris mortuis superfuissent, diuertentibus ad se peregrinis, noctuque dormitantibus interfectis diuescebantur: septem itaque & decem diuersis temporum spatiis in cibum absumptis, octauus ac decimus qui ad has fortè diuerterat, somno tunc subitò experrectus, cùm in se eadem quæ & in cæteros fecerant, molirentur, cognita primùm facti ab his ratione, vtrasque obtruncat.

QVAE FAMIS TEMPORE TRISTIA ACCIDERINT.

ESVS HVMANARVM CARNIVM.

Sed eo iam alibi euaserat famis necessitas, vt quicquid vbique herbarum esset, celeriùs nonnulli adirent, & genu in terram nixi, cùm auellere has niterentur, deficientibus viribus (nam è corporibus vigor omnis abscesserat) porrectas ad herbas solo moribundi procumberent, insepultique passim manerent, cùm hos nemo humo contegeret: non enim erat qui sepulturæ rationem haberet.] hactenus de fame Procopius horum inspector ac deplorator.

Porrò Miscellæ auctor coniungit famem hanc cum ea quam Vrbs passa est, dum obsideretur; sed quàm atrox ista fuerit, testificatione S. Dacij Mediolanensis Episcopi ita paucis describit: Tanta siquidem per vniuersum mundum eo anno, maximeque apud Li-

ESVS FILIORVM.

guriam fames excreuerat, vt (ſicut vir beatiſſimus Dacius Mediolanenſis Antiſtes retulit) A pleræque matres infelicium natorum comederent membra.] hæc ipſe, quæ quidem perperam ponit ſub anno decimoquinto Imperatoris: ſicut & errare conuincitur Cedrenus, qui eamdem ſub anno nono recenſet. nam quantum ex Procopio, qui præſens fuit, inſpicere licet, ad præſentem hæc ſunt annum referenda. Sed non defuit tunc Dei ſeruis annona.

S. BENEDICTO DIVINITVS SVPPEDITATA ANNONA.

Tunc enim accidiſſe videtur mirandum illud, quod ſanctus Gregorius de ſancto Benedicto narrat his verbis[a]: Alio quoque tempore in eadem Campaniæ regione fames incubuerat, magnaque omnes alimentorum indigentia coanguſtabat. Iamque in Benedicti monaſterio triticum deerat: panes verò penè omnes conſumpti fuerant, vt non plus quàm quinque ad refectionis horam fratribus inueniri potuiſſent. Cumque eos venerabilis Pater contriſtatos cerneret, eorum puſillanimitatem ſtuduit modeſta increpatione corrigere, & rurſum promiſſione ſubleuare, dicens: Quare panis inopia veſter animus contriſtatur? Hodie quidem minus eſt, ſed die craſtina abundanter habebitis. Sequenti autem die ducenti farinæ modij ante fores cellæ in ſaccis inuenti ſunt, quos omnipotens Deus quibus deferentibus tranſmiſiſſet, nunc vſque manet incognitum. Quod cùm fratres cernerent, Domino gratias referentes, didicerunt iam de abundantia nec in egeſtate dubitare.] hæc Gregorius. B

[a] *Gregor. dialog. l. 2. c. 21.*

Sub eodem quoque anno quarto belli Gothici recenſet idem qui ſuprà Procopius eladem ciuitatis Mediolanenſis, quando à Gothis capta & ſolo penitus æquata eſt. Rem geſtam ipſe[b] pluribus ſcribit, quem tu conſulas. Sed quæ poſt tantæ vrbis excidium enarratum fuſiùs, breui cuncta ſtringens epilogo, demum adiicit, accipe: Mediolanum verò ampliſſimam vrbem ſolo æquatam delent, in eaque virorum trecenta millia ſine vllo ætatis reſpectu trucidant: feminas verò ſeruitiorum in morem abductas Burgundionibus dono dedere, C vt promeritas his gratias redderent pro initia ſecum belli ſocietate. Reparatum verò, qui ad Romanos defectionis cauſa fuerat, inuentum, comprehenſumque & minutatim conciſum vorandum canibus obiecere. Birgentius tamen eiuſdem non expers noxæ (nam & is Mediolani tunc aderat) fugiens in Venetos abiit; indeque ſequentibus ſuis, in Dalmatiam venit, & ex ea prouincia ad Imperatorem ſe Byzantium contulit.] hæc Procopius: quæ quidem facta ſunt à Mundila Gothorum Duce fœdifrago.

EXCIDIVM MEDIOLANI.

[b] *Procop. de bello Goth. lib. 1.*

De Dacio autem Epiſcopo Mediolanenſi, quem iam antea legatione apud Beliſarium functum eſſe ex Procopio[c] diximus, quid factum ſit, licet nihil dicat: ipſum tamen fuga lapſum cruentorum manus euaſiſſe Gothorum, S. Gregorius[d] Papa teſtatur, peruenisſeque Conſtantinopolim: ſed quòd perſecutores Gothi Ariani eſſent: cauſa fidei exactum ciuitate ipſe putauit; qui & quid in via eidem acciderit, ita narrat: Eiuſdem quoque Prin- D cipis tempore, *nempe Iuſtiniani*, cùm Dacius Mediolanenſis vrbis Epiſcopus, cauſa fidei exactus, ad Conſtantinopolitanam vrbem pergeret, Corinthum deuenit. Qui dum largam domum ad hoſpitandum quæreret, quæ comitatum illius totum ferre potuiſſet, & vix inueniret, aſpexit eminus domum congruentis magnitudinis, eamque ſibi præparari ad hoſpitandum iuſſit. Cumque eiuſdem loci incolæ dicerent, in ea tunc manere non poſſe, quia multis iam annis hanc diabolus inhabitaret, atque adeò vacua remanſiſſet: vir venerabilis Dacius reſpondit, dicens: Immo ideo hoſpitari in eadem domo debemus, ſi hanc ſpiritus malignus inuaſit & ab ea hominum habitationem repulit. In ea ſibi igitur parari præcepit; ſecurusque illam, antiqui hoſtis certamina toleraturus, intrauit. Itaque intempeſtæ noctis ſilentio, cùm vir Dei quieſceret, antiquus hoſtis immenſis vocibus, magniſque clamoribus cœpit imitari rugitus leonum, balatus pecorum, ruditus aſinorum, ſibilos ser- E pentum, porcorum grunnitus, ſtridores ſoricum. Tunc repentè Dacius tot beſtiarum vocibus excitatus, ſurrexit vehementer iratus, & contra antiquum hoſtem magnis cœpit vocibus clamare, dicens: Bene tibi contigit, miſer: tu ille es qui dixiſti: Ponam ſedem meam ad Aquilonem, & ero ſimilis Altiſſimo. Ecce per ſuperbiam tuam porcis & ſoricibus ſimilis factus es: & qui imitari Deum indignè voluiſti, ecce (vt dignus es) beſtias imitaris. Ad quam eius vocem (vt ita dicam) deiectionem ſuam malignus ſpiritus erubuit. An non erubuit, qui eamdem domum ad exhibenda monſtra quæ conſueuerat, vlteriùs non intrauit? Sicque poſtmodum Fidelium habitaculum facta eſt: quia dum eam vnus veraciter fidelis ingreſſus eſt, ab ea protinus mendax ſpiritus atque infidelis abſceſſit.] hæc ſanctus Gregorius. atque de his hactenus: reliqua de Dacio inferiùs ſuis locis dicenda erunt.

[c] *Procop. de bello Goth. lib. 2.*

[d] *Greg. dialog. lib. 3. c. 4.*

S. DACIVS FVGA LAPSVS VENIT CONSTANTINOP.

IESV

IESV CHRISTI ANNVS 540. | VIGILII PAP. ANNVS 1. | IVSTINIANI IMP. 14. VITIGIS REG. 4.

A

QVi sequitur annus Domini quadragesimus supra quingentesimum, ascriptus Fastis reperitur Consulatu solius Iustini: tu addas collegam Paulinum, Iuniorem dictum, ad distinctionem alterius Paulini, qui ante sex annos vnà cum Iustiniano Imperatore Consulatum gessit. Ex Actis tertij Concilij Aurelianensis Iustino Consuli hunc collegam addimus Paulinum. Cùm enim in fine eius Concilij notatum tempus habeatur, quo celebratum est, anno videlicet vigesimosexto Childeberti Regis Francorum sub Consulatu Paulini Iunioris; hic ipse annus Domini quadragesimus supra quingentesimum demonstratur: secundum verò Aurelianense sub anno vigesimosecundo eiusdem Regis notatum ha- B betur: vt planè appareat perspicua vndique veritas. Sic igitur, libera iam reddita à longa obsidione Vrbe, placuit Belisario hoc afflictis reddere Senatoribus, vt more maiorum suum in Occidente crearent Consulem, atque Paulinum eligerent, quem scirent ex progenitoribus Consulibus procreatum. Porrò idem annus à Procopio, qui per chronologiam belli Gothici numerat annos, ponitur quintus eiusdem belli.

CONSVLATVS PAVLINI IVN. ADDITVR FASTIS.

Quo anno Siluerius Papa in insula Palmaria relegatus, confectus ærumnis, consumptusque inedia, diem tandem clausit extremum duodecimo Kalendas Iulij, ita martyrij corona sublimis in cælum cum martyribus collegis assumptus; cùm etiam ab Ecclesia Catholica insignitus nobilique Martyris titulo sacro ascriptus Albo perenni memoria perseuerat dies natalis eius annis singulis rediuiuus. De loco autem martyrij inter Liberatum & Anastasium ea discrepantia reperitur, quòd ille in Palmaria insula id accidisse ait, iste verò in C Pontia: sed cùm eædem ipsæ sibi vicinæ sint, haud potest diuersitas ista alicuius esse momenti, cùm de altera in alteram transferri perfacilè potuisset. Ceterùm Liberatus diaconus cùm iis ipsis temporibus hæc scripserit, firmiorem sibi vendicat fidem.

SILVERIVS PAPA MARTYRIO CORONATVR.

Qui igitur martyrij coronã consequi sub Christianis Principibus Siluerius meruit, à Deo etiam post migrationem est illustratus gratia miraculorum, testantibus quidẽ signis, viuere glorioſum in cælo, quem vis tyrannica adeò compressisset in terris. nam audi Anastasium paucis magna narrantem: Sepultus est (inquit) in eodem loco XII. Kalend. Iulij*: ibiq; occurrit multitudo malè habentium, & saluantur.] hæc de miraculis. Ita quidem & ostensione signorum voluit Deus vniuersæ Ecclesiæ innotescere qui germanus esset Romanæ Ecclesiæ Pontifex, & palàm omnibus fieri, in cælum cum collegis martyribus Pontificibus esse receptum, quem furor hæreticorum & ambitiosi hominis insana cupido vsq; ad interitum D afflictassent. His verò Anastasius subdit: Hic fecit ordinationem vnam per mensem Decembris, *ordinauitq;* presbyteros tredecim, diacones quinque, Episcopos per diuersa loca numero decem & nouem] cùm sedisset annos quatuor, & quintum inchoasset. Quòd autem aliqui nec duos annos eius sedi concedunt, inde id eueniſse liquet, quòd absurdè admodum numerent eius sedis tempus vsque ad Vigilij intrusionem tantùm, cùm ipse Siluerius è sede expulsus est: at verò vsque ad consummatum martyrium semper ipsum legitimum perseueraſſe Pontificem, & Pontificia, vt licuit, exercuisse liquet; Vigilium autem contra verum Dei sacerdotem sedentem nullum meruisse Pontificis titulum constat. Subdit verò hæc Anastasius: Cessauit Episcopatus eius dies sex.] hucusque ipse.

SILVERIVS POST OBITVM MIRACVLIS CLARVS. * Iunij

Sunt planè eius illa vltima verba pensanda: Cessauit Episcopatus eius dies sex.] Quibus perspicuè intelligas, quem vsurpasse & malis artibus nactum esse, immo & inuasisse E diximus viuentis Siluerij sedem, & excommunicatum licet, factione tamen hæreticorum munitum vsque ad eiusdem Siluerij obitum tenuisse; hunc ipsum tamen, simulac Siluerium defunctum atque miracula edere audiuit, minimè diutiùs sedere perseueraſſe, seque ipsum in ordinem redegisse, probè scientem minimè se legitimum fore dicendum Pontificem, quem tot crimina deturpassent; cùm præter simoniacam labem, redarguerent ipsum conniuentia cum hæreticis, pactis conuentis conscripta iurataque ipsorum defensio & Anthimi restitutio, Siluerij insuper prędecessoris expulsio, eiusdemque necis cooperatio, atque demum quod post damnationem & anathema in ipsum à Siluerio irrogatum, sedisset nihilominus tamquam verus in Ecclesia Pontifex. Hæc, inquam, ipse considerans, post Siluerij obitum à sede malè occupata descendit, fretus tamen potentia Belisarij quòd esset eam mox iterum conscensurus: locumque sic præbens sacris habendis comitiis conquieuit. Ita quidem se à Pontificatu abdicasse Vigilium, ex spatio vacationis sedis Siluerij dicendum omnino

VIGILII PRVDENS CONSILIVM SE ABDICANDI.

omnino est:nam quomodo potuit secundùm Anastasium sedes vacasse sex dies, si Vigilius; A ipso viuente Siluerio, intrusus semel, sedere post eius obitum perseuerasset? neutiquam enim id aliquo modo potuit accidisse.

ASTVTE REM AGIT VIGILIVS.

Verùm, quòd ipse id fecerit tamquam repræsentaturus in scena comœdiam, non ex animo, sed vt quoquo modo eliceret de sua electione cleri Romani consensum: inde mihi facilè persuadeo, dum non (vt par erat) pœnitens scelerum patratorum, omnem penitus conceptam de sede Pontificia adipiscenda spem abiecit, seq; ea prorsus iudicauit indignum, reliquumque vitæ tempus (vt ab eo exigebant grauissima criminum pondera) in lacrymis sibi transigendum indixit; sed consueta summi honoris prurigine exagitatus, vt eum consequi tutò posset, nec vmquam inde eiici ob perpetrata delicta, huiusmodi sibi vafer viam aperiendam curauit: cùm præsertim securus de Belisarij voluntate, cuius studiis ex Theodoræ Augustæ mandatis foret totius cleri extorquendus assensus, haud dubiam iaceret aleam, B cùm sciret eamdem quam vellet faciem reddituram. At quoniam eorum quæ sunt in mente inspector tantùm & iudex atque vindex est Deus; non nobis quæ in eius mente cogitationes fixæ laterent, sed quas foris manifestè agendo cunctis aspiciendas proposuit actiones considerandæ erunt: nimirum ipsum, quod debuit exsoluisse, & vt immeritum, è sublimiori cathedra, quam superbè conscenderat, humili obsequio descendisse.

DEI PRO ROM. ECCL. PROVIDENTIA.

[a] *Rom.* 4. [b] 2. *Cor.* 4.

Ceterùm qui vocat ea [a] quæ non sunt tamquam ea quæ sunt, & de tenebris facit [b] lucem splendescere, non alium quàm se ipsum esse qui regit Israël, & deducit velut ouem Ioseph, vult à cunctis intelligi, dum sinit aliquando res Romanæ Ecclesiæ titubare, in summumque discrimen adduci, atque penè periclitari: vt cùm omnis fermè spes videri possit esse consumpta, & animo concidant deficiantque ipsi qui contra vehementes ventorum flatus nituntur & laborant in remigando; tunc ipse ex improuiso appareat, atque dicat [c]: Confidite, C [c] *Mar.* 6. [d] *Matt.* 14. ego sum, nolite timere. Sum ego ille ipse quidem, qui Petro [d], cùm cœpisset mergi, manum extendens, eduxi illum ex vndis. Sum ego qui eidem cæli claues tradidi & inferorum, quò scirent omnes, cælicolas ipsum habere socios, & inferis dominari. Ego ipse sum, qui, ne aliquis eius successor posset diffidere demeritis, post triplicis reatum negationis eidem Petro [e] *Matt.* 16. vniuersalis gregis credidi præfecturam. Ego insuper ille ipse sum, qui eidem aliquando dixi [e]: Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduersus eam.] ne videlicet quilibet successor eius clauum tenens, ad impetum tumentium fluctuum timeret quassari nauiculam, vel in scopulos illisam frangi, dissoluique si impingat in Syrtes: cui magis sit metuenda infida securitas, ne in littore otiosa consistens cœno putrescat & alga sepeliatur, quàm à sæuo flante Aquilone tempestas. Sic igitur ex insperato tandem post diras, quibus agitata est Ecclesia Romana, procellas, imperante Deo D ventis & mari, facta est tranquillitas magna, cùm qui hactenus ad malum Vigilius vigilasset, cœpit pro vniuerso grege agere vigil excubias, vbi legitimus esse cœpit Episcopus. Quomodo autem hæc facta sint, audiamus.

CLERI ROMANI CONSILIVM DE ELIGENDO PONT.

His igitur quæ dicta sunt, à Vigilio legitimè de sedis abdicatione completis: mox studia Belisarij, vt idem eligeretur Pontifex, suffragantur, populum ad id petendum impellentis atque Senatum. Tunc clerus in maximas coniectus angustias, quid ageret, agitabat diu multumque mutuis consultationibus: primumque longè abhorrens vt hominem tot criminibus implicatum in sedem eueheret Pontificiam, id præsertim sacris Ecclesiæ legibus prohibentibus: sed & quod immineret periculum, ne obsequens Vigilius votis Augustę, eamdem sedem Apostolicam (quod numquam acciderat) si non hæresi, saltem communicatione cum hæreticis inita macularet, ab eius electione se magis magisque exhibuit alienum. Ma- E gna quidem erant ista: adeò vt ad eligendum Vigilium nullis adduci rationibus possent qui essent optimi; sed omnes, vt ab execrando facinore, ab eius electione longè longiùs abhorrere, suadebat ipsa recti amans ratio. Contrà verò accuratiùs rem expendentes, manifestè cernebant, si quemcumque alium eligerent Summum Pontificem, scindendam mox fore Ecclesiam diro schismate, quod potentia sæculari, ex sententia iussisque Theodoræ Augustæ rursus euehendus in Pontificiam sedem Vigilius esset, rursus idolum collocandum in templo, conspiciendamque abominationem desolationis stantem in loco sancto; per quem timerent simul cum schismate etiam hæresim inducendam; vtpote indigentem Vigilium auxiliis Theodoræ, vt in sede semel adepta contineri firmarique posset, in gratiam ipsius cuncta facturum contra illum quem clerus elegisset Romanum Pontificem; foreq; vt alius numquam sessurus esset, quousque viueret Theodora.

His

A His insuper addebatur,quòd cùm Vigilij personam, quam diu ob oculos habuissent, satis perspectam haberent,nempe esse hominem re vera Catholicum,honoris tamen cupiditate flagrantem, cuius rei causa sese turpissimè Theodoræ Augustæ instar mancipij vendidisset: salubre illud consilium inierunt, vt ipsum quoq; modo possent ab Imperatrice redimerent, impenso illi honore quem cuperet; sibique ita hominem vendicarent, atque hoc modo arctioribus nexibus obligarent: duplicem inde se consecuturos esse vtilitatem videntes, nempe & ab imminente schismate & ab irrepente hæresi Ecclesiam Romanam reddendam fore securam. Sic igitur diuinitus inspirato consilio (vt exitus declarauit) communi sententiæ inhærentes, more maiorum solemnibus ritibus rem agentes, accipientesque ab ipso Vigilio Catholicæ fidei professionem vnà cum hæresum & hæreticorum omnium execratione, euehunt ipsum in Pontificium thronum, creantque Romanum Pontificem
B sexto (vt dictum est) die à morte Siluerij, quarto Kalendas Iulij.

DE VIGILII PAP. ELECTIONE.

Hæc quidem cuncta Dei nutu esse facta, probauit euentus: siquidem nouo exemplo accidit, vt qui [a] ad maledicendum populo Dei Propheta antea fuisset inductus, idem ad benedicendum eidem conuerteretur; & qui [b] missus fuerat homicida, in Prophetam Deum laudantem continuò mutaretur. Fuit ista planè mutatio dexteræ Excelsi, & insigne miraculum, quo perspicuum factum est, Dei prouidentia Romanã Ecclesiam solicitiùs gubernari, vt in quouis discrimine constituta, sit penitus liberanda; quòd diuina sit promissione secura, vt à portis inferi semper illæsa permaneat; & mirifica quadam transformatione, quos iniquos accepit, soleat mox reddere sanctos, vt iidem fixè mox ipsi inhærentes sacræ Petræ, super quam Christus suam fundauit Ecclesiam, instar polypi ipsius colorem accipiant, & quod maius est, eiusdem quoque consequantur robur & firmitatem. Siqui-
C dem probarunt euenta (quod apparuit tamquam ostentum) ipsum qui hactenus sterilis arundo fuit & mobilis in diuersa agitata pro diuersitate ventorum, in firmam stabilemque petram esse conuersum, solido inhærentem in Ecclesia posito fundamento. Hæc de electione Vigilij, sæculari quoque nobilitate clarissimi, filij nimirum (vt Anastasius habet) Ioannis Consulis.

[a] *Num.* 12. 13. 14.
[b] *1. Reg.* 19.

MIRABILIS FACTA DIVINITVS TRANSMVTATIO.

Horum gratia scito, non ob aliam, quòd clero non adeò liberum esset quicquid vellet liberè agere, dictum à sancto Gregorio, ab Hormisdæ tempore vsque ad Vigilium fuisse Romanorum Pontificum ordinationes expositas: sunt enim hæc eius verba [c]: De ordinationibus verò Apostolicæ sedis Pontificum, vtrum post beatissimum virum Hormisdam aliqua sint addita, charitas vestra requirit: sed vsque ad Vigilij Papæ tempora expositas ordinationes Præsulum esse cognoscas.] hæc ipse. Haud tamen ob id Deus ipsam suam derelinquit Ecclesiam; sed cùm ipse eidem præsideret Antistes, mala cuncta obuiantia conuertere
D sciuit in bonum, ipsosque lupos in gregem irruentes in optimos mutare pastores: vt omnes intelligerent, esse Deum qui regat Israël.

[c] *Greg. regist. li. 7. epist. 53.*

Quis enim non intelligat, ista de electione Vigilij improbi hominis diuino consilio esse permissa, ne quis contemnendum putet, si quem viderit non meritis, sed nomine tantùm referentem Petrum sedere super Apostolicam sedem Pontificem? memor & vmbræ Petri immensam à Deo præstitam esse virtutem: nam etsi quid inane esse vmbra prorsus appareat, corpus tamen ipsum Sole illustratum ostendit; sicque ex diuina facta Petro promissione, qui vmbra tantùm eius corporis sua imbecillitate videri possent creati Pontifices, eosdem tamen non esse Apostolicæ virtutis expertes; prout euentu rerum in Vigilio factum
E intelliges, nec quidem aliquo temporis interuallo; sed (quod magna admiratione dignum est) statim vbi legitima electione Petri thronum conscendit, sacerdotale robur accepit, & constantiam induit Pontificiam: vt planè ad confutandas hæreses atque hæreticos visus sit accepisse à Domino Apostolatum, omnem spem penitus adimens aliter de se sperandi iis qui eum (vt vidimus) ad praua quæque perpetranda pellexerant. Quo enim tempore exspectabatur, vt post Siluerij obitum reuocaret (quod fuerat ipse antea Theodoræ Augustæ pollicitus) Anthimum Episcopum ab Agapeto damnatum Constantinopoli: tunc aduersus eum atque collegas ipsius hæreticos irrogatum in ipsos anathema, illud iterans, confirmauit. At quomodo id acciderit, videamus.

PETRI SVCCESSOR LICET MALVS A DEO NON DESTITVITVR.

Hoc igitur anno sub Iustini Consulatu, simulac de legitima electione Vigilij Constantinopolim nuncium perlatum est: ab Imperatore præstitum fuit, more maiorum, quod Imperatores Catholici præstare consueuerunt (vt superiùs dictum est ex Symmachi Papæ Apologetico ad Anastasium) nimirum siue cùm Imperij gubernacula susciperent, siue cùm Aposto-

DE LEGATIONE IVSTINIANI AD VIGILIVM.

Apoſtolicæ ſedi nouum cognoſcerent Præſulem inſtitutum, ad eum protinus epiſtolam dare, qua ſignificarent ſe in eadem fidei profeſſione ipſorum eſſe conſortes. Iuſtinianus itaque Romam ad ipſum Vigilium mittens legatum Dominicum Patricium virum clariſſimum, ei ad eumdem litteras dedit, fideiſque Catholicæ confeſſionem adiecit. Præſtitit id ipſum obſequium & Mennas Conſtantinopolitanus Antiſtes, eiuſdem argumenti ad ipſum Vigilium ſcripta dirigens: deſiderantur ipſa quidem; ſed ita omnino factum eſſe, quæ ad eos ab ipſo Vigilio ſunt redditæ litteræ, aperte declarant, quas ex codice Vaticano acceptas iamque typis excuſas atque editas hîc reddituri ſumus. A

IVSTINIANVS ALIENVS A THEODORAE IMPIETATE.

Sed primùm illud ex iis exploratum habeas, longè abfuiſſe, vt Iuſtinianus Imperator in damnationem Siluerij ob reſtitutionem Anthimi Theodoræ Auguſtæ conniuerit: etenim ſi id accidiſſet, nequaquam confirmationem rerum geſtarum per prædeceſſores Romanos Pontifices, potiſſimùm verò Agapeti qui depoſuerat Anthimum, ipſe à Vigilio Papa dictis litteris per legationem Dominici exegiſſet. Vnde ſatis perſpicuum videri poteſt, verum eſſe quod dictum eſt, ea omnia Theodoram clanculo cum Vigilio eſſe molitam per Beliſarium, Iuſtinianum autem ab omni Vigilij cum Theodora conniuentia prorſus immunem fuiſſe. B

VIGILII REPENTINA MVTATIO.

Sed iam audi grandi miraculo noua hominem loquentem lingua, vbi Pontifex cœpit eſſe germanus: vt ſecundùm vetus prouerbium illud [a]: Num & Saul inter Prophetas?] acciderit: momentoque temporis, vbi in ſanctæ Eccleſiæ ſede verè Vigilius conſtitit, nouam formam acceperit, vocesque nouas ediderit, & conſona ſanctis Patribus prophetarit, mutatus mira transformatione in virum alterum, nempe ex hoſte in defenſorem, ex perſecutore in prædicatorem, ex blaſphemo in confeſſorem, atque demum in omnibus ex perfido in fidelem. Sed audi ipſum è ſublimi Apoſtolico throno ad Orientem conuerſum litteris ſuis iſta clamantem [b]: C

[a] 1. *Reg.* 10.

[b] *Ex Cod Vatic epiſt. 2 Vigil to. 1. epiſt. Rom. Pont.*

VIGILII PP. EPIST. AD IVSTINIANVM IMP.

Glorioſiſſimo & clementiſſimo filio Iuſtiniano Auguſto Vigilius Epiſcopus.

Litteris clementiæ veſtræ, glorioſo viro filio noſtro Dominico Exconſule atque Patricio deferente, aſſueta veneratione ſuſceptis: iucunditate multiplici vniuerſali Eccleſiæ gaudendum eſſe perſpeximus, quòd Chriſtianam fidem, qua diuina Trinitas honoratur & colitur, in nullo diſſimilem, in nullo permittis eſſe diſcordem: & hanc clementiſſimo Imperio veſtro, Dei, cui ſeruiendo regnatis & regnando ſeruitis, gratiam indefeſſis cumulatis operibus; vt in his quæ vobis pro integritate & deuotione fidei veſtræ Dominus ſingulari pietate conceſſit, agnoſcantur iuſtè ac conuenienter impleri: quam prædicationem docet Apoſtolus [c]: quia Sancti per fidem vicerunt regna. Qualia enim regna plus armis fidei quàm corporea fortitudine viceritis, docet immenſitas gentium ſubiectarum: quæ quanto maior aſſurgit numero, tanto myſtici ſolius perfecta operatione miraculi ſuperatur. D

[c] *Hebr.* 11.

IMP. IVSTINIANI FIDEI RECTA CONFESSIO.

Vnde nos in Domino nimium conuenit gloriari, quòd non Imperialem ſolùm, ſed etiam ſacerdotalem vobis animum concedere ſua miſeratione dignatus eſt: & quod omnes Pontifices antiqua in offerendo ſacrificia traditione depoſcimus, exorantes vt Catholicam fidem adunare, regere Dominus & cuſtodire toto Orbe dignetur; ſummis hoc pietas veſtra viribus effecit; cùm per omnes regni veſtri partes & vniuerſos fines terræ eam fidem, quam per venerabiles ſemper Chriſtianæ confeſſionis iudicio complectendas Nicænam, Conſtantinopolitanam, Epheſinam primam, ſed & Chalcedonenſem Synodos conſtat irreprehenſibiliter ſolidatam, inconcuſſa iubeatis pace ſeruari: nec Chriſtiano quemquam vocabulo nuncupetis, qui ſe à præfatarum Synodorum vnitate ſeiungit: & qui fidem earum non omnibus viribus omnique defendit adnixu, non iudicandum, ſed iam iudicatum potiùs exiſtimetis. E

Cui non ergo ſacerdotum iucundam exultationem & gaudia infinita conciliet, quod inſertum per Dei noſtri gratiam cordi veſtro lumen Euangelicæ veritatis, pernicioſorum atque hæreticorum dogmatum nocte diſcuſſa, vniuerſali reſplendet Eccleſiæ? Abſit ergo à nobis, vt quod omnibus fratribus & coepiſcopis noſtris generare gaudium profitemur, noſtrum non aut cum omnibus miſceatur, aut (quod magis dignum eſt) ſupra cunctos emineat. Ex qua re, venerabilis Imperator, deuota venerationis gratulatione ſuſcipimus, quod ardore fidei & ſuauis iracundiæ commotione ſuccenſi, nobis etiam pios direxiſtis affatus, in quibus beatæ recordationis Cæleſtinum atque Leonem Apoſtolicæ ſedis Præſules, qui ſingulas hæreſes pro diuina ſibi diſpenſatione commiſſa cum Synodali congregatione

A gatione damnantes, quid cuncti generaliter sequi debeant Christiani, mansura in æuum lege sanxerunt, laudabili commemoratis affectu. Quorum probabilia constituta sanctæ recordationis Hormisda, atque Ioannes senior, necnon & Agapetus decessores nostri per omnia conseruantes, vniuersos Nestorianæ atque Eutychianæ sequaces hæresis iustæ mucrone sententiæ perculerunt: quod nos summis viribus sequi, summoque adnixu defendere, pietatis vestræ clementia indubitabiliter agnoscat. Sed & beati Leonis epistolas ad sanctæ recordationis Flauianum tunc Constantinopolitanæ ciuitatis Antistitem, necnon & ad clementissimæ memoriæ Leonem Principem destinatas, quibus hæreticorum, id est, Nestorij atque Eutychetis perfidiam, rationabili assertione, Deo sibi inspirante, confudit, omnino amplectimur & qua oportet charitate defendimus. Et quamuis nos animi, fideique nostræ, Deo custodiente, sinceritas contra ea nullatenus venire permit-
B tat: perpendere tamen debet vestræ pietatis admiranda prudentia, quia non digni censentur Antistites, qui præfatorum Præsulum sedis Apostolicæ inuiolabiliter minimè constituta seruauerint.

PRAEDECESSORIBVS IN HAERET VIGILIVS.

Hæc ergo quæ de fide à Patribus sanctarum quatuor Synodorum, & à designatis beatæ recordationis Papæ Leonis epistolis, atque à suprascriptorum prædecessorum nostrorum constitutis sunt venerabiliter definita, per omnia nos sequentes, & eorum doctri-
ANATHEMA IN HAERETICOS.
næ contrarios probabili Apostolicæ sedis auctoritate damnantes: anathematizamus eos, quicumque de fidei eius expositione, vel rectitudine, aut disputare peruersè, aut infideliter dubitare tentauerint, & contra eadem sentientes, quæ de fide in Nicæna, Constantinopolitana, Ephesina prima, & Chalcedonensi sanctissimis Synodis, necnon & beatæ recordationis prædecessoris nostri Leonis epistolis, quarum fecimus mentio-
C nem, vel vniuersis, quæ ipsius sanxit auctoritas, continentur; Catholicæ fidei vnitate secernimus: Amplectentesque & in omnibus comprobantes fidei vestræ libellum, quem nostri obsequij famulatu tunc prædecessori nostro piæ recordationis Agapeto pietas vestra Orthodoxa deuotione contradidit: in quo ea quæ mente geritis, ad eruditionem futuræ ætatis, scripturæ quoque testimonio declarastis. Nihilque à sæpe dictorum prædecessorum nostrorum fide deuiantibus, sub qualibet occasione seruamus: nisi fortè si hæresis, in qua volutantur, amputata caligine, suprascriptam de fide veritatem pœnitentiæ competentis voluerint correctione sectari: & damnatis omnibus, quæ contra ea quæ præfati sumus, prauissima quidam impietate dixerunt, subscriptionibus suis & propriis vocibus cunctos hæreticorum respuentes errores, canonica fuerint districtione conuersi, vt tunc communionis sacræ mysterium mereantur; dum omnia quæ præfati su-
D mus, canonica & Apostolica districtione impleuerint: quia nos nulli corrigenti se pœnitentiæ locum conuenit amputare.

In his verò, in quibus Mennam fratrem & coepiscopum nostrum, memorem libelli sui,
ANATHEMA IN ANTHIMVM ET SOCIOS.
quem prædecessori nostro beatæ memoriæ Agapeto, ordinationis suæ tempore, vestræ clementiæ consensu, porrexerat, sequentem re vera sedis Apostolicæ disciplinam, hæreticis inferiùs comprehensis, id est, Seuero Eutychiano, Petro Apameno, Anthimo qui etiam Ecclesiam Constantinopolitanam praua ambitione peruaserat, Zoaræ, sed & Theodosio Alexandrino, & Constantino * Laodicensi, atque Antonio Versentano Eutychianæ hæ-
* Constantio
resis, sed & Dioscoro, qui in Chalcedonensi Synodo inter alios legitur fuisse damnatus, & defensoribus atque sequacibus anathema dixisse, pietas vestra mandauit: in nullo à nobis quidem molestè suscipitur à prædicto fratre nostro vel à quolibet alio in hæreticos dicta
E damnatio: sed & libenter amplectimur, & sedis Apostolicæ auctoritate firmamus, complices damnatorum simili anathematis vltione plectentes, ea videlicet ratione, vt (sicut suprà meminimus) secundum Præsulum sedis Apostolicæ constituta, his qui resipuerint, & præcedentium Synodorum, vel suprascriptorum Apostolicæ sedis Pontificum susceperint constituta, pœnitentiæ & communionis aditum reseremus.

Sed quia nouimus potiùs plus illos, qui hæreticam perfidiam destruunt, sibi magis pro-
OMNES HAERETICOS AEQVE DAMNAT.
desse errantium vitando consortium, quàm sententiæ suprascriptorum Patrum multipliciter solidatæ aliquid fimitatis adiungere, quam constat suis indubitatè viribus, Deo auctore, subsistere: ideo hactenus tamquam non nouiter latam damnationem, minimè arbitrati sumus nouo aliquo indigere responso. Qui enim hæresum, quarum suprà meminimus, vel omnium aliarum, quæ sunt Apostolica definitione & constitutione damnatæ, sectatores fuerint inuenti, non tantum ex noua lege, sed ex ipsa auctorum suorum iampri-

dem

dem damnatione perculsi sunt.] Addit his Vigilius defensionem, quòd cùm iam diu antè A
se gesserit pro Pontifice, nec quicquam tale Constantinopolim scripserit, à plerisque suum
silentium in deteriorem partem fuisset acceptum, atque ait:

Et licet pietatem vestram aliter de taciturnitate nostra suspicari vel intelligere voluerit
malignus interpres: nos tamen, quos beatus Petrus [a] Apostolus omni poscenti rationem red-
dere pia traditione constituit, libenti animo Christianitati vestræ satisfaciendum esse per-
speximus: suppliciter sperantes [*], vt nullius subrepentis insidijs priuilegia sedis beati Petri
Apostoli Christianissimis temporibus vestris in aliquo permittatis imminui: quæ si turben-
tur (quod non credimus) aut minuantur in aliquo, violatæ fidei instar ostendant [*]. Scit enim
sapientiæ vestræ pietas singularis, illam se auctoritati ipsius beati Petri Apostoli retributio-
nem modis omnibus merituram, quam vel in illius priuilegijs, vel in nostra humili vestra
seruaueritis, Deo vobis adspirante, persona. Tamen vt cuncta pietatem vestram informent, B
& nihil pro callidi insidiatoris astutia vlteriùs relinquatur ambiguum: beatæ recordationis
prædecessoris nostri Papæ Leonis, quæ diuersis ad Orientem sunt directa temporibus con-
stituta, quanta de plurimis in præsenti necessaria credidimus, superadiecimus: rogantes per
ipsum, cuius causam integrè agere festinatis & cupitis Christianitatis affectu, vt vniuersa le-
gere pietas vestra dignetur, ne aliquid superfit quod minimè relegatur. Scio enim, quia sicut
Deus vobis legem dederit voluntatem, ita cuncta tractantes, sapientia vobis singulariter à
Deo concessa disponitis, vt neque de religione, neque de aliquo præiudicio quilibet fide-
lium sacerdotum possit in qualibet parte vexari.

[a] 1. Pet. 3.
[*] petentes
DE PRIVILEGIIS ROM. ECCL. NON MINVENDIS.
[*] offendant

VIGILIVS FIDEM CATHOLICAM ILLIBATAM SERVAVIT.

Rationem his igitur (prout Christianitatis vestræ meritum postulabat) in quan-
tum valuimus reddidisse sufficiat: quamuis nos nihil contra Synodalia vel prædeceſſo-
rum nostrorum Præsulum sedis Apostolicæ constituta aut commisisse aliquid, aut ten- C
tasse, quisque licet astutus & subtilis inueniet. Ea verò quæ fidei Catholicæ vel animæ
nostræ expediunt (de qua, sicut nouit pietas vestra, & pro sacerdotali officio, & pro
multiplicibus præstitis clementiæ vestræ, causam plus alijs habeo cogitandi) suggerere
non omitto. In primis supplicantes, & ipsius beati Petri Apostoli (quem diligitis) inter-
cedente suffragio postulantes, vt semper ad hanc sedem Apostolicam pro disponendis
Reipublicæ vestræ vtilitatibus Orthodoxas & Deo placitas & rugam aut maculam fidei
non habentes dignemini destinare personas, per quas & ea quæ publico vestro conueniunt,
salubriter ordinentur, & pro animæ vestræ mercede Catholicæ disciplinæ in nullo contur-
betur integritas: vt vniuersi re vera illud gratiæ cælestis munus iam (sicut & credimus)
pietatem vestram habere cognoscant, quod Salomon adhuc à Domino postulabat, di-
cens [b]: Dabis seruo tuo cor audire & iudicare populum tuum in iustitia, & intelligere inter D
malum & bonum.

[b] 3. Reg. 3.

COMMITTIT SECRETA LEGATO.

Et quia per filium nostrum Dominicum præsentium portitorem quædam verbo sugge-
renda mandauimus: speramus, vt ea (aspirante vobis Domino) & libenter audire digne-
mini; & maximè quæ Ecclesiasticæ paci ac dehinc generalitatis quieti profutura sunt, consue-
ta Christianitate & prouidentia disponatis.] hanc ad Iustinianum Vigilius per legatum mis-
sum responsionem dedit: qua cùm inter alia de fide Catholica illibatè seruata atque ser-
uanda adeò glorioſa de se prædicet, tum omnem de hæretica à se scripta epistola suspicio-
nem abolet, tum etiam omnem prorsus voluit siue Theodoræ siue alijs ademisse spem im-
plendi, quæ de Anthimo restituendo fuisset aliquando pollicitus. Datam autem hanc esse
hoc anno sub Consulatu Iustini, ex data per eumdem redeuntem Dominicum legatum alia
epistola ab eodem Vigilio ad Mennam satis perspicuè intelligi potest. Sed videamus ipsam E
eadem legatione ad Mennam Constantinopolitanum redditam. est huiusmodi [c]:

[c] Vigil epist. 3 tom. 1. Conc. Rom. Pont.

VIGILII EPISTOLA AD MENNAM.

Dilectissimo fratri Mennæ Episcopo Vigilius Episcopus.

Licet vniuersa (prout, Deo auxiliante, potuimus & credidimus expedire) domino filio
nostro sereniſſimo & Christianissimo Imperatori de Ecclesiasticis causis nostræ insinua-
tionis sermone suggesserimus: necessarium tamen iudicauimus & charitati vestræ per
Christianissimi filij nostri Patricij Dominici personam scripta dirigere, quibus nos gran-
di exultatione & gaudio suscepisse cognoscite, quod Nicænam, Constantinopolitanam,
Ephesinam, & Chalcedonensem sanctissimas Synodos, in quibus fidei Orthodoxæ atque
Apostolicæ fundamenta monstrantur) sicut pollicitationis vestræ tunc ad prædecessorem
nostrum sanctæ recordationis Agapetum lectio data testatur) inuiolabiliter vos asseritis cu-
stodire, & maximè beati Leonis prædecessoris nostri sequi in omnibus constituta. Quid
est cha-

A est charitati tuæ dignius honoris quod conueniat, nisi à Romanorum Præsulum non deuiare doctrina? Aut quid nobis iucundius, quídve sit gratius, quàm illos in Christi Domini & Saluatoris nostri charitate complecti, qui maiorum nostrorum & prædecessorum facta custodiunt?

Vnde spiritualiter salutantes te, hortamur, & qua nos conuenit affectione incessanter alloquimur, vt illius normam, illius admonitionem, illius (sicut & promisisti & indicas) sequaris in omnibus constituta. Plena sunt enim de prædicti prædecessoris nostri sanctæ & venerandæ recordationis Leonis scriptis vestræ fraternitatis scrinia, quæ ad prædecessores tuos leguntur ab eodem destinata Pontifice: ibidemque quod & nostris prædecessoribus, quod vestri promiserint, releguntur. Sed hæc dixisse sufficiat. Apostoli namque sermo ante oculos nostros est, qui dicit[a]: Sapientiam loquimur inter perfectos. De his verò, qui- [a] 1. Cor. 2.
B bus te memorem libelli, quem suprascripto prædecessori nostro tradideras, & sequentes Apostolicæ constituta doctrinæ in hæreticos inferiùs comprehensos, id est, in Seuerum Antiochenum, Petrum Apamenum, Anthimum quoque peruasorem Constantinopolitanæ Ecclesiæ, & Theodosium Alexandrinæ ciuitatis, necnon & Constantinum atque Antonium Versentanum Eutychianæ hæresis, sed & Dioscorum, qui in Chalcedonensi Synodo inter alios legitur fuisse damnatus cum defensoribus atque sequacibus, anathema dixisse cognouimus: In quibus non aliquid nouum sententiæ olim à Patribus decretæ iunxisti, nec talibus Præsulibus beati Petri Vicariis in auctores hæresum ipsarum data sententia penitus indigebat: quia qui damnatæ hæreseos sectator agnoscitur, non tantùm ex nouella lege, sed ex ipsa iam auctoris sui damnatione perculsus est: gratè admodum & libenter amplectimur, & auctoritatis sedis Apostolicæ, cui nos Deus præsidere voluit, interpositione firC mamus; & vniuersi eorum complices, vel omnes hæretici pari damnationis sententiæ subiacebunt.

DE FIDE CATHOLICA ILLIBATE SERVANDA.

Hoc tantummodo (sicut Apostolicæ moderationi conuenit) per omnia reseruantes, vt si aliquis vel eorum vel quorumlibet errantium, quasi agnita Catholicæ fidei veritate, pœnitentiam agens, reuerti voluerit, & hæresis in qua volutatur errore contempto, scripturæ quoque professione vniuersam errorum suorum ac complicum damnauerit prauitatem, & Apostolicæ sequens instituta doctrinæ anathema dixerit ei, qui vel prædictas quatuor Synodos in fidei causa non sequitur, vel beatæ recordationis prædecessoris nostri Leonis venerabilia constituta in omnibus non confitetur, & non in omnibus viribus omnique animi sequitur puritate: tunc communionis nostræ (quam nulli nos negare conuenit pœnitenti) sub Apostolica & canonica (sicut præfati sumus) satisfactione modis omnibus agetur: quia
D Redemptor[b] noster non venit aliquem perdere, sed omnes sua pietate saluare. *Et manu domini Papæ.* Deo iuuante, per ipsius gratiam Vigilius Episcopus sanctæ Ecclesiæ Catholicæ vrbis Romæ has scedas epistolarum suprascriptarum, quas ego Deo iuuante dictaui, ipso auxiliante recognoui, atque subscripsi. *Et alia manu subscriptio Flauij Dominici Patricij.* Flauius Dominicus V.C. Comes Domesticorum Exconsul ac Patricius has schedas à beatissimo atque Apostolico Papa Vigilio in causa fidei facta ad domnum nostrum Iustinianum piissimum & Christianissimum Principem, sed & ad Mennam virum beatissimum Constantinopolitanæ Archiepiscopum ciuitatis, relegens, conferens, consentiensque subscripsi die xv. Kalend. Octobris, Iustino V.C. Consule.]

[b] 1. Tim. 2.

QVID AGERE DEBERANT RESIPISCENTES HAERETICI.

Porrò Flauius Dominicus iste, qui hac ad Vigilium Papam legatione functus est, illum existimamus esse Dominicum, qui Præfecturam Prætorij agebat Illyrici, vt patet ex No-
E uella centesima sexagesimasecunda. Vides igitur, qualia quantaque ipso suæ sedis ingressu Vigilius præstitit: vt nihil minus habuisse appareat ab omnibus sanctissimis prædecessoribus, nihil veritus Theodoræ Augustæ insidias, ad cuius nutum sciebat Belisarium Ducem exercitus cuncta mouere, prout ex his quæ in Siluerium facta essent, potuerat didicisse: quanto namque ista ipse tentaret periculo, optimè conscius erat: verùm fidei Catholicæ causa etiam vitam ipsam prodigendam esse, si opus esset, ex petra veluti grandi miraculo petræ soliditate percepta, iam firmiter mente conceperat. reliqua verò annis sequentibus. Sed lustremus res gestas in Galliis.

SYNODVS AVRELIAN. TERTIA.

Ad hunc eumdem annũ, qui numeratur vigesimussextus Childeberti Regis Francorum, referenda est tertia Synodus Aurelianensis: tot enim ipsius regni reperiuntur anni ab obitu Clodouei. Addita est annis Regis nota etiam Consulatus Paulini Iunioris, qui desideratur in Fastis: sed adiiciendus collega Paulinus Iustino, vt exordio anni huius præfati sumus.

Nec est quod quis dicere possit, Paulinum istum illum esse intelligendum, qui ante annos sex Consulatum gessit: siquidem non solùm his repugnant anni Regis Francorum hîc numerati, sed & Acta secundæ Synodi Aurelianensis itidem annorum Regis chronographia consignata, de qua suo loco superiùs dictum est. hæc quò ad tempus. A

Quod autem ad res in eadem Synodo gestas pertinet: fuit quidem Synodus ista nobilis ob sanctos Episcopos, qui eidem interfuerunt siue per se siue per vicarios numero viginti-quinque, iidem sanctitate spectati. Inter alia autem plura quæ trigintaduobus capitulis in hoc Concilio sunt definita, recens fuit canon vigesimusnonus, qui hæc de Iudæis:

DE IVDAEIS CANON ET REGIS EDICTVM.

Quia Deo propitio sub Catholicorum Regum dominatione viuimus; Iudæi à die Cœnæ Domini vsque ad secundum sabbati in Pascha, hoc est, ipso quatriduo procedere inter Christianos, neque Catholicis populis se vllo loco, vel quacumque occasione miscere præsumant.] hæc canon, cui accessit ipsius Regis Childeberti edictum hac de re promulgatum; quod citatur à Concilio Matisconensi[a] itidem in Gallia celebrato, vbi & huius sanciendæ legis causa narratur, addunturq; alia aduersus eosdem pariter constituta, dum ibi ista subduntur: Secundum edictum bonæ recordationis domini Childeberti Regis per plateas aut forum (illo quatriduo scilicet) quasi insultationis causa, deambulandi licentia denegetur. Et vt reuerentiam cunctis sacerdotibus Domini vel clericis impendant, nec ante sacerdotes confessum nisi ordinati habere præsumant. Qui hoc facere fortasse præsumpserit, à Iudicibus locorum (prout persona fuerit) distringatur.] His fuit infrenanda legibus petulantia Iudæorum, quæ vbique & semper Christianæ religioni insultare consueuit. B

[a] *Concil. Matisconen. 1. c. 14.*

Sed & memoria dignum illud in hoc eodem Concilio [b] statutum esse constat, vt clericus cuiuslibet gradus sine Pontificis sui permissu nullum ad sæculare iudicium præsumat attrahere: neque laico, inconsulto sacerdote, clericum in sæculari iudicio liceat exhibere. Ista quidem sanctissimi Patres illi, clericorum ac totius Ecclesiæ immunitati prospicientes sanxere, haud dubium annuentibus ipsis Francorum Regibus, quibus & cum fide Catholica Ecclesiastica immunitas cordi erat. C

[b] *Eod. Concil. c. 31.*

ALBINI SANCTITAS ET DIGNA SEVERITAS.

Quod autem vnà cum aliis huic Synodo S. Albinus Episcopus Andegauensis interfuisse reperiatur, vir ob egregiam sanctitatem vbique spectatus: quid ipsi acciderit, cum noluit excommunicato benedictionem impertiri, eius vitæ Acta [c] declarant, in quibus inter alia hæc leguntur: Præter labores reliquos etiam per Synodos pro ipsa causa, *incestarum scilicet nuptiarum, quarum auctores damnauerat*, sæpiùs excitatus excurrens, ad postremum complurium Episcoporum iniunctione, vt excommunicatas à se personas absolueret, vi fratrum coactus est. Et cùm rogaretur, vt Eulogias, quas reliqui Antistites ad personam communione suspensam dirigentes benedicerét, & ipse signaret; ait ad sacerdotale Concilium: Etsi ad imperium vestrũ ego signare compellor, dum vos causam Dei recusatis defendere: ipse potens est vindicare. Quo facto, antequam Eulogias excommunicata persona susciperet, expirauit; & priusquam portitor peruenisset, sermo sacerdotis obtinuit. Qui ad beatum Cæsarium Arelatensem Præsulem pro eadem causa consulturus occurrit.] hactenus de his Albini Acta. Est enim ad hæc spectans eiusdem Concilij Aurelianensis canon decimus de incestis coniunctionibus. D

[c] *Apud Iur. die 1. Martij.*

Præter alios etiam Synodo huic præsens fuit Iniuriosus Turonensis Episcopus magni hoc tempore nominis sacerdos, de cuius in redarguendis regibus constantia & libertate hæc habet memoria digna S. Gregorius eiusdem Ecclesiæ Episcopus [d]: Clotharius Rex indixerat, vt omnes Ecclesiæ regni sui tertiam partem fructuum fisco soluerent. Quod licet inuiti sancti Episcopi consensissent atque subscripsissent: viriliter hoc beatus Iniuriosus respuens, subscribere dedignatus est, dicens: Si volueris res Dei tollere, Dominus regnum tuum velociter auferet: quia iniquum est, vt pauperes, quos tuo debes alere horreo, ab eorum stipe tua horrea repleantur. Et iratus contra Regem, nec Vale dicens, abscessit. Tunc commotus Rex, timens etiam virtutem beati Martini, misit post eum cum muneribus, veniam petens, & hoc quod fecerat, damnans, simulq; rogans, vt per virtutem beati Martini Antistitis exoraret.] hæc Gregorius: qui & de erecta ab eo basilica beatissimæ Dei genitrici Mariæ, deque aliis ab eodem piè sancteque institutis inferiùs [e] meminit. Numerantur & alij sanctissimi sacerdotes, qui & secundam Aurelianensem Synodum pariter illustrarunt: sed de his aliàs inferiùs dicendum erit. E

[d] *Greg. Turon de Gest. Franc. lib. 4. c. 2.*

INIVRIOSI EPISCOPI DIGNVM EXEMPLVM

[e] *Idem lib. 10. c. 31.*

BELLVM CIVILE FRANCORVM DIVINITVS SEDATVM.

Hoc item anno factum est, vt cùm regnum Francorum periclitaretur bello ciuili, diuinitus inter fratres Reges inita sit concordia; paxque firmata: sub hoc enim anno ista Sigebertus

A bertus habet: Childebertus Rex cum patruele Theodoberto in fratrem Lotharium insurgit; sed matre eorum satis agente Crotilde apud Deum, ne inter fratres fieret ciuile bellum, horrenda tempestate coerciti, cùm super Lotharium ne signum quidem apparuerit horroris huiuscemodi, reddunt se fraternæ paci.] At cuius virtute hæc gesta sint, à Gregorio accipe, qui sic ait[a]: Childebertus autem & Theodobertus commouentes exercitum, contra Clotharium ire disponunt. Ille autem hæc audiens, existimans se horum exercitum non sustinere, in siluam confugit: & concides magnas in siluis illis fecit, totamque spem suam in Dei pietatem transfundens.

[a] *Greg. Turon. de Gest. Franc. lib. 3. c. 28.*

Sed & Crotildis Regina hæc audiens, beati Martini sepulchrum adiit, ibiq; in oratione prosternitur, & tota nocte vigilat, orans ne inter filios bellum ciuile consurgeret. Cumque hi venientes cum exercitibus suis eum obsiderent, tractantes illum die sequenti interfice- B re: manè facto, in loco quo erant congregati orta tempestas tentoria dissecat, res diripit, & cuncta subuertit, immixtaq; fulgura cum tonitruis ac lapidibus super eos descendunt, ipsi quoq; super infectam grandine humum in faciem proruunt, & à lapidibus descendentibus grauiter verberantur: nullum enim eis tegumen remanserat, nisi parmæ tantùm: hoc maximè metuentes, ne ab ignibus cælestibus cremarentur. Sed & equi eorum ita dispersi sunt, vt vix in vigesimo quoque reperirentur stadio: multi enim ex eis prorsus non sunt inuenti. Tunc illi (vt diximus) à lapidibus cæsi & humo prostrati, pœnitentiam agebant & precabantur veniam à Deo, quòd ista contra sanguinem suum agere voluissent. Super Clotharium verò neque vna quidem pluuiæ gutta decidit, aut aliquis sonitus tonitrui est auditus, sed nec anhelitum vllius venti in illo loco sensere. Hi quoque mittentes nuncios ad eum, pacem & concordiam petierunt: qua data, ad propria sunt regressi. Quod nullus ambigat C hanc per obtentum Reginæ beati Martini fuisse virtutem.] hucusque Gregorius: quæ quidem & alij, qui res Francorum sunt prosecuti, testantur.

S. CROTILDIS PIETAS SEDAT CIVILE BELLVM.

Hoc eodem anno Theodobertus Rex Francorum magno animo inuadens Italiam, magnum in Picenum vsque duxit exercitum; qui lue exagitatus, admodumque debilitatus & imminutus, re infecta redire ad propria cogitur. Scimus Procopium ob hanc causam in eos vt fidifragos multa iactare: Verùm si consulas Agathiam, haud leuem eam fuisse belli suscipiendi causam censebis, quam præbuisset Iustinianus Imperator: testatur enim Agathias[b], haud æquo animo pati potuisse Theodobertum Regem, quòd Iustinianus Imperator Græco quodam fastu in monumentorum publicorum Imperatoriis titulis omni genere litterarum inscriptis ponere consueuit, sicut Vuandalicum & Gothicum, ita & Francicum nomen, perinde ac sicut Vuandalos & Gothos, ita Francos etiam debellasset, quos ne D attigerat quidem. Hæc igitur ad inferendum bellum aduersus Iustinianum Imperatorem in Italia satis iusta visa est causa Francorum Regi alterius dominij nomine tenus licet impatienti, & iugo vel verbis tantùm subdi penitus auersanti.

FRANCI INVADVNT ITALIAM.

[b] *Agath. li. 1. histor.*

Quod autem idem Procopius calumniosè tradit de iisdem Francis humanas id temporis hostias immolantibus, nullum habet adstipulatorem, immo contradictorem eumdem Agathiam æquè Græcum, qui hæc de his ait, dum de Theodoberto dicere aggreditur[c]: Sunt quippe omnes hi Christiani, & rectissimæ inter cæteros omnes opinionis. Habent præterea per ciuitates Antistites, sacerdotesque, festos insuper haud secus ac ipsi nos peragunt dies. Et sanè hi mihi, etsi cætera barbari, moribus tamen videntur quàm optimis præditi, & maximum in modum ciuiles, nec quicquam habere, quod à nobis hos faciat alienos, præter vestitus barbariem, & vocis innatæ, sonumque linguæ. Quos quidem cùm E ob eorum virtutes, tum ob in cæteros æquitatem, inter seque concordiam mirum in modum admiratione ac laudibus prosequor.] hæc & plura de his Agathias alia occasione alibi repetita. Sed satis hæc ad institutum de causa Francorum in Iustinianum commotionis ob vsurpatum indebitum titulum, vt Francicus diceretur.

VINDICANTVR FRANCI A PROCOPII CALVMNIA.

[c] *Agath. li. 1. histor.*

Quod autem ad res Gothicas in Italia spectat, aliquis tandem diuinæ gratiæ Romano exercitui fauor illuxit, cùm (vt Procopius tradit) nulla Ducum virtute, Rauenna ciuitas, ipseq; Vitiges Rex Belisario deditur. Hæc omnia quomodo acciderint, habes ipsum Procopium[d] fusius enarrantem, cunctaq; sub hoc anno belli Gothici quinto claudentem: quo eos redarguas qui hæc facta referunt anno superiori. Porrò quintum annum belli Gothici eumdem esse Imperatoris decimumquartum, ex eo certò scies, lector, dum idem auctor vndecimo anno eiusdem Imperatoris secundum belli Gothici annum statuit. At non hic finis eiusdem Gothici belli: immo post hæreses ingruentes in deterius videbis res Roma-

RAVENNA CVM VITIGE REGE DEDITA BELISARIO.

[d] *Procop. de bello Goth. lib. 2.*

nas esse prolapsas. parua enim Gothorum manus minimè desponden animum, nouum elegit sibi Regem Theodebaldum nomine, quem ipso regni exordio vix mille Gothi sequebantur, vt idem Procopius tradit: sed maioribus in annos singulos, nouis creatis Regibus, incrementis auctæ sunt, quæ videbantur esse concisæ Gothorum vires, adeo vt Romanum in Occidente Imperium in maximum discrimen adduxerint; vt quæ annis singulis pro temporis ratione dicentur, facilè demonstrabunt. A

Ita planè diuina prouidentia moderans res humanas, sic atterere consueuit pietatis hostes, vt tamẽ eos perdere penitus nolit: deprimit quidem, ne fortè (secundùm illud Propheticum [a]) superbirent hostes eorum, & dicerent, Manus nostra excelsa & non Dominus fecit hæc omnia.] erigit verò, ne erutus è flagellis Dei populus liber, timore solutus in grauiora iterum peccata dilabatur. Ob idque pro illis ad Deum conuersus precatus est Dauid, dicens [b]: Ne occidas eos, ne quando obliuiscantur populi mei.] sic & vidimus noluisse Deum septem illos Israëlitis infensos populos Palæstinam occupantes ab ipsis penitus vinci atque deleri; sed vsum illis fuisse tamquam virga ad infligenda peccantibus verba. Eodem itaque modo permisit idem rerum moderator Deus reuiuiscere ad tempus extinctum in Vitige regnum Gothorum, vt Latinis nimium insultantes Græcos cohiberet; deleuit verò tandem, vt Arianæ hæresis error, quo nec afflictati cladibus Gothi carere voluerunt, cum ipsa gente pariter tolleretur.

[a] *Deut. 32.* CONSILIVM DEI CIRCA HOSTES SVOS.

[b] *Psal. 58.* B

Sic itaque Deus, iustitiæ dextera suspensa lance, æquilibrio pro meritis hominum cuncta disponere consueuit, secundùm illud Prouerbiorum [c]: Pondus & statera iudicia Domini sunt.] cuius quoque arbitrio & illud factum est, vt cùm res Occidentalis Imperij felicissimo visæ sunt hoc anno exitu claudi, eodem sanè tempore res Orientis cœptæ sint diro bello vexari, & planè pessumire, atque in Syria funditus perdi: vt his concussa Theodora Augusta desineret persequi Romanam Ecclesiam, in cuius Pontificem Vigilium non stantem pactis conuentis terribiliùs insurgendi iusta causa videri posset exorta. Sed de Orientis cladibus narrationem aggrediamur.

[c] *Prou. 16.* C

Hoc enim anno Cosrhoes Rex Persarum, rupto fœdere, in Romanum Imperium mouit exercitum: quanta autem damna eidem intulerit, cùm non esset miles qui ei aduersaretur, Procopius [d] narrat: videlicet quòd Rex Persarum per Mesopotamiam descendens in Syriam, nullo obice, eamdem deuastauit, Surenorum ciuitare in deditionem accepta, atque vnà cum habitatoribus funditus excisa, spretis pactis conuentis cum Episcopo eius loci Candido nomine, quem redimere coëgit duodecim millia captiuorum, credita & iuramento promissa pecunia ducentorum aureorum: quodque inde Hierapolim veniens, illic Magnum Beroeensem Episcopum ab Antiochenis legatum pacis missum inuenit; quo eluso, Beroeam expugnauit: indeque Antiochiam deueniens, eadem potitus est, cùm illinc priùs aufugisset Ephræm eius Episcopus, atque Germanus Dux, qui illuc ab Imperatore missus fuerat, reliquis in ciuitate inuentis internecioni traditis: cùm & Antiochenæ duæ ex clarioribus feminis, ne quid indecens paterentur à Persis, sese sponte in Orontem fluuium demersere: quando & ciuitate cremari iussa, maiorem tantùm Ecclesiam legatorum precibus redemptam pecunia voluit esse saluam, quam antea ornamentis omnibus expilauerat. Suburbia quoque ab eisdem incensa Procopius tradit, saluo dumtaxat S. Iuliani templo & coniunctis illi domibus, in quas legati ab Imperatore missi diuerterant. Huius autem Antiochenæ ciuitatis horrendæ cladis tempore accidisse credi potest, vt inde Romam translatum fuerit corpus S. Ignatij eiusdem ciuitatis Episcopi.

[d] *Procop. de bello Pers. lib. 2.* DE CLADE ILLATA SYRIAE. CAPTA ANTIOCHIA. D

PAX IGNOMINIOSA ROMANIS.

At quis tandem belli finis? magna ignominia cum Cosrhoe transactum per legatos fuisse, persolutis videlicet quinquaginta millibus nummûm aureorum, totidemq; per annos singulos dandis loco tributi pactis, obsidibusq; datis, pacem inter Cosrohen & Iustinianum Imp. constitutam tunc fuisse Procopius tradit. Ante hæc verò incensum à Cosrohe templum sancti Michaëlis in Daphne, idem affirmat: qui & mirandum quoddam Apameæ tunc accidisse recenset his verbis [e]: Post hęc (inquit) Cosrohes cum exercitu Apameam venit, vbi pars Crucis Dominicæ magnitudine cubitali visitur, ab homine Syro huc clàm delata, quam oppidani magnam eius loci tutelam esse existimant ac venerantur, theca ei condita lignea, quam auro multo ac gemmis tectam sacerdotibus tribus custodiendam tradiderunt, insuper quotannis certa die adorant. Tunc itaque Apamensis populus videns Persarum exercitum ad se venientem, in magna trepidatione fuere, Cosrhoenq; audientes vt minimè promissis maneret, Thomam vrbis Episcopum adeuntes, rogauerunt Crucis lignum E

[e] *Procop. de bello Pers. lib. 2.* MIRACVLVM DE LIGNO CRVCIS.

A lignum eis ostendi, vt eo viso, feliciter morerentur. Ille verò cùm eis morem gessisset, spectaculum fieri contigit sermone ac fide maius. Præsule enim id tenente, ignis iubar suprà ferebatur: vnde in templi tholo splendor præter solitum apparens, illum continuò circumeuntem sequebatur.] hucusque Procopius: sed subdit Euagrius de liberatis virtute Crucis Apamensibus à Cosrhoe Rege Persarum.

Ipse enim Euagrius, qui interfuit, ista addit[a]: Eò autem parentes mei cum aliis conuenerunt, meque id temporis ad scholam euntem secum duxerunt. Postquam verò nobis data fuit potestas honoratam Crucem adorandi, amplexandique: Thomas sublatis manibus, lignum Crucis, quò vetus peccati maledictio deleta fuit, totum sanctuarium circumiens (vt statis adorationis diebus fieri solebat) omnibus ostendit; ac Thomam de loco ad locum progredientem ingens flamma ignis splendentis non ardentis sequebatur. Quæ B res salutem, quæ postea Apamensibus contigit, significauit. Ob quam causam imago in testudine Sanctuarij statuta fuit, quæ inscriptione in basi incisa hoc miraculum illis qui eius rei ignari essent, commonstrauit.] hæc de miraculo Euagrius, qui de eodem Episcopo Thoma ista præmisit:

[a] *Euag lib. 4. c. 25.*

DE THOMA EPISCOPO APAMEAE.

Thomas autem non doctrina modò, sed rectè factis etiam præstantissimus, qui forte vna cum Cosrhoe certamen equorum in Circo spectare (licet hoc Ecclesiæ canon vetaret) nequaquam recusauit. Quod propterea ab eo factum est, vt omnibus modis Cosrhois furorem molliret, mitigaretque. Quem percunctanti Cosrhoi, vellet ne eum in sua videre ciuitate? Respondisse ferunt verè & animo, nolle lubenter eum ibi videre. Quod eius dictum Cosrhoem admiratum esse, hominemque veritatis causa (vti merebatur) admodum amplexatum.] hæc Euagrius ante dictum miraculum refert.

DEI VINDICTA OB VIOLATAM CATHOL. FIDEM.

C Sed ne, lector, ob ludicra ita obiter transeas luctuosa: verùm dum totius Syriæ cladem, Antiochenæque ciuitatis omnium Orientalium nobilissimæ vidisti incendium atque ruinam, require causam, ac memoria repete, quæ superiori tomo à nobis dicta sunt de Syriæ Episcopis, in primis verò Antiochenis, ex quibus aliquos primùm fuisse Nestorij defensores, aliquos verò postea Eutychianæ blasphemiæ sectatores: vt plane sicuti experimento videmus amplissima quæque ruere ædificia, cùm ipsorum fundamenta deficiunt; ita etiam necesse sit pessumdari florentissimas ciuitates atque prouincias, quibus Christianæ religionis deficit fundamentum, quod est ipsa Catholica fides. Et licet non semper statim perfidiam vltio subsequatur, vanam tamen inanemque penitus esse scias peccantium iactantiam illam, qua dici ab ipsis solet[b]: Peccaui, & quid mihi accidit triste? Altissimus enim est patiens redditor.] Clamant hæc vera esse omnes quæ sunt in Asia, Afri- D ca, & Europa Orientales prouinciæ, traditæ feris barbaris ad multa annorum sæcula deuastandæ. Sed ad illam te in his considerationem rursus prouoco atque reuoco, quàm prosperè, quamque feliciter cesserint res bellicæ Iustiniano Imp. tam in Perside, quàm in Africa, antequam in Siluerium Romanum Pontificem fuerint violentæ manus iniectæ; postea verò conuersa alea, quàm exiterint luctuosæ: nam licet in Occidente ad modicum temporis spatium res Gothicæ dexterè atque floridè succedere visæ sint, quæ sæpe postea sunt in discrimen adductæ; certè quidem in Oriente, vbi regnabat Imperator, res longè diuersæ visæ sunt vbique deploratissimæ, eoque statu miserrimo collocatæ, vt non Hunnis tantùm (vt superiùs dictum est) sed etiam Persarum Regi fieri necesse fuerit tributarium Imperatorem illum, qui Vuandalorum atque Gothorum Reges nuper duxerat sub iugo captiuos. Sed & res Africanas quàm felicissimis auspiciis inchoatas, maxima secuta sunt detrimenta, E vt ex Procopio satis potest quisque cognoscere: & ne longiùs recedamus, ex iis quæ hoc anno in Africa gesta esse testatur, perspicuò valeas intelligere, quàm dispares rerum progressus à principio fuerint subsecuti.

[b] *Eccles. 5.*

Hoc enim anno decimoquarto Iustiniani Imperatoris in Africa à Romanis malè pugnatum est cum Mauris: quo in prœlio inter alios ipse Romani præcipuus Dux exercitus desideratus est. Quomodo autem hæc se habuerint, à Procopio disces, qui cuncta est fusius prosecutus. Hîc modò nobis illa tantùm perbreuis recensenda erit historia, qua in inuocatione diuini numinis affuisse pereunti militi diuinam virtutem, palàm ostensum fuit. Porrò rem gestam apud Sophronium relatam sic accipe[c]: Narrauit mihi quidam Patrum, accepisse se à quodam milite: quòd cùm bellum gererent in Africa Romani cum Mauritanis, victiq; fugarentur à barbaris, & plurimi illorum passim cæderentur: ipsum quoque vnus ex barbaris nactus, hastam, vt illum feriret, vibrare cœpit. Quod cùm ille cerneret, orare

[c] *Prat. Spirit. c. 10.*

MILES DEI VIRTVTE LIBERATVR.

Deum cœpit & dicere: Domine Deus, qui apparuisti ancillæ tuæ Theclæ, & eripuisti eam- A
dem ab iniquorum manibus, libera me in hac necessitate, & salua ex hac acerba morte:
mox ibo in eremum, & agam vitam solitariam. Conuersus autem, neminem ex barbaris
vidit. Itaque continuò venit in hanc Lauram Cepatha; mansitque in spelunca, Dei prote-
gente gratia, annis trigintaquinque.] hæc auctor: cuius rei gestæ veritatem probauit euen-
tus, & qui casum est subsecutus effectus, cùm videlicet miles haud ingratus, redemptam
precibus vitam ipsi obtulit, cui eam acceptam ferret, seruiens Deo in sanctitate atque iusti-
tia omnibus diebus vitæ suæ. At iam præsentis anni rebus gestis hic finis esto.

IESV CHRISTI ANNVS 541. VIGILII PAP. ANNVS 2. IVSTINIANI IMP. 15. THEODIBAL. REG. 1. B

QVI sequitur ordine temporis quingentesimus quadragesimusprimus Christi annus, Basilij Iunioris sine collega Consulatu notatur: nec post hæc amplius aliquis Consula-
tus reperitur additus Fastis, licet non penitus Consules esse desisse, ex veteribus monu-
mentis appareat. Ita planè Iustinianus Imperator eiusmodi per Consulatus à maioribus
CONSVLATVS COEPTI NEGLIGI. deductam chronologiam, sui antiquitate venerandam, paulatim antiquare atque peni-
tus tollere voluit, illam inducens, qua per Imperatoris annos tempora notarentur, adde-
rentur verò Consules, si qui essent; quod & lata lege vidimus sanciuisse: cuius rei gratia in-
uidiam sibi peperit, & odium ab antiquitatum cultoribus concitauit. Potuit tamen (si
quid ad eius excusationem afferre liceat) dignus ille eius rei esse prætextus, factum id scili- C
cet ad immoderatas expensas illas tollendas, quas in Consulatus ingressu ab ipsis creatis
Consulibus fieri moris erat: nam eiusdem rei causa Marcianus Augustus illam promulga-
uerat legem, ne Consules in populum pecunias spargerent, tamquam missilia, colligen-
das. Sec cùm nec ita pareret insanus gloriæ appetitus, Iustinianus ipse sancitam moderatus
est legem, prohibens ne Consules aurum effunderent, spargendi autem argenti tribuit libe-
[a] Nouel. Iustinian. Imp. 105. & Auth de Consul. 4. tit. 3. ram facultatem[a]. Sed quod neque his se limitibus sciret humana superbia coarctare: hinc
& illud subiit Imperatoris animum, vt Consulatus dignitatem amplissimam paulatim è
Senatu proscriberet.

Hæc, inquam, ad Imperatoris excusationem de inuidia in eum conflata dicta sunto: Si-
ue potiùs ea fuerit conuertenda in legum conditorem Tribonianum ad tale honoris cul-
men ascendere non valentem, atque odio prosequentem in aliis, quod ipse consequi mi- D
nimè potuisset, prohibente lege, ne quis non Christianus atque Catholicus amplissimi
honoris gereret magistratus: Ethnicum enim ipsum perseueransse, superiùs dictum est. Ve-
rùm ab omnibus in ipsum Imperatorem culpa transfertur, fastu elatum ægrè ferentem sub
alieno potiùs nomine, quàm Imperatoris, tempora numerari: cùm tamen ipsi Imperatori
vnà cum Imperio iugem inhærere voluerit Consulatum. ait enim ad finem constitutio-
[b] Nouel. 105. nis, quam de Consulibus promulgauit[b]: Imperatori quidem iugis & indesinens Consula-
tus omnibus ciuitatibus & populis & gentibus in singulis quæ placuerint distribuenti ad-
uenit; aut cùm ipse annuerit, trabea: Ideoque & Imperij Consulatus per omnia sit sequens
sceptra.] hæc ipse.

Porrò hic ipse annus, qui & decimusquintus ipsius Imperatoris Iustiniani numeratur,
[c] Procop. de bello Goth. lib. 2. in fine. idem à Procopio[c] sextus ponitur belli Gothici: quo Belisarius ob ingentem sibi partam E
gloriam, capta Rauenna & Vitige Rege in potestatem redacto, ab æmulis passus inuidiam,
in suspicionemque adductus affectatæ tyrannidis, Constantinopolim reuocatur: de cuius
[d] Procop. de bello Goth. lib. 3. in Princip. illuc aduentu & gloria hæc accipe à Procopio[d]:

BELISARIVS REDIT CONSTANTINOPOLIM. Suspensis Belisarius adhuc & dubiis rebus, cum Vitige Gothorumque optimatibus &
Theudibaldi *tunc regnantis* liberis, pecuniaque omni, & regia pretiosaq; cetera supellectile
secum deuectis, Byzantium venit, Ildigere, Valeriano, Martino, & Herodiano Præfectis se-
quentibus. Vitigem verò cum vxore Iustinianus gratanter susceptt; barbarorum item ag-
men pro eximia corporum specie ac magnitudine mirabatur. Theodorici deinde in cu-
riam dignas profectò receptas gazas Senatoriis viris seorsum visendas exposuit, rerum ge-
starum magnitudinem gloriæ ducens. Non enim vel has populo spectandas hîc præbuit,
vel Belisario, vt triumpharet, permisit, quemadmodum alias, cùm ex Gilimere Rege &
Vuanda-

A Vuandalis victoriam retulisset. Sed in omnium ore Belisarius erat egregiis victoriis duabus ornatus, quales antehac mortalium memini contigere; quippe qui Reges duos Byzantium captiuos deduxerit,& Genserici, Theodoricique ingentes opes,præter omnium spem Romanis vt ex hostibus spolia essent. vnde vel apud barbaros ipsos nemo vmquam clarior & fama celebrior fuit:quippe qui deuictis ex hostibus in publicum ærarium maximas rursum ingessit diuitias, & terræ marisque dimidiam partem tam breui recuperauit.]

Porrò alibi idem Procopius[a] tradit, acceptas de duobus Regibus victorias ab ipso Iustiniano Imperatore in Palatij atrio fuisse musiuo opere satis egregiè pingi iussas. ait enim: Super parietes octo fornices suspensi sunt, testudinem totius operis in medio ad sublimitatem sphæricam arctatam continentes: fastigium picturis expolitum est, non liquenti cera & diffluenti materia coactum, sed concinnatum exiguis tenuibusque lapillis & vario B colore nitentibus; imitantur cùm alia, tum homines. Qualis autem pictura sit, indicabo: Pugna est & bellum. Diripiuntur multæ vrbes; hinc Italia, inde Libya: vincit Iustinianus, Duce Belisario. Accedit ad Regem Dux integrum habens exercitum, tradit spolia, Reges, & regna, & quæ ab hominibus desiderari possunt. Stant in medio Rex & Regina Theodora lætis similes,& ob victoriam ferias agentibus: Vuandalorum & Gothorum Reges adueniunt victi & captiui: circumstat Romanorum Senatus, omnes ferias agentes. Hoc lapilli hilari planè & florida facie ostentant: gestiunt omnes & adblandiuntur Regi,diuinos honores illi propter gestorum magnitudinem impartientes. Hæc quidem sic se habent.] hactenus de his Procopius. Sed recuocemus orationem eius susceptam semel de gloria Belisarij.

[a] *Procop. de adific. Iustin. lib. 1.*

PICTVRA DE VICTORIIS BELISARII.

Erat (inquit idem auctor[b]) Byzantinis ciuibus voluptati Belisarium intueri in forum C quotidie prodeuntem, vel se domum inde recipientem, atque adeò vt tanti spectaculi hos nulla satietas caperet: nam eius pompa spectatior ob præeuntium turbam & subsequentium erat, vt quem Vuandalorum, Gothorumque & Mauruſiorum multitudo sequeretur non mediocris. Ad hæc accedebant,quòd pulchritudo hunc,magnitudoq; corporis honestabat. Humilem præterea se benignumque adeò atque aditum obuiis quibusque perfacilem exhibebat,vt infimæ sortis viro persimilis videretur. Milites & rusticani & cuiuscumq; generis homines certatim hunc beneuolentia prosequebantur: nam in suos præcipuè milites magnificentia cæteros anteibat:& qui bello rem fortè malè gessissent, pro acceptis vulneribus pecuniam non paruam donando, indignationem ac simul mæstitiam sæpiùs permulcebat: ei verò qui in acie se egregiè habuisset, varia dona dabat in præmium, armillas & torques: & qui præterea aut arcus aut rei alterius bellicæ iacturam præliando feciſſet, D confestim alia & potiora per Belisarium parabantur.

[b] *Procop. de bello Goth. lib. 3.*

LAVDES BELISARII.

Erga agricultores agrestesque homines tanta hic indulgentia ac prouidentia vtebatur,vt Belisario ductante exercitum, nullam hi vim paterentur, sed ex insperato potiùs opulenti & diuites reddebantur, vt qui crebrò aduentantibus copiis, maiori omnia in victum pretio venditarent. Segetes insuper, dum in agris matureſcerent,diligentiùs tuebatur, ne fortè equorum greges has deuorarent: arborumque maturos fructus,frugesque ceteras,inuitis dominis, suos attingere prohibebat. Erat item vir continentior, vt qui præter denuptam sibi vxorem nouerit nullam: nam ex Vuandalis, Gothisque tanta multitudine & forma egregia feminas quas bello cepisset, earum nullam vel in eius conspectum venire, vel se alloqui quoquo pacto permisit.

AGRICOLARVM IMMVNITAS.

Ad cetera eius huiusmodi ornamenta perspicax quidem & viuidum accedebat ingeE nium:quippe dubiis ipsis in rebus,ad ea quæ potiora forent cogitanda, mirum de se in modum & opportunè valeret, in ipsoq; belli discrimine animi præstaret magnitudine,è tutoq; & consideratiùs ad res gerendas audentior esset. Festinare præterea,cunctarique in ipsis aduersus hostem conatibus,vt res poscebat. In rebus trepidis benè sperare,nec terrore aliquo capi. Non prosperis insolens esse: nec vitam in deliciis agere. Nec quisquam vmquam hominum fuit,qui temulentum eum viderit.]hæc Procopius de Belisario exercitus Duce inter feliciſſimos adnumerando,nisi impiæ Theodoræ nimis obsequens, eius causa dira facinora perpetrasset: sed Dei iusto iudicio postea factum est, vt ob hanc causam quod feminæ ipsum Deum posthabuit, grauissima pati coactus sit, vt suo loco dicemus.

Imperator verò tot à Deo beneficiis auctus & gloria cumulatus, illud ei ex more rependit obsequium & gratiarum exhibuit actionem, vt de sancta Ecclesia Catholica quibuscumque valeret studiis benemereret, pias sanctasq; ad fidem Catholicam Ecclesiasticamq; disciplinam

disciplinam sartas tectas conseruandas plures hoc anno promulgans sanctiones, de quibus singulis dicturi sumus. In primis autem quæ ad Concilium Bizacenum in Africa hoc anno celebratum scripserit, videamus. A

DE CONCILIO BIZACENO.

Hoc namque anno in Africa in prouincia Bizacena Concilium celebratum est, ex quo legatio missa est ad Iustinianum Imperatorem: id enim ex eiusdem Imperatoris rescripto ad ipsum Concilium reddito apparet, quod sic se habet[a]:

[a] *In collect. Iustiani propè finem.*

Imp. Iustinianus Alemannicus, Gothicus, &c. Daciano Metropolitano Vizatij * & omni Concilio Vizaceno. Restitutus & Heracleus reuerendissimi viri omnium quodammodo vestri Concilij sacerdotum non relationem tantùm, sed suam visi sunt attulisse presentiam: relucebat namque in eis puritas vestræ auctoritatis & vitæ. Non solùm Ecclesiasticis cautis, sed totius prouinciæ vtilitatibus præfuerunt, dicentes quibus iam beneficiis gaudeatis, & quæ à nostra sunt mansuetudine conferenda. Vnde precibus eorum summa cum benignitate susceptis, ad vniuersa respondimus: & quantum apud nos eorum legatio valuit, ipsa testatur exhibitio præstitorum. Quæcumque igitur ad priuilegia vestra vestrique Concilij pertinent, iuxta veterem firmamus disciplinam. Orate igitur diuinam misericordiam, vt & nos Reipublicæ & ipsam nobis seruet incolumem, & quos à iugo subripuimus Vuandalicorum, vltro florem felicitatis antiquæ (sicut volumus) erigamus. Data pridie Nonas Octobris, Constantinopoli, Imperij domini nostri Iustiniani Aug. anno decimoquinto.] Rursum verò ad eumdem Dacianum, sed anno sequenti, ita rescripsit: B

* Bizacij

RESCRIPTVM IVSTINIANI IMP. AD DACIANVM.

Imp. Fl. Iustinianus, &c. Daciano Metropolitano Vizatij. Semper nostræ serenitati cura fuit seruandæ vetustatis maximè disciplinæ, quam numquam contemplimus, nisi & in melius augeremus: præsertim quoties de Ecclesiasticis negotiis contigit quæstio, quæ Patrum constat regulis definita, immo aduentu superni numinis inspirata: quia constat cælitus institutum, quicquid Apostolica decreuit auctoritas. Hinc est, quòd in Africanis quoque Conciliis illa volumus reseruari, quæ antiquitas statuit, & sequentium obedientia custodiuit, atque in nostrum vsque sæculum intemerata perduxit. Nullus inter Primates aliud sibi priuilegium vendicet, quod accepisse non legitur: nullus arripiat, quod habuisse iugiter non probatur: nec de rescriptis ad vnius suggestionem pro meritis, aut de exemplis consuetudinem violantibus quibuslibet sibi blandiatur ambitio. Illud pro lege seruandum est, quod Conciliis definitum seruauit deuota posteritas *. Nam quæ quis in præiudicium statutorum quibuslibet rebus vsurpauit, corrigenda potiùs quàm imitanda censemus. C

* prosperitas

IVSTINIAN. LEGVM ECCLESIASTICARVM CVSTOS.

Si quid igitur Metropolitano Carthaginis, vel Primatibus Numidiæ vel Vizatij Conciliorum auctoritas præstitit, & inoffensa consuetudo seruauit; hoc sibi quisque optet, sibi vendicet; hoc nostra sperent sanctione firmari. Nos tutores tantùm sumus vetustatis & vindices. Nec deerit Ecclesiastica vindicta, vel nostra in eos, qui aut ambitiosa superbia, aut subreptitiis postulationibus antiquitatem temerasse docebuntur: Quoniam ad Diuinitatis tendit iniuriam, qui sanctorum Patrum constituta contemnere aut violare non metuit, sancte ac religiosissime Pater. Beatitudo itaque tua quæ per hanc diuinam pragmaticam sanctionem nostra statuit æternitas, effectui mancipari, obseruariq́ue procuret. Diuinitas te seruet per multos annos, sancte ac religiosissime Pater. Data quarto Kalendas Nouembris, Imperij domini nostri Iustiniani anno XVI.] D

Vidisti, lector, quantum deferat Imperator sacris Conciliorum canonibus, quorum se custodem & vindicem profitetur, atque ad hoc se de illis leges sancire, non vt abroget, sed vt confirmet, secundùm alia ab eodem Imperatore in aliis editis constitutionibus sæpiùs repetita, vel quæ habet in Nouella constitutione hoc item anno data mense Februario, quam Oleandri editio iunxit Nouellæ centesimæ vigesimætertiæ. Expedit autem vt hic eius procœmium recensеamus, quò appareat eiusdem Imperatoris mens, nimirum dum de rebus Ecclesiasticis leges sanciit, non alium quàm se vindicem sacrorum canonum præstitisse: sic enim se habet[b]: E

[b] *Nouel. 137. edit. Godef. apud Oleand. verò Nouel. 123.*

IMPERATOR AGIT VINDICEM CANONVM.

Si ciuiles leges, quarum potestatem nobis Deus pro sua in homines benignitate credidit, firmas ab omnibus custodiri ad obedientium securitatem studemus: quanto plus studij adhibere debemus circa sacrorum canonum & diuinarum legum custodiam, quæ super salute animarum nostrarum definitæ sunt? Qui enim sacros canones custodiunt, Domini Dei adiutorio digni sunt: qui autem eos transgrediuntur, ipsi semetipsos iudicio tradunt obnoxios. Maiori igitur condemnationi subiacent sanctissimi Episcopi, quibus con-

creditum

A creditum & commissum est & canones inquirere & conseruare; si quod eorum prætermissum fuerit, indemnatum atque impunitum reliquerint. Sanè cùm hactenus canones obseruati non rectè fuerint, diuersas ex eo passi sumus interpellationes contra clericos & monachos, & quosdam Episcopos, vt secundùm diuinos canones non viuerent, & quidam etiam inter eos inuenirentur, qui nec ipsam quidem vel sacrosanctæ oblationis vel baptismi orationem tenerent aut scirent. Dei igitur intelligentes & animo infigentes iudicium, singulorum quæ nobis delata sunt inquisitionem simul & correctionem iussimus canonicè procedere. Si enim illa, quæ à laicis peccantur, generales leges non concedunt extra inquisitionem & vindictam manere: quomodo à sanctis Apostolis & Patribus super omnium hominum salute canonicè statuta despici patiemur? Sanè multos ex eo maximè deprehendimus in peccata fuisse prolapsos, quòd non sunt factæ Synodi sanctissimorum sa-
B cerdotum iuxta ea quæ à sanctis Apostolis & Patribus definita sunt. Si enim hoc fuisset obseruatum, quilibet metuens grauem in Synodo accusationem, studuisset vtique & sacras edisce liturgias,& temperanter viuere, ne condemnationi diuinorum canonum subiaceret,&c.] pergit dicere de ordinatione Episcoporum, quæ in constitutione Nouella centesima vigesimatertia habentur inserta. Data autem hæc lex reperitur hoc anno sub Consulatu Basilij, decimo Kalendas Martij.

Accidit verò, vt aliquando idem Imperator inuigilans vehementissimo studio super sacrorum custodiam canonum, dum videret eos ab iis conculcari, qui magis obseruare deberent, Episcopis; nonnihil commotus, aduersus ipsos insurgens,ne ex mutua indulgentia licentiùs peccaretur, Præfectos iusserit accurrere prouinciarum, qui eiusmodi Episcopos coercerent. Ad hæc planè spectat illa,quam hoc eodem anno ipsis Kalendis Februarij No-
C uellam promulgauit constitutionem de appellationibus: qua quidem cùm ipse Iustinianus Imperator Dei zelum se habere præseferat, non tamen fuit ille secundùm scientiam. Etenim cùm negligentes Episcopos & sine pœna peccantes vult emendari, eò incautè prolabitur, vt præter ius fasque per prouinciarũ Præfectos ipsorum iudicia voluerit exerceri, & ab ipsis eosdem ad maiores appellare Præfectos, & si opus esset, ab iis ad Imperatorem prouocare. hæc quidem ita se habuisse, docent quæ in exordio eius constitutionis ponuntur his verbis[a]:

[a] *Nouel. 115.*

Peruenit ad scientiam nostræ serenitatis, quòd cùm inter Eustachium virum reue-
rendissimum Tholonæ * *in Lycia* ciuitatis Episcopum, & Pistum diaconum Ecclesiæ * Tlonæ.
Thelmissensis *itidem in Lycia maritimæ ciuitatis* fuisset causa commota, processit à Rectore prouinciæ diffinitiua sententia, contra quam appellatio porrecta est. Iudices igi-
D tur, apud quos appellatio ventilabatur, dubitantes ad nostram clementiam retulerunt, &c.] hæc ibi: quibus videas ipsum Imperatorem sibi nimium de Ecclesiasticis iuribus arrogasse; qui dum se canonum vindicem præsefert, atque pro Ecclesiæ seruanda illibata disciplina inuigilare profitetur, canones ipse conculcat, penitusque pessundat Ecclesiasticam œconomiam. Etenim non sæculares Iudices causas iudicare Episcoporum & inferioris ordinis clericorum, sed Synodos Episcoporum, & si sit ab his appellandum, non ad Imperatorem, sed ad maiores sedes, ac denique ad ipsum Romanum Pontificem recurrendum, docent sacræ sanctorum Patrum regulæ, traditio ostendit, vsusque probauit. Tunc verò laicis his se immiscere concessum, cùm vel ad hæreticos aut schismaticos comprimendos, vel aduersus potentiores vel discordes ab Episcopis in auxilium sunt vocati. Porrò hæc ipsa quæ fuerunt obiter pertractata, æquè videntur esse ab
E eodem Imperatore correcta: nam siqua de his fuerat ab ipso lex sancita, ab eodem pariter est abrogata; siquidem nulla eius sanctio inuenitur, qua Episcoporum causas à Præfectis cognosci voluerit, & ab iis ad alios sæculares itidem Iudices appellari, atque ab his ad Imperatorem.

A IVSTINIANO ALIQVANDO CANONES CONCVLCATI.

At reuocemus orationem ad eiusdem Imperatoris Nouellam constitutionem centesimam vigesimamtertiam, cuius est titulus, De sanctissimis Episcopis ac Deo amabilibus & reuerendissimis clericis & monachis] cui intexta sunt quæ diximus haberi in Nouella centesima trigesimaseptima data hoc anno sub eodem Consulatu Basilij, decimo Kalendas Martias: hæc autem de qua est sermo, hoc anno sub Consulatu Basilij data cognoscitur Kalendis Maij, ipsaq; quadragintaquatuor distincta capitibus: quam ob nimiam vitandam prolixitatem hîc describere prætermittimus, satis ad institutum esse putantes, si capitum singulorum index hîc apponatur, qui singulis ita affixus habetur:

BIBLIOTECA UNIVERSITARIA GRANADA

De or-

CAPITA CONSTITVTIONIS IVSTINIANI CXXIII.

De ordinatione Episcoporum.cap.1. A
De accusationibus Episcoporum.cap.11.
De Episcopis qui ante ordinationem Ecclesiæ res suas obtulerint. Et quid pro cathedratico dari conueniat.cap.111.
Vt Episcopatus à seruili & ascriptitia fortuna hominem liberet.cap.1v.
De presbyteris & diaconis & subdiaconis cognationis iure ad tutelam vel curam vocatis. cap.v.
Vt clerici à muneribus personalibus & negotiis secularibus abstineant.cap.v1.
Ne Episcopus dicendi testimonij causa euocetur.cap.v11.
Ne propter quamlibet causam Episcopus ad sæcularem Iudicem trahatur.cap.v111.
Ne Episcopi proprias Ecclesias relinquant.cap.1x.
Vt Archiepiscopi & Patriarchæ sæpiùs in annis singulis Concilia & Synodos celebrent. B cap.x.
Ne quis ante causæ exitum excommunicetur.cap.x1.
Quales esse debent qui in clericos ordinantur.cap.x11.
De ætate presbyterorum & ceterorum clericorum.cap.x111.
De vxoribus clericorum, ne videlicet diaconus,vel subdiaconus quis ordinetur, nisi antea pollicitus sit absque vxore continentem vitam ducere.cap.x1v.
Quibus causis curiales clerici ordinari possint.cap.xv.
Vt ordinationes gratis fiant.cap.xv1.
Quomodo seruus ordinari possit, aut ascriptitius.cap.xv11.
De ædificatoribus Ecclesiarum.cap.xv111.
Vt omnes clerici res suas in sua potestate habeant. cap.x1x. C
Quibus pœnis subiiciantur clerici, qui falsum tulerint testimonium.cap.xx.
Vt clerici apud proprium conueniantur Episcopum.cap.xx1.
Vt Episcopi apud proprium conueniantur Metropolitanum.cap.xx11.
Vt Oeconomi & similes apud proprium Episcopum conueniantur.cap.xx111.
Vt Episcopi illic, vbi deliquerint, conueniantur.cap.xx1v.
De Apocrisariis.cap.xxv.
Ne Episcopi legationis nomine conueniantur.cap.xxv1.
Vt monachi per procuratorem se defendant, & de quantitate sportularum. cap. xxv11.
De modo sportularum in persona clericorum.cap.xxv111.
Ne clerici mulieres superinductas in propriis domibus habeant. cap.xx1x.
De diaconissis. cap.xxx. D
De his qui in Ecclesia Episcopo vel aliis clericis iniuriam inferunt.cap.xxx1.
Ne laici faciant Litanias sine Episcopo & clericis & crucibus.cap.xxx11.
De monasteriis & monachis.cap. xxx111.
Vt Abbas non tam antiquitate quàm bona æstimatione censendus sit & eligendus. cap.xxx1v.
De monachis non statim vestiendis.cap.xxxv.
Vt monachi in vno conclaui habitent.cap.xxxv1.
Conditionem nuptiarum vel liberorum non extare, si quis monasterium ingrediatur. cap.xxxv11.
Vt qui monasteria ingrediuntur, se suaque dedicent monasterio.cap.xxxv111.
Vt solutis sponsalibus per monasterij ingressum,simplæ tantũ arrhæ reddantur. c. xxxix. E
Si vir aut vxor ingrediatur monasterium.cap.xL.
Non licere parẽtibus exheredare filios qui ingrediũtur monasteria velut ingratos.c.xL1.
De monacho monasterium deferente.cap.xL11.
De raptoribus sanctimonialium.cap.xL111.
Ne liceat laicis & scenicis vti monachi schemate. cap. xL1v.] atque demum ad Petrum Præfectum Prætorio ista habet epilogus: Tua igitur gloria, quæ per præsentem legem in perpetuum valituram nostra sanxit tranquillitas, per omnia custodiri prouideat. Data Kalendis Maij, Constantinopoli, Iustiniano PP.Aug.Basilio V.C.Conf.Missa Petro Præfecto Prætorio.]

Sed & hoc anno mense Martio idem Iustinianus Imp. de Ecclesiasticis titulis & priuile-
*Nouel. 131. giis atque aliis Nouellam constitutionem edidit, cuius est hoc exordium[a]: De regulis Ecclesiasticis

A clesiasticis & priuilegiis, aliisque capitulis ad sacrosanctas Ecclesias & reliquas venerabiles domos præsentem proferimus legem.] moxque de quatuor Synodis ibi sic primùm decernit:

DE QVATVOR CONCILIIS ET IN EIS DECRETIS.

Sancimus igitur vicem legum obtinere sanctas Ecclesiasticas regulas, quæ à sanctis quatuor Conciliis expositæ sunt aut firmatæ, hoc est, in Nicæna trecentorum decem & octo, & in Constantinopolitana sanctorum centum quinquaginta Patrum, & in Ephesina prima in qua Nestorius damnatus, & in Chalcedonia in qua Eutyches cum Nestorio anathematizatus est. Prædictarum enim quatuor Synodorum dogmata sicut sanctas Scripturas accipimus, & regulas sicut leges obseruamus.] & de sede Constantinopolitana, vt primum locum post Romanam teneret, ita constituit:

DE SEDE CONSTANTINOPOLITANA.

Ideoque sancimus secundùm earum definitiones, sanctissimum senioris Romæ Papam
B primum esse omnium sacerdotum, beatissimum autem Archiepiscopum Constantinopoleos nouæ Romæ secundum habere locum post sanctam Apostolicam senioris Romæ sedem, aliis autem omnibus sedibus præponatur.] hæc ipse: qui quòd sciret non esse Imperatoris auctoritatis ordinem præscribere sedibus, ex earumdem Synodorum definitionibus id se non definire, sed definita promulgare seu confirmare testatur. Verùm hæc quidem perperam: etenim cùm tam ex Concilio œcumenico Constantinopolitano, quàm etiam Chalcedonensi id sibi Episcopus Constantinopolitanus vendicare conatus esset, aduersatus est sanctus Leo Papa, vt superiori tomo demonstratum est. Sic igitur non tam ex iure canonum id sibi arrogat Imperator, quàm contra omne ius fasque præsumit.

Subiicit his de aliis Ecclesiarum priuilegiis concessis possessionibus Ecclesiasticis: de præscriptione quadraginta annorum ad loca venerabilia pertinente: de ædificatione Ecclésia-
C rum: ne in domibus priuatis vel fundis Missæ celebrentur: vt legatum Deo relictum illi debeatur Ecclesiæ, vbi testator domicilium habet: de his qui oratorium ædificari iusserint: deque legatis pro captiuorum redemptione relictis, vt ab Episcopis præstentur, neque locum Falcidia in piis legatis habeat: Itemque inhibetur Episcopis, ne testari possint de his quæ post Episcopatum acquisierint. De hæreticis illud addidit, ne ab Ecclesiis vel priuatis res immobiles quoquo titulo accipiant, neque iidem ipsi hæretici noua oratoria ædificent. Ad postremum verò de Orphanotrophis illud additur, vt instar tutorum, cùm bona hospitalium administrent, inuentarium conficiant. Hæc Imperator ad Petrum Præfectum Prætorio, ad quem ita perorat: Quæ igitur per præsentem legem in perpetuum valituram nostra sanxit tranquillitas, tua celsitudo edictis solemniter in hac vrbe propositis, ad omnium studeat peruenire notitiam. Nos enim prouidebimus, quatenus sine collatorum di-
D spendio fiat etiam in prouinciis manifesta. Data xv. Kal. Aprilis Constantinop. D. N. Iustiniano PP. Aug. Basilio V. C. Consule.]

DE HOSPITALI S. SAMSONIS.

Sed hîc obiter notandum est, quòd cùm agens de xenodochiis Imperator mentionem habet celeberrimi hospitalis Mariæ Sanso, seu potiùs (vt Contius legendum magis putat) memoriæ Samsonis: sciendum hoc antea exustum incendio, ab ipso Iustiniano Imperatore fuisse restitutum, vt Procopius verbis istis ostendit[a]: Erat hospitale, in quo recipiebantur languidi & infirmi, superioribus annis à religioso quodam viro, cui Samson nomen erat, extructum: restabant quædam vestigia neque gregariis militibus satis commoda: cætera perierant vnà cum templo exusta & collapsa. Instaurauit illud nobile hospitale Iustinianus structura splendidiore magnificentius, & mansionum multitudine multo amplius.] hæc Procopius: ex quo corrigas auctorem vitæ Samsonis, vbi habet, non restitu-
E tum, sed erectum hoc hospitale ab ipso Iustiniano Imp. fuisse, cuius & tempore eumdem Samsonem vixisse putauit. Sed & habes in quo pariter Cedrenum redarguas, qui existimauit penultimo anno Iustiniani ipsius idem xenodochium conflagrasse. Diximus de eo in Notis ad Romanum Martyrologium die vigesimaseptima Iunij, qua tam apud Græcos quàm etiam Latinos digno sanctitatis titulo celebratur eiusdem sancti Samsonis natalis dies. Quod insuper ad idem hospitale spectat: omnium fuisse primarium, sub quo alia constituta essent, quæ in eadem Nouella leguntur, ostendunt his verbis: Seruari autem iubemus venerabili orphanotrophio huius regiæ vrbis, & xenodochio, quod vocatur sanctæ Mariæ * Sanso, & sub eius gubernatione constitutis oratoriis & xenonibus aut venerabilibus domibus omnia priuilegia quæcumque habet maior sanctissima Ecclesia Constantinopolitana.] Est etiam mentio huius xenodochij sancti Samsonis in alia [b] constitutione eiusdem Imperatoris, vbi secundùm lectionem Contianam legitur, Sanctæ memoriæ

[a] *Procop. de edific. Iustin. Imp. lib. 1.*

* memoriæ Samsonis

[b] *Nouel. 59. c. 3.*

moriæ Samsonis] loco, Sanctæ Mariæ Samso.] Porrò eiusdem hospitalis sancti Samsonis presbyter fuerat (vt dictum est) Mennas: qui hoc tempore erat Constantinopolitanus Episcopus. sed de his satis. A

[a] *Nouel. 3. & Auth. collat. 8. tit. 7.*

Hoc etiam anno Kalendis Iunij idem Iustinianus Imp. constitutionem [a] edidit de præscriptione, qua antiquauit priuilegium concessum Ecclesiæ centum annorum, quod videlicet esset litium seminarium: satis existimans fore quadraginta annorum periodum, vt Ecclesia sua sibi valeat vendicare. Quo item anno idem Imperator, qui aduersus Samaritanos Christianorum hostes leges scripserat, monitus à Sergio Episcopo Cæsarienſi, qui eos ad meliorem frugem restitutos fidem fecit, noua edita sanctione, pœnas in eos sancitas antiquat. Extat eius constitutio [b] Nouella sub Consulatu Basilij data anno xv. Imperatoris. Sed videamus quas hoc pariter anno idem Imperator, qui multus fuit in exagitandis hæreticis, aduersus eos complures edidit sanctiones: quarum prima ita se habet data ad Mennam Constantinopolitanum Episcopum [c]: B

PRO SAMARITANIS IVSTIN. RESCRIPSIT.

[b] *Nouel. Iustin. 129. col. 321.*

[c] *Nouel. 131. & Auth. coll. 9. tit. 12.*

ADVERSVS HAERETICOS SANCTIO.

Primum esse & maximum bonum omnibus hominibus credimus veræ & immaculatæ Christianorum fidei rectam confessionem, vt per omnia hæc roboretur, & omnes orbis terrarum sanctissimi sacerdotes ad concordiam copulentur, & consonam immaculatam Christianorum confessionem prædicent, & omnem occasionem quæ ab hæreticis inuenitur, auferant: quod ostenditur ex diuersis conscriptis à nobis libris & edictis. Sed quoniam hæretici neque Dei cogitant timorem, neque interminatas talibus pœnas ex legum seueritate considerantes, diaboli opus implent, & quosdam simplicium seducentes, sanctæ fidei Catholicæ & Apostolicæ Ecclesiæ adulteras collectas & adultera baptismata latenter faciunt: pietatis existimauimus per præsens nostrum edictum monere eos qui tales sunt, quatenus & ipsi recedant ab hæretica vesania, & nec aliorum animas per simplicitatem perdant, sed magis concurrant ad sanctam Dei Ecclesiam, in qua recta prædicantur dogmata, & omnes hæreses cum principibus suis anathematizantur. Nosse enim volumus omnes, quia si de cætero aliqui inueniantur contrarias collectas facientes, aut apud semetipsos collectionem: nequaquam omnino eos ferimus; sed domos quidem, vbi aliquid delinquitur, sanctæ assignamus Ecclesiæ: his autem qui colligunt, aut apud se colliguntur, ex constitutionibus pœnas inferri, omnibus modis iubemus. Data pridie Non. Aprilis Constantinop. D. N. Iust. PP. Aug. Basilio Consule.] Sed & aliam edidit sanctionem [d], ne priuilegiis dotis fruerentur hæreticæ feminæ. Id quidem hoc anno sub Consulatu Basilij, xi. Kalend. Maij, seu potiùs Martij, antequam inchoaret decimumquintum annum idem Iustinianus Imperator: nam si Maij dixerimus, loco anni decimiquarti, quintusdecimus in fine constitutionis ponendus esset. Adiecit quoque aliam constitutionem [e] hoc anno datam Kalendis Februarij, vt hæretici omnes velut ingrati à parentibus essent exheredandi, Catholicis tantùm filiis ab eis heredibus institutis. Hactenus de sancitis hoc anno legibus Ecclesiasticis. iam reliqua prosequamur. C D

[d] *Nouel. 109. & Auth. col. 8. tit. 5.*

[e] *Nouel. 115. c. 3 § si quis.*

DE AVXIMITIS AD FIDEM CHRISTI CONVERSIS.

Eodem anno decimoquinto Iustiniani Imp. de Auximitis populis ad fidem Christi conuersis Credenus hæc habet: Anno decimoquinto Iustiniani Imp. Adadus Auximitarum Rex bellum illaturus Damiano Hebræorum Regi, quod negotiatores Christianos interfeciſſet, vouit se Christianum fore, si Homeritas, *quibus ille imperabat*, viciſſet. Et quidem commisso prœlio vicit eos, auxiliante Deo: victumque Regem eorum Damianum in potestatem redegit, potitusque est regno & Regia. Itaque Deo gratias agens, misit ad Iustinianum, ab eoque sibi Episcopos & clericos mitti petiit. Ita tota regio Christi fidem amplexata est, baptizatique sunt & Christiani facti.] hæc ipse, quæ anno sequenti contigisse in Miscella narrantur, paulo; fusiùs explicantur. Hebræos namque illis in regionibus magna potentia viguisse, atque Reges facere consueuisse, quæ dicta sunt superiùs, dum Arethæ martyris & sociorum Acta retulimus, satis ostendunt. hæc de Auximitis ad fidem Christi conuersis. Ad Homeritas autem iam antè Euangelium peruenisse, ex Procopio [f] dictum est, necnon ex Actis Arethæ martyris & sociorum, iisdemque Christianum Regem datum; sed eodem è medio sublato, subrogatum Abrahamium, idem Procopius tradit: cui successisse videtur Damianus, de quo agitur, Rex Hebræus. E

[f] *Procop. de bello Pers. lib. 1.*

Hoc eodem anno Domini quingentesimo quadragesimoprimo, à Gordiano [g] ponitur consummatum martyrium sanctorum Placidi & sociorum in Sicilia à pyratis illatum: sed dum hunc ipsum annum auctor numerat Iustiniani Imp. decimumtertium, planè erratum liquet in numero. Quod si sub dicto Imperatoris anno decimotertio eosdem martyrio coronatos

[g] *Extat apud Sur. to. 5. die 5. Octobr.*

A ronatos vult; tunc dicendum erit, ipsos passos anno Christi quingentesimo trigesimonono. Quod verò ad eosdem martyres pertinet, eos quidem egregiam fuisse coronam martyrij consecutos, cùm nullatenus reuocari possit in dubium, siquidem eosdem antiquiores Ecclesiæ tabulæ titulo martyrij inter Sanctos allectos habent atq. descriptos die quinta Octobris, qua eorumdem natalis dies anniuersaria memoria celebranda recurrit: tamen ab auctore, qui sub nomine Gordiani eam conscripsit historiam, multis ipsa repetitur erroribus deprauata, vt in primis quod habet hos affectos martyrio à Mamuca Duce, eodemq; Agareno pyrata misso ab Abdala Agarenorum Rege in Hispania regnante: cùm non Abdala, sed Theudis, idemque non Agarenus, sed Gothus his temporibus (vt patet ex Isidoro & scriptoribus omnibus) in Hispania regnaret. Agareni verò seu Sarraceni lõgè post hæc tempora in Hispania regnare cœperunt, cùm post Muzam Abdalazirus siue Abdalassius eius B filius, captis quampluribus Hispaniæ ciuitatibus, anno Domini septingentesimo decimosexto Regem se gessit. Sunt & complura alia apud eundem pseudoGordianum, quę & temporum rectæ rationi repugnant, & contradicunt historicæ veritati.

ACTA S. PLACIDI IN QVIB. INVENIANTVR COMMENTITIA.

Eiusdem quoque sunt generis epistolæ, quæ siue Gordiani siue aliorum nomine apud Leonem Ostiensem in appendice leguntur Chronici Cassinensis, in quibus nulla cohærentia inest appositis à mendaciorum effictore Consulibus cum annis ibidem notatis Iustiniani Imperatoris. Et vt hæc obiter attingamus, extant ibidem litteræ eiusdem Iustiniani ad Placidum nepotem suum datæ anno duodecimo ipsius Iustiniani Imperatoris (qui est annus Domini quingentesimus trigesimusoctauus) sub Consulatu Boëtij & Cethegi, addito anno tertio, quorum nulla est mentio quòd vnà simul gesserint Consulatum, sed diuerso tempore inter se & à dicto Imperatoris anno longè remoto: siquidem Cethegus Consul C fuit anno Domini quingentesimo quarto, Boetius quingentesimo decimo, sub anno verò duodecimo Iustiniani Ioannes & Volusianus (vt vidimus) Consulatum gesserunt. Qua pariter censura corrigas, quæ ei subiicitur, Theodoræ epistolam ad S. Placidum iisdem Consulibus & anno Imperatoris datam.

NOMINE IVSTINIANI SVPPOSITAE EPISTOLAE.

Sed maiori indigent castigatione eiusdem Imperatoris Iustiniani nomine litteræ illæ iisdem coniunctę, quibus salua vult esse Cassinensi monasterio, quæ Tertullus Placidi parens, quæve Iustinus senior Imp. eidem cœnobio contulisset, nempe villas, rura, castra, oppida, ciuitates, & municipia ibidem recensita, & quidem non parua vel exigua numero. At quænam sub Theodorico Gothorum Rege esse poterant alicui Romanorum Patricio oppida & ciuitates? Vel quæ Iustinus Imp. eiusmodi in Italia existentia potuit donasse non sua? nec enim glebam Imperator Orientis sub Theodorico Rege in Italia possidebat. Et quid illud D ad finem: Ex minio manu propria subscripsimus] cùm teste Suida, Iustinianus litteras penitus ignoraret? Et quomodo (vt superiores epistolæ) eadem data legitur sub Consulibus Boëtio atque Cethego, anno duodecimo eius Imperij? Et quæ insuper ridenda illa subscriptio testium: Theodoricus Rex aquilifer, Belisarius draconifer, Mauritius leonifer, Tiberius lupifer?] Ac denique quónam modo subscripsisse potuit ei priuilegio anno duodecimo Iustiniani Imperatoris Theodoricus Gothorum Rex, cùm longè ante hæc tempora decessisset, & post eum Athalaricus, inde Theodatus, ac postea Vitiges eo anno duodecimo Iustiniani regnaret? Sed missa istæc, quæ dolemus ab aliquo otioso conficta, vtpote non (vt vanè putauit) illustrante res Patris sanctissimi Benedicti, sed obscurãte potiùs istiusmodi mendaciis, densarum instar nubium globis fulgentis vbique radiis Solis oppositis: miramur verò magis eadem ab eiusdem sacri ordinis monachis viris doctis non fuisse reiecta, & obli- E uione omnino sepulta. Non indiget qui eos primus tantus genuit Pater, neq; ab eo descendens sancta & generosa posteritas per cuncta sæcula in Ecclesia Dei feliciter propagata & sanctis ramis mirificè dilatata, hisce mentitis gloriæ titulis siue ex sanguinis nobilitate, siue ex diuitiarum amplitudine comparatis: qui etsi nec his omnino caruere, ex virtutibus tamen terræ cæloque sunt redditi celeberrimi. Sed de his hactenus.

DE FALSO PRIVILEGIO IVSTINIANI IMP.

Hoc eodem anno, qui post Consulatum Paulini reperitur inscriptus, idemque Theodoberti Frãcorum Regis vigesimusseptimus (vt ex his quæ anni superioris exordio dicta sunt, patet) Aruernis in Gallia Concilium celebratur, cui etsi pauci numero, meritis tamen excelsi quindecim interfuerunt Episcopi: nam eorum nonnulli egregia claruisse sanctitate noscuntur. Antequam autem de rebus in adeò præclaro conuentu gestis agamus, eos primùm qui in tam nobili sacerdotum corona prominent flores intuentes, simulq; fructus ex eorumdem probè factis antè carpentes, quinam qualésve isti fuerint cupidiùs audiamus:

ARVERNENSE CONCILIVM.

gratior namque ille habetur sermo, quem animi primò virtutes commendant, secundùm illud Prouerbiorum[a]: Cor sapientis erudiet os eius,& labiis eius addet gratiam: fauus mellis composita verba, dulcedo animæ, sanitas ossium.] A

[a] Prou.16.

DE S. GALLO EPISC. ARVERNENSI.

Præerat hoc tempore eidem Aruernensi Ecclesiæ, in qua Synodus est celebrata, ille magni nominis Gallus sanctitate conspicuus,tenuitque in sessione secundum locum,idemque haud imparis meritis S. Auiti successor: ex cuius genere prouenisse gloriatur Gregorius Turonensis ciuitatis Episcopus, qui eumdem Gallum patruum suum fuisse testatur[b], de quo etiam complura admiratione quidem digna conscripsit, ex quibus (ne ieiunus omnino abscedas, fame ex fama tanti viri tibi parta) hoc modo vnum breuiter accipe: Cùm autem Aruernensis ciuitas maximo incendio cremaretur, & hoc Sanctus cõperisset, ingressus Ecclesiam,diutissimè Dominum ante sanctum altare cum lacrymis exorauit, surgensq; Euangeliis comprehensis,apertisq; obuiam se igni obtulit: quo obtemperante,protinus ad aspectum eius ita omne incendium est extinctum, vt nec fauillæ quidem in eo igne remansissent.] hæc Gregorius: quomodo verò lue grassante, eadem ciuitas Aruernensis, vbi Synodus acta est, ab ipso fuerit liberata, suo loco opportuniùs dicturi sumus. B

[b] Greg. de gloria mart. lib.2. c.23.

DE S. GREGORIO EPISCOPO LINGON.

Qui tertius ordine ponitur Gregorius Lingonensis Episcopus,æquè sanctitate clarus est habitus: de eo verò superiùs rursus mentio facta est; quem ad hæc tempora fuisse superstitem, ipsius subscriptio docet: ad trigintaduos namque annos sedisse Episcopum, Venantius Fortunatus[c] in Epitaphio eius testatur, quod hic tibi describendum putamus:

[c] Fortun. carm.lib.4.

Post quam sidereus disrupit Tartara Princeps,
Sub pedibus iusti mors inimica iaces.
Hoc veneranda sacri testatur vita Gregorij,
Qui modò post tumulos intrat honore polos. C
Nobilis antiqua decurrens prole parentum,
Nobilior gestis nunc super astra manet.
Arbiter ante ferox, exhinc pius ipse sacerdos,
Quos domuit Iudex, fouit amore Pater.
Triginta & geminos direxit ouile per annos,
Et grege de Christi gaudia pastor habet.
Si quæras meritum, produnt miracula rerum,
Per quem debilibus fertur amica salus.] Cùm ergo testificatione Fortunati trigintaduos annos sedisse Gregorium certum sit: vtique dicendum est,ipsum fuisse creatum Antistitem Lingonensem anno Domini quingentesimo nono,quo interfuisse reperitur Concilio Epaunensi (vt suo loco dictum est) & hoc anno pariter viuere desiisse, quo ipsius sedis expletur annus trigesimus secundus: cùm & in locum ipsius suffectus est S. Tetricus, de quo inferiùs opportunè dicturi sumus. D

DE S. HILARIO GABALITANO.

Quarto autem loco scribitur, subscribiturque Hilarius Episcopus Gabalitanus, qui & ipse sanctitate insignis certa die[d] colitur in Ecclesiia, qua è terrenis fuit ad superna vocatus: ad quem extat carmine missa salutatio Fortunati in hunc modum[e]:

[d] Rom. martyrolog. die 25 Octob.

[e] Fortun. carm. lib.3.

Lux serena animi semper mihi dulcis Hilari,
Quamuis absentem quem mea cura videt.
Cuius honestus amor tantum mea corda repleuit,
Vt sine te numquam mente vacante loquar.
Versibus exiguis mandamus vota salutis:
Quæ dedit affectus, sint tibi grata precor. hæc ad eum Fortunatus. E

DE DVOBVS RVRICIIS.

Hunc sequitur ordine Ruricius Episcopus Lemouicensis,quem prẽter egregiam morum præstantiam,auita etiam nobilitas, qua Anicianæ familiæ iunctus erat, reddidit clariorem. Quòd autem tanti viri antiqua prosapia Romani sanguinis illustrissimi obscura memoria relicta sit; vnicum quod extat ipsius gloriæ monumentum ab eodem Fortunato posteris traditum (quo nomine plurimum ei debent antiquitatis studiosi) hîc intexẽdum erit,nempe scriptum ab eo ipsi post obitum epitaphium versibus istis[f]:

[f] Fortun. carm.lib.4.

Inuida mors rapido quamuis miniteris hiatu,
Non tamen in Sanctos iura tenere vales.
Nam postquam remeans domuit fera tartara Christus,
Iustorum meritis sub pede victa iaces.
Hic sacra Pontificum toto radiantia mundo

Membra

A *Membra sepulchra tegunt, spiritus astra colit.*
Ruricij gemini flores, quibus Aniciorum
Iuncta parentali culmine Roma fuit,
Accumulante gradus prænomine sanguine nexi,
Exultant pariter hinc auus inde nepos.] Quòd geminos audis Ruricios, haud alium ab hoc illum existimo seniorem Roricium virum doctrina insignem in Galliis item degentem, ad quem plures extant Sidonij Apollinaris epistolæ[a]. Sed audi eiusdem epitaphij reliquos versus, quibus amborum præclara facta narrantur:

[a] *Sidon. lib. 4. epist. 16. lib. 5. epist. 15. li. 8. epist. 10.*

Tempore quisque suo fundens pia templa patrono,
Iste Augustini, condidit ille Petri.] Non enim in Africa tantùm, vbi claruit sanctus Augustinus, magno religionis cultu prosequebantur Fideles eiusdem San-
B cti memoriam, sed etiam in Gallia (vt vides) in eius honorem templa erigere consueuerunt. Sed pergit:

PRAECLARA FACTA RVRICIORVM.

Hic probus, ille pius; hic serius, ille serenus:
Certantes pariter quis sibi maior erit.
Plurima pauperibus tribuentes diuite censu,
Miserunt cælos, quas sequerentur opes.
Quos spargente manu redimentes crimina mundi,
Inter Apostolicos credimus esse choros.
Felices qui sic de nobilitate fugaci
Mercati in cælis iura Senatus habent.] hactenus Fortunatus; cui multum etiam debemus, quòd dum vniùs Ruricij facta quærimus, alterum seniorem Ruricium
C æquè virtutibus egregium inuenerimus.

Sed & qui hunc in subscriptione subsequitur Nicetius Episcopus Treuerensis, & ipse his temporibus Gallias illustrauit, spectatus vbique virtutum excellentia & miraculorum editione, relatusque inter Sanctos iugi memoria in Ecclesia perseuerat. Scripsit autem præclaras ab eo res gestas Gregorius Turonensis[b]. Inferiùs verò de eodem nobis nonnulla opportuniori occasione dicenda: sed hîc tantùm de eo illud ad memoriam reuocasse satis, eius opera factum, vt Theodobertus Rex, de quo est mentio in eiusdem Synodi præfatione, ad meliorem frugem conuersus sit.

DE S. NICETIO TREVERENSI EPISCOPO.

[b] *Greg. in Vita S. Nicetij Episc. Treuer.*

Qui verò nonus ordine recensetur, Flauius est Remensis Episcopus. Ex quo velim obser-
D ues, planè errore deceptos, qui S. Remigij eiusdem Ecclesiæ Episcopi ad Deum transitum referunt[c] ad annum Domini quingentesimum quadragesimumquintum. Nam quomodo ad illud tempus potuit Remigius peruenisse, si hoc anno sedisse Flauius reperitur, quem & præcessisse ponitur Romanus eiusdem S. Remigij primus successor? Par erat (si licuisset) Antistitis celeberrimi Francorum Apostoli ex hac vita ad Deum transitum certò signasse in nostris Annalibus, sicut die, ita & anno: sed quòd quæ de his ab aliis scriptis mandata feruntur, haud eiusmodi esse noscantur, quæ immobili veritate subsistant, inuiti abstinere cogimur, & nonnisi hîc dumtaxat obiter meminisse: Gregorij enim[d] Turonensis testificatione asserentis septuaginta annos & ampliùs S. Remigium sedisse, & Hincmari assertione dicentis vixisse in Episcopatu annos septuagintaquatuor, inualuit opinio illa, vt qui creatus habetur Episcopus anno Christi quadringentesimo septuagesimoprimo, idem peruenerit ad annum quingentesimum quadragesimum quintum. Sed Synodalia Acta maiorem vendicant sibi fidem; ex quibus liquet neque ad annum septuagesimum peruenisse. At reliqua de
E Aruernensi Synodo percurramus.

DE FLAVIO EPISC. REMENSI.

[c] *Sigeb. in Chron. & alij eum secuti.*

[d] *Greg. Turo. de Glor. confess. c. 79.*

Qui verò penultimo loco scriptus ponitur Desideratus Episcopus Virdunensis, ipse est de quo plura Gregorius Turonensis[e] habet, & inter alia quæ ad hanc ipsam Synodum spectare posse videntur in commendatione Theodoberti Regis Francorum, cuius est mentio in eiusdem Synodi præfatione. ait enim: Desideratus Virdunensis Episcopus, cui Theodoricus Rex multas irrogauit iniurias; cùm post multa exitia*, damna & ærumnas, ad libertatem propriam, Domino iubente, rediisset, & Episcopatu apud Virdunensem vrbem potiretur: videns habitatores eius valde pauperes atque destitutos, dolebat super eis. Et cùm ipse per Theodoricum de rebus suis remansisset extraneus, nec haberet de proprio qualiter eos consolaretur: bonitatem & clementiam circa omnes Theodoberti Regis cernens, misit ad eum legationem, dicens: Fama bonitatis tuæ in vniuersam terram vulgatur, cùm tanta sit tua largitas, vt etiam non petentibus opem præstes. Rogo, si pietas tua habet

[e] *Greg. Turo. de Gest. Frac. lib. 3 c. 34.*

DESIDERATVS EPISC. VIRDVNENSIS.

* exilia

aliquid de pecunia, nobis accommodes, qua ciues noſtros releuare valeamus: cumque hi negotium exercentes, ſponſionem in ciuitate noſtra, ſicut reliquæ habent, præſtiterint, pecuniam tuam cum vſuris legitimis reddemus. Tunc ille pietate commotus, ſeptem ei millia aureorum præſtitit. Quæ ille accipiens, per ciues ſuos erogauit. At illi negotia exercentes, diuites per hoc effecti ſunt, & vſque hodie magni habentur. Cumque antedictus Epiſcopus debitam pecuniam obtuliſſet Regi, reſpondit Rex: Non habeo neceſſarium hoc recipere: illud mihi ſufficit, ſi diſpenſatione tua pauperes, qui opprimebantur inopia, per tuam ſuggeſtionem & meam largitatem ſunt releuati. Et nihil exigens, antedictos ciues diuites fecit.] hucuſque Gregorius. A

Cùm igitur ex his Theodorici improbetur in expoliatione ſacerdotum tyrannis cauſam intelligis, cur in hoc eodem Concilio Patres eos damnauere qui à Regibus bona Eccleſiæ vſui pauperum inſeruientia impetrarent. ait namque hæc Gregorius[a]: Eiuſdem Theodorici Regis tempore illud iniquum germen cœperat pullulare, vt ſacerdotium aut venderetur à Regibus, aut compararetur à clericis.] Ad hæc, inquam, primùm pertinet, quod iidem ſanctiſſimi ſacerdotes ſecundo canone ſic ſtatuere: Placuit etiam, vt ſacrum quis Pontificij honorem non votis quærat, ſed meritis: nec diuinum videatur munus comparare rebus, ſed moribus: atque eminentiſſimæ dignitatis apicem omnino conſcendat electione, non paucorum fauore, &c.] & in tertio canone: Ne à potentibus ſæculi clerici cõtra Epiſcopos ſuos vllo modo erigantur.] atque item quarto canone: Qui regulam Eccleſiæ petunt à Regibus, & horrendæ cupiditatis impulſu egentium ſubſtantiam rapiunt, à communione Eccleſiæ, cuius facultatem auferre cupiunt, excludantur.] B

[a] *Greg. Turo. in Vita S. Galli.*

TYRANNIS REGVM IN RES ECCL. INSVRGENS COMPRESSA.

Hæc ſanctiſſimi Patres, erigentes ſe aduerſus Regum temeritatem pro arbitrio concedentium petentibus bona Eccleſiaſtica: quibus quidem conſtituendis fuiſſe adiumento Theodobertum Regem, ex iis quæ iidem ad Concilium vocati ſacratiſſimi Antiſtites præfati ſunt, intelligi poſſe videtur, dum aiunt: Cùm in Dei nomine, congregata ſancto Spiritu, conſentiente domino glorioſiſſimo pioque Rege Theodoberto, in Aruernam vrbem ſancta Synodus conueniſſet, ibique flexis in terra genibus pro Rege, pro eius regno, &c.] Sic igitur conſentiente Rege (vt vides) contra Reges manus iniicientes in bona iuraque Eccleſiaſtica iidem Patres eoſdem quos diximus canones ſanciuere. Ex quibus magis magiſque Nouatores Principes ſacrilegij arguantur, qui inhiantes diu bonis Eccleſiaſticis, inuenere tandem pſeudoprophetas, qui ex eorum ſententia id poſſe iure fieri reſponderent; maiorem adhibentes fidem arreptis penitus mentis inſania, nequam ſpiritu agitatis apoſtatis ex monachis perfidis & impiis, quàm tot tantiſque ſanctiſſimis Patribus, in quibus inhabitaſſe Spiritum ſanctum, Deus multiplici miraculorum editione monſtrauit. C

THEODOB. REGIS PIETAS COMMENDATA.

Theodobertus igitur Rex maximè pius, deteſtatus vehementer quæ à ſuo ipſius patre Theodorico rerum Eccleſiaſticarum inuaſore ſæpiùs in ſanctos Epiſcopos & bona Eccleſiarum fuerant perpetrata, etſi heres regni, non tamen perfidiæ eſſe voluit, quàm longè auerſatus, in omnibus immunitati Eccleſiaſticæ ſtuduit eſſe conſultum, ſancirique Eccleſiaſticas leges, quibus iura antiqua Eccleſiis illibata penitus ſeruarentur, atque illi qui prauì emerſiſſent abuſus funditus tollerentur. Sic itaque quem imitari in his filius hæres noluit, ſed perperam ab eo facta per Epiſcopos corrigi, cur fideles Principes auerſari non debent? Porrò hæc omnia accepta ferenda eſſe videntur ſanctiſſimo viro Nicetio Epiſcopo Treuerenſi, qui huic Auernenſi interfuit Synodo; quòd eumdem Theodobertum Regem prauis moribus deprauatum ad meliorem frugem ſæpe reprehendendo (vt ex[b] Gregorio patet) conuertit. D

THEODOBERTVS EMENDAT PATRIS ERRATA.

[b] *Greg. in Vita S. Nicetij Epiſc. Treuer.*

Extant inſuper alij eiuſdem Concilij canones ad diſciplinam Eccleſiaſticam reſtituendam conſeruandamque ab iiſdem Patribus conſtituti, quos tu pro animi arbitrio conſulas: hæc nobis modò ſatis ad horum temporum Gallicanæ Eccleſiæ ſtatum inſinuandum. Ceterùm etſi hæc ſaluberrima appoſita ſunt vlceri ſerpenti remedia; haud tamen factum eſt, vt poſteà minimè rurſus eruperit: vt planè in his plurimùm fuerit Galliarum ſanctis Epiſcopis inſudandum; prout quæ ſuis ſæpe locis inferiùs dicentur, ſignificabunt. E

IESV CHRISTI ANNVS 542. VIGILII PAP. ANNVS 3. IVSTINIANI IMP. 16. TOTILÆ REG. 1.

A

CHristi annus quingentesimus quadragesimusecundus absque nouis Consulibus inchoatus, post Basilij Consulatum inscribitur, idem à Procopio belli Gothici septimus numeratus: quo, nouo occiso Rege Theodibaldo, Gothi euexerunt in regnum Aricum; quo etiam paucos post menses perempto, Totilas regnum accepit. hæc pluribus idem Procopius [a] tradit. Theodibaldi Totilas nepos fuit, ingenio & viribus præstans, in flagellum dominantium in Occidente Græcorum in regnum euectus: qui hoc ipso anno, non ampliùs quàm quinque millium Gothorum collecto exercitu, bis collatis signis, apud Fauentiam in Æmilia primùm, inde apud Florentiam in Tuscia Romanorum exercitum

B superauit: reliqua autem ab eo fortiter gesta, eademq; à Procopio enarrata, suis locis annis singulis (cùm tamen instituti ratio exiget) Annalibus intexemus. Hoc igitur anno hæc facta esse, quo Procopius numerat annum septimum belli Gothici, non est quod in dubium reuocari possit: nam & id ex eiusdem auctoris ea confirmatur assertione, dum Totilam regnasse annos vndecim dicit, obiisseque anno decimooctauo eiusdem belli: cuius pariter sententiæ suffragatur Agathias, qui eiusdem Totilæ necem ponit post vigesimumsextum annum Iustiniani Imperatoris. Hæc de temporis ratione adeò certa & probata reliquisse oportuit ad redarguendos errores mendacia compingentium, de quibus inferiùs sermo erit. modò res Orientis inuisamus.

OCCISI REGES GOTH.

[a] *Procop. de bello Got. lib. 2.*

TOTILAS REGNARE COEPIT.

Iustinianus Imperator redempta (vt vidimus) pace à Cosrhoe Rege Persarum, adiecit animum, vt incensam ab eo Antiochiam restitueret atque muniret: quænam autem illic

C erexerit ædificia, Procopius pluribus refert, vbi postquam ea quæ ad ciuitatis munitionem pertinent, exactè descripsit, hæc de aliis ibi erectis ædificiis narrat [b]: Vniuersam vrbem ab hostibus exustam ipse reparauit; purgatis carbonibus & cineribus, liberum aera reddidit: pauimenta vrbis grauibus saxis instrauit: distinxit vrbem porticibus & foris: biuia angiportis discriminauit, constitutis fontibus & aquarum fluctibus & ductibus. Et quibus vrbes exornantur, theatris, balneis, & aliis ædificiis decorauit, quibus vrbis felicitas illustrari consueuit: & vt facilè & citra laborem incolæ suas ipsorum domos instruant, præstitit. hoc modo Antiochiam nunc illustriorem esse quàm prius contigit. Hic etiam Dei genitrici ingens templum dedicauit, cuius splendorem & magnificentiam oratione æquare impossibile est. Præterea Michaëli Archangelo magnam admodum ædem consecrauit. Prouidit & pauperibus ægrotis diligenter & domo & iis quæ ad curam & infirmitatum mutationem

D pertinent, ordinatis seorsum viris, & seorsum mulieribus. Nihilominus prouidit & peregrinis ex opportunitate factis hîc inquilinis.] hæc Procopius de ædificiis à Iustiniano Antiochiæ excitatis, cùm ad eamdem restituendam ciuitatem ex integro operam dedit. Sed ad res Occidentis conuertamus orationem.

ANTIOCHIA A IVSTINIANO IMP. RESTITVITVR.

[b] *Procop. de ædific. Iustiniani Imp. lib. 2. in fin.*

Hoc eodem anno Clotharius & Childebertus fratres Francorum Reges aduersus Theudem Gothorum Regem Arianum in Hispania regnantem mouent exercitum, victoresque Cæsaraugustam vsque peruenientes, eamq; obsidentes, S. Vincentij martyris sacris exuuiis ciuitate defensa, iisdemque dono ab obsessis acceptis, in Gallias redierunt ouantes. De tempore fidem facit Sigebertus. Quod ad belli apparatum pertinet, constat Childebertum maximè pium, summa religione nuncupatis Deo votis, precibus nisum Sanctorum eamdem expeditionem auspicatum esse, cuius rei causa liquet conuenisse S. Eusichium eremi-

E tam, à quo & responsum de victoria lætus accepit, vt paulò pòst dicturi sumus. Porrò de rebus tunc in bello gestis hæc S. Gregorius narrat eiusdem sæculi scriptor [c]:

FRANCORVM BELLVM IN HISPAN.

[c] *Greg. Turo. de Gest. Frac. lib. 3. c. 29.*

Post hæc Childebertus Rex in Hispaniam abiit: quam ingressus cum Clothario, Cæsarauguſtanam ciuitatem cum exercitu vallant atque obsident. At illi in tanta humilitate ad Deum conuersi sunt, vt induti ciliciis, abstinentes à cibis & poculis, cum tunica B. Vincentij soluta cæsarie, superposito cinere, vt eas putares virorum funeribus deseruire, plangendo sequebantur. Et ita totam spem locus ille ad Domini misericordiam retulit, vt diceretur ibi Niniuitarum ieiunium celebrari, nec existimaretur aliud posse fieri, nisi eorum precibus diuina misericordia inflecteretur. Hi autem qui obsidebant, nescientes quid obsessi agerent, cùm viderent sic murum circuiri, putabant eos aliquid agere maleficij. Tunc apprehensum virum de ciuitate rusticum, ipsum interrogant, quid hoc esset quod agerent. Qui ait: Tuni-

cam B. Vincentij deportant; & cum ipsa, vt eis Dominus misereatur, exorant. Quod illi timentes, se ab ea ciuitate remouerunt: tantùm acquisita maxima Hispaniæ parte, cum magnis spoliis in Gallias redierunt.] hæc Gregorius: qui tamen in eo errare visus est, dum hæc sub Amalarico Rege Hispaniarum contigisse, ex iis quæ subdit, affirmare videtur. A

Verùm certum est, hoc tempore non Amalaricum, sed Theudem seu Theodem in Hispania regnasse. Addit Aimoinus [a], eosdem Reges vocasse ad se Episcopum eius ciuitatis, atque ab eo in redemptionem obsidionis petiisse & accepisse tunicam S. Vincentij. Verùm & ipse in eo errare videtur, dum sub Germano Parisiensi Episcopo eadem facta esse testatur: siquidem is longè pòst sedit: nam ante S. Germanum sederunt Emelius, qui subscriptus reperitur secundo & tertio Conciliis Aurelianensibus, annis proximè elapsis (vt vidimus) celebratis: post quem quarto Concilio Aurelianensi (quod anno trigesimooctauo eiusdem Childeberti Regis habitum reperitur) Simplicius interfuit eiusdem Parisiensis Ecclesiæ Episcopus, quem S. Germanus secutus est. Porrò non tunicam tantùm sancti martyris, sed & alias sacras Sanctorum reliquias constat acceptas, quas honorificè postea idem Childebertus recondidit, vt idem auctor affirmat, recitatq; de his eiusdem Childeberti Regis donationem istis verbis longè post hæc, erecto templo, conscriptam [b]: B

[a] *Aim. hist. Franc. lib. 2. c. 19.*

S. VINCENTII TVNICA TRADITA FRANCIS.

[b] *Aim. lib. 2. c 20.*

Ego Childebertus Rex vnà cum consensu & voluntate Francorum & Neustrasiorum *, & exhortatione sanctissimi Germani Parisiorum vrbis Pontificis, vel consensu Episcoporum, construere cœpi templum in vrbe Parisiaca prope muros ciuitatis, in terra quæ aspicit ad fiscum nostrum Isciacensem, in loco qui appellatur Leucotitio, in honorem S. Vincentij martyris, cuius reliquias ex Hispania asportauimus, ceu & sanctæ Crucis, & S. Stephani, & S. Ferreoli, & S. Iuliani, & beatissimi sancti Georgij, & sancti Geruasij, Protasij, Nazarij, & Celsi pueri, quorum reliquiæ ibi sunt consecratæ: propterea in honorem dominorum Sanctorum concedimus nostrum fiscum largitatis nostræ, qui vocatur Isciacus.] reliqua inferiùs suo loco: nam non hoc anno data habetur, sed longè postea, nempe anno eiusdem Regis quadragesimooctauo, quando videlicet absoluta basilica, recondidit ibi sacra martyrum pignora, non quando ea ex Hispania victor retulit; quod decepit auctorem confundentem simul vtraque tempora. At non Parisiis tantùm, sed in pluribus Galliarum ciuitatibus fuisse celebrem memoriam sancti Vincentij, eiusque sacras reliquias honore cultas claruisse miraculis, Gregorius narrat [c]: sed de his nos inferiùs tempore scriptæ donationis. C

* Austrasiorum

RELIQVIAE EX HISP. IN GALLIAM ASPORTATAE.

[c] *Greg. Turo. de Glor. mar. lib. 1. c. 89. & 90.*

Quod rursus ad idem bellum spectat: cùm idem Childebertus Rex in Gallias victor rediisset, quod Deo vouerat templum in honorem sancti Auiti, extruendum curauit: res gesta in eiusdem sancti Auiti Actis ita narratur [d]: Ea tempestate Rex Childebertus inclytus Francorum Princeps, comparato exercitu, Hispanias suo addere imperio volebat. Audita verò sancti viri fama, & quia sepulchrum eius exigui parietes vallarent: cælesti Regi integra deuotione votum nuncupauit: Si incolumis in regnum suum S. Auiti intercessione reuerteretur, amplissimam se super eius monumentum basilicam conditurum. Itaque in itinere multa quidem ab hostibus perpessus est: sed quoties ei structæ essent insidiæ, toties S. Auiti intercessione ab impendentibus periculis liberatus est, atque ita sospes & triumphans rediit in regnum suum. Tunc verò insignem ædem (vt erat pollicitus) in loco supradicto extruendam curauit, vsus ad eam exornandam solertia VVaddonis, vnius ex proceribus suis, cuius operis mercede eum credimus minimè frustratum: Illic enim assiduis miraculis virtutum gesta claresc unt, clausi patescunt oculi, debilium membra subitò conualescunt, mutus vocem repetit, surdus auditum, &c.] hæc ibi auctor, vbi eiusdem Sancti res gestas quàm fideliss imè enarrauit. D

[d] *Apud Sur. tom. 3. die 17. Iunij.*

CHILDEBERTVS ERIGIT TEMPLVM S. AVITO.

Rursus etiam postquam rediit, aliam constat ædificasse basilicam in loco vbi sancti Eusichij eremitæ membra quiescebant, quam item antea vouerat. Etenim in procinctu positus, antequam Hispanias ingrederetur, idem Childebertus valde pius sancti Eusichij eremitæ miraculis clari diuersorium petiit, vt eius precibus fulciretur; à quo de adipiscenda victoria responsum accepit. id verò paucis Gregorius ita narrat [e]: Ad hunc ergo senem Childebertus in Hispaniam abiens venit. Cumque ei quinquaginta aureos obtulisset: ait senex: Quid mihi ista profers? aliis qui ea pauperibus largiantur attribue; mihi autem hæc necessaria non sunt: sufficit mihi vt pro meis peccatis Dominum merear deprecari. Et adiecit: Vade & victoriam obtinebis, & quod volueris, ages. Tunc Rex aurum pauperibus erogans, vouit, vt si eum Dominus cum sua gratia de itinere illo reduceret, in honorem Dei basilicam E

[e] *Greg. Turo. de Glor. confes. c. 82.*

CHILDEBERTVS ERIGIT TEMPLVM S. EVSICHIO.

A cam eo loco ædificaret, in quo senis membra quiescerent: quod postea adimpleuit.] hæc Gregorius. Cùm verò scriptores veteres de adepta victoria Childeberti omnes æquè testentur: quídnam est, rogo, quòd hæc apud Chronicon Isidori leguntur, cùm de Theude Rege loquitur auctor: Iste Francorum Reges quinque Cæsaraugustam obsidétes, omnemque ferè Tarraconensem prouinciam bello depopulantes, misso Duce Theudisclo fortiter debellauit, atque à regno suo non pace, sed armis exire coegit?] hæc autem quàm repugnent his quæ dicta sunt, tu considera, & quinam quinque Reges fuerint, tu peruestigato: sed non inuentis, facilè (puto) consenseris ea verba ab alio fuisse ad Isidorum apposita, magis quàm Isidorum esse mentitum.

DE TEMPORE OBITVS S. BENEDICTI.

Hoc item anno Domini quingentesimo quadragesimosecundo ponitur à pluribus obitus sancti Benedicti in Cassino monte: id quidem Gordiani nomine incertus auctor asse-
B rit in Actis sanctorum martyrum Placidi & sociorum, cùm vult sequenti anno ab eorumdem martyrio ipsum ex hac vita migrasse: verùm cùm id factum affirmat decimoquarto anno Iustiniani Imperatoris, procul abhorret à veritate: nam hic annus decimussextus eiusdem Imperatoris numeratur ab ipsis Kalendis Aprilis. Eadem sententia de anno Domini asseritur in Chronico Cassinensi, communioriqúe consensu recepta, magis quàm dicentium eumdem peruenisse ad annum Domini sexcentesimum tertium, cuius respectu hanc probatiorem aliquando diximus: verùm si res ad calculum quàm exactissimè redigatur, nec ipsa nobis probari potest.

Etenim quomodo hoc anno mense Martio dicere aliquo modo possumus ipsum S. Benedictum esse defunctum, cùm necdum creatus esset Totilas Rex Gothorum, quem hoc anno, occiso Theodibaldo, præcessit Aratícus? Sed etsi eodem anno creatus sit Totilas,
C nondum in Campaniam duxisse copias constat ex iis quæ de ipso Procopius scripsit, qui ferme singula eiusdem Regis vestigia est consectatus: cùm tamen satis ex S. Gregorio certum sit, notum fuisse eidem Regi S. Benedictum, pluresque cum eo miscuisse sermones, atque ab ipso sub eodem Rege miracula edita esse: vt ad minus ad annum Domini quingentesimum quadragesimumquartum oportuerit eumdem sanctum Benedictum peruenisse; vt ex iis quæ ex Procopio, iunctis his quæ de eodem ex S. Gregorio dicturi sumus, perspicuò intelligi potest. Ad hæc fortè respectum habuit Leo Ostiensis, dum asserit ipsum defunctum potiùs anno sequenti, Domini scilicet quingentesimo quadragesimotertio.

Qui verò eum tradidit longè post hæc tempora decessisse anno Christi sexcentesimotertio Marianus Scotus, inde ipsi errandi emersit occasio, quod cùm in Actis S. Mauri Abbatis eiusdem S. Benedicti discipuli asseratur, eumdem S. Benedictum eo anno ex hac vita
D migrasse, cùm contigit celebrari Pascha duodecimo Kalendas Aprilis: & quòd ex tabulis astronomicis & Paschali computo id non inueniatur accidere potuisse nisi dicto anno sexcentesimo tertio, mox in eam sententiam abiit, vt eo anno idem S. Benedictus diem extremum obierit: nam ipse sub eodem anno sic ait: S. Benedictus Abbas (sicuti sui scribunt) duodecimo Kalend. Aprilium, sabbato sancto Paschæ, in hoc anno videtur obiisse.] verùm sequenti potiùs anno sexcentesimo quarto, & alias antea quingentesimo nono, dicta die celebratum Pascha in Ecclesia reperitur. At cùm pluribus locis Dialogorum S. Gregorij in-

REDARGVITVR ERROR ILLAPSVS IN VITAM S. MAVRI.

ueniatur longè ante illa tempora S. Benedictus esse defunctus, nihil est vt ex notata in Vita Mauri die obitus eius possit elici veritas de ipsius in cælum trásitus anno. Quomodo (rogo te) potuit sexcentesimo tertio anno Domini, qui fuit Pontificatus S. Gregorij Papæ nouissimus, mori S. Benedictus, si ipse quarto sui Pontificatus anno scribens Gregorius libros
E Dialogorum, ipsorum libro secundo vitam recensuit & obitum S. Benedicti, multumque temporis interfuisse sæpè demonstrat ab eiusdem S. Benedicti morte vsque ad eam Dialogorum scriptionem? Hæc cùm ita se habeant, nonnisi mendum in Acta Mauri irrepsisse dicendum est de eius anni Paschatis mense vel die. Hæc autem dicta sunto ad redarguendos potiùs de tempore obitus S. Benedicti vulgatos errores, quàm ad certum annum nobis incertum eius ad Deum transitus statuendum: plura enim ab eo præclarè gesta post hæc sunt, quæ suis inferiùs reddemus locis.

IESV

A

QVingentesimus quadragesimustertius Domini annus post Basilij Consulatum secundus inscribitur, idemque à Procopio octauus belli Gothici numeratur, quo Totilas regni sui annum secundum auspicatur, cuius istos in bello progressus hoc anno Procopius narrat[a]: Cæsenæ deinde mox Totilas ac Petræ præsidia cepit, & paulo pòst se in Tusciam contulit, lociscque in ea iam pertentatis, cùm ad se nemo concederet, amne Tiberino transmisso, non tamen Vrbis ingressus confinia, ad Campanos & Samnites diuertit.] Quid autem ei acciderit, cùm Romam versus proficisceretur, vbi Narniam venit, audi sanctum Gregorium[b]:

[a] *Procop de bello Goth. lib.3.*

TOTILAS POTITVR CAMPANIA

[b] *Greg.lib.3. dial.cap.6.*

B

Eodem namque Gothorum tempore, cùm præfatus Rex Totila Narniam * veniisset, ei vir vitæ venerabilis Cassius eiusdem vrbis Episcopus occurrit. Cui quia ex cõspersione semper facies rubere consueuerat: hoc rex Totila non conspersionis esse credidit, sed assiduæ potationis, eumque omnimodo despexit. Sed omnipotens Deus, vt quantus vir esset qui despiciebatur, ostenderet: in Narnienſi campo, quo Rex aduenerat, malignus spiritus coram omni exercitu eius spatharium inuasit, eumque vexare crudeliter cœpit. Qui cùm ante Regis oculos ad venerandum virum Cassium fuisset adductus: hunc ab eo vir Domini, oratione facta, signo Crucis expulit: qui in eum ingredi vlteriùs non præsumpsit. Sicque factum est, vt Rex barbarus seruum Dei ab illo iam die veneraretur ex corde, quem despectum valde iudicauit ex facie. Nam quia virum tantæ virtutis vidit, erga illum illa mens effera ab elationis fastu detumuit.] hæc Gregorius.

* Narnis

A S. CASSIO CVRATVR SPATHARIVS.

C

Cùm autem Narnia decedens Totilas Vtriculanæ ciuitati appropinquaret, quid acciderit, idem Gregorius his verbis inferiùs narrat[c]: Fulgentius Episcopus, qui Vtriculenſi Ecclesiæ præerat, Regem crudelissimum Totilam infensum omnimodo habebat. Cumque ad easdem partes cum exercitu peruenisset, curæ fuit Episcopo per clericos suos xenia ei transmittere, eiusque furoris insaniam, si posset, muneribus mitigare. Quæ ille, vt vidit, protinus spreuit, atq. iratus suis hominibus iussit, vt eumdem Episcopum sub omni asperitate constringerent, eumq; eius examini seruarent. Quem dum feroces Gothi, ministri scilicet crudelitatis illius tenuissent, circumdantes, eum vno in loco stare præceperunt, eique in terra circulum designauerunt, extra quem pedem tendere nullo modo auderet. Cumq; vir Dei in Sole nimio æstuaret, ab iisdem Gothis circumdatus & designatione circuli inclusus: repentè coruscationes & tonitrua & tanta vis pluuiæ erupit, vt hi qui eum custodiendum acceperant, immensitatem pluuiæ ferre non possent. Et dum magna nimis inundatio fieret, D intra eamdem designationem circuli, in qua vir Domini Fulgentius stetit, ne vna quidem pluuiæ gutta descendit. Quod dum Regi crudelissimo nunciatum esset, illa mens effera ad magnam eius reuerentiam versa est, cuius pœnam priùs insatiabili furore sitiebat. Sic omnipotens Deus contra elatas carnalium mentes potentiæ suæ miracula per despectos operatur, vt qui superbè contra præcepta veritatis se eleuant, eorum ceruicem veritas per humiles premat.] hactenus Gregorius.

[c] *Greg. dial. lib.3 c.12.*

MIRA DE S. FVLGENTIO EPISC. VTRICVL.

Pergit autem Procopius Totilæ progressus in Campaniam atque Samnites dicere; quæ prætermittimus. Referemus verò, quid actum, dum in Campania esset, cùm S. Benedicto Iuniori egregiæ sanctitatis viro: quod dignum perenni memoria factum idem S. Gregorius ita narrat[d]: Fuit (inquit) quidam in Campaniæ partibus intra quadragesimum Romanæ vrbis milliarium, nomine Benedictus, equidem ætate iuuenis, sed moribus grandæuus, & E in sanctæ cõuersationis regula se fortiter stringens. Quem Totilæ Regis tempore cùm Gothi reperissent, hunc incendere cum sua cella moliti sunt. Ignem namque posuerunt, sed in circuitu arserunt omnia, cella verò illius igne comburi non potuit. Quod videntes Gothi, magisque sæuientes, atque hunc ex suo habitaculo trahentes, non longe aspexerunt succensum clibanum, qui coquendis panibus parabatur, cumque in illo proiecerunt, clibanumque clauserunt. Sed die altero ita illæsus inuentus est, vt non solùm eius caro ab ignibus, sed neque extrema vllo modo vestimenta cremarentur.] hæc Gregorius. Quæ verò, cùm vlteriùs Totilas progressus est ad Cassinum montem, sexagesimo ab Vrbe lapide, inter S. Benedictum Seniorem & Totilam transacta sint, iam dicamus.

[d] *Greg.dial. lib.3.c.18.*

S. BENEDICTI IVNIORIS GRANDE MIRACVLVM.

TOTILAS INVISIT S. BENEDICTVM.

Adeò enim sanctissimi viri Benedicti in eodem Cassino monte vitam monasticam excolentis & virtute miraculorũ effulgentis fama apud omnes increbuerat, vt ipsa potens etiam

value-

A valuerit trucem barbarum omnia cæde miscentem Totilam Gothorum Regem ad eumdem super montis verticem degentem pertrahere. Quæ autem tunc gesta sint inter mitissimum Dei virum & hominem barbarum crudelissimum, à S. Gregorio[a] rem gestam accuratè narrante audiamus: Gothorum (inquit) temporibus, cùm Rex eorum Totila sanctum virum prophetiæ habere spiritum audisset, ad eius monasterium pergens, paulo lõgiùs substitit, eiq; se venturum esse nunciauit. Cui dum protinus mandatum de monasterio fuisset, vt veniret: ipse sicut perfidæ mentis fuit, an vir Dei prophetiæ spiritum haberet, explorare conatus est. Quidã verò eius spatharius Riggo dicebatur, cui calciamenta sua præbuit, eumque indui vestibus regalibus fecit: quem quasi in persona sua pergere ad Dei hominẽ præcepit. In cuius obsequio tres qui sibi præ ceteris adhærere consueuerant Comites misit, scilicet Vulterium, Rudericum, & Blindinum, vt ante serui Dei oculos ipsum Regem Totila esse simulantes, eius lateri obambularent, cui alia quoque obsequia quasi spatharij præberent, vt tam ex eisdem obsequiis, quàm ex purpureis vestibus Rex esse putaretur.

[a] *Greg. dial. lib. 2. c. 14. & 15.*

TOTILAS DE S. BENEDICTO EXPERIMENTVM FACIT.

B Cumque idem Riggo decoratis vestibus, obsequentium frequentia comitatus monasterium fuisset ingressus, vir Dei eminus sedebat. Quem venientem conspiciens, cùm iam ab eo audiri potuisset, clamauit, dicens: Pone fili, pone hoc quod portas, non est tuum. Qui Riggo protinus in terram cecidit: & quia tanto viro illudere præsumpsisset, expauit; omnesque qui cum eo ad hominem Dei veniebant, terræ consternati sunt. Surgentes autem, ad eum propinquare minimè præsumpserunt, sed ad suum Regem reuersi nunciauerunt trepidi in quanta velocitate fuerant deprehensi. Tunc per se idem Totila ad Dei hominem accessit: quem cùm longè sedentem cerneret, non ausus accedere, sese in terram dedit. Cui cùm vir Dei bis terve diceret, Surge; sed ipse ante eum de terra erigere se non C auderet: Benedictus Christi Iesu famulus per semetipsum dignatus est accedere ad Regem, prostratumque de terra leuauit, & de suis actibus increpauit: atque in paucis sermonibus cuncta quæ illi erant ventura prænunciauit, dicens: Multa mala facis, multa mala fecisti: iam aliquando ab iniquitate conquiesce. Equidem Romam ingressurus es, mare transiturus; nouem annis regnans, decimo morieris. Quibus auditis Rex vehementer territus, oratione petita, recessit; atque ex illo iam tempore minùs crudelis fuit, & non multo pòst Romam adiit, ad Siciliam perrexit, anno autem regni sui decimo omnipotentis Dei iudicio regnum cum vita perdidit.

RES TRANSACTAE INTER S. BENEDICTVM ET TOTILAM.

Præterea Canusinæ Antistes Ecclesiæ ad eumdem Dei famulum venire consueuerat, quem vir Dei pro vitæ suæ merito valdè diligebat. Is itaque dum cum illo de ingressu Regis Totilæ & Romanæ vrbis perditione colloquium haberet, dixit: Per hunc Regem ciui- D tas ista destruetur, vt iam ampliùs non inhabitetur. Cui vir Domini respondit: Roma à gentibus non exterminabitur, sed tempestatibus coruscis, turbinibus, ac terræmotu fatigata, in semet ipsa marcescet. Cuius prophetiæ mysteria nobis iam facta sunt luce clariora, qui in hac vrbe dissoluta mœnia, euersas domus, destructas ecclesias turbine cernimus; eiusque ædificia longo senio laxata, quia ruinis crebrescentibus prosternuntur, videmus. Quamuis Honoratus eius discipulus, cuius mihi relatione compertum est, nequaquam ex ore illius audisse perhibet: sed quia hoc dixerit, dictum sibi à fratribus fuisse testatur.] hactenus de his Gregorius.

QVID DE VRBIS CLADE S. BENEDICTVS VATICINATVS.

Quæ præterea eodem ferme tempore inter eumdem sanctum Benedictum & Gallam vnum ex Totilæ Ducibus acta sint, idem S. Gregorius inferiùs ita recenset[b]: Gothorum quidam, Galla nomine, perfidiæ fuit Arianæ, qui Totilæ Regis eorum temporibus contra E Catholicæ Ecclesiæ religiosos viros ardore immanissimæ crudelitatis exarsit; ita vt quisquis ei clericus, monachúsve ante faciem venisset, ab eius manibus nullo modo exiret. Quadam verò die auaritiæ suæ æstu succensus, in rapinam rerum inhians, dum quemdam rusticũ tormentis crudelibus affligeret, eumque per supplicia diuersa laniaret: victus pœnis rusticus, sese res suas Benedicto Dei famulo commendasse, professus est, vt dum hoc à torquente creditur, suspensa interim crudelitate ad vitam hora repararetur. Tunc idem Galla cessauit rusticum tormentis affligere: sed eius brachia loris fortibus astringens, ante equum suum cœpit impellere, vt quis esset Benedictus qui eius res susceperat, demonstraret. Quem ligatis brachiis rusticus antecedens, duxit ad sancti viri monasterium, eumque ante ingressum cellæ solum sedentem reperit & legentem. Eidem autem subsequenti & sæuienti Gallæ rusticus dixit: Ecce iste est de quo dixeram tibi, Benedictus pater.

[b] *Greg. dial. lib. 2 c. 31.*

DE GALLA DVCE ET S. BENEDICTO.

Quem dum feruido spiritu cùm peruersæ mentis insania fuisset intuitus, eo terrore quo consue-

consueuerat acturum se existimans, magnis cœpit vocibus clamare, dicens: Surge, surge, & A
res istius rustici redde, quas accepisti. Ad cuius vocem vir Dei protinus oculos leuauit à lectione, eumque intuitus, mox etiam rusticum qui ligatus tenebatur attendit. Ad cuius brachia dum oculos deflexisset, miro modo tanta celeritate cœperunt illigata brachiis lora de-
NOVIT GALLA DIVINAM VIRTVTEM. uoluere, vt dissolui tam concitè nulla hominum festinatione potuissent. Cumque is qui ligatus venerat, cœpisset subitò astare solutus: ad tantæ potestatis vim tremefactus Galla ad terram corruit, & ceruicem crudelitatis rigidæ ad eius vestigia inclinans, se orationibus illius commendauit. Vir autem sanctus à lectione minimè surrexit; sed vocatis fratribus, eum introrsus tolli, vt benedictionem acciperet, præcepit. Quem ad se reductum, vt à tantæ crudelitatis insania quiescere deberet, admonuit. Qui fractus recedens, nil vlteriùs petere à rustico præsumpsit, quem vir domini non tangendo, sed respiciendo soluerat.] hucusque de his Gregorius. B

Cùm verò Gothorum exercitus ad Vulturnum fluuium super Capuam, vbi amnis transmeabilis equis est, iturus ad Samnites peruenisset: quid ibi acciderit, recenseamus ex eodem
[a] *Greg. dial. lib. 3. c. 2.* S. Gregorio Papa, qui ait[a]: In eadem prouincia Samnij, quam supra memoraui, idem Li-
S. LIBERTINI RES GESTAE CVM DVCE GOTHORVM. bertinus vir pro vtilitate monasterij carpebat iter. Dumq; Darida Gothorum Dux cum exercitu in loco eodem venisset, Dei seruus ex caballo, quo sedebat, ab hominibus eius proiectus est. Qui iumenti perditi libenter damnum ferens, etiam flagellum, quod tenebat, diripientibus obtulit, dicens: Tollite, vt habeatis, qualiter hoc iumentum minare valeatis. Quibus dictis, protinus se in orationem dedit. Cursu autē rapido prædicti Ducis exercitus peruenit ad fluuium qui vocatur Vulturnus, ibique equos suos singuli cœperunt hastis tundere & calcaribus cruentare; sed tamen equi verberibus cæsi, calcaribus cruentati fatigari poterant, moueri non poterant; sicq; aquam fluminis tangere, quasi mortale præcipitium pertimescebant. Cumque diu cædendo sessores singuli fatigarentur: vnus eorum intulit: Quia ex culpa, quam seruo Dei in via fecerant, illa sui itineris dispendia tolerabant. Qui statim reuersi, post se Libertinum reperiunt in oratione prostratum. Cui cùm dicerent: Surge, tolle caballum tuum. Ille respondit: Ite cum bono: ego caballo opus non habeo. Descendentes verò, inuitum eum in caballum, de quo deposuerant, leuauerunt, & protinus abscesserunt. Quorum equi tanto cursu illud quod priùs non poterant transire flumen transierunt, ac si ille fluminis alueus aquam minimè haberet. Sicque factum est, vt cùm seruo Dei vnus caballus suus redditur, omnes à singulis reciperentur.] hæc Gregorius. ita quidem Deus in omnibus ferme locis virtutis suæ vestigia impressa reliquit. C

[b] *Procop. de bello Goth. lib. 3.* Sed quid post hæc Totilas? audi à Procopio, vbi ista dictis subdit[b]: Beneuentum mu-
PROGRESSVS TOTILAE. nitissimum oppidum nullo in potestatem labore redegit, eiusque muros in solum mox di- D
ruit; ne fortè exercitus aliquis è Byzantio eò se conferens, vt è loco munito in Gothos impetu facto, negotium illis exhiberet. Neapolitanos deinde obsidere decreuit; quandoquidem se intra vrbem recipere, etsi pleraque quidem & allicibilia prædicantem, hi prorsus renuerent. Conon eam tunc vrbem custodiebat cum Isauris, Romanisque mille. Sed Totilas ipse cum maxima copiarum parte haud procul à mœnibus castris positis quiescebat, parteque exercitus ad Cumas dimissa cum his & aliis simul munitissimis locis potitur, pecuniarumq; numero non mediocri. Feminas verò quasdam patricias captis in oppidis per suos
TOTILAS MONITIS S. BENEDICTI PROFECIT. comprehensas nulla prorsus affecit iniuria, sed summa cum diligentia liberè abire permisit: vnde factum est, eius vt nomen, vt sapientiæ, ita & benignitatis celebre apud Romanos iam esset & maximi fieret.] Ex S. Benedicti monitis (vt ex S. Gregorio nuper diximus) hoc esse E
lucratum Totilam, vt redditus mitior eiusmodi humanitatis & continentiæ exempla ederet, possumus intelligere. Sed pergit Procopius:

Cumq; nusquam hostes sibi obuiam irent, paucis è suo exercitu circummissis, res memoratu digna gerebat. Brutios itaque & Lucanos subegit, Apuliaq; & Calabria simul potitus, publica tributa frequenter exigere, & omnium rerum prouentus rapiendo & fraudādo sibi habere, cetera haud seciùs factitare ac Italiæ fortitus iam esset Imperium.] hæc Procopius: quibus ista ex S. Gregorio sunt addenda de eodē Totila, dum in Apulia versaretur, & S. Sabinum Canusinum Episcopum adiit, æquè ac fecerat cum S. Benedicto, experturus, num (quod auditu perceperat) esset in ipso spiritus prophetiæ. Hic ille Sabinus, qui pluribus (vt diximus) legationibus Rom. Pontificis illustratus, iam senio viribus corporis fractus, sed animo vigens, & cùm oculorum luce priuatus penitus esset, spiritu tamen futura noscens,
[c] *Greg. dial. lib. 3. cap. 5.* Prophetæ & Videntis nomen fuerat consecutus. Ait ergo de eo Gregorius[c]:

Hunc

CHRISTI 543. 544. | VIGILII PAP. 4. | IVSTINIANI IMP. 17. 18. TOTILÆ REG. 2. 3.

A Hunc Rex Gothorum Totila prophetiæ habere spiritum audiens, minimè credidit, sed probare studuit quod audiuit. Qui cùm in iisdem partibus deuenisset, hunc vir Domini ad prandium rogauit. Cumq; iam ventum esset ad mensam, Rex discumbere noluit, sed ad Sabini venerabilis dexteram sedit. Cùm verò eidem Patri puer ex more poculum vini præberet, Rex silenter manum tetendit, eumq; per se Episcopo vice pueri præbuit, vt videret an spiritu præuidentiæ discerneret, quis ei poculum præberet. Tunc vir Dei accipiens calicem, sed tamen ministrum non videns, dixit: Viuat ipsa manus. De quo verbo Rex lætatus erubuit; quia quamuis ipse deprehensus sit, in viro tamen Dei quod quærebat inuenit.] hæc de his quæ tunc inter Totilam & Sabinum sunt gesta, Gregorius. DE S. SABINO EPISC. CANVSINO, ET TOTILA.

Accidit autem inter hæc vt cùm Neapolis arcta obsidione perstringeretur, auxilium expectaret ab Imperatore. At cùm classis ab eo missa ad Neapolitanum littus ventorum im-
B pulsibus naufragium passa esset, quiq; è fluctibus emersérant, in Gothorum deuenissent potestatem: his perterriti Neapolitani, Totilæ sese dedere. Horum deditione anni huius periodum Procopius claudit Totilæ rerum gestarum. Quòd verò Totilas tantam præstiterit superatis humanitatem, non parcendo tantùm, sed alendo & commeatum eisdem prębendo, vt neque aliquis propinquorum vel intimorum amicorum talia illis officia exhibere valuisset (vt idem auctor pluribus narrat) planè apparuit, quãtum ex S. Benedicti congressu atque monitis barbarus profecisset, effectus insuper summæ iustitiæ cultor, cùm videlicet anno sequenti in armigerum suum animaduertit, quòd virgini vim intulisset, cui & morte affecti armigeri bona dari voluit: quæ omnia fusius Procopius scriptis est prosecutus.

Quod verò ad res bellicas Orientales pertinet, rursum rupto fœdere Rex Persarùm in Romanum Imperium immisit exercituni: hoc enim anno à Procopio secunda ponitur
C Cosrhois in Romanos expeditio, cùm Belisarius aduersus eum bellum gesturus in Persidem missus est: vbi vno tantùm castro capto, eodemque postea amisso, nihil præterea memoria dignum est factum, Deo aduersus Romanos pro Persis pugnante, cùm videlicet ægritudo inuaserit Romanum exercitum, adeò vt vix pars eius tertia seruari potuerit. scribit hæc Procopius[a] pluribus: sed ad institutum ista satis.

[a] *Procop. de bello Persico lib. 2.*

IESV CHRISTI ANNVS 544. | VIGILII PAP. ANNVS 5. | IVSTINIANI IMP. 18. TOTILÆ REG. 3.

D

QVingentesimus quadragesimusquartus Christi annus notatus reperitur in Consularibus tabulis post Basilij Consulatum tertiò, idemque à Procopio numeratus belli Gothici nonus: quo Totilas Vrbem cogitans, eam priùs litteris ad Senatum iterum scriptis quàm armis tentare decreuit. sed cùm Ioannes Præfectus, Constantinopoli olim missus, illic esset, Senatum in officio continens, illi rescribere vetuit: cuius rei causa Totilas indignatus, Romam versus ad eius obsidionem exercitum mouit: cum istis admonitus Iustinianus, Belisarium è bello Persico reuocans in Italiam misit. hæc sunt quæ hoc anno nono Gothici belli accidisse Procopius tradit, additq; hoc item anno factum, vt omnes qui Arianæ hæresis Romæ suspecti haberentur, ne proderent Gothis itidem Arianis Vrbem, inde protinus pellerentur, id opera (vt creditur) Vigilij Papæ, à quo etiam illud procuratum fuis-
E se videtur, vt Belisarius in Italiam mitteretur. Hæc quidem primò accipe à Procopio, qui ait[b]: Ipse verò cum maiori & reliqua parte exercitus ad circumiecta Vrbi loca ductare statim contendit. Cuius profectione cognita Imperator, etsi fortissimè adhuc sibi insistentibus Persis, mittere rursum in Italiam Belisarium cogitur.] hæc ipse. Quod verò de his rogatus à Vigilio Papa Iustinianus Imperator annuerit, audi quæ Arator in præfatione ad ipsum Vigilium præfixa Heroico carmini, quo Acta Apostolorũ cecinit, habet his versibus: TOTILAS TENTAT LITTERIS SENATVM.

[b] *Procop. de bello Goth. lib. 3.*

Mœnibus vndisonis bellorum incendia cernens,
Pars ego tunc populi tela pauentis eram.
Publica libertas, Vigili sanctissime Papa,
Aduenit incluso soluere vincla gregi.
De gladio rapiuntur oues, Pastore ministro,
Inq; humeris ferimur, te reuocante, pijs. VIGILII OPERA VRBS LIBERATA.

Corpo-

Corporeum ſatis eſt ſic euaſiſſe periclum,
At mihi plus animæ naſcitur inde ſalus.
Eccleſiam ſubeo, dimiſſa naufragus aula,
Perfida mundani deſero vela freti, &c.] ad finem verò hæc habet:
Te duce, tyro lego, te dogmata diſco magiſtro.
Si quid ab ore placet, laus monitoris erit.] hæc ad Vigilium Papam Arator: qui hoc eodem anno iam ordinatus Romanæ Eccleſiæ ſubdiaconus ipſum nobile elucubratum à ſe carmen, quo luculenter Apoſtolorum Acta à Luca conſcripta proſecutus eſt, egregium opus Vigilio Papæ obtulit: nam quo die, menſe & anno id factum, continet Vaticanus codex eiuſdem carminis, in quo iſta leguntur:

ARATOR SVBDIACONVS CARMEN IN ACT. APOST. VIGILIO OFFERT.

Beato Petro adiuuante, oblatus eſt huiuſmodi codex ab Aratore ſubdiacono ſanctæ Eccleſiæ Romanæ, & ſancto & Apoſtolico viro Papæ Vigilio, & ſuſceptus ab eo die VIII. Idus Aprilis in Preſbyterio ante Confeſſionem beati Petri, cùm ibidem plures Epiſcopi, preſbyteri, diaconi, & cleri pars maxima intereſſent. Quem cùm ibidem legi pro aliqua parte feciſſet, Surgentius vir venerabilis Primicerius ſcholæ Notariorum in ſcrinio dedit Eccleſiæ collocandum. Cuius* beatitudinem litterati omnes doctiſſimiſque continuo rogauerunt, vt eum iuberet publicè recitari. Quod cùm fieri præcepiſſet, in eccleſia beati Petri, quæ vocatur, Ad Vincula, religioſorum turba conuenit; atque eodem Aratore recitante, diſtinctis diebus, ambo libri, ſeptem vicibus, ſunt auditi, cùm vnius medietas libri tantummodo legeretur propter repetitiones aſſiduas, quas cum fauore multiplici poſtulabant. Eadem hæc repetitio facta eſt his diebus: Prima Idibus Aprilis, ſecunda decimoquinto Kalendas Maij, quarta verò tertio Kalendas Iunij, tertio anno poſt Conſulatũ Baſilij V.C. Indictione VII.] hæc ibi. Porrò de eodem Aratore poëta, qui Apoſtolorum Acta metro cecinit, hos habet verſus Venantius Fortunatus[a]:

Sortis Apoſtolicæ quæ Geſta vocantur & Actus,
Facundo eloquio vates ſulcauit Arator.] at de ipſo ſatis.

* Cùm eius

[a] *Fortun. carm. de Vita S. Martini lib. 1.*

Quod autem ad Orientales res pertinet, hoc anno à Procopio[b] bellum Perſicum ſcriptis proſequente tertia ponitur Coſrhois in Romanorum ditionem irruptio, cùm Sergiopolim tentauit ciuitatem, quæ præſidio ſancti Sergij munita, eiuſque patrocinio defenſa illæſa permanſit: de qua primùm quid idem Procopius tradat, audiamus: Vere (inquit) poſtea iueunte, Coſrhoes tertiam in Romanorum regionem irruptionem maximo fecit exercitu, Euphratem dextrorſus habens. Candidus autem Sergiopolis Præſul poſtquam Perſarum exercitum prope mœnia perſpexit, timens & ſibi & ciuitati, quòd pacta inter eos priora non ſeruauerit, ſeſe vltro excuſans, Coſrhoi occurrit, ac rogans, ne propterea ciuitati ſit iratus: nam ei pactam pecuniam numquam fuiſſe, quam ei pro redemptis Surenis (vti ſuprà commemorauimus) debebat. Coſrhoes autem ipſum in cuſtodiam duci, atque corpus eius probris omnibus affici, pecuniam deinde duplam atque priùs conuenerat exſolui iuſſit. Ille verò Sergiopolim aliquos mitti rogauit, qui omnem pretioſam templi ſupellectilem auferrent, cum quibus etiam alios ipſe miſit. His Sergiopolitani quæcumque ſunt iuſſa tradidere, ſibi nihil aliud relictum dicentes. Cumque Coſrhoes non ſatis hoc eſſe diceret, aliaque expeteret, adhuc alios de bonis eorum nomine quidem veſtigatum miſit, re autem vera vt vrbem caperet.

[b] *Procop. de bello Perſico lib. 2.*

TERTIA COSRHOIS IN ROMANOS EXPEDITIO.

Sed quando diuinitus datum non erat vt ea potiretur, quidam è Sarracenis Chriſtianus, alioquin ſub Alamundaro militans, Ambrus nomine, nocte per muros aſcendens, omne conſilium ciuibus nunciauit, ſuaſitque nullatenus Perſas in vrbem recipiendos. Sic igitur à Coſrhoe miſſi, ſine effectu reuerterunt. Quamobrem idem vrbem euertere ſtatuit; protinusque exercitu ſex millium miſſo, mœnia obſidere atque oppugnare cœpit. Sergiopolitani autem fortiter ab initio reſiſtentes, deinde periculum metuentes, ciuitatem hoſti dedere decreuerunt: milites enim non plus quàm ducenti erant. Sed Ambrus rurſus ad mœnia noctu veniens, duorum tantùm ſpatio dierum Perſarum obſidionem duraturam dixit, aqua eis deficiente. Quapropter illi nullatenus in ſermonem cum hoſte venerunt. Interim verò barbari, premente ſiti, inde diſcedentes, ad Regem venerunt, qui Candidum adhuc non dimiſerat: oportebat enim (exiſtimo) illum tamquam periturum à ſacerdotio deiici. Et hæc quidem ſic ſe habuere.] hucuſque de his Procopius, qui ſubdit in fine: At Beliſarius rurſus ab Imperatore accerſitur Byzantium, vt in Italiam iterum mitteretur, rebus iam Imperij collabentibus.]

SERGIOPOLIS DIVINITVS DEFENSA.

De

A De rebus autem sacris ad ipsum Cosrhoem asportatis è templo hæc addit Euagrius[a]: Simul vt mœnia aggreditur, fit vtrinque sermo & colloquium de seruanda ciuitate: conuenitq; inter eos, vti sacris thesauris ac monumentis (inter quæ Crux à Iustiniano & Theodora missa fuit) vrbs redimeretur. Vbi ista fuere ad Cosrhoem apportata; percunctatur à sacerdote & Persis qui cum eo ad eam rem missi erant, ecquæ alia supereſſent? Cui quidam eorum, qui verum dicere minimè consueuerat, respondet, alia etiam adhuc monumenta restare à paucis quibusdam ciuibus occultata. Relinquebatur autem ab his qui thesauros & monumenta attulerant, auri argentiq́ue prorsus nihil, sed alterius cuiusdam materiæ multo præstabilioris, quæ Deo omnino dicata fuit: sanctissimas dico reliquias Sergij inuicti Christi martyris, quæ in capsa erant oblonga argentoq́; obducta repositæ.

[a] *Euag. lib. 4. cap. 27.*

ECCLESIAE THESAVRI AD COSRH. DELATI.

Itaque postquam Cosrhoes his verbis persuasus totum exercitum ad vrbem excidendam
B dimiserat, derepentè in ipsis mœnibus magna hominum multitudo clypeis munita visa est ciuitatem propugnare. Quam qui erant à Cosrhoe missi conspicati, reuerterunt; ac tum multitudinem, tum armaturam admirati, ad Cosrohem rem referunt. Vbi autem rursus certior factus est, paucos admodum in vrbe remanere, eosq́ue vel ætate exacta esse vel tenera & immatura (quippe omnes qui firma fuere ætate & robusta, è medio sublati erant) pro certo nouit illud miraculum à sancto martyre editum: & propterea metu perculsus, admiratusq́ue Christianorum fidem, domum reuertitur: quem ferunt sub extremum ætatis tempus diuino regenerationis lauacro tinctum fuisse.] hæc Euagrius & ipse sui temporis res gestas scribens, eaq́ue addens quæ à Procopio præterita sciret. Subdit his verò ipse Procopius: In animo quoque Cosrhoes habuit, rectà in Palæstinam tendere, vt tum alia, tum Hierosolymitani templi sacram ac pretiosam supellectilem prædaretur.] quo minùs
C autem id perfecerit, inde accidit, quòd Belisarius rursus hoc anno aduersus eum missus occurrit, egitq́ue vt Cosrhoes pacem cum Imperatore denuo iuramento firmaret. Cuius rei causa percommodè euenit, vt Belisarius iterum in Italiam mitteretur (sicuti dictum est) vt periclitanti ibi Imperio præsto esset.

COSRHOES DIVINITVS AB VRBE REPVLSVS.

Hoc eodem anno lues magna in Oriente grassari cœpit, de qua ista admiratione digna Procopius[b]: Fuit insuper iisdem temporibus ingens pestilentia, cui remedium nullum inuentum, præterquam ex Deo, vnde venit: quamquam multi arrogantes phisiologiæ causas commentari contendant, vanas quidem omnes & inuestigabiles, tantumq́ue sermone decipientes. Hic enim morbus nulli neque ætati, neque sexui, neque loco parcebat. Vnde verò
D initium habuerit, aut quo modo perimebat, referam. Cœpit enim ab Ægyptiis, qui apud Pelusium sunt: hinc vniuersam terram comprehendit, itinere semper procedens, nullas reliquit locorum latebras, nec bis eadem corpora repetebat. Incipiebat autem hoc modo. Phantasmata dæmonum multis humana specie visa sunt: quot enim in ipsa inciderent, percuti se ab aliquo viro putabant, morbusq́ue subito irruebat.

[b] *Procop. de bello Persic. lib. 2.*

PESTIS IMMISSA PER ANGELOS MALOS.

Nonnulli ab initio verbis sanctis ac aliis (vt poterant) supplicationibus eum auertere frustra quærebant: ac tamquam lymphati, seu spiritu maligno agitati, amicos vocantes minimè audiebãt; in locis quoque angustis coercebantur. Nonnullis verò in somnis hæc eadem accidebant. Corripiebantur enim statim febre; calore coloreq́ue pariter corporis nusquam mutatis; neque vlla item inflammatio (vti febricitantibus solet) sed tussis quædam ab initio, vsque ad vesperam febris erat: adeò vt nullo adhibito medicamento, * nullius opinionem periculi præberent. Eodem verò die, nonnullis sequẽti, aliis non multo pòst tuber succrescebat, aliis alibi. Præterea quibusdam somnus inerat profundus, nonnullis acuta quæ-
E dam stultitia; & primùm quidem omnium obliti rerum, etiam cibum negligentes moriebantur. In stultitia verò corripi sibi visi, aut inuadi clamabant, auertenteſq; fugiebant: quorum curatores & ministri dira atque intoleranda patiebantur, adeò vt non minus ipsi quàm ægroti misericordia digni fuerint, non quòd morbo & ipsi afficerentur (non enim is contagione nocebat) sed quòd furentes, aut è lecto se præcipitare, aut ad flumina ob sitim properare volentes, vix retinebant. Peribant aliqui eodem die, nonnulli multis pòst diebus. Tribus igitur mensibus huiuscemodi lues Constantinopoli prævaluit, & ab initio quidem pauci, deinde in singulos dies quinque, sæpiùs etiam decem millia efferebantur: adeò vt plures etiam diuites, ministris iam omnibus extinctis, curatorum penuria magis quàm morbo perirent, & insepulti manerent.] subdit his Procopius de nauata opera ab Imp. per Theodorum Referendarium, vt afflictatæ ciuitati subsidio esset.

PESTIS EFFECTVS MIRANDI.

* medico

Meminit eiusdem pestis Euagrius[c], pluraq́ue addit à Procopio prætermissa, diuersaq́ue narrat,

[c] *Euag. lib. 4. cap. 28.*

narrat, corrigendus in eo, dum ait biennio post captam à Persis Antiochiam ea cœpisse; A
cùm ex Procopio euidenter appareat tum contigisse, cùm Belisarius è bello Persico in Italiam missus est: cuius potiùs fidem sectandam putamus, quàm Euagrij, quem post quin-
PESTIS AD ANNOS PLVRIMOS PROPAGATA. quaginta annos ea scriptis mandasse, idem ipse testatur. Porrò ætatem Procopij longè morbum ipsum prætergressum esse oportuit, cùm scribat Euagrius annos quinquagintaduos inter homines grassatum esse, neque Orientem solùm, sed vniuersum ferme terrarum orbem ab eodem fuisse depastum; nonnullasque vrbes omnibus fuisse habitatoribus per eamdem pestilentiam orbatas, atque in illa ipsa loca, quæ antea inuasisset, sæpè reuersam; plura insuper symptomata in ægrotantibus accidisse, ac planè diuersa ab eis quæ idem Procopius tradit, de quibus tu ipsum consulas.

DEI GENITRIX PESTEM SEDAT CONSTANTINOP. Quòd verò non ampliùs quàm tribus mensibus ciuitatem Constantinopolitanam occu- B
parit, miraculo tribuitur. quod licet neque à Procopio vel Euagrio recensetur, haud tamen obliuione sepultum penitus relictum est: nam tantum beneficium solemni die festo in honorem Dei genitricis Mariæ instituto, anniuersariaque die in Ecclesia repetendo, remansit posteris perpetua memoria consignatum, cùm videlicet idem Hypapanti est nominatus, nempe humilis occursus Simeonis, cùm Deipara suũ filium Dominum nostrum Iesum Christum in templum intulit; cuius festi diei in Occidente Gelasium Papam fundamenta iecisse, cùm Lupercalia penitus abstulit, in Notis ad Romanum Martyrolog. diximus. Porrò de hac festiuitate Dei genitricis, præter publicis tabulis commendatam testificationem, quam Græci in Menologiis habent, alij [a] tum Græci tum Latini auctores meminere. Sed & ex his quæ dicta sunt, corrigas necesse est, quòd pestem istam alij decimo Imp. Iustiniani anno, alij nono, vel alij alio contigisse dixere: nullam enim insignioris nominis pestem sub eius Imperio accidisse præter istam de qua dictum est, ipse significat. Cùm ve- C
rò Imperator Iustinianus accepisset Persas laborare peste, misit aduersus eos exercitum, qui ab illis ignominiosè fugatur & trucidatur, rem gestam pluribus Procopius narrat.

[a] *Niceph lib. 17. cap. 28. Cedren. in compend. Miscel. an 15 Iustin. Sigeber. in Chron. anno 541.*

Hoc anno defuncto S. Cæsario Episcopo Arelatensi, in locum eius Auxanius substituitur; cuius audita promotione Vigilius Papa per legatos ipsius Romam missos ad petendum pallium, has ad eum litteras dedit:

Dilectissimo fratri Auxanio Vigilius.

VIGILII PAPAE LITT. AD AVXANIVM EPIS. AREL. Scripta de ordinatione charitatis vestræ, Ioanne filio nostro presbytero, sed & Terentio diacono deferentibus, cùm animi spirituali gratulatione suscepimus, Domino gratias referentes, quia hoc in Ecclesia Arelatẽsi factum est, quod & canonibus & decessorum nostrorum regulis conueniret, quatenus ex sequenti ordine sacerdotij tua fraternitas ad Pontificalis proueheretur apicem dignitatis, & diuinæ in te electionis iudicium compleretur, sicut D
[b] *Iacobi 1.* scriptum est [b]: Omne datum optimum & omne donum perfectum desursum est descendens à Patre luminum, apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio. Et
[c] *Heb. 5.* iterum Doctor Gentium Apostolus Paulus dicit [c]: Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur à Deo tamquam Aaron. Supereſt, vt Deus, qui nos immeritos ineffabili misericordia honorẽ miserans Pontificalem habere pro sua pietate cõcedit, donet & præmium: vt illud in nobis compleatur, quod Christi Dei & Saluatoris nostri verba testantur, dicen-
[d] *Mat. 25.* tis [d]: Euge serue bone & fidelis, quia in pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam, intra
[e] *Mat. 24.* in gaudium domini tui. Et iterum [e]: Quis putas, est fidelis seruus & prudens, quem constituit dominus super familiam suam, vt det illis in tempore tritici mensuram? Beatus ille seruus, quem cùm venerit dominus, inuenerit ita facientem.

Sunt etiam quæ per Dei gratiam super fraternitate vestra ad facienda bona hortentur E
exempla. Si enim decessoris tui illa, quæ à sede Apostolica de fundamẽto petrę Dominicæ doctrinæ bona suscipiens actibus exæquauit, imitari volueris, & à sedis Apostolicæ in nullo
[f] *Iacobi 1.* deuiaueris constitutis; sicut scriptum est [f], coronam sine dubitatione percipies, quam dedit Dominus diligentibus se. De his verò, quæ charitas vestra tam de vsu pallij, quàm de aliis sibi à nobis petiit debere concedi, libenti hoc animo etiam in præsenti facere sine dilatione potuimus, nisi cùm Christianissimi domini filij nostri Imperatoris hoc (sicut ratio postulat) voluissemus perficere notitia, Deo auctore: vt & vobis gratior præstitorum causa reddatur, dum quæ postulastis cum consensu Christianissimi Principis conferuntur, & nos honorem fidei eius seruasse cum competenti reuerentia iudicemur. Dominus te incolumem custodiat, frater charissime. Dat. xv. Kal. Nouembris. P. C. Basilij V.C. III.]

Ad postremum hic tibi subiicimus epitaphium nobilis monumenti, quod in citeriori

Hispa-

CHRISTI 544. | VIGILII PAP. 5. | IVSTINIANI TOTILÆ | IMP. 18. REG. 3.

A Hispania haud admodum longè ab Hispali, in loco qui vulgò dicitur Alcala del rio, positum est in ecclesia dicta S. Gregorij :

✠ IN HOC TVMVLO
IACET FAMVLVS DEI
GREGORIVS QVI VI
XIT ANNOS PL. MIN.
L-- RECESSIT IN PACE
ΔII. NONAS FEBR
ERA DLXXXII.] est is præsens annus. Ferunt coli ab accolis atque vicinis populis eum qui in hoc sepulchro conditus habetur Gregorius, eumdemque pluribus coruscare miraculis, multaque inesse tum in ipso sepulchro signa, tum in parietibus anti-
B quæ picturæ, quibus viri sanctitas possit intelligi.

Verùm quod absque scripti alicuius monumentis Gregorij istius ob Gothorum & aliorum barbarorum Hispanias vastantium illata damna obscura prorsus memoria remansit: consultum fuisse videtur vt Magnus ibidem Gregorius Pontifex Maximus coleretur duodecima mensis Martij, qua eiusdem Pontificis natalis dies celebrari consueuit, secundùm illud Domini ad Samaritanam [a]: Nos adoramus quod scimus] Eodem quoque modo visus est consuluisse ipse sanctus Gregorius [b] Papa, cùm ab Augustino accepisset, coli in Anglia quemdam incognitum Sixtum martyrem : dum vt conseruaretur illic memoria Sixti martyris, & populus quem certò sciret esse martyrem Sixtum coleret, misit illuc certas reliquias Sixti martyris : cùm tamen ibidem S. Gregorius tradere videatur, satis esse posse ad sanctitatem viri indicandam & cultum eidem impendendum, si corpus incognitum quòd cre-
C ditur sancti, miraculis coruscet.

[a] *Ioan. 4.*
[b] *Greg. lib. 11. epist. ad August. Resp. c. 9.*

Habet Ambrosius in Chronicis suis ex Resendio eiusdem anni duo hæc epitaphia exarata eodem fermè modo his verbis [c]:

PAVLA. CLARISSIMA. FEMINA. FA
MVLA. CHRISTI. VIXIT. ANNOS
XXIIII. MENSES. DVOS. RECES
SIT IN. PACE. XVI. KAL. FEBRVA
RIAS. ERA DLXXXII.] itemque aliud eiusdem anni sic scriptum :
DEPOSITIO. PAVLI. FAMVL. DEI
VIXIT. ANNOS. L. ET. VNO. RE
QVIEVIT. IN. PACE. D. IIII. IDVS
D MARTIAS. ERA. DLXXXII.] Habes quod & ex his discas, nullum penes illos antiquos Christianos nobiliorem fuisse titulum, quàm dici famulum Dei.

[c] *Ambros. Mor. Chron. Hisp. lib. 11.*

IESV CHRISTI ANNVS 545. | VIGILII PAP. ANNVS 6. | IVSTINIANI TOTILÆ | IMP. 19. REG. 4.

QVi sequitur ordine temporum Christi annus quingentesimus quadragesimusquintus, post Basilij Consulatum quartus idem belli Gothici decimus à Procopio numeratur: cuius initio Belisarius reuocatus à bello Persico (quod malè pacis velamento compressum
E adhuc vigebat) in Italiam veniens, Romam se contulit. hæc pluribus Procopius, cùm agit de bello Gothico [d], ac etiam in historia de bello Persico [e]. Quo tempore Totilas ad Tiburis obsidionem conuersus, eo per proditionem potito, ciues omnes vnà cum ciuitatis Præsule internecioni subiecit, summæ crudelitatis edens exemplum. Belisarius verò in Æmilia constitutus, quòd non tantùm sibi virium esse sciret vt collatis signis cum Gothis decerneret, impedimento esse Totilæ conatus est, ne munitionibus à Romanis detentis potiretur, misitque Romam ex suis qui Vrbem pro viribus tutarentur. hæc summatim ex eodem Procopio de rebus bellicis dicta sunto. Quod autem in Miscella legitur, Belisarium ipsum se Romam contulisse, atque crucem auream sancti Petri basilicæ obtulisse, id quidem per suos factum oportuit: siquidem eum minimè esse Vrbem ingressum, ex Procopio res singulas exactissimè prosequente colligi potest. Referri poterat eiusmodi oblatio, cùm VVandalis deuictis Romam Belisarius venit : verùm cùm sub Vigilio Papa factum tra-

[d] *Procop. de bello Goth. lib. 3.*
[e] *Procop. de bello Pers. lib. 2.*

TIBVRE CAPTO, IN TIBVRTINOS TOTILAS SAEVIT.

[a] *Miscel. lib. 16.*

DONA OBLATA S. PETRO A BELISARIO.

dant, nihil est quod ad ea tempora reduci valeat. Sed eius verba reddamus, vbi sic ait[a]: A
Belisarius victor Romam venit, aureamque crucem centum librarum, pretiosissimis gemmis exornatam, in qua suas victorias descripserat, beato Petro per manus Vigilij Papæ obtulit.] hæc ibi; licet addatur id præstitum, cùm iterum Vuandalos subiecisset: sed (vt diximus) nequaquam Vigilius tunc Romanæ præerat Ecclesiæ. De eadem cruce aurea apud Anastasium ista leguntur: Obtulit beato Petro Apostolo per manus Vigilij Papæ crucem auream cum gemmis pensantem libras centum, in qua scripsit victorias suas; cerostrata argentea deaurata maxima duo, quæ sunt vsque hodie ante corpus beati Petri Apostoli; sed & multa alia dona & eleemosynas pauperum elargitus est: fecit etiam Belisarius Patritius xenodochia in via Lata & in Flaminia, iuxta ciuitatē Ortas monasterium S. Iuuenalis, vbi & possessiones & dona multa largitus est.] hæc ibi: sed de his quæ ad structuras ædium pertinent, hæc olim cùm primò in Italiam venit, ab ipso facta esse, omnes æquè puto consen- B
tient, qui res ipsius à Procopio scriptis mandatas exploratas habent.

Eodem quoque anno, nempe quarto post Consulatum Basilij, Vigilius Papa, petente etiam Childeberto Rege Francorum, pallium dedit Auxanio Episcopo Arelatensi, eidemque cum suas vices delegasset, commonitorias eiusmodi litteras scripsit his verbis:

VIGILII PAPAE AD AVXANIVM EPISC. ARELAT. EPIST. COMMONITORIA.

Dilectissimo fratri Auxanio Vigilius.

Sicut nos pro tuæ charitatis affectu, & pro glorioſissimi filij nostri Regis Childeberti Christiana deuotione mandatis, vices nostras libentissima voluntate contulimus: ita fraternitatem tuam conuenit Deo placitis operibus tantæ sedis auctoritate digna conuersatione vti atque disponere; vt bonis actibus innotescens, rectum circa charitatem tuam iudicium nostræ dilectionis ostendas. Conuenit enim nos Doctoris Gentium mandata recolere, quibus
[b] 1. *Tim.* 4. Timotheum discipulum suum structionibus sanctis hortatur, dicens[b]: Exemplum esto Fi- C
[c] 1. *Pet.* 5. delium in verbo, in conuersatione, in charitate, in fide, in castitate. Et sicut item Apostolorum primus saluberrima admonitione præcipiens[c], Pascite qui in vobis est gregem Dei, consequenti adhortatione subiungit: Forma facti gregis ex animo. Et cùm apparuerit princeps pastorum, percipietis immarcessibilem gloriæ coronam.

Si quæ ergo inter fratres & Coepiscopos nostros in locis charitati vestræ præsenti auctoritate commissis, seminante illo auctore ex antiquitate * zizaniæ, dissensiones emerserint: adhibitis vobiscum sacerdotibus numero competenti, causas canonica & Apostolica æquitate discutite, ea modis omnibus prælato iudicio finituri, quæ Deo placitis decessorum nostrorum possint regulis conuenire.

* iniquitate

Si qua verò certamine aut de religione fidei (quod Deus auferat) aut de quolibet negotio, quod ibi pro sui magnitudine terminari non possit, euenerint: totius veritatis indagine D
diligenti ratione discussa, relationis ad nos seriem destinantes, Apostolicæ sedi terminanda
* Saluatoris seruate; vt vniuersis à fraternitate vestra competenti ratione dispositis, pax, quæ* voce collata est Ecclesiæ Dei, quæ vna est in toto Orbe diffusa, stabili firmitate seruetur, ne antiqui hostis possit quassatione vexari, in illius petræ Christi Dei Domini & Saluatoris nostri erectione firmata stabilitate persistēs. Quæ cuncta vt fraternitas vestra melius per Dei gratiam possit implere, vniuersis Episcopis, quibus te præesse voluimus, auctoritatis nostræ est serie declaratum. Nullus ergo de Pontificibus tuæ per has vices ordinationi commissis (sicut & ad eos data loquitur nostra præscriptio) in longinquis quibuslibet locis audeat proficisci, nisi solemni more (sicut, decessore nostro prædecessori vestro similiter concedente, consueuerant) Formatam vestræ charitatis acceperit.

Oportet ergo fraternitatem vestram incessantibus supplicationibus Deo nostro preces E
effundere, vt dominos filios nostros clementissimos Principes Iustinianum atque Theodoram sua semper protectione custodiat, qui pro his nobis vestræ charitati mandandis, suggerente glorioſissimo & excellentissimo filio nostro Patricio Belisario, pro quo item vos conuenit exorare, pia præbuerunt deuotione consensum. Hortamur quoque, vt sacerdotali opera inter glorioſissimum virum Childebertum Regem, sed & antedictum clementissimum Principem conceptæ gratiæ documenta paterna adhortatione seruetis. Bene enim Domini & Saluatoris nostri, quæ populis prædicamus, mandata ante oculos retinemus,
[d] *Mat.* 5. quibus ait[d]: Beati pacifici, quoniam filij Dei vocabuntur. Et quia digna credimus ratione compleri, vt agenti vices nostras pallij non desit ornatus: vsum tibi eius (sicut decessori tuo prædecessor noster sanctæ recordationis Symmachus legitur contulisse) beati Petri functa auctoritate concedimus. Ea verò quæ de præsenti ordinatione nostra directa præceptione

signa-

A signauimus, ad vniuersos Episcopos per charitatem tuam volumus peruenire. Dominus te incolumen custodiat, frater chariſſime. Dat. XI. Kalend. Iun. Quarto P. C. Basilij V.C.] Quo etiam die idem Vigilius ad eumdem Auxanium de cognoscenda causa Prætextati Episcopi has litteras dedit:

Dilectissimo fratri Auxanio Vigilius.

VIGILII PAP. EPIST. AD AVXANIVM EPISCOP. DE PRAETEXTATO EPISC.

Licet fraternitati vestræ Apostolicæ sedis vicibus attributis, quas directa auctoritate commisimus, generaliter emergentium causarum sit discutienda licentia: tamen quia filij nostri Ioannis presbyteri, sed & Terentij diaconi, qui ad nos à tua charitate directi sunt, de Prętextati excessu est porrecta petitio, necessarium valde credimus specialiter memorati negotij examinationem præsenti vobis auctoritate mandare. Quapropter charitati, qua in Christo iungimur, reddentes, fraternæ alloquia visitationis, hortamur, vt adhibitis vobiscum fra-

B tribus & Coepiscopis nostris numero competente, discussa ratione canonica veritate, & * sapienti ordinatione disponat, quæ decessorum nostrorum conueniant statutis, charitas vestra * ratione prospiciens, ne aliquē facilè ex laicis ad sacratos ordines saltu præcipiti cuiquam sacerdotum liceat aggregare. Dominus te incolumem custodiat, frater chariſſime. Dat. XI. Kal. Iun. P. C. Basilij. V. C. IIII.] Porrò de causa Prætextati sæpe ad iudicium reuocata pluribus agit Gregorius Turonēsis. Sed quas eodem die & anno idem Romanus Pontifex litteras dederit ad Episcopos Galliæ subiectos Arelatensi, accipe:

* ea

*

Dilectissimis fratribus vniuersis Episcopis prouinciarum omnium per Gallias, qui sub regno vel potestate glorioſissimi filij nostri Childeberti Regis Francorum constituti sunt, sed & his qui ex antiqua consuetudine ab Arelatensi consecrati sunt vel consecrantur Episcopi, Vigilius.

VIGILII PAPAE EPIST. AD EPISCOPOS GALLIAE.

C Quantum nos diuina potentia Apostolorum primi sedem non pro nostris meritis, sed pro ineffabili suæ misericordiæ pietate habere constituit, tantum nos de vniuersarum Ecclesiarum dispositione & pace & statu curam habere etiam conuenit, cùm Gentium dicat Apostolus[a]: Instantia mea quotidiana, solicitudo omnium Ecclesiarum. Quomodo ergo inter Domini sacerdotes sancta & Deo placita potest manere concordia, nisi vt si humani generis hostis antiqua nequitia cōsuetam zizaniam seminare voluerit, is qui absentiam nostram sedis Apostolicæ vicibus perfruendo spirituali gratia repræsentat, auferat certamen exortum? Quapropter Auxanio fratri & Coepiscopo nostro Arelatensis ciuitatis Antistiti vices nostras charitas vestra nos dedisse cognoscat: vt si aliqua (quod absit) fortassis emerserit contentio, congregatis sibi fratribus & Coepiscopis nostris, causas canonica & Apostolica integritate discutiens, Deo placita æquitate diffiniat.

[a] 2. Cor. 11.

D Contentiones verò si quæ (quas Dominus auferat) in fidei causa contigerint, aut tale emerserit fortè negotium, quod pro magnitudine sui Apostolicæ sedis magis iudicio debeat terminari: ad nostram, discussa veritate, perferat sine dilatione notitiam. Et quia necesse est, vt aptis, Deo propitiante, temporibus Arelatensis Episcopus nostris vicibus fungatur: quoties iudicauerit expedire pro facienda consolatione communi, Episcoporum debeant congregari personæ. Nullus inobediens eius fortè mandatis sit: quòd si fuerit, à congregatione suspendatur; nisi aut corporalis infirmitas, aut iustitiæ causa eum excusatio venire prohibeat: ita tamen, vt si se quo minus occurrat rationabili potest exceptione defendere, ad Synodum pro suo presbyteri aut diaconi dirigat loco personam; quatenus quæ à nostro Vicario congregatis fratribus diffinitiua sententia fuerint terminata, ad eius qui absens est per suos perducta notitiam, sincera & inuiolabili stabilitate seruentur: necesse

E est enim, quotiens in nomine Domini eius famuli ad tractanda quæ ipsi sunt placita colliguntur, sancti Spiritus non deesse præsentiam. Ita enim Christi Dei Domini & Saluatoris nostri mandata nos instruunt, quibus ait[b]: Vbi fuerint duo aut tres in nomine meo congregati, ibi ero in medio eorum. Quid ergo se æstimat subiturum, qui Deo odiosa superbia in illa congregatione interesse contemnit, in qua se Dominus noster affuturum pia promissione denunciat?

[b] Mat. 18.

Illud pari auctoritate mandamus, ne quisquam Episcoporum sine prædicti fratris & Coepiscopi nostri Formata ad longinquiora loca audeat proficisci: quippe quia & decessorum nostrorum decessoribus eius, quibus vices suas libentissimè contulerunt, sanctæ sic definiunt iussiones: vt his omnibus obedientia Deo placita custoditis, pax quæ à Christo Deo Domino & Saluatore nostro Apostolis tamquam hereditario est nomine derelicta, in Ecclesia Dei, quę vna est toto Orbe diffusa, firma stabilitate seruetur. Dominus vos incolumes

custodiat, fratres chariſſimi. Dat. XI. Kal. Iun. Quarto P. C. Baſilij V. C.] hæc quidem A
hoc anno, quo, vel ſequenti ſaltem idem Auxanius videtur fuiſſe defunctus: nam ſequenti
alius ab eo diuerſus, nempe Aurelianus reperitur fuiſſe Arelatenſis Epiſcopus, vt ſuo loco
dicturi ſumus. Scias verò citatas à nobis & recitatas epiſtolas acceptas eſſe ab Eccleſia Are-
latenſi, omni fide probatas.

COSRHOES INVADIT EDESSAM.

Hoc item anno decimonono Iuſtiniani Imperatoris quarta à Coſrhoe aduerſus Roma-
num Imperium expeditio facta eſt, cùm ipſo primo egreſſu obſedit Edeſſam, ſed ita ta-
men, vt iam non contra homines, ſed contra ipſum Deum Chriſtianorum bellum eſſet, vt
Procopius his verbis ſignificat[a]: Anno inſequenti Coſrhoes in Romanorum agrum rurſus
incurrit, in Meſopotamiam exercitum ducens: quæ quidem irruptio non aduerſus Iuſti-
nianum Imperatorem aut alium quempiam mortalium facta, ſed in ipſum Deum, quem
Chriſtiani colunt.] hæc quidem de Coſrhoe Procopius, quòd non exercitum Romano- B
rum aduerſantem reperit, ſed diuinam virtutem in Chriſti imagine eius profligantem ex-
ercitum. Quomodo autem id acciderit, cùm apud ipſum Procopium non legatur, quod
Euagrius hæc referens teſtatur ſe à Procopio accepiſſe; dicere neceſſe eſt interciſum muti-
lumque locum illum Procopij.

[a] *Procop. de bello Perſic. lib. 2.*

At verò iam audiamus quæ ex Procopio ſe referre Euagrius profitetur, cùm ait[b]: Idem
porrò Procopius litteris mandauit ea quæ ſunt de Edeſſa & Abagaro à veteribus comme-
morata, & quemadmodum Chriſtus ad Abagarum ſcripſerit epiſtolam: deinde quo pacto
Coſrhoes, altera facta incurſione, Edeſſam obſidere conſtituerit, ratus ea ſe falſa eſſe con-
uicturum, quæ de ea ciuitate omnium Fidelium ore ac ſermone celebrantur, nempe, Edeſ-
ſam numquam ab hoſtibus ſubiugatam fore. Quæ res in epiſtola à Chriſto Deo noſtro ad
Abagarum ſcripta non ponitur illa quidē (vt ſtudioſi ex hiſtoria Euſebij cognomento Pam- C
phili, apud quem hæc epiſtola ad verbum recitata eſt, intelligere poſſunt) ſed tamen eum
exitum conſecuta eſſe, à Fidelibus non decantatur ſolùm, ſed etiam creditur, ratuſq; eius
euentus prædictionem illam veram eſſe confirmat.

[b] *Euag. lib. 4. cap. 26.*

CONATVS COSRHOIS IN OPPVGNANDA EDESSA.

Nam poſtquam Coſrhoes vrbem inuadere aggreſſus eſt, quamquam multos in eam im-
petus fecit, & aggerem adeò ingentem ſtruxerat, vt mœnia ciuitatis facilè tranſgredi poſ-
ſet, aliasque complures machinas apparauit: re tamen infecta, inde diſceſſit. Sed quemad-
modum res geſta ſit, exponam. Coſrhoes primùm militibus ſuis imperat, vti magnā ſtruem
lignorum, qualiacumque eſſent, ad vrbem obſidendam in vnum congerant. Quibus dicto
ferè citiùs in vnum coaceruatis, inq; orbem ductis, aggerem in medium iniicit, eumq; ver-
ſus vrbis murum rectà dirigit, atque extruit pedetentim, ligno & alia materiei congerie im-
poſita. Tum ita tollit in ſublime, & eius altitudine ita mœnia ſuperat, vt tela in eos qui in D
muro pro vrbis defenſione capita ſuo periculo obiiciebant, percommodè iacere poſſint.
Vbi qui obſeſſi erant, vident aggerem inſtar montis vrbi appropinquare, & veriſimile eſſe
hoſtes in eam pedibus ingreſſuros: primo manè è regione aggreſſus foſſam ſtruere moliun-
tur, inque eam ignem iniicere, ad eum planè finem, vt eius flamma ligna aggeris abſum-
pta, ipſum aggerem ſolo æquarent. Qua quidem machina confecta, rogoque accenſo, neu-
tiquam ſucceſſit quod intenderant; propterea quòd ignis erumpere, aeremque ad ſe ad-
mittere non poterat, quo ſtruem lignorum occuparet.

DIVINA VIRTVTE EDESSA DEFENDITVR.

Ad extremum igitur, cùm deſperatione debilitati fere ſuccumberent, ſanctiſſimam ima-
ginem diuinitus fabricatam, quam non hominum manus effinxerant, ſed Chriſtus Deus
Abagaro (quandoquidem eum videre cupiebat) miſerat, proferunt: eamq; in foſſam, quam
conſtruxerant, importatam, aqua conſpergunt, ex qua non parum in rogum ac ſtruem li- E
gnorum immittunt; ac diuina potentia fidei illorum qui iſta moliebantur, ſubſidio venien-
te, quod ab illis antè fieri nequaquam poterat, iam facilè confectum fuit. Nam extemplo
ligna inferiora concepere flammam, & dicto citiùs in carbones redacta, ad ligna ſuperiora,
igne omnia vndique depaſcente, eum tranſmiſere. Vbi verò qui obſidione premebantur,
vident fumum in ſublime erumpere, iſtam machinam ad hoſtes ludificandos excogitant:
paruas inducunt lagenas, eaſque ſulphure & ſtupa & alia id genus materie ad flammam
concipiendam apta farciunt, deinde coniiciunt in aggerem: quæ fumum, igne ipſa iacien-
di vi & impetu accenſo, ex ſe emittunt. Qui quidem fumus erumpens ex aggere adeò pe-
nitus obſcuratus fuit, vt omnes qui machinæ ignari erant, exiſtimarent fumum illum non
aliunde quàm ab ipſis lagenis effuſum eſſe.

At verò triduo pòſt flammulæ ignis è terra erumpentes viſæ ſunt: ac dum quidem Per-
ſæ, qui

A sæ, qui in aggere pugnabant, intellexere in quod discrimen deuenissent. Verùm Cosrhoes quasi diuinæ virtuti ac potentiæ reluctaturus, aquæductus qui extra vrbem erant, ad rogum deriuat, eumque ita restinguere conatur. At rogus aquam veluti oleum, sulphur, aut aliud quippiam eorum quæ facilè incendi solent, excipiens, magis exarsit; vsque adeò, vti totum aggerem vastaret, inque cineres prorsus redigeret. Postremò igitur Cosrhoes de spe penitus deturbatus, cùm re vera intelligeret, se turpem admodum dedecoris notam propterea subiisse, quòd in animum induxerat, se Deum quem colimus omnino superaturum, domum cum ignominia reuertit.] hæc Euagrius ex Procopio: sed (vt diximus) in ipso Procopio desiderantur ea quæ de imagine Christi ipse Euagrius narrat. in reliquis autem fusiùs ea quæ summatim collegit Euagrius, apud Procopium leguntur, aliaque plura, quibus diuina virtus in tuenda ciuitate enituit: ad postremum verò addit, hoc ipso anno à Iustiniano Im-
B peratore redemptas fuisse auro ab eodem Rege Persarum quinque annorum pacis inducias, hoc videlicet anno decimonono Iustiniani Imperatoris.

ERRATVM IN DIE PASCHATIS IN ORIENTE.

Hoc eodem anno cùm Græci tum Latini historici tradunt de Paschatis tempore ex Iustiniani Imperatoris edicto in Oriente erratum esse. Ita planè permisit Deus, vt cùm sacris se immiscent Principes, & quæ sunt sacerdotum sibi vsurpant, in errorem labantur. In Miscella hæc ita narrantur: Anno Imperij Iustiniani decimonono facta est inopia frumenti, vini, & olei, ac pluuia magna, & factus est terræmotus magnus Constantinopoli, & euerso die sancti Paschæ, cœpit vulgus abstinere à carnibus mense Februario, die quarto: Imperator autem præcepit alia hebdomada carnem apponi, & omnes carnium venditores occiderunt & appositerunt, & nemo emebat aut edebat. Porrò Pascha factum est vt Imperator iussit, & inuentus est populus ieiunans hebdomada superflua.] hæc ibi. Eadem hoc
C item anno Cedrenus habet.

In Occidente etiam de Paschatis die anni huius exortam controuersiam, intelligi potest ex Concilio quarto Aurelianensi his temporibus celebrato, vbi de Victoris cyclo seruando statutus est canon eiusdem Concilij primus his verbis: Placuit igitur, vt sanctum Pascha secundùm laterculum Victoris ab omnibus sacerdotibus vno tempore celebretur: quæ festiuitas annis singulis ab Episcopo Epiphaniorum die in Ecclesiis denuncietur. De qua solemnitate quoties aliquid dubitatur, inquisita vel agnita per Metropolitanos à sede Apostolica sacra constitutio teneatur.] hæc canon aduersus Iustiniani Imperatoris edictum sibi quod suum non esset arrogantis, inque eius edictum quo vna hebdomada augebatur Quadragesimæ ieiunium. Sequentes enim quæ à Patribus statuta esse videntur, ista mox addiderunt: Hoc etiam decernimus obseruandum, vt Quadragesima ab omnibus Ecclesiis æqualiter
D teneatur: neque Quinquagesimam aut Sexagesimam ante Pascha quilibet sacerdos præsumat indicere: sed neque per sabbata absque infirmitate quisquam soluat quadragesimale ieiunium, nisi tantum die Dominico prandeat: quod fieri specialiter Patrum statuta sanxerunt. Si quis autem hanc sacram regulam irruperit, tanquam transgressor disciplinæ à sacerdotibus censeatur.] hæc sanctissimi Episcopi Gallicani aduersus temeritatem (vt appareret) Iustiniani Imperatoris pro arbitrio sacra miscentis.

QVID DE PASCHATIS DIE STATVTVM.

Quod autem ad cyclum Victoris pertinet, qui ita à Synodo cõmendatur, vt tamen vbi aliqua emergeret ambiguitas, esset de his consulenda Apostolica sedes: auctor illius fuit Victor Episcopus Capuanus, qui his ipsis temporibus (vt Beda testatur) vixit doctrina & sanctitate celebris, cuius natalis dies in Ecclesia agitur XVI. Kalendas Nouembris: scripsisseq; dicit Beda cyclum suum ad confutandum cyclum Victorini Aquitani, qui scripsit tempore Hilari
E Papæ, vt ex Gennadio liquet: Hunc autem ad tempora Iustiniani Imperatoris referunt, & tunc scripsisse, Beda [a] testatur. Porrò non hoc anno, sed post Consulatum Basilij nouies, ex Victoris seu Victorini cyclo obortam esse controuersiam, idem ipse Beda affirmat [b].

Quod autem ad quartum Aurelianense Concilium pertinet, cuius duos canones recitauimus; hoc ipsum his temporibus celebratum (licet certus non ponatur annus) dubium esse non debet; cùm magna ex parte illi ipsi Episcopi, qui interfuerunt tertio Aurelianensi Concilio, iidem huic quarto præsentes fuisse atque subscripsisse legantur, & inter alios Gallus Episcopus Aruernensis, qui tamen superioribus Conciliis Aurelianensibus nonnisi per legatos præsto fuisse reperitur: vnde fit vt in hoc potiùs Concilio ea accidisse putemus, quæ de ipso atque eius diacono Gregorius [c] narrat his verbis: Apud Aurelianensem autem vrbem, incriminato ab iniquis Marco Episcopo & in exilium truso, magnus Episcoporum conuentus est congregatus, Childeberto Rege iubente. In qua Synodo cognoscen-

DE CONCILIO QVARTO AVRELIANENSI.

[a] *Beda de sex ætat. sub Iustin*

[b] *Beda de temp. ration. cap. 49. in fi.*

[c] *Greg. Turo. Vit. sanct. Pat. cap 3.*

tes

tes beati Episcopi hoc esse vacuum quod contra eum fuerat mussitatum, eum ciuitati & cathedræ suæ restituunt.] A

DE DIACONO S. GALLI. Sed audi quæ subdat de eiusdem sancti Galli diacono: Denique tunc in seruitio sancti Galli Valentinus diaconus, qui nunc presbyter habetur atque vocalis, abiit. Cumque Episcopo alio Missas dicente, diaconus ille propter iactantiam potiùs quàm pro Dei timore cantare vellet, à sancto Gallo prohibebatur, dicente sibi: Sine, inquit, fili: quando, Domino iubente, nos celebrauerimus solemnia, tunc & tu canere debes; nunc eius clerici concinant, qui consecrat Missam. At ille, & tunc se posse, pronunciat. Cui sacerdos: Fac vt libet: nam quod volueris, non explebis. Ille quoque negligens mandatum Pontificis, abiit; & tam deformiter cecinit, vt ab omnibus derideretur. Aduenienti autem alia Dominica, dicente sæpe dicto Pontifice Gallo Missas, iussit abire: Nunc, inquit, in nomine Domini quod volueris explicabis. Quod cùm feciſſet, in tantum vox eius præclara facta est, vt ab omnibus laudaretur. B] hæc Gregorius, qui alias quamplurimas de sanctissimo viro præclaras res gestas & miracula narrat.

GONTHARIS IN AFRICA TYRANNVS. Hoc item anno Iustiniani Imperatoris decimonono missus Areobindus maritus filiæ sororis Imperatoris in Africam, idem à Gontharide sibi subiecto Duce, sub quo aduersus Mauros VVandali militabant, iam effecto tyranno, necatur sub fide præstita Reparato Episcopo Carthaginensi. Rem gestam Procopius ita narrat[a]: Deinde Gontharis Reparatum ciuitatis Episcopum Areobindo nunciatum mittit, vt sub fidem incolumitatis ad palatium venire maturaret (*continebat enim se Areobindus vnà cum coniuge in monasterio intra Carthaginem posito à Salomone Duce ædificato, quod cinctum muro arcem reddiderat munitissimam*) Quod si contempserit, sese illum expugnaturum, ac illico interfecturum minitatur. Areobindus susceptis ab Episcopo mandatis, metuens, se statim venturum dixit, si lauacro filium C diuino de more priùs abluerit, deinde per idem iurauerit spem ei certam salutis se daturum. Præsul itaque ei morem gessit. Ille euestigio redeuntem sequitur vestem indutus seruilem, neque Duci neque vlli militari viro conuenientem.

[a] *Procop. de bello VVand. lib. 2.*

Postquam verò prope palatium fuit, sacrum Euangelium à Præsule accipiens, in eius conspectum venit, pronusque aliquandiu iacuit, preces & sacrum Euangelium ac paruum filium tunc sacro baptismate ablutum, per quod Præsul iurauerat, protendens. Gontharis eum miseratus, ad spem quoque exhortans, surgere iussit: omnia quæ Præsul pollicitus fuerat, se præstiturum affirmãdo. Posteraque die eius & vxorem & substantiam Carthaginem transferri mandauit. Deinde Præsulem missum faciens, Areobindum & Athanasium secum cœnare iussit: ac Areobindum ante omnes in summo accumbere, post cœnam verò

AREOBIND. OCCIDITVR. in cubili solum dormire coëgit. Vbi Vlitheus cum nonnullis aliis ab eo missus ipsum & flen- D tem & multa obtestantem, ac misericordiam, fidemque datam implorantem interfecit, non esse immortalem dicens, in longam eius puto senectutem cauillando.] hæc de tyranno Gontharide & nece Areobindi Procopius, qui ad finem eius commentarij tradit post dies triginta sex eumdem Gontharidem dolo necatum ab Artabane Duce, quem conuiuio exceperat. hisque diffusè narratis, idem Procopius finem imponit historiæ de bello VVandalico in hunc vsque annum conscriptæ, quod felicissimè inchoatum, ac penè absolutum, denuo restauratum, difficillimumque in dies redditum est crebris defectionibus populorum, emergentibus nouis tyrannis, postquam Imperator siue eius ministri sacrilegè agentes, in insula Romanum Pontificem mori impiè coegerunt.

IESV CHRISTI ANNVS 546. VIGILII PAP. ANNVS 7. IVSTINIANI IMP. 20. TOTILÆ REG. 5. E

SEquitur annus Domini quingentesimus quadragesimus sextus, idemque belli Gothici à Procopio vndecimus numeratus, & post Consulatum Basilij quintus: quo Totilas Spoletum in deditionem accepit, Perusiumque obsedit, diuq; obsidione frustra tentata, demum dolo necans Cyprianum, cui custodia mandata erat, occupauit. Scribit hæc omnia Procopius[b] pluribus, qui & tradit capti eo modo Perusij à Totila præfectos custodiæ Meledium & Vlisium transfugas. Sed quomodo tunc contigerit sanctum Herculanum eiusdem ciuitatis Episcopum subire martyrium, ex S. Gregorio sic habeto[c]:

[b] *Procop. de bello Goth. lib. 3.*

[c] *Greg. dial. lib. 3 c. 13.*

Nuper

A Nuper quoque floridus venerabilis vir vitæ Episcopus narrauit quoddam memorabile valde miraculum (*fuit hic Floridus Tifernas Episcopus sanctitate clarus, de quo inferiùs idem sanctus Gregorius*[a] *meminit*) dicens: Sanctissimus Herculanus nutritor meus, Perusinæ ciuitatis Episcopus fuit, ex conuersatione monasterij ad sacerdotalis ordinis gratiam deductus. Totilæ autem perfidi Regis temporibus eamdem vrbem annis septem continuis Gothorum exercitus obsedit; ex qua multi ciuium fugerunt, qui famis periculum ferre non poterant. Anno verò septimo nondum finito, obsessam vrbem Gothorum exercitus intrauit.] Hîc admonendum putamus, ex deprauato codice pro mensibus annos positos Perusinæ obsidionis: siquidem ex Procopio, qui vestigia Totilæ est assectatus, apparet non ante præsentem annum ab eodem Rege tentatum esse Perusium, vtpote qui in aliis expugnandis munitionibus intentus fuit. Pergit verò Gregorius:

[a] *Greg. dial. lib. 3. cap. 35.*

B Tunc (inquit) Comes, qui eidem exercitui præerat, ad Regem Totilam nuncios misit, exquirens quid de Episcopo vel populo fieri iuberet. Cui ille præcepit, dicés: Episcopo priùs à vertice capitis vsque ad calcaneum corrigiam tolle, & tunc caput eius amputa: omnem verò populum qui illic inuentus est, gladio extingue. Tunc idem Comes venerabilem virum Herculanum Episcopum super vrbis murum deductum capite truncauit, eiusque cutē iam mortui à vertice vsque ad calcaneum incidit, vt ex eius corpore corrigia sublata videretur: moxque corpus illius extra murum proiecit. Tunc quidam humanitatis pietate compulsi, abscissum caput ceruici apponentes, cum vno paruulo infante, qui illic extinctus inuentus est, iuxta murum corpus Episcopi sepulturæ tradiderunt.

S. HERCVLANVS MARTYRIO CORONATVR.

Cumq; post eamdem cædem die quadragesimo Rex Totila iussisset, vt ciues vrbis illius, qui quolibet dispersi essent, ad eam sine aliqua trepidatione remearent: hi qui priùs fame
C fugerant, viuendi licentia accepta, reuersi sunt: sed cuius vitæ eorum Episcopus fuerat, memores, vbi sepultum esset corpus illius quæsierunt, vt hoc iuxta honorem debitum in ecclesia beati Petri Apostoli humarent. Cumq; itum esset ad sepulchrum, effossa terra, inuenerunt corpus pueri pariter humati, vtpote iam die quadragesimo tabe corruptum, & vermibus plenum; corpus verò Episcopi, ac si die eodem esset sepultum: & quod est adhuc magnā admiratione venerandum, quia ita caput eius vnitum fuerat corpori, ac si nequaquam fuisset abscissum, sic videlicet, vt nulla vestigia sectionis apparerent. Cumq; hoc & in terga verterent, exquirentes si quod signum vel de alia monstrari incisione potuisset, ita sanum atque intemeratum omne corpus inuentum est, ac si nulla hoc incisio ferri tetigisset.] hactenus de sancto Herculano Gregorius.

Subdit verò Procopius, è Perusio mox Totilam ad Vrbem obsidendam perrexisse: à
D qua cùm octo tantùm milliaribus procul abesset, de S. Cerbonio Episcopo spectaculum truculentum populo exhibuit, quod S. Gregorius refert. Accidit enim vt in dies magis magisque sæuiret crudelis barbarus: qui cùm de ferocia sua monitis S. Benedicti aliquid ad tempus remisisse visus esset, eamdem duplo resumpsit; vt intelligere potes tum ex iis quæ dicta sunt, tum etiam ex iis quæ mox dicemus de crudelitate quam exercuit in S. Cerbonium Populonij Episcopum, dum idem barbarus Rex hoc anno in Tuscia (vt tradit Procopius) versaretur. Rem gestam idem S. Gregorius ita narrat[b]: Vir quoque vitæ venerabilis Cerbonius Populonij Episcopus magnam diebus nostris sanctitatis suæ probationem dedit. Nam cùm hospitalitatis studio valde esset intentus, die quadam transeuntes milites hospitio suscepit, quos Gothis superuenientibus abscondit, eorumque vitam ab illorum nequitia abscondendo seruauit. Quod dum Gothorum Regi perfido Totilæ nunciatum fuisset, cru-
E delitatis immanissimæ vesania succensus, hunc ad locum qui octauo huius Vrbis milliario Merulis dicitur, vbi tunc ipse cum exercitu sedebat, iussit deduci, eumq; in spectaculo populi vrsis ad deuorandum proiici.

[b] *Greg. dial. lib. 3. c. 11.*

Cumque idem Rex perfidus in ipso quoque spectaculo consedisset ad inspiciendā mortem Episcopi, magna populi turba confluxit. Tunc Episcopus deductus in medium est, atque ad eius mortem immanissimus vrsus exquisitus, qui dum humana membra crudeliter carperet, sæui Regis animum satiaret. Dimissus itaque vrsus ex cauea est, qui accensus & concitus Episcopum petiit: sed subitò suæ ferocitatis oblitus, deflexa ceruice, submissoque humiliter capite, lambere Episcopi pedes cœpit: vt patenter omnibus daretur intelligi, quia erga illum virum Dei & ferina corda essent hominum, & quasi humana bestiarum. Tunc populus, qui ad spectaculum venerat mortis, magno clamore versus est in admirationem venerationis. Tunc ad eius reuerentiam colendam Rex ipse permotus est: quippe

S. CERBONIVS EPISC. OBIICITVR VRSO.

cum

cum quo ſuperno iudicio actum erat, vt qui Deum ſequi priùs in cuſtodienda vita Epiſcopi noluit, ſaltem ad manſuetudinem beſtiam ſequeretur. Cui rei hi qui tunc præſentes fuerunt, adhuc nonnulli ſuperſunt, eamque cum omni illic populo ſe vidiſſe teſtantur.] hæc de ſancto Cerbonio Gregorius, qui & de eodem quæ contigerunt tempore Longobardorum mox ſubiicit: ſed de his ſuo loco. A

AGRICOLAS LIBERE COLERE AGROS SIVIT TOTILAS.

Didicit igitur ferus homo ab vrſo humanitatem, quam tamen citò exuit, vt dicemus: verùm eam ſolùm erga agrorum cultores, cùm ad Vrbis obſidionem veniret, illibatam ſeruatam voluiſſe, idem Procopius docet iſtis verbis[a]: His Totilas rebus peractis, Romam contendit, quam ſtatim vbi proximè ventum, obſedit. Agrorum verò cultoribus per omnem Italiam mali nihil quippiam intulit, ſed terram vt intrepidè colerent, nil ſecus ac antea imperauit, ſibique ac Reipublicæ tributa dependerent, & fructus dominis reportarent.] hæc Procopius de Totila hac lege etiam de hoſtibus benemerente. Sed obſeſſis commiſeratio- B nem omnino negauit. Etenim cùm ſciret, qui Romæ eſſent, fame laborare cœpiſſe, omnem mox intercluſit viam terra marique, per quam victualia inferri poſſent in Vrbem. ex quo factum eſt, vt frumentum à Vigilio Papa ex Sicilia miſſum in ipſo Romano Portu in hoſtium conſpectu cœperit. Rem geſtam idem Procopius narrat, quam ad finem anni huius contigiſſe æquè teſtatur, noſque paulò inferiùs dicturi ſumus.

[a] *Procop. de bello Goth. lib. 3.*

PELAGIVS DIAC. ROM. REDIIT.

Hoc item anno Pelagius ſanctæ Romanæ Eccleſiæ diaconus functus munere Apocriſarij apud Iuſtinianum Imp. Conſtantinopoli, accepto ſucceſſore Stephano, Romam rediit, vt Procopius teſtatur, dum ait, ipſum aut diu ante Vrbis oppugnationem à Totila factam, eſſe reuerſum. Huius abſentiæ nactus occaſionem Iuſtinianus Imperator promulgauit edictum aduerſus Tria capitula ſacroſancti Chalcedonenſis Concilij ex ſententia Theodori Archiepiſcopi Cæſareæ Cappadociæ, qui in odium Pelagij, cuius opera (vt dictum eſt) damnatus C fuerat Origenes cum ſuis erroribus, Imperatori ſuggeſſit de damnando Theodoro Mopſueſteno cum epiſtola Ibæ & ſcriptis Theodoreti aduerſus duodecim Cyrilli capitula: ex his fore pollicitus, vt ſi id fieret, omnes Acephali aduerſarij Chalcedonenſis Concilij, illud mox ſuſcepturi eſſent. Cùm enim, reſiſtente Pelagio, id facere haud integrum fuerit Imperatori; eo Conſtantinopoli recedente, illud à Theodoro conſcriptum edictum ſuo nomine promulgauit, per vniuerſum ſibi ſubiectum Imperium.

Id quidem cùm Liberatus diaconus in primis tradat, Facundus etiam Hermianenſis in Africa Epiſcopus res ſui temporis ſcribens affirmat, cum his verbis Imperatorem ipſum compellat[b]: Noſtra te (inquit) reprehenſio nihil offendat. Egerunt enim callidè per ſuos complices (ſicut ſolent) aduerſarij veritatis, cùm ipſa quæ ſcribi fecerunt, etiam titulo nominis tui pronotarunt, exiſtimantes, quòd poſito terrore tuæ perſonæ, condemnationem D vel etiam euictionem ſuæ temeritatis effugerent. Verùm nos illa ſcripta nolumus tua dici, quæ ſcimus cognitæ nobis tuæ fidei contraria.] hæc Facundus, ex quo & plura inferiùs dicturi ſumus. Id ipſum quoque affirmat Vigilius Papa in ſententia aduerſus ipſum Theodorum Cæſarienſem prolata, vbi hæc verba leguntur[c]: Deinde tuis ex conſuetudine incitamentis, liber condemnationem capitulorum ipſorum continens, in Palatio, te aſſiſtente & inſtruente, coram quibuſdam Græciæ Epiſcopis eſt relectus, à quibus aſſentationum fauorem tuis vocibus exigebas.]

[b] *Facundus pro defenſione Capit. lib. 2.* IVSTINIAN. THEODORO PATROCINATVR.

[c] *Extat to 2. Concil. in Vigilio.*

SVB VIGILIO SCRIPTVS LIBEL. DE TRIBVS CAPP.

Quinam autem fuerit eiuſmodi Iuſtiniani libellus, ignorare ſe illum dicat opus eſt, qui non conſiderat vendicandum libellum illum, ſiue potiùs conſtitutionem dixerimus, à Ioannis Papæ tempore, ſub quo mendaci inſcriptione notatur; & hic ſub Vigilio eſſe reſtituendum, ex iis quæ modo dicta ſunt, non intelligit. Qui enim rerum geſtarum tempora E minimè accuratè diſtinxit, falſa opinione ad Ioannem Papam libellum illum conſcriptum eſſe putauit. Verùm vt certò ſcias recentem eſſe illam inſcriptionem, conſule antiquitus ſcriptam Nouellarum collectionem & tranſlationem factam in Latinum à Iuliano Anteceſſore cognominato, & inuenies eamdem conſtitutionem ab eo abſque illo ad Ioannem Pontificem titulo eſſe conſcriptam, hacq; tantùm inſcriptione notatam: Edictum piiſſimi Imperatoris Iuſtiniani, fidei confeſſionem continens, & refutationem hæreſeon, quæ aduerſantur Catholicæ Dei Eccleſiæ.] hæc habet titulus, qui in collectione Conciliorum apoſito Ioannis Papæ nomine adulteratus eſt ab imperito librario: cùm liquido conſtet, minimè antè præſens tempus potuiſſe eſſe conſcriptum libellum illũ, præcedentibus primùm quæ dictæ ſunt Theodori cùm Paſchali diacono controuerſiis, quæ ſub Papa Vigilio & non alio contigerũt. Quod igitur in dicto libello totius obortæ diſcordiæ ob Tria capitula cardo verti-

A vertitur, in quo plerosque scimus hallucinatos esse: illum ipsum prolixum satis hic aliqua saltem ex parte reddere, operæpretium existimamus. sic enim se habet [a]:

Scientes quod nihil aliud sic potest misericordem Deum placare, quàm vt omnes Christiani vnum idemque sapiant in recta & immaculata fide, nec sint dissensiones in sancta Dei Ecclesia: necessarium putauimus, omnem occasionem interimentes eis qui scandalizantur vel scandalizant, rectæ fidei confessionem, quæ in sancta Dei Ecclesia prædicatur, præsenti edicto facere manifestam; vt & illi qui rectam fidem confitentur, firmiter eam custodiant; & illi qui aduersus eam contendunt, discentes veritatem, festinent semetipsos vnire sanctæ Dei Ecclesiæ. CONFESSIO FIDEI AB IMPERAT. EDITA.

[a] *Tom. 1. Concil. vet. edit. in Ioanne 2. Papa.*

Confitemur igitur credere in Patrem & Filium & Spiritum sanctum, Trinitatem con- TRINITA-
substantialem, vnam Deitatem, siue naturam, & substantiam & virtutem & potestatem in TIS MYSTE-
B tribus subsistentiis siue personis adorantes, in quibus baptizati sumus, in qua credimus, & RIVM.
quibus confessionem dedimus, proprietates quidem separantes, Deitatem autem vnientes: vnitatem enim in Trinitate & Trinitatem in vnitate adoramus, mirabilem habentem & diuisionem & vnionem: vnitatem quidem secundùm rationem substantiæ, siue Deitatis, Trinitatem autem secundùm proprietates vel subsistentias siue personas: Diuiditur enim sine diuisione (vt sic dicamus) & coniungitur diuisa. Vnum enim est Deitas in tribus, & tria vnum, in quibus Deitas est. Aut (vt subtilius dicamus) ipsa trina est Deitas, Deus Pater, Deus Filius, & Deus Spiritus sanctus, cùm vnaquæque persona solùm intelligitur, mente separante inseparabilia. Et ita vnus Deus cùm simul intelligitur propter eamdem virtutem, eamdemque naturam, quam oportet & vnum Deum confiteri, & tres subsistentias prædicare, seu tres personas, & vnamquamque cùm sua proprietate. Et vnitatem cõfitentes, con-
C fusionem non facimus secundùm Sabellium dicentem Trinitatem vnam esse personam, trinomium eumdem Patrem & Filium & Spiritum sanctum; nec diuidentes proprietates, alienamus à Dei Patris substantia Filium & Spiritum sanctum, secundùm Arij furorem, in tres diuersas naturas incidentes Deitatem. Vnus igitur Deus Pater ex quo omnia, & vnus vnigenitus Filius per quem omnia, & vnus Spiritus sanctus in quo omnia.

Credimus autem ipsum vnigenitum Filium Dei, Deum Verbum ante sæcula & sine CHRISTI
tempore ex Patre natum, non factum, in vltimis diebus propter nos & propter nostram HVMANI-
salutem descendisse de cælis, & incarnatum esse de Spiritu sancto & sancta gloriosa Dei TATIS EX-
genitrice semper Virgine Maria, & natum ex ipsa, qui est Dominus Iesus Christus, vnus de ACTA DIS-
Trinitate, & consubstantialis Deo Patri secundùm Deitatem, & consubstãtialis nobis idem CVSSIO.
ipse secundùm humanitatem, passibilis carne, impassibilis idem ipse Deitate. Non enim
D alius quidam est præter Deum Verbum, qui passionem & mortem susceperit, sed ipse impassibilis & sempiternus Deus Verbum, generationem carnis humanæ sustinere dignatus impleuit omnia. Ideo nõ alium Deum Verbum esse qui miracula operatus est, & alium Christum qui passus est, cognoscimus, sed vnum eumdemq; Dominum nostrum Iesum Christum Dei Verbum incarnatum & hominem factum, & eiusdem ipsius miracula & passiones, quas carne voluntarie sustinuit, confitemur. Non enim homo aliquis pro nobis semetipsum dedit: sed ipse Deus Verbum suum corpus pro nobis dedit, ne in hominem fides & spes sit nostra, sed in ipsum Deum Verbum nostram fidem habeamus. Et Deum igitur eum confitentes, non abnegamus ipsum esse hominem; & hominem dicentes, non abnegamus ipsum esse & Deum. Si enim Deus tantummodo esset, quomodo patiebatur? quomodo crucifigebatur & moriebatur? Aliena enim ista sunt Deo. Sin autem homo solùm, quomo-
E do per passionem vincebat? quomodo saluos faciebat? quomodo viuificabat? Hæc enim supra hominis naturam erant. Nunc autem idem ipse patitur & saluos facit, & per passionem vincit idem ipse Deus, idem ipse homo, vtrumque tamquam vnum, vtrumque tamquam solum. Vnde ex vtraque natura, id est, ex Deitate & humanitate vnum Christum compositum dicentes, confusionem vnitioni non introducimus. Et in vtraque item natura, id est, in diuinitate & humanitate vnum Dominum nostrum Iesum Christum Dei Verbum incarnatum & hominem factum cognoscentes, diuisionem quidem per partes, vel interciſiones non ferimus vnius subsistentiæ.

Differentiam autẽ naturarum, ex quibus compositus est, significamus non interemptam DE DVABVS
propter vnitatem, quoniam vtraque natura in ipso est. Cùm enim compositionem dica- IN CHRISTO
mus, necesse est confiteri & partes in toto esse, & totum in partibus cognosci. Nec enim NATVRIS.
diuina natura in humanam transmutata est, nec humana natura in diuinam conuersa est.

Magis

Magis autem intelligitur, quòd vtraque in proprietate & ratione suæ naturæ manente, facta est vnitas secundùm subsistentiam. Vnitas autem secundùm subsistentiam significat, quòd Deus Verbum, id est vna subsistentia ex tribus Deitatis subsistentiis non ante plasmato homini vnitus est, sed in vtero sanctæ Virginis creauit sibi ex ipsa in sua subsistentia carnem animatam anima rationali & intellectuali, quod est natura humana. Hanc autem secundùm subsistentiam vnitatem Dei Verbi ad carnem docens nos & diuinus Apostolus, dicit[a]: Qui cùm in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est, æqualem se esse Deo, sed semetipsum exinaniuit, formam serui accipiens. Per hoc enim quod dixit, Qui cùm in forma Dei esset, Verbi substantiam in natura Dei ostendit: Per hoc autem quod dixit, Formam serui accepit, naturæ hominis & non subsistentiæ siue personæ vnitum esse Verbum significauit. Nec enim dixit, quòd eum qui in forma serui erat, accepit; ne ante plasmato homini vnitum esse Deum Verbum ostenderet, sicut Theodorus *Mopsuestenus* & Nestorius impij blasphemauerunt, effectualem dicentes vnitatem.

[a] *Philip. 2.*

Nos autem sequentes diuinas Scripturas & sanctos Patres, confitemur, quod Deus Verbum caro factus est, quod est secundùm subsistentiam sibi vnire naturam humanam. Ideò & vnus est Dominus noster Iesu Christus, habens in semetipso perfectionem diuinæ naturæ & perfectionem naturæ humanæ. Et est vnigenitus quidem & Verbum, vtpote à Deo Patre natus, & primogenitus autem in multis fratribus idem ipse cùm factus homo: Filius enim Dei Filius hominis factus est. Vnde & duas natiuitates eiusdem ipsius vnigeniti Dei Verbi confitemur, ante sæcula quidem ex Patre incorporaliter nati, in vltimis autem diebus eiusdem ipsius incarnati & nati de sancta glorioſa Dei genitrice & semper Virgine Maria. Qui enim de Patre splenduit supra intellectum, ex matre ortus est supra rationem: & cùm Deus verus esset, factus est verè homo. Ideo propriè & verè Dei genitricem sanctã glorioſam & semper Virginem Mariam confitemur: non quòd Deus Verbum initium ex ipsa accepit, sed quòd in vltimis diebus vnigenitus Deus Verbũ, qui ante sæcula erat, incarnatus ex ipsa, immutabiliter homo factus est: & cùm inuisibilis in suis esset, visibilis factus est in nostris: & cùm impassibilis Deus esset, non dedignatus est passibilis esse homo, & immortalis mortis legibus subiacere. Istum qui in Bethlehem de semine Dauid natus est secũdùm carnem, & similis factus est hominibus, & crucifixus est pro hominibus sub Pontio Pilato, prædicauerunt sancti Apostoli ipsum esse Deum, ipsum hominem, ipsum Filium Dei, ipsum Filium hominis, ipsum de cælo, ipsum de terra, ipsum impassibilem, ipsum passibilem.

Deus enim Verbum, qui natus est desursum ex Patre ineffabiliter, inenarrabiliter, incomprehensibiliter, sempiternè, ipse in tempore nascitur deorsum de Virgine Maria; vt illi qui deorsum priùs nati sunt, desursum secundò nascerentur, id est, ex Deo. Cùm enim accepisset mortalem patrem hominem Adam, dedit hominibus suum Patrem immortalem, secundùm quod dicitur[b]: Dedit eis potestatem filios Dei fieri. Vnde & mortem secundùm carnem gustauit Filius Dei propter carnalem suum patrem*, vt filius hominis vitæ eius particeps fieret propter suum secundum spiritum Patrem Deum. Ipse igitur secundùm naturam Filius est Dei, nos secundùm naturam sumus filij Adam. Pater enim est eius Deus secundum naturam, noster autem secundùm gratiam: & Deus ei fuit secundum dispensationem, eò quòd homo factus est: noster autem secundum naturam Dominus est & Deus: & ideo Deus Verbum, qui est Filius Patris, vnitus carni factus est caro, vt homines vniti spiritui fierent vnus spiritus. Ipse igitur verus Filius Dei omnes nos indutus est, vt omnes induamur vnum Deum; & est post incarnationem vnus de sancta Trinitate vnigenitus Filius Dominus noster Iesus Christus, compositus ex vtraque natura: compositum autem Christum confitemur, sanctorum Patrum doctrinam sequentes. In mysterio enim Christi vnitas secundùm compositionem confusionem & diuisionem reiicit, & seruat quidem vtriusque naturæ proprietatem. Vnam autem subsistentiam seu personam Dei Verbi & cum carne ostendit: & est vnus, idemque perfectus in Deitate & perfectus in humanitate, non tamquam in duabus subsistentiis siue personis, sed in diuina natura & humana cognoscendus, vt vnus sit vtraque perfectus Deus & perfectus homo, idem ipse Dominus noster Iesus Christus vnus de sancta Trinitate, conglorificandus Patri sanctoque Spiritui: nec enim quartæ personæ adiectionem suscepit sancta Trinitas, incarnato vno de sancta Trinitate Deo verbo.] his de Verbi incarnatione quàm exactissimè assertis, subiicit ad omnia confirmanda sanctorum Patrum assertiones, quas nos breuitatis causa referre prætermittimus.

[b] *Ioan. 1.*

* suam matrem

Voluit

A Voluit enim Theodorus Cæsariensis Iustinianum non minus esse prolixum in his edendis, ac fuerat in constitutione lata contra Origenem: sed & quod persuaserat Imperatori sub huius fidei professione Acephalos Ecclesiæ vniendos, eam omni genere doctrinæ voluit esse refertam, omniqúe ex parte constantem. Vbi autem de enarrato incarnationis diuinæ mysterio longiorem produxit orationem, postea subiungit de his quæ spectant ad confessionem quatuor œcumenicorum Conciliorum, nempe Nicæni, Constantinopolitani, Ephesini, & Chalcedonensis: ita vt quemque Catholicum gaudio afficere potuisset, dum disertis verbis probat eamdem quam hactenus detestati essent Acephali hæretici Catholicæ fidei confessionem. Sed cùm post hæc quatuordecim subiicit anathematismos, illis vltimo loco tria illa includit capitula, de quibus nuper mentio fieri cœpta est. Anathematismi autem sic se habent: AEMVLATIO THEODORI.

B Si quis non confitetur Patrem & Filium & Spiritum sanctum, Trinitatem consubstantialem, & vnam Deitatem, siue naturam & substantiam, & vnam virtutem & potestatem in omnibus subsistentiis siue personis adorandam: talis anathema sit. ANATHEMATISMI ADVERSVS DISSIDENTES PROLATI.

Si quis autem non confitetur eum qui ante sæcula & tempora ex Patre natus est, Deum Verbum in vltimis diebus descendisse de cœlis, & incarnatum esse de sancta gloriosa Dei genitrice semper Virgine Maria, & hominem factum & natum esse ex ipsa, & propter hoc eiusdem Dei Verbi duas esse natiuitates, quæ est ante sæcula incorporaliter, & quæ est in vltimis diebus secundum carnem: anathema sit.

Si quis dicit, alium esse Deum Verbum qui miracula operatus est, & alium Christum qui passus est, aut Deum Verbum cum Christo esse nascente ex muliere dicere * vel ipso esse tamquam alterum in altero, sed non vnum eumdemque Dominum nostrum Iesum Chri- C stum Deum Verbum incarnatum & hominem factum, & eius ipsius miracula & passiones, quas carne sponte sustinuit: talis anathema sit. * vel Deum in ipso

Si quis dicit, secundùm gratiam, vel secundùm operationem, vel secundùm dignitatem honoris, vel secundùm auctoritatem, vel relationem, vel effectum, vel virtutem, vnitionem Dei Verbi ad hominem esse factam, vel secundùm homonymiam *, per quam Nestoriani & Deum verbum vocantes Christum & hominem, separatim Christum nominantes, solo vocabulo vnum Christum dicunt: Aut si quis per bonam voluntatem dicit vnitionem factam esse, sicut Theodorus hæreticus ipsis verbis dicit, quasi quod placuit Deo Verbo homo, eo quod bene visum est ei de ipso, sed non secundùm subsistentiam Dei Verbi ad carnem animatam anima rationali & intellectuali vnitionem confitetur, & ideo vnam eius subsistentiam esse: talis anathema sit. * homonymiam

D Si quis per relationem, aut abusiuè Dei genitricem sanctam glorioſam semper Virginem Mariam dicit, aut hominis genitricem, aut Christotocon, tamquam Christo Deo non existente, sed non propriè & verè Dei genitricem ipsam confitetur, eo quòd ipse qui ante sæcula ex Patre natus est Deus Verbum, in vltimo ex ipsa incarnatus & natus est: talis anathema sit.

Si quis non confitetur Dominum nostrum Iesum Christum, qui carne crucifixus est, esse verum & Dominum gloriæ & vnum de sancta Trinitate: talis anathema sit.

Si quis in duabus naturis dicens non tanquam in Deitate & humanitate vnum Dominum nostrum Iesum Christum, Deum Verbum incarnatum confitetur, nec ad significandam differentiam naturarum, ex quibus compositus est, sed pro diuisione per partes talem excipit vocem in mysterio Christi, quasi seperatim vnaquaque natura suam habente E substantiam, sicut Theodorus & Nestorius blasphemauerunt: talis anathema sit.

Si quis in vno Domino nostro Iesu Christo, hoc est, Deo Verbo incarnato, numerum confitens naturarum, non intellectu differentiam earum, ex quibus & compositus est, excipit, vtpote non interemptam propter vnitatem, sed pro diuisione per partem numero vtitur: talis anathema sit.

Si quis dicens vnam naturam Dei Verbi incarnatam, non sic hoc intelligit, quòd ex diuina natura & humana vnus Christus effectus est, consubstantialis Patri secundùm Deitatem, & consubstantialis nobis idem ipse secundùm humanitatem, sed quòd Deitatis & carnis Christi vna natura siue substantia effecta est, secundùm Apollinaris & Eutychetis perfidiam: talis anathema sit. Æqualiter enim & eos qui per partem incidunt vel diuidunt, & eos qui confundunt diuinæ dispensationis mysterium Christi, reiicit & condemnat vniuersalis Dei Ecclesia.

Si quis non anathematizat Arium, Eunomium, Macedonium, Apollinarium, Neſtorium, A
& Eutychetem, & eos qui ſimilia eis ſapuerunt, vel ſapiunt: talis anathema ſit.] Qui autem ſequuntur tres anathematiſmi continent Tria capitula, de quibus agitata diu controuerſia poſt hæc fuit. Ex eo enim quod in Concilij Chalcedonenſis Actione decima recitata reperitur Ibæ epiſtola, in qua Theodorus Mopſueſtenus laudatur, accuſatur verò S. Cyrillus ex calumnijs in eum à Theodoreto illatis, quaſi particeps fuiſſet ſententiæ Apollinaris: ne occaſione illius Epiſtolæ quis Theodorum recipiendum eſſe putaret, vel Theodoreti ſcripta contra Cyrillum probanda, aut ipſam Ibæ nomine recitatam dictam epiſtolam receptam eſſe quis aſſereret ab eodem Concilio Chalcedonenſi; ex tribus inquam his cauſis, tres qui ſequuntur formati ſunt anathematiſmi, ex quibus Tria capitula poſt hæc deriuata inueniuntur; quorum primus contra Theodorum ſic ſe habet:

PRIMVM EX TRIBVS CAPITVLIS. Si quis defendit Theodorum Mopſueſtenum, qui dixit, alium eſſe Deum Verbum, & B
alium Chriſtum à paſſionibus animæ & deſideriis carnis moleſtias patientem, & ex perfectu operum melioratũ, & baptizatum in nomine Patris & Filij & Spiritus ſancti, & per baptiſma gratiam ſancti Spiritus accepiſſe, & affiliationem meruiſſe, & ad ſimilitudinẽ Imperialis imaginis in perſonam Dei Verbi adorari, & poſt reſurrectionem immutabilem cogitationibus, & impeccabilem omnino factum fuiſſe: & iterum dixit talem factã eſſe vnitionem Dei Verbi ad Chriſtum, qualẽ dixit Apoſtolus [a] de viro & muliere, Erunt duo in carne vna. Et ſuper alias ſuas innumerabiles blaſphemias auſus eſt dicere, quòd poſt reſurrectionem, cùm inſufflaſſet Dominus diſcipulis ſuis, & dixiſſet [b], Accipite Spiritum ſanctum, non dedit eis Spiritum ſanctum, ſed figuratiuè tantũmodo inſufflauit. Sed etiam confeſſionem quam fecit Thomas, cùm palpaſſet manus & latus Domini poſt reſurrectionem, dicens [c], Dominus meus & Deus meus, inquit non eſſe dictam à Thoma de Chriſto. Nec enim dixit C
Theodorus, Deum eſſe Chriſtum, ſed ad miraculum reſurrectionis ſtupefactum Thomam glorificaſſe Deum, qui Chriſtum reſuſcitauit. Et quod peius eſt, etiam in interpretatione, quam in Actus Apoſtolorum ſcripſit Theodorus, ſimilem fecit Chriſtum Platoni & Manichæo & Epicuro & Marcioni: quod ſicut illorum vnuſquiſque ex dogmate quod inuenit, ſuos diſcipulos fecit vocare Platonicos & Manichæos & Epicureos & Marcioniſtas; ſimili modo & cùm Chriſtus dogma inueniſſet, ex ipſo Chriſtianos vocari. Si quis igitur defendit eumdem Theodorum, qui talia blaſphemauit, & non anathematizat eum & eius ſcripta, & eos qui ſimilia illis ſapuerunt, vel ſapiunt: talis anathema ſit.

[a] *Epheſ. 5.*

[b] *Ioan. 10.*

[c] *Ioan. 10.*

SECVNDVM EX TRIBVS CAPITVLIS. Si quis defendit conſcripta Theodoreti, quæ expoſuit pro Neſtorio hæretico aduerſus
rectam fidem, & Epheſinam primam ſanctam Synodum, & S. Cyrillum, & duodecim eius capitula, in quibus ſceleratis conſcriptis idem Theodoretus effectualem dicit vnitatem Dei Verbi ad hominem quemdam, de quo blaſphemans dixit, quòd palpauit Thomas eum qui reſurrexit, & adorauit eum qui reſuſcitauit; & propter hoc impios vocat doctores Eccleſiæ, qui vnitatem ſecundùm ſubſiſtentiam Dei Verbi ad carnem confitentur; & ſuper hæc Dei genitricem abnegat ſanctam & glorioſam ſemper Virginem Mariam. Si quis igitur memorata ſcripta Theodoreti defendit, & non anathematizat ea: talis anathema ſit. Propter tales eius blaſphemias ab Epiſcopis electus eſt, & poſtea in ſancto Chalcedonenſi Concilio compulſus eſt omnia contraria memoratis ſuis conſcriptis facere, & rectam fidem confiteri. D

TERTIVM EX TRIBVS CAPITVLIS. Si quis defendit impiam epiſtolam, quam ad Marin Perſam hæreticum Ibas conſcripſiſſe dicitur, quæ abnegat Deum Verbum hominem factum eſſe, & dicit non Deum Verbum ex Virgine incarnatum eſſe, ſed purum hominem ex ipſa eſſe natum, quem templum E
vocat, vt alius ſit Deus verbum, & alius homo: & ſuper hoc iniuriat Epheſinam primam Synodum, quaſi ſine inquiſitione & examinatione ab ipſa Neſtorio condemnato: & ſanctum Cyrillum vocat hæreticum, & duodecim eius capitula impia dicit: Neſtorium autem & Theodorum cum impiis eorum conſcriptis collaudat & defendit. Si quis igitur (ſicut dictum eſt) eamdem ipſam epiſtolam vindicat, vel rectam eſſe dicit ipſam vel partem ipſius, ſed non anathematizat eam: anathema ſit.] hactenus anathematiſmi, quorum tres nouiſſimi (vt diximus) complectuntur tria illa capitula, de quibus mota controuerſia eſt, additis his quæ ſequuntur:

Tali ergo (ſubdit ipſe) epiſtola iuſtè anathematizata propter inſertas ei blaſphemias, Theodori & Neſtorij impietatis ſequaces conantur dicere, ſuſceptam eſſe etiam à ſancto Chalcedonenſi Concilio. Hoc autem dicunt, ſanctam quidem Chalcedonenſem Synodum calum-

A calumniantes,nomine autem eius festinantes debita condemnatione liberare Theodorum & Nestorium & impiam epistolam,pro qua Ibas sæpius accusatus,non est ausus dicere esse suam propter insertas ei blasphemias,&c.] pergit agere de Actis Tyri, cùm ibi causa ventilata est Ibæ, item de Actis Chalcedonensibus, negans à Synodo ipsa Ibæ epistolam esse receptam,quam inquit ipsum Ibam negasse esse suam. vnde subdit:Si igitur ipse Ibas propter impiam epistolam sæpiùs accusatus, non est ausus eam suam dicere, sed etiam Chalcedonense Concilium omnia ei contraria compulit eum peragere:quomodo eadem sancta Synodus memoratam epistolam susciperet, & condemnationi impietatis quæ in ea continetur se subiiceret,à qua Ibam liberare festinauit?] Ista autem quæ adeò Imperator inculcat,non ausum Ibam profiteri epistolam esse suam, quomodo subsistant, consule quæ dicta sunt superiori tomo, vbi de rei gestæ veritate accuratissimè actum est.

B Sed quòd ita rem gestam esse putauit idem Iustinianus Imp. ibidem post multa subiicit ex eiusdem epistolæ Ibæ nomine editæ occasione; quòd dolosè hæretici, vt Catholici haberentur,multa ponant quæ à Catholicis dici debent; vt cũ in ea auctor confitetur in Christo naturas duas,vnam verò personam,vt Orthodoxi profiteri solent; cùm tamen aliter vocem Naturæ atque Personæ ipsi accipere consueuerint. vnde subiungit: Nihil autẽ mirandum,si vocabulo naturarum vsus est scriptor impiæ illius epistolæ. Solent enim hæretici, vt simpliciores deciperent,vocibus quidem vti quæ ab Orthodoxis piè dicuntur, rectũ autem eorum intellectum & expositionem ad suam impietatem transferre.] Rursus verò aduersus eosdem, qui Synodi esse dicerent cuncta quæ in Actis Synodi reperirentur,sicq; inurere notam hac via viderentur Concilio Chalcedonensi, quod plura in eo reperirentur esse hæreticorum: his occurrens idem Iustinianus Imperator, post alia ista subiicit:

C Quæ enim de hæreticis proferuntur in Synodis,& pars gestorum fiunt,non ad deliberationem inferuntur, sed ad maiorem condemnationem eorum & qui eis similia sapiunt. Oportet autẽ etiam illud attendere eos qui veritatem perscrutantur, quòd forsan in Conciliis quædam à certis ibi conuenientibus dicũtur aut per fauorem, aut per contrarietatem, aut per ignorantiam: Nẽmo autem attendit ea quæ per partem à quibusdam dicuntur, sed sola illa quæ ab omnibus communi consensu definiuntur. Si enim aliquis secundùm illos voluerit attendere huiusmodi contrarietates, vnaquæque Synodus inuenietur se ipsam destruens. Propter hæc igitur oportebat eos, si sanctum Concilium rectè susciperent, non tales blasphemias ei applicare, sed sequi doctores Catholicæ Ecclesiæ,&c.]

QVAE RATIO HABENDA SYNODALIVM ACT.

Ad postremum autem de Theodoro damnando,cuius rei gratia omnia quæ eadem constitutione superiùs dicta sunt, præmissa videntur: ista addit Imperator post alia in hominis

DE SYMBOLO THEODORI MOPSVESTENI.

D detestationem sæpiùs inculcata: Impio enim Theodoro (inquit) non sufficit super alias eius blasphemias ad suum errorem malè interpretari symbolum trecentorum decem & octo sanctorum Patrum, sed etiam contempto eo, aliud symbolum exposuit omni impietate plenum, in quo anathematizare ausus est eos qui aliter sapiunt vel tradunt; vt quantum ad illius insaniam pertinet,omnes sancti Apostoli & Patres condemnarentur. Hoc autẽ Theodori impium symbolum & in Ephesina prima Synodo prolatum & in Chalcedonensi recitatum,ab vtraq; Synodo cum eius expositore & eis qui illud suscipiunt condemnatum est.

Quoniam autem quidam verba pro Theodoro facientes,cùm proferunt impia eius conscripta, propter insertam eis blasphemiam, confingunt quidem dicere, quòd impia sint; ipsum autem, qui talem iniquitatem euomuit, recusant anathematizare: miramur eorum dementiam, quòd diuinæ Scripturæ contraria agunt, euidenter dicenti [a], quòd æqualiter

E horribilia sunt apud Dominum impius & impietas: actio enim cum auctore punietur. Si autẽ similiter impietati horribilis est Deo ille qui impiè agit,certè separatus est talis à Deo, & anathemati iustè subiicitur. Anathema autem nihil aliud significat, nisi à Deo separationem, sicut in veteri & nouo Testamento iudicium de anathemate significat. Quod autem & Dominus eos qui non permanent in verbo veritatis ipsius separatos esse ab Ecclesia dicit: in Euangelio secundùm Ioannem Iudæos alloquens, sic ait [b]: Omnis qui facit peccatum, seruus est peccati: seruus autem non manet in domo in æternum. Quod autem Dominus nominat domum,diuina Scriptura Ecclesiam Dei viui vocat: id Apostolus [c] testatur in epistola prima ad Timotheum.

[a] *Sap.* 14.

EXCOMMVNICATVS THEODORVS.

[b] *Ioan.* 8.

[c] 1. *Tim.* 3.

Si verò quidam dicunt, non oportere Theodorum post mortem anathematizari: sciant qui talem hæreticum defendunt, quòd omnis hæreticus vsque ad finem vitæ in suo errore permanens iustè perpetuo anathemati & post mortem subiicitur: & hoc in multis hæreti-

POST MORTEM ETIAM POTEST INFLIGI ANATHEMA.

cis & antiquioribus & propioribus factum est, id est, Valentino, Basilide, Marcione, Cherintho, Manichæo, Eunomio, & Bonoso: hoc autem idem & in Theodoro factum est & in vita accusato, & post mortem anathematizato à sanctis Patribus: quibus si credere voluerint, vt hæretici eius defensores, vel impiæ epistolæ quam ipsi defendunt, credant: quæ licet Theodorum collaudet, manifestè tamẽ dixit, quòd in Ecclesia à sanctis Patribus anathematizatus est, & ex illo plurima inquisitio facta est de eius conscriptis, vtpote plenis impietate. Hoc autem tunc faciebant Catholicæ Ecclesiæ doctores, ne simpliciores legentes illius impia conscripta, à recta fide declinarent. A

DAMNATI POST MORTEM HAERETICI.

Quòd autem impij, licet non in vita in suam personam anathema susceperint, tamen post mortem anathematizantur à Catholica Ecclesia, ostenditur à sanctis Synodis. Nicæna enim Synodus eos qui impij Arij sectam colunt sine nomine anathematizauit: quæ autem Constantinopoli congregata est, impiam Macedonij hæresim similiter condemnauit, si tamen Dei sancta Ecclesia & post mortem Arium & Macedonium nominatim anathematizat. Cùm autem ex multis probationibus conuincuntur, quod superuacuè & impiè agunt, qui Theodorum & impietatem eius defendunt: ad aliam vanam occasionem confugiunt, dicentes non oportere eum anathematizari, eò quòd in communicatione Ecclesiarum mortuus est. B

Oportebat autem scire eos, quod illi moriuntur in communicatione Ecclesiarum, qui commune pietatis dogma, quod in vniuersali Ecclesia prædicatur, vsque ad finem seruauerunt: Iste autem vsque ad mortem in sua permanens impietate, ab omni Ecclesia eiectus

THEODORVS A SVA ECCL. DAMNATVS.

est. Itaque & omnis plenitudo Mopsuestenæ Ecclesiæ, in qua Episcopus dicitur fuisse, cùm inuenisset, quòd Paganis & Iudæis & Sodomitanis à sanctis Patribus connumeratus est, deleuerunt ipsi ex illo à sacris Ecclesiæ Diptychis eius nomen, sicut Gesta in eadem ciuitate apud Concilium Episcoporum illius prouinciæ confecta ostendunt. Miramur igitur Theodori sequaces, qui eum & impietatem eius tamquam suam defendunt, cùm Ecclesia, in qua fuit Episcopus, vtpote hæreticum, ex multis temporibus eum eiecit.] hæc & alia Imperator, subiiciens plura exempla, quibus pateret & damnari & absolui consueuisse mortuos, qui viuentes vel damnari vel absolui meruissent. Atque demum eiusmodi contestatione finem imponit ipsi quam de fide constitutionem conscripsit: C

CONTESTATIO IMP.

Si quis igitur post eiusmodi rectam confessionem & hæreticorum condemnationem, saluo manente pio intellectu, de nominibus, vel syllabis, vel dictionibus contendens, separat se à sancta Dei Ecclesia, tamquam non in rebus sed in solis nominibus & dictionibus posita nobis pietate: talis, vtpote dissensionibus gaudens, rationem pro semetipso & pro deceptis & decipiendis ab eo reddet magno Deo & Saluatori nostro Iesu Christo in die Iudicij.] hactenus Iustiniani de fide Catholica promulgatũ edictum, non ob aliam causam (vt vult Liberatus) quàm ob æmulationem Theodori Cæsariensis in Pelagium diaconum, qui Originem damnari curasset. D

DE TRIBVS CAPITVLIS SVMMA.

Antequam autem vlteriùs de his progrediatur oratio, hic ad limen monendum putamus lectorem, quòd etsi demùm post obortas plurimas controuersias, immensaq; parta diffidia Catholica Ecclesia sententiam Iustiniani Imperatoris contra Tria capitula sit secuta; tamen hoc ipso exordio propositæ quæstionis, immo assertæ ab Imp. sententiæ, contra eadem Tria capitula complures Orthodoxi, immo & ipse Vigilius Romanus Pontifex, quasi vindices Chalcedonensis Concilij, in cuius præiudicium ea viderentur ab Imp. sancita, insurrexere. Cùm autem perspicuè pleneque cognitum fuit, nequicquam derogatum sacrosancto Concilio Chalcedonensi per damnationem Trium capitulorum, ipsa in primis Apostolica sedes eam Imperatoris edicto primùm promulgatam & postea per Quintam Synodum confirmatam assertionem probauit atque retinuit, itumq; est à Catholicis omnibus in eandem sententiam cum Quinta Synodo habita Constantinopoli, & cum ipsis Romanis Pontificibus, aliisq; Apostolicæ sedi communicantibus: Qui verò postea ab his dissensere, vt schismatici habiti sunt atque reiecti: cùm tamen interea ante nouissimum Apostolicæ sedis assensum non esset piaculum pro Tribus pugnare capitulis, cùm præsertim in ea assertione habuerint aliquando quem sequerentur ipsum Vigilium Romanum Pontificem. E

Quo etiam tempore qui Tria capitula defendebant, pugnare se æquè pro Synodo Chalcedonensi præsetulerunt, cùm nihil vellent de eodem sacrosancto Concilio imminutum: nec ita impugnabant Imperatoris edictum illud aduersus Tria capitula datum, vt errores dogmatum, qui siue in Theodoro, siue in Iba, vel Theodoreto iure condemnabantur, defenden-

A fendendos putarent: respuebant enim & ipsi eorum errores & execrabantur: sed erat ab istis pro personis instituta defensio, nempe contendentibus non esse damnandum Theodorum Mopsuestenum, quem indemnatum à Patribus constaret esse in Catholica communicatione defunctum; neque Ibam vel Theodoretum, quos damnantes hæreses Chalcedonensis Synodus recepisset: neque faciendum negotium mortuis dictitabant, quos in pace Ecclesiæ esse defunctos, nec ab ea fuisse reiectos, probari posset. Sic igitur isti pro Tribus pugnantes capitulis, nequaquam defendebant (vt dictum est) quæ dicebantur repertæ hæreses in commentariis Theodori, neque errores in epistola Ibæ enunciatiuè insertos, vel antea iam improbata scripta Theodoreti aduersus duodecim Cyrilli capitula, quæ omnia ipsi etiam respuebant, retinentes pariter quæcumque in sacrosancti Concilij Chalcedonensis Actis esse inuenirentur intexta; & defendentes licet epistolam Ibæ, ne-
B quaquam blasphemiis in ea relatis patrocinabantur: cùm tamen iidem omnes aduersus Iustinianum Imperatorem tanta sibi in Ecclesia Catholica arrogantem inueherentur, atque edicto ab eo promulgato simul aduersarentur: quo nomine (vt dictum est) inter alios ipse Facundus Hermianensis in Africa Antistes scriptum aduersus eumdem Imperatorem pro Trium capitulorum defensione volumen edidit.

Porrò defensores isti laudati aliquando sunt, cùm quem sequerentur haberent Vigilium Romanum Pontificem; interdum verò tolerati, cùm de huiusmodi controuersia quid sancta Synodus definiret, expectaretur; reprobati autem tunc penitus, vbi damnante Tria capitula Quinta Synodo, & eam postea probante Vigilio, atque successoribus Romanis Pontificibus, ipsi ab ea nimis obstinatè resilierunt. Hæc est summa totius historiæ, immo tragœdiæ, vtpote per quam plurima damna Ecclesiæ Catholicæ noscantur illata, quæ tu ipse
C plorabis, cùm legeris. His autem summatim ingestis, quorum meminisse debes, prosequamur iam suo ordine cœptam historiam, & in primis de Iustiniani Imperatoris conatu in edicto illo promulgando, eodemque ab aduersariis in deteriorem partem accepto, atque proinde reiecto.

DEFENSORVM TRIVM CAPP. TRIPLEX STATVS.

Cùm ergo ea omnia velamento quodam pacis agerentur, factum est vt animosiùs ab Imperatore Episcopis subscribenda ingererentur. Nam de vnione promissa ista Facundus[a]: His igitur ita fraudulenter agentibus, ac nescio quam promittentibus vnitatem, quæ si etiam sequeretur, confusio potiùs dicenda esset, &c.] Sed iustiùs, etsi tamen acriùs, dum inferiùs in Zenonem perfidum Imperatorem inuehitur, qui impia illa excogitata vnione, de vnitate pariter impium olim promulgauit edictum, ipsum Iustinianum Imperatorem coarguit atque perstringit, vbi post multa[b]: Etiam aliud deterius addens, ait, quòd sanctæ quæ vbi-
D que essent Catholicæ Ecclesiæ, & qui eis præessent Deo amabiles sacerdotes non aliter deberent credere: quasi omnium fides Ecclesiarum ex eius voluntate penderet, & nemini liceret aliter credere, quàm præciperet Imperator. Videbat (vt arbitror) quosdam timidos, vel rerum temporalium cupidos, sibi fauere, & ex illis ceteros existimabat: quibus etsi vocem contradictionis abstulerat, animum certè mutare non potuit. Nec enim ampliùs aliquid mundi potestas valet in his quos à libera fidei assertione retraxerit, nisi vt in illud incidant, quod Dominus ait[c]: Qui me erubuerit & meos sermones, hunc Filius hominis erubescet, cùm venerit in maiestate sua* & Patris & sanctorum Angelorum. Aliquod ergo ius mundana potestas Ecclesiæ valet auferre, nullum sibi tamen acquirere. Melius ergo est, vt semet intra limitem suum contineat; quem cùm transgreditur, perdere multos potest, lucrari neminem. Nam & suas habent officinas vel artifices, omniaque ex proposito doceri
E videmus. Numquam enim de textrina personare incudes audiuimus, & ignem illic in fornacibus anhelare. Numquam comperimus à sutore quæsitum quæ cuiusque fabricæ proportio latitudinis conueniret, & quanta vtrisque conueniens congrueret altitudo: quoniam illa integrè scire possunt, quæ ab ipsis artis sunt præceptoribus institutæ scholæ.] hæc licet in Zenonem ab ipso esse videantur dicta, in Iustinianum tamen vult retorqueri; qui cùm esset penitus illiteratus, eruditas tamen sibi arrogare de fide Catholica edere sanctiones, quas dolosè conscripsissent hæretici. Pergit verò Facundus:

[a] *Facund. pro defens. Cap. lib. 1.*

IN ZENONEM REDARGVITVR IVSTINIANVS.

[b] *Facund. pro defens. Cap. l. 12. in fin.*

[c] *Lucæ 9.*

* in præsentia

In contemptu sunt diuinæ litteræ, quæ nec suam scholam nec magistros habeant, vt de quibus peritissimè disputare se credat, qui numquam didicit. Deinde, cùm Palatij causæ transferantur ad Ecclesiam: quomodo Ecclesiæ causam ad Palatium transferebat? Postremò, numquid iam domuerat, vel pacauerat omnes infensas Reipublicæ barbaras nationes? iam per vniuersas Imperij sui prouincias seditiones ac seditionũ causas abstulerat? iam cun-

NON ESSE IMP. SANCIRE LEGES ECCLESIAE

ctis criminalium, siue ciuilium causarum, qui illis conueniens, dederat finem? Cùm ergo his non sufficeret, quibus nemo sufficere potest; quomodo si cogitaret tanta loci sui pericula, & de omnibus se rationem crederet redditurum, etiam periculis se alienis emergeret?] A

FACVNDVS PERSTRINGIT IVSTIN. En quàm belle sed argutè magis Facundus in Zenonem intendens iacula, eadem in Iustinianum ex peritia bellicæ artis vibrat: quippe qui (vt etiam damnat Procopius) cùm vndique ingruerent bella & seditiones, ipse tamen totus esset intentus disputationibus diuinæ Scripturæ. Quantum, rogo, ipsi in his temporis insumendum fuit, vt qui nec prima elementa calleret vt legere posset eiusmodi perplexas quæstiones vel saltem leuiter intelligeret? quamque facile, vt non auditis quæ obiicerentur ab aduersariis, in suam eum sententiam traherent, qui iam eius præoccupassent aures? At quis in tantum discrimen fidem Catholicam adducendam esse censeat, vt qui eiusmodi esset, & de fide leges sanciret, vniuersam Ecclesiam Catholicam eisdem parere obligaret? Hæc addidisse voluimus ad roborandam Facundi sententiam, qua cum Vigilio tunc Tria capitula defendebat. B

ADVLATIO IMPERATOREM DEMENTAT. Sed vnde ista mala in ipsum prouenerint Iustinianum, etiam sub Zenonis persona idem auctor declarat, cùm hæc addit: Ad hoc autem detestandum facinus adulantium laudibus eum credimus excitatum, cùm ei dicerent quemadmodum solent: quod omnes suos decessores sapientia & religione præcelleret: quod nullus ei posset in vniuersis qui essent vel fuissent Dei sacerdotibus comparari. Quibus ille credulus, existimauit per singularem sapientiam, quam ei præter assentatores nemo tribueret, inuenire se posse rationem faciendæ vnitatis, quam nullus antè per tot tempora potuerit inuenire.] hæc & alia prudentissimus Ecclesiasticus agonistes Facundus, cùm inter Catholicos militans, ea scriberet, iubente Vigilio Catholicæ sedis Antistite, imprudentem Iustiniani conatum sugillans, atq; simul omnes Principes illos arguens, qui immiscentes se fidei causæ, tantum sibi sumunt, vt non vereantur legem credendi præscribere Christianis. C

STEPHANVS APOCRISARIVS RESTITVIT IMP. Imperator igitur simulac de fide tale promulgauit edictum, sciens eiusmodi constitutiones nullarum virium esse, nisi ab Episcoporum subscriptione auctoritatem acciperent: primùm omnium Apostolicæ sedis Apocrisarium ibi degentem Stephanum diaconum, vt id faceret, vehementer rogauit sed tantum abest vt illum ad id præstandum impellere potuerit, vt eumdem maximũ suis conatibus expertus fuerit aduersarium, sicut & Dacium Mediolanensem Episcopum, qui tunc item erat Constantinopoli: iidem verò Vigilium Romanum Pontificem monuerunt absentem. At non sic quidem Orientales Episcopi, qui siue blanditiis, siue terroribus compulsi, magna ex parte Imperatori cesserunt, licet iidẽ sicut antea, ita & postea facinus fuerint detestati. Nam audi, quæso, quid de Patriarchalium sedium Episcopis idem Facundus scribat: Illud est insuetum, illud mirabile, illud in quo magna vis veritatis apparet, quòd ipsos quoque præsumptores internis conscientiæ stimulis fateri coëgit, ad destructionem Concilij Chalcedonensis hæc fuisse conscripta. D

MENNAS EPISC. SVBSCRIBIT INVITVS. Nam primus infirmator eorum Mennas Constantinopolitanus Episcopus cùm adhuc tentaretur scripto (sicut præceptum fuerat) præbere consensum: contra Synodum Chalcedonensem fieri, protestatus est. Sed & postquam consensit, à prædicto venerabilis memoriæ Stephano Ecclesiæ Romanæ diacono & Apocrisario conuentus: cùm priori sententiæ suæ contrarius acquieuit his quæ antè culpauerat, & de quibus se nihil acturum sine Apostolica sede promiserat: sub ea se conditione cessisse, iuratum sibi fuisse respondit, quòd chirographum suum reciperet, si hæc Romanus Episcopus non probaret.] hæc de Menna Facundus: ex quibus intelligas Apostolicæ sedis summam auctoritatem, cuius arbitrio, quę essent ab Imperatore statuta & à Patriarchis subscripta, validanda relinquerentur, caritura robore & auctoritate, si ipsius Romani Pontificis approbatione carerent. Sed quæ cum aliis Patriarchis tunc transacta fuerint, ex eodem auctore cognosce, qui paulo pòst ista subiungit per antiphrasim: E

TRES PATRIARCHAE SVBSCRIBVNT NOLENTES. Quis porrò auctoritatem contemnere possit istorum? Quis dubitet talium sequi sententiam, videns quàm liberè ab his & intrepidè veritas prædicatur? Zoilus quoque Alexandrinæ vrbis Antistes cùm Romanũ Episcopum venire cognosceret *(quod contigit anno sequẽti)* obuiam illi ad Siciliam misit, conquerens se ad ipsius decreti affirmationem fuisse compulsum. Quòd hic ei, postquam venit, idem Romanus Episcopus in facie palàm, nobis quoque inter alios præsentibus, exprobrauit. Necnon Ephræmius Antiochenus, cùm primùm ei mandaretur, vt hoc etiam ipse subscribendo firmaret, consentire noluit. At postquam ei denunciatum est, quod excludendus esset, nisi faceret; sui potiùs honoris, quàm veritatis

dilector

A dilector inuentus est. Quid autem Petrus Hierosolymitanus? nónne publica notitia refert, quoniam conueniente ad se multitudine monachorum, iuratus pronunciarit, quòd si quis eidem decreto monitus consentiret, contra Chalcedonense Concilium faceret: nec tamen se ab eius consensione suspendit? Hoc autem velut hereditarium de præuaricatione primæ illius mulieris cognouimus esse contractum, quæ priùs interdictum sibi fuisse respondit, ne de ligno, quod erat in medio paradisi, comederet: & postea quod ipsa illicitum pronunciauerat, vsurpauit, ac viro vt comederet, persuasit. Et quid dicemus ad hæc? nisi quod Dominus dixit: Verumtamen veniens Filius hominis, putas inueniet fidem super terram?

QVID EPISCOPI ALIARVM CIVITATVM.

Iam verò de aliarum ciuitatum Episcopis quid loquamur? Qui & cùm subscribere compellerentur, palàm reclamauerunt, contra magnam Synodum fieri: & post subscriptionem memorato Stephano Romano diacono libellos dederunt, sedi Apostolicæ transmit-
B tendos, confitentes in eis, quòd à Constantinopolitano Episcopo coacti subscripserint. qui si à vestra pietate quærantur, poterunt & apud vos nostris assertionibus attestari. Vnde non solùm ipsi qui hæc fecerunt, sed & illi etiam qui facientibus communicando consentiunt, de ignorantia semetipsos excusare non possunt, & frustra dissimulant, frustra se dicunt nescire quod factum est, siue lucra temporalia diligentes, siue gratis suas animas negligentes. Cui enim non sufficiat ad cognoscendum causæ meritum sola confessio transgressorum & verbis publicè facta & libellis exposita?] cùm interea ipsum Vigilium consulere non prætermitterent.

Quid autem excusando se, quòd Iustiniano Imperatori paruissent, illi dicerent, idem Facundus superiùs sic ait[a]: Adhuc dicant, quòd de tanta sua præsumptione Ecclesiam quo-
C que Romanam consuluerint, & sententiam beati Vigilij Præsulis adhuc expectent.] hæc ipse: qui post multa subdit[b] & de Domitiano Episcopo Metropolitano Ancyræ in Galatia, qui Origenista cùm esset, scripto tamen libello ad Vigilium Romanum Pontificem, ingenuè professus est, Origenistarum studiis ea fuisse ab Imperatore contra Theodorum Mopsuestenum & alios aduersus Synodum Chalcedonensem promulgata: ait enim[c]: Quia per instantiam tuæ religionis eiusdem profani dogmatis (*Origenis scilicet*) iterata damnatio est: hinc eius sectatores exarserunt aduersus Ecclesiam, quærentes eam quacumque possent im-
missione turbare. Et hoc totum publicam notitiam non effugit. Præsertim cùm & Domi-
D tianus Ancyrensis quidem ciuitatis Episcopus prouinciæ Primæ Galatiæ, qui fuit ipsius Origenianæ hæresis manifestus assertor, per libellum quem ad beatum Papam Vigilium scripsit, Deo extorquente, confessus est, quòd eius complices Origeniani cùm viderent non se posse proprium dogma defendere, neque sibi quicquam spei de conflictu restare: ad vltionem eorum quæ contra Origenem gesta sunt, hæc Ecclesiæ scandala commouerunt.] hæc Facundus, qui & inferiùs eiusdem Domitiani verba in libello fusiùs scripta recitat. sed de his modò satis, quòd ex Liberato diacono eadem superiùs fuerimus prosecuti, hic verò occasione libelli ad Vigilium missi oportuit repetisse.

[a] *Facund. pro defens. Cap. lib. 2.*

[b] *Facund. pro defens. Cap. lib. 4.*

[c] *Facund. l. 1.* AB ORIGENISTIS HOC MALVM PROCESSIT.

STVDIA PELAGII ET ANATOLII DIACONORVM.

Sed qui fuerint hoc eodem tempore Occidentalium conatus aduersus eiusmodi Iustiniani Imperatoris promulgatum de fide decretum, videamus. Pelagius Romanæ Ecclesiæ diaconus simulac Constantinopoli reuersus hoc anno in Vrbem est, contra eiusdem Imperatoris de fide sancitum edictum classicum cecinit, & cùm alios, tum etiam Africanos Episcopos armare conatus est: qui enim (vt ex Liberato diximus) hostis erat & acerrimus impugnator Origenistarum, & aduersarius Theodori Cæsarienſis, aduersus eadem inuenta magno animo insurrexit vnà simul cum collega Anatolio: de quibus pauca tantùm hæc,
E vnde multa valeas intelligere, ex Facundo[d] dicemus, quæ sic se habent: Non ergo ciuilis hæc causa credenda est, vel talis quæ pro Ecclesiarum pace ferenda sit, sed quæ meritò iudicetur contra ipsius Catholicæ fidei statum hæreticorum subreptione commota; pro qua pars maxima orbis Christiani, quæ potuit, primùm inter primos Christianos sacerdotem, *nempe Vigilium*, publica contestatione pulsauit: & Romana quidem vniuersitas atq; Africa, priusquam ipsius Romani Antistitis acceperimus epistolam, non paruo iam agnouerat indicio, quid de huius facti nouitate sentirent.

[d] *Facund. pro def. Cap. l. 4.*

AFRICANI EPISCOPI RESISTVNT IMPERATORI.

Nam venerabilis Pelagius & Anatolius Romani diaconi debitam officio suo & loco solicitudinẽ pro Ecclesia Dei gerentes, laudabilis in Christo memoriæ Ferrando diacono Carthaginensi scripserunt, vt habito de hac causa diligenti tractatu cum reuerendissimo eiusdem Ecclesiæ Carthaginensis Episcopo, vel aliis, quos & zelum fidei & diuinæ Scripturæ scirent habere notitiam, consulentibus responderent, quid obseruandum in cõmune omnibus

nibus videretur.] His ab Ecclesiæ Romanæ diaconis acceptis litteris, Ferrandus diaconus A
Carthaginensis facere minimè prætermisit quod fuit iniunctum: quamobrem omnes eius
esse sententiæ inuenit Africanos Episcopos, ne Imperatoris decretum in aliquam acciperetur auctoritatem, nec quicquam penitus de ipso Chalcedonensi Concilio pertingendum.
Hæc cùm Facundus testetur; memineris quòd superiùs, dum de Ferrandi scriptis mentio
facta est, iam diximus scriptam fuisse ab eo ad Pelagium & Anatolium Romanæ Ecclesiæ
diaconos eo argumento epistolam, quæ desideratur. At quæ eo tempore de his extat epistola Pontiani Episcopi Africani ad Imp. conscripta videamus, quæ sic se habet[a]:

[a] *Extat Conc. tom. 1. inter Acta Ioan. Papæ.*

PONTIANI EPISCOPI AFRIC. AD IVSTINIANVM EPIST.

Clementissimo ac piissimo filio Iustiniano Imperatori Pontianus Episcopus in Domino
salutem.

Principaliter nomen ab ipsis incunabulis iustitiæ suscepisti: & iustus Dominus qui ita B
præstitit, vt nomen antè iustitiæ tribuerit, cui imperij postmodum gubernacula contulisset.
Adunata est igitur gratia Saluatoris non solùm in nomine, verùm etiam in merito, cuius
vita exaltata est imperando, & Imperium iustè viuendo. Dignatus es nos in Africanis partibus commorantes litteris admonere, qualẽ fidem teneas & defendas. Cognouimus quòd
[b] *Mat. 16.* Dominus B. Petro statuit dicens[b]: Super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduersus eam: & tibi dabo claues regni cælorum. Exultauit spiritus noster, hoc firmiter te piissime esse Imperator, quod Apostolica fides prædicat, credentes quòd à rectæ credulitatis tramite non declines. Talem enim decet esse Imperatorem,
pium, iustum, fidelem, qualem te nos esse cognouimus.

NON PVTAT DAMNANDOS MORTVOS.

In extremo itaque epistolæ vestræ cognouimus, quod nos non mediocriter remordet, C
debere nos Theodorum & scripta Theodoreti & epistolam Ibæ damnare. Eorum dicta ad
nos vsque nunc minimè peruenerunt. Quod si & peruenerunt, & aliqua ibi apocrypha, quę
contra fidei regulam sint, legerimus: dicta possumus respuere, non auctores iam mortuos
præcipiti condemnatione damnare. Quòd si adhuc viuerent, & correcti errorem suum non
condemnarent, iustissimè damnarentur. Nunc autem quibus recitabitur sententia damnationis nostræ? quòd in eis recorrigatur, non est. Sed timeo, piissime Imperator, ne sub ob-
tentu damnationis istorum, Eutychiana hæresis erigatur; & dum minima indicia non spernimus, ad maiorem hæresim collisionemque veniamus. Et quid nobis cum mortuis inire
bellum, vbi nulla inuenitur in congressione victoria? Apud Iudicem verum iam tenentur,
à quo nullus appellat. Per ipsum, in quo nos honoratis & diligitis, supplicamus clementiam
tuam, vt pax permaneat temporibus tuis; ne dum quæris damnare iam mortuos, multos
inobedientes interficias viuos, & exinde compellaris reddere rationem ei qui venturus est
iudicare viuos & mortuos.] hucusque ad Imperatorem Pontianus ex Africa, cùm illuc mis- D
sum hoc anno ab ipso Iustiniano fidei decretum Episcopis Africanis innotuisset: cuius autem sedis iste Episcopus fuerit, ignoratur. At illud opinari facilè quisque potest, quod ab eo
factum est, id ipsum ab aliis Episcopis diuersarum regionum minimè prætermissum: nam
liquet omnes fidei Catholicæ professores simul aduersus eiusmodi nouitatem insurrexisse,
vindicesque se Chalcedonensis Concilij exhibuisse.

IMP. CONSTANTINOPOLIM ACCERSIT VIGILIVM.

At quid inter hæc Imperator? Cùm cerneret primarum sedium Orientalium Episcoporum, præcipuè verò Mennæ Constantinopolitani Episcopi suspensam esse sententiam ad
Vigilij Papæ arbitrium, & ex eius voluntate pendere: existimauit necessarium fore, ipsum
Romanum Pontificem Constantinopolim conuocare; quod fecit hoc anno, ipsum summa celeritate venire rogans. Nec remoratus quidem ipse Vigilius fuit, qui hoc item anno
recessit ab Vrbe, & se contulit in Siciliam, vbi hiemauit. Sed tum ex his quæ ex Facundo E
dicta sunt, tum ex his quæ dicentur ex Procopio, ambobus huius temporis scriptoribus,
aperti mendacij redarguitur Anastasius, dum alias profectionis Vigilij Constantinopolim
causas asserit, atque subtractum violenter ab Vrbe, infectatumque iurgiis & blasphemiis
tradit. porrò res adeò ignominiosa minimè latere potuisset res suorum temporum accuratissimè prosequentes auctores.

Ceterùm cùm nõ alia causa præcessisse cognoscatur profectionis ipsius Vigilij Papę Constantinopolim: oportuit eum summo cum honore ab Imperatore vocatum esse, ne ipse aduersans inefficaces redderet omnes eius de promulgato de fide decreto conatus. Sciẽs enim (quod dictum est) præcipuos Orientis Episcopos ex Rom. Pontificis definitione pendere: eum sibi quibus valuit studuit conciliare blanditiis, vt quæ dicturi sumus quàm perspicuè demonstrabunt. Ceterùm Vigilij Papæ Constantinopolim profectionẽ magnum intulisse

Catho-

A Catholicæ Ecclesiæ damnum, declararunt euenta; quæ & significarunt, quàm prudentissimè egerint prædecessores Romani Pontifices, vt sanctus Leo & alij, qui vocati sæpe ab Orthodoxis licet Imperatoribus in Orientem, numquam passi sunt ab ipsa fixa Romæ sede diuelli. Obfuisse haud modicum vsu rerum reperitur Pontificum ab Vrbe profectio ad Comitatum, cùm Imperatorum siue blanditiis siue minis, contrariis hisce ex aduerso pugnantibus ventis, exposita sæpè noscatur magno periculo Petri nauicula, cuius clauum immobilis sedens Romanus Pontifex tutiùs teneat.

NON RECEDENDVM AB VRBE PONTIFICIBVS.

Hòc igitur anno, qui (vt dictum est) à Procopio vndecimus belli Gothici numeratur, Vigilium Papam Roma recessisse Constantinopolim profecturũ, & in Siciliam peruenisse, idem affirmat: vbi Dacium Mediolanensem Episcopum Constantinopoli venientem obuiam habuit, & legatum suscepit ab Ephræmio Episcopo Antiocheno missum, à quibus
B cuncta quæ Constantinopoli gesta essent, exploratiùs intellexit. Quid autem egerit vbi ea omnia comperta habuit, à Facundo accipe, cùm ait[a]: Hoc est autem mirabile, vt postquam horum condemnationem fecerunt, dicerent quod Ecclesiam Romanã consulerent, & sententiam Vigilij eius Præsulis expectarent: cui, quantum ad illos attinet, non permiserunt censere quod senserit, antè statuentes, vt si quis Theodorum Mopsuestenum cum suis dogmatibus & epistolam venerabilis Ibæ non anathematizat, sit anathema. Sed ecce iam veniens, ex itinere, quod ei videbatur edixit, & facti huius auctori correctionem tumultuariæ suæ transgressionis indixit; & nisi citiùs quod malè factum est, auferretur, etiam vindicaturum se esse prædixit, protestans & dicẽs cum Apostolo & Timotheo[b]: Ne fortè cùm venero, non quales volo inueniam vos, & ego inueniar à vobis qualẽ non vultis.] erant hæc scripta in epistola quam Constantinopolim Vigilius misit, quam etiam iisdem præcurrentibus
C legatis dedit ad Imperatorem, ne quid innouari pateretur: nam subdit idem Facundus:

[a] *Facund. pro defens. Cap. lib. 4.*

VIGILIVS PAPA QVID COMMINATVR IN NOVATORES.

[b] 2. *Cor.* 12.

Præter quod & à vestra clementia summis precibus, summoque adnisu per suos legatos petit, sicut eum venientem diuersæ prouinciæ contestatæ sunt, ne patiamini stare quod factum est: tale siquidem ipsius facti crimen esse iudicauit, vt illo Doctoris Gentium testimonio duceret arguendum, quo discipulo Timotheo scribens, dixit: Depositum custodi, deuitans profanas vocum nouitates, & oppositiones falsi nominis scientiæ, quam quidam promittentes circa fidem exciderunt. Quid ergo adhuc quæritur, vtrum contra fidem & Synodum Chalcedonensem factum fuerit (quod dolemus) quando ille, cuius dicebatur expectari sententia, profanas vocum nouitates & oppositiones falsi nominis scientiæ, quam quidam promittentes circa fidem exciderunt, in ipsius facti auctorem sibi * vendicauerat arguendas? Denique etiam beatum Dacium Mediolanensem Episcopum, quem hinc reuer-
D sum in Sicilia se vidisse perhibuit & alios consacerdotes suos, sed venerabilis memoriæ Stephanum solum, quem Romanæ Ecclesiæ, cui per Dei gratiam præsidet, hic habuit responsalem, & per missos * Ecclesiæ suos approbauit, quod & pro hac causa à venerabilis Mennæ huius regiæ vrbis Episcopi communione suspenderit, & eos qui ei communicauerant, sub debita satisfactione susceperit.

QVAE VIGILIVS CONSTANTINOPOLIM SCRIPSERIT

* ibi

* multos

Quod non faceret, nisi contrarium Synodo Chalcedonensi, quod factum est, sicut & alij, iudicaret: non autem solos quos commemorauimus sanctos & venerabiles viros hoc secum iudicasse monstrauit, quando non tacuit, quod Romana quoque vniuersitas egredientem, quod venientem Africa, atque etiam Sardinia, quamquam non per eas transierit, per ipsius tamen consiliarium publica eum contestatione pulsauerint, sicut Hellas & Illyricus prouinciæ, per quas venit; vt nullatenus nouitati, quæ facta est, acquiescat. Non
E ergo ciuilis hæc causa credenda est, nec talis quæ pro Ecclesiarum pace ferenda sit, sed quæ meritò iudicaretur contra ipsius Catholicę fidei statum hæreticorum subreptione commota; pro qua pars maxima orbis Christiani, quæ potuit, primùm inter primos Christianos sacerdotem publica contestatione pulsauit: & Romana quidem vniuersitas atque Africa, priusquam Romani Antistitis acceperimus epistolam, non paruo iam agnoueramus indicio, quid de huius facti nouitate sentirent.] hactenus Facundus de Vigilij Papæ rebus gestis hoc anno, antequam peruenerit Constantinopolim, quod sequenti anno contigisse, suo loco dicemus.

MVLTAE PROVINCIAE CONTESTATAE SVNT VIGILIVM PAP.

Porrò ipsum Vigilium diutiùs mansisse in Sicilia, indeq; laboranti fame Vrbi frumẽtum misisse, Procopius testatur, vbi ait[c]: Per idem tempus Vigilius vrbis Romanæ Præsul, cùm in Sicilia esset, magnum nauium numerum frumento complet, & Romam transmittit, ratus omnino Vrbẽ tutò adire hos posse, qui onera nauibus importarent. Qui vtique cùm Roma-

[c] *Procop. lib. 3 de bello Goth.*

VIGILIVS E SICILIA TRITICVM MITTIT IN VRBEM.

num

num ad portum cursum tenerent, hostes eorum aduentu percognito, paulo antè priores ipsi A
cùm in portum venissent, intra muros delituerunt, vt eò naues iam descendentes nullo ne-
gotio caperent. Sed hos qui in mœnibus erant custodes mox conspicati, è propugnaculis
veste altiùs agitata, signum nautis ad se nauigantibus dabant, ne vltra progrederentur, sed
aliò quocumque possent verterent vela. Illi verò prodito signo non intellecto, sed rati
potiùs, qui in Portu erant, Romanos præ gaudio ex suo aduentu alacres factos id signum
dedisse, seque ad Portum ineundum hortari, prospero ac præsenti afflante his vento, intra
Portum celerrimè cùm nauibus peruenerunt; in quibus Valentinus Episcopus quidá cum
Romanis pleriſque alus nauigabat. Tunc barbari ex insidiis confestim exorti, naues omnes,
nemine defendente, mox capiunt, Episcopum cum Romanis comprehensum ad Totilam
ducunt, ceteros verò obtruncant, & cum oneribus naues remulco trahentes cuestigio ab-
eunt. Totilas interea cùm Episcopum quid sibi iam vellet rogasset, & mendacij apertiùs B
conuicisset, vtrasque illi manus præcidit.] hæc Procopius, qui de longa Vigilij in Sicilia mo-
ra, deque profectione ipsius anno sequenti Constantinopolim agit.

Porrò onerasse naues Vigilium ex Ecclesiæ frumento, possumus intelligere; quod con-
stet amplissimum fuisse Romanæ Ecclesiæ in Sicilia patrimonium, vt ex sancti Gregorij
epistolis liquet. Quod autem ad Valentinum Episcopum pertinet; hunc fuisse Episcopum
Siluæ Candidę, alio titulo sanctarum Ruffinæ atque Secundæ, Anastasius tradit, missumque
VIGILIVS ORDINATIONEM IN SICILIA HABET. à Vigilio in Vrbem, vt ibi Vicarius consideret, affirmat: quem reuersum ad Vigilium Con-
stantinopoli iam agentem, quæ postea dicentur, ostendent. Ad hæc insuper addit Anasta-
sius, ipsum Vigilium in Sicilia commorantem, Catanæ ordinationem habuisse mense De-
cembri, ordinasseque presbyteros atque diaconos, ex quibus Romam misisse Ampliatum
presbyterum Vicedominum suum, Valentinum verò (quem diximus) ad cleri gubernatio- C
nem, vtque loco Pontificis Vicarius ibi degeret in ædibus Lateranensibus. Dum verò sub-
dit, in vigilia Natalis Domini eumdem Pontificem peruenisse Constantinopolim, ex di-
cendis è Procopio mendacij redarguitur. At hic finis esto rerum gestarum huius anni Vigi-
lij Romani Pontificis. Ceterùm annis singulis inchoatæ tragœdiæ Actus luctuosi inferen-
tur in scenam cunctis spectandi. Quæ verò reliquarum huius anni rerum gestarum narra-
tio supereſt, prosequamur.

Hoc eodem anno, cùm Auxanius Arelatensis Episcopus ex hac vita migrasset, in locum
eius subrogatus est Aurelianus, quem Vigilius suum decreuit esse Vicarium. Epistola au-
tem tunc ad eum scripta ab ipso Romano Pontifice sic se habet:

VIGILII PAP. EPIST. AD AVRELIAN. EPISC. ARELAT. Dilectissimo fratri Aureliano Vigilius.

Administrationem vicium nostrarum fraternitati vestræ animo libenti committimus, & D
credimus charitatis vestræ officio actibus Deo placitis diligenter vniuersa compleri, quan-
do & summi sacerdotij consortio vos dignos diuina esse gratia iudicauit, & glorioſiſſimi
Childeberti Francorum Regis Christiana & Deo placita in perhibēdo vobis testimonium
voluntas accessit. Quapropter vices nostras vestræ charitati hac auctoritate committimus,
vt vniuersa quæ decessorum nostrorum vel canonum statuta sanxerunt, Deo congruis ope-
ribus faciendo atque seruando, & nostrum & prædicti glorioſi Regis iudicium circa chari-
tatem tuam rectum fuisse possis ostendere. Sacrarum enim Scripturarum nos docet aucto-
ritas, quia Christus Deus & Dominus Saluator noster priùs vniuersa quæ bona sunt facere
* Act. 1. voluit, quàm docere: scriptum est enim [a]: Primum quidem sermonem feci de omnibus, ô
Theophile, quæ cœpit Iesus facere & docere, vsque in diem qua præcipiens Apostolis per
Spiritum sanctum, quos elegit, assumptus est. Item quid commonendo Timotheum Do- E
ctor Gentium dicat Apostolus, fraternitatem tuam semper ante oculos habere cōfidimus:
[b] 2. Tim. 2. ait enim [b]: Confortare in gratia, quæ est in Christo Iesu; & quæ audisti à me per multos
[c] Ibidem. testes, hæc commenda fidelibus hominibus, qui idonei erunt & alios docere. Et itē ipse [c]:
Solicitè cura te ipsum probabilem exhibere Domini operarium, inconfusibilem, rectè tra-
[d] Ibidem. ctantem verbum veritatis. Et iterum [d]: Labora sicut bonus miles Christi Iesu. Intellige
quæ dico: dabit enim tibi Dominus in omnibus intellectum.

Si quam ergo inter fratres diabolus humani generis hostis antiquus zizaniam semina-
uerit calliditate nequitiæ consuetæ, aut de aliquo sacerdote fraternitati tuæ, seruatis maio-
rum per omnia constitutis, fuerit querela deposita: adhibitis tibi fratribus & Coepiscopis
secundùm qualitatem negotij numero competenti, causam canonica & Apostolica ordi-
natione discutiens ea sententia definies, quæ & decessorum nostrorum conueniat statutis,
& Deo

A & Deo æquitatem in omnibus diligenti sit grata. Si quod verò de religione fidei (quod Deus auferat) fuerit certamen exortum, aut tale aliquod negotium fortassis emerserit, quod pro sui magnitudine ibidem nequeat definiri: veritate discussa, relationis serie distincta, ad nostram consultationem potiùs vt remittas hortamur: quia ita decessores vestros, qui decessorum nostrorum vices egisse monstrantur, fecisse, testimonium nostri declarat scrinij: quatenus ea dispositione seruata, Ecclesiæ vnitas stabili firmitate persistens pacis bono in omnibus perfruatur, cuius velut hereditarium munus Christus Deus & Saluator noster ad cælos, vnde numquam defuit, rediturus, discipulis suis legitur reliquisse, dicens[a]: Pacem * Ioan. 14.
meam do vobis, pacem meam relinquo vobis.

Et vt vniuersa fraternitas vestra diligenti possit ratione complere, Episcopis quibus pro vice nostra te præesse voluimus, nos præcepta destinasse signamus; vt & illi vobis obedien-
B tiam exhibere debeant competentem, & fraternitas tua eos in Christi charitate complectens, exemplis bonorum potiùs operum ad quæ sunt Deo placita facienda semper inuitet. Illud pari eis auctoritate signauimus, ne quis sine Formata tuæ fraternitatis ad longiora loca audeat proficisci: sed vt consuetudinem illam debeant custodire, quam constat semper nostræ sedis habuisse Vicarium, & à vobis Formatam postulent, si causarum suarum necessitate compulsi ad longiora itinera destinare disponunt. Sed ne in aliquo sedis nostræ Vicarius minor suis decessoribus videatur, necessarium fore credimus pallij vobis vsum, quemadmodum decessori vestro hactenus dederamus, præsenti auctoritate concedere: vt & morum, & omnium bonarum rerum vobis, beato Petro Apostolo suffragante, non desit ornatus.

Oportet ergo Charitatem vestram sacerdotali semper studio inter dominos filios nostros
C clementissimos Principes, & glorioßissimum virum, id est, filium nostrum Childebertum Regem gratiæ intactæ fœdera custodire. Scitis enim, nec vos conuenit ignorare, quòd necessariò prædicatis, quia Scriptura pronunciat, dicens[b]: Beati pedes euangelizantium pa- [b] Rom. 10.
cem, euangelizantium bona. Et hoc quoque vestrum facere desideramus affectum, vt glorioso viro filio nostro Patricio Belisario destinatis scriptis gratias referatis, qui homini vestro laborem ad clementissimum Principem abstulit transeundi, sed mox vt responsum recepit, nobis suis litteris indicauit. Dominus te incolumem custodiat, frater chariſſime. Data XI. Kal. Septembris. Quinquies post Consul. Basilij V.C.] Dedit & alias eodem argumento ad Galliarum Episcopos, quæ sic se habent:

Dilectissimis fratribus vniuersis Episcopis qui sub regno glorioßissimi filij nostri Childe- VIGIL. PAP. EPIST. AD GALLIAE EPISCOPOS.
berti Regis sunt per Gallias constituti, Vigilius.

D Admonet nos loci nostri ministerium diuina misericordia Domini collatum, Domini gratia protegente, nec legentis * euitando periculum, bonis potiùs palmam retributionis promissæ & studeamus & mereamur accipere. Vnde quantum nobis Christus Deus Dominus & Saluator noster primi Apostolorum locum pro ineffabili pietatis suæ gerere largitate concessit, tantum nos de vniuersarum pace Ecclesiarum, quę licet in multis, vna tamen est toto Orbe diffusa, incessante studio conuenit esse solicitos. Quippe quia nos sacrarum Scripturarum eloquia reddunt diligenter instructos, quòd cùm Moyses Dei famulus diuinis iussionibus obsecundans ad montem voluisset ascendere, loco sui Aaron & Hur legitur reliquisse, dicens[c]: Expectate hîc, donec reuertamur ad vos. Habetis Aaron & Hur vobis- [c] Exodi 24.
cum: si quid natum fuerit quæstionis, referetis ad eos. Ita enim inter sacerdotes Domini potest pax super omnia Deo placita custodiri, si fuerit qui vicium nostrarum auctoritate
E subnixus, personam nostram in Galliarum partibus præsentans secundùm consuetudinem à nostris decessoribus attributam sapientiam solicita indagatione custodiens, si quam humani generis hostis antiquus zizaniam inter Dei famulos nequitia consueta seminare tentauerit, sapientiæ suæ moderamine, adhibitis sibi fratribus & Coepiscopis nostris, iustitia Deo placita scandala orta submoueat.

Vnde quia dudum Auxanio quondam Arelatensis ciuitatis Antistiti vicium nostrarum solicitudinem dederamus, sed cursum vitæ præsentis implendo, de hac luce migrauit, in cuius loco Aurelianus frater noster noscitur succeßisse: necessarium valde credimus solicitudinem hanc à nobis antefato debere committi, confidentes illum & pro loci sui qualitate bonis actibus vniuersa quæ Deo placeant posse complere, & maximè cùm glorioßus filius noster Childebertus Rex testimonium bonæ conscientiæ pro Christiana suæ voluntatis deuotione perhibuit. Oportet ergo charitatem vestram ei in omnibus, quæ seruatis per

cuncta

cuncta canonibus salubriter secundùm nostrorum definita maiorum pro nostra auctoritate censuerit, præbere obedientiam competentem. A

Et quia omnino necesse est, vt pro diuersis confratribus, Deo iuuante, tractandis, statutis aptisq; temporibus Episcoporum Synodum debeat congregare: idcirco præsenti auctoritate censemus, vt nullus, vbi aut quando constituerit, se audeat excusare, excepta infirmitatis causa, quam humana non potest vitare fragilitas, aut certè quem dignæ excusationis ratio fecerit non venire. Omnibus nihilominus scientibus, quid Christus Dominus & Saluator noster pia institutione pronunciat, dicens[a]: Quia si duo ex vobis consenserint super terram, de omni re quamcumque petierint, fiet illis à Patre meo, qui in cælis est. Quemadmodum autem quis sibi quæ postulat credit posse concedi, si congregationis sanctæ conuentum, vbi Dominus præsentiam suam promisit modis omnibus affuturam, sine aliqua rectæ excusationis causa euitare crediderit? Sed sicut præfati sumus, si iusta causa illum ad B Synodum fecerit non venire, pro se aut presbyterum aut diaconum destinare non differat, quatenus quæ fuerunt constituta, per eos possit agnoscere, & definita complere. Pari auctoritate mandantes, vt nullus sine prædicti Formata ad longinquiora loca audeat proficisci: præsertim quia & decessorum nostrorum decessoribus eius, quibus vices suas commisisse præteritis temporibus releguntur, sic definiunt statuta: vt his omnibus obedientia Deo placita custoditis, pax Ecclesiarum stabili firmitate persistat, & sicut Doctor Gentium dicit Apostolus[b], Ecclesia Dei possit sine ruga & macula permanere. Dominus vos incolumes custodiat, fratres charissimi.]

[a] *Mat.* 18.

[b] *Ephes.* 5.

DOMNVS ANTIOCHENVS EPISC.

Hoc anno Ephræm Episcopus Antiochenus, cùm sedisset decem & octo annos, ex hac vita migrat; in cuius locum Domnus eius nominis secundus est subrogatus. hæc ex Nicephori Chronico. qui autem eum anno superiori diem obiisse putarunt; ex his quæ ipsum C egisse cùm Iustiniano Imperatore hoc anno vidimus, errare noscuntur. Idem dicendum de Petro Episcopo Hierosolymitano, quem non ante præsentem annum diem obiisse oportuit, licet anno superiori eum defunctum ponant: in cuius locum suffectum esse Macarium secundum huius nominis, tum Euagrius tum Nicephorus tradunt. Quæ autem huius Petri obitum præcesserint ante sex menses memoria digna, & prophetia de eius obitu, quæ & eius vitæ sanctitatem commendent, narratam à Sophronio[c] hic historiam attexamus: quam cùm à Sophronio petitam dicimus, ita quidem more maiorum citare consueuimus librum illum qui à Ioanne conscriptus ad Sophronium legitur: etenim apud Damascenum, necnon apud Septimæ Synodi acta Sophronij nomine citatus habetur. ait igitur auctor:

[c] *Sophron. Prat. Spirit. c.* 117.

DE ABBATE GEORGIO DIVINITVS TRANSLATO.

Narrauit nobis Abbatissa Damiana solitaria mater Abbatis Athenogenis Episcopi Pe- D trensis, dicens: Erat quidam Abbas in sancto monte Sina, nomine Georgius, miræ virtutis & abstinentiæ vir. Huic Abbati Georgio magno sabbati die in cellula sua venit desiderium faciendi sacrum diem Resurrectionis in sancta ciuitate, & sumere veneranda mysteria in sancta Christi Dei nostri Resurrectione. Per totum ergo diem senior huiusmodi cogitatione solicitabatur, & orabat. Cùm itaque serò factum esset, venit discipulus eius, dicēs ei: Iube, Pater, vt eamus ad synaxim. Senex autem respondit ei: Vade, & tempore sanctæ communionis veni ad me, & pergam. Mansit itaque senex in cellula. Cùm autem aduenisset tempus sanctæ communionis in sancta Resurrectione, inuentus est senex prope Archiepiscopum beatum Petrum, qui præbuit tum illi, tum presbyteris sanctam communionem. Videns igitur eum Patriarcha, dixit Mennæ assessori suo: Quando venit Abbas montis Sinai? Respondit ille: Per orationes vestras, domine, non vidi illum, nisi nunc solummodo. E Tunc ait Patriarcha: Dic illi vt non recedat: volo enim vt mecum sumat cibum. Ille verò profectus id dixit seni. Qui ait: Voluntas Dei fiat. Cùm ergo salutasset synaxes, adorato sancto monumento, inuentus est in cellula sua. Ecce discipulus eius pulsauit, & dixit: Pater veni vt communices. Senex verò profectus in ecclesiam cum discipulo suo, iterum sumpsit veneranda mysteria.

GEORGII ABBATIS EXCVSATIO ET PRAEDICTIO.

Petrus autem Archiepiscopus contristatus quòd illi inobediens fuisset, post solemnitatem misit ad Episcopum Phari Abbatem Photinum & ad Patres Sina, vt Abbatem ad se mitterent. Cùm ergo veniisset qui attulerat litteras, dedissetque illas; misit & senex tres presbyteros, Abbatem scilicet Stephanum Cappadocem magnum illum virum, cuius & suprà meminimus; & Abbatem Zosimum, cuius etiam superiùs mentionem fecimus; & Abbatem Dulcitium Romanum ad Patriarcham, purgauitque seipsum senior scribens ac dicens:

CHRISTI	VIGILII PAP.	IVSTINIANI IMP.	20.21.
546.547.	7.8.	TOTILÆ REG.	5.6.

A dicens : Absit à me,mi domine sanctissime, vt sanctum Angelum vestrum contempserim. Scripsit autem idem Georgius Abbas & hoc ad eum : Vt sciat beatitudo vestra, post sex menses Christo Domino & Deo nostro simul occursuri sumus, & illic adorabo vos. Egressi itaque presbyteri dederunt Patriarchæ litteras. Dixerunt tamen & hoc ei, quoniam senex multos annos habebat ex quo non venerat in Palæstinam. Ostendebant item & litteras Episcopi Phari simul contestantes, quòd ferme septuaginta annos habebat senex, ex quo de sancto monte Sina non exierat. Sanctus verò & mitissimus Petrus afferebat testes eos qui tunc affuerant, Episcopos & clericos, dicentes : Verè nos senem vidimus, & omnes osculo sancto illum salutauimus. Postquam igitur impleti sunt sex menses, requieuerunt in pace senex & Patriarcha, iuxta scilicet ipsius senis prophetiam.] hucusque ibi : quibus videas his innouata antiqua signa Habacuc & Philippi diaconi, qui in momento translati
B sunt è loco in locum. Voluntatem enim timentium se facit Dominus, & desiderium pauperum exaudit. Etenim cupienti seni vltimum suum Pascha agere Hierosolymis, id magno miraculo præstitit ei Deus diues in omnes qui inuocant illum, non senescens, vt virtute ex diuturnitate temporis minuatur,quo minùs præstare semper valeat,quod olim aliis concessisse legitur.

Qui autem in locum Petri suffectus est in sedem Hierosolymitanam Episcopus (vt dictum est) Macarius nomine, in suspicionem adductus est hæresis : adeò vt multi ab eius se cõmunione separarint, vt patet ex eodem Sophronio[a] : verùm id potiùs ex leuitate quàm veritate factum, ostendunt quæ ab eodem auctore narrantur inferiùs verbis istis[b] : Cùm alius hic fuisset senex genere Arabs, Iulianus nomine,captus oculis,ipse aliquando scandalizatus est in Macarium Archiepiscopum Hierosolymitanum, nolebatq; communicare il-
C li. Quadam ergo die Abbas Iulianus significauit Abbati Simeoni, qui erat in monte Mirabili,(distat autem à Theopoli mons ille milliaribus nouem) dicens : Cæcus sum,& quò abeam nescio : neque verò habeo qui possit auxiliari mihi, & communicare Macario detrecto. Indica mihi,Pater,quid agere habeam de fratre qui fornicatus est,& de illo qui se cum eo iuramento constrinxit. Respondit autem Abbas Simeon Abbati Iuliano,dicens: Ne recedas, neque te ipsum à sancta Ecclesia separes : neque enim illa malè habet gratiam Domini nostri Iesu Christi Filij Dei.] hæc de Macario ibi. In Vita[c] S. Gregorij Episcopi Agrigentini prolixa atque honesta pariter mentio fit de Macario isto, eidemque spiritus prophetiæ tribuitur : ab eoque ipsum Gregorium fuisse diaconum ordinatum, auctor affirmat. Fuit autem hic eius nominis secundus Hierosolymorum Episcopus : Senior enim Macarius vixit temporibus Constantini Magni Imperatoris.

DE MACARIO EPISC. HIEROSOL.

[a] *Sophron. Prat. Spirit. c.19.*

[b] *Idem c.96.*

[c] *Apud. Sur. die 23.Nou.*

D

IESV CHRISTI	VIGILII PAP.	IVSTINIANI IMP.	21.
ANNVS	ANNVS	TOTILÆ REG.	6.
547.	8.		

QVI sequitur post Basilij Consulatum annus sextus, idem numeratur Domini quingentesimus quadragesimus septimus, qui & à Procopio ponitur belli Gothici annus duodecimus : quo cùm obsessa anno superiori Roma à Totila, graui premeretur inedia, ad eam leuandam incubuit opera Pelagij diaconi sanctæ Romanæ Ecclesiæ : cuius res gestas cum Totila hoc ipso anno duodecimo belli Gothici,simul & cladē Vrbis sic idem describit
E Procopius[d] : Erat (inquit) tunc fortè inter Romanos & sacros viros Pelagius quidam diaconus, qui diu Byzantij commoratus,maximam sibi cum Imperatore cõciliauerat amicitiam. Vnde & pecuniarum vi maxima circũfultus, Romam se paulo antè quàm obsideretur contulerat. In eaq; deinde obsidione necessariis indigentibus eius pecuniæ partem largiter impartitus,cùm vel antehac esset inter Italos omnes vir probus, maiorem (vti par erat) charitatis & in proximos quosq; beneuolentiæ gloriam retulit. Hunc igitur, cùm præ fame indigna quædem Romani & difficillima paterentur, facile suadent, conuentum vt Totilam precaretur,paucorum sibi dierum inducias his conditionibus daret: vt si intra constitutum inter se tempus nemo sibi suppetias ex Byzantio venerit, sine mora, se ipsi Vrbemque barbaris proderent. His cùm mandatis vbi ad Totilam Pelagius venit, & ab eo est perbenignè susceptus, prior Totilas sic exorsus est:

[d] *Procop. de bello Goth. lib.3.*

LEGATIO PELAGII DIACONI AD TOTILAM.

Constat sanè apud barbaros omnes, id lege cautum esse,oratores vt hi plurimum colant

TOTILAE AD PELAGIVM DIAC. ORATIO.

& reuereantur. Mihi verò, qui virtutis sibi aliquid compararunt, qualis es tu, honorem de- A
ferre simul & reuerentiam iampridem studium fuit. Sed oratoribus delatos honores, siue
illatam his ignominiam, non personarum mansuetudine, siue verborum tumiditate & ele-
gantia decerni reor: sed cùm vera quædam fatentur, vel non sanis admodum verbis vtun-
tur. Oratori illi itaque honor deferri maximè solet, qui veritate mox patefacta, ad suos di-
mittitur: sed is ignominia præ ceteris affici, qui vbi commentitia quædam & subdola fe-
cerit verba, ad suos mox redeat. Cetera quidem, Pelagi, quæ à nobis petieris, facilè con-
sequeris, tribus dumtaxat exceptis; & vbi hæc caueris, vt planè subiicias magis expediet:
ne fortè maximam ipse causam præbeas, quo minùs eorum vel peragas, quorum ob gra-
tiam huc aduenisti, vel nos fortè ex re infecta incuses. Petere namque quæ præsentibus
haudquaquam rebus conueniant, plurimùm proculdubio facit, nemo pro votis vt quip-
piam consequatur. B

His autem sic interdico, ne quoquam pacto pro Siculis, vel Vrbis mœnibus hisce, vel
transfugis seruis verba nunc facias: quandoquidem fieri non potest, vt aut Gothorum opera
vti pro Siculis queas, aut murus vt iste Vrbis integer maneat; vel serui ipsi qui nobiscũ nunc
militant, suis quondam de cetero dominis seruiant. Verùm ne videantur hæc inconsiderata
quadam per nos prætendi sententia; & causas ipsas explicaturi mox sumus. Fuit olim Sici-
lia insula & priscis quidem temporibus pecuniarum vt felix prouentu, ita & cuiusuis gene-
ris frugum in ea nascentium ceteris terris fœcunditate præstantior; atque vt non solùm hæc
incolis suppetant, sed vel vobis Romanis itidem ad vitam sint necessaria per annos singulos
exportantibus satis. Vnde tunc primùm Romani Theodoricum deprecabantur, ne ea in
insula maius aliquod Gothorum præsidium collocaret, ne ea res fortè ad ceteras prosperi-
tates eorum libertatem interpellaret. His ita peractis, hostium exercitus in Siciliam naui- C
gauit, qui ferme nec hominum multitudine, nec re alia vlla nobis essent in bello pares. Si-
culi verò, visa hostium classe, non ad Gothos quicquam denunciare; nec se continere mu-
nitionibus; nec hostibus saltem censere vtcumque occursandum tunc esse, sed promptissi-
mè patefactis tunc vrbium portis, supinis hostium exercitum manibus exceperunt; & haud
secus egere, ac infidissima seruitia solent, quæ diutiùs in carcere asseruata, dum dominorum
volunt manus effugere; in nouos quosdam & alienigenas statim incidunt. Ea itaque ex insu-
la hostes, vt è loco munito impetu facto, omni Italiæ ora sine vllo potiti negotio sunt: quin-
etiam vel vrbem hanc Romam capere, ac tantum inde frumenti numerum importarunt,
vt vel obsessi in anni spatium queant Romanis obsistere. De Siculis hactenus, quibus per
Gothos vt venia detur, fieri nullo modo iam poterit, criminum magnitudine misericor-
diam ab his adimente qui affecti iniuria sunt. D

Nunc verò intra hos muros hostes se exercendo, in campum quidem descendere, & no-
biscum acie decertare minimè censent: dolis verò & deceptiunculis continenter & per sin-
gulos dies nos oppugnando, iniustè quidem nostris his rebus & planè absurdiùs nũc potiun-
tur. Ne itaque iteratò hæc eadem patiamur, prouidendum iam ducimus. Qui enim præ
ignorantia semel circumuenti falluntur, si rursus in infortunium recidant, quia minùs peri-
clitando præuideant consuetam sibi calamitatem, haudquaquam ex aduersante fortuna id
fieri videbitur, sed quia se deliquisse planè ignorent: vel illud quidem adiecerit quispiam, &
vobis omnibus maximè profuturum, vt Vrbis hæc mœnia solo æquentur; ne cum aliis &
ipsi demum coerciti, vel ab insultantibus hostibus circumuallati, sed malis excluſi alieno
periculo, nec vllo vestro discrimine victoribus futuri sitis in præmium. De seruis verò, qui
vltrò ad nos concesserunt, dicturi hæc sumus: Si enim qui nobiscum fuere in hostem instru- E
cti, & à nobis deinde fidem nostram ex confessione acceperunt, ne se vmquam veteribus do-
minis vtcumque restituamus, vestras in manus dedendos esse nunc censuerimus: profectò
nec vobis quidem traditam fidem seruaturi quandoque essemus. Non enim qui vel cùm
omnium miserrimus pactiones factas neglexerit, erga alium quempiam firmiorem præse-
ferre animum quiuerit: quin potiùs veluti absurdioris naturæ indicium, ad ònmes qui se-
cum versantur, circumferre perfidiam videtur. Hæc Totilas.

PELAGII DIAC. AD TOTILAM RESPONSIO.

Pelagius verò ita respondit: Summum tibi, vir strenue, in dicendo studium fuit, me si-
mul & oratoris nomen extollere, etsi aliàs in sordidissima statuisti nos sorte. Virum nam-
que amicum & oratorem non solùm eum affeciſse contumelia duxerim, qui vel caput illi
percusserit, vel alio quouis in hunc desæuiat modo, sed vel qui re infecta dimiserit ad se de-
legatum. Non enim homines oratoris munere idcirco funguntur, vt honorem ab his con-
sequan-

A sequantur, qui susceperuri se sint, sed quod vsui Reipublicæ in posterum sit peragendo, ad eos qui se legauerint, mox redeant. Sic igitur velut affectis iniuria longè magis conducat eorum aliquid effeciſſe, quorum ob causàm venerint, quàm Principum verbis benignioribus auditis, nihil pro spe consecutos ad suos redire. Deprecor autem, haudquaquam sat scirem, quæcumque præfatus nunc es. Cur enim quisquam ei molestum se præbeat, qui antequam postulatis respondeat, conuentiones facturum se neget? Sed illud quidem minimè subticebo, quod præ te facilè feras, quantum erga Romanos, qui in te arma susceperint, ostensurus benignitatis & beneuolentiæ sis, qui in Siculos nil tibi aduersatos immortale quoddam decernas effundere odium. Sed ipse, mea ad te omissa legatione, ad Deum hanc transferam, qui supplicum contemptores odisse solet. His Pelagius dictis, abscessit.

Quem Romani vbi re infecta ad se redeuntem videre, eo acriùs animo conflictari, quo QVAE RO-
B & fames quotidie inualescendo, insanabiliter eos afficeret. Militibus verò nondum necessa- MANI AD
ria deerant, sed se adhuc sustinebant. Vnde Romani Græcis immixti, exercituum Præfectos DVCES.
Bessam & Cononem adeuntes, lacrymabundi & multo cũ gemitu profati huiusmodi sunt: Talem vobis præsentem esse fortunam spectamus, vt si vel impium aliquod aduersum vos facinus patrassemus, haudquaquam posset id meritò nobis in crimen ascribi: necessitatis siquidem magnitudo excusationis in se plurimum habet. Nunc verò cùm nobis ipsis ad opitulandum nil quicquam sit virium, verbis ostensuri calamitatem ipsam, hanc deploratum nunc ad vos venimus. Sed benignè quæ dicturi nos sumus audiatis, precamur; nec vlla dicendi audacia obturbari vos volumus, sed malorum ex ea pensitare nunc magnitudinem. Nam qui de salute cogitur desperare, nec opere quidem nec verbis decorum seruare de cetero poterit. Nos verò, ô Principes, nec Romanos quidem, nec vobis consanguineos ducitis,
C nec eorumdem vel morum vel legum socios esse, sed perinde rebelles, & qui Imperatoris non vltrò intra Vrbem exercitum exceperimus, sed hostes potiùs ipsos, in vos armis desumptis. Nunc verò veluti acie victis, captisq; bello, vobis in seruitutem ex lege cedentibus, date vestris mancipiis alimenta, non ad necessitudinem suffectura, sed quæ ad tenuem saltem vitam ducendam sint satis: vt & nos superstites facti, vobis cõtra subministremus, quæcumque dominis serui par est vt ministrent. Quod si id vobis non facilè placet, sed dignum duxeritis sine vlla ope missos nos facere; id lucri estis denique habituri, quòd in seruorum nihil operæ insudabitis sepulturam. Et si ne id quidem de vobis sperandum relinquitur, saltem nos obtruncate, nec morte honesta nunc fraudetis, nec vitæ exitum nobis inuideatis omnium proculdubio suauissimum, sed vno facinore infinitis Romanos liberate difficultatibus.] hactenus ad Præfectos militum Romani. pergit verò Procopius:

D Præfecti itaque, his auditis, commeatus Romanis quos tribuant, nullos in præsentia esse DIRA FA-
respondent: ipsos verò necare, impium ducere, nec planè sine discrimine fore, si sic relin- MES VRGET
quuntur: Belisarium tamen & ex Byzantio transmissos exercitus identidem affirmare affu- ROMANOS.
turos propediem esse. Denique his verbis Romanos solati dimittunt. Fames interea inualescendo in immensum cùm accreuisset, maximum in malum euasit, vt quæ ciborum absurdiora quædam suggereret genera & naturæ excedentia terminos. Sed Bessas, Cononque vt Vrbis Præfecti custodiæ frumenti maximum numerum intra mœnia sibi reconditum, sua necessitate militibus fraudatis, Romanorum primoribus & his quidem diuitibus ingenti pecunia venditabant: medimni siquidem (quod vtique mensuræ est genus) aurei septem pretium erat. Sed quibus non erant tantæ domesticæ facultates, cibos tam delicatos vt possent & tanti opulentiorum more absumere, eius pretij parte quarta depensa; furfure
E medimnum complentes, pane inde sordidiore confecto diuescebantur, id cibi genus necessitate ipsa suauissimum faciente.

Bessas porrò & eius armigeri, qui bouem haberent venalem, aureis quinquaginta vende- MISERRI-
bant. Ex Romanis verò cui vel equus fortè obiisset, vel istiusmodi aliquid demortuum erat MVS STATVS
& putidum, inter felicissimos habebatur, quia mortui animalis carnibus vesci posset. Cete- ROMANO-
ra hominum turba vrticas dumtaxat edebat, quales circa Vrbis pomœrium & locis inculRVM.
tioribus passim & affatim nascuntur: quas tamen decoctas, ne vel sapore vel innatis offenderentur aculeis, esitabat. Quamdiu itaque fuit Romanis nummus, frumentum (vt dictum est) & furfures comedebãt: verùm vbi demum is defuit, domesticam supellectilem omnem in forum inferre, & pro diurno hanc victu in eorum commutare iacturam: sed vbi fumenti militibus nihil reliquum fuit quod impertiri Romanis possent, ad vrticas vniuersi iam circumspicere. quibus deficientibus, cùm earũ non magna his copia esset, atq; adeò ad saturi-

tatem non omnes haberent, corpore extenuari denique cœperunt; colorque cùm in pallo- A
rem se paulatim & liuorem conuertisset, similimi idolis videbantur: plerique verò vel in-
cedentes, vel dentibus adhuc ipsis vrticas mandentibus, de improuiso exanimati cadebant.

QVOVSQVE MISEROS FAMES ADEGIT.

Iamque vel purgamentis in cibum & stercoribus vtebantur: nonnulli etiam fame nimia prægrauati manus sibimet inferebant, cùm nec canes quidem, nec mures decetero inuenirent, nec aliud vsquam demortuum animal, quibus vti in cibum possent. Erat inter ceteros Romanos vir quidam liberorum quinque factus iam pater: hunc filij omnes circumsistebant, prehensandoq; vt assolent, cibum sibi efflagitabant. Tum ille nec ingemiscens quidem, nec vllo edito perturbationis indicio, sed fortissimè dolore dissimulato, filios iussit se subsequi, & cibum mox accepturos. Vbi verò supra Tiberis pontem peruenit, capite obuoluto, velatisque oculis, in Tiberis aquas confestim exiliuit, spectantibus filiis, Romanisque ceteris qui ea tunc fortè è regione constiterant.] hæc de fame. Ad postremum verò cùm B
copiæ missæ Constantinopoli ab Imperatore variis in via bellis detentæ & à Gothis interea profligatæ essent: milites Romæ degentes obsessi, clàm prodendi Vrbem Gothis consilium iniere. hi fuerunt Isauri, de quibus ista Procopius[a]:

[a] *Procop. de bello Goth. lib. 3.*

ISAVRORVM PRODITIO.

Cùm itaque perpauci (vt diximus) admodum ad murorum custodiam relinquerentur, & hi quidem iam fame confecti: quaterni custodes quidam & Isauri genere ad portam Asinariam custodias nacti, nocte concubia obseruata, qua ceteros somnus oppresserat, demissa è pinnis ad terram reste, & ea se demittentes, Totila inde adito, excepturos se Gothorum intra vrbem exercitum pollicentur, idque se nullo negotio facturos affirmant. Tum Totilas gratias illis se redditurum ingentes professus, pecuniaque donaturum non parua, si ea quæ obtulissent, peragerent: datos quosdam suis è satellitibus cum his statim dimittit, locum contemplaturos, vnde hi aditum affirmassent suis in Vrbem fore. Qui vbi ad muros C
venere, reste comprehensa, in propugnacula ipsa, nullo interpellante, euadunt. Quò vbi est ventum, Isauri barbaris omnia ostentare, & nihil omnino edicere impedimenti vspiam fore volentibus muros conscendere, & item licentiæ plurimum, vbi iam conscendissent, quia nemo obsisteret. Proinde Gothi iussi Totilæ cuncta renunciare quæ viderant, eodem quo priùs ascenderant fune, protinus demittuntur.

ISAVRI TERTIO VOCANT IN VRBEM TOTILAM.

Quorum relatu omnibus Totilas cognitis, etsi eo fuisset ex nuncio lætitia non mediocri affectus, suspicione tamen propter Isauros captus, haud dum confidendum his nimium esse censebat. Non multos inde post dies ad Totilam Isauri iidem venere ad id facinus hortaturi: Tum ille alios duos cum his rursum ire mox iussit, vt & ipsi diligentiùs omnibus & accuratè peruestigatis, visa renunciarent. Qui vtique non longè post ad Totilam reuertentes, priorum simillima referant omnia. Interea verò Romani milites multi exploratum quid D
hostes agerent missi, non procul ab Vrbe Gothis decem occurrunt iter eà habentibus: quos statim comprehensos ad Bessam deducunt. Sciscitantique Bessæ, quidnam Totilas animo agitaret: Gothi respondent, eum sperare Isauros quosdam eius in potestatem Vrbem daturos: iam enim ad barbaros vt certior rumor is emanarat. Sed nihilominus Bessas & Conon Vrbis tunc Præsides, his auditis, negligenter se (vt cœperant) gerere, nec aliquam tantę rei rationem habere. Vnde factum, vt tertiò demum Isauri Totilæ cùm in conspectum veniissent, ad aggrediendum id facinus incitarent. Tum ille alios quosdam cum Isauris mittit, cum hisque & sanguine quemdam sibi propinquiorem. Hi verò ad Totilam paulo pòst redeuntes, ad rem peragendam confirmant.

TOTILAS POTITVR VRBE.

Qui omnium certior factus, primis tenebris, vniuerso armis instructo exercitu, ad portam asinariam duxit, quaternosque inde è Gothis præualidos viros, Isauris ducibus, per fu- E
nem iubet in muros euadere. Qui nocte statim eadem qua & Isauris ipsis obuenerat per vices custodia, dormientibus ceteris, ad fores Asinarias aperiendas descendunt, præcisaq; lignea securibus obice, refractisq; ferreis claustris, Gothis aditum patefaciunt, & patentibus portis cum vniuerso exercitu Totilam intra Vrbem ad hostium arbitrium recipiunt. Sed ipse vbi intro est itum, vnum in locum copias omnes coëgit, nec abire diuersim permisit, hostium insidias veritus. Verùm vbi (vti par erat) tumultuatum, & perturbatio inde & timor, vt in capta Vrbe, Romanos inuaserant; militum Romanorum pars maxima cum Ducibus ipsis, vt facile cuique, fugam capessunt. Pauci quidam Romanis cum ciuibus se immiscentes, in templo perfugium habuere. Soli omniú ex Patriciis viris Decius & Basilius cum aliis nonnullis, cùm præparatos ad id equos haberent, cum Bessa fugere potuerunt. Sed Maximus Olybriusque & cum his simul Orestes & alij quidam in Petri Apostoli ædem se

fuga

A fuga recipiunt. Constat sanè è plebe tunc homines ad quingẽtos in Vrbe resides per id tempus fuisse, qui in diuorum se templa receperant: ceteri omnes iam ex Vrbe excesserant, & in alias se contulerant terras, vel (vt suprà iam diximus) lue absumpti perierant.

Multi interea & noctu quidem de Bessa & hostium discessione Totilam fecerant certiorem: quo affirmante pergratam illos sibi rem nunciare, neminem tamen suorum fugientium insistere vestigiis siuit: nihil esse homini suauius dictitando, quàm terga sibi vt hostes darent. Verùm vbi primùm illuxit, nec vlla ad insidias relinquebatur suspicio, Totilas ipse orandi gratia Petri Apostoli templum ingreditur; sed Gothi interea quos obuios habent, obtruncant. Vnde hoc pacto ex militibus quidem desiderati viginti dumtaxat sunt, sexaginta è plebe homines. Ineunti itaque id Totilæ templum, Pelagius ipse sese obuiam offert, Christi in manibus Euangelia gestans, supplexque omnibus factus, & genu procum-
B bens: Parce, inquit, ô Princeps, tuis. Tum ille arridẽs, & sanè profusius, ita profatus est: Nunc mihi supplicaturus aduenisti, Pelagi? Ita quidem, respondit, quandoquidem tuum me seruum effecit Deus. Sed ab his iam abstine manus, qui tibi in seruitutem cessere. His itaque victus precibus Totilas, Gothis militibus edicto mox imperat, Romanorum de cetero vt neminem obtruncarent, & ei in primis pretiosissima quæque delecta seruarent, cetera sibi haberent in prædam. quàm multa in Patriciorum ædibus inuenta fuere, sed omnium maxima extitere quæ Bessas reliquerat, vt qui velut omnium perditissimus homo infaustum illud diuenditi frumenti pretium Totilæ ad ceteram prædam accumulasset. Sic itaque cum Romanis & Patricijs viris tunc actum.

TOTILÆ ERGA ROMANOS BENIGNITAS.

Vnde vel Rusticianæ Boëtij quondam vxori & Symmachi filiæ id reliquum fuit ad vi-
C tam & miseriarum ad cumulum, vt ab hostibus panem vel necessarium aliud quicquam emendicando deposceret, quæ facultates antehac suas egentibus impertisset, & seruilibus ipsa rusticanisque indumentis amiciretur. Haud secus & Romanorum primores, amissis prorsus fortunæ bonis, domos circumeundo, foresque oppulsando, cibum dari sibi suppliciter precabantur, nil prorsus his ignominiæ ea re afferente. Sed Gothi in Rusticianæ mortem iam conspirauerant, eius hanc noxæ insimulantes, quod tradita Romani exercitus Ducibus non parua pecunia, Theodorici statuas disturbasset, in Symmachi patris virique vindictam. Totilas tamen nulla hanc affici iactura permisit, sed eam ac ceteras feminas omnes, vt extra iniuriam essent, seruauit, vel Gothis has sibi maximè cupientibus coniugio iungi. quocirca factum vt nulla ex his sit per barbaros vitiata; qua ille ex re maximam retulit continentiæ laudem.]

DE RVSTICIANAE CALAMITATE.

Quod autem ad Rusticianam pertinet, de qua agit, Symmachi filiam, vxoremq; Boetij
D plures eius nominis eiusdemq; generis reperiri est feminas: prima illa habetur vxor Symmachi Senioris, quam viro suo doctissimo tenuisse candelam & candelabrum, Sidonius scribens[a] ad Hesperium tradit: alia verò, de qua est sermo, Symmachi Iunioris filia, coniuxque Boetij: rursum etiam alia Rusticiana, quæ ex Vrbe migrauit Constantinopolim, clarissima femina, ad quã extant complures S. Gregorij Papæ epistolæ datæ, cùm Pontifex esset; vnde diuersam ab hac ipsam existimare licet: etenim quæ ætate senescens erat cùm occisus est vir eius à Theodorico anno Domini quingẽtesimo vigesimosexto, vt peruenerit ad annum Domini sexcentesimum quando ad illam scribebat Gregorius, nequaquam persuaderi facilè potest, fuisse tamen eiusdẽ familiæ, ex epistola ipsa Gregorij[b] ad eã scripta sub Indictione quarta, facilè quis intelliget. Sed ad res Totilæ redeamus, de quo ista Procopius subdit:

RVSTICIANAE PLVRES.

[a] *Sidon. lib. 2. epist. 10.*

[b] *Greg. lib. 9. epist. 37.*

Postero autem die Gothis omnibus Totilas ad se conuocatis, verba huiusmodi fecit:
E Non equidem nouum aliquod vel vobis incognitum monendi genus in præsenti facturus, ô viri commilitones, huc vos conuocaui, sed eadem illa vel nunc disserturus, quæ apud vos antehac sæpe disserui. Vobiscum verò, qui ea ex me accepistis, actum quàm optimè est. Non igitur ita commonefactis in segnitiem est relabendum: nam & verborum, quæ ad felicitatem traducunt, nulla esse mortalibus satietas debet, vel si quos fortè inscitia opprimat rationis: quandoquidem eorum nullo sunt pacto, quæ probè dicuntur, beneficia respuenda. Quorsum hæc? Fuere quondam & Gothis militum millia centum bellicosissimorum in vnum tunc coeuntium, qui vtique maximum in modum ad gloriam opibus vtebantur: & equorùm armorumque summa his copia suppetebat, veteranorum præterea & prudentissimorum vis ingens, qui sanè ipsis in certaminibus constituti nostris rebus conducere plurimùm videbantur; & alioqui à Græcorum militum millibus septem hi omnes deuicti, Imperio primùm fuere, deinde & ceteris rebus priuati.

TOTILAE AD SVOS ORATIO PARENETICA.

CAVSA RVINAE GOTHOR.

Nunc verò nos qui reliqui sumus, & tanta præsertim paucitate, nudi quidem & planè ca- A
lamitosi & ignauissimi omnium, hostium vltra viginti millia vicimus; & summatim vt di-
cam, quæ gesta fuere, eiusmodi sunt, vt credi vix possint. Causas verò cur hæc ita nobis con-
tigerint, statim aperiam. Gothi tunc prmùm præ ceteris omnibus æquitate posthabita, vt
inter se inuicem, ita & in Romanos tunc subditos indigna quædam patrabant: quibus (vti
par erat) permotus & ira succensus Deus, pro hostibus & contra nos depugnabat. Quo
factum, vt etsi multitudine ac virtute, ceteroq; belli apparatu hostibus essemus maximo in-
teruallo superiores, vi quadam tamen occultiore ac planè diuina deuicti nos simus. Vestra
itaque interesse iam reor, quæ rectiora sunt vt seruetis, id est, vt æquitatē de cetero tueamini:
nam hanc peruertentibus vobis, vel diuina quidem subsidia infestiora mox erunt. Non
enim Deus sine vllo delectu vel temere humano generi, vel priuatæ cuiquam rationi ferre
præsidium consueuit; sed his quàm maximè fauet, apud quos æquitatis ratio habeatur: B
& illi quidē haudquaquam difficile est ad alios bona transferre, vt qui rerum omnium ha-
beat potestatem. Illud itaque vobis perneceſſariū fore asseuerauerim, iustitiam vt inuicem
CVR INFI-DELES AD VERSVS FI-DELES ALI-QVANDO PRAEVA-LEANT. & in subditos quosque seruetis, hoc est, vt perpetuam vobis adipiscamini felicitatem.]
Ita quidem Totilas apud suos egregiè philosophatus, ex iustitiæ cultu à Deo rependi vi-
ctoriam docuit. Quod adeò verum est, vt etiam si à parte aduersa stet pietas veraq; religio,
nihil ob id erga illos propensior sit diuina clementia, si peccata reliqua adsint; immo ma-
gis in eos vindictam exerceat, qui cùm confiteantur se nosse Deum, factis tamen negant,
deterioraque infidelibus scelera patrant. In quam sententiam Apostolus [a], præco cælestis
edicti, ista proclamat: Ira & indignatio omni animæ operanti malum, Iudæo primùm &
[b] Luc. 12. Græco.] quid Iudæo primùm & Græco, nisi quòd priùs ad supplicium aduocatur, qui
acriùs deliquisse noscatur? Sed & sententia domini [b] grauioris est culpæ reus qui scit volun- C
tatem Domini & non facit, vtpote qui multis præ alijs sit afficiendus plagis. Adeò vt ex
his cogatur Deus (si ita dicere licet) aduersus nequissimos Christianos fauere Gentilibus,
& ad plectenda Catholicorum facinora interdum propitio vultu ad castra respicere Ethni-
corum, & iis vti ad puniendos illos nefandorum criminum reos: quod in Propheta con-
[c] Isai. 10. testatus esse videtur, vbi ait [c]: Virga furoris mei Assur] nempe ad infligenda Iudæis ver-
bera, quorum promissiones, adoptio, legislatio, & vera religio erat: vt ad corrigendos im-
probos filios alioqui dilectos, cogatur adhibere sibi odibiles seruos, iuxta quod ingemiscat
[d] Isai. 1. amans Pater, & dicat [d]: Heu, consolabor super hostibus meis.] Sed ad Totilam reuerta-
mur, de quo subiicit ista Procopius:

QVAE AD SENATO-RES QVE-RELAE TOTILAE. Totilas cùm apud Gothos disseruisset, Senatorij ordinis ex Vrbe viris ad se postmodum
conuocatis pleraque exprobrando, indignandoque obiicere, & illud in primis, quod per D
Theodoricum quàm multis affecti sint beneficijs, quodque in omnibus semper constituti
vrbanis sint per eum antehac magistratibus, & Rempublicam ipsi eius permissu admini-
strauerint, & ingentibus præterea fuerint muniti diuitijs: & alioquin in beneficos Gothos
ingratissimos se præstitissent, in quorum iacturam ad defectionem respexerint, ac Græculos
simul inuexerint in patriam homines, suimet proditores tam subitò indecenterque facti.
Scisciatari deinde, num ipsi à Gothis mali iam essent quicquam perpessi; effariq; mox coge-
re, num boni adhuc quippiam sibi à Iustiniano obuenerit: & singula deinceps enumerare:
quemadmodum omnibus ferè magistratibus sint per eum priuati: quod ab exactoribus sæpe
antehac vapulauerint: quòd demum coacti sint animū ad ea intendere, quæ aduersus Go-
thos gessissent, belloque pressi publica non minùs tributa Græcis dependere, ac si pacifici
essent: & alia pleraque his dictis adiecit, quæ domini solent infensiores subditis exprobra- E
re.] & fortasse illa non tacuit, quæ primùm omnium fuerant inculcanda, nimirum sub
Catholico ipsorum Imperatore adeò ignominiosè habitum Romanum Pontificem Silue-
rium, vt ab Vrbe sub falso prætextu quod Gothis faueret, ignominiosè auulsus, fuerit de-
portatus in Græciam, atque relegatus tandem in insulam, illic fame confici perireq; coactus
sit; quodque nihil magis curæ Græcis esset, quàm primam sedem deprimere, cui se subesse
molestissimè ferrent. Sed quæ de Pelagio Romanæ Ecclesiæ diacono, cuius nuper mentio
facta est, his addat Procopius, videamus: ait enim:

PELAGIVS ROGAT PRO CAP-TIVIS. Pelagius verò pro viris sontibus ita & infelicibus supplex Totilæ factus, non prius preca-
ri hunc desiit, quàm ille clementiorem in omnes se fore pollicitus, Romanos dimisit. His ita
peractis, Pelagium Totilas & ex Vrbis rectoribus præcipuum vnum Theodorum nomine
ad Iustinianum Imperatorem legauit, arctiùs iureiurando adactos, suas vt partes amicè ac
beneuolè

A be neuolè tuerentur, & in Italiam reditum accelerarent. His deinde iniunxit, totis vt viribus niterentur pacem sibi cum Imperatore & amicitiam conciliare: ne postmodum cogeretur, si pace infecta redirent, Romam ad solum diruere, interfecti sq; Patricijs viris, in Illyrios bellum transferre. litterasque Iustiniano conscripsit] quæ sic se habent:

Quæ in vrbe Roma ad hanc diem contigerint, cùm te fuisse edoctum iam putem, silentio prætereunda videntur. Ea verò, quorum de causa ad te oratores hos miserim, statim intelliges. Bona pacis tute vt deligas, nobisque tradas, in primis deposcimus. Quorum ipsi monumenta quàm optima & simul exempla Anastasium & Theodoricum habemus, qui paulo antè regnarunt, paceque & ceteris bonis sua tempora compleuere. Si igitur hæc tibi placita erunt, meritò meus pater vocabere, & belli nos socios in quoscumque libitum fuerit, habebis] hæc Totilas ad Iustinianum Augustum. subdit verò Procopius:

B His cognitis Imperator mandatis, & oratoribus auditis, hos statim responso dato dimisit; Totilæque rescripsit, Belisarium se bellicis rebus præfeciſſe, & liberã habere hunc potestatem, quæ ad Totilam pertinent pertractãdi.] His exacerbatus Totilas, cùm ab oblata pace se videret excludi, in Lucania accepta interim clade, quomodo Vrbẽ delere penitus meditatus sit, Procopius ita narrat: Quibus cognitis Totilas rebus, Romam in primis ad solum prosternere decernit, & maiore exercitus parte ibidem relicta, cum reliqua aduersus Ioannem in Lucanos contendere. Sed muri tantum & diuersis in locis hic diruit, quantum totius partem esse hanc tertiam coniectura quis consequi poterat.] adhuc est visere eiusmodi Totilæ ruinam in mœnijs à Belisario fabricatis diuersis in locis solo prostratis, sed postea opere subitaneo haud eadem pulchritudine hoc anno à Belisario restitutis. Sed pergit Procopius: Pulchriora præterea, magnificentioraque absumere incendio ædificia animo inerat,

C & vrbem Romam in ouium pascua idoneam reddere. Quibus de rebus Belisarius certior factus, nuncios simul & litteras ad Totilam misit. Qui vbi illi in conspectum venere, & sui aduentus causam explicarunt, litteras reddidere in hanc sententiam scriptas:

TOTILAE EPISTOLA AD IVSTINIANVM.

TOTILAS MVRIS ALIQVA EX PARTE SPOLIAT VRBEM.

Ad vrbium ornamenta, ædificia, quæ antea nulla fuissent, construere, sapientum ferme virorum inuentiones fuere & ciuiliter viuere percallentium: Quæ verò ad pulchritudinem extant, delere, insipientium proculdubio est, & quos minimè pudeat in suæ malignioris naturæ argumentum monumenta posteritati relinquere. Roma quidem ciuitatum omniũ quæ sub Sole nunc sunt maxima & magnificentissima esse facilè affirmatur: non enim est viri vnius virtute constructa, nec breui quodam temporum spatio in tantam hæc magnitudinem & decorem euasit: sed Imperatorũ multitudo & maximi summorum virorum cœtus, temporis diuturnitas ipsa, diuitiarumque & potentiæ magnitudo, vt cetera omnia,

D ita ex vniuerso terrarum orbe cogere hunc in locum opifices potuere; qui Vrbem hanc talem tantamque paulatim ædificando, omnium monumenta virtutum posteris proderent. Fit itaque, vt his illata vis iure appareat totius sæculi sempiternam mortalibus ad iniuriam cedens: quandoquidem progenitoribus ipsis virtutis memoria demeretur, posteris verò operum tantorum spectaculum.

LITTERAE BELISARII AD TOTIL. PRO VRBE SERVANDA.

His itaque se ita habentibus, rectè velim intelligas, è duobus alterum necessarium fore: aut enim hoc bello victus ipse succumbes: aut, si ita fortè contigerit, nos superabis. Quòd si viceris & Romam demolieris, non alterius Vrbem sed tuam delebis: quam si seruaueris, ex possessione ceterarum omnium præstantissima opulentior fies. Sin verò ad tuam deteriorem fortunam res nobis successerint: Roma incolumi seruata, gratia tibi apud victorem conciliabitur & non mediocris: qua per te tum fortè deleta, nullus tibi de cetero relinque-

E tur ad humanitatem consequendam & clementiam locus: nec facti vllus erit apud te vsus, & existimationem apud omnes homines ipso facto dignam mereberis: nam qualia Principum opera fuerint, tale necesse est ex ijs etiam nomen ferant.] hactenus Belisarij ad Totilam litteræ: Quibus (inquit Procopius) Totilas sæpe perlectis, & vt bene monentibus magni factis, suasus denium, Vrbem inoffensam seruauit & integram, deq; eius in hanc voluntate certiorem per oratores Belisarium fecit.]

DILEMMATE PERSVADET.

Sed quis anni huius rerum Vrbis finis? Cùm igitur eo consilio vsus esset, vt mœnium parte eam Totilas spoliaret, ne vniuersũ exercitum cogeretur ad præsidium Vrbis relinquere, si eam defendere vellet, sicq; destituta remanerent quæ in Italia præsidia expugnasset, aut occurrendi Belisario nulla facultas esset; reuertendique iterum ad eam, cùm vellet, sibi per diruta mœnia aditum patere putans: mox ipse Totilas egressus ab Vrbe, cum Romanis apud Lucanos primùm, inde Calabros pugnat. Interea verò Belisarius Vrbem aggreditur,

eamque

BELISARIVS VRBEM INGREDITVR ET MVNIT.

eamque ingreditur, muroſque dirutos (vt licuit) ſtatim inſtaurandos curauit, foſſiſque muniuit, adeò vt reuertentem ad eius oppugnationem Totilam omnino repulerit: qui ab ea ſæpe reiectus, Tibur ſe contulit. huncque tandem finem res Vrbis anni huius habuerunt, luctuoſæ quidem omni ex parte atque funeſtæ. A

Hoc item anno tranſacta hieme, redditoque nauigandi opportuno tempore, Vigilius Papa è Sicilia ſoluit Conſtantinopolim: nam ſub hoc anno duodecimo belli Gothici iſta Procopius[a]: His ita peractis, iam hiems ſe circumegerat: Vigilius interea Romanus Antiſtes ab Imperatore ex Sicilia euocatus, Byzantium venit: nam vt eò contenderet, diutinam ea in inſula hic traxerat moram.] hæc Procopius, nec de eo quicquam vlterius. Reduxiſſe ſecum Dacium Mediolanenſem Epiſcopum, qui ſibi occurrerat in Sicilia, quæ dicentur inferiùs demonſtrabunt. Anaſtaſius[b] autem iſta ſubiicit de eius aduentu Conſtantinopolim, quæ tamen in omnibus haud arridenti, vt in his præſertim quibus ait ipſum illuc B peruenisſe in Vigilia Natalis Domini. nam ſi ordinationem habuit (vt ait) menſe decembri Catanæ prope diem Natalis Domini: quomodo in Vigilia eiuſdem potuit peruenisſe Conſtantinopolim? Sed de eius aduentu audi ipſum: Tunc (inquit) obuius eſt ei Imperator; & exoſculantes ſe cœperunt flere, & plebs illa pſallebat ante eum vſque ad eccleſiam ſanctæ Sophiæ, dicens: Ecce aduenit Dominator Dominus, &c.

[a] *Procop de bel. Goth. l. 3.*

VIGILIVS PAPA VENIT CONSTANTINOPOLIM.

[b] *Anaſtaſius in Vigilio.*

VIGILII CVM THEODORA ET IVSTINIANO CONTENTIO.

Per biennium verò fuerunt contentiones de Anthimo Patriarcha, quomodo promiſiſſet reuocare & remittere eum in locum ſuum, & cautionem manus ſuæ oſtendebant, cùm promiſerat eum in ordine ſuo reuocare; ſed Vigilius nullatenus voluit eis conſentire, ſed tanta roboratus virtute, mori magis deſiderabat, quàm viuere. Tunc Vigilius Papa dixit: Vt video, non me fecerunt venire ad ſe Iuſtinianus & Theodora piiſſimi Principes, ſed hodie ſcio quòd Diocletianum & Eleutheriam inueni: facite vt vultis; digna enim factis recipio.] Cetera autem quæ ſequuntur, poſt obitum Theodoræ contigerunt, quando excitata in eum rurſus perſecutione per Theodorum Epiſcopum Cæſarienſem, oportuit ipſum confugiſſe Chalcedonem in baſilicam ſanctæ Euphemiæ. Hæc de his quæ ſpectant ad altercationes Vigilij cum Theodora Auguſta. Ceterùm aliæ inter ipſum atque Imperatorem interceſſere alia ex cauſa contentiones, nempe ex Tribus capitulis, quorum cauſa (vt anno ſuperiori dictum eſt) vocatus fuit ab Imperatore Conſtantinopolim. Sed antequam rerum geſtarum narrationem aggrediamur, primùm elucidandum, quænam eſſet iſta de Tribus capitulis ſuborta contentio in Oriente. C

Etſi enim ex ſuperiùs dictis poſſit cuique eadem eſſe perſpicua, & ex iis quæ per ſingulos ferme annos dicenda erunt, nulla de ipſis dubitatio penitus exoriri poſſit: tamen hic occurrendum putamus cuidam viro erudito, qui à veraci maiorum ſententia diſcedens, nouam D de Tribus capitulis inijt rationem, quippe qui hæc illa Tria putauit eſſe capitula, quorum diſerta mentio fit in epiſtola à Ioanne Romano Pontifice ad Auienum & alios Senatores conſcripta his verbis[c]: Iuſtinianus equidem Imperator filius noſter (vt ex eius epiſtolæ tenore cognouiſtis) de his tribus quæſtionibus orta certamina fuiſſe ſignificauit: Vtrum vnus ex Trinitate Chriſtus & Deus noſter dici poſſit, hoc eſt, vna de tribus perſonis ſanctæ Trinitatis ſancta perſona: An Deus Chriſtus carne pertulerit, impaſſibili Deitate: An propriè & veraciter mater Domini & Dei noſtri Ieſu Chriſti Maria ſemper Virgo debeat appellari. Probauimus in his Catholicam Imperatoris fidem, &c.] habet eadem Iuſtinianus Imperator in fidei profeſſione[d] ad ipſum Ioannem Romanum Pontificem.

[c] *Exſtat bibliothec. tom. 4.*

[d] *l. fed. Cod. de Trin. & ſup. l. cum recta. Cod. eod.*

CONFVTATVR FALSA OPINIO DE TRIBVS CAPITVLIS.

At procul à veritate aberrat, vt iſta ſint Tria illa capitula, quorũ cauſa diro ſchiſmate Eccleſia longo tempore ſciſſa eſt. Etenim cùm conſtet iſtam de Tribus capitulis inter Catholi- E cos contentionem eſſe obortam, non autem inter Catholicos & hæreticos: quis, rogo, Catholicorum vmquam negauit Verbum carni vnitum vnam eſſe perſonam ſanctiſſimæ Trinitatis, & eumdem hominẽ factum, eumdemq; Deum vnum de Trinitate perſeueraſſe indiuiſa & inconfuſa atque inconuertibili vnione? Et quis aliquando Orthodoxorum vel leuiter dubitaſſe reperitur, ſanctiſſimã Mariam Virginẽ verè proprieq; Dei matrem in Eccleſia appellatam? Aut quis vmquam pietatem colentium reuocauit in dubium, Deum verè dici paſſum in carne? Cùm igitur in his inter ſe Catholici ſẽper conſenſerint, & pro his aduerſus Neſtorianos & Eutychianos iunctis manibus animiſq; certauerint, & poſthac pugnare numquam deſierint: quæ ergo cauſa, vt ob Tria dicta capitula inter ſe inuicem tã in Oriente quàm in Occidente Fideles fuerint ſciſſi, atque ſchiſmate ſeparati? Præterea ſi quis rerum geſtarum ſeriem diſponat ordine temporis, inueniet, non tempore Ioannis illius Papæ, ſed

ſub Vi-

A sub Vigilio Romano Pontifice de Tribus capitulis quæstionem exortam esse : vnde appareat longè diuersa illa esse Tria capitula , quæ à Ioanne Papa recitantur in epistola ad Senatores, ab illis, quæ (vt dicemus) sub Vigilio in controuersiam deducta sunt.

Explosis igitur his quæ nulla ex parte veritati cohærent , neque subsistere possunt : non alia quisque prudens Tria illa affirmare poterit fuisse capitula , quàm quæ ipse Iustinianus Imp. sæpius suis epistolis inculcauit, præsertim verò in ea quæ ad Ioannem inscribitur, sed re vera ad Vigilium esse datam ostendimus, & in ea quæ in exordio Quintæ Synodi recitatur : nempe primùm de damnatione Theodori Mopsuesteni : secundo loco de damnatione epistolæ Ibæ Episcopi Edessени : tertio demum de damnatione scriptorum Theodoreti Episcopi Cyri contra Cyrillum. hæc sunt Tria illa capitula dissensionum omnium locuples seminarium. Etenim (vt dictum est) non inter Catholicos & hæreticos eiusmodi certamen
B extitit, sed inter Catholicos tantùm ipsos, qui omnes saluum vellent Chalcedonense Concilium ; neque ex diuersa causa conflatum , sed planè eadem : siquidem tam qui ista Tria volebant damnari capitula, quàm qui defendi, id se facere dictitabant, vt in omnibus consultum esset Concilio Chalcedonensi, ne illorum occasione ipsum labefactari ab hæreticis posset. Sic igitur eorum negatio vel assertio pro tuendo Chalcedonensi Concilio facta vel prætensa, nisi aliud quippiam erroris admiscuisset, non constituebat quēquam hæreticum; sed esse schismatici conuicti sunt, qui diuersam à Romano Pontifice in his decernendis sententiam sectati essent: nam de personis & non de fide quæstionē fuisse, Gregorius[a] Magnus affirmat. Magna fuit ista in Ecclesia Dei tentatio, cùm miserando modo inter se Catholici ita confligerent, non secus ac cum in castris contingit oriri tumultus , & inter se arma collidere ac vibrare iacula milites sub eodem Principe constitutos.

QVAE TRIA CAPITVLA.

[a] *Greg. lib. 3. epist. 37.*

C Sed quid factū sit hoc anno, vbi Vigilius (vt dictum est) Constantinopoli moraretur, iam videamus. Cùm ipse diu expectatus Constantinopolim peruenisset : primum omnium (vt ex Facundo liquet) Zoilum Alexandrinum occurrentē sibi de emissa subscriptione redarguit , atque etiam alios. Dumque maximam inter Episcopos concitatam reperit esse discordiam, in summumque periculum adductam Ecclesiam, vt schismate scinderetur, fauentibus aliis iisdemque longè maiori numero & præstantiorum sedium Episcopis Imperatori, Africanis autem ex aduerso stantibus , inter quos facundus ipse (quem diximus) scientia eminebat : ipse Vigilius Papa inter hos omnes pacis arbiter sedit, vt ambarum partium auditor, sedaret , si posset, concitatos inter eos conflictus illos.

STVDIA DIVERSA DE TRIBVS CAPP.

At non ipse id agere solus , verùm colligi voluit eorum qui aderant Synodum triginta Episcoporum : in qua cùm aduersæ partes inter se conflictantes adessent, & inter differen-
D dum altercarentur haud pacificè (vt par erat) rem agētes, adeò vt quid magis veritati congruum esset minimè posset examinari & æqua iudicij lance perpendi : placuit tunc Vigilio, vt quæ quisque sentiret , & quibus quam proponeret sententiam defendendam rationibus comprobaret, scriptis proderent. Tunc opportunè accidit, vt idem Facundus ex commentario illo duodecim libris partito, quem habebat præ manibus, necdum absoluerat, responsionem elicitam ederet : qui postea ipsum integrum commentarium pro Trium capitulorum defensione perfecit , atque vulgauit : quem quidem in communione Catholica esse scriptum , cùm ipse Vigilius Papa pro defensione eorumdem capitulorum epistolas (vt vidimus) conscripsisset , & adhuc in opus incumberet , satis liquet ex iis quæ toto illo commentario pluribus in locis idem ostendit. Quæ verò in ipsius operis præfatione haud obscurè habet, atque ea quæ sunt à nobis dicta confirmat, accipe, vbi ait :

SYNODVM VIGILIVS AGIT.

E Hoc opus suadentibus fratribus, ad Imperatorem Constantinopoli scripsi: quo nondum finito ac pertractato * adductus est Romanus Episcopus : in cuius certamine , cùm Gestis super hac causa disceptaremus ; mediante conflictu , interrumpi Acta præcepit , & ab vniuersis Episcopis qui aderamus expetiit , vt scripto quisque ostenderet , quid eis de his capitulis videretur. Cùm ergo per Magistrum Officiorum sub graui necessitate respondere contingeret : vix mihi septem dierum inducię datæ sunt , in quibus erant etiam duo festi. Vnde vt omnia dicerem quę magis necessaria iudicabam, ex his libris aliqua decerpsi, quia non occurrebat omnia noua dicere : siquidem tria millia versuum excedit illa responsio. Sanè quoniam (sicut dixi) necdum à me pertractati fuerant iidem libri, quædam testimonia pro mendositate codicum, ex quibus ea posueramus, vel pro incuria translatorum aliter continebant ; quæ sic etiam in illa responsione transposita sunt. Idcirco præloqui hæc ac prænonere curaui, vt neminē, qui memorata responsione perlecta, hos contigerit libros, offendat

* peracto, *vel* perfecto

QVA OCCASIONE FACVNDVS COMMENTARIOS SCRIPSIT.

ista

ista diuersitas, sed illic ignoscat festinanti, & huic potiùs credat.] hæc cùm præfatur in duodecim suos libros Facundus, adhuc sub iudice tunc temporis litem fuisse demonstrat. A

ADVERSARII EXPECTARVNT VOLVNTATEM ROM. PONT.

Ceterùm quantumlibet aduersarij vrgerent condemnationem, cui ipsi subscripserant, Trium capitulorum: haud tamen ita videri voluerunt effrontes, vt ea de re aliter statuere, quàm decreuisset Romanus Episcopus, cuius expectarent sententiam, sint professi. Id quidem pluribus in locis Facundus ipse testatur, vt secundo libro, dum ait: Adhuc dicunt, quòd de tanta sua præsumptione Ecclesiam quoque Romanam consuluerint, & sententiam beati Vigilij Præsulis expectent.] & post plura: Quomodo ab his creditur quartusdecimus successor eius, *nempe Leonis*, sanctus Vigilius nouum posse aliquid iudicare, præsertim illo dicente: Nam secundùm Apostolum[a], Si quæ destruxi hæc ædifico, præuaricatorem me constituo; & eis me vltionum conditionibus subdo, quas non solùm auctoritas beatæ memoriæ Principis Marciani, sed etiam ego mea defensione firmaui, &c.] Habet autem ad finem operis idem Facundus ad ipsum Imperatorem, cui scribit, admonitionem Orthodoxo Antistite dignam, hîc meritò inferendam, dum primò Theodosij Imp. exemplo eum, quid agere debeat, ita docet: B

[a] *Gal. 2.*

EX THEODOSII EXEMPLO SVMPTA ADMONITIO.

Maior Theodosius Imperator, cuius semper memorabilis erit in Ecclesia Christi memoria, quanquam sæpe de magnorum barbarorum prœliis & de maximorum tyrannorum triumphauerit, non tamen in eiusmodi victoriarum frequentia, in quibus Traiano filio gehennæ comparari non potest, veram meruit gloriam, sed de supplici & publica peccati sui pœnitentia, quam expugnato regali fastigio, placidè ac humiliter, Ambrosio Episcopo castigante, suscepit, & indictum sibi debitæ satisfactionis tempus ab Ecclesiæ communione remotus impleuit, piè admodum credens, & sapienter intelligens, quòd non ex temporali potestate, qua fuerat etiam sacerdotibus Dei præpositus, sed ex eo peruenire posset ad vitam, quòd illis erat ipse subiectus. Vnde credendum est, quòd si nunc Deus aliquem Ambrosium suscitaret, etiam Theodosius non deesset: Sed cùm minor est exigendi fiducia, minor est reddendi deuotio: non est autem magnus amator veritatis, cui * etiam personæ commendet auctoritas.] & post pauca: Non tale aliquid petimus corrigi, quale fuit quod excommunicatione vlciscebatur Ambrosius. Illud enim non, quamuis malè fuerit gestum, creditum tantùm erat Theodosij potestati: quod autem nunc factum est, vel si rectum fuisset, rectè non fieret: quia nulli Regum hinc aliquid agere, sed solis est sacerdotibus datum] sancire videlicet de fide decretum, cùm Imperatorum sit fidem Catholicam coram sacerdotibus profiteri, non eamdem præscribere sacerdotibus atque omnibus Christi Fidelibus. Hæc ad calcem ferme librorum locutus est Facundus: quos absolutos paucos post dies ipsi obtulit Iustiniano Imperatori. C D

Sed redeamus ad Synodũ, quàm diximus hoc anno Constantinopoli ab ipso Vigilio Romano Pontifice fuisse collectam, & in eius prima Actione auditis altercationibus ambarum partium, defensionis ab ipsis scriptis mandandas, Synodoq; reddendas esse præceptas: quibus omnibus acceptis, easdem Imperatori iussit esse tradendas. At non placuerunt ista Facundo, nec reliquis Trium capitulorum defensoribus, cùm iam postea inter schismaticos militare cœpisset: ipse enim eadem conatus est fugillare, in deteriorem partem accipiens. Sed audi ipsum Facundum in libello ad Mocianum inter plura de eadem Synodo ista subinsensè dicentem: Gestis de medio sublatis, quibus causa cœperat aperiri, & interrupto suo iudicio Vigilius, à considentibus Episcopis flagitauit, vt quid eis de causa videretur, prolata quisq; in scriptis responsione, signaret. Et quia illi Episcopi maximè Constantinopolim occurrerant in eius aduentum, quorum nulla in hac causa subscriptio tenebatur, & de sua fuerant integritate securi: per occasionem huius interrogationis ipsi quoque separatim cõpulsi sunt ab aduersariis Ecclesiæ, quomodo dictauerunt in præiudicium magni Concilij, respondere: Ac ne postea subtraherent, & quæ scripto responderant, iudicio non offerrent: iam sub prosecutione ipsorum atque custodia palàm ad illum deducebantur, tradere sua profana & detestanda responsa. Oculis nostris hæc vidimus nos: Acephalos coram ipso Iudice alacres & exultantes aspeximus, cùm Episcopos ad eum, *Vigilium scilicet*, adducerent, eadem responsa portantes. At quomodo hæc sic inhæreant cordibus audientium, vt sic ea detestari ac lugere possitis, sicut nos, in quorum animis ipsorum malorum adhuc imago versatur?] hæc ipse subinfensus in Vigilium, cùm iam aduersæ parti fauisse visus est. Sed pergit: E

VIGILIVS SCRIPTAS PARTIVM RESPONSIONES EXIGIT.

Suscipiens verò ille, *nempe Vigilius*, memoratas responsiones, post aliquot dies ad Palatium attulit, atque alteri detulit parti in præiudicium Synodi Chalcedonensis cum aliorum

A rum chirographis,qui antea subscripserant,reseruandas. Verùm ne suis traditor videretur, talibus verbis eos fefellit,vt diceret: Quid apud nos reseruamus ista cõtraria Synodo Chalcedonensi responsa,vt inuenta quandoque in Ecclesiæ Romanæ scrinio, à nobis approbata credantur? Sed afferamus illa in palatium, & de illis agant ipsi qui iam nouerint. Quasi ea scindere vel vrere ipse non posset,aut per suam euacuare sententiam,aut ipsis à quibus fuerant data refundere,quæ nec suscipere ab eis nec extorquere debuerat. Si verò decretũ generalis Synodi præcauebat,atque ista solita fictione fingens eius præiudicium se cauere,hoc pro voluntate cõtrariorum fecit,quod ei,si dissimulemus,præiudicet: quomodo enim non præiudicet, si demonstrentur triginta circiter Episcopi cum Romano Antistite Constantinopoli congregati (vt illos omittam qui antè subscripserant) condemnasse cum approbatoribus suis epistolam à Chalcedonensi Concilio approbatam,& illum Episcopum,cuius do-
B ctrinæ laudes in memorato Chalcedonensi Concilio citatæ sunt, nemine resistente,cũ suis dogmatibus anathematizasse post mortem, scientibus ceteris & in eorum cõmunione manentibus?] hæc Facundus postea iam factus hostis,cùm videlicet se inter schismaticos collocasset, inuectus & in Vigilium plurimùm de chirographo antè ab eo tradito, cùm Pontifex fieri ardenti desiderio laboraret; ista refricans & inculcans, ne (quod ait) personæ summa auctoritas causæ præiudicium afferret: vt schismaticorum atque hæreticorum mos est, cùm ex criminibus in aduersarios irrogatis suam volunt causam defendere, & præseferre iustitiam. Vtinam extarent ipsa Synodalia Acta, ex quibus fuissent ipsi redarguendi schismatici: non enim locus relictus esset imposturæ.

Sed quòd illis caremus, fragmenta hinc inde non sine magno labore collegimus, nec aliundè quidem quàm ex eiusdem temporis scriptis, licet magna ex parte illa perierint. In
C primis autem ex ipso Facundo accipe, quæ in libello tunc temporis ad Mocianum conscripsit; vbi tunc aduersatum se fuisse Vigilio tradit, dum ait: Accipite quæ in iudicio ipsius Vigilij inter alia fuerim prosecutus, sicut editæ nobis ab Officio tertiæ Actionis gesta declarant. Ego enim fateor simpliciter beatitudini vestræ, non pro Theodori Mopsuesteni damnatione me à contradicentiæ communione subtraxisse: hoc enim vel si approbandum non sit, ferendum tamen existimo, nec tantam esse causam iudico, pro qua deberemus à communione multiplici segregari: sed quòd ex persona Theodori epistolam Ibæ Nestorianam probare conati sunt; & quòd ex epistola Ibæ Synodum, *Chalcedonensem scilicet*, à qua suscepta est, improbarent.] hæc Facundus, cùm iam à Vigilij sententia recessisset, in ipsum inuectus, quòd iam in defensione Trium capitulorum, quam antè acerrimè susceperat, tepuisset. QVID AD VIGILIVM FACVNDVS IN SYNODO.

D Qui enim absens (vt diximus) pro Trium capitulorum defensione visus est laborasse Vigilius,& aduersus eos, qui ea vnà cum Iustiniano Imperatore oppugnabant,insurrexisse: re perpensa, videns nihil afferri præiudicij Chalcedonensi Concilio, vel Catholicæ fidei, quam quis partem tueretur,cùm re vera omnes æquè damnarẽt errores qui fuerunt Theodori,Theodoreti, & Ibæ; sed maximum damnum accipi ex eo, quòd iidem ferme omnes inhærentes nouæ Imperatoris constitutioni, qui in Ecclesiæ Catholicæ communione hactenus retinebantur, iamiam in gratiam Imperatoris schismate essent diuidendi: hæc, inquam, Vigilius Papa considerans, primum quidẽ ne ob id Occidentales defensores Trium capitulorum scandalum paterentur, rem secreto transigendam esse, atque (vt in re quæ non spectaret ad fidei veritatem) dissimulandam putauit. Demum verò cùm sibi aduersari sentiret Episcopos Africanos, & res esset in eo statu reposita, vt siue occidentalibus pau-
E cis,siue Orientalibus omnibus sibi inhærendum esset: consultius sibi visum,istorum,nempe Orientalium fauere sententiæ, quàm illorum; secretò de his iudicans: sperans fore, vt & ij etiam in eam sententiam perducerentur. sed res aliter accidit, perstantibus Occidentalibus in sententia qua semper fuerant pro Trium defensione capitulorum, atque eidem firmiter inhærentibus; adeò vt eius causa sese à communione Catholica,schismate conflato, diuiserint. Hæc quidem de Vigilio Papa ita transacta esse, ea quæ dicta sunt atque dicentur, certam fidem faciunt. VIGILIVS CVR FAVERE VISVS EST ORIENTALIBVS.

Sanè quidem nemo iure inficias ire poterit,Vigilium aduersus Tria capitula ad Mennam Constantinopolitanum Episcopum libellũ conscripsisse; id ipsius Vigilij scriptis testantibus, nempe publicis Actis latæ ab ipso sententiæ in Rusticum & Sebastianum & alios Trium capitulorum defensores, de quibus dicturi sumus; cùm queritur aduersus Rusticum, quòd se inconsulto, quàm citissimè sententiam suam, quam Iudicatũ appellat,ad Mennam conscriptam, VIGILIVS CONTRA TRIA CAPITVLA LABORAVIT.

scriptam, in diuersas prouincias promulgasset. Id quoque testari videtur in epistola ad Valentinianum [a] Episcopum Tomitanum in Scythia, vbi tamen de calumnia queritur, nimirum quòd ab ipsis fuisset diuulgatum, Vigilium quoque damnasse Theodoretum & Ibam, quos recepisset Chalcedonense Concilium. Equidē sparsum in vulgus fuisse de damnato ab eo Theodoreto, ex alia epistola Vigilij olim scripta ad Theodoram Augustam, Liberatus [b] diaconus tradit: at id vt omnino commentitium neque eius postea aduersarij ausi sunt (quod procul abhorreret à veritate) illi tribuere. Sed & de consensu Vigilij siue scriptis, siue sine scriptis prodito contra Tria capitula, Acta Quintæ Synodi sæpè fidem faciunt. Quinetiam Sexta Synodus Actione septima continet Vigilij Papæ aduersus Tria capitula monumenta, quibus argumenta contra eadem Tria capitula allata narrantur: adeò vt nulla dubitatio esse possit, quin de his Iustiniani sententiam edicto editam comprobarit. A

[a] *Extat Act. 7 Quint. Synod.*

[b] *Liberat. diac. Breu. c. 22.*

Sed quid accidit? Cùm id innotuisset Africanis Episcopis, & aliarum Ecclesiarum sacerdotibus, atque primùm omnium ipsis, quos secum duxerat, diaconis Romanæ Ecclesię Rustico, Sebastiano, & aliis; & magnæ ob eam causam turbæ, discordiæ, dissidiaq; essent obortæ: mox idem Vigilius emissam de Trium capitulorum damnatione sententiam suspendit, seu potius reuocauit: & consentientibus etiam illis qui iam damnarant eadem Tria capitula, Theodoro videlicet Episcopo Cæsarienſi, atque Menna Constantinopolitano, rursum ab eodem Vigilio promulgatum decretū est, quo decernebatur, vt de controuersia de Tribus capitulis penitus taceretur vsque ad proximè cogendam Synodum vniuersalem: sicque res aliquandiu consopita siluit. Ita prudenter periclitanti Ecclesiæ visus est consuluisse Vigilius, ne ob eam controuersiam vniuersus Christianus orbis inter se collideretur, atq; Oriens ab Occidente schismate scinderetur: sperans fore, vt mora temporis aliquod posset excogitari remedium, quo vtrique parti consuleretur. B C

VIGIL. DE QVAESTIONE TACENDVM DECERNIT.

De hoc quidem Vigilij decreto, & quodammodo inita cum Theodoro atque Menna transactione, testes sunt acta publica, quibus lata à Vigilio Papa postea sententia cōtra Theodorum atque Mennam continetur: etenim hæc ipsa verba scripta leguntur in ipso libello sententiæ vigesimoquinto anno Imperij Iustiniani dato, anno nimirum Domini quingentesimo quinquagesimoprimo; cùm quid ab hoc tempore per Vigilium actum sit, ita ab ipso docetur: Nos verò longanimitatem nostram diuina largitate cōcessam tam circa te, quàm circa seductos abs te, penè hoc quinquennio elapso monstrauimus. Primùm quidem in eo, quod pro scandalo refrenando, condescendentes quorumdam animis, quos aliqua dispensatione * credimus temperandos, quia tu iam eos pluribus annis inquietissimus stimulator accenderas, quædam pro tempore medicinaliter existimauimus ordinanda, tali sub conditione, vt omni in posterū perturbatione sopita, nihil vltrà nec verbo, nec litteris quisquam facere ex eadem causa præsumeret. At tu consuetudinis tractus audacia, neque tunc cessare à conscribendis vel prædicandis nouitatibus voluisti: ita vt sæpius libellis Episcoporum redditis, & consensum tuum cum eis propria confessione condemnans, eorum vel tuis excessibus sæpius à nobis concedi veniam postulasses.

VIGILIVS PATIENTIA AGENDVM PVTAVIT.

* dissipatione

THEODORI TEMERITAS CONDEMNATVR. D

Post hæc autem cùm te à præsumptione solita nec pudor humanæ verecundiæ, nec sacerdotij pondus, nec timor diuini iudicij cohiberet, dum ampliùs quàm iustum fuerit, patientiam tuis facinoribus præberemus: ad hoc est causa producta, quatenus semotis omnibus quæ de Trium capitulorum quibuslibet dicta scriptáve fuerant, quid de ipsa re facto opus esset, cùm Africanarum, Illyricanarum, seu Valliarum * partium congregata Synodo tractaremus, eorum maximè præsentiam requirentes, quorum fuerat scandalizata fraternitas. Illud quoque magnopere nobis cū clementissimo Principe, præsentibus etiam Menna Constantinopolitanæ ciuitatis, & Dacio Mediolanensis vrbis Antistite, aliisq; tam Græcis quàm Latinis Episcopis, cum quibus omnibus etiam tu Theodore pariter affuisti, necnon & prę̣sentibus Iudicibus ac proceribus, vniuersoque Senatu, conuenit, ne vsque ad memoratam Concilij definitionem quicquam de præfatis Tribus capitulis ab aliquo fieri intentaretur. At deinde tuis ex incitamentis liber condemnationem capitulorum ipsorum continens, in palatio, te assistente & instruente, coram quibusdam Græcis Episcopis est relectus, &c.] satis hæc modò ex sententia in Theodorum lata, quā suo loco inferiùs integram recitabimus: ex eaque hæc deducta sufficiant ad ostendendum ab hoc anno ad illud vsque tempus in ea causa Trium capitulorum ab ipso Vigilio indictum fuisse silentium; cùm & ipse Theodorum eorumdem priùs factam condemnationem iterum promulgantem, lata in eum sententia, condemnauit. E

* Galliarum, Helladarum, *vel* aliarum

Sed

A Sed quid accidit? Ex his quæ dicentur satis apparet, eiusmodi indictum à Vigilio Papa silentium à defensoribus capitulorum in deteriorem partem acceptum, collusionemque cum aduersariis interpretatum, vel saltem subdolam conniuentiam, cùm videlicet (vt ostensum est ex petulantia Theodori) iidem nequaquam conticescerent, sed eorumdē condemnationem in palatio omnibus ostentarent: sicque indictum ea de re silentium, non aliud quàm tacitum Vigilij consensum interpretati sunt. Quòd enim ipse cùm esset absens, litteris libellisque iis qui consenserant (vt vidimus) fuisset comminatus, quodque etiam (vt dictum est anno superiori) litteras absens in via scripsisset aduersus eos qui edito ab Imperatore fidei decreto subscripserant; verùm iisdem Vigilius veniens consensisset, & postea silentium indixisset, atque ad futuram Synodum prouocasset: ipsum non recto incedere pede sunt arbitrati: adeò vt perseuerauerint apud Occidentales illa de ipso sententia, Vigilium B Papam in damnationem Trium capitulorum consensisse. Atque graue passi sunt scandalum ipsi capitulorum defensores, qui eius cupidissimè expectarunt aduentum, vt Apostolica auctoritate ab ea quam patiebantur vindicarentur Imperatoris tyrannide vsurpantis sibi quæ essent Episcoporum; vbi viderunt omnia in contrarium esse mutata, atque demum transacta silentio, quæ sibi videbantur fuisse insectanda atque explodenda clamoribus: sicque in eumdem veluti desertorem præuaricatoremque insurrexere, quem cum aduersariis communicare viderent.

VIGILIVS CREDITVS CONSENSISSE DAMNATIONI TRIVM CAPITVLORVM

Constat quidem, eosdem quos antè vel ipse Vigilius, vel ante ipsius aduentum eius diaconus Stephanus à communione eadem ex causa suspendebant, à Vigilio ipso, cùm venit, in communionem esse susceptos, nempe Zoilum Alexandrinum Episcopum, qui (vt vidimus) edicto subscripserat; ea tamen conditione si ratum haberetur à Romano Pontifice, & C Theodorum malorum omnium auctorem, necnon Mennam Episcopum Constantinopolitanum, qui primus post Theodorum ab eis vocabatur in crimen. Hos namque omnes, Zoilum, Theodorum, & Mennam à Vigilio communionis Catholicæ factos fuisse participes, ex eodem Vigilij libello de sententia in Theodorum lata euidenter apparet: testāte disertis verbis ipso Vigilio, Zoilum Romanæ connexum Ecclesiæ ex Apostolica eidem communione concessa; itemque Theodorum & Mennam vsque ad illud tempus indicti silentij eidem communione fuisse conunctos, postea verò ea Theodorum priuatum, Mennam verò suspensum. Ex eiusmodi igitur cōfœderationis ostensis symbolis, non à defensoribus tantum (vt dictum est) fuit existimatum & prædicatum Vigilium Papam aduersariis adhæsisse, atque pariter Tria illa capitula condemnare perseuerasse; verùm etiam ab iisdem Trium capitulorum impugnatoribus id ipsum fuit assertum atque summa gloria diuulgatum.

VIGILIVS COMMVNICAT DAMNANTIBVS TRIA CAPP.

D Qui rem exactè absque aliquo affectu priuato considerant, ipsum Vigilium excusant: quòd qui absens adeò per litteras fuerat comminatus, mitius egit, vbi præsens rem proximè est intuitus: ostensa enim & ob oculos posita Ecclesiæ facies omni ex parte miserabilis & quouis deploranda luctu, aliter decernere persuasit: Siquidem simul cum quatuor Orientalium sedium Patriarchis qui subscripserunt, omnes ferme illis subiectos Episcopos in eandem sententiam atque subscriptionem inductos inuenit. Quamobrem nimis durū & asperum, valdeq; acerbum atque inhumanum ipsi visum, Apostolica auctoritate, quam ad ædificationem non ad destructionem sibi sciret esse concessam, veluti vno gladij ictu Orientem ab Occidente discindere: cùm præsertim sciret, re vera non de fide esse quæstionem, quæ dissimulari minimè posset, sed de personis, vt ex S. Gregorio superiùs dictum est.

EXCVSATVR VIGILIVS.

Licet enim pro fide pugnare aduersus errores Theodori, Theodoreti, & Ibæ, impugna- NON DE FIDE, SED DE PERSONIS FVIT CONTENTIO.
E tores præseferrent; non tamen (quod sæpe inculcatum est) his aduersantes ipsi defensores Trium capitulorum æquè defendebant errores Theodori, Theodoreti, vel Ibæ: nam & ipsi eos penitus execrabantur, sicut & illi qui contra Tria capitula sententiam propugnabant; cùm & vtraque pars in primis nihil se magis velle contestaretur, quàm consultum esse Catholicæ fidei probatæ à sacrosancto Concilio Chalcedonensi. His etiam accedebat, quòd qui impugnabant Tria capitula, à sententia illa diuelli posse, cui astringebantur Imperatoria voluntate, impossibile videretur.

Quid igitur peccasse Vigilius dicendus fuit, si de causa illa vsq; ad futuram Synodum esse VIGILIVS PRVDENTER EGIT.
tacendum indixit, quæ potiùs (si fieri potuisset) perpetuo erat silentio condēnanda, sopienda, immo sepelienda, atque penitus extinguenda? Quod verò id non liceret, partibus acerrimè aduersus se inuicem concertantibus, nec spes vlla esset vt posset pax desperata componi: ad fœderis remedium in tanto discrimine itum est, vt cum nulla spes esset in perpetuum

sanciri silẽtium, illud saltem ad tempus indiceretur, vt interea cùm cessatum esset ab armis, pax mutua tranquillioribus animis tractaretur: ad quã cõciliandam, sicut tempore fœderis sunt concessa commercia, ita & Vigilio placuit omnibus concedẽdam esse communionem. A

Quòd autem sciamus eiusmodi Vigilij consilium in deteriorem fuisse partem acceptum, ob idque ipsum collusorem, prævaricatoremque ab aduersariis conclamatum, quòd ob timorem Imperatoris, ad eius gratiam promerendam, à cœptis continuò resilierit: ad hæc omnia excusanda illud satis superque esse potest quod summæ constantiæ specimen edidit, vbi hoc anno Constantinopolim venit. Vbi enim non cum Catholicis, sed pugnandum sibi fuit aduersus hæreticos, cum quibus minimè esse dissimulandum sciret: mox auctoritate Pontificia insurrexit, ac nullo habito respectu potentium, & pro nihilo hac ex parte ducens Imperatoriam potestatẽ, in ipsam Theodoram Augustam diutissimè magno Ecclesiæ detrimento toleratam, sententiam tandem excommunicationis inflixit, eadem pœna afficiens B hæreticos omnes Acephalos Seuerianos & Eutychianos, quam ipsa eorũ patrona meruerat. Hæc quidem haud vulgo iactata, vel teste minus digno feruntur, sed eo, quo ob Pontificiam dignitatem, vitæque sanctitatem, & rerum vsum atque scientiam nullus dignior dici potest: Etenim testatur id Gregorius Magnus in epistola ad Hibernos Episcopos schismaticos verbis istis[a]: Postquam recordandæ memoriæ Vigilius Papa in vrbe Regia constitutus, contra Theodoram tunc Augustam & Acephalos damnationis promulgauit sententiam: tunc Romana vrbs ab hostibus adita & captiuata est. Ergo bonam causam habuerunt Acephali, & iniustè damnati sunt, post quorum damnationem talia contigerunt? Absit: hoc enim nec nostrum quempiam, nec alios qui Catholicæ fidei mysteriis instituti sunt, dicere, vel aliquo modo confiteri conuenit.] hæc Gregorius aduersus schismaticos eorumdem Trium capitulorum defensores. C

THEODORA AVG. CVM ACEPHALIS A VIGILIO EXCOMMVNICATA.

[a] *Greg. lib. 2. epist. 36.*

VIGILII IN PVGNANDO DISCRETIO [b] *2. Ioan.*

Vides igitur, pro diuersitate personarum, Vigilium magna consideratione adhibita atq; prudentia diuerso modo pugnasse, aliterq; se aduersus hæreticos, aliter cum Catholicis exhibuisse: illos quidem, quibus nec Aue dicendum monet Apostolus[b], quamuis fastu elatos, potentiaq; sublimes, excommunicationis sententia, fulminis instar cælitus emissi prostrauit: hos autem non abiicit, sed Apostolicis charitatis visceribus fouens, iterum parturit, cùm dissimulat, annuit, expectat, reprimit, corripit, tolerat. In quorum etiam salutem istiusmodi aduersus Theodoram Augustam redundauit ostensa seueritas: intendit enim in eam eo modo neruos censuræ Catholicæ, ne ob defensa antea, damnata postea vel suspensa Tria illa capitula, in suspicionem vocaretur proditæ fidei, & cum Eutychianis initæ secreto societatis: sed vt tam euidenti signo ostenso vigoris sacerdotalis in Orthodoxa fide tuenda, & hæreticos eorumque patronam damnando, omnes qui Catholici re vera essent, erigerent animos; & quæcumque ab ipso Vigilio gererentur, in meliorem partem acciperent: cùm iam certo scirent, nihil apud ipsum Romanum Pontificem antiquius esse, quam aduersus hæreticos fidem Catholicam propugnare, posterisque sartam tectam relinquere. Quæ autem hæc secuta sint, suo loco dicemus. D

IESV CHRISTI ANNVS 548. VIGILII PAP. ANNVS 9. IVSTINIANI IMP. 22. TOTILÆ REG. 7.

E

[c] *Procop. de bello Goth. lib. 3.*

SCLAVINI OCCVPANT ILLYRICVM

QVingentesimus quadragesimusoctauus Christi annus, idem post Consulatum Basilij septimus, & belli Gothici decimustertius à Procopio[c] numeratur: quo nouis cladibus in Italia diuersis in locis Romanus exercitus à Gothis afficitur: additumq; ad alia damna, vt Sclauinorum exercitus, transmisso Istro, Illyricum occuparit. hæc omnia Procopius pluribus. Sed neque his motus aduersis reuocatur Imperator à susceptis aduersus Tria illa capitula studiis, quibus maiorem inflixit Ecclesiæ cladem, quàm à barbaris pateretur Illyricus. Audi igitur lugubrem de oborto schismate & à Romano Pontifice defectione tragœdiam.

Cùm Romanæ Ecclesiæ diaconi Rusticus atque Sebastianus Constantinopoli apud Vigilium agentes vidissent ipsum Summum Pontificem minimè condẽnasse (vt in votis erat) qui damnarant Tria illa capitula, immo & ipsum cum illis communicasse: iidem ab Africanis impulsi, aduersus ipsum Vigilium rebellarũt: id verò præ ceteris operati sunt Felix Gillitanus

A tanus monasterij in Africa Abbas,atque Lampridius, qui hanc ob causam Constantinopolim se contulerant: & licet hi primum reiecti fuissent à Vigilij Papæ clericis,eo quòd ipsius Pontificis vitarent communionem ;dolo tamen se insinuantes Sebastiano diacono, eumdem à Vigilio abstraxere,qui & secum in eamdem schismatis societatem Rusticum itē Romanæ Ecclesiæ diaconum captiuum duxit.Hi verò cùm gloriarētur vindices insurgere pro Concilio Chalcedonensi,in eamdem societatem traxerunt etiam Vigilij subdiaconos,Defensores,atq; Notarios,quorum hæc sunt nomina,Ioannes Gerontius,Seuerinus,Importunus, alterque Ioannes,& Deusdedit. hi quidem aduersus eumdem Romanum Pontificem ad diuersos Episcopos in diuersas prouincias litteras dedere.Hęc autem omnia expressa habentur in libello sententiæ aduersus Rusticum atque Sebastianum prolatæ, quem suo loco recitabimus. Eiusdem verò Felicis Gillitani huius schismatis instigatoris meminit etiam
B Facundus Episcopus in libello ad Mocianum, eumq; maximum defensorem fuisse Theodori Mopsuesteni docet,Abbatemque nominat. Sic itaque sub prætextu defendendi Concilij Chalcedonensis maximum fuit in Ecclesia Dei schisma conflatum, & calumniis exagitatus ipse Vigilius, quasi fautor accesserit impugnantibus ipsam sacrosanctam Synodum Chalcedonensem: factumque vt vndique ab Episcopis Orthodoxis querelarum plenæ ad eumdem Pontificem litteræ scriberentur, de quibus suis locis agemus.

QVI ROM. ECCL. CLERICI DEFECERVNT A VIGILIO.

Cùm enim istiusmodi ab Ecclesiæ Romanæ diaconis diuersarum Ecclesiarum Episcopi litteras percepissent: haud putantes contemni debere,quæ de re tanta à viris tantis è tali loco, nempe Constantinopoli scriberentur; magnopere turbati sunt,verumq; esse existimantes quòd ab ipsis diaconis Romanæ Ecclesiæ scriberetur, ipsum scilicet Romanum Pontificem molitum aliquid contra Chalcedonense Concilium: magnopere commoti sunt, eo-
C rumq; nonnulli se ab ipsius Romani Pontificis communione disiunxere;alij ad tempus,donec res magis sibi explorata fieret, ab eius se consuetudine temperauere ;alij verò, quibus maior inerat in re tanta prudentia, ad rem apertius cognoscendam nuncios misere Constantinopolim, litterasque ad ipsum Vigilium conscripsere: sicq; duorum Romanæ Ecclesiæ diaconorum nempe Rustici & Sebastiani litteris vniuersus concussus est Orbis,Ecclesiaque Catholica perturbata & in summum discrimen adducta ; iactaque sunt ab eisdem immensi schismatis fundamenta;adnitentibus cum ipsis potissimùm Africanis,qui (vt dictum est) aduersus Imperatorem primùm pro Concilio Chalcedonensi (vt sibi videbatur) erexere vexillum. Hæc omnia (vt diximus) expressa habentur in libello damnationis amborum diaconorum sequenti anno à Vigilio Papa conscripto.

TVMVLTVS ADVERSVS VIGILIVM EXORTVS.

Sed & his omnibus insuper à Rustico diacono additum, vt ad suam firmandum pro
D Trium capitulorum defensione sententiam,commentarium per dialogismum scriberet aduersus Acephalos, ad cuius finem posita ab eo fuit de Tribus capitulis disputatio.Extat ipse quidem, sed sine decurtatus, vbi de Tribus capitulis controuersia tractabatur. Nam inter disputandum,cùm vrgeret Orthodoxus hęreticum,vt Dioscorum anathematizāret;ad hęc hæreticus: Nos interim non de causis singularum colloquimur personarum, sed de fide vniuersaliter disceptamus: Hoc verò negotium illi seruabimus tempori, quando de Diodoro, Theodoro, Iba, & Theodoreto disputabimus, causas personarum quæstioni de fide miscentes.] hæc ibi: ex quibus appareat eumdem librum fine carere,cùm ea illic quæ dicenda proposuerat, desiderētur.Sed & cùm desit in fronte operis nomen diaconi ad quem tomum illum inscribit: coniectura ducimur & illud esse subtractum, neque alium quemquam hunc fuisse, quàm collegam in schismate, quem diximus, Sebastianum diaconum,
E ad quem inter alia ista præfatur:

RVSTICVS DIAC. SCRIBIT CONTRA VIGILIVM.

Memento (inquit ipse) Christianum te esse atque diaconum, & hoc summæ totius vniuersitatis Ecclesiæ, *nempe Romanæ*. Si importabile onus est ordinis, quare vllo modo aggressus es dignitatem ? Semel diaconus factus, tuis votis obligatus es Deo: alioqui debuisti reputare prius, & citra * huiusmodi gradum cum aduersario tenere pacem,perquirens si tu cum decem millibus viginti aduersarij millia euincere potuisses.] hæc & alia Rusticus diaconus collegam incendens ad prœlium: vnde & illud percipere valeas,quibus animis initum sit certamen,tali tantoque classico præcantato. Demptis autem ex libro illo spinis quibus ager fertilis abundabat, & vepribus quibus in angulo siluescebat excisis, quæ remanserunt, viro quidem docto sunt digna: in quo cùm plura notanda sint, illud obiter inculcatum de perseuerante in Ecclesia pristino sacrarum reliquiarum vsu non prætermittam, ne quis putet traditiones à Patribus acceptas temporum fuisse diuturnitate vel varietate di-

* circa

missas : Clauos (inquit) quibus confixus est Christus, & lignum venerabilis Crucis, omnis A per totum mundum Ecclesia absque vlla contradictione adorat,&c.]

DIRVM SCHISMA IN ECCLESIA CATHOLICA OBORTVM.

At non Rusticus tantùm exacuit contra Vigilium Romanum Pontificem stylum pro defensione Trium capitulorum, sed alij plures: nam in Africa id præstitit Liberatus Ecclesiæ Carthaginensis diaconus, Facundus Episcopus Hermianensis in libello præsertim contra Mocianum edito, necnon Victor Episcopus Tumuensis, de quibus inferiùs prolixior sermo erit. horum meminit Isidorus: licet corruptè, pro Facundo, Secundus legatur. De illis verò qui postea Vigilij patrocinium susceperunt, & pro Trium capitulorum damnatione pugnarunt, suo dicemus loco, vbi de Quinta Synodo pertractabimus. Sic igitur maximo Ecclesiæ Catholicæ detrimento vbique rixæ, vbique dissidia, contentiones & dissensiones sunt simul exortæ, pugnantibus aduersus se inuicem Orthodoxis, enormi schismate sciss is, B inter seq; mutuo collidentibus, ex quo totum hoc sæculum redditum planè est infelicissimum. Sed de his modò satis.

THEVDIS REX OCCISVS.

Hoc anno Theudis Rex Gothorum in Hispania occisus est, vbi regnasset (ex sententia Isidori) annos septemdecim & menses quinque; licet deprauatè legatur sexdecim, atque mendosè anno Iustiniani Imp. XII. pro XXII. ex quibus etiam corrigas Æræ menda. Sub hoc Rege Theude recensetur ab Isidoro de Viris Illustribus Iustinianus Valentinus Episcopus istis verbis[a]: Iustinianus Ecclesiæ Valentiæ Episcopus, ex quatuor fratribus & Episcopis eadem matre progenitis vnus, scripsit librum Responsionum ad quédam Rusticum de interrogatis quæstionibus: Quarum prima responsio est de Spiritu sancto: Secunda est contra Bonosiacos, qui Christum adoptiuum & non proprium dicunt: Tertia responsio de baptismo Christi, quod iterare non licet: Quarta responsio de distinctione baptismi Ioannis & Christi: Quinta responsio, quia Filius sicut Pater inuisibilis est. Floruit in Hispaniis C temporibus Theudis Principis Gothorum.] hæc ipse, qui pergit dicere de eius fratribus, Iusto Orgelitano Episcopo, Nebridio, & Helpidio, iisdemq; sacrorum scriptorum auctoribus: sed periere præclara horum virorum illustrium monumenta.

[a] *Isidor. de Viris illustr. c. 20.*

Paulò autem ante obitum Theudis, inter tot tenebras Gothorum perfidia superinductas, nobilem Hispalensem Ecclesiam S. Lauriani martyrio illustratam, vetera Ecclesiæ Catholicæ monumenta testantur, quæ diem natalem eius anniuersaria memoria[b] renouant quarto Nonas Iulij. Qui prosecuti sunt res Hispaniæ, tradunt, hunc fuisse Pannonium genere, presbyterum verò Mediolanensis Ecclesiæ, inuectumq; zelo fidei in perfidum Totilam Arianum Principem, ab eo quæsitum ad necem, sed fuga lapsum Hispaniam ad latebras delegisse: addunt q; quòd ibi cùm virtutum præstantia qualis esset citò innotuisset, de- D lectus est in Episcopum Hispalensem post Maximum. Cùm verò id Totilas cognouisset, barbarica obstinatione per gentilem suum Theudem Regem illi necem inferendam curauit: qui diuino monitu fugam rursus captans, Romam se contulit, cùm nondum Vigilius esset profectus in Orientem, à quo honorificè exceptus est. sed cum reuersurus in Hispaniam, peruenisset in Gallias; mira sagacitate ab exploratoribus Totilæ singula eius vestigia assectantibus repertus apud Massiliam, ab eisdem apprehensus, capite gladio Ariano truncatus est. cuius corpus Eusebius Episcopus Arelatensis, qui præcessit Aurelianum, sepeliendum curauit; caput verò in suam delatum ecclesiam, populum fame pesteq; laborantem (vt prædixerat) liberauit: cùm paulo pòst occisus est Theudis, & regnum arripuit Theodegisclus, idemq; Gothus & Arianus. Hunc tandem felicem consecutus est finem vir sanctissimus Laurianus, ardore Catholicæ veritatis & dicendi libertate omnes huius sæculi Catholicos facilè antecellens, & miraculorum operatione nulli secundus: ex quibus illud tantùm E posteris notum, cæcum in itinere, cùm Romam peteret, illuminasse.

[b] *Rom. Martyrol. ea die.*

DE S. LAVRIANO EPISCOPO HISPALENSI MARTYRE.

THEODEGISCLVS REX IN HISPANIA.

Porrò Theodegiscli haud fuit in regno longa permansio: siquidem Isidorus tradit, quòd post annum & menses septem, pari exitu, coniuratorum manu inter epulas gladio confossus extinctus est, ob pœnam (vt Gregorius Turonensis existimauit) offensi numinis, dum curiosiùs diuina disquirere, & illis detrahere laborauit. Homo enim Catholicę fidei infensissimus, ægerrimo patiebatur animo, vt Deus manifestis iisdemq; perennibus miraculis declararet quæ sibi religio cordi esset, & veram fidem à perfidia signis manifestissimis discriminaret. adeò vt, antequam regnum adipisceretur, cùm, Theude adhuc superstite, habenas regni administraret, admodum curiosè scrutatus sit, vt redarguere posset impostura, quod Deus inter Arianos euidens edere consueuit signum, quo & fides Catholica veluti Dei digito probaretur, & Ariana impietas damnaretur. Sed quódnam id fuerit, meminimus supe-

A superiùs alia occasione retulisse, cùm de aliis huiuscemodi miraculis in Sicilia, Italia, & Oriente fieri solitis sermonem habuimus: hic verò (quod locus & tempus postulat) eiusdem Gregorij verbis repetere, haud putamus legenti fore fastidio. sic enim ait[a]:

Est & illud illustre miraculum de fontibus Hispaniæ, quos Lusitania prouincia profert. Piscina namque est apud Osen * campum antiquitus sculpta, & ex marmore vario in modum crucis miro composita opere: sed & ædes magnæ claritatis ac celsitudinis desuper à Christianis constructa est. Igitur cùm dies sacer post curriculum anni antecedentis aduenerit, quo Dominus, confuso proditore, mysticam discipulis præbuit cœnam: conueniunt in locum illum cum Pontifice ciues, iam odorem sacri persentientes aromatis. Tunc data oratione sacerdos, ostia templi simul iubet muniri signaculis, aduentum virtutis Dominicæ præstolantes. Die autem tertia (quod est sabbati) conuenientibus ad baptizandum po-
B pulis, adueniens Episcopus cum ciuibus suis, inspectis signaculis, ostia referat clausa. Ac mirum dictu, piscinam quam reliquerant vacuam, reperiunt plenam, sed ita cumulo altiore refertam, vt solet super ora modiorum triticum adgregari: videasq; huc illucq; latices fluctuare, nec partem in diuersam defluere. Tunc cum exorcismo sanctificatum, conspersum desuper chrisma, omnis populus pro deuotione haurit, & vas plenum domi pro saluatione reportat, agros vineasque aspersione saluberrima tutaturus. Et cùm exinde multitudo amphorarum sine collecto numero hauriatur, numquam tamen vel cumulum minuit: licet vbi infans primò tinctus fuerit, mox aqua reducitur: & baptizatis omnibus, limphis in se reuersis, vt initio produntur nescio, ita & fine clauduntur ignaro.

Cuidam verò ex hæreticis Deum non metuenti, neque venerationem præstanti huic loco sancto, neque credenti corde miraculum quod in eo Dominus ad corroborandam
C suorum fidem præstare dignatus est, quid euenerit, non silebo. Venit cum turba equorum, solutisque impedimentis, iussit in basilica poni, equisque in ea præsepia præparari, irridens miser quæ de hoc loco narrabantur ab incolis. Igitur media nocte prætereunte, à febre corripitur, ac penè exanimis, & tardiùs quàm debuerat pœnitens, exclamat, equites ab æde expelli: erat enim ei, sub Rege licet, magna tamen in ea regione potestas. Expulsisq; à basilica sancta equitibus, ad se conuersus cœpit dētibus proprium lacerare corpusculum, nec prorsus retineri à suis ob nimiam poterat debacchationem: tandemque oppressus inter suorum manus spiritum exhalauit.

Denique Theodegisilus * huius Rex regionis cùm iam vidisset hoc miraculum, quod in his sacratis Deo fontibus gerebatur: cogitauit intra se dicens: Quia ingenium est Roma-
D norum (Romanos enim vocitant homines nostræ religionis) vt ita accidat, & non est Dei virtus. Veniens verò ad annum sequētem, ostium cum sigillis suis cum Episcopi sigillo muniuit, posuitque custodes in circuitu templi, si fortè aliquem deprehendere posset fraudis alicuius conscium, per cuius ingenium in fontibus aqua succresceret. similiter & alio fecit anno. Tertio verò conuocata virorum multitudine, fossas in circuitu basilicæ fieri iussit, ne fortè locis occultis limphæ deducerentur in fontem: fueruntque fossæ in profundum vicenum quinum pedum, in latitudinem verò quindecim. Sed nihil abditum potuit reperiri. Tamen vitæ finem faciens, & credo pro huius inquisitionis temeritate, anni sequentis diem, quo hoc mysterium celebrabatur, videre non meruit, eo quòd arcanum virtutis diuinæ inuestigare præsumpsit. Habentur autem in ea reliquiæ S. Stephani Leuitæ.] hactenus de his Gregorius: quibus haud vulgarem conciliant fidem, quæ eiusdem generis in vnum congesta miracula superiori tomo sunt enarrata.

E Hoc eodem anno Macarius Hierosolymorum Episcopus, vbi sedisset annos duos, pellitur: de quo ista Euagrius habet[b]: Sedit Macarius, Imperatore nondum ei suffragante: qui postea sede sua pulsus fuit; nam ferebatur, eum dogma Origenis tutatum. Cui in Episcopatu successit Eustochius.] hæc Euagrius: verùm ipsum Macarium passum fuisse calumniam, ea quæ superiùs in eius creatione dicta sunt, possunt facilè suadere. hincq; factum est, vt vbi Origenem damnasset (vt idem auctor ait) in suam sedem receptus sit: quem sedisse annos quatuor, Nicephorus tradit. Ceterùm post eum rursum liquet restitutum Eustochium: siquidem constat, ipsum ei quæ celebrata est anno Domini quingēteſimo quinquagesimotertio, per legatos Quintæ Synodo interfuisse. Vnde corrigendum est Nicephori Chronicon, vbi habet annum tantùm sedisse Eustochium.

Quod autem ad Eustochium spectat, qui hoc anno suffectus est Macario pulso; ab Euagrio[c] ista accipe, dum eius meminit occasione Barsanuphij sanctissimi anachoretæ: Vixere

[a] *Greg. Turo. de glor. mart. c. 24. 25.*

* Osset

DE MIRACVLIS IN FONTE BAPTISMATIS QVOTANNIS RENOVARI SOLITIS.

DIVINA VLTIO IN CONTEMPTOREM.

* Theodegiscl us

THEODEGISCLVS REX SVO DAMNO PERICVLVM DE FONTE FACIT.

MACARIVS EPISC. HIEROSOL. SEDE PVLSVS.

[b] *Euag. lib. 4. c. 36. & Niceph. lib. 17. c. 26.*

[c] *Euag. lib. 4. cap. 32.*

DE BARSANVPHIO ADMIRANDO ANACHORETA.

per idem tempus viri planè diuini, qui multis in locis magna edebant miracula,& quorum gloria vbique peruagata fuit. Ex quorum numero erat Barsanuphius genere Ægyptius: Ipse vixit in monasterio prope vrbem Gazam,&in carne vitam carni aduersam degit, adeò vt multa mirabilia ederet miracula. Creditur porrò, eum in ædicula quadam clanculum ætatem degisse,atque à tempore quo eam ingressus est,ad spatium quinquaginta annorum & ampliùs neque à quoquam visum esse, neque quicquam alimenti vel aliarum rerum in terra cepisse. Quibus rebus cùm Eustochius Episcopus Hierosolymorum minimè fidem adhiberet; cumque ædiculam, in qua ille diuinitus inclusus fuit, perfodere constituisset: parum aberat, quin ignis ex ea erumpens, omnes, qui cum eo illuc venerant, combussisset.] hæc de Eustochio occasione Barsanuphij habet Euagrius. Viuebat tunc & in Palæstina miræ sanctitatis vir Mirogenes nomine,de quo hæc inter alia Sophronius[a]: De hoc Abbate Mirogene cùm audisset Hierosolymitanus Archiepiscopus Eustochius,voluit ad eum mittere quæcumque erant necessaria, nam hydropisi laborabat: sed ille numquam ab eo quicquam consensit accipere: hoc autem solum illi significabat: Ora pro me, Pater, vt liberer ab æterno cruciatu.] hæc ipse.

[a] *Sophron. Prat. Spirit. c.8.*

DE SIMEONE SALO.

Pergit autem Euagrius[b]: Fuit Emesæ vir quidam nomine Simeones,qui omni inanis gloriæ cupiditate abiecta, quamquam sapientia cuiusque generis & diuina gratia refertus fuit, tamen his qui eũ minimè ignorabant,delirus visus. Isto maxima ex parte remotus ab aliorũ conspectu vitam transegit, nec cuiquam potestatẽ concessit comprehendendi quando aut quomodo Deum precaretur, neque quo tẽpore solus apud se vel abstineret cibariis,vel eadem capesseret.Interea verò cùm in publica platea vel in foro versaretur, visus est à pristina viuendi consuetudine deflexisse,immò verò etiam nihil omnino vel prudentiæ habere,vel ingenij.Quin etiam tabernas aliquando ingressus,esculẽtis,cùm esuriret,vel cibis quibusli- C bet vescebatur.Quòd si quisquam inflexo capite eum salutabat,ira accensus è loco illo celeriter excessit,veritus ne sua virtus à vulgo deprehenderetur.] hæc & alia de eodẽ Simeone Euagrius,quibus ostendit eum virtutẽ miraculorum fuisse adeptum, atq; etiam propheticum spiritũ consecutum. Porrò res ab eò præclarè gestæ fusiùs scriptis[c] mandatæ fuere à Leontio Neapolis Cypri Episcopo,vt Acta Nicænæ posterioris Synodi[d] fidem faciunt.

[b] *Euag.lib.4. cap.33.*

[c] *Habes ea apud Sur. tom. 4. die 1. Iulij.*

[d] *Conc. Nicæ. 2. Act.4.*

QVALIS ORIGENES FVERIT DECLARATVS.

At quid his temporibus, quibus in Palæstina præsertim hæreses Origenis inualuerunt, interrogare cupientibus quid de Origene sibi videretur, responderit: accipe scitè dictum, sed stultitiæ pannis obtectum.Sic eam Leontius narrat historiam:Cùm autem duo quidam Patres tunc in quodam monasterio prope Emesam inter se quærerent & perscrutarentur, cur cecidisset Origenes hæreticus, qui tanto ingenio & tanta sapientia à Deo fuerat ornatus:Et vnus quidem diceret,non fuisse à Deo eam quæ ei aderat scientiam,sed fuisse quod- D dam donum naturæ & dexteritatem ingenij:nam cùm in lectione diuinæ Scripturæ,& sanctis Patribus maximè esset versatus, acuit ingenium, & ideo libros conscripsit. Alius verò contrà,diceret,neminem ex dono naturæ posse tales,quales ille edidit, habere orationes,& maximè ea quæ sunt de iis quæ dicuntur Hexapla: quocirca ea vel in hodiernum diem suscipit Ecclesia tamquam necessaria. Cùm ille autem rursus responderet: Crede mihi: sunt Gentiles, qui eo maiorem habuere sapientiam, & qui eo plures libros conscripsere: quid ergo? oportet ne eos laudare propter verbosas eorum nugas?

Cùm, inquam, non potuissent conuenire, tandem dicit vnus alteri: Audimus ex iis qui veniunt ex sanctis locis, esse magnos monachos in solitudine Iordanis: eamus,& hoc discamus ex ipsis.Cùm itaque ad sancta loca venissent,& orassent,veniunt etiam ad Mortui maris solitudinem,in quam secesserant semper memorandi Ioannes & Simeon. Cùm ergo fe- E cisset Deus vt eum laborem non frustra susceperint, inuenerunt Abbatem Ioannem, qui ipse quoque ad perfectam iam mensuram peruenerat. Postquam enim eos videt,dixit: Bene venerunt qui mare reliquerunt,& in siccum lacum veniunt ad hauriendum.] hæc ea ex causa,quod cùm in patria haberent Simeonem,eo non cognito,& ob id prẽterito,ad ipsum tam longo itinere perrexissent. Sed pergit auctor: Cùm longa ergo, piaque ac religiosa inter eos fuisset congressio, dicunt ei, quanam de causa tantum iter confecerant. Is verò dicit eis: Nondum, Patres, accepi donum discretionis iudiciorum Dei: sed abite ad Salum Simeonem, qui est in vestra regione: ipse vobis potest & hæc & omnia quæ vultis soluere, ei dicentes: Precare etiam pro Ioanne, vt illi quoque decem sorte contingant.] quid autem per hæc decem significarit, nota ista erant inter se symbola, quæ ipsorum Vitæ exordio auctor declarat. Sed rursum Leontius:

Postquam

A Postquam autem venerunt Emesam,& rogauerunt vbinam esset ille Simeon qui dicitur Salus,id est,Stultus: omnes eos irridebant,& dicebant: Quid ex eo vultis, Patres? Est homo amens, qui omnes vexat & subsannat, & maximè monachos. Cùm ij autem qui quæsierant, inuenissent eum apud Fuscarium rodentem lupinos tamquam vrsum: vnus ex eis statim passus est scandalum, & dixit apud se: Venimus ad videndum virum magna cognitione præditum: is potest multa nobis dicere? Postquam ergo appropinquauerunt,dicunt ei: Benedic. Ille verò eis dicit: Malè venistis,& qui vos misit stultus. Apprehensa verò auricula eius qui scandalum passus fuerat, impegit ei talem alapam, vt plus quàm tres dies signum apparuerit; & dicit: Cur vituperas lupinos? ij fuerunt madefacti quadraginta diebus: Origenes verò ex eis non comedit, quoniam male subiit, & non potuit egredi, & fuit suffocatus in profundo. Ij ergo obstupefacti, quòd eis omnia prædixisset: quinetiam, quod
B decem velit Salus,sed est stultus,vobis similis: Accipitis ne,ait,plagam in crure? Certè,certè, abite. Statimque sublata olla, in qua erat leuis vesica, vsit eos duos in labris, ne quid possent dicere quod eis dixisset.] Ista symbolicè de Origene Simeon, quòd deserens ille Christianam bene probatam simplicitatem per lupinorum esum repræsentatam, cùm plus sapere vellet quàm oportet sapere, euanuit in cogitationibus suis; & putans se sapientem, verè stultus factus est. istiusmodi igitur ludibrio Simeon Origenem cum Origenistis voluit condemnasse. At quonam alio edito stultitiæ signo grassantem his temporibus Acephalorum hæresim palàm ob oculosque omnium idem damnatam ostenderit; accipe quæ his mox idem Leontius ita subdit:

EX FACIE IVDICANS MONACHVS CORRIPITVR.

ORIGENES SIBI SAPIENS STVLTVS FACTVS.

Cùm autem quadam die esset in officina in qua erant vesicæ, accepit calamum, & cœpit tibia canere in quodam angusto vico,vbi erat spiritus immundus. Canebat autem tibia,
C & dicebat orationem magni Niconis, vt ex eo loco effugaret spiritum: multos enim vexauerat. Postquam ergo fugit dæmonium, transiit tamquam Æthiops per vesicarum officinam, & confregit omnia. Reuersus ergo ille admirabilis, dicit dominæ: Quis hæc fregit? Illa autem dixit: Vnus Mauritanus sceleratus venit, & omnia contriuit. Is verò dicit ridens: Pumilio,pumilio. Illa verò dicit: Certè, Sale. Ille autem dicit: Re vera ego eum misi, vt omnia confringeret. Postquam autem illa hæc audiuit, voluit eum verberare. Ille verò se incuruans,& puluerem tollens proiecit,& oculos eius Sanctus obscurauit,& dixit: Re vera non me apprehendes, sed aut in Ecclesia mecum communicabis,aut Mauritanus confringet omnia. erat enim ex hæresi Acephalorum. Postquam ergo recessit ab ea,ecce cras, eadem hora venit Maurus,& rursus confregit omnia tam apertè, vt videretur oculis. Vires itaque sumpserunt Orthodoxi, vt qui Simeonem haberent Dei famulum,de eo autem ne-
D mini audentes dicere, quamuis quotidie transiret Salus, & eos irrideret.] ita planè vt illud Apostoli his aptari possit[a]: Cùm mundus per sapientiam Deum non cognouisset, placuit per stultitiam prædicationis saluos facere credentes.] Sed quod ad recitatam historiam spectat, aliqua deesse videntur in textu, nempe tum feminæ, tum viri eius Fuscarij conuersio ad fidem Catholicam: quod ex iis quæ idem auctor superiùs dixerat, elici satis potest, vbi de eodem Simeone hæc ait:

DAEMON IN OFFICINAM HAERETICI HOMINIS DEBACCHATVR.

ACEPHALI CONVICTI MIRACVLO.

[a] 1. Cor. 1.

Cùm autem Deus vellet saluum facere Fuscarium (erat enim hæreticus ex hæresi Acephalorum Seuerianorum) vidit ipsum eius vxor in manu suffumigantem: ea verò obstupefacta dixit: Vnus Deus, ô Abbas Simeon, in manu tua suffumigas? Postquam autem hoc senex audiuit,prætulit se comburi,& nescio quæ lucida è manu sua transtulit in vetus pallium quod gestabat, & dixit: Si nolis in manu mea, ecce in meo pallio suffumigo. Virtute
E autem Domini, qui rubum conseruauit incombustum & pueros, nec Sanctus sensit flammam,nec eius pallium. Quomodo autem salui euaserunt Fuscarius & eius vxor,dicetur in alio capite] eo nimirum, quo ab Æthiopis formam induto prauo dæmone ea ipsos passos esse damna auctor narrat. Sed qui eo modo per Æthiopem Acephalos condemnauit, & in lupinis Origenis insipientiam demonstrauit; quomodo & de Iudæis triumphum egerit, ex eodem auctore accipe, qui ista subiungit:

Quidam verò ex his qui præerant officinis ciuitatis, voluit eum publicare, cognoscens eius virtutem: semel enim vidit, cùm lauaretur, duos Angelos qui cum eo conuersabantur. Erat autem is qui præerat officinis Hebræus, & Christum sæpe blasphemabat. Apparet ergo ei in somnis hic Sanctus dicens, vt nemini diceret quod viderat. Manè autem voluit de eo triumphum agere & eum traducere. Protinus autem astans Sanctus, eius labia attigit & compressit, nec potuit vllum verbum loqui. Venit autem ad Salum, & ei manu annuit,

IVDAEORVM CONVERSIO.

vt face-

vt faceret eum loqui. Simulabat verò Abbas Simeon amentiam,& ei contra annuebat tanquam ſtultus: ei autem annuebat,vt ſe ſignaret. Licebatq; vtroſque videre inter ſe annuentes terribili ſpectaculo. Ei ergo rurſus apparet in ſomnis ſenex,dicens: Aut baptizare,aut eris mutus. Atque tunc quidem nec induxit in animum, vt crederet. Poſtremò autem quando mortuus fuit Abbas Simeon, & ſe vidit adductum in anguſtias, maximè autem dum eius transferrentur reliquiæ, tum ipſe baptizatus fuit & eius domus. Et cùm primùm aſcendit de ſacro lauacro,eſt locutus. Faciebat autem Sali quotannis commemorationem,& inuitabat pauperes.] Sed quomodo alium idem Salus Hebræum baptizari coëgit, audi: A

ALTERIVS HEBRAEI CONVERSIO

Rurſus autem ſemel ſedebat cum fratribus, & ſe calefaciebat prope caminum vaſorum vitreorum opificis: erat autem vitreorum opifex Hebræus. Dixitque ludens pauperibus: Vultis faciam vos ridere? Ecce quando artifex facit poculum, faciam crucem, & franget. Poſtquam autem ſeptem fregit ordine,cœperunt ridere pauperes,& rem ei dixerunt. Is verò illum ira accenſus eſt perſecutus. Poſtquam autem receſſit, clamauit ei,dicens: Re vera, Manzer,donec crucem in tua fronte feceris,conterentur omnia. Cumque rurſus tredecim alia confregiſſet ordine,compunctus eſt,fecitq; crucem in fronte,nec vllum fregit ampliùs. Hoc ergo modo abiit, & factus eſt Chriſtianus.] Sed qui Origeniſtas atque Acephalos vicit, Iudæoſque ſuperauit, quem de magis triumphum egerit, paucis accipe: B

MAGIAE VSVS ADEMPTVS MALEFICAE.

Erat autem illo tempore quædam mulier diuinatrix, quæ faciebat amuleta, & vtebatur incantationibus. Hanc conabatur hic vir iuſtus facere ſibi amicam, dans ei ea quæ colligebat, ſiue eſcam, ſiue pultem, ſiue etiam veſtes. Itaque quadam die dicit ei: Vis tibi faciam amuletum, vt numquam ſit tibi lema in oculo? Illa verò dicit ei: Certè, Sale. reputans, quòd etſi ſit fatuus, id fortè poſſit præſtare. Abiens itaque ſcripſit in tabella Syriacè: Deus te faciet ceſſare & deſiſtere ab auertendis ab ipſo hominibus. Dedit ergo ei,& ipſa geſtauit: neque potuit ampliùs alicui diuinare.] hæc & alia plura Leontius: ſed ad inſtitutum iſta ſatis. Vides in his planè quàm vehementer admireris Dei prouidentiam, dum quo tempore infatuata videri poterat Græcorum ſapientia, cùm iam Oriens ſterilis prorſus redditus parere deſiiſſet doctiſſimos illos atque ſanctiſſimos viros, qui ſicut antea orbem terrarum ſcientia illuſtrarent,atque aduerſus hoſtes fidei Chriſtianæ pugnarent ac ſuperarent,virum excitat, qui ſe ſtultum fingens,omnium ſapientiſſimus demonſtretur: ſimulque luſu quodam aduerſantes Chriſtianæ religioni hæreticos, Iudæos, & magos vincat. Vt planè illud cum Apoſtolo liceat exclamare[a]: Vbi ſapiens? Vbi ſcriba? Vbi inquiſitor huius ſæculi? Nónne ſtultá fecit Deus ſapientiam huius mundi?] Sed quod ſupereſt anni huius tetrum Theodoræ Auguſtæ funus, inſpiciamus. didicit ipſa infelix tandem, quàm ſit terribilis qui aufert ſpiritum Principum. C

[a] 1. Cor. 1.

DE OBITV THEODORAE AVG.

Hoc enim anno Imperij Iuſtiniani vigeſimoſecundo, eadem Theodora Aug. ad cladem fidei Orthodoxæ ſolùm intenta,ex hac tandē vita,licet ſerò, ſubducitur, cùm (inquit Procopius) imperaſſet annum vnum & viginti, menſemque tertium. ita ipſe ſcribens de bello Gothico,& in fine commentarij de rebus Perſicis id ipſum affirmat, vbi cùm refert res geſtas in bello Perſico anno eiuſdem Iuſtiniani Imp. vigeſimotertio,mox iſta ſubdit: Ioannes autem Cappadox anno ſuperiore ab Imperatore reuocatus eſt; quo tempore finis item vitæ Theodoræ Aug. aduenit.] hæc de tempore obitus Imperatricis Procopius: ſed quo morbi genere fuerit ex hac luce ſubtracta, hic omnino ſilentium. Verùm qui hæc Procopius obiter attigit, ſeorſum (teſte Suida) in aliis libris ſcripſit vituperationes Iuſtiniani & Theodoræ, necnon Beliſarij & eius coniugis: ſed cùm eiuſmodi à Procopio ſcriptis libris careamus, nihil eſt vt de Theodora aliud dicere poſſimus, niſi quòd à Vigilio ſauciatam primùm diro iaculo anathematis,haud poſt diu, vlciſcente numine, eſt ſecutus interitus. D E

DE IOANNE IN ORDINEM REDACTO.

Sed videamus quæ de Ioanne Cappadoce,qui ſemper apud Iuſtinianum Imp. primarium locum obtinuit,idem Procopius iſtis ſubiicit: Ioannes ob ſuſpicionem magiſtratu deiectus, ſacerdotium ſumere compulſus eſt: quamquam in eo ſtatu in phreneſim quamdam atque opinionem conſequendi Imperij venit. Quærit enim dæmon ambitioni homines deditos ſummorum honorum ſpe deludere, qui præſertim conſtanti natura ſeu propoſito nō ſunt: quod Ioanni accidit, cui mira ac vana ſoliti prædicere homines,cùm alia,tum futurum vt is quandoque Auguſti habitum indueret: quod fortaſſe factum in hoc verum apparuit,quòd quidam ſacerdos nomine Auguſtus Byzantij theſauri Sophiæ templi cuſtos propè aderat, quando Ioannes ſacerdotis habitum induit; forteque ſuum, ceteris deficientibus,accommodauit.] hæc Procopius: qui & hic finem imponit hiſtoriæ de bello Perſico.

Quod

A Quod verò ait compulsum Ioannem effici sacerdotem, non sic accipias, vt inuitus potuerit ordinari sacerdos: Sed cùm ea offerretur ab Imperatore conditio, vt si vitam sibi saluam vellet, sacris initiaretur ordinibus, alioqui foret gladio feriendus: ille fieri sacerdos magis elegerit, minimè cogendus, si renuisset. Est namque exemplum de Anastasio Imperatore, qui cùm quemdam ex Senatorio ordine vellet ordinari presbyterum, ipsum penitus renuentem, & omne potiùs supplicium subire paratum, laicum tandem remanere permisit potiùs, quàm vi cogeret fieri sacerdotem; quem à successore Iustino Imperatore creatum fuisse Præfectum Prætorio, testatur ex Romani scrinij scriptis Petrus Damiani in epistola ad Nicolaum Romanum Pontificem.

Sed ad Ioannem redeamus, de quo idem Procopius[a] in bello Persico, quæ sunt reliqua ipsius tragœdiæ memoria digna, prosequitur verbis istis: Igitur de magistratu primum deie- B ctus; in exilium in Cyzici suburbanum, quod Arracem vocant, missus est: vbi presbyteri tantum habitum, non autem sacrificandi animo sumpsit, ne impedimento fieret ad repetendos forsitan honores, quorum spem non omninò abiecerat. Bona eius Constantinopoli publicata, quamquam longa pars ei Imperatoris benignitate dimissa est. Cum his itaque, atque aliis quæ occultauerat, ditissimus remanserat, eaq; vixit nihilominus licentia & his deliciis, quibus prius: adeò procul ab omni cura fuit. quamobrē odium in se Romanorum accumulauit, perspecta hominis impudentia, & in calamitate merita inconsiderantia. Verùm eum Deus grauiori pœnæ, puto, reseruauerat: quod hoc modo contigit.

[a] *Procop. de bello Pers. lib. 1.*

IN EXILIVM IOANNES MITTITVR.

Erat quidam apud Cyzicum Episcopus Eusebius, omnibus cum quibus versaretur, non minus quàm Ioannes grauis. Hunc Cyziceni apud Imperatorem accusantes, ad iudicium accersiuerunt: verùm eo viribus ac potentia resistente, nihil tunc egerunt: conspirantibus C demum quibusdam iuuenibus, in foro interficitur. Erat autem Ioannes in dissensione cùm Eusebio, ex quo illi insidiæ in primis prouenisse putabantur. Mittitur igitur è Senatu Romanorum qui crimen sedis inquirant. Hi Ioannem ante omnes in carcerem coniiciunt. Deinde hominem olim inter Patricios potentissimum & Præfectum, & quandoque Consulem, nudum more latronis constituentes, auctores cædis dicere coëgerunt. Deinde cunctis eius bonis direptis, breui tantum eum ac linea contectum veste naui imposuerunt: sic itaq; circumductus per totum Ægypti iter vsque ad Antinoi vrbem, petere ab obuiis stipem cogebatur. Hic verò tres annos in custodia seruatus est. Quodq; mirum, in tantis ærumnis constitutus, numquam imperandi spem dimisit; sed & quosdam Alexandrinos publicè aurum debentes, palam etiam calumniabatur. Post decem itaque annos à Ioanne malè administratæ Reipublicæ pœna exacta.] hactenus Procopius de Ioanne illo insignis nominis, ad D quem Præfectura Prætorij fungentem extant complura Iustiniani Imp. data rescripta, homine planè in exemplum posito rerum mundi huius volubilis status, & eius animi insania obdurati, quem nec malleus ferreus tribulationum valuit vllo pacto conterere, secundum illud Sapientis[b]: Si contuderis stultum in pila quasi ptisanas, feriente desuper pilo, non auferetur ab eo stultitia eius.] Sed hic iam finis anni huius rerum gestarum esto.

RVRSVM IOANNES REVOCATVR AD POENAS

[b] *Prou. 27.*

IESV CHRISTI ANNVS 549. VIGILII PAP. ANNVS 10. IVSTINIANI TOTILÆ IMP. 23. REG. 8.

E ANNVS sequens post Consulatum Basilij octauus numeratus, quingentesimus vndequinquagesimus Domini ponitur, idemq; à Procopio belli Gothici decimusquartus asseritur: quo Belisarius, relicta Italia, Constantinopolim remeauit: de eo enim ista Procopius habet[c]: Belisarius interim nulla referens militiæ decora, Byzantium venit, cùm per quinquennium ex Italia nusquam discessisset, nec potuisset per eam quoquam pacto vagari, sed tacita fuga quadam deterritus vt vitabundus id omne tempus de loco in locum naugando consumpsit. Qua ex re factum, vt vrbem Romam iterato in seruitutem receperint Gothi, cumq; ea & cetera fere Italiæ oppida.] sed id anno sequenti. Reuersum autē Constantinopolim otiosam degisse vitam, idem auctor affirmat. Amantissimæ verò coniugis precibus ipsum testatur idem Procopius ab Italia reuocatum.

[c] *Procop. de bello Goth. lib. 3.*

BELISARII REDITVS INGLORIVS

Sed quo statu res Occidentalis Imperij essent, antequam inde recesserit Belisarius, ex eodem auctore accipe, vbi ait[d]: Dum hæc agerentur, totius Occidentis barbari Imperio potiuntur:

[d] *Procop. de bello Goth. lib. 3.*

OCCIDENTALE IMPERIVM COLLAPSVM.

tiuntur: Romani verò cum Gothis, etsi paulo antè (vt diximus) debellatis, bellum dum integrant, pecuniarum hominumque iactura ingenti facta, & sine vllo eorum commodo, Italiam amisere, cum hac simul Illyricos omnes, Thracesque, cùm à barbaris iam finitimis factis sua omnia agerentur in prædam, & item ipsi fœdè deprædarentur.] hæc Procopius, qui & subdit, Romam iterato in seruitutem à Gothis redactam fuisse. At de his suo loco. A

CAVSA MALORVM.

Quod verò pertinet ad Belisarium, considerare ne prætermittas quàm disparis exitus à priore posterior hic fuit ipsius in Italiam aduentus, & reditus Constantinopolim. Ex quo enim (quod sæpius ob oculos repræsentandũ est) in Romanum Pontificem Siluerium violentas manus iniecit, vis omnis ipsius roburque Romanæ militiæ concidit, addita verò fuit hostibus bellica fortitudo, quam innumeræ victoriæ sunt secutæ: vsque adeò, vt quæ tanto fuerunt parta labore, pessumierint, cùm illis potiti sunt Gothi. reliquas verò prouincias, nempe Pannoniam & finitimas regiones, Longobardi à propriis sedibus super Istrum fluuium positis Gipedum regioni finitimis excitati inuaserunt; grassantesque in Dalmatiam & Illyricum, Epidamnum vsque cuncta depopulati sunt. Hæc omnia pluribus Procopius habet, qui de aucto hoc anno Francorum regno hæc subdit[a]: B

[a] *Procop. de bello Goth. lib. 3.*

FRANCI AB IMP. IVRA GALLIARVM ACCIPIVNT

Dum hæc gererentur, totius Occidentis barbari Imperio potiuntur.] & paulo pòst: Galliarum partem suæ quondam ditionis effectam in huius belli principio Gothi Germanis, *nempe Francis*, tradiderant, cùm minùs se posse existimarent Romanis simulac Germanis resistere. Id sanè factum non solùm Romani nil prorsus interpellarunt; sed vt Gallias sibi Germani haberent, Iustinianus vltro permisit: non enim illi has tuto se possessuros rebantur, nisi & Imperator eas suæ ditionis futuras perpetuò confirmasset. Quo factum, vt ex eo tempore Principes Germanorum Massiliam Phocæsium quondam coloniam & cetera circa mare loca tenuerint, totiusque eius oræ maritimæ potiti imperio sint: vnde & Arelate nũc resident ad certaminis equestris spectaculum.] Quis ista legens, & in memoriam reuocans vsurpatum à Iustiniano indebitè titulum Francicum, non admiretur Dei prouidẽtiam rebus humanis inuigilantem, ad hoc in primis, vt mente elatos deprimat, & humiles eleuet? Ecce enim qui inani titulo, præter alia gloriæ nomina è populis debellatis accepta, Francicus à Francis superatis dici voluit, quos nec bello tentauerat; modò cogitur cedere Francis quæ potiora in Galliis Romani essent Imperij. Ita planè accidit, vt nihil sit in ceteris Galliarum prouinciis, quod iustiùs Franci possederint, quàm Massiliam cum aliis eiusdem prouinciæ locis, acceptis illis concessione Gothorum, & cessione facta Imperatoris. C

FRANCI PRIMI CVDVNT AVREOS CVM REGIS IMAGINE.

Pergens Procopius, ad gloriam insinuandam Francorum hæc adiicit: Aureum nummum natiuo & Galliarũ metallo hi cudunt, non Romani Imperatoris (vt ceteri solent) imagine, sed sua impressa. Persarum siquidem Imperator etsi ad arbitrium argenteum numisma facit, auro tamen non illi fas est suam vt imponat effigiem, nec barbarorũ Princeps alius quisquam id facere ausit. Sed de his hactenus. Franci interea pleraque sibi & nullo iure in Venetos occupant loca, cùm nec Romani ea tueri iam possent, nec Gothis tantum virium esset, vt his vtrisque bellum inferrent.] hæc Procopius de statu Occidentalis Imperij. D

CŌIVRATIO IN IVSTINIANVM.

Sed & hoc pariter anno accidisse tradit, vt Artabanes, qui Guntharidem tyrannum occidisset in Africa, vnà cum Arsace cognato suo atque aliis nonnullis proceribus aduersus ipsum Iustinianum Imperatorem conspirauerit; & nisi molitiones detectæ fuissent, planè de ipsius Iustiniani vita atque Imperio actum esset. Describit hæc pluribus ipse Procopius, sed nihil ad institutum.

Illud verò satis admiratione dignum, quòd licet tot tantisque malis obortis vndique Romanum adeò fluctuaret Imperium, Iustinianus tamen totus erat in dogmatibus Ecclesiasticis perscrutandis. Nam cùm de coniuratione Artabanis in Imperatorem Procopius agit, hæc ab Arsace de eo inter alia dicta refert[b]: Ad multam noctem hic sedet, circumstantibus sacratis quibusdam & effœtæ ætatis viris, Christianorum scriptis miro studio reuoluendis intentus.] & post multa subdit ista Procopius: Vigilius autem vrbis Romanæ Præsul cum Italicensibus aliis & primoribus viris, qui secum Byzantij erant, ab Imperatore supplici- ter & enixiùs postulabant, Italiam omnibus in suam vt viribus redigeret potestatem: sed Gothicus præ ceteris maximè vir sanè Patricius ad ipsum in hunc crebrò impellere, hortarique, vt qui ea de causa Byzantium se contulisset. Imperator verò Italiam sibi curæ fore, respondit. Sed circa Christianorum dogmata componenda nimis intentus, eorum altercationes vt rectè disponeret, nitebatur.] hæc Procopius de Imperatoris studiis: quibus dum plus quàm decet Imperatorem, curiosè vacaret, vniuersum pessumdedit Imperium. E

[b] *Procop. de bello Goth. lib. 3.*

STVDIA IVSTINIANI CIRCA DOGMATA.

Videant

A Videant ergo Politici Nouatores, quanta cum iactura quæ sunt Pontificum arrogent sibi Principes, quamuis, sicut Iustinianus, ex sacrarum legum præscripto cuncta se facere profiteantur. Regum namque est de sacris dogmatibus ex Ecclesiastica disciplina accipere ab Episcopis leges, non quouis colore præscribere, sed sancitas ab ipsis ipsorumq; maioribus illibatas seruare, & pro illis aduersus hæreticos decertare. Intelligant illud insuper vel ex ipso rerum vsu, quanto cum Imperij detrimento, regnandi iuris inani prætextu peccent Principes in sacerdotes: Recolant Siluerium Papam abductum ab Vrbe eo colore ne proderet ipsam Gothis; quæ, illo pereunte, ab iisdem Gothis iterum capitur; insuper & Italia ab eodem Imperatore à Gothis antea fortiter vindicata, rursus amittitur; atque vniuersi demum barbari, veluti impellente numine, ad cladem Romani conuocantur Imperij. Tanta sub Iustiniano mala Romano Imperio sunt allata. Sed & parua hæc quodammodo videri possent, B nisi ipse grauia intulisset in Catholicam Ecclesiam damna Iustinianus, dum laborat leges sacras præscribere sacerdotibus, à quibus accipere potius debuisset: edicto enim illo de Tribus capitulis promulgato, materiam præparauit, & ignem quo vniuersus orbis Catholicus concisus schismate conflagraret, apposuit. Tot igitur tantaque mala sæculi prudentia (quæ mors est) inuexit in mundum, & vsque hodie in sui perniciem laborare non cessat. Sed iam reliqua ordine temporis prosequamur.

CONTRA POLITICOS NOVATORES.

IESV CHRISTI ANNVS 550. VIGILII PAP. ANNVS II. IVSTINIANI TOTILÆ IMP. 24. REG. 9.

C QVingentesimus & quinquagesimus annus Domini, post Consulatum Basilij nonus; & belli Gothici decimusquintus agitur, Imperij verò Iustiniani annus vigesimusquartus notatur à mensis Aprilis exordio. Quo ipso anno, mense Martio Vigilius Papa ad Valentinianum Episcopum Tomitanum litteras dedit aduersus schismaticos, qui vbique scriptis litteris illud vulgarant, ipsum Vigilium Papam Tria damnando capitula, impugnare Chalcedonense Concilium. Cùm enim eius rei causa complures haud leuiter perculli animo resilirent ex ipsius Vigilij Papæ communione: prudentiores qui essent, rem accuratiùs considerandam rati, litteras miserunt ad ipsum Vigilium agentem Constantinopoli, inter quos fuit hic Valentinianus Tomitanus in Scythia Episcopus Metropolitanus, ad quem Vigilius ista rescripsit [a]:

[a] *Extat apud Synodum Quint. Act. 7. & tom. 1. epist. Rom. Pont. epist. 6. Vigilij.* VIGILII EPIST. AD VALENTINIANVM.

D Dilectissimo fratri Valentiniano Episcopo de Tomis prouinciæ Scythiæ Vigilius.

Fraternitatis tuæ relegentes scripta, Pontificalem in vobis solicitudinem inesse gratanter accepimus: quia Prophetica sibi possunt verba competenter aptari, quibus ait [b]: Saluabo gregem meum, & suscitabo super eum pastorem, qui pascat eum, seruum meum. Oportet ergo charitatem tuam ea quoque Domini nostri verba sectari, per quæ dixit [c]: Speculatorem te posui domui Israel, & audies de ore meo verbum, & annunciabis eis ex me. & conuocatos eos quos scandalizari diuersis rumoribus retulisti, incessanter hortari, ne per hos forsitan seducantur, qui sub prætextu Catholico, nequissimo spiritu simplicium Christianorum corda fallacia sua decipere moliuntur, & patris sui diaboli consuetudinem maligno sectantes spiritu, Ecclesiam tibi commissam diuersis mendacibus scriptis conturbare desiderant: quibus Apostolica lectio congruenter aptatur, dicens [d]:

[b] *Ezech. 34.* [c] *Ezech. 3.* [d] *Rom. 16.*

E Rogo autem vos, fratres, vt obseruetis eos qui dissensiones & offendicula præter doctrinam quam vos didicistis faciunt, & declinate ab illis. & infrà: Et per dulces sermones & benedictiones seducunt corda innocentium. Vestra autem obedientia in omni loco diuulgata est, quatenus fraternitatis vestræ adhortatione sæpe commoniti nulla fideles eorũ animos à rectitudine viæ, quæ Christus est, qui ait [e], Ego sum via, veritas, & vita, qualibet maligna annunciatione submoueant. sed si (quod non oportet) ab aduersariis conturbati, aliquid (quod Deus auertat) contra fidem factum fortè formidant: cum mansuetudine, quæ conuenit Christianis, prophetica verba sectentur, dicentis [f]: Interroga patrem tuum, & annunciabit tibi: seniores tuos, & dicent tibi. Et alius Propheta [g]: Labia sacerdotis custodiunt scientiam, & legem requirunt ex ore eius.

[e] *Ioan. 14.* [f] *Deut. 32.* [g] *Malach. 2.*

Et quoniam Basinianus illustris & magnificus vir filius noster cum his, qui pro actibus tuæ fraternitatis Ecclesiæ in Constantinopoli obseruant, pari ratione dixisse noscuntur, etiam

hoc

hoc Dei inimicos fuisse mentitos, quòd personæ Episcoporum Ibæ atque Theodoreti in A
nostro (quod absit) fuissent Iudicato damnatæ: legant ergo, quæ de causa, quæ hic mota est,
ad fratrem nostrum Mennam Constantinopolitanæ vrbis Episcopum scribentes, legimur
definisse: & tunc cognoscent, nihil à nobis, Deo nos custodiente, commissum, vel certe dis-
positum, quod contra fidem, prædicationemque venerandarum quatuor Synodorum, quæ
pro vna eademq; fide definita sunt, id est, Nicænæ, Constantinopolitanæ, Ephesinæ primæ,
& Chalcedonensis reperiatur aduersum, aut vnius ex his qui definitioni suprascriptæ Chal-
cedonensis fidei subscripserunt, tangat iniuriam; vel quod decessorum prædecessorumque
nostrorum inueniatur (quod absit) constitutis fortè contrarium; sed in omnibus Apostolicæ
* prædictarũ sedis Præsulum & beatæ recordationis Leonis Papæ & prædicatarum * Synodorum aduer-
sariis restitisse. Fraternitatem autem vestram credimus non latere, inimicos fidei Christia-
næ hoc semper sæculari & reprobanda molitos astutia, vt Euangelistas quatuor contraria si- B
bi (quod absit) dixisse monstrarent: quibus à sanctis Patribus per Euangeliorum concordiæ
libros est cælesti sapientia contradictum.

Quod nunc quoque sancti Chalcedonensis Concilij aduersarij (inter quos etiam Rusti-
cum & Sebastianum comperimus istius auctores scandali, quos olim pro meritis suis à sa-
cra communione suspendimus; in quibus nos, si non resipuerint celeriter, fraternitas tua
noscat canonicam sententiam prolaturos) qui sub prætextu falsæ defensionis studeant, vt
eamdem Synodum contra prædictas tres Synodos dixisse (quod absit) ostendant. Quibus
[a] *Hier. 8.9.* hæc conantibus, Prophetæ dicta consonanter aptantur, dicentis[a]: Verè mendacium opera-
tus est stylus mendax scribarum: verbum Domini nostri proiecerunt, & sapientia nulla
est in eis: docuerunt enim linguam suam loqui mendacium: vt iniquè agerent, laborauе-
[b] *Psal. 8.* runt. Quibus, si non pœnituerint, veniet Psalmistæ inuocata sententia, dicentis[b]: Vt de- C
struas inimicum & defensorem.

Credimus enim, Catholicis Ecclesiæ filiis, ea quæ tunc ad fratrem & coepiscopum no-
strum Mennam scripsimus, id est, de blasphemiis Theodori Mopsuesteni, eiusq; persona,
vel de epistola quæ ad Marim Persam scripta ab Iba dicitur, & scripta Theodoreti quę con-
tra rectam fidem & duodecim capitula S. Cyrilli facta sunt, abundè posse sufficere. Quippe
dum in constituto nostro superiùs designato possit diligenter agnosci, quia in ipsa definitio-
ne fidei, quam sancti Chalcedonensis Concilij sacerdotes secundùm præcedentes eam tres
alias sanctas Synodos protulerunt, non aliquid mutauerunt; sed laudantes omnia quæ à
superioribus acta sunt, sancta definitione sua perpetuo robore firmauerunt. Tamen si post
hæc aliquis (quod non credimus) dubitare voluerit, hortamur vt cum tuæ fraternitatis or-
dinatione ad nos venire festinet: quatenus lucida admonitione cognoscat, omnia quæ de- D
cessorum nostrorum & antefatarum quatuor Synodorum sunt de vna eademque fide acta
scriptaque temporibus, à nobis inuiolabiliter fuisse seruata.

Qua ratione percepta, sublato (sicut oportet) de Christianissimis animis scandalo, pax
Deo placita in eius Ecclesia illibata perduret. Hoc quidem fraternitatem tuam credimus
adhortandam, ne vlteriùs prædictorum Rustici & Sebastiani, aut illorum qui prauæ eorum
præsumptionis probantur esse participes, scripta suscipiat: sed & vniuersos ad tuam perti-
nentes ordinationem commoneas, ne vel ipsi à prædictis relegant aliquid destinatum, vel
falsitati eorum vlteriùs animum suæ credulitatis accommodent. Deus te incolumem cu-
stodiat, frater chariſſime. Data x v. Kalendas Aprilis, Imperij domini Iustiniani perpetui
Augusti anno vigesimotertio, post Consulatum Basilij viri clarissimi anno nono. *per Ioan-
nem presbyterum & Apocrisarium, & ipse direxit eam per Maxentium hominem suum.*] hacte- E
nus Vigilij epistola ad Valentinianum, cuius mentio fit in litteris Iustiniani Imperatoris re-
citatis in Quinta Synodo.

AVRELIANI EPISCOPI ARELAT. AD VIGILIVM LEGATIO.

At non Oriens tantùm, sed & Occidentalis Ecclesia hoc eodem concussa est terræmo-
tu: cuius rei fidem quoque faciunt legatio missa ab Aureliano Episcopo Arelatensi & lit-
teræ datæ Anastasio Constantinopolim ad eumdem Vigilium Romanum Pontificem: de
hoc enim ipso quærenti, num videlicet verum esset, aduersum Chalcedonense Concilium
aliqua ab ipso esse tentata, quidnam rescripserit Vigilius Papa, ipsius quæ extant tunc datæ
[c] *Vigil. epist. 4 tom. 1. epist. Rom. Pont.* litteræ docent, quæ sic se habent[c]:

Dilectissimo fratri Aureliano Episcopo Arelatensi Vigilius.

Fraternitatis vestræ litteras pridie Idus Iulias, Anastasio deferente, suscepimus: & gra-
tias referimus diuinæ clementiæ, quia solicitudinem vestram in fidei causa, vel in nostræ

opi-

A opinione personæ sacris relegimus conuenire mandatis, vt dignè charitati tuæ verba Dei & conuenienter aptentur, quibus ait: Elegi te sacerdotem ex omnibus: vt ascendens ad altare meum, portes coram me nomen magnum cunctis diebus vitæ tuæ. Necesse ergo nobis est, charitatis vestræ solicitudinem breui interim (quantum pro temporis qualitate potuimus) releuare colloquio: quatenus modis omnibus confidatis, nihil nos penitus admisisse, quod decessorum nostrorum constitutis, vel sanctæ, quæ vna eademque est, fidei quatuor Synodorum, id est, Nicænæ, Constantinopolitanæ, Ephesinæ primæ, atque Chalcedonensis, inueniatur (quod absit) esse contrarium, aut quod ad personarum iniuriam pertineat, quæ definitioni eiusdem sanctæ fidei subscripserunt, vel sanctorum prædecessorum nostrorum Cælestini, Xysti, Leonis, aliorumq; præcedentium atque sequentium definitis reperiatur aduersum: sed à nobis omnibus prædictis Synodis vnam venerationem, vnamque fidei

B credulitatem indubitabiliter exhiberi: & eos qui omnes suprascriptas quatuor Synodos in rectitudine fidei non sequuntur, vel vnam ex ipsis vel omnes in fide reprauant, aut reprauare, aut iniurrare, vel repudiare nituntur, abiicimus. Sed & ea quæ in eiusdem sanctæ fidei iniuriam verbo dicta vel reperiuntur scripta, anathematizanda, execrandaque iudicauimus, & constituimus iudicanda: Simili pœna plectētes etiam eos, qui fidem beati Cyrilli, quam sanctæ recordationis Leo prædecessor noster ad prædecessores vestros aliosque datis probauit & laudauit scriptis, & Chalcedonensis veneranda sancta Synodus legitur protulisse, aliorumque Patrum, quos Apostolicæ sedis Præsules susceperunt atque secuti sunt, execranda superbia impiam vocauerunt.

Fraternitas ergo tua, quem Apostolicæ sedis per nos constat esse Vicarium, vniuersis Epi-

C scopis innotescat, vt nullis aut falsis scriptis, aut mendacibus verbis, aut nunciis qualibet ratione turbentur: sed potiùs primi Apostolorum (sicut conuenit) verba sectentur, dicentis[a]: Aduersarius vester diabolus vt leo rugiens circumit, quærens quem deuoret: cui resistite fortes in fide. Et quod item Doctor Gentium dicit Apostolus[b]: Rogo autem vos fratres, vt obseruetis eos, qui dissensiones & offendicula præter doctrinam, quam vos didicistis, faciunt: & declinate ab illis: In Domino confidentes, quia (sicut præfati sumus) ab Apostolis fidem traditam, & à prædictis sanctis quatuor Conciliis declaratam, & à decessoribus nostris & ab antedictis Patribus prædicatam atque inuiolabiliter custoditam, sincera voluntate tenuimus, tenemus, venerati sumus, & veneramur, atque defendimus, & contra eam facientes Apostolica auctoritate damnamus.

Sed quanta possumus per filium nostrum Anastasium de his quæ gesta sunt breuiter nos indicare necesse est: & cùm nos dominus filius noster clementissimus Imperator, sicut pro-

D misit, Deo, qui cor ipsius tenet, iuuante, reuerti præceperit, hominem, qui vobis ad singula subtiliter innotescat, Deo propitio, destinamus. Quod ideo adhuc non fecimus, quia & hiemis asperitas, & Italiæ quæ vos non latet, necessitas præpediuit: donec serenissimus Princeps, sicut desiderat, Domino adiuuante, ipsi subueniat. Illud quoque credimus sperandum, vt quia scriptum est[c]: Frater fratrem adiuuans exaltabitur: & sicut de credentibus in Domino Actuum Apostolicorum scriptura testatur[d], Quia erat credentibus in Domino cor vnum & anima vna: vt sit fraternitas vestra in hac quoque parte solicita: & glorioso filio nostro Childeberto Regi, quem Christianitatis studio venerationem integram sedi Apostolicæ, cui nos Deus præesse voluit, cognouimus exhibere, supplicare non desinas, quatenus in tanta rerum necessitate circa Ecclesiam Dei solicitudinem (sicut & confidimus) Christiana deuotione persoluat: vt quia Gothi cum Rege suo in ciuitatem Roma-

E nam perhibentur ingressi, hoc eis dignetur scribere, ne se in Ecclesiæ nostræ præiudicio (quippe velut alienæ legis) immiscеat, & aliquid faciat, aut fieri qualibet ratione permittat, vnde Catholica possit Ecclesia perturbari.

Dignum enim est, & Catholico (sicut est) Regi conueniens, vt fidem & Ecclesiam, in qua Deus illum voluit baptizari, omni debeat virtute defendere. Scriptum est enim[e]: Viuo ego, dicit Dominus, quia glorificantes me glorificabo. Festina ergo, frater charissime, vt in sanctæ fidei sinceritate persistens, Ecclesiarum pacem, quæ vel à Deo per meritum sacerdotij tibi commissa est, vel à nobis per Apostolicam auctoritatem vicaria potestate mandatur, competenti solicitudine, Deo propitiante, custodias, & Vicarium te sedis nostrę dignis Deo manifestes operibus. Deus te conseruet, frater charissime. Data III. Kalendas Maias, Imperij domini nostri Iustiniani perpetui Augusti anno XXIIII. post Consulatum Basilij V.C. anno octauo*. per hominem quem Anastasius direxit.] hactenus Vigilius. Mentio huius epistо-

VIGILII AD AVRELIANVM AREL. EPISC. EPISTOLA.

[a] 1. Pet. 5.
[b] Rom. 16.
[c] Prou. 18.
[d] Act. 4.
VOCATVR REX FRANCORVM IN AVXILIVM.
[e] 1. Reg. 2.
* nono

epistolæ fit à Iustiniano Imperatore in litteris ad Quintam Synodum datis & ibidem recitatis. Porrò hic Aurelianus, ad quem Vigilius scripsit, claruit sanctitate, agiturque eius celebritas annua die decimasexta Iunij [a]. A

[a] *Martyrol. Rom. ea die.*

DE VRBE A GOTHIS ITERVM CAPTA

Quod autem Vigilius Papa his ad Aurelianum litteris meminit de Vrbe à Gothis capta, rogatque vt de eius incolumitate apud Childebertum Regem Francorum agat: bene hæc consentiunt iis quæ Procopius sub hoc eodem anno decimoquinto belli Gothici narrat, nimirum hoc anno rursus proditione Isaurorum Vrbem Gothis cessisse, Romanis cæsis, his exceptis qui in ecclesias se recepissent: quibus cum ceteris abire iussis, & iam destitutam habitatoribus Vrbem ac desolatam relinquendi cùm Totilas consilium iniisset; quo minùs id faceret, requisitus per Aurelianum à Vigilio opportuna oblata occasione destitit: nempe cùm Totilas ab eo filiam in matrimonium petiisset, & eo prætextu recusaret ille, quòd Vrbem caput Imperij destitutam hostibus relinquens, se summa gloria pariter spoliaret: factum est, vt Totilas ciues aliò migrare iussos reuocarit in Vrbem, quam & nouis ædificiis muniuit & illustrauit. Sed hæc omnia Procopius pluribus. Idem verò inferiùs subdit, magno cum exercitu post Liberium Patricium missum esse Germanum, cùm iam Totilas Siciliam inuasisset. His addit, quòd Sclauinus populus iterum, Istro transmisso, Illyricum & Thraciam deuastauit, & summa crudelitate in necem omnium incolarum sæuiens, exaturatus humano sanguine, præda spoliisque onustus ad propria remeauit. Quæ autem per Germanum gesta sint, anno sequenti idem Procopius narrat. B

Neglectis tamen his Iustinianus, quæ primò (vt decebat Imperatorem, sibi subditos ab hostium inuasione defendere) curare debuisset, exagitatus prurigine quadam aduersus mortuos ineundi certamina, obtentu firmandæ pacis Ecclesiæ, sed re vera turbandæ: vt stabiliret quæ de capitulis Tribus, instigante, immo & scribente Theodoro Cæsariensi, statuisset, hoc anno (vt inferiùs dicetur) curauit vt Mopsuestiæ in Syria Synodus cogeretur, à qua Theodori eius ciuitatis Episcopi ante centum & amplius annos defuncti facta atque alia de eo monumenta cognoscerentur. Porrò homini in his omne studium impendenti, & ob id in optimo Imperij regimine frigescenti, illud fuit vetus prouerbium occinendum, Non vltra crepidam. Dum enim amplius quàm par est aures admouet occultis hæreticis, sub prætextu conseruandæ fidei, & pacis in Ecclesia reintegrandæ, factiosorum se studiis inseruit, sacra dogmata in discrimen adduxit, inter Catholicos schisma dirum inuexit, & ipsum Romanum Imperium barbaris desolandum reliquit. Queritur de his sæpe Procopius, nempe de cura Reipublicæ Iustinianum redditum segniorem, nec ea qua antea solicitudine bellicas res curasse. C

VIGILIVS AGIT ADVERSVS SCHISMATICOS CLERICOS.

Sed ad Vigilium redeamus, qui schismaticorum factione adeò vexabatur, vt à suis quoque clericis compluribus destitutus, ab eisdem indignissimè vrgeretur tum dictis, tum scriptis, iisdemque per Orbem vbique vulgatis, vt suas ad diuersos (vt vidimus) cogeretur scribere apologias. Quamobrem quòd in graue id damnum vertere intelligeret totius Ecclesiæ vnitatis; hæcque diutiùs tolerare, patientiaque differre, nonnisi grauiora mala in Ecclesiam inferre cognoscens; aduersus desertores clericos suos, qui in castris hostium militabant, censura Ecclesiastica sibi agendum esse putauit. Collectis igitur qui ibi tunc erant Italiæ Episcopis, aduersus eosdem, præcipuè verò Rusticum & Sebastianum, eiusmodi damnationis sententiam [b] protulit, cuius fit mentio in epistola Iustiniani ad Quintam Synodum: D

[b] *Vigil. epist. 5. tom. 1 epist. Rom. Pont.*

Vigilius Episcopus Rustico & Sebastiano.

SENTENTIA LATA IN AVCTORES SCHISMATIS.

Diu vobis, Rustice & Sebastiane, canonibus & decessorum nostrorum *decretis* congruentem vltionem inferre, pro Apostolica moderatione distulimus. Sed quia Doctoris Gentium in cordis vestri duritia (quod à nobis cum nimia tristitia dicitur) verba videmus impleta, quibus ait [c]: Nescitis quia patientia Dei ad pœnitentiam nos adducit? Tu autem secundùm duritiam tuam & impœnitens cor, thesaurizas tibi iram in die iræ. Vt excessus vestros ex plurimis paucos interim (inquantum possumus) designemus: venientibus nobis hic in regiam ciuitatem, tu Rustice, dum aliqua nobis ignorantibus legeres, quæ hominem loci tui omnino legere non decebat, & plura committere dicereris, quæ etiam nostram, si te non prohibuissemus (quod absit) opinionem atque animam lædere potuissent: dicente quoque de te nobis aliqua Paulo diacono, etiam te præsente, sicut oportuit, & pro affinitate, qua nobis à germano, quem dileximus, iungebaris, & pro eo quod nos te ad Leuiticum prouexeramus officium, frequenter & secretè paterna monuimus charitate, vt si E

[c] *Rom. 2.*

ea quæ

A ea quæ de te dicebantur, ex aliqua parte cognosceres, à talibus temperares: ne, quia Dei causam indiscussam non pateremur qualibet ratione relinquere, canonicum per nos in te iudicium proueniret.

Tu autem non solùm admonitionem nostram audire maleuolo spiritu noluisti, sed etiam (sicut scriptum est [a]: Argue sapientem, & adamabit te: stultum, & odio habebit te. Et iterum [b]: Noluit intelligere vt bene ageret, iniquitatem meditatus est in cubili suo) ad hoc malitia tua perducta est, vt nostra admonitione contempta, in odium potius prosilires, & occasionem quæreres, quatenus causa Capitulorum, id est, de dictis Theodori Mopsuesteni, eiusq; persona, sed & de epistola quæ ab Iba ad Marim Persam perhibetur scripta, nenon & dictorum Theodoreti, quæ contra rectam fidem & epistolam beatæ recordationis Cyrilli Synodicam ad Nestorium cum duodecim capitulis, quam & sancta Synodus Ephe-
B sina prima suscepit, & beata Chalcedonensis Synodus ad conuincendas Nestorij vesanias in definitione fidei legitur posuisse . . . . . quæ, te etiam instante, certum est flagitata: ita vt filiis nostris Sapato & Paulo diaconis, sed & Surgentio Notariorum Primicerio clamitares, dicens, Non solùm nomen & scripta Theodori Mopsuesteni à nobis debere damnari, sed & territorium eius ipsum, vbi positus est: & si ossa eius euulsa quisquam de sepultura eiiceret, & cum eodem territorio incenderet, gratanter acciperes.

Et cùm necesse esset, vt negotium quod fuerat in iudicio nostro perductum, te etiam quàm maximè inter alios tam sacrati ordinis quàm sequentis consentiente, sententia finiretur (quod constat effectum) & quid de eodem Iudicato feceris, quomodo etiam in Palatio vt fratri nostro Mennæ, ad quem scripseramus, celeriter traderetur, institeris, nulli habetur incertum: ita vt filio nostro Surgentio Primicerio petenti scedam ipsam Iudicati
C nostri, vt apud se pro loco suo secundùm consuetudinem retineret, per multos dies dare penitus noluisses, donec exemplaria per plurimos sacerdotes ac laicos, sed & per gloriosum virum Tyrannum Magistrum militum, aliosque laicos in Africana prouincia destinares: quod in Ecclesia nostra à diacono numquam factum est: ac nobis etiam nescientibus, eius exemplaria destinares.

Nam & sabbatho sancto, quo ipsum, te (sicut præfati sumus) imminente, protulimus Iudicatum, in Ecclesiam sessum processisse, & communicasse, & officium tuum implesse cognoscens. Nam & eodem die reuertens ab Ecclesia, coepiscopo nostro (quantum perhibet) Iuliano hoc diceres, quia melius fieri non potuit, quàm quod factum est Iudicatum, & hortareris vt Deus oraretur, neque quod factum est tolleretur: Quod etiam, succedente Dominico die Paschæ, similiter effecisti: & diu in eadem perdurando sententia, alios,
D vt Iudicatum nostrum libenti animo sequerentur, nihilominus hortabaris.

Nam dum Antiochenæ Ecclesiæ Apocrisariis eiusdem Iudicati exemplaria nos dare petentibus differremus, sed hoc magis iustum esse prædictis Apocrisariis diceremus, vt à fratre nostro Menna potiùs exemplaria peterent, ad quem à nobis videbatur fuisse prolatum: tu autem publica voce deposceres, dicens Dominum Leonem ita de epistola sua diuersis exemplaria destinasse, nos facere debere similiter, asserendo quia metueres, nisi vniuersitas Iudicati nostri exemplaria de scrinio nostro edita teneret, qualibet ratione postea forsitan celaretur.

Nam dum occasionem euntis ad Siciliam reperisses, & Iudicatum nostrum, laudesque eius, vbi etiam filij nostri diaconus Primiceriusque tecum manifestum est subscripsisse, filiis nostris Pelagio diacono, aliisq; dirigere voluisses pro cautela, ne ab aliquo inueniri forsitan
E potuisset, nobis etiam ignorantibus in membrana conscriptum, & in breuitate quadruplicatum, litteris scriptum minutissimis destinasti. Nam & Vincentio secundæ regionis subdiacono iterum à nobis postea ad Siciliam directo, per eum filio nostro Pelagio diacono similiter scripsisti: sed quia ita memoratus subdiaconus prospere nauigauit, vt illum qui in membrana scripta portauerat, præcedere potuisset; quantum nobis retulit, ea quæ in membrana scripseras, Pelagius diaconus ipso præsente percepit.

Ergo dum &, te præ omnibus imminente, prolatum fuerit Iudicatum, & tanta in eius Iudicati laude succonsus per multum tempus scripseris, feceris ve, vt numquam te credere-mus ab hac posse rectitudine deuiare: immutatum te subitò post hæc quadam animi leuitate, vulgante opinione comperimus, & cum aduersariis Ecclesiæ, qui contra Iudicati nostri seriem nitebantur, & à nobis sunt per Iudicati ipsius tenorem à communione suspensi, secretè tractare; & dum filius noster diaconus Paulus ad Italiam discedere voluisset, post-

[a] Prou. 9.
[b] Psal. 35.

quam & ad eum peruenit,quod ſcandalum Eccleſiæ in communione adhuc noſtra poſitus A
ſecretè, & hîc & in Africana prouincia, vbi antea defendendo & laudando Iudicatum noſtrum, eius exemplaria deſtinaſti, facere nitebaris : tunc tibi cœpit inſiſtere & dicere, vt ſi verum eſſet,producere debuiſſes, quod tu conuictus celare minimè potuiſti.

Tunc verò memoratus nobis cœpit imminere diaconus, vt aut corrigere te ab his quæ illicitè faciebas, ſub noſtra præſentia clericorumque promitteres, aut certè petitionem aduerſum te, & varietatem tuam atque fallaciam ab eo factam, quam & præ manibus gerebat, debuiſſemus accipere : ad hoc es propria voluntate perductus, vt tactis Euangeliis ſacramenta præſtares, & verba tua à Notario ſcripta in noſtro teneantur ſcrinio, quibus inter alia legeris promiſiſſe,te numquam à noſtro penitus obſequio diſceſſurum.Poſtquam verò peior te Sebaſtianus pro ſolo ſcandalo faciendo (ſicut & initia ipſius venientis in Conſtantinopolim monſtrauerunt, & exitus peior edocuit) noſcitur aduenisſe, ita vt mox tui im- B
memor ſacramenti, coniurationem inter vos contra ſtatuta canonum, nobis ignorantibus, facientes, in apertum vterque prorumperetis ſcandalum.

Sed vt tua,Sebaſtiane,non inquantum ſunt,ſed inquantum referre poſſumus, mala quæ feceris diuerſi cognoſcant, & iuſtè te (nam magis tardè) canonicam aduertant ſubiiſſe ſententiam : ad tuæ ordinationis veniamus initia. Abſentibus filiis noſtris diaconis Anatolio atque Stephano, à nobis poſtulaſti, vt ad tempus pro implendo officio abſentium loco,diaconum te interim faceremus.] hæc cùm Vigilius ingerat in Sebaſtianum ad tempus creatum diaconum,non accipias quo ad ordinem, ſed potiùs quo ad miniſterium,vt qui diaconus iam eſſet,miniſtrare loco diaconi Cardinalis permitteretur.Pergit verò Vigilius: Quod ideò tibi ad præſens ſperanti conceſſimus, quia antè ordinationem tuam cautionem nobis propria voluntate legeris emiſiſſe, quàm & teſtibus roboraſti, & tactis Euangeliis iuramen- C
tum corporaliter præſtitiſti, vt quicquid tibi à nobis pro Eccleſiaſtica vtilitate fuiſſet iniunctum, fideliter & ſine aliqua fraude compleres ; officium verò, locumque diaconi ſine aliquo vitio, ſine aliqua ſuperbia, ſine aliquo neglectu, donec reuerterentur diaconi memorati, aut quanto te tempore in Leuitarum voluiſſemus ordinatione miniſtrare, cum omni humilitate & ſtudio ſine neglectu modis omnibus impleturum ; in eadem cautione rurſus adiiciens, quod ſi de his omnibus quæ cum ſacramento,tactis corporaliter Euangeliis, promiſiſti, aliquid minùs impleſſes, tunc à ſancta communione eſſes ſuſpenſus : ita vt ſi à die exceſſus tui intra annum pœnitentiæ noluiſſes colla ſubmittere, tu tibi anathema manu propria ſcribendo dixiſti. Tunc ergo ad præſens factus es ſub ea quam ſperabas & pollicitus fueras conditione diaconus.

Poſtea verò vt à nobis ad Dalmatiarum patrimonium mittereris, ſummis precibus po- D
ſtulaſti : quod nos ſecuri, quia talem feceras cautionem, animo libenti conceſſimus. Qui dum in Salonitana vrbe pro ordinatione patrimonij aduenisſes (quantum ad nos poſtea eſt plurimorum relatione perductum] illicitis te & à ſede Apoſtolica prohibitis ordinationibus miſcuiſti ; & quos Honorius tunc prædictæ ciuitatis Epiſcopus contra conſuetudinem Romanæ vel ſuæ Eccleſiæ & ſedis Apoſtolicæ conſtituta ſacris ordinibus applicauerat, non ſolùm prohibere penitus noluiſti, ſed nec nobis de hac cauſa ſcripto referre, vel quando Theſſalonicæ nobis occurreras, memor conſcientiæ tuæ ne verbo quidem ſuggerere voluiſti, & cum illis tamquam cum legitimo & rationabili ordine factis cupiditatis ſpiritu acquieuiſti procedere,& eorum ſocius es communionis venalitate repertus.

Iterum Theſſalonica ad Dalmatias patrimonij regendi cauſa remiſſus es; ex qua prouincia frequenti te auctoritate monuimus vt non ante diſcederes, niſi omnes ſecundùm polli- E
citationem tuam tam de Dalmatiarum patrimonio, quàm de Prævalitano colligeres penſiones.Sed tu omnia prætermittens,ad Conſtantinopolitanam vrbẽ pro ſolo faciendo ſcandalo venire feſtinaſti,quantũ & ſequens exitus declarauit.Relegens tamen conſtituti noſtri ſeriem, quam de prætatis capitulis ad Mennam huius ciuitatis Antiſtitẽ dediſſe relegimus, in conſpectu diaconorum, ſubdiaconorumq; , vel vniuerſorum clericorũ publica voce laudabas,vt de cælo Iudicatum noſtrum ordinatum atq; prolatum omnibus (ſicut prætati ſumus) clericis loquereris.Dicta verò Theodori Mopſueſteni aſſerebas te in Romana vrbe inter aliquos codices inueniſſe, quæ confirmabas omni execratione & blaſphemiis eſſe completa. Hæc dicendo, in noſtro obſequio, & in eccleſia publice, & in Placidias officium diaconatus implebas.] erat locus ad Placidias, ſiue Palatium Placidiæ, vbi Vigilius Conſtantinopoli morabatur, prout Synodalia Acta declarant. ſed ſubdit hæc idem Vigilius.

Nati-

A Natiuitatis Christi Dei Domini & Saluatoris nostri secundùm carnem præterito anno dies aduenit. vocauimus te; quia ad nos quæ supra meminimus te feciſſe in Dalmatiis, de recenti peruenerunt: & ſicut oportuit, diximus tibi: Si cùm illis qui contra Apoſtolicæ ſedis conſtituta in ſacratis ſunt applicati ordinibus proceſſiſti, aut eorum te communioni (ſicut dicitur) ſociaſti: neceſſe nobis eſt, vt ſi nos Deus ad noſtram dignatur Eccleſiam reuocare, quæramus iſta, & veritatem manifeſtius cognoſcentes, ſecundùm canones vindicemus. Tu verò conſcientiæ tuæ reatu perterritus, quia contra Apoſtolica feceras cõſtituta, occaſionem tibi diſcedendi, diſſimulans, requirebas. Nam cùm te pro certo mandato cum Ioanne Epiſcopo & Surgentio Primicerio atque Saturnino Conſulario noſtro ad Mennam fratrem noſtrum huius ciuitatis Antiſtitem miſiſſemus: reuerſus in Placidias, multis præſentibus, & officium diaconi tu & Ruſticus ex more compleſtis. Et quando clementiſſimus Princeps dominus filius noſter, vt alia die ad eccleſiam procedere deberemus, Referendarium deſtinauit: vt ei promitteremus, cum aliis diaconis & clericis nos tu & Ruſticus fuiſtis hortati. Nam & ad refectionem pariter in noſtra menſa ambo fuiſſe, ſimili ratione probabimini: ſed ſicut Iudas, poſtquam buccellam accepit, de traditione Domini cogitauit, ita & vos nocti horis pro concitando ſcandalo Eccleſiæ diſceſſiſtis.

Nos autem alio die mandantes vobis, vt aut procederetis, locum diaconi ex more complentes, aut à communione vos cognoſceretis fuiſſe ſuſpenſos: tu verò, Sebaſtiane, his quos inter alios miſeramus, fratribus noſtris Ioanni & Iuliano Epiſcopis hoc (quantum renunciauerunt) dixiſti: Ego Iudicatum; quod Papa protulit, ſequor, ſi tamen in illis vendicat quæ contra Iudicatum faciunt. Nam & ſimili eis (quantum perhibent) ratione dixiſti, in tantum vt diceres ibi veniſſe Lampridium & Felicem monachos, qui noſtrum Iudicatum
C ſuſcipere noluerunt; & mandaſſe vos eis: Non poſſumus vos videre, quia vos aliam cauſam habetis, & nos aliam. Poſtea verò ad hoc nequitia veſtra peruenit, vt excommunicatis communicare contra canones ſuperbo præſumeretis ſpiritu, id eſt, memoratis, vel aliis, quos pro hoc quod contra iudicatum noſtrum ſcripſerant; per eiuſdem iudicati ſeriem conſtabat iam à nobis communione ſuſpenſos: cui Iudicato (ſicut ſuprà meminimus) vos acquieuiſſe & conſenſiſſe & communicaſſe, Catholica probauit Eccleſia. Vnde conſtat vos ſecundùm regulas canonum iuſtè damnari. Definiunt enim canones: Si quis excommunicatus ante audientiam communicare præſumpſerit; ipſe in ſe damnationem protulit. Item: Placuit vniuerſo Concilio, vt qui excommunicatus fuerit pro ſuo neglectu, ſiue Epiſcopus, ſiue quilibet clericus, & tempore excommunicationis ſuæ ante audientiam communicare præſumpſerit; ipſe in ſe damnationis iudicetur protuliſſe ſententiam.

D Adieciſtis etiam execranda ſuperbia quæ nec leguntur, nec ſine ſui Pontificis iuſſione aliquando ordinis veſtri homines præſumpſerunt, auctoritatem vobis prædicationis contra omnem conſuetudinem vel canones vendicare, Epheſinæ primæ Synodi impugnationem & exprobrationem, ſed & beatæ recordationis Cyrilli, blaſphemias quoque contra Ieſum Dominum noſtrum dictas ſimili defendentes inſania, & per omnes prouincias fallaciter ſcribentes nos aliquid cõmiſiſſe, quod reperiatur aduerſum definitioni ſanctæ Chalcedonenſis Synodi, quæ præcedentium ſe trium, id eſt, Nicænæ, Conſtantinopolitanæ, atque Epheſinæ primæ concordat fidei Synodorum. Ita ergo cunctorum animos, qui veſtram malitiam neſcierunt, ſed tamquam à Romanis diaconis ſuſcipientes ſcripta, ſimpliciter crediderunt, ad tantum ſcelus operatio fallaciæ veſtræ peruenit, vt humanus ſanguis in aliquibus locis intra eccleſiam (quod dici nefas eſt) funderetur: & omnem legem Ec-
E cleſiaſticam ſuperbo ſpiritu conculcare voluiſtis: ſanctarum quoque regularum conſequentiam iniuriis affeciſtis, impia & quæ non ſunt licita per vniuerſas contra nos prouincias fallaciter indicando.

Nuper etiam malis veſtris addentes peiora prioribus, dominum Leonem prædeceſſorem noſtrum in Theodori Mopſueſteni dictis, quæ contra rectam fidem legitur ſcripſiſſe, conſenſum præbuiſſe atq. firmaſſe, dato ſcripto ad Chriſtianiſſimum Principem dominum filium noſtrum, auſi fuiſtis aſtruere.] hæc enim & Facundus habet in ſuis citatis à nobis ſuperiùs ſcriptis. Sed pergit: Abſit ergo quemlibet credere Chriſtianum, quod aliquid tale, quod contra rectam fidem à quolibet inueniatur ſcriptum, illius tanti Præſulis ſanctitas ſuſcepiſſet: quippe qui in vniuerſis epiſtolis ſuis & Neſtorium & Eutychetem vel eis ſimilia ſapientes pari legitur ſententia condemnaſſe. In quo memorato ſcripto etiam contra diuinas Scripturas non ſolùm Pontificibus multis, ſed etiam (quod dici nefas eſt) ipſi quo-

que Principi sacrilegas iniurias irrogare tentastis, quatenus ignorantem Christianum populum diabolica ampliùs deciperetis astutia. A

Hæc ergo sustinentes per multa temporis spatia patientia sacerdotali, resecare distulimus, credentes vos forsitan resipiscere & ab illicitis temperare. Sed quia semel & secundò adhortatione nostra per fratres nostros Episcopos, id est, Ioannem Marsicanum, Iulianum Cingulanum, vel Sapatum filium nostrum atque diaconum, necnon & per glorioſum virum Patricium Cethegum, & religiosum virum item filium nostrum Senatorem, alioſque filios nostros commoniti, noluistis audire, & neque ad Ecclesiam neque ad nos reuerti (sicut omnia facitis) voluistis detestanda superbia: & ideo necesse nobis est in vobis canonicè vindicare, ne videamur diuinarum Scripturarum increpationibus subiacere. Scriptum est
[a] *Psal.49.* enim[a]: Videbas furem, & simul currebas cum eo, & cum adulteris portionem tuam po-
[b] *Mat.5.* nebas. Et ipse Dominus ac Saluator noster dicit[b]: Quòd si oculus tuus dexter scandalizat B
te, erue eum & proiice abs te: expedit enim tibi vt pereat vnum membrum tuum, quàm totũ corpus mittatur in gehennam. Et quoniam iste intellectus magis de officiis Ecclesiarum vel proximis non rectè agentibus & scandala in Ecclesiis mittentibus sano sensu debet
[c] *Mat.18.* aptari; sicut & alibi nos admonet, dicens[c]. Oportet venire scandala, sed væ illi per quem
[d] *Galat.5.* veniunt. Et beatus Apostolus simili prædicat ratione[d]: Vtinam & abscindantur qui vos
[e] *Prou.22.* conturbant. Et iterum sancta Scriptura nos commonet, dicens[e]: Eiice pestilentem de Concilio, & exiet cum eo iurgium.

Oportet ergo nos iam post tantas admonitiones in vobis, Rustice & Sebastiane, per auctoritatem B. Petri, cuius nos Dominus sibi voluit vice seruire, regulariter vindicare; propterea ne si iam diutiùs differamus, omnis Ecclesiasticus ordo soluatur. Ideoq; (quod à nobis cum gemitu, sed cum beati Petri auctoritate dicendum est) pro suprascriptis excessibus C
alienos vos à diaconi esse honore decernimus, & omni ministerio officij Leuitici, prædictũ vobis honorem auferentes, penitus submouemus, nullam vlteriùs licentiam habentes, vt ex Leuitico nomine aut gradu aliquid facere præsumatis, vel sub nomine diaconorum scribendo iterum Dei conturbetis Ecclesiam: quippe ex Apostolica auctoritate & Patrum regulis, contra quas multa spiritu superbo atque irreligioso fecistis, vos olim dignos damnatione, præsenti auctoritate deponimus. Et vt vniuersi nos hæc pro loco in quo nos Deus esse voluit, & auctoritate beati Petri Apostoli recte fecisse cognoscant: canonum constituta posuimus, quæ sancta Chalcedonensis Synodus apud se relecta laudauit.] subiicit hæc ex Actis eiusdem Concilij Chalcedonensis:

Aetius Archidiaconus relegit: Si quis presbyter aut diaconus suum contemnens Episcopum, à communione semetipsum suspendit Ecclesiæ, & secretiùs collectam facit & altare D
constituit, & nolit euocanti Episcopo consentire, & noluerit eidem acquiescere neque obedire & priùs & secundò vocanti: hunc omnino damnari, nec vmquam hunc curationem mereri, nec recipere eum posse honorem. Si autem permanserit turbas faciens & seditiones Ecclesiæ per extraneam potestatem: tamquam seditiosum debere comprimi. Omnes reuerendissimi Episcopi clamauerunt: Hæc iusta regula: hæc regula Patrum.

Pariter statuentes, vt si nobis viuentibus (sicut optamus) sub humilitate & mansuetudine canonicè pœnitentes matrem recognoueritis Ecclesiam, cõpetenter à nobis venia concedatur. Si verò (quod non optamus) sub regulari pœnitentia ad matrem Ecclesiam cõsueta distuleritis redire superbia: Conciliorum in vobis, quorum regulas posuimus, censura seruetur: vt nullus post transitum nostrum contra Constitutum nostrum, quod ex B. Petri, cuius locum licet immeriti gerimus, auctoritate proferimus, canonum regulas exequentes, E
in Ecclesiastico gradu audeat reuocare Ioannem, Gerontium, Seuerinum, Importunum, Ioannem, atque Deusdedit, quos constat vestræ coniurationis & conspirationis esse participes: quos nos putantes bonos, militare Ecclesiæ, cui Deo præsidemus auctore, nostro tempore feceramus. tamen vt & ipsi possint & diuersi cognoscere, de Subdiaconorum & Notariorum vel Defensorum officio præsenti se sententia nouerint fuisse depositos, & nullum penitus in Ecclesia nostra gradum vlteriùs detinere; nisi fortè (sicut præfati sumus) nobis in hac luce superstitibus, & ipsi pœnitentiæ canonicæ colla submiserint.

Felicem etiam monachum Afrum, qui Gilitano monasterio dicitur præfuisse, & leuitate sua atque inconstantia congregationem eiusdem monasterij per diuersa loca certum est dispersisse, & vestræ prauitatis incentor est, cum vniuersis qui eum vel vos tam clerici vel monachi, quàm laici post præsentia interdicta in aliqua vestra se societate polluerint, aut consen-

A consensum consiliumq; præbuerint, regularem in his,quæ item superiùs legitur,constituimus manere sententiam : quatenus in his remediis ordine seruato canonico, nullus præsumat pacem , quam Dominus diligit , vlteriùs Ecclesiæ perturbare. Præsentem autem sententiam per Ioannem Marsicanum,Zacchæum Scyllacenum, Iulianum Cingulanum fratres & coepiscopos nostros,sed & Sapatum atque Petrum filios nostros diaconos, necnon& filium nostrum Surgentium Primicerium Notariorum, atq; Seruum Dei subdiaconum regionis primæ , necnon & Vincentium subdiaconum regionis secundæ nostræ cui præsidemus Ecclesiæ, vobis noscimur transmisisse.] hactenus Vigilij sententia in schismaticos lata.

Quamuis autem ista hoc anno Constantinopoli à Vigilio Papa aduersus schismaticos decreta fuerint, nequaquam tamen conflatum schisma sedatum est, sed magis excitatum, vtraque parte aduersus ipsum commota,nimirum & capitulorum defensoribus ob damna-
B ta Tria illa capitula,atque etiam ob non damnatos aduersarios ; & impugnatoribus Trium capitulorum,eo quòd silentium ab ipso Vigilio de illis esset indictum , vt diximus superiùs ex verbis ipsius Vigilij in sententia de Theodori Cæsarienſis damnatione relatis. Horrendum planè spectaculum reddebat cunctis spectantibus exorta, tribus simul ex aduerso flantibus contrariis ventis, maris ista tempestas,qua nauis illa, quæ typum gerit Ecclesiæ, agitabatur, Catholicis aduersus Catholicos confligentibus,& ipsis etiam Romanæ Ecclesiæ clericis aduersus suum Antistitem rebellantibus. Gratum id tantùm fuit hæreticis , illis præsertim, qui mentito Catholico nomine, Orthodoxos inter se scissos, ita contra se inuicem pugnare fecissent. Ad tanta sedanda dissidia cùm vnicum illud esset excogitatũ remedium, vt vniuersalis Synodus haberetur : quæ sibi conducere possent Iustinianus parare solicitus, Mopsuestenam Synodum agi curat, vt aliqua inde Patribus de damnatione Theodori
C Mopsuesteni facta olim afferret.

Hoc eodem igitur anno,qui (vt dictum est) nonus post Consulatum Basilij numeratur, Mopsuestiæ in Cilicia celebratur Synodus aduersus Theodorum eiusdem ciuitatis Episcopum centesimum iam ante annum defunctum : vbi ab iis qui conuenerunt, hoc actum, vt aduersus ipsius Theodori acerrimos defensores, è loco ipso vbi sederat atque scripserat,antiquæ proderentur memoriæ , si quæ de ipso ibidem adhuc reliquæ essent. Huius Synodi Acta habentur inserta in Quintæ Synodi[a] Actione quinta. Incumbente itaque Imperatore in opus,ad hoc ab ipso missus est Martanius Comes Domesticorum, cui & litteras dedit ad Metropolitanum Ioannem , necnon ad Cosmam Episcopum Mopsuestenum & alios. Interfuerunt eidem conuentui nouem Episcopi & complures viri clarissimi Comites atque Tribuni. In qua Synodo nihil præterea factum est , nisi diligens examinatio de nomine
D Theodori, num in eius Ecclesiæ sacris Diptychis vnà cum aliis eiusdem ciuitatis Episcopis Catholicis reperiretur ipse Theodorus adscriptus: & diligenti facta testium examinatione, nempe eorumdem qui aderant clericorum, qui essent longa senectute probati ; inuentum est omnium assertione , nullam eius sæculi memoriam esse , quod nomen Theodori Episcopi fuerit è Diptychis recitatum, in quibus nec scriptum erat, sed eius loco positum fuisse , ipso dempto , Cyrillum. His igitur quam exactè percognitis , eadem Synodus ea de re certiorem reddidit Vigilium Romanum Pontificem eiusmodi testificatione :

DE SYNODO MOPSVESTENA.

[a] *Quint. Synod. Act. 5. tom. 2. Conc.*

Decebat verè , cùm primam sacerdotis dignitatem sortiti estis , sanctissime , ea quæ ad sanctarum Ecclesiarum statum respiciunt , manifesta vestræ diuinitus honoratæ beatitudini fieri. Hoc bene & Christianissimus noster Imperator considerans , & ad vestram scientiam quædam quæ de Theodoro quondam Mopsuestenæ Ecclesiæ Episcopo mota sunt,
E iussit inferri. Piissimis enim ad nos litteris vsus, hortatus est , ad Mopsuestenam ciuitatem conuenire, quæ vna Secundæ Ciliciæ est ; & cum subtilitate perscrutari , quomodo Theodorus, qui olim prædictæ ciuitatis fuit Episcopus , sacris Diptychis eiectus est ; & manifesta ea tam eius tranquillitati , quàm vestræ diuinitus honoratæ facere beatitudini. Statim igitur Mopsuestiam accedentes, religiosissimum congregauimus clerum & fidelem eius populum : eligentes eos qui seniores sunt , qui & retinere forsitan memoria possent subtilitatem eius quod quærebatur. Et diuina & adoranda eis proponentes Euangelia , vt suspicionem sui testimonij emendarent : dicere inuitauimus, si sciunt, quo tempore Theodori antiqui nomen eiectum est Diptychis. Illi verò multos annos & suam excedentes memoriam esse iurauerunt, ex quo nulla eiusdem Theodori memoria sacris Diptychis infertur : Cyrillum autem religiosæ memorię Alexandrinæ ciuitatis Pontificem eius loco scriptum esse: quæ ex Patribus suis audisse asseruerunt.

SYNODALIS AD VIGILIVM PAP.

Sed

Sed eorum quæ dicebantur ſubtilitatem inueſtigantes, & per ipſa venimus ſacra Diptycha, & mortuorum commemorationem conſiderabamus. Et Theodori quidem in antiquioribus temporibus nullam memoriam inuenimus: in ipſo verò fine ſacrorum Diptychorum Theodorus ſcriptus eſt, quē omnes nuper quidem mortuum eſſe dixerunt, ex Galatia verò ortum eſſe prouincia: hunc & nos omnes noſtri Concilij partem factum ante biennium mortuū eſſe cognouimus. Hæc ita habere, ipſa Geſta vobis ſanctiſſimis manifeſtant, quæ humili ſuggeſtioni coniungentes, ad ſcientiam veſtram deſtinauimus. ſed petimus diuinitus inſpiratos vos religioſiſſimis & Deum placantibus veſtris orationibus nos humiles ſuffulcire.] hæc Mopſueſtena Synodus quæ ad Vigilium Papam Iuſtiniani conſilio & opera miſſa fuerunt, ne in futura generali Synodo Theodorum ipſe damnare aliquo modo detrectaret, quem ſciret fuiſſe iam antè condemnatum. A

Ad hunc vſque annum perduxit Iordanus, ſiue Iornandes Gothorum Epiſcopus, quem ſcripſit commentarium de Regnorum ac temporum ſucceſſione, vt ipſe in præfatione ad Vigilium quemdam alium à Romano Pontifice teſtatur, cùm hæc habet in fine: Ab ipſo Romulo ædificatore Vrbis originē ſumens in vigeſimoquarto anno Iuſtiniani Imperatoris, quamuis breuiter, vno tamen in tuo nomine & hoc paruiſſimo libello confeci, iungens ei aliud volumen de origene & actu Geticæ gentis, quod iamdudum communi amico Caſtalio edidiſſem: quatenus diuerſarum gentium calamitate comperta, ab omni ærumna liberum te fieri cupias, & ad Deum conuerſus, qui eſt vera libertas. Legens ergo vtroſque libellos, ſcito quòd diligenti mundum ſemper neceſſitas imminet. Tu verò auſculta Ioannem Apoſtolum, qui ait[a]: Chariſſimi, nolite diligere mundum, neque ea quæ in mundo ſunt: quia mundus tranſit & concupiſcentia eius: qui autem fecerit voluntatem Dei, manet in æternum. Eſtoque toto corde diligens Deum & proximum, vt impleas legem, & ores pro me, nobiliſſime frater.] hactenus ille, perbellè admonens, hanc nos ex hiſtoriarum lectione conſequi debere vtilitatem, vt mundi huius prauitates & ærumnæ, quibus indefinenter voluitur & inuoluitur, eum nos contemnere penitus debere & odio proſequi perſuadeant. Quòd ſi à lectore hæc exigit auctor: ab auctore quomodo non totus id ipſum mundus iure requirat? Faxit Deus (quod eſt in optatis) nos mundi ſcabra & lutulenta illæſo & impolluto pede tranſire. Sed iam ad anni ſequentis res geſtas enarrandas progrediamur. B C

DIGNA ADMONITIO IORDANI HISTORICI

[a] 1. *Ioan.* 2.

D

QVingenteſimus quinquageſimusprimus aduenit Chriſti annus, idem numeratus poſt Baſilij Conſulatum decimus, & à Procopio belli Gothici decimusſextus, Iuſtiniani verò Imperatoris vigeſimusquintus, Romano Imperio funeſtiſſimus: quo Germanus inſignis ductor exercitus, in quo omnis recuperandæ Italiæ collocata ſpes erat, improuiſa morte ſubtrahitur, claſſisq; Imperatoria naufragium paſſa eſt in oſtiis Hadriatici maris contra Calabriam; Sclauiniq; barbari iterum graſſantes, apud Hadrianopolim Romanū profligarunt exercitum, victoresq; progreſſi vſque ad Murum longum, qui vnius diei ſpatio diſtat Conſtantinopoli; ſed vix repulſi, ad propria remearunt. Habet pluribus omnia iſta Procopius[b]. Sed vnde tot mala, quibus terra mariq; vbique ab irato numine Romanum peſſumdatur Imperium? Dictum eſt ſæpe, repetendum verò ſæpiùs, pro hoſtibus pugnare Deum, cùm à Principibus in religionem peccatur; reddiq; imbecilles ac prorſus inutiles robuſtiſſimos quoſque exercitus, niſi pietate firmentur; at debiles hoſtes euadere potentes, cùm in aduerſariorum caſtris offenſam paſſa religio mæret: quæ quidem ex diuinis litteris pluribus declarata exemplis, eadem crebriùs ſingulis ſæculis produntur expreſſis ſignata monumentis. Tu verò hæc clariùs intueberis ex recenti quæ ob oculos ponetur hiſtoria. E

NOVIS CLADIBVS AFFLIGITVR ROMANVM IMPERIVM

[b] *Procop. de bello Goth. lib.* 3.

Quænam autem hoc anno aduerſus ſacros canones, contra Eccleſiaſticas ſanctiones, decretaque Patrum, maiorumq; traditiones, in contumeliam primæ ſedis Antiſtitis vſque hactenus mortalibus inaudita facta ſint Conſtantinopoli, videamus. Inſtigante rurſum Theodoro Cæſarienſi omnium malorum auctore, contra præcedentis Synodi decretum & emiſſam ſponſionem de ſeruando vſq; ad Concilium vniuerſale ſilentio, Iuſtinianus Imp. contra

IMPERATOR CVM THEODORO EVERTIT ECCLESIAM

A tra Tria illa capitula publicè appendi iussit edictum : quod nec rogante per suos Vigilio, reuocare voluit ; immo & præter minas, vim quoque adhibuit, suis mandans satellitibus, nimium oblitus sui, furore percitus, mente dimotus, correptus maligno spiritu, agitatus à satana, vt in ipsum Vigilium Apostolicæ sedis Episcopum manus iniiciant. Conuertit in vnum Vigilium (ô laudem egregiam!) quod aduersus tot barbaros vbique deuastantes Imperium prœlium agendum erat : hinc sibi cupit parari triumphos illitteratus Theologus, si vincat vi, quem non possit ratione cõuincere, Ecclesiæ vniuersalis Antistitem; vniuersam iam subiugasse Ecclesiam ratus, cui vt sibi subditę aggressus erat præscribere leges. Vbi verò audisset ista Vigilius, in fuga tantùm spem ponit; sicque ex domo Placidiana, vbi degebat, confugit ad ibi proximè iunctam Ecclesiam S. Petri [a]; vbi & Ecclesiastica tractans, ad aliquod temporis spatium mansit, in aduersarios sententiam ferens.

[a] *Vigil. epist. 7. tom. 1 epist. Rom. Pont.*

B Nam & Theodorus ille Cæsareæ Cappadociæ Præsul, qui inhærens Imperatori omnium malorum illi auctor accessit, eius gratia nisus, & potentia factus impudens, eò audaciæ progressus est, vt primæ totius Orientis Ecclesiæ Zoilum Patriarcham Alexandrinum, quòd inhærẽs olim Vigilio Romano Pontifici Tria illa capitula ab Imperatore promulgata damnare penitus renuisset, sua sponte, nulla Synodo congregata, vel aliquo ordine iudiciali seruato, veluti si primarius ipse solus toti Orbi præsideret Antistes, condemnarit, in ordinemque redigens, sede priuarit, & tamquam hæretici hominis ex sacris Diptychis eius nomen expunxerit, inque locum ipsius successorem subrogarit Apollinarem : Sed & illud aduersus Apostolicam Romanam sedem non est veritus perpetrare, vt cùm synodicè Vigilius Papa (vt vidimus) statuisset, tacendum esse de quæstione oborta condemnationis Trium capitulorum vsque ad generalem Synodum celebrandam, iste peruicax aduersus eadẽ Tria

THEODORI CAESARIENSIS IMPVDENTIA.

C capitula cuncta publicè agere non destiterit, egeritque vt contra eadem ab ipso Iustiniano Imperatore palam edicto proposito omnes æquè assentirentur Episcopi. Addidit verò, vt Vigilio contradicenti, atque sub anathemate id prohibenti non solùm non acquieuerit, sed planè despexerit, insultarit, inque eius contumeliam, licet ab eo vetitus, Missas tamen publicè celebrauerit, aliaque nefaria id genus adiecerit, quibus contumax ingenium, refractariumque animum, atque rebellem penitus voluntatem ostenderet, nec ipsarum memor legum Imperatoris, quibus haud semel quidem, sed sæpius quanta esset super omnes totius Orbis Episcopos Romani Pontificis auctoritas declarasset.

En quò tandem progressus est præceps ex monacho Origenista præpotens armiger Iustiniani : hoc enim nomine nuncupauerim eum, qui lateri eiusdem assistens, fecit analphabetum Imperatorem palliatum repentè apparere Theologum, atque de dogmatibus acutissi-

D mè disputare, qui numquam legere sciuerit vel ipsum foris inscriptum sacrorum titulum Bibliorum. Accipiat & à Nouatoribus, quibus etiam militat, miles iste stipendium ; cùm nihil præterea suis studiis intelligant hominem istum vafrum esse conatum, nisi vt tam profana quàm sacra cuncta tribui vellet Imperatori, à quo sicut laici, ita & accepturi essent leges Episcopi, sicque omnem in Ecclesia dissolueret institutum diuinitus ordinem, faceretq; ex regno cælorum (quo nomine sæpe Ecclesia denotatur) ergastulum inferorum, vbi nullus ordo inest, sed vbique confusio : verùm quæ Dei (inquit Apostolus [b]) à Deo ordinata sunt. Hæc verò omnia ex Actis publicis accepimus, ex ipsa inquam sententia Vigilij Papæ in eundem Theodorum lata, quam proximè hîc descripturi sumus, vt cuncta certa exploratáque absque vlla dubitatione reddantur.

[b] *Rom. 13.*

Quid autem ipse Vigilius? Num dissimulanda putauit atque negligenda, tempori inser-

E uiendo, quæ contra statuta decreta à Theodoro ignominiosè peracta cognouit? Num timore perculsus, agere desinit aduersus canonum violatorem, iuriumq; Ecclesiæ inuasorem? An non protinus aduersus pacis perturbatorem, violentumq; Ecclesiæ grassatorem vindex insurgit? Sed quid agat in terra aliena, vbi silent iura, & à legum conditore intelligit leges proculcari, & iustitiam à Iustiniano exulem agi? Non despondet animum, nõ concidit viribus, quibus scit Apostolica auctoritate fulciri; non timore percellitur: fugitiuus licet, aggredientem insequitur hostem, erigitq; se ex aduerso pro Ecclesia Dei, inq; sacrilegum pseudoepiscopum immo tyrannum insurgit ; collectoque paucorum, quos secum habebat, Episcoporum conuentu, execranda Theodori facinora examinanda proponens, demum aduersus peruersorem legum & euersorem iurium, occultum hęreticum, manifestum schismaticum, sententiam excommunicationis intorquet his verbis [c] :

VIGILIVS ADVERSVS THEODORVM INSVRGIT.

[c] *Extat to. 1. epist. Rom. Pont. & tom. 2. Concil.*

Vigilius Episcopus sanctæ Ecclesiæ vrbis Romæ dixit : Res est quidẽ diuinæ conueniens

iussioni

EXCOMMVNICATIO IN THEODORVM.

iussioni, patientiam præbere peccantibus: quam non tamen adusque decet extendi, vt spe A
continuæ impunitatis iugiter sine correctione peccetur. Quoniam igitur tu, Theodore Cæsareæ Cappadociæ ciuitatis Episcope, qui hactenus ab ordinationis tuæ tempore, vnius anni spatio in Ecclesia, cuius gubernacula susceperas, non passus es residere; sed auctoritate nominis Episcopalis abusus, vniuersalis Ecclesiæ scandala generare non cessas; & à nobis modò familiariter obiurgatus, modò precibus obsecratus, nonnumquam verò fraterna increpatione correptus, sæpè etiam diuinarum Scripturarum auctoritate commonitus, vel Ecclesiasticæ consuetudinis conuictus exemplis, semper emendationem sermone promittens, quam factis nequissimis respuebas, numquam à praua intentione cessasti.

Nos verò longanimitatem nostram diuina largitate concessam, tam circa te, quam circa seductos abs te, penè hoc quinquennio elapso monstrauimus. Primùm quidem in eo, quòd pro scandalo refrenando condescendentes quorumdam animis, quos aliqua dispensatio- B
dissipatione ne credimus temperandos, quia tu iam eos pluribus annis inquietissimus stimulator accenderas, quædam pro tempore medicinaliter existimauimus ordinanda, tali scilicet conditione, vt omni in posterum perturbatione sopita, nihil vltrà nec verbo nec litteris quisquam facere ex eadem causa præsumeret. At tu prauæ consuetudinis tractus audacia, neq; tunc cessare à conscribendis & prædicandis nouitatibus voluisti: ita vt sæpiùs libellis Episcoporum redditis, & consensum tuum cum eis propria confessione condemnans, eorum vel tuis excessibus sæpiùs à nobis concedi veniam postulasses.

Post hæc autem cùm te à præsumptione solita nec pudor humanæ verecundiæ, nec sacerdotij pondus, nec timor diuini iudicij cohiberet, dum ampliùs quàm iustum fuerat, patientiam tuis facinoribus præberemus: ad hoc est causa perducta, quatenus semotis omnibus quæ de Trium capitulorum à quibuslibet dicto scriptóve fuerant ordinata, quid de ipsa C
aliarum re facto opus esset, cum Africanarum, Illyricianarum, seu Galliarum partium congregata Synodo tractaremus, eorum maximè præsentiam requirentes, quorum fuerat scandalizata fraternitas. Illud quoque magnopere nobis cum clemẽtissimo Principe, præsentibus etiam Menna Constantinopolitanæ ciuitatis & Dacio Mediolanensis vrbis Antistite, aliisque tam Græcis quàm Latinis Episcopis, cum quibus omnibus etiam tu Theodore pariter affuisti, necnon & præsentibus Iudicibus atque proceribus, vniuersoq; Senatu, conuenit, ne vsque ad memoratam Concilij definitionem quicquam de prefatis Tribus capitulis ab aliquo fieri intentaretur. At deinde tuis ex consuetudine incitamentis liber condemnationem capitulorum ipsorum continens, in Palatio, te assistente & instruente, coram quibusdam Græcis Episcopis est relectus, à quibus assentationum fauorem tuis vocibus exigebas. Ex quo facto tam tu, quàm tibi consentientes Episcopi, mitiùs licet à nobis quàm oportuit increpati, D
ad promerendam ficta satisfactione veniam conuolastis.

Quis autem commemorare sufficiat, quæ te incitante atque exequente mala commissa sunt? Nam vt de magnis excessibus tuis parua narremus, totius scandali incitamentum fuisti atque seditio. Qui domi tuæ sedens, antiquarios pretio caro conducẽs, ea quæ iurata voce te non esse facturum vsque ad constitutum tempus frequentiùs firmaueras, conscripsisti, & sub prætextu religionis, ea quæ Ecclesiam Dei diuiderent (sicut etiam rebus ipsis agnoscitur) perpetrasti. Nam vsque ad hoc animum Christianissimi Principis falsis suggestionibus perduxisti, vt clementia eius, quæ in suis hostibus pia semper apparuit, contra nos grauiter moueretur. Sed hæc omnia bona desideria nostra, quæ pro pace Ecclesiæ proculdubio militabant, ita animus tuus quietis impatiens dissipauit, vt illa quæ fraterna collatione & tranquilla Episcoporum fuerant reseruanda iudicio, subitò contra Ecclesiasticum morem, E
& contra paternas traditiones, contraq; omnem auctoritatem Euangelicæ Apostolicæque doctrinæ, edictis propositis, secundùm tuum damnarentur arbitrium, dum Fidelium nullus ignoret, per quos Dominus & Deus noster doctrinis cælestibus plebem suam iusserit erudiri, vel quibus ligandi soluendique super terram dederit potestatem.

Deinde in domo Placidiana cum Græcarum vel Latinarum partium Episcopis, qui in vrbe regia aderant, & presbyteris ac diaconibus Constantinopolitanæ Ecclesiæ conuenisti: ibique sub magnæ vociferationis contestatione, tam nos quàm frater noster Mediolanensis Episcopus prohibuimus, ne aliquis vestrûm præuaricationi communis Constituti, contempta fraternitate, præberet assensum. Tu autem sedis Apostolicæ interdicentis per nos auctoritate despecta, ad ecclesiam in qua edicta ipsa pendebant, reliquos tecum attrahens, perrexisti, ibique aliis adiectis præuaricationibus, Missarum solemnia celebrasti: &

quasi

A quasi nihil tibi esset, primæ sedis Antistitem præsentem & contradicentem contempsisse; Pontificem etiam Alexandrinæ Ecclesiæ sacerdotem fratrem nostrum Zoilum, cuius nomen vsque ad memoratum diem communicatum vobis fuerat, Diptychis eximētes, Apollinarem quemdam peruersorem atque Ecclesiæ ipsius adulterum vobis sociastis; vt vestra iniquitas non solùm in remouendo simplicissimo sacerdote, sed etiã in recipiendo patefieret peruersore. Reticemus interim alia, quæ eodem die à vobis in Apostolicæ sedis & in canonum perpetrata probantur iniuriam: ne detenti enumeratione culparum, quarum inuentor ostenderis, quod tibi competit, diutiùs differamus.

Et licet ante triginta dies pro memoratis excessibus vestris ab Apostolicæ vos communionis remouissemus consortio, credentes quòd sacerdotali proposito faciliùs quæ malè gesta fuerant, satisfactione congrua curaretis: Ideoque ex persona & auctoritate beati Pe- SENTENTIA IN THEODORVM CAES. EPISC.
B tri Apostoli, cuius licet exigui nos locum gerimus, cum Dacio Mediolanense, Ioanne Marsicano, Zacchæo Scyllaceno, Valentino Siluæcandidæ, Florentio Matellicatensi, Iuliano Signino, Romulo Numentanensi, Dominico de Calliopoli, Primasio Adrumetino, Verecundo Lunensi, Stephano Ariminensi, Paschasio Alatrino, atque Ioanne Cortonensi, fratribus & coepiscopis, hac Theodorum Cæsareæ Cappadociæ ciuitatis quondam Episcopum sententiæ promulgatione, tam sacerdotali honore & communione Catholica, quàm omni officio Episcopali seu potestate spoliatum esse decernimus: nullis te vacare vlteriùs rebus, nisi pœnitentiæ lacrymis censentes, quibus percepta remissione culparum, locum, communionemque tuam aut à me aut post obitum meum à successore meo (si merueris) indulgentiæ recipias.

Teq; Mennam Constantinopolitanæ ciuitatis Episcopum, qui non dissimili culpa con- SENTENTIA IN MENNAM.
C stringeris, cum omnibus Metropolitanis & Micropolitanis Episcopis ad tuam diœcesim pertinentibus, sed & tuos Orientales, vel diuersarum prouinciarum maiorum minorumq; ciuitatum Episcopos, qui his excessibus, pro quibus Theodorum Cæsareæ Cappadociæ quondam Episcopum condemnauimus, præbuistis assensum, humaniore *sententia* pro Dei consideratione tamdiu à sacra communione suspendimus, donec vnusquisque vestrum errorem suæ præuaricationis agnoscens, culpam apud nos propriam competenti satisfactione diluerit. *Hæc est subscriptio sancti Papæ*: Deo iuuante & ipsius gratia Vigilius Episcopus sanctæ Ecclesiæ Catholicę vrbis Romæ huic damnationi atque excommunicationi Theodori Cæsareæ Cappadociæ, & huic communicantis Mennæ Constantinopolitanæ vrbis Episcopi vel aliorum Præfectorum, subscripsi. Data XIX. Kalendas Septembris, imperante domino Iustiniano perpetuo Augusto, anno vigesimoquinto, post Consulatum Basilij viri clarissimi anno decimo*.] hactenus Constitutum Vigilij de anathemate. Quod autem ad Zoi- *XI.
D li depositionem ac substitutionem Apollinaris pertinet, hæc Liberatus diaconus ait [a]: Zoilum postea Imperator deposuit, & Apollinarem ordinauit, qui nunc est Præsul ipsius Alexandrinæ Ecclesiæ.] hæc ipse. [a] *Liberat. diac. breu. cap. 23. to. 2. conc.*

Antequam autem quæ post hæc sunt subsecuta narremus: cùm inter Episcopos, qui vnà cum Vigilio dicto conuentui interfuerunt, nominatus reperiatur Primasius Episcopus Adrumetinus in Africa: hunc illum esse putamus, qui clarus habetur inter scriptores Ecclesiasticos, cuius & meminit Isidorus & alij. solus hic (quod sciam) inter Africanos Episcopos reperitur, qui inhæserit Vigilio, ceteris ab eius communicatione recedentibus. Cùm verò hic dicatur Episcopus Adrumetinus, errore lapsus videtur Trithemius, dum eum nominat Episcopum Vticensem: nisi quis dicere velit, duos fuisse Primasios Episco- DE PRIMASIO. EPISC. ADRVMETINO.
E pos Africanos eosdemque eruditione claros; quod non persuadetur: nam dum de Primasio meminit Cassiodorus, ipsum sui fuisse æqualem profitetur, cùm ait [b]: Nostris quoque temporibus Apocalypsis beati Primasij Antistitis Africani studio minutè & diligenter quinque libris exposita est, &c.] Porrò his temporibus vixisse Cassiodorum, nullus ignorat. Quod verò Primasium Trithemius dicit fuisse Episcopum Vticensem, discipulumque sancti Augustini, & Scholiastes eumdem ipsum floruisse ait temporibus Theodosij, anno Domini quadringentesimo quadragesimo: sanè quidem vterque decipi reperitur: nam cùm idem Primasius inueniatur in commentariis in epistolam ad Hebræos citare ipsum Cassiodorum, qui his vixit temporibus Iustiniani Imperatoris, longè post Theodosij tempora ipsum claruisse oportuit. Quamobrem nonnisi vnum eumdemque Primasium dixerimus, ipsumque Episcopum Adrumetinum, qui Constantinopoli (vt videmus) cum Vigilio Papa aduersus schismaticos stetit. [b] *Cassiodor. de diuin. lect. cap. 3.*

Hæc

CHRISTI 551. VIGILII PAP. 12. IVSTINIANI IMP. 25. TOTILÆ REG. 10.

Hæc autem omnia acta sunt ab ipso Vigilio Constantinopoli in ecclesia sancti Petri, ad quam Imperatoris ministrorum violentiam metuens antè confugerat, vt ipse docet litteris [a] circularibus anno sequenti datis. Vbi dum moraretur, atque ea quæ per Theodorum essent gesta cognouisset, eam ipsam quam recitauimus sententiam tulit; verum non statim promulgauit, sed apud se retinendam aliquantulum, in consilio habuit, paci interim Ecclesiæ consulturus. A

[a] *Vigil. epist. 7. tom. 1. epist. Rom. Pont.*

VIGILIVS CONFVGIT AD ECCLESIAM SANCTI PETRI.

Sed quæ præcesserunt, cùm ad euitandos Imperatoris satellites Vigilius è Placidiana domo hoc anno fugit ad ecclesiam S. Petri, nuper à nobis relata, iam ex eiusdem Pontificis scriptis sequenti anno datis hîc recitemus, quo cuncta certiùs habeas explorata: ait enim ipse in epistola circulari vniuersæ Ecclesiæ Catholicæ scripta [b]:

[b] *Vigil. ep. 7.*

Posteaquam edicta sua piissimus Princeps iussit appendi: omnibus Episcopis diuersarum partium & presbyteris atque diaconibus necnon & clericis Constantinopolitanæ Ecclesiæ ad nos venientibus in Placidiana domo, antequam ad S. Petri confugeremus basilicam, facie ad faciem ita locuti sumus: Rogate piissimum Principem, vt edicta sua, quæ præcepit appendi, remouere dignetur, & constitutum commune expectare; id est, vt scandalizati Episcopi Latinæ linguæ ad Synodum veniant; aut certè remota omni violentia, suas scripto declarent sententias. Quòd si fortè preces vestras audire noluerit: vos nulli rei præbeatis assensum, quæ ad diuisionẽ tendit; nec contra constitutum comminatione aliqua veniatis. Quòd si hoc forsitan (quod non credimus) feceritis: noueritis ex præsenti die, vt præuaricatores Apostoli Petri, per ministerium vocis meæ haberi suspensos. B

VIGILIVS EXCOMMVNICAT ADVERSARIOS

Et quoniam his actis, non solùm ea quæ commissa fuerant, nullo modo sunt correcta, sed etiam ex aliis causis die ipso in regularum Ecclesiasticarum præiudicium, vel iniuriam sedis Apostolicæ, peiora præsumpta sunt: nec vlteriùs eos cõmunionis nostræ permisimus esse participes, nec aspectus eorũ post tot præuaricationes nostri oculi receperunt. Ea enim quæ verbo de memorata excommunicatione cunctis Episcopis vel presbyteris & diaconibus aliisque clericis Constantinopolitanæ Ecclesiæ voce publica dixeramus, postea etiam die Nonarum * Septembrium nuper præteritarum in beati Petri basilica scripto firmauimus: in quo etiam illum, qui sub habitu Episcopali lupi rapacis Dominico gregi tendit insidias, & assumens totius ducatum scandali, vniuersalem perturbauit ac perturbat Ecclesiam, de Episcopatus ordine deponentes, damnauimus: alios verò, qui superiùs memorati sunt, à communione suspendimus. C

* Decimonono Kalend. *ita in sententia lata in Theodorum.*

Sed hæc hactenus Paginam ipsius damnationis proferre nolumus: quoniam & clementissimum Principem pro tali ac tanto scandalo ea quæ facta sunt, diuini considerationc iudicij reuocare confidimus: omnibus oportebat nos spatium pœnitentiæ reseruare, imitantes beatum Petrum, cuius sedem tenemus immeriti. Chartam verò ipsam excommunicationis atque damnationis cuidam Christianæ personæ tradidimus conseruandam: vt si forsitan hi qui excesserant, nullo modo corrigere voluissent, aut si nobis vis aliqua irrogaretur, siue quælibet inquietudo fieret, vel certè humana sorte transitus de hac luce contingeret, mox eam in celeberrimis locis proponeret; quatenus eius notitia Christianis omnibus patefacta, seruetur in posterum.] hæc de sententia in Theodorum atque Mennam lata Vigilius: quæ ipse scripsit anno sequenti in basilica S. Euphemiæ Chalcedone, ad quam, vrgente rursus violentia regiorum ministrorum, ex dicta ecclesia S. Petri confugere coactus est. D

IESV CHRISTI ANNVS 552. VIGILII PAP. ANNVS 13. IVSTINIANI IMP. 26. TOTILÆ REG. 11. E

OMNI LINGVA DOCERI LEGEM IVDAEIS CONCEDITVR.

QVingentesimus quinquagesimus secundus Domini annus, post Consulatum Basilij vndecimus notatur in Fastis, à Procopio autem belli Gothici decimus septimus, quo & mensis Aprilis exordio annus incipit numerari Iustiniani Imperatoris vigesimus sextus: cùm mense Februario, adhuc anno durante eiusdem Imperatoris vigesimoquinto, idem Iustinianus sanctionem edidit aduersus Iudæos, qui suos prohiberent sacræ legis libros alia tradi doceriq́ue lingua, quàm Hebraica: quo fiebat, vt simplicioribus, quos vellent, ipsorum magistri magno illorum damno propinarent errores. Hos igitur lege coerceri præ-

Aprecipit, si quid iidem contra diuinam Scripturam ausi sint docendo tradere, vt negare mortuorum resurrectionem, siue vniuersale Iudicium, vel asserere per Angelos cuncta esse creata. Quantum enim ex Iustiniani sanctione conspicitur, Hebræi iam vulgò à linguæ Hebraicæ vsu desciuerant, & nationum lingua, siue ea quæ apud eos vulgaris esset, vtebantur. Ista igitur sanctio sic se habet [a]: [a] *Nouel. 146.*

IVSTINIANI CONSTITVTIO DE IVDAEIS.

Necessarium quidem erat, Hebræos sacros audientes libros, non solis litteris adhærere, sed ad reconditas eis prophetias inspicere, per quas magnum Deum & Saluatorem generis humani Iesum Christum annunciant. Sed etiam si insensatis semetipsos interpretationibus tradentes, à recta vsque nunc aberrauerunt gloria; tamen certare adinuicem discentes ipsos, non sustinuimus sine iudicio eis relinquere tumultum. Per has enim ipsorum quæ nobis adductæ sunt interpellationes, didicimus, quod quidem solam habentes Hebraicam vocem, & ipsa vti in sacrorum librorum lectione volunt, nec Græcam tradere dignantur, & multum dudum tempus per hoc adinuicem commouentur. Nos igitur huiusmodi discentes, meliores iudicauimus esse & Græcam vocem ad sacrorum librorum lectionem tradere volentes, & vocem omnem simpliciter, quam locus aptiorem & magis cognitam audientibus facit.

Sancimus igitur, licentiam esse volentibus Hebræis per synagogas suas in quocumque Hebræi omnino loco sunt, per Græcam vocem sacros libros legere conuenientibus, vel etiam patria fortè (Italica hac dicimus) lingua, vel etiam aliorum simpliciter, vnà scilicet cum locis etiam lingua commutata, & per ipsorum lectionem, per quam clara sunt quæ dicuntur conuenientibus omnibus deinceps, & secundùm hæc viuere & conuersari. Neque fiduciam esse his qui apud eos sunt expositoribus solam Hebraicam tradentibus malignari hanc quemadmodum voluerint, multorum ignorantia suam ipsorum abscondentes malam consuetudinem.

Verumtamen hi qui per Græcam legunt, Septuaginta vtantur traditione, quæ omnibus certior est & præ aliis melior iudicata, præcipuè propter quod circa interpretationem contigit: quia & per duos diuisi & per diuersa interpretantes loca, tamen vnam tradiderunt omnes compositionem. Ad hæc verò quis non horum virorum & illud admiretur, quia multo antiquiores salutari apparitione magni Dei & Saluatoris nostri Iesu Christi constituti, tamen illam futuram tamquam videntes sacrorum librorum traditionem fecerunt, tamquam prophetiæ gratia circumfulgente eos? Et hac quidem vtantur præcipuè omnes: sed non tamen tamquam eis residuas excludere sanciuerimus interpretationes. Licentiam damus & Aquilæ vti, etsi alienæ tribus ille, & non competentem in aliquibus sermonibus habet cum Septuaginta interpretatione dissonantiam.

Eam verò quæ ab eis dicitur Secunda editio, interdicimus omnimodo, vtpotè sacris non coniunctam libris, neque desuper traditam de Prophetis, sed inuentionem constitutam virorum ex sola loquentium terra, & diuinum in ipsis habentium nihil. Et ipsas ergo sacras voces legant, codices ipsos respuentes, sed non abscondentes quidem quæ per eos dicta sunt, exterioribus verò traditis sine scriptis vanæ vocis vtentes ad simpliciorum per ipsos excogitatis perditionem *(Talmudistas Iudæorum signat Imperator.)* Vt hac data à nobis licentia, neque damnis aliquibus subiiciantur omnino qui Græcam vocem & alias tradunt, neque ab alio quouis prohibeantur. Neque licentiam habebunt hi qui ab eis maiores omnibus Archipherecitæ, aut presbyteri forsitan vel magistri appellantur, perinœis aliquibus aut anathematismis hoc prohibere: nisi velint propter hos castigari corporis pœnis, & insuper priuationem facultatum nolentes sustinere, meliora verò & Deo amabiliora volentibus nobis & iubentibus.

Si quidam verò apud eos atheos vanæ nouæ vocis eloquia inferre præsumpserint, aut resurrectionem & iudicium negare, aut facturam Dei & creaturam Angelos subsistere: hos & expelli volumus loco omni, & non relinqui vocem blasphemiæ, & ita à Dei simul lapsam notitia: præsumentes enim eos affari aliquid huiusmodi, vltimis subdantur supplicijs, illato terrore ex hoc Iudæorum emendantes gentem. Oramus autem eos, aut per istam, aut per illam linguam sacros libros audientes, seruare quidem interpretantium malignitatem, non solas verò considerare litteras, sed rebus refici & diuinum veraciter intellectum recipere: vt & redoceri quod melius est, & quiescere aliquando errantes, & in hoc ipso, quod est omnium καριώτατον peccantes in Deum spem dicimus. Propterea enim omnem eis vocem aperimus ad sacrorum librorum lectionem, vt omnes de cetero eorũ accipientes

pientes scientiam, doctiores ad melius fiant, re confessa constituta, paratiorem multo ad discretionem esse, & ad melioris intentionem, sacris innutritum libris, & parum quod desit habentem ad emendationem, quàm scientem quidem horum nihil, solo verò cultus inchoatum nomine, & tamquam anchora retentum sacra, & doctrinam piam hæresis appellationem esse putantem. A

Quæ igitur nobis placuerunt, & per hanc præsentem piam legem declarata sunt, custodiet quidem tua gloria, & quod tibi obtemperat Officium: seruabit & pro tempore qui in eodem cingulo ordinabitur, & non permittet omnino Hebræos præter hæc facere; sed insistentes & prohibere omnino nitentes, corporalibus primum pœnis subiiciens, exilium incolere compellet, auferens & bona, vt non simul ipsi contra Deum sed & Imperium audaciter insurgant. Vtetur autem & præceptionibus ad prouinciarum Præsides, præcipiens ipsis nostram legem, vt & ipsi hanc discentes proponant per ciuitatem vnumquamque, scientes, quia hæc obseruari vtile erit his qui nostram indignationem veriti fuerint. Data sexto Idus Februarij, Constantinopoli, D. N. Iustin. PP. Aug. an. xxv. post Basilij V. C. B

* xi. Consulatum anno xii.*] sed corrigendum, vt dicat, anno vndecimo: annus enim Imperatoris vigesimusquintus absoluitur hoc anno in fine mensis Martij; nam Aprili mense vigesimus sextus inchoatur. Hac igitur Imperatoris sanctione ordine temporis recensita, iam rerum Vigilij Papæ anni huius, nullius alterius lectionis obice interciſam, narrationis seriem ingrediamur.

Meminisse, lector, debes quæ anno superiori Constantinopoli aduersus Vigilium Romanum Pontificem sunt sacrilegè perpetrata, cùm ipse Catholicæ & Apostolicæ sedis Antistes vim metuens Imperatoris ad sancti Petri basilicam primum confugere coactus est. C Sed quòd nec sacer ille asylus, seruilis etiam cõditionis quibuscumque securus, tanto Pontifici ab Imperatoris sacrilegi violentia videri poterat esse tutus ante oculos eius positus: trans mare quæsiuit effugium, & in basilicam sanctæ Euphemiæ apud Chalcedonẽ (si quis tamen inueniri possit locus ab Imperatoris furore securus) habitare disposuit. Hoc planè tẽpore accidisse noscuntur, quæ Anastasius Bibliothecarius iungit, immò confundit cum prioribus quæ acciderunt viuente adhuc Theodora Augusta: Tunc (inquit) *antequam scilicet ab ecclesia S. Petri recederet*, dedit alapam in faciem eius quidã, dicens: Homicida, nescis quid loqueris: quia Siluerium Papam occidisti, & filium mulieris viduæ ad calces & fustes interfeciſti. Tunc fugiẽs in basilicã sanctæ Euphemiæ, tenuit columnã altaris.] hæc ibi vsq; ad posteriorem fugam, priorem omittens: cetera autem quæ sequuntur, suo loco dicentur.

In eadem itaque sanctæ Euphemiæ basilica Vigilius degens, sicut priùs fecerat, nihil D penitus remisit Apostolicæ auctoritatis: atque perinde ac si Romæ in ipsa Lateranensi basilica siue Vaticana summa pace consisteret, ibi cum suis memoratis antè Episcopis degens, quæ essent Ecclesiæ libertatis & Catholicæ fidei integritatis, tractare minimè prætermisit: Sed ex eo, cuius in sede consisteret, ipso inquam Petro Apostolorum Principe, tanta est ipsi parta fiducia, vt ex Apostolico throno, cui in sua persona sciret considere Petrum, & in Petro Christum, summa potestatis plenitudine aduersus Metropolitanos Episcopos, immo in ipsum Patriarcham Constantinopolitanum ferre sententiam, insuper & perperam facta Imperatoris rescindere magno animo sit aggressus, minimè reueritus vultũ potentis, sciens

[a] *Hierem. 1.* maiore fulciri quàm Hieremiam auctoritate, cui à Domino dictum[a]: Ecce constitui te hodie super gentes & regna.] ac rursum: Dedi te hodie in ciuitatem munitam, & in columnam ferream & in murum æreum super omnem terram Regibus Iuda, Principibus eius & E sacerdotibus, & omni populo terræ: & bellabunt aduersum te, & non præualebunt: quia ego tecum sum (ait Dominus) vt liberem te.] Tanto namque ipse potentior est Prophetis effectus, quanto differentius præ illis nomen hereditauit. Cuinam aliquando Prophetarum

[b] *Matt. 16.* dictum: Tu[b] es Petra, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduersus eam? His igitur Domini promissionibus roboratus, tum aliis tum se ipso robustior tunc apparuit, cùm magis deorsum mergeretur.

Vidisses planè tunc non characteribus tantummodo exaratam sententiã illam omnium ore versatam, Vbi Papa, ibi Roma, sed velut in tabula graphicè coloribus delineatã veritatem ipsam; dum idem ipse qui ad fugam captatus est locus, & veluti delectus ad latebras, idem sit effectus ipsius præsentia Romani Pontificis eminens cunctisque perspicuum ad iudicãdum tribunal, & ad reprimendos sternendosq; aduersarios sublimis turris, inaccessibilis cuilibet humanæ potentiæ, è qua missilia in hostes iaceret is qui confugit in eam,

manens

A manens ipse securus, secundùm illud Prouerbiorum[a]: Turris fortissima nomen Domini: ad ipsum currit iustus, & exaltabitur.] intellexisses pariter, quàm verum sit quod Apostolus Paulus ingenuè profitetur[b]: Cùm infirmor, tunc potens sum.] Etenim qui animi infirmitate visus esset iterata fuga lõgiùs esse progressus, ibiq́ue corporis quoque languore grauiter affectus, animi tamen vigore resumpto, fortior factus atque robustior intrepidè de victoria securus insurgit, potentissimaq́; spiritalia spicula iacit in hostes, feritq́; ipse illæsus existens. [a] *Prou. 18.* [b] *2. Cor. 12.*

Ita planè magno veluti miraculo factum, vt dum fugit Vigilius, vincat: dum insequentem & persequentem patitur Imperatorem, eumdem reddat humilem & obsequentem: vt perspicuè apparuerit vel ex hoc facto, quòd non homo tantùm, sed Christus ipse Deus & homo cum homine in sede Petri sedente cõsideat, cui cedere necesse sit omnem humanam potentiam atque portas etiam inferorum. Sed quomodo hæc facta sunt, iam enarrare aggrediamur. Vbi Iustinianus Imp. accepit Vigilium Romanum Pontificem iusto metu perculsum è Petri basilica confugisse Chalcedonem, & in ecclesia Euphemiæ martyris cum suis degere, insuper & corporis mala valetudine laborare: facti pœnitens, non milites qui eum inde abducerent misit iratus, sed dignam tanto Pontifice legationem ornauit, qua eum iuramento præstito in pristinum domicilium honorificè reuocaret. MIRA FACTA MVTATIO.

At ipse Vigilius inde egredi numquam consensit, neque iuratis Patriciis fidem voluit adhibere, nisi prius in omnibus consultum esset sedis Apostolicæ dignitati, nempe, vt quæ contra ipsius Romani Pontificis voluntatem de Tribus capitulis Imperator appendisset edicta, idem protinus reuocaret, atque penitus aboleret. Sed & quòd licet magna pollicẽtibus missis nunciis haud facilè putaret esse credendũ, vtpote (quod in prouerbio est) Græcorum fides: illud excogitauit, vt antè ad vniuersos Christi fideles encyclicam daret epistolam, qua cuncta quæ gesta essent, vniuersæ Ecclesiæ innotescerent: sic namque fore, vt si quid in ipsum Vigilium decerneret Imperator fidifragus, omnes scirent qua animi constantia ipse illi restiterit; & si quid præter illa quæ statuisset ab eo suis sanctionibus vulgaretur, nihil esse nossent sua consensione firmatum. Epistola autem encyclica tunc ab ipso Vigilio Papa conscripta ita se habet[c]: VIGILIVS ABOLERI IVBET IMP. EDICTVM. [c] *Vigil. epist. 7 tom. 1. epist. Rom. Pont.*

Vigilius Episcopus Ecclesiæ Catholicæ vniuerso populo Dei.

Dum in sanctæ Euphemiæ basilica graui laborantes ægritudine teneremur, piissimus atque clementissimus Imperator Dominico die, id est, Kalendis Februarij, glorioſos Iudices suos ad nos destinare dignatus est, id est, Belisarium & Cethegum Exconsules atque Patricios, necnon & Petrum exconsulem Patricium atque Magistrum, sed & Iustinianum Exconsulem & Curampalatij*, & Marcellinum Exconsulem & Comitem Excubitorum, sed & Glorioſum virum Constantinum Quæstorem, qui nobis dicerent, vt sacramenta percipere deberemus, & de sanctæ Euphemiæ ecclesia ad ciuitatem regiam remeare. ENCYCLICA VIGILII AD CHRISTI FIDELES. *Curopalatem

Quibus tale dedimus, Deo adiuuante, responsum, dicentes: Nos quidẽ in hanc basilicam pro nulla pecuniaria vel priuata causa confugimus, sed pro Ecclesiæ tanto scandalo, quod iam toti mundo pro peccatis innotuit. Et ideo si causa Ecclesiæ ordinatur, vt pacem eius, quam ab auunculi sui piissimus Princeps fecit temporibus, & modo restituat: ego sacramentis opus non habeo, sed statim egredior. si causa finita non fuerit, iisdem sacramentis opus non habeo: quia numquam de sanctæ Euphemiæ ecclesia exire dispono, nisi scandalum ab Ecclesia Dei fuerit amputatũ. Nam posteaquam edicta sua, &c.] pergit narrare quę gesta sunt anno superiori, quæ suo loco posuimus: quibus recensitis, ista ad postremũ addit: QVID VIGILIVS PETAT.

Dum hæc autem præfatis iudicibus diceremus, rogauimus eos, inuocato omnipotentis Dei iudicio, vt clementissimo Imperatori hoc quoque ex nomine nostro suggererent: Quia illis qui à nobis excõmunicati sunt, in quibus & is quem prædiximus est damnatus, communicare non debet, ne graue (quod absit) peccatum incurrat. His ita se habentibus, per magnificum virum Petrum Referendarium die * pridie Kalendas Februarias quædam charta nobis allata est, quam à clementissimo Principe nullo modo credimus destinatam, quia nec fuerat pietatis eius manu scripta. Et dum memorato Referendario diceremus, vt in ea scriberet diem, & quomodo ab ipso fuerat oblata, pariter signaret.] hucusque in codice: reliqua desunt, magno præiudicio historicæ veritatis. Ceterum ex his quæ dicentur, constat cessisse tandem Vigilio Imperatorem, atque appensa amoueri iussisse à se prolata de Tribus capitulis edicta, & ex sententia ipsius Vigilij nihil de illis tractari voluisse ante Synodum generalem, quam ex eiusdem Pontificis desiderio & voluntate conuocari fecit, vt suo loco sequenti anno dicemus. *postridie CEDIT VIGILIO IMPERATOR.

Ex his igitur complura conuincenda sunt scriptorum mendacia, primumq; ab Anastasio[a] tradita; nisi quæ mixtim confuseque ab eo narrantur, suis seorsum reponantur locis, & non sub Theodora Augusta referantur quæ longè post eius obitum facta esse noscuntur. Epistolari enim historiæ cetera à quibusuis scripta cedant necesse est; si præsertim ex illis accepta noscatur epistolis, quæ incyclicæ dictæ, vniuerso populo Christiano, patentes vnicuique, scriptæ esse noscuntur. Ex iisdem pariter habes ex quibus redarguas Nicephorum Callistum, qui de huiusce modi turbis historiam scribens, multipliciter errasse comperitur, dum parum æquus in Vigilium Papam, quòd Constantinopolitanum Episcopum Mennam à communione suspenderit, in eum inuehitur, & mendacissimè asserit parem sententiam aduersus Vigilium ipsum à Menna latam: Quod si ille ausus fuisset, necessariò planè & præcipuè de his habenda mentio erat in eiusdem Vigilij Epistola circulari. Sed alia plura mendacia miscuit, quæ tu ex eius verbis colliges, quæ sic se habent[b]:

Eo (inquit) Vigilius insolentiæ progressus est, vt & Mennam à communione quatuor mensibus excluserit. Idem sanè & Mennas aduersus illum fecit. Sed enim Iustinianus rebus huiusmodi ad iram commotus, eum comprehendere misit. Vigilius autem sibi metuens, ad Sergij martyris arcam confugit, & sacris ibi fistulis implicitus, non priùs inde extractus cessit, quàm illas euertit: erat enim magnus & corporis statura vastus. Postea verò cùm eius rei Iustinianus pœniteret, partibus suis interponente Imperatrice Theodora, Vigilium suscepit, atque ille rursus Mennam ad communionem admittit.] hæc Nicephorus: qui etsi non in aliis corrigendus foret, certè defendi non potest, dum hæc viuente adhuc Theodora Augusta facta narrat, cùm redarguatur ex Procopio: & dum ait ad sancti Sergij aram Vigilium confugisse, planè mendacij conuincitur ex ipsius Vigilij scriptis, quibus (vt vidimus) ait, ad S. Petri, inde ad Euphemiæ basilicam confugisse.

Porrò turbata in hunc modum Ecclesia, rerum naturam etiam æquè esse turbatam, ea quæ hoc anno accidisse Procopius tradit, declarant: etenim hoc ipso anno Græciæ ciuitates plures terræmotu excisas, hiatu terræ loca multa absorpta, portentosasque maris æstuationes factas enarrat. his accessit Sclauinorum & Hunnorum in Romanum Imperium incursio repetita. Sed & hoc pariter anno Gothos Corsicam & Sardiniam cepisse, idem Procopius refert. Quid enim potuit esse stabile, cùm religio, basis ipsa Orbis exagitatur? Concuti quidem opus est omnia, cùm ipsa petra, super quam Ecclesia fundata est, motibus in diuersa propellitur. Etenim eiusdem etiam testificatione Procopij illud asseritur, eiusmodi qui Constantinopoli contigit motu alias etiam Orientis Ecclesias fluctuasse: quo vno allato exemplo, quæ in reliquis facta sint ciuitatibus, facilè quisque intelligere possit: sunt enim hæc ipsius verba[c]: Ceteri milites, Imperatoris iussu, circa Vlpianam in Illyriis vrbem stationem habuerunt ob seditionem ea de causa inter incolas ortam, qua Christiani solent de fide solertiùs disceptando inter se altercari.] hæc Procopius: ex quibus licet paucis magna possumus intelligere, nempe miserandum totius Ecclesiæ statum, Catholicis inter se in qualibet ciuitate pugnantibus.

Verùm cùm inter tot discrimina fluctibus agitatæ nauiculæ omnino vnà cum capite vniuersum periclitari visum est Ecclesiæ corpus: repentè excitatus est tamquam dormiens Dominus, imperansque vento & mari, cuncta, temporis ferme momento, fecit esse tranquilla. Etenim (vt dictum est) Imperator appensa antea de Tribus capitulis tolli iussit edicta, & ex sententia Vigilij Papæ, quod fecerat abrogauit; atque quod idem Pontifex postularat, cuncta in generali agitanda Concilio reseruauit. His accessit, quòd & Theodorus malorum omnium auctor, cuius causa vniuersa hæc fuerat tempestas exorta, iam pœnitens facti (quod admiratione summa dignum est) ad eum à quo sententiam damnationis acceperat, accedens humilis, libellum supplicem ipsi Vigilio Papæ offert, quo & rectam fidem professus est, & quatuor sacra Concilia comprobauit non in his tantùm quæ spectant ad fidem; sed & cuncta quæ in eis essent acta, rata firmaque habenda esse, pariter comprobauit: quibus planè docuit, excitatam à se primùm de Tribus capitulis quæstionem profundo esse silentio obruendam: his adiecit, vt & de irrogatis in ipsum Summum Pontificem probris & contumeliis eodem libello suppliciter veniam peteret.

Quis, rogo, ista considerans, non miretur, atque etiam obstupescat, Dauidicum[d] illud exclamans: Hæc mutatio dexteræ Excelsi, &, A Domino factum est istud, & est mirabile in oculis nostris?] cùm primaria illa petra, quam adeò reiecerant ædificantes, eadem repente reposita sursum inspiciatur in caput anguli, præcipuo digna honore habita: vt præ miraculo illud

[a] *Anast. in Vigilio.*
REFELLVNTVR ERRORES.
NICEPHORI ERRORES ARGVVNTVR.
[b] *Niceph lib. 17. c. 26.*
ECCLESIASTICVM BELLVM VBIQVE VIGET.
[c] *Procop. de bello Goth. lib. 3.*
THEODORI EPISC. POENITENTIA.
[d] *Psal. 76. & Psal. 117*

A illud factum appareat, quod idem Propheta occinit, ita dicens[a]: Absorpti sunt iuncti petræ Iudices eorum] dum eidem cessere penitus qui aduersati erant terræ Principes & summi religionis Antistites. Nam præter Theodorum Archiepiscopum Cæsarienſem, præstitit id ipsum etiam Mennas Constantinopolitanus Episcopus, qui ab eodē Vigilio eadem ex causa fuerat ad certum tempus communione priuatus: ipse enim, sicut & Theodorus, totidem verbis scriptum libellum supplicem Vigilio obtulit, quo etiam præter ea quæ dicta sunt, pariter professus est, libellum quemdam in Vigilium scriptum, minimè esse suum. Sic igitur tali præmissa satisfactione, Vigilius eosdem in communionem accepit, redditaque est Ecclesiæ pax: quæ ex optato cunctis innotescens, eo iucundior atque gratior facta est, quo magna secum bona vexit, quæ dicemus. Porrò hæc omnia habentur in Vigilij Papæ Constituto, de quo inferius agendum erit.

[a] *Psal. 140.*

MENNAE EPISC. CONSTANTINOP. POENITENTIA.

B Sed quænam hæc mox secuta sunt bona? accipe. Gothi è Sicilia præter omnem spem expelluntur, belloque nauali vincuntur: missoque in Italiam à Iustiniano Imperatore Narsete, res Gothorum in deterius dilabi cœperunt. Vt planè perspicuè fuerit demonstratum, pro statu rerum Ecclesiasticarum res Imperij à Diuinitate disponi; vt cùm lacessuntur Dei sacerdotes, barbari inualescant; proterantur autem, cùm illorum dignitati consulitur: sicque veluti quadam necessitate Ecclesiæ pacem felicitas subsequatur Imperij, Ecclesiæ verò illatum à Principe bellum cladem Imperij secum ducat. Sed de anni huius rebus prosperè gestis in Sicilia atque Italia terra mariqué Procopium consule. At hæc magis anni sequentis facta docebunt.

PAX ECCLESIAE EST SALVS IMPERII.

Respirante iam populo atque optata pace lætante, immensæ vbique & ab omnibus gratiarum actiones Deo redduntur: quando & publica festa parantur, quæ triumphi quam-
C dam speciem præseferant. Etenim hoc anno ipse Mennas Constantinopolitanus Episcopus, postquam à Vigilio Papa in communionem admissus est (vt inquit Nicephorus[b]) vigesimanona Iunij die Encænia celebrauit basilicæ sanctorum Apostolorum, cùm sacræ reliquiæ curru aureo circumuectæ ab eodem Menna reconditæ sunt. Sed quæ de eadem basilica Procopius[c] habeat, audi: Erat (inquit) antiqua apud Byzantium ecclesia Apostolis consecrata, longitudine temporis iam emota, & quæ (vt suspicabatur) ampliùs stare non poterat. Hanc Iustinianus instaurauit pro dignitate. Vbi latomi & artifices, effosso fundamento, inuenerunt ligneas arcas tres insculptis litteris indicantes esse scilicet trium Apostolorum corpora, Andreæ, Lucæ, & Timothei. Quę rex ipse & omnes Christiani maximo cum feruore conspexerunt, & conspecta rursus terra occuluere, non negligentes locum & vicinis orbatum relinquentes, sed Apostolorum corporibus dedicatum cum pietate consti-
D tuentes. Constat autem, quod Apostoli beneficiorum memores, ad Regis honorem nunc hominibus apparuerint, Regis inquam pij & religiosi. Neque enim ab humanis recedunt diuina, sed admisceri percupiunt & hominum conuersatione oblectari.] hactenus Procopius de restituta basilica Apostolorum, quam Mennas hoc anno (vt dictum est) dedicauit.

DEDICATVR A MENNA BASILICA APOSTOLORVM.

[b] *Niceph. lib. 17. c. 16.*

[c] *Procop. de ædific. Iustin. Imp. lib. 1.*

Porrò eidem bene cessit, vt post tot Ecclesiæ conflata dissidia, ex quibus extra Ecclesiam ipse positus fuerat, reddita pace postliminio quodam, & communionem Apostolicæ sedis, cuius iacturam fecerat, consecutus, & cuncta antea benefacta recipiens, feliciter mox ex hac vita migrarit: hoc enim anno finem viuendi fecit, cùm sedisset annos sexdecim: in cuius locum sequentis anni exordio subrogatur Eutychius: de eius electione diuinitus facta anno sequenti, quo contigit, nos agemus. Quid autem acciderit Constantinopoli sub Menna de puero Hebræo ab incendio diuinitus liberato, ita narrat Euagrius[d]:

MENNAS MORITVR.

[d] *Euag. lib. 4. cap. 35.*

E Mennæ temporibus miraculum editum fuit planè memorabile. Vetus fuit consuetudo Constantinopoli, vt ii quando multæ admodum particulæ puri & immaculati corporis Christi Dei nostri supereſſent, pueri impuberes qui scholas frequentabant, accersérentur, easque manducarent. Quòd cùm factum fuit, filius cuiusdam hominis Hebræi quidem opinione, arte autem vitriarij, vna cum pueris versatus est: qui quidem, parentibus percunctantibus ab eo causam moræ, respondit, vti res se habuit, seque cum aliis pueris pariter comedisse. Hebræus bile, furore & iracundia inflammatus, in clibanum ardentem, in quo vitrum formare solebat, puerum conijcit. Postquam verò mater puerum quæritans reperire non potuit, passim per totam vrbem ibat, Deum cum gemitu obtestans, & flebilibus lamentis se dedens. Triduo autem pòst ad ostium officinæ viri sui consistens, luctu miserabiliter diuexata, nomine puerum compellat. Puer matris vocem vt agnouit, è clibano responsum dat. Mater effractis foribus, introrumpit videre puerum in mediis carbonibus

DE PVERO IVDAEO AB INCENDIO SERVATO.

SYNODVS AVRELIANENSIS QVINTA.

candentibus consistentem illæsum ab ignis incendio. Qui cùm rogaretur, quo pacto illæ- A
sus manserit: Mulier, inquit, veste amicta purpurea crebrò ad me venit, porrexit aquam,
qua carbonum flammas corpus ambientes extinguerem, cibum denique dedit quoties
esurieb am. Qua re ad Iustinianum perlata, puerum cum matre lauacro regenerationis
tingendos decreuit: patrem autem pueri, qui recusauit in numerum Christianorum ascri-
bi, in Syris cruci suffigendum curauit.] hactenus Euagrius rem suo tempore gestam vni-
uerso iam factam Orbi notam enarrans.

Hoc eodem anno, qui numeratur Childeberti Francorum Regis trigesimusoctauus,
habita est Synodus Aurelianensis, eius nominis quinta, vbi viginti tres canones statuti repe-
riuntur. Interfuit eidem Aurelianus Arelatensis Episcopus, ille nimirum qui ad Vigilium
Papam agentem Constantinopoli legationem misit vnà cum ea epistola, ad quam etiam B
Vigilium diximus rescripsisse: Trium namque capitulorum occasione ipsam fuisse Syno-
dum celebratam, canon primus admonet, dum eius exordio damnantur hæreses Nestorij
& Eutychetis, quarum causa sciret Ecclesiam Orientalem incendio conflagrare. Præfuisse
autem eidem Synodo reperitur, primoque loco subscriptus sanctus Sacerdos ita nomina-
tus Episcopus Lugdunensis, cuius egregiam sanctitatem testantur Ecclesiasticæ tabulæ,
dum ipsius anniuersariam commemorationem celebrandam repræsentant pridie Idus
[a] Martyrolog Rom. die 12. Septemb. Septembris[a]. Itemque præsens fuit S. Agricola Episcopus Cabilonensis & ipse inter San-
ctos adnumeratus, cuius & natalis dies decimosexto Kalendas Aprilis singulis annis agitur.
[b] Fortun. car. lib 3. extat de ipso epigramma Venantij Fortunati his versibus[b]:

DE S. AGRICOLA EPISCOP. CABILON.

Præsul honoris apex, generis, fideiq; cacumen,
Cultor agri pollens, pastor opime gregis: C
Cùm mea terra manu meruit genitoris arari,
Reddatur nati vomere culta sui.
Nam pater affectu dulci memorabilis Orbi
Me vobiscum vno fouit amore duos.
Corde parens, pastu nutrix, bonus ore magister
Dilexit, coluit, rexit, honesta dedit.
Ille pio studio sulcata noualia seuit:
Quod pater effudit, hoc mihi semen ale.] ita ipse alludens ad nomen Agri-
colæ patri filioque commune.

Inter alios etiam sanctitate celebres viros interfuit Tetricus Episcopus Lingonensis, qui
sicut viuens nouit gregi suo benè præesse, ita & post mortem eiusdem curam gessisse, ipsius D
vindicta in successorem suum moribus deprauatum ostendit: de ipso enim mira hæc Gre-
[c] Greg. Turon hist. Franc. lib. 5. c. 5. gorius Turonensis[c] habet, dum interitum Pappoli, qui ei subrogatus est, ita conscribit:
Anno octauo Episcopatus sui, dum diœceses & villas Ecclesiæ circumiret, quadam nocte
dormienti illi apparuit beatus Tetricus vultu minaci. Cui ita: Quid tu, inquit, hic, Pappo-
le? Vt quid sedem meam polluis? Vt quid Ecclesiam peruadis? Vt quid oues mihi credi-
tas dispergis? Cede loco, relinque sedem, abscede longiùs à regione. Et hæc dicens, virgam
quam habebat in manu, pectori eius cum ictu valido impulit. In quo ille euigilans, dum
cogitat quid hoc esset, fixè in loco illo defigitur, ac dolore maximo cruciatur: abhorret
cibum potumque, & mortem iam sibi proximam præstolatur. Quid plura? tertia die, cùm
sanguinem ore proiiceret, expirauit.] hæc Gregorius, quæ in commendationem sancti Te-
trici, qui Synodo interfuit, hic voluimus recitasse: quo & illud quàm perspicuò cognosca- E
tur, suorum laborum post obitum sanctos viros non esse immemores. Sed accipe dignum
[d] Ven. For. car. lib. 4. tanto viro epitaphium scriptum ab eodem Venantio Fortunato[d]:

S. TETRICI VLTIO IN SVCCESSOREM.

S. TETRICI EPITAPHIVM.

Palma sacerdotij venerando, Tetrice, cultu,
Te patriæ sedes, nos peregrina tenet.
Te custode pio, numquam lupus abstulit agnum,
Nec de fure timens pascua carpsit ouis.
Sex quasi lustra gerens & per tres insuper annos,
Rexisti placido pastor amore gregem.
Nam vt condirentur diuino corda sapore,
Fudisti dulcem iugiter ore salem.
*Summus amor Regum, populi decus, arma potentum**,
Ecclesiæ cultor, nobilitatis honor,

* parentum

Esca

A *Esca inopum, tutor viduarum, cura minorum,*
Omnibus officiis omnia pastor eras.
Sed cui præbebat variè tua cura medelam,
Funere rectoris plebs modò trisle gemit.
Hoc tamen, alme Pater, speramus, dignus in astris
Qualis honore nites, hic pietate probes *.] hactenus epitaphium. Sed ad Synodum redeamus. * prosis

Ornauit etiam tantam coronam Patrum sanctus Eleutherius Episcopus Antisidori & ipse inter Sanctos adnumeratus[a]: itemque sanctus Firminus Episcopus mendosè scriptus Vticensis pro Vencienſi. Quid Vticæ Episcopo cum Concilio in Gallia celebrato? In Martyrologio Vsuardi non legitur Firminus Episcopus in Africa, qui re vera in Gallia floruit B hoc ipso tempore. Interfuit eidem Concilio S. Gallus Episcopus Aruernensis, de quo plura superiùs: atque item Iiichius Viennensis: ex quo corrigas Adonem eiusdem Ecclesiæ Episcopum, qui ipsum tradit peruenisse vsque ad Zenonis Imperatoris tempora, cùm appareat his Iustiniani temporibus eum sedisse cum Patribus in dicto Concilio quinto Aurelianensi. Sed & Lauto Constantiensis & ipse relatus inter Sanctos, necnon Nicetius Treuerensis, insuper & Prætextatus Rhotomagensis, atque Quintianus Rutenensis pariter præsentes fuerunt, quos omnes sanctitate conspicuos Catholica colit Ecclesia, sacris tabulis ascriptos. Omnes verò fuere numero quinquaginta, qui simul eiusdem Regis cohortatione ad Synodum conuenientes, eius pietatem in ipsa Synodi præfatione iidem Patres verbis istis testatam reliquerunt: Dominus Childebertus cùm pro amore sacræ fidei, studio religionis, in Aurelianensium vrbem congregasset in vnum dominos sacerdotes, cupiens C ex ore Patrum audire quod sacrum est, &c.]

[a] *Martyrolog. Rom. die 16. Aug.*

Constituti sunt ab iisdem Patribus canones vigintitres, quos tu consulas. Quod verò in eiusdem Concilij canone decimoquinto mentio habetur de xenodochio Lugdunensi ab eodem Rege eiusque coniuge Vltrotho ædificato: restitue pro Vltrotho, Vltrogotho: hoc enim nomine Francorum Reginam Childeberti cõiugem nominatam fuisse, tum ex Gregorio Turonensi[b], tum ex Venantio Fortunato[c] liquet; de qua inferiùs dicendum erit. At de his quæ spectant ad Aurelianense Concilium hactenus.

[b] *Gregor. Turon. hist. li 1. c. 42.*

[c] *Fortun. carm. lib 5.*

Hoc eodem anno Theodobertum Regem inuadentem Italiam ex hac vita discessisse, filiumque Theodibaldum regni heredem & paterni instituti prosecutorem reliquisse, Procopius tradit. De pietate Theodoberti nonnulla habet vita S. Mauri Abbatis, in quem plura idem Rex contulit beneficia. Quomodo autem in venatione occasio est obitus eius exD orta, narrat Agathias: sed Gregorius morbo interiisse tradit: qui & de Parthenio, cui regni ab eo cura commissa erat, ista mox addit[d]: Franci verò cum Parthenium in odio magno haberent, pro eo quòd tributa eis antedicti Regis tempore inflixisset: ille verò in periculo positum se cernens, confugium ab vrbe facit, & à duobus Episcopis suppliciter exorat, vt eum ad vrbem Treuericam deducẽtes, populi sæuientis seditionem sua prædicatione comprimerent. Quibus euntibus, nocte dum in stratu suo decumberet, per somnium vocem magnam emisit, dicens: Heu, heu, succurrite qui adestis, & auxilium ferte pereunti. A quo clamore expergefacti qui aderant, interrogabant, quid hoc esset. Respondit ille: Ausanius amicus meum cum Papianilla coniuge, quos olim interfeci, ad iudicium me accersibant, dicentes: Veni ad respondendum. Zelo enim ductus, ante aliquot annos, coniugem innocentem amicumque peremerat.

THEODOBERTI REG. OBITVS.

[d] *Gregor. Turon. hist. lib. 3. c. 36.*

E Igitur accedentibus Episcopis ad antedictam vrbem, cùm strepentis populi seditionem ferre non possent, eum in ecclesia abdere voluerunt, scilicet ponentes eum in arca, & desuper sternentes vestimenta quæ erant ad vsum ecclesiæ. Populus autem ingressus, perscrutatusque vniuersos angulos ecclesiæ, cùm nihil reperisset, frendens* egrediebatur. Tunc vnus ex suspicione locutus, ait: En arca, in qua non est inquisitus aduersarius noster. Dicentibus verò custodibus, nihil in ea aliud nisi ornamenta ecclesiæ contineri; illi clauem postulant, dicentes: Niti reseraueritis velociùs, ipsi eam sponte confringimus. Denique relerata arca, amotis linteaminibus, inuentum extrahunt, plaudentes atque dicentes: Tradidit Deus inimicos nostros in manus nostras. Tunc cædentes eum pugnis, sputisque perurgentes, vinctis post tergum manibus ad columnam, lapidibus obruunt.] hæc de nece Parthenij Gregorius. Atque hic finis esto rerum gestarum præsentis anni.

PARTHENIVS CRVDELITER OCCISVS. * fremens

IESV

IESV CHRISTI ANNVS 553. | VIGILII PAP. ANNVS 14. | IVSTINIANI IMP. 27. THEIAS REX.

A

QVingentesimus quinquagesimustertius Christi inchoatur annus, ascriptus in Fastis post Consulatum Basilij duodecimus, quo & Iustiniani vigesimusseptimus mense Aprili incipit, idemque numeratur à Procopio belli Gothici decimusoctauus: cum excitatis turbis illis aduersus Vigilium Papam sedatis, atque sacerdotali auctoritate compressis aduersariis, iam extincto Menna, in locum eius successit Eutychius monachus, qui communionis Catholicæ Ecclesiæ particeps fieri ab ipso Vigilio Papa petiit; & vt Catholicus haberetur Antistes, fidei rectam confessionem conscripsit: de qua antequam agamus, hic de eiusdem Eutychij ordinatione dicendum est: etenim mirifica quædam eam præcessisse narrantur. ipsam verò huius anni exordio contigisse, ex eius fidei professione & Vigilij responsione hoc anno reddita suademur.

DE EVTYCHII EPISC. CONSTANTINOP. ORDINATIONE. B

[a] Apud Sur. die 6. April. tom. 2. Qui res ab eo gestas est prosecutus Eustathius[a] eius alumnus, in primis narrat visionem ipsi diuinitus ostensam, vbi iussu Amaseæ Episcopi Constantinopolim ad Synodũ indictam mittitur: ea enim illuc veniendi causa intercessit, vbi vniuersale Cõcilium est conuocatum.

PRAECEDENS VISIO OSTENSA EVTYCHIO. C

Videbam (inquit) in visione noctis digitum manus Domini in firmamento cæli, & montem sancto monasterio imminentem (est enim mons ille valde sublimis & excelsus, in quo sancti martyris Thalalæi ædem constructam videmus) cuius vertex mihi à digito illo ostendebatur, & vox audiebatur, dicens: Illic eris Episcopus. Quis per montem illum aliud quàm vrbem regiam (vt exitus docuit) significari existimasset? Cùm igitur visionem hanc vidisset, Deum qui illam ostenderat, deprecabatur, vt sacrum illud munus & periculum, quod ex eo immineret, à se transferret, atque sibi potiùs concederet in futura vita bonis illis, quæ iustis promissa sunt, perfrui, atque audire verba illa[b]: Esto super decem ciuitates. Sed Deus, qui nubes educit ab extremis terræ, quique à gregibus ouium vocauit Dauid, vnxitque illum Prophetam & Regem, elegit & mitem hunc virum, & occasione illa quam dixi (*nempe vt ab Episcopo Amaseno morbo detento, suo nomine, mitteretur ad Synodum*) in vrbium ampliſſimam duxit.

[b] Luc. 19.

MANSIT CVM MENNA EVTYCHIVS. D

Mansit autem apud Patriarcham qui tunc erat: Mennas appellabatur, eratq; vir sanctissimus & diuinus. Cumque angelicam ageret vitam, futuraque prospiceret, magnum Eutychium hortatus est, ne à se discederet: ostendensque illum sancto clero, dixit: Hic monachus erit successor meus. Confestim autem illum misit ad Imperatorem; apud quem cùm de rebus propositis disputaretur, apparuit omni diuina humanaque disciplina instructissimus. Cumque congressus esset cum hæreticis, qui soliti sunt verbis digladiari, non ad vtilitatem, sed ad simpliciorum euersionem: illi non potuerunt resistere sapientiæ & spiritui quo loquebatur. Cùm enim quidam negarent eos anathemate feriendos, qui post mortem deprehensi essent hæretici; ipse diuinarum Scripturarum testimoniis anathemate puniendos esse demonstrauit: Rex enim Iosias[c] (inquit) cùm id prophetia antè significasset, ossa eorum, qui vitulis immolarant, post mortem effodit atque combussit. Idem ergo in hæreticos seruandum est, vt post mortem anathemate damnentur.

[c] 4. Reg. 23.

APERTA VIA EVTYCHIO AD EPISCOPATVM. E

Hoc igitur Imperator & qui astabant, admirati, magnopere coluerunt & obseruarunt. Itaque maiore cum libertate deinceps in Regia versabatur: & maiores cognitionis eius diuitiæ apud Deum atque homines declaratæ sunt. Amabat eum Imperator, immo verò Imperatorum ac Regum omnium Dominus: cui cùm ante ortum nostrum nota sint omnia (quos[d] enim præsciuit & prædestinauit, hos & vocauit & glorificauit) magnum etiam Eutychium summa cum gloria vocauit ad Pontificatus dignitatem. Paucis enim post diebus sanctus Dei seruus Mennas regiæ vrbis Patriarcha, de quo mentionem fecimus, in senectute bona & dierum plenus, quos cum Dei gratia transegerat, hinc ad Angelorum & sanctorum Patrum vitam migrauit. Cuius quidem obitus nuncio ad Christianissimum Imperatorem perlato, multi certatim incredibili studio conabantur amicos Imperatoris promissis & muneribus corrumpere, vt hominibus indignis Pontificatum deferret.

[d] Rom. 8.

ASSERVARI IVBETVR EVTYCHIVS.

Sed qui omnia facit & mutat, quique corda scrutatur & renes Deus, in manuque sua cor Regis continet cum finibus terræ, quietissimi Imperatoris cor ad virum dignum inclinauit. Qui celeriter vni è Referendariis (Petrus hic appellabatur) mandauit, vt quæreret & teneret & congruenti honore custodiret magnum Eutychium: quod sanè factum est. Sed audite visionem, quam is, dum seruaretur, vidit: Videbar (inquit magnus ille vir) magnam

quamdam

A quamdam & præclaram domum videre & lectum splendidè stratum, in quo mulier nomine Sophia iacebat: quæ cùm vocasset me, ornamentaque demonstrasset, vidi mox domui adiacens solarium niue repletum, & puerum in solario stantem, nomine Sotericum qui è solario casurus videbatur, nisi ego præcurrens, è niue eductum, à lapsu conseruassem. Hoc viso quid aliud significabatur, nisi pulcherrima Ecclesiæ sanctissimæ opera? Hæc enim erant illa ornamenta. Per puerum autem in niue periclitantem, dogmatica disciplina laborare indicabatur. Quæ quidem omnia sancti viri præsidentis operam & diligentiam requirebant.

Cùm igitur hæc ita processissent, sancto cleto, sacroque Senatui liberè consilium suum exposuit Christi studiosissimus Imperator, affirmans se de illo diuinam visionem vidisse. Cùm enim (inquit) in æde sancti Petri Principis Apostolorum, in qua Senatus habebatur, me somnus complexus esset, in quiete vidi Principem Apostolorum mihi magnum Eu- B tychium ostendentem, dicentemque: Fac vt hic sit Episcopus. Hæc cùm ita se habere iureiurando affirmaret Imperator, omnes ipsius intentionem & studium (quod diuino quodam splendore vultus declarabat) conspicientes, vno animo, eademque mente, & cunctis suffragiis atque vna voce ante tempus clamabant: Dignus est, Dignus est. Cùm igitur illi omnia ordine & ex diuinorum canonum præscripto contigissent, & tempus esset vt sacrarum manuum impositione & initiatione consecraretur Pater & magister ipsorum, adducitur ad sanctum altare, qui multos ad illud sacerdotes atque Pontifices erat adducturus: precibus ac manu & diuinis ac venerandis oraculis consecratur: sancto inungitur Spiritu, vel potiùs sanctificatus ipse vicissim præsentes omnes Pontifices sanctificat: ouis errantis typum super humeros tollit, in sedem sublimem ascendit, in solio sedet, atque pastorum principem Christum in cælum reuertentem imitatur. Dicit enim ipse quoque populo vni- C uerso verbum illud, quod coniunctionem, conciliationemque & conseruationem significat, nempe, PAX OMNIBVS, atque ab omnibus illud vicissim accipit.] hactenus de electione & consecratione Eutychij Eustathius, qui & paulò inferiùs ait, eum tunc fuisse ætatis annorum quadraginta.

IVSTINIANVS STVDET ELECTIONI EVTYCHII.

Sed antequam vlteriùs progrediatur oratio; quid significare velit verbis illis Eustathius, videamus, quibus ait: Ouis errantis typum super humeros tollit.] Isidorus Pelusiota de hac re interrogatus, respondit, pallium illud, quod decoris gratia super omnia indumenta superinducitur sacerdoti, significare deperditam ouem illam, quam pastor ille Euangelicus super humeros imponit suos. hæc enim ipse in epistola ad Herminum Comitem habet [a]: Id autem amiculum, quod sacerdos humeris gestat, atque ex lana & lino contextum est, ouis illius, quam Dominus oberrantem quæsiuit, inuentamque humeris suis sustulit, pellem de- D signat: Episcopus enim, qui Christi typum gerit, ipsius munere fungitur, atque ipso etiam habitu illud omnibus ostendit, se boni illius ac magni Pastoris imitatorem esse, qui gregis infirmitates sibi ferendas proposuit.] hæc Isidorus. Sed ad Eutychium redeamus: qui simulac sacris initiatus est mysteriis, fidei suæ professionem, more maiorum, Vigilio Romano Pontifici dedit, quæ sic se habet [b]:

[a] *Isid. Pelus. lib. 1. epist. 136.*

Sanctissimo & beatissimo domino & consacerdoti Vigilio Eutychius.

Scientes quantorum bonorum causa est pax Dei, custodiens corda & sensus Fidelium, & colligens eos, vt vnum idemque sapiant in recta fidei confessione, & ad perficienda diuina mandata, & propitium Deum faciens in his quæ recta sunt concordantibus: ideo festinantes vnitatem conseruare, ad Apostolicam sedem vestræ beatitudinis manifestum facimus, quòd nos semper & seruauimus & seruamus fidem ab initio traditam à magno Deo E & Saluatore nostro Iesu Christo sanctis Apostolis, & ab illis in omni mundo prædicatam, & à sanctis Patribus explanatam, & maximè ab his qui in sanctis quatuor Synodis congregati sunt: quas in omnibus & per omnia amplectimur & suscipimus, id est, trecentos decem & octo sanctos Patres qui Nicææ congregati sunt, & sanctum Symbolum siue mathema fidei exposuerunt, & Arianam impietatem anathematizauerunt, & eos qui similia eis sapuerunt vel sapiunt. Suscipimus autem centum quinquaginta sanctos Patres Constantinopoli congregatos, qui idem sanctum mathema explanauerunt, & de Deitate sancti Spiritus dilucidauerunt, & hæresim Macedonianam sanctum Spiritum impugnantem & impium Apollinarium condemnauerunt cum his qui similia illis sapuerunt vel sapiunt. Suscipimus autem & sanctos ducentos Patres in Ephesina prima Synodo congregatos, qui per omnia secuti sunt idem sanctum Symbolum siue mathema, & condemnauerunt Nestorium impium & impia eius dogmata, & eos qui similia ei aliquando sapuerunt vel sapiunt.

[b] *Extat in Quinta Synodo collat. 1. & inter Vigilij epist. tom. 1. epistol. Rom. Pont.*

EVTYCHII FIDEI PROFESSIO.

Ad hæc

Ad hæc autem ſuſcipimus & ſexcentos triginta ſanctos Patres Chalcedone cõgregatos, A
qui etiam ipſi per omnia conſenſerunt prædictis tribus Synodis, & ſecuti ſunt prædictum Symbolum ſiue mathema à trecentis decem & octo ſanctis Patribus expoſitum, & à cẽtum quinquaginta ſanctis Patribus explanatum, & anathematizauerũt eos qui aliud præter prædictum Symbolum præſumunt docere, aut exponere, aut tradere ſanctis Eccleſiis Dei. Condemnauerunt autem & anathematizauerunt & Eutychetem & Neſtorium & impia eorum dogmata, & eos qui ſimilia his ſapuerunt vel ſapiunt. His ita ſe habentibus, certum facimus, quòd omnia quæ à prædictis ſanctis Synodis iudicata & definita ſunt, & ſeruauimus & ſeruamus: quia etſi per diuerſa tempora prædictæ ſanctæ quatuor Synodi factæ ſunt, tamen vnam eamdemque confeſſionem fidei ſeruauerunt, & prædicauerunt. Suſcipimus autem & amplectimur etiam epiſtolas Præſulum Romanæ ſedis Apoſtolicæ tam aliorum, quàm Leonis ſanctæ memoriæ de recta fide ſcriptas, & de quatuor ſanctis Conci- B
liis, vel vno eorum.

Cùm igitur prædicta omnia & ſeruauimus & ſeruamus, & in his nobis ipſis inuicem conſentimus; neceſſarium eſt conferri de Tribus capitulis, vnde quibuſdam quæſtio nata eſt. Et ideo petimus, præſidente nobis veſtra beatitudine, ſub tranquillitate & ſacerdotali manſuetudine, propoſitis ſanctis Euangeliis, communi tractatu eadem capitula in medio proponenda quæri & conferri, & finem quæſtioni imponi Deo placitum, & conuenientem his quæ à ſanctis quatuor Conciliis definita ſunt: quoniam ad augmentum pacis & concordiam Eccleſiarum pertinet, vt omni de medio diſſenſione ſublata, quæ prædictis quattuor ſanctis Conciliis definita ſunt, inconcuſſa ſeruentur, ſanctarum Synodorum reuerentia in omnibus cuſtodita. His autem & ſubſcripſi incolumis in Domino. Ora pro nobis, ſanctiſſime & beatiſſime Pater. Ego Eutychius miſericordia Dei Epiſcopus Con- C
ſtantinopolis nouæ Romæ omnibus ſupraſcriptis ſubſcripſi.] hucuſque Eutychius. ex quibus intelligis, tam ipſum, quàm Imperatorem manus dediſſe, vt quæſtio de Tribus capitulis ſynodicè diſputaretur, nec abſque Patrum diligenti examinatione, quæ ille de iiſdem Tribus capitulis promulgaſſet edicta, à Fidelibus reciperentur. Sic igitur ſatis vides, tum ſæcularem potentiam, tum etiam ſacerdotalem reuerentiam Pontificia auctoritate repreſſas, nec auſas præter id quod à Vigilio Papa ſtatutum eſſet, aliquid decernere, vel quæ antè promulgato edicto decreta eſſent, vllatenus approbare. Quæ autem Vigilius ad iſta ab Eutychio data reſcripſerit, accipe [a]:

[a] *Ex Quinta Synod. coll. 1. & epiſt. 8. Vigil. tom. 1. epiſt. Rom. Pont.*

VIGILII RESPONSIO AD EVTYCHIVM.

Dilectiſſimo fratri Eutychio & Epiſcopis ſub ſe conſtitutis Vigilius.

Repletum eſt gaudio os noſtrum & lingua noſtra exultatione, quod diſcordiæ confuſione ſubmota, pacem Deus ſuæ reformauit Eccleſiæ: vt impleretur quod dictum eſt [b]: Ecce D
quàm bonum & quàm iucundum habitare fratres in vnum. Valde enim nos in Domino exultare conuenit, quod charitatis veſtræ ſcripto nobis eſt oblata profeſſio, cuius tenor ita ſe habet: Scientes quantorum donorum cauſa eſt pax Dei, &c.] deſcripta hic habebatur & inſerta ipſa integra Eutychij fidei profeſſio: eaq; abſoluta, hæc mox Vigilius ſubiicit, quæ in ipſa deſiderantur: His autem & ſubſcripſimus, huius profeſſionis Orthodoxæ claritatem libẽter amplexi, eadẽ nos per omnia & in omnibus approbantes cuſtodituros atque inuiolabiliter ſeruaturos Deo noſtro profitemur auctore.] pergit verò Vigilius in ſua epiſtola:

[b] *Pſal. 132.*

Omnibus igitur, quæ profeſſio veſtra continet, in ſua perenniter firmitate durantibus, popoſcit veſtra fraternitas, vt nobis præſidentibus, de Tribus capitulis, ex quibus quæſtio nata eſt, ſub tranquillitate & ſacerdotali manſuetudine, ſanctis propoſitis Euangeliis, conferatur, & finis quæſtionis ipſi Deo placitus & conueniens iis quæ à memoratis ſanctis qua- E
tuor Conciliis definita ſunt, imponatur: vt omni de medio diſſenſione ſublata, quæ ab iiſdem quatuor ſanctis Synodis definita ſunt, inconcuſſa ſeruentur, earumdem Synodorum reuerẽtia in omnibus cuſtodita. Quam profeſſionem paternarum traditionum memorem & ſequacem tam in fraternitate veſtra, quàm in omnibus ſimilia confeſſis atque confitentibus, omni laude pleniſſimam iudicauimus, & noſtros ex ea re verè fratres agnoſcimus.

Vnde diuinæ clemẽtiæ ſupplicamus, vt omnes nos in hac confeſſione & in paternis traditionibus permanentes, noſtro digni reperiamur officio, & in die diuini iudicij nulli præuaricationi paternarum conſtitutionum inueniamur obnoxij. Quibus ita prædictis poſtulationibus veſtrũ deſiderium cognoſcẽtes annuimus, vt de Tribus capitulis, ex quibus quæſtio nata eſt, facto regulari conuentu, ſeruata æquitate, mediis ſacroſanctis Euangeliis, collationem cum vnitis fratribus habeamus, & finis detur placitus Deo & conueniens iis quæ

à ſanctis

A à sanctis quatuor sunt definita Conciliis. Scientes vtique, sicut & communis professionis testimonio declaratur, memoratarum Synodorũ in omnibus reuerentiam custodiri. Deus te incolumem custodiat, frater charissime. Data VI. Idus Ianuarij, Imperij domini Iustiniani perpetui Aug. anno vigesimosexto, post Consulatum Basilij V.C. anno duodecimo.]

Sic igitur reddita est pax Ecclesiæ, cùm à persecutione Vigilij Iustinianus Imp. cessauit, suumque appensum iam in foro de Tribus capitulis reuocauit edictum, penitusque ipsius Romani Pontificis voluntati cessit, qua statuerat, vt nihil ea de re vsque ad generalem Synodum decerneretur: annuitque eidem & Eutychius recens creatus Episcopus, seque Vigilio subiecit, suæ fidei professione illi oblata; vt Catholica ab ipso communione percepta, legitimus Episcopus haberetur. Id ipsum fecit & Apollinaris Alexandrinus, cui licet vitiosum & adulterinum ingressum ad Episcopatum patefecerit Imperator, cùm, pulso Zoilo, APOLLINARIS RECIPITVR A VIGILIO.

B ipsum intrusit; tamen eodem Zoilo ex hac vita sublato, cùm sicuti Eutychius & ipse eidem Vigilio eiusdem fidei Catholicæ professionem obtulit, sicut ille pariter receptus est. Sic itaque animis iunctis, restituroque in pristinam dignitatem atque honorem ipso Romano Pontifice, indicta est œcumenica Synodus diu à Vigilio expetita, ad mensem Maium, iam exoptata diu (vt dictum est) sancita in Ecclesia pace: quæ quanta mox Romano Imperio attulerit bona, breuiter percurramus.

Primùm omnium Gothorum classis Orientem infestans, redire cogitur cum ignominia: Tarentum à Gothis antea captum, Romanis militibus redditur: præterque opinionem Narses cum exercitu, obstructis licet & obseratis itineribus à Francis & Gothis, Rauennam peruenit incolumis; ac tandem in Rubiconem fluuium ab hostibus custoditum, occiso Gothorum Duce, transiens, in Tuscia occurrentem cum ingenti exercitu Totilam nactus, ad- TOTILAS A NARSETE VINCITVR ET OCCIDITVR.

C uersus eũ collatis signis dimicans ac superans in fugam ipsum conuertit, atque occidit; vniuerso cũ eo exercitu trucidato. Factumq; Dei opera (quod & ipse Narses ingenuè professus est) vt bellicosissimus vir Totilas vnà cùm potentissimo exercitu, innumeris clarus victoriis, ac viribus pollẽs à semiuiro Narsete (eunuchus enim erat (cuncta nitẽte Marię Virginis ope (vt dicemus inferiùs ex Euagrio) vinceretur. Nõne, quæso te, lector, cõtrectas manibus, nedũ è longè digito signas, simulac Ecclesiæ capiti debitus honor impẽditur à Deo esse repẽsa bona cuncta, quæ in Põtifice vim passa & contumelia affecta religio penitus effugarat?

Sic igitur inuictissimus Rex Gothorum, qui ob offensum à Catholicis numen ex tenuibus paruisq; principiis in immensum auctus, quàm sæpissimè prostratis aduersariorum cõpiis, vniuersam penè Italiam Vrbe iterum potitus subegerat: inita demum pace Ecclesiæ, CVM RELIGIONI CONSVLITVR, IMPERIVM PROPAGATVR.

numineque cõciliato, eodem ferme momẽto conteritur vnà cum suis atque necatur, anno

D regni sui (vt Procopius [a] ait) vndecimo inchoato, decimo expleto, secundùm sancti Benedicti vaticinium [b]: regnare enim cœpisse diximus ex Procopio anno septimo belli Gothici, qui Domini est quingentesimus quadragesimus secundus. Quo interempto, eiusque exercitu cæso, cùm aliæ nobilissimæ Italiæ ciuitates, tum Vrbs ipsa à Narsete breui tempore capta est: cuius portarum claues ad Iustinianum Imperatorem ab eo Constantinopolim missas, idem Procopius tradit. Factumque est, vt diuini compẽsata lance iudicij, postquam Imperator cum suis Orientalibus obsequentem se præbuit Romano Pontifici, Romana ipse potiretur vrbe; eiusque claues acciperet, cùm Petri claues in Vigilio recognouit.

[a] *Procop. de bello Goth. lib. 3.*

[b] *Gregor. dial. lib. 2. cap. 15.*

Ad hæc additum, vt cùm Theias Gothorum fortissimus in Regem ab iis electus esset, & reparare Gothorum res satageret, postquam compressionem diu Romanorum militum THEIAS REX GOTHORVM OCCISVS.

fortiter sustinuisset, demum & ipse occideretur. Hæc omnia adeò præclara & immẽsa con-

E secutus est Imperator, dum sibi imperari à Romano Pontifice passus est. Porrò hæc tanta summatim collecta, pluribus prosecutus est Procopius, iisdemque rebus gestis (vt ipse in fine testatur) operi finem imponit. cetera autem ab Agathia in posterum petenda erunt. Est mentio de Procopio Cæsarienſi apud Sophronium [c], quem eumdem cum isto esse putamus. corrige verò errorem illapsum apud eumdem auctorem in numerum annorum Imperatoris, dum hæc omnia facta esse anno vigesimoquarto Iustiniani dicuntur, quæ contigerunt vigesimoseptimo.

[c] *Prat. Spirit. c. 131.*

Sed vnde tantum virium semiuiro Narseti; ex Euagrio audi, dum ait [d]: Commemoratum est ab his qui vnà cum Narsete fuerunt, dum precibus & aliis pietatis officiis diuinum numen placaret, debitumque cultum ei tribueret, sanctam Virginem Deiparam ei apparuisse, planeque tempus præscripsisse, quo bellum cum hostibus gereret, atque vt non prius ad prœlium committendum se accingeret, quàm cælitus signum acciperet. Multæ aliæ quoque

[d] *Euagr. lib. 4. cap 23.*

AVXILIO DEI GENITRICIS NARSES POTENS.

quoque res à Narsete valde memorabiles gestæ sunt,&c.] Intelligis, lector, cuius niti præ- A
sidio Duces debeant, vt maxima quæque & inconcessa aliis præstare valeant, nimirum Dei
genitricis Mariæ, quæ interpellata precibus aduersus hostes consurgat: de ea enim canit
[a] Cant. 6. Ecclesia [a]: Terribilis vt castrorum acies ordinata.] cuius fultus auxilio Narses, indomitos
barbaros est expertus imbelles. Porrò fuisse & ipsum Narsetem æqui amantissimum, quæ
de eo Procopius refert ostendunt: nihil enim apud eum antiquius fuit, quàm iustitiæ cul-
tus, quo milites in officio continere consueuit æqui atque recti cultores; vt quæ de Longo-
[b] Procop. de bello Goth. lib. 3. prope finem. bardis ab ipso dimissis ostendit Procopius, vbi ait [b]:

NARSES DIMITTIT LONGOBARDOS. Narses itaque ex re bene gesta lætior factus, id omne Deo acceptum (vt erat in vero) in- B
desinenter referre. Conuersus deinde ad ea quæ proxima erant administrandum, Lon-
gobardorum in primis nefanda facinora se in expeditionem sequẽtium vindicare primum
& expiare curauit. Illi namque ad ceteram vitæ factorumque impietatem & scelus, vel ædi-
ficia ipsa in quę fortè diuerterant, iniussi cremabant, stuprumque feminis & vim inferebant
sacras in ædes refugientibus. Vnde magna pecunia hos primum donatos ad proprios redire
penates permisit, Valeriano, Damianoque suis cum copiis Ducibus traditis, qui eos tamdiu
deducerent, quoad in Romanorum confinia peruenissent; & illis iniunctum, vt sine alio-
rum iniuria pertransirent.] hęc Procopius de Narsete, qui delegit potiùs robore fortissimo-
rum carere militum, quàm Deum eorum perperam factis offendi, probè sciens ex militum
delictis infirmiorem exercitum reddi, ex pietate autem imbelles effici quosque fortissi-
mos. Iam verò ex barbaricis prœliis ad Ecclesiasticas lites orationem conuertamus.

AGITVR DE COGENDA QVINTA SYNODO. Cùm Iustinianus Imp. (vt superiùs dictum est) vi rem agere destitisset, propositumque C
de Tribus capitulis edictum reuocasset, atque ea omnia esse in Synodo generali cognoscen-
da secundùm Vigilij Papæ sententiam acquieuisset: de eiusmodi cogendo Episcoporum
conuentu laborat, quem perneccssarium Ecclesiæ paci putauit: etenim non ob Tria illa tan-
tùm capitula schismate Orbis videbatur esse diuisus, verùm etiam ob damnatum edicto
Imperatoris (vt diximus) Origenem vnà cum ipsius erroribus: eius enim rei causa Oriens
ferme totus cum Palæstina prouincia grauioribus exagitatus motibus erat. Ad hos igitur
[c] Euagr. li. 4. cap. 37. omnes sedandos tumultus Synodum vocatam esse, Euagrius [c] pluribus docet; nos autem ea
hic referre prætermittimus, cùm de his suo loco latiùs dictum sit, tempore videlicet pro-
mulgati aduersus Origenem Imperatoris edicti, vbi & res perperam gestas ab Origenistis
in Palæstina vsque ad præsens tempus, Quintæ videlicet Synodi, ex eiusdem temporis scri-
ptoribus abundè satis prosecuti sumus. Ceterùm præcipua huius cogendæ Synodi causa
fuit haud dubium maxima illa de Tribus capitulis altercatio.

[d] Leont. de sect. Act. 6. Leontius [d] Scholasticus, qui his vixit temporibus Iustiniani Imperatoris, ad decernen- D
dum de Tribus capitulis cùm conuocatam Synodum dicit, huiusce modi eius cogendæ
QVI VIGERENT CONFLICTVS ECCLESIAE. dignos prætextus adducit, dicens ad occultos hæreticos auertendos Eutychianos atque
Nestorianos eiusmodi fuisse remedium excogitatum; cùm eò vẽtum esset, vt tam illi quàm
isti sese Nestorij vel Eutychetis esse discipulos palàm profiteri detrectarent, erubescentes;
horum tamen fauere dogmatibus, aliis quibusdam inuentis causis, iustis apparentibus, mi-
nimè prætermitterent. Nam omnes qui Eutychetis laborabant morbo, cùm non commu-
nicarent Ecclesiæ, non ob defensionem erroris ipsius id facere profitebantur, sed nolle di-
cebant amplecti Synodum Chalcedonẽsem eam ob causam, quod quædã in eius Actis esse
corrigenda viderẽtur, quæ Tribus illis erant cõprehensa capitulis. Hos verò non Eutychia-
nos, sed Hæsitantes nominatos fuisse, cùm tamen ex Eutychianis progrederentur, affirmat.

Ad hos igitur Ecclesiæ Catholicæ vniendos, in causa Trium capitulorum Imperatorem E
studuisse dictam Synodum congregare, idem qui supra Leontius tradit. Quod enim hi
haud longiùs viderentur aberrare, facilè corrigi posse, & ex dubitãtibus reddi certos atque
securos existimauit, ita persuasus (vt dictũ est superiùs) à Theodoro Episcopo Cæsareę Cap-
padociæ, fore nimirum vt omnes isti susciperent Chalcedonense Concilium, si damnatis
illis capitibus, eadem Synodus purgaretur; cùm iidem simul omnes iustè clamare viderentur, Nestorianæ hæresis suspectos esse qui fauerent Theodoro Mopsuesteno, Ibæ epistolæ,
& Theodoreti scriptis aduersus Cyrillum Alexandrinum, quòd scilicet Theodorus institutor fuerit Nestorij, cuius & sectatores ac socij extitissent Ibas atque Theodoretus.

Porrò iidem ipsi qui Tria illa esse damnanda capita asserebant, aduersarios qui id nega-
rent faciendum, Synoditas nominare consueuerunt: è conuerso autem Catholici appella-
bant Hæsitantes huiusce modi occultos Eutychianos & Seuerianos: qui quidẽ (inquantum

foris

A foris apparebat) se esse Catholicos, Synodumq; susc ipere profitebantur; immo & pro eadem certare isti, sicut illi, tum ore tum scriptis etiam asserebant. Ad hos igitur simul vno nexu, fidei Catholicæ constringendos studium insudauit Imperatoris, qui ante Synodum indictam (vt vidimus) vt eiusmodi Hæsitantes colligeret, de damnandis Tribus illis capitibus edictum antea promulgauit. Sed cum nec factus esset sui compos desiderij, vt illi redierint ad Ecclesiam, immo subsecutus esset contrarius optatis effectus, dum qui erant in Ecclesia Synodi defensores, existimantes ex Tribus illis capitibus condemnatis maximam irrogatam esse eidem Synodo contumeliam, sese ab aliis Catholicis separarant, vt inter alios feciſſe diximus complures Episcopos Africanos; sed & cùm inter hæc pars alia nec illis nec istis inhærens, Synodum expectandam esse diceret, quæ ambages omnes istas solueret, & quid de his agendum esset, summa auctoritate decerneret: benè consul-
B tum fuit, vt ex Vigilij Papæ sententia Synodus œcumenica ageretur. id quidem Vigilius ipse Pontifex præ ceteris exposcebat, quem eius rei causa tot tantaque mala esse perpessum vidimus.

Cùm igitur eius cedendum esse voluntati necessitatem cogere intelligeret Imperator: quieuit tandem, atque ex ipsius sententia Synodum conuocandam esse decernit, ratus nimirum fore, vt editum à se de Tribus capitibus decretum ab œcumenica Synodo firmaretur, quod absque Episcoporum decreto & Pontificia auctoritate omnibus carere penitus viribus sciret. At sicut laudabile fuit ex Vigilij Papæ sententia Synodum colligere laborasse; ita illud reprehensione non caruit, dum quos sciret suæ esse sententiæ Episcopos, eosdem ad Synodum conuocare, omissis ceteris, conatus fuerit. Huius quoque rei consequendæ causa Episcopatum Constantinopolitanæ Ecclesiæ (vt vidimus) Eutychio contulit, quem
C acerrimum esse nosset Theodori Mopsuesteni impugnatorem: optimè enim ipsum compertum habuit, dum Constantinopoli constitutum Apocrisarium agentem Episcopi Amaseni (vt Nicephorus tradit) sæpe sæpiùs aduersus defensores Trium capitulorum ipsum audierat strenuè dimicare. Insuper eiusdem quoque rei conficiendæ causa illud antea fuisse orditum vidimus, vt in ordinem redacto Zoilo Episcopo Alexandrino, in locum eius substitueret Apollinarem eiusdem cum ipso sententiæ defensorem, cùm & in eam traxisset quamplurimos Orientales Episcopos: sed cunctantem expertus Romanum Pontificem, ad eum permouendum, penes quem ob sedem Apostolicam summam sciebat esse prærogatiuam, tot tantosque (vt vidimus) terrores ipsi incussit, & ignominias irrogauit.

EX VIGILII PP. SENTENTIA SYNODVS INDICTA.

Hic verò sicut semper inconcussus restitit Imperatori sibi nimium arroganti & inconcessa tentanti, nec quieuit quousque omnes sibi subiecerit aduersarios: ita modò conatui
D istiusmodi Imperatoris occurrere festinauit, illud in primis aggressus, si suadere illi posset, cùm de ea re ageretur, cuius causa vniuersus ferme Orbis Occidentalis esset perturbatus, vt Occidentalium Episcoporum æquè requireretur assensus, atque sententia rogaretur, sicque ad eamdem Synodum vocarentur: Verùm quòd ob ingruentia bella perdifficilis esset eorumdem in Orientem accessus, acquiesceret Imperator, vt in Sicilia eadem Synodus ageretur, loco nimirum in meditullio posito quo & Orientales & Occidentales vnà cum transmarinis Africanis Episcopis faciliùs conuenirent: horum namque potissimùm esse habendam rationem asserens, qui ob Imperatoris de Tribus capitibus promulgatum edictum sese ab Orientalibus segregarant, neque cum Occidentalibus conuenirent, quos in Imperatoris sententiam abductos suspicarentur. Proposuit & Iustiniano Vigilius, si ad Synodum cogendam Sicilia non placeret, vt aliam aliquam ipse Italiæ ciuitatem maritimam
E æquè sibi subditam Imperator eligeret.

VIGILIVS IN OCCIDENTEM CVPIT TRAHERE SYNODVM.

Verùm etsi æqua hæc videri poterant, facere tamen abnuit Imperator, timens ne Latinorum Episcoporum suffragiorum frequentia obruerentur qui de Tribus capitibus condemnandis Orientales ex aduerso pugnabant: Nimis enim suæ ipsius sententiæ tenax Imperator sic Synodum cogi curabat, vt tamen eamdem sibi, si liceret, faceret consentientem. At instat rursus Vigilius, vrgetque Imperatorem, vt saltem (quod æquitas non negaret) ex Italia & Africa ad Synodum Constantinopolim accerserentur Episcopi: aliter fore, vt tamquam excluſi sacro cœtu iidem haud æquo animo id laturi essent, periculumq; ingens de alio excitando ab eis schismate immineret: cùm enim id expetitum à Romano Pontifice ipsi scirent, ab Imperatore verò negatum, nullamque sui habitam rationem, sed pro ipsius Augusti arbitrio cuncta facta cognoscerent; fore vt seorsum illi Synodum collecturi essent, & aduersantes decretis Orientalium de Tribus capitulis siue aliis canones sancituri.

DE VOCANDIS OCCIDENTALIBVS EPISC.

His adeò efficacibus rationibus Iustinianus persuasus, tunc Vigilio assensus est, sed A
ea adhibita conditione, vt exæquato numero Episcoporum, qui siue ex Italia, siue ex
Africa vocarentur, non plures hi essent, quàm qui ab ipso Imp. ex diuersis Orientis Ec-
INTERPELLAT VIGILIVM IMP. PRODERE QVID SENTIAT. clesiis Constantinopolim vocarentur. Huiuscemodi igitur pactis conuentis, cùm Vigilius
hæc cuncta festinaret implere, vt legitima Synodus haberetur: Iustinianus Imperator
per Theodorum Decurionem Palatij ad eumdem Vigilium Romanum Pontificem à se
ante conscriptum volumen de Tribus capitulis misit, vt quæ de illis sua esset sententia,
scriptis ipse profiteretur. Tunc Episcopi qui cum Vigilio aderant, negauerunt id esse fa-
ciendum, non expectato fratrum aduentu. At Imperator eam temporis dilationem mo-
lestè ferens, rursus suos ad eum proceres destinauit, qui vrgerent ipsum quantocyus de
ea re ferre responsum.

At hæc Vigilius rogauit Imperatorem, vt sibi saltem viginti dierum temporis daret in- B
ducias, cùm (quod omnibus erat manifestum) nondum conualuisset à corporis ægra valetu-
dine, quæ cum diutiùs detinuisset ægrotum. Hæc vt impetraret ab Imperatore, idem Vigi-
lius Pelagium diaconum ad eum abire iussit. quibus obtentis, Vigilius æger adhuc in his co-
gitur laborare, & addere ad priora, simulq; in volumen quoddam ab Imperatore per Beni-
gnum Episcopum Heracleæ Paphlagoniæ antè delatum insudare, in quo horrendæ erant
conscriptæ blasphemię capitibus sexaginta distinctæ, nomine Theodori Mopsuesteni in ip-
sius liminari pagina prænotatæ: Has omnes idem Vigilius per singulas reiecit, confutauit,
anathematizauitq;, atque tandem in fine quæ de Tribus capitibus sua esset sententia fusiùs
scripsit. Extat libellus ipse siue Constitutum Vigilij ad Iustinianum Imperatorem datũ hoc
anno pridie Idus Maij: quod descriptum ex Vaticano codice antiquitus scripto inferiùs po-
nemus suo loco. Ex quo quidem cuncta hæc quæ ad Synodũ præfati sumus, desumpsimus: C
quæ præstat audire magis, quam quæ ex Nicephoro præmittuntur ad Quintam Synodum.

SYNODI QVINTAE ACTA CORRVPTA. De qua illud etiam admonendum putamus, ipsa quæ edita in hanc diem Acta reperiun-
tur, esse corrupta, atque decurtata in pluribus, vt suis locis fiet cuique manifestum: id au-
tem factum ab aduersarius Origenistis, siue à Monothelitis, fuit nonnullorum sententia. Pu-
denda planè in illis intexta habentur, ac prorsus indigna Synodo œcumenica: cùm alioqui
nec œcumenicæ tunc Synodi potuerit habuisse nomen, vtpote nec in Spiritu sancto legiti-
mè congregata, cui siue per se siue per suos ipse Romanus Pontifex noluit interesse.

DE NVMERO ACTIONVM. Quod ad Actiones eiusdem Synodi siue Collationes dixeris, seu Sessiones pertinet: duas
dumtaxat Nicephorus numerat, alteram aduersus Tria capitula congregatam, alteram ve-
rò aduersus Origenis errores: verùm quæ extant Quintæ Synodi Acta, octo continent Col-
lationes, de quibus singulis dicturi sumus. D

Sed vt ab eiusdem Synodi principio exordiamur: coeunt sine capite membra; immo
nec cum aliis qui sub capite censebantur artubus compaginari curantes, nulla Vigilij Papæ
ægrotantis adhuc habita ratione, hoc eodem anno, cùm vocatus prima die mensis Maij (vt
habetur in eius Synodi Collatione secunda) Vigilius ad Synodum non veniisset quarto No-
nas Maij Orientales Episcopi, qui Constantinopolim venerant, vnà conueniunt, acturi de
ventilata diu quæstione Trium capitulorum, omnes numero centum sexaginta. Tunc
enim cùm ibi essent, vocauerunt ad Synodum ipsum Vigilium Summum Pontificem ho-
nestissima vocatione, nempe Episcoporum nomine Synodi, & magistratuum nomine Im-
peratoris: hac prærogatiua etiam aduersarij dignati Romanum Pontificem, vt cùm aliàs
(quod sæpè vidimus) si Patriarchalium sedium vocandi essent Episcopi, tres mitti solerent;
ad conuocandum ipsum Romanum Pontificem Vigilium viginti missi fuerint, tres Patriar- E
chæ, reliqui verò omnes Metropolitani Episcopi, vt Acta ipsa docent, in quibus nomina
singulorum descripta leguntur.

PRAECIPVI EPISCOPI QVI SYNODO INTERFVERVNT. Inter nobilium autem sedium Episcopos, qui Synodo interfuerunt, post Eutychium Epi-
scopum Constantinopolitanum, de quo diximus, numerantur Apollinaris Patriarcha
Alexandrinus, Domnusque Antiochenus; Eustochius autem Episcopus Hierosolymitanus
per legatos interfuit. Externorum verò Sextilianus Episcopus Tunienſis siue Tunetensis
præsto fuit legatus missus à Primoso Episcopo Carthaginensi, qui sedit post Reparatum, de
quo superiùs est habita mentio. Reliquos autem numerare prætermittimus, & quarum es-
sent ciuitatum Antistites, cuiúsve vitæ meriti.

COLLATIO PRIMA. Cùm igitur (vt dictum est) Episcopi conuenissent: considentibus omnibus, Theodorus
Silentiarius à Iustiniano Imperatore missus libellum attulit coram Patribus in Synodo
legendum:

A legendum: qui, cunctis audientibus, iussus est legi. est eius exordium: Semper studium fuit Orthodoxis & piis Imperatoribus, &c.] Ea in primis scriptione, quid omnes prædecessores rectæ fidei Imperatores ad destruendas obortas hæreses egerint, quantúmve studij in id ipsum sedulò impenderint, per singulos recenset. Qualis autem ante sua tempora Ecclesiæ esset facies lurida, sic describit: Post Concilium Chalcedonense, exiguo tempore transacto, iterum surrexerunt Nestorij & Eutychetis sequaces, & tantas turbas in sanctis Ecclesiis fecerunt, vt diuisiones & schismata in eis fierent, & nullam ad se inuicem communionem haberent. Neque enim præsumebat aliquis de ciuitate in ciuitatem veniens, in ecclesiam procedere.] his addit suum à se nauiter impensum studium ad conciliandas ac simul vniendas Ecclesias, quo minùs autem fieret in omnibus voti compos, Nestorianos obstitisse ait, qui scripta Theodori Mopsuesteni, aliaque Theodoreti Episcopi Cyri, necnon epi-
B stolam Ibæ proferrent in medium; sicque ea vi restituere conati essent Nestorij hæresim: Quibus cùm occurrendum sibi esset, pro remedio ea Tria capitula primùm ab Episcopis qui conuenerant Constantinopoli damnanda procurasse; quæ item Vigilij Papæ auctoritate improbata iterum atque iterum fuisse, testatus est.

Insuper (quòd nuper accidisset) se per suos conueniisse Vigilium, vt scriptis dicta capitula damnaret, vel si minùs facere vellet, quæ esset sua de ea quæstione sententia itidem scriptis commendaret: quod & ipse se esse facturum, pollicitus esset. Post hæc autem suæ fidei confessionem cùm subdit, illos omnes qui ad Synodum conuenerunt Patres rogat de his omnibus ferre sententiam, asserens de Theodoro Mopsueisteno: Non nuper nomen eius abrasum est è Diptychis, sed ex quo ipsius hæreses prodiere in lucem.] hæc continet libellus Iustiniani Imperatoris oblatus Synodo, scriptus autem (vt ibi notatur) tertio Nonas Ma-
C ias, hoc ipso anno vigesimoseptimo sui ipsius Imperij. Eadem etiam Actione, suggerente sancta Synodo, iussæ sunt legi litteræ Eutychij Episcopi Constantinopolitani, quibus suæ fidei professionem (quam superiùs recitauimus) dedit eidem Vigilio Papæ: rursumque ipsius Vigilij ad Eutychium de eadem redditæ litteræ.

His omnibus recitatis, Synodus testata est, aliquos Episcopos rogasse Vigilium Romanum Pontificem, vt ad Synodum vnà cum ceteris conueniret, nec tamen hactenus id fecisse: quam ob causam illum solemni esse accersendum vocatione, operæpretium duxit. Missi itaque sunt iidem qui eum vocarent Episcopi (vt dictum est) omnes numero viginti, iidemque Metropolitani præter tres præcipuarum sedium Patriarchas, nimirum Constantinopolitanum, Alexandrinum, & Antiochenum. Qui redeuntes, de illo retulere, causatum ipsum esse corporis ægritudinem, scriptis tamen se Synodo satisfacturum pollicitum,
D & quid de Tribus capitulis sentiret, palàm facturum.

Rursum enim ad octauum Idus Maias conuenerunt [a] Episcopi: vbi primùm viginti illi ac primarij Ecclesiæ Orientalis Antistites, qui iterum missi erant ad conueniendum atque inuitandum ad Synodum Vigilium Romanum Pontificem, quid ab eo acceperint, coram omnibus referunt: nimirum eam suæ absentiæ causam Vigilium prætexuisse, quòd non adessent Occidentales Episcopi, nisi perpauci admodum; se autem conscriptam de ea quæstione sententiam ad Imperatorem missurum. Ad hæc se respondisse testati sunt missi Episcopi, olim in quatuor præcedentibus Synodis œcumenicis perpaucos Occidentalium interfuisse sacerdotes: satisque esse, vt qui adessent, conuocati Episcopi, ipsi inter se de proposita agerent quęstione. Hæc autem cùm retulissent Imperatori; ipsum suos vnà cum Episcopis sequenti die ad Vigilium accersendum missurum, esse pollicitum; quod & fecisse, testati
E sunt, misisseque ad eum liberium Patricium, Petrum Patricium Magistrum Officiorum, Patricium Patricium, Constantinum Quæstorem, & cum his Belisarium, Cæthegum, atque Rusticum Exconsules vnà cum deputatis Episcopis à Synodo missis pridie eius diei.

Post priorem istam habitam relationem, iussi sunt à Synodo ij qui missi erant, quæ apud Vigilium gessissent, palàm facere. Qui retulerunt, Vigilium iterum inducias postulasse, quo suam sententiam scriptis depromeret; vt quid sentiret, omnibus notum faceret. Respondisse autem hos, ipsum idem iam aliàs sensisse, condemnasseque Tria capitula, & per hæc suam esse sententiam declaratam; tantùm ab eo requirere, vt quod solus fecisset, cum Patribus in publico conuentu ageret. Et si ad hoc inducias optaret, vt tandem ad Synodum conueniret; Synodum expectaturam: aliàs inter se de quæstione Trium capitulorum Patres qui conueniissent acturos. Ad hæc autem Vigilium, se solùm suam de ea re sententiam conscripturum respondisse. His porrò tam ab Episcopis missis quàm à prędictis Patriciis in Syn-

[a] *Tom. 2. Concil. noue edit.* COLLATIO SECVNDA SYNODI.

BIBLIOTECA UNIVERSITARIA GRANADA

edo relatis: qui missi erant ab Imperatore, se iam functos munere, recessuros: de reliquo A
hortari Patres vt rei cœptæ finem imponerent, cùm id Imperator optaret, apud quem nihil
esset antiquius, quàm vt fides Catholica semper maneret inconcussa.

His peractis, Synodus iussit mitti tres Episcopos, qui Primasium Episcopum Adrumeti-
num in Africa Metropolitanum Constantinopoli tunc degentem vocarent ad Synodum,
simulque Sabinianum, Proiectum, & Paulum Episcopos Illyrici. legati sunt ad hoc opus
tres Episcopi, totidemque presbyteri. Hi redeuntes, de Primasio in primis hæc retulerunt,
illum dixisse: Papa non præsente, non venio.] reliquos autem citatos Episcopos Illyricos
recusasse accedere, eo quòd non adesset eorum Archiepiscopus Benenatus. His relatis, de
Primasio sententiam differre Synodo placuit; illi verò Illyrici vt Benenatum adirent, vt
idem cum illo sentirent, quem constaret vnius esse cum ipsis qui aderant ad Synodum con-
uocati sententiæ, eadem decreuit Synodus. His in hunc modum rebus gestis, finis habetur B
impositus secundæ Collationi.

COLLATIO TERTIA.

Sequenti die, ad septimum Idus Maias, iterum Episcopi conuenerunt; recitatisq; omni-
bus ante actis, agendum iam esse de quæstione Trium capitulorum proposuerunt. Ante-
quam autem rem ipsam aggrederentur, publica professione Synodus fidem Catholicam
profitetur: se nimirum credere quæ olim sancti Apostoli, quæ & sanctæ quatuor Synodi
tradidissent, quæ insuper sancti Ecclesiæ doctores tam Græci quàm Latini, quos recolit, scri-
psissent, tenere. sunt verò hi à Synodo nominati, Athanasius, Hilarius, Basilius, Gregorius
Theologus, Gregorius Nyssenus, Ambrosius, Augustinus, Theophilus, Ioannes Chryso-
stomus, Cyrillus, Leo, Proclus. Ceterùm professa est Synodus & alios se suscipere Patres,
qui in sancta Dei Ecclesia rectam fidem vsque ad finem vitæ prædicassent. Quæstio autem
de Tribus capitulis, videlicet de Theodoro Mopsuesteno & scriptis eius, deque scriptis C
Theodoreti in Cyrillum, atque de epistola quæ dicta est Ibæ Episcopi ad Marim Persam,
in sequenti Collatione tractanda proponitur, sicque præsens tertia Collatio finem accepit.

[a] *Tom. 2. Concil. edit. noua.* COLLATIO QVARTA.

Conuenerunt [a] rursus Episcopi ad quartum Idus Maias: iussæque sunt palàm in Synodo
recitari horrendæ blasphemiæ excerptæ ex scriptionibus (vt dicebant) Theodori Mopsue-
steni olim Episcopi, quibus & subiecerunt eiusdem Theodori impium fidei symbolum.
Porrò in eis non tantum quæ impius homo aduersus Christi Domini nostri humanitatem
in vna persona cum diuinitate coniunctam dicebatur conscripsisse, sunt posita; sed & quæ
improbus in Cantica Canticorum, librum tam ab Hebræis quàm à Christianis semper re-
ceptum, effutiit, adducta sunt in medium; sicut & quæ in librum Iob, quem repudiasse
asserebatur, tamquam ab aliquo Pagano conscriptum, & alia eiusmodi: aduersus quæ om-
nia à Patribus magna fuit detestatione exclamatum in Synodo. Cetera in alium confessum D
sunt reseruata, nimirum vt ageretur de his quæ sancti Patres, vel leges Imperiales, aut histo-
rici de eodem Theodoro conscripsissent.

[b] *Tom. 2. Concil. noua edit.* COLLATIO QVINTA.

Collationem autem quintam Patres quo potissimùm die habuerint, haud adeò explo-
ratum habetur. nam quod in codice [b] typis excuso notatus est octauo Idus Maias: men-
dum inesse, dubitare nemo debebit: siquidem nulla patitur ratio, vt cùm præcedens Actio
quarta sit habita ad quartum Idus Maias, quinta hæc quæ post illam celebrata esse constat,
inscribatur Octauo Idus eiusdem mensis: vnde potiùs vel sequenti, vel post sequentem
diem pridie Idus Maias, quo & oblatum Synodo Vigilij Constitutum datum reperitur,
hanc esse habitam Actionem dixerimus. In qua primùm ea quæ sancti Patres aduersus
Theodorum scripserunt, quæve legum Imperatorum auctoritate aduersus eum sancita re-
perirentur, insuper & quæ Hesychius presbyter Hierosolymitanus nobilis historicus de E
eodem scriptionum monumentis testata reliquit, in medium adducta sunt & recitata: sed
& quæ etiam pro Theodoro conscripta fuerant, eadem discussa sunt & confutata.

Post hæc autem omnia fusiùs explicata Sextilianus Episcopus legatus missus à Primoso
Carthaginensi Episcopo atque à Concilio Carthaginensi, ex S. Augustino nonnulla attu-
lit loca, quibus ille sæpè profitetur, aliquem posse damnari post mortem; quod etiam robo-
ratum fuit exemplis aliorum, ac præsertim Romani Pontificis, qui Dioscorum schismati-
cum post mortem damnauit: confirmatum est etiam exemplo ipsius Vigilij Romani Pon-
tificis, qui damnarat Origenem: dictum est enim: Quod etiam nunc in ipso Origene fecit
& vestra sanctitas, & Vigilius religiosissimus Papa antiquioris Romæ.] Sed hæc acta ab
ipsis Episcopis cùm desiderentur in Synodo, vtique eam haud haberi integram, sed de-
curtatam atque deprauatam ab aliquo Origenista, nemo iure negarit. Vigilium seor-

sum

A sum Pontificio decreto damnasse Origenem, etiam Cassiodorus testatur [a]: sed de hoc inferiùs. Ad hæc insuper post alia multa in eamdem sententiam à Patribus aduersus Theodorum superaddita, recitata sunt Acta Synodi Mopsuestenæ, quorum superiùs suo loco meminimus, quibus probaretur ipsum Theodorum olim ex Diptychis Ecclesiæ fuisse abrasum, & in locum eius fuisse suffectum Cyrillum Alexandrinum.

[a] *Cassiodor. Instit. diuin. lect. lib. 1. cap. 1.*

Post hæc autem omnia aduersus Theodorum allata, produnt Acta, ad causam Theodoreti factum transitum; cùm videlicet ex ipsius Theodoreti scriptis aliqua loca excerpta sunt recitata, quæ ab Orthodoxa fide viderentur esse aliena contra sanctum Cyrillum scripta. His iuncta legitur epistola quædam Theodoreti nomine edita post obitum Cyrilli Episcopi Alexandrini, qua mirum in modum dicteriis & scommatibus in defunctum inuehitur. His sic habitis, laudauit Synodus iudicium sanctorum Patrum Concilij Chalcedonen-
B sis, quod non priùs Theodoretum iidem suscepissent, quàm ipse Nestorium condemnasset. Sicque finis impositus est præsenti quintæ Actioni. Deteximus autem, vbi de Cyrilli obitu egimus, de Theodoreti illa quæ dicitur epistola imposturam. At hic quod opportunè de ea tractari contingat, eadem modò repetere non grauamur, quò ostendatur non ea Synodi germana Acta esse, sed nebulonis cuiuspiam excogitatum commentum. Dicimus itaque, epistolam illam, quæ recitatur in Synodo hac Actione quinta sub nomine Theodoreti ad Ioannem Antiochenum de Cyrilli obitu gaudentis, omni ex parte conuinci minimè esse potuisse Theodoreti. Ex his verò disces, lector, Synodum Quintam haud adeò esse legitimam, sed magna ex parte suppositam, in aliquibus mutilatam, auctam in aliis: nam hæc quæ de Cyrilli Episcopi Alexandrini obitu sub nomine Theodoreti narrantur, ab aliquo Eutychiano hæretico esse conficta, non ambigimus: idque vt credamus, immo certò affir-
C memus, non leui aliqua ducimur coniectura, vel tenui quadam suspicione, sed firmissima sanè rei demonstratione.

DE EPIST. THEODORETI NOMINE SVPPOSITA.

Quonam pacto, quæso, hæc Theodoretus de obitu Cyrilli ad Ioannem Episcopum Antiochenum scripsisse potuit, si ante Cyrilli mortem ipse Ioannes ex humanis sublatus esse reperitur? Id enim tum ex Nicephori Episcopi Chronico, tum ex aliis qui Patriarchalium sedium successiones Episcoporum conscripserunt, exploratum habetur. Verùm ne rem tantam chronistarum dumtaxat fide (etsi magna sit) definiendam esse velimus, in quorum scripta errorem irrepsisse quis dicere possit: ne de his vlla tibi penitus remaneat dubitatio, Ioannem Antiochenum scilicet ante Cyrillum mortuum esse: habes inter eas quæ leguntur canonicas diuersorum Episcoporum epistolas eiusdem Cyrilli Patriarchæ Alexandrini scriptam epistolam [b] ad Domnum Episcopum, qui fuit successor eiusdem Ioannis Episco-
D pi Antiocheni: vt nullus iam dubitare valeat S. Cyrillum post eius obitum superuixisse. Quòd autem ille Domnus, ad quem extat dicta epistola Cyrilli canonica, ille ipse sit, & non alius ab Episcopo Antiocheno successore Ioannis, ex rebus quæ in ea tractantur, satis potest intelligi: dum tantæ illum fuisse auctoritatis ostendit, vt Episcopum posset deponere, atque iterum restituere: vnde appareat non inferioris sedis aliquem esse potuisse eius nominis Episcopum. Certè quidem in serie Episcoporum Orientalium, qui tam in Concilio Ephesino, quàm Chalcedonensi iisdem temporibus celebratis, recensiti reperiuntur, nullus alius eius nominis Domnus inscriptus vel subscriptus Episcopus legitur, qui alios Episcopos sub se haberet, tantaque polleret auctoritate, vt ad libitum (quod dictum est) deponere atque restituere eos posset. Indigna planè ostenditur epistola illa tanto viro, quem probauit ac recepit sancta Synodus Chalcedonensis, & S. Leo à calumniatoribus (vt vidimus)
E vendicauit: quem & nauiter Constantinopoli apud legatos Apostolicos pro fide Catholica vidimus insudasse. At hic iterum opportunè ipsam epistolam in dicta Actione quinta Synodi Quintæ recitatam describamus: vt quisque intelligat, non esse partum hominis vel mediocriter Christianam pietatem sectantis, sed impudentissimi cuiuspiam impostoris figmentum. sic enim se habet eiusmodi titulo prænotata:

[b] *Apud Theod. Balsam. in addit. pag. 79.*

DETEGITVR IMPOSTVRA.

Theodoreti ad Ioannem Archiepiscopum Antiochiæ epistola scripta, cùm mortuus esset Cyrillus Archiepiscopus Alexandrinus.

Serò tandem & vix malus homo defunctus est. Boni enim & benigni ante tempus inde demigrant: mali verò in multo tempore vitam producunt. Et arbitror omnium dispensatorem bonorum prouidentem, celeriùs quàm tempus est, humanis tribulationibus eos abducere, & tamquam victores liberare luctationibus, & in meliorem vitam transducere: quæ vita præmium positum est his qui pro virtute luctantur, fine & tristitia & sollicitudine

CONFICTA EPIST. NOMINE THEODORETI.

libera. Malitiæ verò amatores & operatores diutiùs concedit præsenti vita frui, vt aut sa- A
tietatem caperent malignitatis, & virtutem postea discerent, aut pœnas darent & in hoc
sæculo, pro molestia suorum morum longo tempore amaris & malis vitæ præsentis flu-
ctibus æstuantes. Illum verò miserum nec ad similitudinem aliorum dimisit nostrarum
animarum gubernator diutiùs eorum potiri, quæ videntur esse delectabilia; sed crescen-
tem quotidie viri malignitatem sciens & corpori Ecclesiæ nocentem, quasi quamdam pe-
stem amputauit, & abstulit opprobrium à filiis Israel. Lætificauit quidem superstites eius
discessio: contristauit verò forsitan mortuos: & timor est, ne prægrauati eius conuersatio-
ne, iterum ad nos remittant, vel illos diffugiat, qui eum abducunt, sicut ille tyrannus Cy-
ni Ciliciam. Procurandum igitur est, & oportet tuam sanctitatem maximè hanc suscipere
festinantiam, & iubere collegio mortuos asportantium, lapidem aliquem maximum &
grauissimum sepulchro imponere, ne iterum huc perueniret, & instabilem voluntatem B
iterum demonstraret. Infernis noua dogmata adserat: ibi diu noctuque (sicut vult) sermo-
cinetur. Non enim timemus, ne & illos diuideret, aduersus pietatem publicè alloquens,
& morte circumdans naturam immortalem. Lapidabunt enim eum non solum qui diui-
na eruditi sunt, sed etiam & Nemrod, & Pharao, & Sennacherib, & si quis eorum est
similis Dei impugnator. Sed enim sine causa multa loquor: silet enim miser inuitus. Egre-
dietur enim, dicit, spiritus eius, & reuertetur in puluerem suum: in illo die peribunt om-
nes cogitationes. Iste verò & aliud habet silentium: nudata enim illius facta alligant lin-
guam, obstruunt os, frenant sensum, silere faciunt, in terram inclinare cogunt. Ideo plan-
go miserum & ploro: nec enim puram mihi delectationem fecit mortis eius annunciatio,
sed dolore permixtam. Lætor enim & iucundor, eiusmodi pestilentia commune Ecclesiæ
videns liberatum: contristor verò & ploro, quòd nec requiem malorum miserabilis susce- C
perit, sed maiora & peiora pertentans defunctus est.

Somniauit enim (sicut dicunt) & regiam vrbem perturbare, & piis iterum dogmatibus
repugnare, & tuam sanctitatem accusare, vtpote ea colentem. Sed vidit Deus & non de-
spexit: immisit verò simum in os eius, & frenum in labia eius, & auertit eum in terra ex
qua sumptus est. Fiat verò orationibus tuæ sanctitatis, vt misericordiam & veniam con-
sequatur, & vincat immensa Dei clementia illius malignitatem. Rogo verò tuam san-
ctitatem, soluere nobis animæ tumultus. Plurimæ enim & diuersæ famæ circumsonant, &
nos perturbant, communes calamitates annunciantes. Quidam verò & tuam reueren-
tiam proficisci dicunt ad comitatum sine voluntate. Et vsque nunc despiciebam, vtpote
falsa, ista quæ diuulgantur. Quoniam verò vidi sola eademque omnes dicentes, necessa-
rium existimaui veritatem à tua discere sanctitate: vt vel rideamus, vtpote falsa; aut vt vera, D
meritò lugeamus.] hactenus epistola. Sanè quidem & huius scriptor temporis valde accu-
ratus Leontius in libro de Sectis, cùm multa ab hæreticis conficta tradat, inter alia ab ipsis
epistolas scriptas esse nomine Theodoreti testatur. At quam fidem, rogo, merentur Acta
huiusce modi, quæ sunt his contexta commentis? Illud etiam non præterimus: leges illas
Theodosij Imperatoris aduersus Nestorium prolatas ac recitatas in dicta Actione, aliter
se habere in Codice Theodosiano, atque in Actis Concilij Ephesini; quas & nos suo loco
sub die & consule datas superiùs recitauimus; in quibus nulla prorsus habetur mentio
de Theodoro. Hæc de commentitiis atque suppositis scriptis hic dicta sufficiant: de sublа-
tis modò dicendum.

Desideratur autem in iisdem publicis Synodalibus Actis Vigilij Papæ libellus oblatus
Synodo, quem ipse Constitutum appellat, quod idem est quod decretum. hunc ipsum esse E
scias, quem de sua sententia ab Imperatore interpellatus idem Vigilius pollicitus fuit se
missurum suo tempore ad ipsum Imperatorem atque ad Synodum, quod & ingenuè præ-
stitit. Scripserat autem illud ipsum Constitutum iam antea: nam eius ipse meminit in epi-
stola ad Valentinianum Episcopum Tomitanum in Scythia: nec quidem illud elaborauit
vt ipsi dumtaxat innotesceret Imperatori vel Synodo, sed vt vniuerso Orbi Catholico
cunctisque Christi fidelibus palam fieret, nec ob aliam causam (vt ex ipso patet) nisi vt
omnia quæ à sanctis Patribus in Chalcedonensi Concilio definita essent, firma consiste-
rent, nec vlla quouis prætextu possent calumnia labefactari. Porrò Constitutum hoc ip-
sum Vigilij, quod sicut alia pleraque ex Actis Quintæ Synodi noscitur esse sublatum, nos
hic suo loco restituendum esse putamus.

Vt igitur hic cuncta suis reddantur diebus, post Quintam Collationem describendum
hic ip-

A hic ipsum censuimus Vigilij Papę Constitutum, antequam de reliquis agamus ipsius Quintæ Synodi Collationibus: nacti illud sumus in Vaticana bibliotheca, vbi antiquitus scriptum asseruatur. Id verò eo libentiùs facturi sumus, quòd numquam in hanc diem impressum ipsum inuenerimus. Pertinere illud quidem ad ipsa Acta Synodalia Quintæ Synodi, quæ superiùs dicta sunt, apertè declarant: ipso enim voluit Vigilius, quæ de Tribus capitulis sua esset sententia, tam Imperatori, quàm Synodo vniuersæ innotescere: quod enim antea pollicitus fuerat viris clarissimis ab Imp. missis & Episcopis à Synodo ad illud ipsum munus explendum delectis, modò opportunè præstandum putauit. Porrò illud cùm in fine notatum habeat diem & Consulem, quo ipsum Vigilius publicè edendum curauit, ad hunc ipsum annum & diem Collationis quintæ pertinere cognoscitur: nosque hic ipsum suo loco inferendum putauimus.

DE VIGILII PAPAE EDITO CONSTITVTO.

B In qua quidem scriptione illud in primis visus est Vigilius iniisse consilium, ne scilicet Tria illa pro Chalcedonensi Concilio defendens capitula, in suspicionem vel leuem ab aduersariis adduci posset defensionis errorum Nestorij ob indemnatum Theodorum Mopsuestenum: primùm omnium multo studio totus fuit in damnatione errorum illorum, qui in scriptis Theodori Mopsuesteni dicebantur inuenti, quos attulerat ad ipsum Vigilium nomine Imperatoris (vt vidimus) Benignus Episcopus Heracleæ Paphlagoniæ. Sic igitur ne ipse redargui posset ab aduersariis, fauisse Theodoro, si eum anathemate damnare detrectaret; oblatos damnat errores: ita quidem se gerens, vt ad damnandos defunctorum errores accurrerit impiger; in damnandis autem auctoribus, quos sciisset in Catholica communione defunctos, minimè prępropere agendum putarit. Iam verò ipsum Vigilij recitemus Constitutum, in quo primùm res transactæ de ineunda concor-

VIGILII PRVDENS CONSILIVM.

C dia recensentur. sic enim se habet:

Glorioſiſſimo & clementiſſimo filio Iuſtiniano Auguſto Vigilius Epiſcopus.

Inter innumeras ſolicitudines, quibus oneratur Imperiale faſtigium, laudabile clementiæ veſtræ cognouimus eſſe propoſitum, per quod ſummotis omnibus diſcordiæ ſeminibus, quæ in agro Domini humani generis inimicus aſperſerat, vniuerſos Domini ſacerdotes, præmiſſis ad teſtimonium conſcientiæ ſuæ profeſſionibus, per quas ſanctorum Patrum & venerabilium quatuor Synodorum ac Præſulum ſedis Apoſtolicæ inhærere definitionibus atque iudiciis monſtrarentur, ad vnitatem atque concordiam reſtituere properaſtis: quarum profeſſionum formam, vt Eccleſiaſticæ pacis amplectendum poſteris tradatur exemplum, præſenti (quemadmodum ſe habet) inſerta pagina declaramus.

VIGILII CONSTITVTVM AD IMP.

Exemplum primæ profeſſionis, quam ad S. Euphemiæ templum fecerunt.

D Omnes quidem Fideles, maximè verò Dei ſacerdotes pacem & ſanctificationem ſequi cum omnibus oportet, ſine quibus nemo ſecundùm Apoſtolum [a] videbit Dominum. Nos igitur Apoſtolicam ſequentes doctrinam, & feſtinantes concordiam Eccleſiaſticam ſeruare, præſentem facimus libellum. In primis quatuor ſanctas Synodos, Nicænam trecentorum decem & octo, Conſtantinopolitanam centum quinquaginta, Epheſinam primam ducentorum, in qua in Legatis ſuis atque Vicariis, id eſt, beatiſſimo Cyrillo Alexandrinæ vrbis Epiſcopo, Arcadio & Proiecto Epiſcopis, & Philippo preſbytero, beatiſſimus Cæleſtinus Papa Senioris Romæ noſcitur præſediſſe, & Chalcedonenſem ſexcentorum triginta ſanctorum Patrum ſuſcipimus. Et per omnia & in omnibus, quæcumque in omnibus Geſtis Chalcedonenſis Concilij aliarumque prædictarum Synodorum, ſicut in iiſdem quatuor Synodis ſcriptum inuenitur, communi conſenſu cum Legatis atque Vicariis ſedis

[a] 1. *Theſ.* 4.

MENNAE, THEODORI, ET ALIORVM EPISC. PROFESSIO.

E Apoſtolicæ, in quibus iuxta tempora ſua prædeceſſores ſanctitatis veſtræ beatiſſimi Papæ ſenioris Romæ ipſis Synodis præſiderunt, tam de fide, quàm de aliis omnibus cauſis, iudiciis, conſtitutionibus, aut diſpoſitionibus definita, aut iudicata, vel cõſtituta, ſiue diſpoſita ſunt, inconcuſsè, inuiolabiliter, irreprehenſibiliter, atque irretractabiliter ſine adiectione vel imminutione aliqua nos promittimus ſecuturos, nec quicquam contrarium, quod ad earum reprehenſionem & retractationem vel permutationem ſiue iniuriam ſub qualibet occaſione vel nouitate pertineat, admiſſuros, aut tale aliquid præſumentibus conſenſuros. Sed quæcumque communi conſenſu cum Legatis atque Vicariis ſedis Apoſtolicæ Orthodoxæ ibidem dicta ſunt, ea Orthodoxa veneramur atque ſuſcipimus.

Quæcumque anathematizauerunt vel damnauerunt, anathematizamus & nos atque damnamus; & vniuerſa, ſicut ab iiſdem Synodis communi conſenſu cum Vicariis ſedis Apoſtolicæ iudicata, aut definita, vel conſtituta, ſiue diſpoſita lecta inueniuntur, irretra-

ctabiliter

ctabiliter atque impermutabiliter conſeruamus. Sed & beatæ recordationis Papæ Leonis epiſtolas & ſedis Apoſtolicæ conſtituta, quæ tam de fide, quàm de firmitate ſupradictarum quatuor Synodorum proceſſerunt, nos in omnibus ſecuturos, ſeruaturosque promittimus. Anathematizantes omnem hominem ad ordines & dignitates Eccleſiaſticas pertinentem, quicumque contra ea, quæ ſuperiùs promiſimus, ſub qualibet occaſione vel altercatione venire tentauerit. Libellum autem in cauſa Trium capitulorum, de quibus quæſtio nata eſt, contra conſtitutum piiſſimi Principis & beatitudinis veſtræ ego quidem nullum feci: ſed volo atque conſentio, vt omnes libelli, qui facti ſunt ſub hac forma, beatitudini veſtræ reddantur. De iniuriis autem, quæcumque beatitudini vel ſedi veſtræ factæ ſunt, eas quidem non feci: ſed quia pro pace Eccleſiæ modis eſt omnibus feſtinandum, velut ſi eas feciſſem, veniam poſtulo. Quia verò tempore diſcordiæ excommunicatos vel non receptos à beatitudine veſtra in communionem ſuſcepi, pariter veniam poſtulo. A B

In hac forma fecerunt Mennas Conſtantinopolitanus Epiſcopus,
Theodorus Cæſareæ Cappadociæ Epiſcopus,
Andreas Epheſinus Epiſcopus,
Theodorus Antiochiæ Piſidiæ Epiſcopus.

Petrus Tarſenſis Epiſcopus: ſed multi alij Epiſcopi idem fecerunt.] hæc quidem Vigilius in ſui ponit exordio Conſtituti; vt quæcumque tranſacta fuiſſent cum aduerſariis, omnibus innoteſcerent; viderentque ſinguli, quàm ab ipſorum promiſſione facta contraria ſint ſecuta, & quàm mobiles illi fuerint Epiſcopi, qui cùm hæc ſubſcripta ſua ipſorum manu Vigilio obtuliſſent, non erubuerint rurſus in eumdem ob gratiam Imperatoris inſurgere. Sed audiamus aliam quam hic ſubiicit Vigilius fidei profeſſionem trium Patriarcharum, Conſtantinopolitani, Alexandrini, & Antiocheni, nempe Eutychij, Apollinaris, & Domni, ſiue Domnini, inſuper & Eliæ Theſſalonicenſis Epiſcopi, ſic enim ſe habet: C

ALIA PROFESSIO OBLATA VIGILIO.

Exemplar profeſſionis quam reſidui Epiſcopi Theophaniorum die nobis fecerunt.

Scientes quantorum bonorum cauſa eſt pax Dei cuſtodiens corda & ſenſus Fidelium, & colligens eos, vt vnum idemque ſapiant in recta fidei confeſſione, & ad perficienda diuina mandata, & propitium Deum faciens in his quæ recta ſunt concordantibus: ideo feſtinantes vnitatem conſeruare, ad Apoſtolicam ſedem veſtræ beatitudinis manifeſtum facimus, quod nos ſemper conſeruauimus & conſeruamus fidem ab initio traditam à magno Deo & Saluatore noſtro Ieſu Chriſto ſanctis Apoſtolis, & ab illis in omni mundo prædicatam, & à ſanctis Patribus explanatam, & maximè ab his qui in ſanctis quatuor Synodis congregati ſunt, quos per omnia & in omnibus ſequimur & ſuſcipimus, id eſt, trecentos decem & octo ſanctos Patres qui Nicææ congregati ſunt, & ſanctum Symbolum ſiue mathema fidei expoſuerunt, & Arianam impietatem anathematizauerunt, & eos qui eadem ſapuerunt vel ſapiunt. Suſcipimus autem & centum quinquaginta ſanctos Patres Conſtantinopoli congregatos, qui idem ſanctum mathema explanauerunt, & de Deitate Spiritus ſancti dilucidauerunt; & hæreſim Macedonianam Spiritum ſanctum impugnantem & impium Apollinarium condemnauerunt cum his qui eadem cum illis ſapuerunt vel ſapiunt. Suſcipimus autem & ſanctos ducentos Patres in Epheſina prima Synodo collectos, qui per omnia ſecuti ſunt idem ſanctum Symbolum ſiue mathema, & condemnauerunt Neſtorium impium & ſcelerata eius dogmata, & eos qui ſimilia ei aliquando ſapuerunt vel ſapiunt. D

Ad hæc autem etiam ſuſcipimus ſexcentos triginta ſanctos Patres Chalcedone congregatos; qui etiam ipſi per omnia conſenſerunt prædictis ſanctis tribus Synodis, & ſecuti ſunt prædictum Symbolum ſiue mathema à trecentis decem & octo ſanctis Patribus expoſitum, & à centum quinquaginta ſanctis Patribus explanatum, & anathematizauerunt eos qui aliud præter prædictum Symbolum præſumunt docere, aut exponere & tradere ſanctis Dei Eccleſiis: condemnauerunt autem & anathematizauerunt & Eutychetem & Neſtorium, & impia eorum dogmata, & eos qui ſimilia eis ſapuerunt vel ſapiunt. His ita ſe habentibus, certum facimus, quòd omnia quæ à prædictis ſanctis quatuor Synodis iudicata & definita ſunt, ſeruauimus & ſeruamus: Quia etſi per diuerſa tempora prædictæ ſanctæ quatuor Synodi factæ ſunt, tamen vnam eamdemque confeſſionem fidei ſeruauerunt & prædicauerunt. E

Suſcipimus autem & amplectimur & epiſtolas Præſulum Romanæ ſedis Apoſtolicæ, tam aliorum, quàm Leonis ſanctæ memoriæ de recta fide ſcriptas, & de quatuor ſanctis

Conci-

A Conciliis, vel de vno eorum. Cùm igitur prædicta omnia & seruauimus & seruamus, & in iisdem nobis inuicem consentimus: necessarium est conferri * de Tribus capitulis, vnde quibusdam quæstio nata est. Et ideo petimus, præsidente nobis vestra beatitudine, sub tranquillitate & sacerdotali mansuetudine, sanctis propositis Euangeliis, communi tractatu eadem capitula in medio proponenda quæri, & conferri, & finem quæstioni imponi Deo placitum & conuenientem his quæ à sanctis quatuor Conciliis definita sunt: quoniam ad augmentum pacis & concordiam Ecclesiarum pertinet, vt omni de medio dissentione sublata, quæ à prædictis sanctis quatuor Conciliis definita sunt, inconcussa seruentur, sanctarum Synodorum reuerentia in omnibus custodita. His autem & subscripsimus in hunc modum fratres & coepiscopi nostri.

* confiteri

Eutychius Episcopus Constantinopolitanus.

B Apollinaris Episcopus Alexandrinus.

Domninus * Antiochiæ Syriæ Episcopus.

* Domnus

Elias Episcopus Thessalonicensis; sed & ceteri qui primam professionem non fecerunt, & in hac secunda professione aut subscripserunt, aut seorsum eamdem fecerunt.

His igitur dispositis, optauimus quidem, venerabilis Imperator (sicut frequentissimè supplici prece poposcimus) eundum ad quemlibet Italiæ locum, aut certè ad Siciliam, & conuocatis ad nos Africanæ & aliarum prouinciarum Latinæ linguæ sacerdotibus, vel Ecclesiæ nostræ sacratis ordinibus, secundùm consuetudinem tractaremus, & de quæstionibus Trium capitulorum pietati vestræ redderemus plena deliberatione responsum: quod quia fieri serenitas vestra non annuit, hoc iterum noscitur constitutum, vt oblatis à nobis mansuetudini vestræ nominibus de suprascriptis prouinciis, qui nobiscum ad tractandum

QVID EGERIT CVM IMPERATORE VIGILIVS.

C adhiberentur Antistites, clementia vestra faceret aduenire: cui dispositioni item præbuimus Ecclesiasticæ pacis amore consensum. Postea verò hoc magis cum consensu fratrum nostrorum, nostrarum partium Episcoporum, nuper ante sanctum Paschæ diem pietas vestra constituit, vt exæquato numero his Pontificibus qui in Constantinopolitana vrbe præsentes sunt, de Tribus capitulis, ex quibus quæstio vertitur, secundùm superiùs designatam fratrum nostrorum Episcoporum professionem deberemus inire tractatum.

Sed quia, dum ea quæ pro conseruanda Ecclesiarum pace cum fratribus nostris fieri, vestra dispositione conuenerant, festinaremus impleri, vt adhibita salubri deliberatione communiter, & propter informandam vniuersalem Ecclesiam, cunctis quæ inter nos geruntur, in scriptis deductis atque iacentibus; nostrum ex his collectum de Tribus capitulis in quæstionem deductis iudicium proueniret: continuò pietas vestra post illud volumen,

D quod nobis ante multos Paschæ dies per virum magnificum Theodorum Decurionem Palatij destinauit, in quo vos interim, quid de Tribus sentiretis capitulis exponentes, nostrum poposcitis dari ex eadem causa responsum.

Ideoque cùm fratres nostri, neque exæquato nobiscum numero residere, neque in scriptum quæ ageremus, vel tractaremus, redigi paterentur, tamquam (quod absit) non conuenientia rectitudini loqueremur, quæ scribere timeremus: Et insuper glorioßissimis ad nos proceribus destinatis insisteret vestra clementia, nostrum de Trium capitulorum negotio quàm celerrimè proferre debere responsum: nec sic destitimus vestræ obedire velle clementiæ: hoc solummodo postulantes, vt pro infirmitate corporis nostri, quæ nulli habetur incognita, viginti dierum nobis daretis inducias, quatenus habito nobiscum, Deo auxiliante, tractatu, definitionis nostræ, constituto die scripto, sententiam diceremus: ad fra-

LEGITIMA VIGILII PETITIO.

E tres & coepiscopos nostros, à quibus similiter de eadem causa responsum vos flagitare dixistis, filium nostrum diaconum Pelagium cum huiusmodi mandato direximus, dicentes: vt quia constitutus collationis faciendæ modus fuerat prætermissus, saltem viginti dies pro antedicta nostri corporis imbecillitate, quam norunt, nostrum deberent definitum de Tribus capitulis sustinere responsum, antiquum & regularem custodientes ordinem; ne ante nostræ, hoc est, sedis Apostolicæ, cui per Dei gratiam præsidemus, promulgationem sententiæ, quicquam proferre tentarent, vnde scandali rursus., quæ sopita fuerat, oriri posset occasio.

Propositis itaque nobis & diligenter inspectis, in quantum vniuscuiusq; capituli in quæstionem deducti ratio postulabat, Synodalibus codicibus atque Gestis prolatis, quæ aliis eorumdem Patrum vel in sanctis quatuor Synodis, aut in vna earum rescripsisse * monstrantur, Synodalibus epistolis inspectis, nihilominus prædecessorum nostrorum sedis Apostolicæ

* resedisse

licæ Præſulum Conſtitutis, aliisque probatorum Patrum neceſſariis inſtructionibus pertractatis: ſi qua de his quæ in quæſtionem deducta ſunt apud Patres noſtros examinata fuerint, finita atq; diſpoſita, memores ſuperiùs deſignatarum profeſſionum, inueſtigare curauimus: inſpicientes dogmata quædam in prima chartacei voluminis parte per fratrem noſtrum Benignum Epiſcopum Heracleæ Paphlagoniæ à veſtra parte tranſmiſſi iacentia, quorum tenor ſecundùm intellectum ſubter expoſitum ad excludendum totius ambiguitatis errorem præſenti definitioni noſtræ tenetur inſertus, plena execrabilibus blaſphemiis, & Orthodoxæ fidei (quæ ſecundùm Euangelicam Apoſtolicamque doctrinam à ſanctis quatuor Synodis, Nicæna, Conſtantinopolitana, Epheſina, atque Chalcedonenſi probabiliter atque irreprehenſibiliter, ſancti Spiritus cooperante præſentia, legitur definita) valde inimica eſſe perſpeximus, & procul à Chriſtianis ſenſibus repellenda. Propterea ergo, vtpote execrabilia, atque à ſanctis Patribus olim ſine dubitatione damnata, noſtra quoque ſententia anathematizamus atque damnamus. quorum primum capitulum ita ſe habet: A B

PRIMA THEODORI BLASPHEMIA.

Quomodo igitur tu, quem ſuper omnes maximè decet animarum regimen, illum eumdem, qui ex Virgine natus eſt, Deum eſſe, & ex Deo conſubſtantialem Patri exiſtimari dicis, niſi fortè ſancto Spiritui imputari illius creationem nos iubes? Sed quis eſt Deus ex Deo & conſubſtantialis Patri? is idem qui ex Virgine natus erat? (ô mirandum) & qui per Spiritum ſanctum ſecundum diuinas Scripturas plaſmatus eſt, & confictionem in muliebri accepit ventre? inerat forſitan, quia mox quàm plaſmatus eſt, & vt templum Dei eſſet, accepit: non tamen exiſtimandum nobis eſt, Deum de Virgine natum eſſe: niſi fortè idem exiſtimandum nobis eſt & quod natum eſt, & quod eſt in nato templo, & qui in templo eſt Deus Verbum: non tamen nec ſecundùm tuam vocem pronunciandum eſt omnino, ex Virgine natum Deum eſſe & ex Deo conſubſtantialem Patri. Nam ſi non homo eſt (ſicut C dicis) aſſumptus, qui natus eſt ex Virgine, Deus verò incarnatus; quomodo qui natus eſt, Deus ex Deo & conſubſtantialis dicetur Patri, carne non potente hanc vocem ſuſcipere? Nam eſt quidem dementia, Deum ex Virgine natum eſſe dicere: hoc enim nihil aliud eſt, quàm ex ſemine eum dicere Dauid de ſubſtantia Virginis genitum & in ipſa plaſmatum: quia quod ex ſemine Dauid & de ſubſtantia Virginis eſt, in materno ventre conſiſtit; & ſancti Spiritus plaſmatum virtute, natum fuiſſe dicimus de Virgine. Vt autem aliquis ex hoc concedat dicere ipſis, quòd Deus ex Deo & conſubſtantialis Patri natus eſt ex Virgine, eo quòd eſt in templo nato, ſed non per ſe natus eſt Deus Verbum: incarnatus verò, ſicut dicit iſte ſapiens. Si igitur cum carne eum natum eſſe dicunt; quod autem natum eſt Deus ex Deo & conſubſtantialis Patri eſt: neceſſe eſt hoc & carnem dicere. quòd ſi non idcirco caro eſt, quoniam nec Deus ex Deo, nec conſubſtantialis Patri, ſed ex ſemine Dauid, & D conſubſtantialis ei cuius ſemen eſt, & non id quod natum eſt ex Virgine Deus eſt & ex Deo & conſubſtantialis Patri: niſi fortè pars nati, prout ipſe in inferioribus partem Chriſti nominat Deitatem; ſed non diuina natura ex Virgine nata eſt: natus autem eſt ex Virgine, qui ex ſubſtantia Virginis conſtat, non Deus Verbum ex Maria natus eſt: natus eſt autem ex Maria, qui ex ſemine eſt Dauid, non Deus Verbum ex muliere natus eſt; ſed natus ex muliere, qui virtute ſancti Spiritus plaſmatus eſt in ea; non ex matre natus eſt conſubſtantialis Patri (ſine matre enim eſt, ſecundùm beati Pauli vocem) ſed qui in poſterioribus temporibus in materno ventre ſancti Spiritus virtute plaſmatus eſt, vtpote ſine Patre propter hoc dictus.] ita impius, duas in Chriſto perſonas conſtituens. tantam hanc blaſphemiam Vigilius damnans, iſta ſubdit:

VIGILII RESPONSIO.

In ſupraſcripto primo capitulo quoniam per circuitus id videtur aſtrui, quia homo purus E ex ſancta Virgine Maria natus ſit, dicendo: Si fatemur Deum Verbum, qui conſubſtantialis eſt Patri, carne ex eadem Virgine natum; neceſſe eſt, vt carnem conſubſtantialem Patri conſequenter eſſe dicamus. Ideoque quicumque huiuſmodi intellectus ſapit, docet, credit, aut prædicat, & non eumdem Verbum ac Filium Dei per ſecundam natiuitatem ex ſancta Maria incarnatum & natum credit; anathema ſit.] cùm vnà tantùm ſit dicenda perſona in duabus naturis. Rurſus impius:

THEODORI ERROR II.

Mox autem in ipſo plaſmato Deus Verbum factus eſt: nec enim in cælum aſcendenti ſolùm inerat, ſed etiam ex mortuis reſurgenti, vtpote & reſuſcitans eum ſecundùm ſuam promiſſionem: nec reſurgenti ſolùm inerat, ſed etiam crucifixo & baptizato, & Euangelicam poſt baptiſma conuerſionem peragenti, necnon etiam de baptiſmo legalem adimplenti conſtitutionem, & præſentato ſecundùm legem & circumciſo, & fœtui pannis obuoluto:

A uoluto: erat autem fortè in ipso & nascente, & cùm in vtero esset à prima statim plasmatione: dispensationi enim quæ circa eum erat, ordinem imponebat, & particulatim ipsum ad perfectionem perducens:

Et per tempus quidem ad baptisma ducens, post illud autem ad mortem, deinde secundum suam pronunciationem resuscitans, ducens in cælum, collocans eum ad dexteram Dei per suam coniunctionem; ex qua sedet & adoratur ab omnibus, & omnes iudicabit. Istorum autem omnium finem apud se habebat Deus Verbum, cùm in eo erat, & omnia per ordinem complebat: quem ordinem ipse arbitrabatur benè habere per finitionem quidem & voluntatem, quam antea statuit pro his quæ euentura erant, & bona voluntate, quam circa eum habebat, ab initio similiter inerat ei, per ordinem autem placitum ad perfectionem ducebat ipsum. THEODORI ERROR III.

B In suprascriptis secundo & tertio capitulis hoc videtur astrui, quia Deus Verbum homini plasmato inerat tamquam alter in altero. Dicendo enim, vt particulatim dispensationi, quæ circa eum erat, ordinem videretur imponere, & eum propter bonam voluntatem, quam circa ipsum habebat & parabat eum qui assumptus est ad proiectum perfectionis adducere: talibus verbis dualitas personarum in Domino vno & Deo nostro Iesu Christo execrabiliter videtur induci, & tamquam quemlibet hominem Dei Verbi gratia per spatia temporum profecisse. Ideoque quicumque eo intellectu sapit, docet, credit, aut prædicat; anathema sit.] rursum ex Theodoro: VIGILIVS PAPA.

Suam autem cooperationem ad proposita opera præstabat ei qui assumptus: vbi hoc facit in loco sensus fuisse distantem illi qui assumptus est: nec enim eis quibuscumque donauit cooperationem; sensus locum eius obtinebat: Si autem & modo præcipuam quam- CAP. IIII. HAERET.

C dam cooperationem donauit illi qui assumptus est, non hoc faciebat locum sensus Deitatem obtinere. Sed si Deitas pro sensu fiebat illi qui assumptus est, secundùm vestra verba: quomodo timorem in passione suscipiebat? quid vehementioribus orationibus ad imminentem necessitatem indigebat, quas cum magna quidem & clamorosa voce, cum plurimis etiam lacrymis secundùm beatum Paulum [a] referebat Deo, Euangelista [b] apertè dicente, quod globis sanguinis similis sudor descendebat? Quid autem Angeli aduentu & visitatione egebat animam reficientis in experimento malorum confortantis eius alacritatem, exercitantis eum ad imminentem passionis necessitatem, tolerare fortiter mala suadentis, vrgentis ad patientiam & tolerationem malorum, ostendentis præsentium malorum fructum ex passione, mutationem in gloriam bonam circa eum post passionem futuram? qui enim secundùm Euangelistæ [c] vocem confortabat eum, Angelus scilicet, verbis istis fortem [a] *Hebr. 5.* [b] *Luc. 22.* [c] *Luc. ibid.*

D eum faciebat, & infirmitati naturæ superiorem fieri hortabatur, & corroborando cogitationes eius fortem eum faciebat.

In suprascripto quarto capitulo, quia dici intelligitur, quòd sicut aliis hominibus donauit suam cooperationem Deus, ita & ei qui assumptus est, licet præcipuam, tamen similiter vt aliis hominibus dicitur esse donatam, & ita purum atque infirmum hominem circa passionem Angeli eguisse præsidio, vt ei pro corroborandis cogitationibus, eius futura gloria promitteretur de tolerantia passionis. Quæ si quis ita sapit, credit, aut prædicat; anathema sit.] Item Theodorus: VIGILIVS PAPA.

Vade post me satanas [d], scandalum mihi es, quod non sapis ea quæ Dei sunt, sed ea quæ hominum. non est confusio mihi mors, non fugio ipsam vt indecentem, ad humanam gloriam respiciens. Sustinebo autem meliori animo experimentum mortis pro plurimis bonis [d] *Matt. 16. Marc. 8.* CAP. V.

E futuris, in quibus & ipse fuero, & per omnes, ne mihi animum lædas atque turbes, tamquam confusione dignum fugere admones mortis experimentum. HAERET.

In suprascripto quinto capitulo dicitur, quod ideo Iesus Christus verba Petri Apostoli fuerat aspernatus, quando ei dixit: Vade post me satanas, scandalum mihi es, quia non sapis ea quæ Dei sunt: ne dissuasione eius animus ipsius perturbatus refugeret passionem, & quia passione sua proficeret, & pro pluribus bonis exinde adipiscendis. Qui igitur hæc ita sapit, docet, credit, aut prædicat, & non magis nobis mortem ipsius quam propria carne suscepit, æternæ credit vitæ præmia contulisse; anathema sit.] pergit hæreticus: VIGILIVS PAPA.

Quod enim dictum est [e]: Ducebatur à Spiritu: apertè hoc significat, quòd ab eo regebatur, ab eo ad virtutem propositorum confortabatur, ab eo ad hæc quæ oportebat ducebatur, ab eo quod decebat docebatur, ab eo cogitationibus corroborabatur, vt in tantum certamen sufficeret, sicut & beatus dicit Paulus [f]: Quicunque enim Spiritu Dei aguntur, hi [e] *Matt. 4.* CAP. VI. HAERET. [f] *Rom. 8.*

tur,hi ſunt filij Dei: Duci Spiritu,dicens illos, qui ab eo gubernantur,ab eo docentur,ab eo A
ad melius conſtituuntur, ab eo competentium doctrinam accipiunt. Cùm dixiſſet autem
Euangeliſta,quòd Spiritu ſancto plenus regreſſus eſt ab Iordane:apertè demonſtrauit,quod
huius cauſa ſancti Spiritus habitationem in baptiſmate ſuſcepit,vt inde propoſitam caperet
virtutem:vnde & ad certamen illud, quod pro nobis erat ad diabolum effecturus, Spiritu
ducebatur.] tantam blaſphemiam damnans Vigilius, addit:

VIGILIVS PAPA. In ſupradicto ſexto capitulo rurſus tanquam purus homo à Spiritu, cuius præſentiam
poſt baptiſma ſuſcepiſſe dicitur, ad omnia ductus perhibetur,confortatus & edoctus, ſicut
[a] *Rom.* 8. cæteri homines, de quibus (vt hîc videtur dici) Apoſtolus ait[a]: Quicunque Spiritu Dei
aguntur, hi filij Dei ſunt. Si quis hæc ita ſapit, docet, credit, aut prædicat, & non Deum
Verbum incarnatum vnum eſſe credit & confitetur & prædicat Chriſtum; anathema ſit.]
Inſaniens adhuc impius impia addens,ait:

CAP. VII. HAERET. Dicant igitur nobis omnium ſapientiſſimi, ſi pro ſenſu Domino Chriſto, qui eſt ſecun- B
dùm carnem, Deitas facta eſſet,ſicut dicunt: quid ſancti Spiritus operatione ad hæc Chri-
ſtus indigebat? Nec enim vnigeniti Deitas Spiritu indigebat ad iuſtificationem, Spiritu in-
digebat ad vincendum diabolum, Spiritu indigebat ad operanda miracula, Spiritu indige-
bat vt doceretur ea quæ decebat peragere,Spiritu indigebat vt immaculatus appareret. Si
enim pro ſenſu quidem Deitas ſufficiebat, ad omnia autem eius virtus, neceſſe erat inde
[b] *Act.* 10. omnia fieri, vt ſuperflua eſſet ſancti Spiritus habitatio: ſed nunc vnctum eſſe dicit[b] ipſum
Spiritu,& habitaſſe in eo Spiritum, & ad omnia adiuuaſſe propoſita; & doctrinam inde ip-
ſum accepiſſe & virtutem, & inde impetraſſe iuſtificationem, & inde immaculatum fa-
ctum eſſe.] contra hæc adeò enormia ita Vigilius:

VIGILIVS PAPA. In ſupraſcripto ſeptimo capitulo hoc dici intelligitur; quia vt cæteri homines ad iuſtifi- C
cationem ſuam & ad vincendum diabolum & ad operanda miracula, & vt doceretur ea
quæ decebat eum agere, & vt immaculatus appareret, habitatione ſancti Spiritus eguiſſe,&
ipſo Spiritu eum ad omnia adiutum fuiſſe propoſita. Quicunque hæc ita ſapit, docet, cre-
dit,aut prædicat,& non ſua Deitate Chriſtum,vtpote verum Deum,omnia operatum fuiſ-
ſe quæ voluit, & operari quæ volet, ſed tamquam purum hominem ſancti Spiritus eguiſſe
ſolatio; anathema ſit.] Sed rurſum inuehitur in Orthodoxos hæreticus:

CAP. VIII. HAERET. Hoc quod ante ſæcula erat, dicit in vltimis factum eſſe temporibus, vtpote quibuſdam
hoc confitentibus,cùm nemo ex his qui pietatis cauſam habent,iſtum patitur morbum ha-
bere dementiæ, vt dicat, eum qui ante ſæcula eſt, in vltimis factum eſſe; & ex his infert
quod neceſſe eſt, & hoc quod in vltimis eſt, ante ſæcula eſſe; & accuſat eos qui non omnia
execratione ſimiliter cum obſeruatione dicunt; quaſi hi qui vnũ eſſe Filium confitentur,neceſſitatem D
execratione habeant cum obſeruatione omnia dicere. Et quis non beatificat veſtram clementiam?
Quis autem non optet tales impetrare doctores, tantam confuſionem rationi pietatis in-
troducentes, vt dicerent,hoc quod ante ſæcula,factum eſt in vltimis, & hoc alienarent ſua
natura,& ad deterius deducerent;deinde obuerterent, quòd & hoc quod eſt in vltimis,an-
te ſæcula eſt; cùm oporteret fortè dicere, quia quod ante ſæcula erat, aſſumpſit hunc qui
[c] 1. *Tim.* 3. in vltimis erat, ſecundùm beati Pauli[c] vocem. Veſtras igitur leges ſequentes, & à tua ſa-
pientia conſtitutam obuerſionem, immo magis ſubuerſionem ſuſcipientes, age omnia ſi-
mul confundamus, & nulla iam ſit diſcretio nec Dei formæ, nec ſerui formæ, nec templi
ſumpti,nec eius qui in templo habitauit,nec eius qui ſolutus eſt,nec eius qui ſuſcitauit,nec
eius qui perfectus eſt in paſſionibus,nec eius qui perfecit, nec eius qui memoriam meritus
eſt,nec eius qui memor factus eſt, nec eius qui viſitatus eſt, nec eius qui viſitauit, nec eius E
qui paulo minùs ab Angelis minoratus eſt,nec eius qui minorauit,nec eius qui gloria & ho-
nore coronatus eſt,nec eius qui coronauit,nec eius qui conſtitutus eſt ſuper opera manuum
Dei, nec eius qui conſtituit, nec eius qui accepit iſta ad ſubleuationem, nec eius qui dedit
ſubleuationem.] at vno ictu iſta præcidens Vigilius ait:

VIGILIVS PAPA. In ſupradicto octauo capitulo diuerſis modis videtur induci dualitas perſonarum per
hoc quod dicitur: Non ipſe qui ante ſæcula erat, in vltimis dicendus eſt veniſſe tempori-
bus: ſed quaſi altera ſit aſſumentis humanitatem, altera aſſumpti perſona. Si quis igitur
hæc ita ſapit, docet,credit, aut prædicat, & non eumdem Deum Verbum, qui ante ſæcula
ex Patre natus eſt,in vltimis temporibus ex beata Virgine Maria incarnatum & natum eſ-
ſe fatetur, vt vnus idemque ſit Chriſtus in vtraque natura; anathema ſit.] Delirans adhuc
ſtultus ſtulta hæc addit:

Iſtum

A Istum igitur virum, in quo statuit omnium facere iudicium ad fidem futurorum, cùm resuscitasset eum ex mortuis, & Iudicem omnium demonstrasset secundùm B. Pauli[a] vocem, meriti vnitate ad se ipsum dignatus est: & per coniunctionem ad se factam, talium participem fecit, vt & adorationis communionem haberet, omnibus quidem diuinæ naturæ debitam adorationem reddentibus, comprehendentibus autem adoratione & illum, quem inseparabiliter scit esse coniunctum. Ex quo manifestum est, quòd ad maiora eum perduxerit. CAP. IX. HABRET. [a] *Act.* 10.

In suprascripto nono capitulo coniunctionis & participationis cuiusdam vocabulo, quasi Dei ad hominem Christum factæ, diuinis Christus asseritur operibus decorari; per quæ rursus dualitas inducitur personarum. Si quis igitur ita sapit, docet, credit, aut prædicat, & non vnum eumdemque Christum Deum ac Dominum nostrum, manentibus in suis B proprietatibus differentiis naturarum, agnoscit & credit: anathema sit.] Item hæreticus: VIGILIVS PAPA.

Ego quidem, quem videtis, nihil quidem facere possum secundùm meam naturam, cùm homo sim: operor autem, quia in me manens[b] Pater, omnia facit: quoniam enim & ego in Patre, & Pater in me, Deus autem Verbum vnigenitus in me est: certum est quòd & Pater cum ipso in me manet, & opera facit. Et non est mirandum de Christo hæc existimari, cùm euidenter ipse de cæteris hominibus dicat[c]: Qui diligit me, verbum meum obseruabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus. Si enim apud vnumquemque huiusmodi hominem & Pater & Filius mansionem faciunt: quid existimandum est, vt in Domino secundùm carnem Christi ambo simul putarentur manere, communionem eorum secundùm substantiam, communionem etiam mansionis forsitan suscipientem?] damnat ista Vigilius, dicens: CAP. X. HABRET. [b] *Ioan.* 14. [c] *Ioan.* 14.

C In suprascripto decimo capitulo ita in homine Christo Deus Verbum inesse dicitur, sicut Pater: vt per hoc aut & Pater incarnatus esse videatur, sicut & Filius: aut nec Filius sit incarnatus, sicut nec Pater, aut magis vterque in tertia persona hominis habitare. Qui igitur ita sapit hæc, docet, credit, aut prædicat; anathema sit.] Rursum hæreticus: VIGILIVS PAPA.

Ita & animam, vtpote humanam & immortalem constitutam, & sensus participem prius accipiens, & per resurrectionem & immutabilitatem constituens, sic & nobis eorumdem istorum per resurrectionem præbuit communionem. Ideo autem ante resurrectionem ex mortuis increpat quidem Petrum, vt suis eum vocibus scandalizantem; & in magna trepidatione per tempus passionis constitutus, apparitione Angeli indiget confortantis eum ad patientiam & tolerantiam imminentium malorum. Post resurrectionem autem ex mortuis & in cælos ascensum impassibilis factus, & immutabilis omnino, & ad D dexteram Dei sedens, Iudex vniuersi est orbis terrarum, vtpote in eo diuina natura faciente iudicium.] contra hæc Vigilius: CAP. XI. HAERET.

In suprascripto vndecimo capitulo eadem repeti videntur, quæ superiùs in quarto iam dicta sunt, quòd ante passionem ita infirmus fuerit Christus, vt in magna trepidatione passionis tempore constitutus, Angeli videretur eguisse solatio. Quod quia velut purum hominem, qui huiusmodi auxiliis egeat, significare videtur: Si quis ita sapit, docet, credit, aut prædicat; anathema sit.] Vrget adhuc hæreticus, dicens: VIGILIVS PAPA.

Sic igitur & hîc sapientissimum omnium habere nos doces Christi sensum, vt sanctum Spiritum habentem illum, qui sensui Christi aliquam virtutem adimplebat, prudentiam eius præstans ad omnia quæ agenda erant: sicut & in præcedentibus demonstrauimus, quod ab ipso quidem in eremum ad certamina, quæ contra diabolum erant, ducebatur; E vnctionem autem illius & scientiam, & vim eorum quæ agenda erant, accipiebat; & illius particeps factus, non solùm miracula faciebat, sed etiam quomodo vti oportebat miraculis, sciebat subtiliter, vt notam quidem faceret gentibus pietatem, pateretur autem laborantium infirmitates, & sic ad effectum suam voluntatem duceret, & iustificabatur inde, & immaculatus ostendebatur, siue reparatione peiorum, siue custodia meliorum, siue etiam paulatim ad meliora profectibus.] insectatur ista Vigilius, addens: CAP. XII. HABRET.

In suprascripto duodecimo capitulo eadem quæ in septimo capitulo videntur exponi, asserendo Dominum nostrum Iesum Christum per habitationem sancti Spiritus ad omnia informatum, & per tempora ad perfectionem vnctionis eius auxilio peruenisse. Si quis igitur eum non sua Deitate perfectum esse credens, sed tamquam purum hominem vnctione sancti Spiritus indigentem fuisse adiutum sapit, docet, credit, aut prædicat; anathema sit.] Addit idem hæreticus: VIGILIVS PAPA.

CAP. XIII. HAERET.

Quomodo igitur sequentiam habet, eo quòd homo factus est Deus, istum hominem Deum Verbum esse dicere? Si enim homo est Deus Verbum, vt ipse dicis: omnimodè de homine dicemus ea quæ de Deo Verbo Euangelista[a] dicit. Quid autem dicit? In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, iste erat in principio apud Deum: omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil quod factum est. Ergo si homo est Deus Verbum, dicemus de ipso: In principio erat homo, & homo erat apud Deum, & Deus erat homo, erat homo in principio apud Deum: omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil quod factum est. Si enim homo est Deus Verbum, sicut dicis, conuenient omnia ipsi, quæ de Deo Verbo dicit Euangelista. A

[a] *Ioan.* 1.

VIGILIVS PAPA.

In suprascripto decimotertio capitulo negari videtur Deum Verbum hominem factum, & rursus hominem Verbum Deum esse, vt per hoc inducatur (sicut superiùs dictum est) dualitas personarum. Si quis igitur ita sapit, docet, credit, aut prædicat; & non potiùs manente in Domino Deo nostro Iesu Christo inconuertibiliter atque indiuisè differentia naturarum, sic vna persona, siue subsistentia eius esse creditur, vt & Deus Verbum sine vlla diuinæ naturæ suæ conuertibilitate homo esse, & assumpta humanitas propter singularitatem personæ inconuertibiliter Deus esse credatur: anathema sit.] addit Theodorus: B

CAP. XIV. HAERET.

Hoc quidem quid est: Ad Patrem meum & Patrem vestrum, & Deum meum & Deum vestrum? Nemo sic demens est, vt alij cuidam conuenire diceret, nisi templo Dei Verbi assumpto pro nostra salute homini, qui est mortuus, & resurrexit, & ascensurus esset in cælos. Et patrem sibi ascribit cum discipulis suis Deum, & ipse gratia adoptionem meritus: & Deum suum appellat, quia cum cæteris hominibus similiter vt esset accepit. Vnde propter communitatem quidem naturæ, Patrem meum & Patrem vestrum dicit, Deum meum & Deum vestrum. Diuisit autem iterum suam personam ipsis principium gratiæ significans, propter quam ad Deum Verbum coniunctione in loco veri Filij ab omnibus honoratur hominibus. C

VIGILIVS PAPA.

[b] *Ioan.* 20.

In suprascripto quartodecimo capitulo per hoc quod legitur in Euangelio[b]: Ascendo ad Patrem meum & Patrem vestrum, Deum meum & Deum vestrum: ita intelligitur, quòd Iesus Christus Dominus & Deus noster, sicut cæteri homines, gratiam adoptionis, vt Filius Dei diceretur, acceperit, & quasi per coniunctionem ad Deum Verbum in locum veri Filij ab omnibus adoretur. Quòd si quis ita sapit, docet, credit, aut prædicat; & non magis vnum Iesum Christum Filium Dei & Dominum nostrum in duabus inconfusis & inseparabilibus intelligit & credit esse naturis: anathema sit.] Item hæreticus:

CAP. XV. HAERET.

[c] *Act.* 1.

Hic quod dictum est, Accipite, pro Accipietis, dicit. Si enim cùm insufflasset, Spiritum dedisset (quod valde quidem stultè existimauerunt) superfluum erat dicere postea his, & maximè tempore ascensus in cælos[c], non separari ab Hierusalem, sed expectarent promissionem Spiritus. & in sequentibus: Sed accipietis virtutem, superueniente Spiritu sancto in vos. Aduentum autem ipsum sancti Spiritus super discipulos Lucas factum esse dicit quinquagesimo die resurrectionis, post ascensum. Et illud tamen animaduertendum est, quòd si ab insufflato suscepissent Spiritum, non diceret, Accipite, sed, Quoniam accepistis. hoc enim quod dictum est, Accipite, his conuenit, qui nondum acceperunt. D

VIGILIVS PAPA.

[d] *Ioan.* 20.

In suprascripto decimoquinto capitulo dicitur, quia insufflans Dominus noster Iesus Christus[d] post resurrectionem suam in facies discipulorum suorum non dederit eis Spiritum sanctum, sed dandum significauerit: vt per hoc aut veritas ipsa (quod absit) putetur esse mentita; aut tamquam purum hominem illo flato non habuisse quod daret, aut dare minimè potuisse. Si quis igitur hæc ita sapit, docet, aut prædicat; anathema sit.] pergit impius: E

CAP. XVI. HAERET.

Dicit ad Thomam: Infer digitum tuum huc, & vide manus meas; & porrige manum tuam, & mitte in latus meum, & noli esse incredulus, sed fidelis. Quoniam, dicit, non credis, & tactum solum sufficere tibi ad credendum putas (hæc enim dicens non me latuisti) tange manu, & cape experimentum, & disce credere, & non diffidere. Thomas quidem cùm sic credidisset: Dominus meus & Deus meus, dicit: Non ipsum Dominum & Deum dicens: Non enim resurrectionis scientia docebat etiam Deum esse eum qui resurrexit: sed quasi pro miraculo facto Deum collaudat.

VIGILIVS PAPA.

[e] *Ioan.* 20.

In suprascripto decimosexto capitulo de illo loco Euangelij[e], vbi Thomas Apostolus palpans fixuras clauorum dixit: Dominus meus & Deus meus: asseritur quòd Thomas Apostolus non ipsum Iesum Christum Dominum Deumque confessus sit, & quia resurrectionis

A ctionis scientiam non doceret, vel quia Deus esset qui resurrexit, sed quia magis pro miraculo facto Thomas Apostolus Deum laudauerit. Si quis igitur hæc ita sapit, docet, credit, aut prædicat, & non potiùs Thomæ confessione & verum Deum esse Iesum Christum,& in vera carne eum resurrexisse declaratum credit; anathema sit.] Rursum Theodorus:

Ille autem dixit [a] oportere pœnitentiam agere eos pro crucis iniquitate, & agnoscentes Saluatorem & auctorem bonorum omnium Iesum Christum,quoniam propter ista peruenit & assumptus est, de diuina natura in ipsum fidem suscipere,& eius discipulos fieri, ante omnia autem ad baptisma accedentes, quod ipse tradidit nobis præformationem quidem habens sperationis futurorum, in nomine autem celebrandum Patris & Filij & Spiritus sancti. hoc enim quod est vt baptizetur vnusquisque in nomine Iesu Christi: non hoc dicit, vt vocationem quæ in nomine Patris & Filij, & Spiritus sancti est, relinquentes, Iesum
B Christum in baptismate vocent. sed quale hoc est quod in Moyse baptizati sunt in nube & in mari, vt diceret, quia sub nube & mari Ægyptiorum separati sunt, liberati eorum seruitute,vt Moysis leges attenderent: tale hoc est, vt cùm ad ipsum accessissent tamquam Saluatorem & omnium bonorum auctorem & doctorem veritatis,ab ipso vtpote auctore bonorum & doctore veritatis vocarentur,sicut omnibus hominibus quamcumque sectam sequentibus consuetudo est ab ipso dogmatis inuentore vocari, vt Platonici, Epicurei, Manichæi, & Marcionistæ, & quidam tales dicuntur: eodem enim modo & nos nominari Christianos iudicauerunt Apostoli, tamquam per hoc certum facientes,quòd istius doctrinam oportet attendere: sic & quod ab ipso datum est, susciperent baptisma in ipso quidem primò constitutum, qui & primus baptizatus est, ab ipso autem & cæteris traditum, vt secundùm præformationem futurorum celebretur.

CAP. XVII. HAERET. [a] *Act.* 2.

C In supradicto decimoseptimo capitulo ex verbis beati Petri, quibus in Actis Apostolorum dicit [b], Baptizetur vnusquisque vestrum in nomine Iesu Christi, hoc astruitur: quia in ea inuocatione, quæ in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti fit, non contineatur & Christus: & quod dixit Petrus Apostolus, debere eos in Christi nomine baptizari, vt secundùm hunc intellectum appareat introducta quaternitas. Adiicitur etiam in eodem capitulo, quia sic à Christo Christiani vocemur, quemadmodum diuersarum sectarum & errorum sequaces ab inuentoribus & magistris suis sunt sortiti vocabula, vt à Platone Platonici, à Marcione Marcionistæ, & à Manichæo * Manichæi. Si quis hæc ita sapit, docet, credit, aut prædicat; anathema sit. Nos enim ideo Christiani vocamur & sumus, quia ipsum Dominum nostrum Iesum Christum in baptisma percipientes induimus,ipso nobis existente capite,omnes in eodem vnum corpus efficimur.] his annectitur sequens blasphe-
D mia decimaoctaua:

VIGILIVS PAPA. [b] *Actor.* 2.

* Manete

Et secundùm duas rationes locum imaginis obtinet: qui enim amant quosdam, post mortem eorum sæpiùs imagines statuentes, hoc sufficiens mortis solatium habere arbitrantur; & eum qui non videtur, nec præsens est, tamquam in imagine aspicientes, putant videre, ita flammam desiderij & vigorem placantes: sed etiam illi qui per ciuitates habent Imperatorum imagines, tamquam præsentes & videntes honorare videntur eos qui non sunt præsentes, cultu & adoratione imaginum. Ista autem vtraque per illum adimplentur: omnes enim qui cum illo sunt & virtutem sequuntur, & debitorum Dei parati redditores, diligunt eum & valde honorant, & charitate quidem ei,diuina natura licet non aspiciatur, adimplent in illo qui ab omnibus videtur, sic omnibus existimantibus, vt ipsum videntibus per illum, & illi semper præsentibus, & honorem verò omnem sic attribuunt tam-
E quam imagini imperiali,cùm quasi in ipso sit diuina natura, & in ipso spectetur. Si enim & Filius est qui inhabitare dicitur, sed cum eo est etiam Pater & inseparabiliter omnimodò ad Filium esse ab omni creditur creatura, & Spiritus autem non abest, vtpote etiam in loco vnctionis factus ei, & cum eo est semper qui assumptus est: & non mirandum est, cùm etiam quibuslibet hominibus virtutem sequentibus cum Filio & Patre esse dicitur: Veniemus [c] enim & ego & Pater, & mansionem apud eum faciemus. quòd autem & Spiritus huiusmodi hominum inseparabilis est, certum est omnibus.

CAP. XVIII. HAERET. [c] *Ioan.* 14.

In suprascripto decimooctauo capitulo ita inuisibilis Dei imago asseritur esse Christus, tamquam si absentium Principum imagines pro eorum colantur honoribus. Quæ si quis ita sapit, docet, credit, aut prædicat; anathema sit.] addit hæreticus:

VIGILIVS PAPA.

Hoc enim, quod, Hic [d] Filius meus dilectus in quo mihi complacui, in baptismate adoptionem demonstrat, sed non comparationem Iudaicæ adoptionis: quia & ad illos di-

CAP. XIX. HAERET. [d] *Matth.* 3.

[a] *Psal.* 81. [b] *Isaiæ* 2. ctum erat: Ego [a] dixi, Dij estis & filij Excelsi omnes: &, Filios [b] genui & exaltaui. eius adoptionis præcipuum, eo quòd dixit, Dilectus, & in eo mihi complacui: ostendens propter hoc, & vox Patris fiebat adoptionem confirmans, & Filij nominationem per adoptionem secundùm gratiam, eum qui verè filius est demonstrabat, cuius coniunctio ad veram & firmam adoptionem istum constituebat, & Spiritus sanctus in specie columbæ descendens permansit super eum, quatenus in coniunctione ad eum qui verè Filius est, ea cooperatione tentus maneat, firmam adoptionis habens dignitatem. Per omnia autem in quo primo adoptionis præformabatur baptisma, dico autem Domini Christi ex Patre & Filio & Spiritu sancto, hoc quod fiebat complebatur. A

[c] *Luc.* 3. VIGILIVS PAPA. In suprascripto decimonono capitulo, vbi Euangelium secundùm Lucam [c] de baptismo Christi videtur exponi, duæ sunt reprehensiones: vna, qua dualitas inducitur Filiorum, cùm per adoptionem videtur dici Christus Filius Dei: alia, quia in nomine Trinitatis ipse quoque asseritur baptizatus, per quod quaternitas sine dubitatione monstratur. Si quis igitur hæc ita sapit, docet, credit, aut prædicat; anathema sit.] pergit blasphemus Theodorus: B

CAP. XX. HAERET. Ideo ergo differentiam quidem Dei Verbi & recepti hominis tantùm nobis ostendit Psalmus: diuisa verò hæc in nouo Testamento reperiuntur, Domino quidem in se accipiente primordia Psalmi, in quibus factorem eum dicit esse creaturæ, & eleuatam habere super cælos magnificentiam, & mirificari in omni terra. Apostolo autem supradicta quæ de homine dicuntur, qui tantum beneficiorum meruit, quomodo non manifestum, quod alterum quidem nos diuina Scriptura docet euidenter esse Deum Verbum, alterum verò hominem, & multam eorum esse ostendit nobis differentiam: nam iste quidem memorat, ille autem memoriam meretur: & iste quidem visitat, alter autem cùm visitationem meretur, beatus dicitur: & iste quidem beneficium dando minuit paulo minùs ab Angelis, ille autem & per talem minutionem beneficium accepit: & iste quidem gloria & honore coronat, alter autem coronatur, & pro his beatus dicitur: & iste quidem constituit ipsum super omnia opera manuum eius, & omnia subiecit sub pedibus eius; alter autem meritus est dominari eis, quorum antea non habebat potestatem. C

VIGILIVS PAPA. In suprascripto vigesimo capitulo, vbi octauus Psalmus videtur exponi, & nudus homo (sicut & in aliis iam dictum est) Christus asseritur, & diuisus à Verbo monstratur, & dualitas inducitur personarum. Quæ si quis ita sapit, docet, credit, aut prædicat, & non ita in Christo Domino duas naturas indiuisibiliter & inconfusè vnitas intelligat, vt manente earumdem differentia naturarum, ipse vnus atque idem verus sit Dei, & verus hominis Filius; anathema sit.] sequuntur alia capitula hæretici: D

CAP. XXI. HAERET. Sed non volentes ista considerare, voces omnes trahere ad Dominum tentarent Christum, vt ea quæ de populo facta sunt simili modo intelligerent, & risum præstarent Iudæis, quando ex scriptorum sequentia nihil ad Dominũ Christum pertinentes ostendant voces.

CAP. XXII. HAERET. Tale est & quòd non derelicta est anima eius in inferno, nec caro eius vidit corruptionem: Nam Propheta quidem supra modum ipsam ponit circa populum prouidentiam, volens dicere: quoniam inter tentabiles * eos ab omnibus conseruauit malis. Quoniam autem hoc verum & ex ipsis rebus euentum accepit in Domino Christo, frequentissimè de eo loquens beatus Petrus, vtitur voce; ostendens, quoniam quod de populo supra modum dictum est, ex quadam ratione vtente voce Propheta, hoc verum euentum in ipsis rebus accepit nunc in Domino Christo.

VIGILIVS PAPA. [d] *Psal.* 15. [e] *Actor.* 2. In suprascriptis vigesimoprimo & vigesimosecundo capitulis hoc videtur dici, quòd prophetiam, quæ ex persona Christi loquens ait [d]: Non derelinques animam meam in infernum, nec dabis sanctum tuum videre corruptionem: non de ipso Christo prædictam fuisse, sed de populo Israeliticæ generationis: beatum verò Petrum Apostolum [e] ad Christum hanc prophetiam per euentum aptare voluisse. Et ideo qui hæc ita sapit, docet, credit, aut prædicat; anathema sit.] Rursum Theodorus: E

[f] *Psal.* 21. CAP XXIII. HAERET. [g] *Matt.* 27. *Marc.* 15. [h] *Matt.* 27. *Ioan.* 9. Eumdem intellectum habet & illud [f]: Diuiserunt sibi vestimenta mea, & super vestimentum meum miserunt sortem. quòd etenim Psalmus nullatenus conuenit Domino, certum est: neque enim erat Domini Christi, qui peccatum non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius, dicere: Longè à salute mea verba delictorum meorum. Sed & ipse Dominus, cùm secundùm communem hominum legem in passione opprimeretur [g]: Deus meus, Deus meus, quare me dereliquisti? misit vocem. & Apostoli [h]: Diuiserunt sibi vestimenta, & super ve-

A per vestimentum meum miserunt sortem, ad eum traxerunt manifestè: quoniam quod supra modum dictum fuerat priùs à Dauid, propter illata ei mala, hoc ex operibus euenit in Domino Christo, cuius & vestimenta diuiserunt, & sorti tum ea subiecerunt.

In suprascripto vigesimotertio capitulo exponendo quædam vigesimiprimi Psalmi verba, quibus dicitur, Diuiserunt sibi vestimenta mea, & super vestem meam miserunt sortem, negantur Iesu Christo Domino conuenire; sed quòd Dauid propter quædam mala quæ perpessus est, de se dixerit, Euangelistam ex euentu ad Christum traxisse. & adiicitur: Quia non poterat dicere Dominus Iesus, qui peccatum non fecit: Longè à salute mea verba delictorum meorum. Et ideo qui hæc sapit, docet, credit, aut prædicat; & non ea, in quibus delictorum meminit, ad corpus ipsius, quod est Ecclesia, quæ in hoc mundo sine delicto esse non potest, intelligit pertinere: illa autem de diuisione vestimentorum non
B specialiter de ipso capite, id est, Domino Deo nostro Iesu Christo prædicta, & in ipso credit esse completa: anathema sit.] Post hac Theodorus: VIGILIVS PAPA.

Foderunt[a] manus meas & pedes, & omnia perscrutabantur & quæ agebam, & quæ conabar. Nam foderunt, ex translatione dicit eorum, qui per fossionem scrutari quæ in profundo sunt tentant. Dinumerauerunt omnia ossa mea: totius meæ fortitudinis & totius meæ substantiæ detentores facti sunt, vt etiam numero mea subiicerent. Istud autem ex consuetudine, quam habent hostes, dixit: qui quando obtinuerint, numero & talibus subtilem notitiam inuentorum faciunt: propterea & sequenter dicens: Ipsi verò considerauerunt, & conspexerunt me. Intulit: Diuiserunt sibi vestimenta mea, & super vestimentum meum miserunt sortem. Considerantes enim me, ait, & conspicientes, quòd omnia eis euenerunt in me desiderata (conspicere enim ita vt apud nos dicitur pro eo quod est vidit) in
C eum, quæ volebat pati eum *; iam tamquam me omnino malis dedito, sicut hostes in ea post vastationem & captiuitatem diuiserunt sorte diuisionem eorum facultates. Et Euangelista[b] quidem in Domino verba ex rebus assumens, eis vsus est, sicut & in aliis diximus. Nam quod non pertineat ad Dominum Psalmus, in superioribus euidenter ostendimus. At verò beatus Dauid supra modum ista magis in his, quæ ab Absalon facta sunt, dixit: quoniam dum recessisset Dauid, iure belli metropolim ingressus, omnes quidem obtinuit res regales, non piguit autem patris cubile inquinare. [a] Psalm. 41. CAP. XXIV. HAERET. * [b] Matt. 27. Ioan. 19.

In suprascripto vigesimoquarto capitulo de memorato eodem vigesimoprimo Psalmo illa verba vbi dicit: Foderunt manus meas & pedes meos, dinumerauerunt omnia ossa mea: ipsi verò considerauerunt & inspexerunt in me: asseritur non de Christo esse prædicta, sed Dauid hoc de se dixisse propter tyrannidem Absalom, qui regiam vrbem substan-
D tiamque peruaserat, atque in terra omnia dinumerauerat patris: sed Euangelistam hæc ex euentu ad Christi traxisse personam. Qui igitur hæc ita credit, sapit, docet, aut prædicat; anathema sit.] Rursum ex impio Theodoro: VIGILIVS PAPA.

Quoniam cibi & potus suaues quidem fiunt in tempore gaudij, insuauia autem & amara in tristitia: talia erant (inquit) quæ ab illis fiebant, vt ex tristitia & ira esset quidem mihi in locum fellis cibus, esset autem & potio aceto nihil differens. maximè autem hoc fit in iracundiis, quæ cum tribulatione fiunt, quod verisimile erat pati eos contra suos. Vsus est autem Euangelista hoc testimonio in Domino. Et ipse autem Dominus: Zelus domus tuæ comedit me, de se ipso dicens. Et beatus Paulus de Iudæis loquens: Fiat mensa eorum, &c. Et beatus Petrus de Iuda[c]: Fiat habitatio eius deserta. Et certè diuersis constitutis rebus, non quasi Psalmo modò pro his dicto, iterum autem de illo, & iterum de alio. Sed quia
E de Iudæis dicta sunt plura, qui separauerunt de Deo & lege conuincentia illorum deuotionem: necessarius est testimoniorum vsus simul ex rebus captus, qualis est: Dederunt in escam meam fel, & in siti mea potauerunt me aceto. CAP. XXV. HAERET. [c] Act. 1.

In suprascripto vigesimoquinto capitulo de eo loco Psalmi, vbi dicit: Dederunt in escam meam fel, & in siti mea potauerunt me aceto: contra euidentem Euangelij veritatem exponitur, dicendo: quia nec vero aceto potatus est Dominus, sed ad tristitiam & iracundiam offerentium habuerit potationem in aceti loco, & escam in fellis; nec de ipso prædictum, sed Euangelistam hoc testimonio vsum fuisse ex euentu in Domino. Propterea qui hæc ita sapit, docet, credit, aut prædicat; anathema sit.] Sequitur alia blasphemia: VIGILIVS PAPA.

Sicut igitur per huiusmodi confessionem non Deitatis Nathanael habens scientiam ostenditur, Iudæi & Samaritæ talia sperantes plurimum Dei Verbi à scientia longè erant, sic & Martha per confessionem illam non Deitatis habens tunc scientiam probatur: manifestè CAP. XXVI. HAERET.

festò autem nec beatus Petrus : adhuc etenim ipsis sufficiebat tunc reuelationem illam sus- A
cipientibus præcipuum aliquid & maius de ipso præter cæteros hominum phantasia accipere. post resurrectionem autem Spiritu perducti ad scientiam, tunc & reuelationis perfectam scientiam susciebant, vt scirent quia præcipuum ipsi præter cæteros homines, non aliquo puro honore ex Deo peruenit, sicut in cæteris hominibus, sed per vnitatem ad Deum Verbum, per quam omnis honoris ei particeps est post in cælos ascensum.

VIGILIVS PAPA. In suprascripto vigesimosexto capitulo & agnitionem Deitatis Christi ante resurrectionem eius Petrus habuisse negatur, phantasiam verò intelligentiæ præ cæteris hominibus accepisse dicitur : & rursus dualitas filiorum inducitur, dum hominem participem dicit ad Deum Verbum, postquam in cælos ascendit. Qui ergo ita sapit, docet, credit, aut prædicat, & non vnum eumdemque esse intelligit Christum & Dominum nostrum Dei & hominis Filium, manente in ipso vnitarum differentia naturarum; anathema sit.] Sed pergit B
blasphemus hæreticus:

CAP. XXVII. HABET. [a] *Matt.* 4. Matthæus quidem Euangelista[a] post tentationes dicit, quòd accedentes Angeli ministrabant ei, scilicet cum eo constituti cooperantes, & omnibus circa eum Deo ministrantes, quòd iam per certamina ad diabolum ostensus est clarior : sed & quòd passuro ei aderant Angeli, ex Euangeliis[b] discimus. Et cùm resurrexit, in monumento visi sunt[c]: per omnia enim ista monstratur dignitas Christi, quòd inseparatè ei Angeli aderant, & omnibus circa eum ministrabant: sicut enim à peccantibus separantur, sic & per meritum honoratis subueniunt. Propter quod bene Dominus ait[d]: Quod maius videbitis, quod & cælum aperietur omnibus per me, & omnes Angeli semper mecum erunt, nunc quidem ascendentes, nunc verò descendentes, sicut ad domesticum Dei & amicum.

[b] *Luc.* 22.
[c] *Matt.* 28. *Marc.* 16. *Luc.* 24. *Ioan.* 20.
[d] *Ioan.* 1.

VIGILIVS PAPA. In suprascripto vigesimoseptimo capitulo, vbi de Matthæo Euangelista exponitur, quia C
consummatis tentationibus accesserunt Angeli, vt ministrarent Christo, dicitur : quia sicut & alij per meritum honorato Christo subuenerint Angeli; & quia sic ad Christum in cælos ascenderint & descenderint Angeli, tanquam ad amicum & domesticum Dei. Qui ergo hæc ita sapit, docet, credit, aut prædicat, & non vt vero Deo, veri Dei Filio vni eidemque cum assumpta ex vtero Virginis perfecta humanitate, Angeli vtpote Creatori & Domino deseruierint atque deseruiant; anathema sit.] Sequitur hæreticus:

CAP. XXVIII. HABET. Plus inquietabatur Dominus & certamen habebat ad animæ passiones, quàm corporis, & meliore animo libidines vincebat, mediante ei Deitate ad perfectionem; vnde & Dominus ad hæc maximè instituens videtur certamen : cupiditate enim pecuniarum non deceptus, & gloriæ desiderio non tentus, carni quidem præbuit nihil, nec enim illius erat talibus vinci: animam autem si non recepisset, sed Deitas est qui ea vinceret, nullatenus eorum D
quæ facta sunt, ad nos respicit lucrum: quæ enim ad conuersationis perfectionem similitudo Deitatis, & animæ humanæ? Etiam videntur Domini certamina non ad nos respiciens habere lucrum, sed ostentationis cuiusdam gratia fuisse. quòd si hoc dicere non est possibile (certum etenim est, quòd illa propter nos facta sunt, & maius certamen instituit ad animæ passiones, minus autem ad carnis) quanto & ampliùs & magis inquietare illos contingebat, & magis illa erant, quæ & ampliori indigebant medicina, videlicet, quòd & carnem & animam assumens pro vtraque certabat, mortificans quidem in carne peccatum, & mansuetans eius libidines, & facilè capiendas meliori ratione animæ faciens, erudiens autem animam & exercitans & suas passiones vincere, & carnis refrenare libidines. hæc autem Deitas inhabitans operabatur, hæc inhabitans medebatur vtrique eorum.

VIGILIVS PAPA. In suprascripto vigesimooctauo capitulo iterum purus homo Christus inducitur, qui ra- E
tione animæ, corporis dicitur mansuetas fecisse libidines, & erudisse animam, & exercitasse eam, vt passiones suas vinceret, & carnis in se libidines refrenaret : quæ tamen vtraque, mediante Deitate, operatam fuisse dicit animam : vt secundùm hæc iam nec ipsum vnum eumdemque Iesum Christum mediatorem Dei & hominum habeamus, sed carni & animæ mediatrix Deitas fuisse videatur. Qui igitur hæc ita sapit, docet, credit, aut prædicat; anathema sit.] his adiungitur vigesimumnonum capitulum Theodori :

CAP. XXIX. HABET. Sed si caro erat (inquit) crucifixa, quomodo Sol radios auertit, & tenebræ occupauerunt terram omnem & terræmotus, & petræ dirumpebantur, & mortui surrexerunt? Quid igitur dicant & de tenebris in Ægypto factis temporibus Moysis non per tres horas, sed per tres dies? quid autem propter alia per Moysen facta miracula? & quæ per Iesum Naue, qui Solem stare fecit: qui Sol & in temporibus Ezechiæ Regis & contra naturam

A turam retrouersus est? & de Elisæi reliquiis, quæ mortuum suscitarunt? Si enim Verbum Deum passum demonstrant quæ in cruce facta sunt, & propter hominem non concedunt facta esse; & quæ in temporibus Moysis, propter genus Abraham non erant, & quæ in temporibus Iesu Naue, & quæ in Ezechiæ Regis. quòd si illa propter Iudæorum populum mirabiliter facta sunt: quomodo non magis quæ in cruce facta sunt propter Dei Verbi templum?

In suprascripto vigesimonono capitulo, dum quasi Apollinari, qui diuinam naturam passionibus implicabat, contradicitur, à recto tramite declinatur, & modus assertionis exceditur, vt purus homo pependisse putetur in cruce. Et ideo qui hoc ita sapit, docet, credit, aut prædicat, & non Christum Deum verum credens, manente impassibili Deitate, eumdem carne propria passum esse confitetur; anathema sit.] pergit hæreticus: VIGILIVS PAPA.

B Manifestum est autem quòd vnitas conuenit: per eam enim collectæ naturæ vnam personam secundùm vnitatem effecerunt. Sicut enim de viro & muliere dicitur [a], quòd iam non sunt duo, sed vna caro: dicamus & nos rationabiliter secundùm vnitatis rationem, quoniam non sunt duæ personæ, sed vna, scilicet naturis discretis. sicut enim ibi non nocet numero duorum vnam dici carnem (certum est enim secundum quod vna dicitur) ita & hîc non nocet naturarum differentiæ personæ vnitas. Quando etiam & naturas discernimus, perfectam naturam Dei Verbi dicimus, & perfectam personam: nec enim sine persona est, subsistentiam dicere perfectam, perfectam autem & hominis naturam & personam similiter: quando autem ad coniunctionem respiciamus, vnam personam tunc dicimus. CAP. XXX. HAERET. [a] *Matt.* 19. *Marc.* 10.

In suprascripto trigesimo capitulo pessimo exemplo tentatur ostendi, quomodo vna persona Christi possit intelligi, id est, sicut de viro & de muliere conuenientibus legitur, sic & C in Christo discretis naturis quasi vnam esse personam: & sequitur perfectam esse naturam Dei Verbi, & perfectam personam, & perfectam hominis naturam atque personam similiter: vnde apparet quia & de exemplo viri ac mulieris, vbi duæ personæ sunt, & de his quæ sequuntur, tametsi tacetur numerus, duæ autem inducuntur vnius Christi personæ. Quod qui ita sapit, docet, credit, aut prædicat; anathema sit.] prosequitur impius: VIGILIVS PAPA.

Sed Christum quidem secundùm carnem assumptam serui formam, eum autem qui eam assumpsit super omnia nominans Deum, intulit tamen hoc secundùm coniunctionem; vt per significationem nominum, naturarum manifestam diuisionem faciat. Nemo igitur, neque eum qui secundùm carnem ex Iudæis est, dicat Deum, nec iterum Deum qui est super omnia secundùm carnem ex Iudæis. CAP. XXXI. HAERET.

In suprascripto trigesimoprimo capitulo, in expositione quæ de Symbolo trecentorum D decem & octo Patrum facta videtur, non solùm diuisio naturarum asseritur, sed & absolutè dicendo, neque eum qui secundùm carnem ex Iudæis nudus Deitate homo, & purus sine carne Deus, quasi seorsum & seorsum duæ pronunciantur esse personæ. Si quis ergo hæc ita sapit, docet, credit, aut prædicat, & non sic in vno Christo vnitas confitetur esse naturas, vt personæ siue subsistentiæ singularitas agnoscatur; anathema sit.] adhuc Theodorus: VIGILIVS PAPA.

Iesum enim dicit à Nazareth, quem vnxit Deus Spiritu sancto & virtute: qui autem Dei Spiritu vnctus est, omnino aliquid inde assumpsit. Quis autem furens dicat de Spiritu aliquid assumpsisse diuinam naturam? necnon & participem: participes enim eius videlicet vocat qui & ipsi vncti sunt: qui autem vncti sunt, & in hoc participes eius iustè facti, non aliter vnctiones communicare dicuntur, nisi ei qui assumptus est: hoc ipsum autem demonstratur, quòd mercedem iustam accepit: Pro hoc enim (inquit) quòd [b] dilexisti iustitiam & E odisti iniquitatem, pro his præcipuam vnctionem meruisti. CAP. XXXII. HAERET. [b] *Psalm.* 44.

In suprascripto trigesimosecundo capitulo in commento epistolæ ad Hebræos adhibetur illud Petri, vbi dixit [c]: Iesum à Nazareth, quem vnxit Deus Spiritu sancto & virtute. & infertur: Qui autem Dei Spiritu vnctus est, omnimodè aliquid inde assumpsit. & additur: Quis autem furens dicat de Spiritu aliquid assumpsisse diuinam naturam? per quæ verba purus homo Christus inducitur, qui vnctione Spiritus sancti particeps factus sit diuinæ naturæ, sicut & alij: & mercedis iustæ nomine, quia dilexerit iustitiam & oderit iniquitatem, præcipuam meruerit vnctionem. Qui ergo ita sapit, docet, credit, aut prædicat; anathema sit.] pergit veternosus hæreticus: VIGILIVS PAPA. [c] *Act.* 10.

Rabbi, tu es Filius Dei, tu es Rex Israel: hoc est, tu es ille, qui de longè prædicatus es Christus: hæc enim scilicet de Christo sperabat, sicut domestico constituto præter omnes Deo. CAP. XXXIII. HAERET.

Certus

CAP. XXXIV. HAERET. Certus quidem & ipse erat Filius Dei, non secundùm Deitatis dicens diuinitatem, sed A
secundùm quod domesticus Deo erat, per quod filij Dei qui per virtutem domestici Deo
constituti homines interim vocabantur.

VIGILIVS PAPA. In suprascriptis trigesimotertio & trigesimoquarto capitulis de interpretatione Euan-
gelij secundùm Ioannem adhibentur verba Nathanaelis dicentis Domino[a]: Tu es Filius
[a] *Ioan.* 1. Dei, tu es Rex Israel. & infertur dictum esse Christo tamquam domestico Dei, vt non
ipse Christus sit Deus, sed plusquam alij homines sit domesticus Deo. & dicitur, quia si-
cut alij sancti homines filij Dei dicuntur, sic & Christus per familiaritatem, quam ad Deum
habet, à Nathanaele, cum quo loquebatur, Deus sit nominatus. Quæ qui ita sapit, docet,
credit, aut prædicat, & non eumdem Christum verum Deum & verum hominem confite-
tur, vnum in vtraque natura perfectum; anathema sit.] Rursum ex Theodoro:

CAP. XXXV. HAERET. Quando enim dicit, de Filio suo, qui factus est ex semine Dauid secundùm carnem, B
non Deum dicit Verbum, sed assumptam serui formam: nec enim Deus secundùm car-
nem, nec Deus ex semine factus est Dauid, sed sumptus pro nobis homo, quem Filium bea-
tus Apostolus manifestè vocat.

VIGILIVS PAPA. In suprascripto capitulo trigesimoquinto, cùm exponitur locus Apostoli de epistola ad
Romanos, vbi dicit[b], De Filio suo qui factus est ex semine Dauid secundùm carnem, nuda
[b] *Rom.* 1. serui forma depromitur, dicendo quòd hîc Filium eum qui ex semine Dauid factus est se-
cundùm carnem, non Deum Verbum dicat, sed sumptum pro nobis hominem, quem Fi-
lium beatus Apostolus manifestè vocet. quæ verba ostendunt nudum (sicut dictum est) ho-
minem prædicari. Qui ergo ita sapit, docet, credit, aut prædicat, & non eumdem, qui ex se-
mine Dauid secundum carnem natus est, iuxta Dauid & Pauli Apostoli vocem, ipsum cre-
dit esse etiam super omnia Deum; anathema sit.] pergit impius: C

CAP. XXXVI. HAERET. Renatus alter factus est pro altero non iam pars Adam mutabilis & peccatis circumfusi,
sed Christi, qui omnino inculpabilis per resurrectionem factus est.

VIGILIVS PAPA. In suprascripto trigesimosexto capitulo, vbi ad baptizatum dicitur, quia renatus alter fa-
ctus est ex altero non iam pars Adam mutabilis & peccatis circumfusi, sed Christi, qui om-
nino inculpabilis per resurrectionem factus est: quibus verbis Christum ante resurrectio-
nem (quod absit) vult videri fuisse culpabilem. Qui ergo hæc sapit, docet, credit, aut præ-
dicat; anathema sit.] addit adhuc execrandus hæreticus:

CAP. XXXVII. HAERET. Vt multam quidem eius faceret diligentiam, omnia autem illius propria faceret & tole-
raret per omnes conductus passiones, per quas eum secundùm suam virtutem perfectum
fecit, nec à mortuis secundùm suæ naturæ legem recedens, sed sua præsentia & operatione
& gratia liberans eum quidem de morte & malis quæ inde sunt, suscitans eum de mortuis, D
& ad meliorem finem perducens.

VIGILIVS PAPA. In suprascripto trigesimoseptimo capitulo dicitur, quia Christo in passionibus & morte
Deus Verbum præsentia & operatione & ad gratiam affuerit: quod si ita est, tanquam alter
alteri præsens gratiam & operationem impendisse videbitur. Qui ergo hæc ita sapit, do-
cet, credit, aut prædicat, & non ipsum Deum Verbum, seruata impassibilitate diuinitatis
suæ in carne anima rationali & intellectuali animata, quam sibi ab ipso conceptu vniuit ex
Virgine, omnia quæ de Passione eius scripta sunt, voluntariè sustinuisse dicit; anathema sit.]
subdit præterea blasphemus impostor:

CAP. XXXVIII. HAERET. Deinde ostendens cuius gratia passus est, diminutionem infert, quatenus citra Deum
pro omnibus gustaret mortem: quia diuina natura ita volente, separata illa, ipse pro se, pro
omnium vtilitate gustauit mortem: & ostendens quòd Deitas separata quidem erat, ab illo E
qui passus est secundùm mortis experimentum; quia nec possibile erat illam mortis experi-
mentum accipere, non tamen ille qui passus est, adfuerat secundùm diligentiam.

VIGILIVS PAPA. In suprascripto trigesimooctauo capitulo & falsatum testimonium Apostoli agnosci-
mus: quia vbi legitur[c], Vt gratia Dei pro omnibus gustaret mortem: hîc inuenitur, Vt si-
[c] *Hebr.* 2. ne Deo pro omnibus gustaret mortem. & hoc quasi astruendo dicitur: quia diuina
natura separata, ipse pro se, vel vt purus homo pro omnium vtilitate gustauerit mor-
tem. Qui ergo ita sapit, docet, credit, aut prædicat; & non confitetur, quia Deus Ver-
bum carnem, quam sibi ex ipsa conceptione secundùm substantiam aduniuit, nec in
passionibus, nec in morte vnquam deseruerit; anathema sit.] sequitur trigesimanona
blasphemia hæretici:

CAP. XXXIX. HAERET. Iesum autem, ait, de Nazareth, quem vnxit Deus Spiritu & virtute: cuius vnctionem
meri-

A meritus, immaculatus effectus est per omnia, & ad diuinam naturam meruit coniunctionem; neque coniunctionem suscepisset illam, nisi priùs immaculatus fuisset, vt si condeceat illius vnitatem.

In suprascripto trigesimonono capitulo rursum illud quod beatus Petrus dixit [a]: Iesum à Nazareth, quem vnxit Deus Spiritu & virtute: exponens dicit, per vnctionem Spiritus, quod meruit, & immaculatum eum per omnia factum, & ad diuinam naturam meruisse coniunctionem: quæ verba Christum purum hominem apertè signant. Qui ergo hæc ita sapit, docet, credit, aut prædicat; anathema sit.] prosequitur Theodorus: [a] *Act.* 2. VIGILIVS PAPA.

Nam & illud: Hic [b] est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui: insaniæ euidens CAP. XL. HAERET.
est de Deo Verbo putare dicere eum. qui enim dixit: Hic est Filius meus dilectus, & intu- [b] *Matt.* 13.
lit, In quo mihi complacui: significauit quòd apertè ad comparationem hoc dicit aliorum
B filiorum, qui nec dilecti facti sunt, nec placere nimis potuerunt ei.

In suprascripto capitulo quadragesimo de interpretatione Euangelij secundùm Mat- VIGILIVS
thæum: vbi dicitur: Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui, subiungitur & di- PAPA.
citur: Insania euidens est de Deo dicere eum. qui enim dixit: Hic est Filius meus dilectus, & intulit, In quo mihi complacui: significauit, quòd apertè ad comparationem hoc dicit filiorum, qui nec dilecti ei facti sunt, nec placere nimis potuerunt. Quæ verba Christum Iesum purum rursus hominem & adoptiuum filium euidenter ostendunt. Qui igitur hæc ita sapit, docet, credit, aut prædicat; anathema sit.] addit porrò ista hæreticus:

Permanens autem, donec secundùm suam creaturam & virtutem soluens mortis labo- CAP. XLI.
res liberauit eum ineffabilibus illis vinculis, & de mortuis resuscitans, transtulit quidem in HAERET.
immortalem vitam: incorruptum autem eum & immortalem & immutabilem efficiens,
C in cælum duxit.

In suprascripto quadragesimoprimo capitulo dicitur, quòd soluens mortis dolores, libe- VIGILIVS
rauit Christum ineffabilibus illis vinculis, & de morte resuscitans transtulerit quidem ad PAPA.
immortalem vitam, incorruptum autem eum & immortalem & immutabilem efficiens, in cælum eduxerit: per quæ omnia verba declaratur nudum hominem esse Iesum Christum. Qui ergo ita sapit, docet, credit, aut prædicat; anathema sit.] pergit blasphemus:

Christum iustificatum & immaculatum factum secundùm virtutem sancti Spiritus (si- CAP. XLII.
cut beatus Apostolus modò quidem dicit quòd iustificatus est in Spiritu, modò verò quòd HAERET.
per Spiritum æternum immaculatum se obtulit Deo) mori quidem fecit secundùm legem hominum, vtpote autem impeccabilem virtute sancti Spiritus factum resuscitauit de mor-
D tuis, & vitam constituit meliorem, immutabilem quidem animæ cogitationibus, incorruptum autem & indissolutum & carne faciens.

In suprascripto quadragesimo secundo capitulo dicitur Christum iustificatum & im- VIGILIVS
maculatum factum esse virtute Spiritus sancti: & adiicit, Mori quidem eum fecit se- PAPA.
cundùm legem hominum, vtpote autem impeccabilem virtute Spiritus sancti factum resuscitauit de mortuis. quibus verbis sic separatus à Verbo Dei insinuatur homo, vt sancti Spiritus virtute immaculatus & impeccabilis quasi aliquis iustus homo asseratur effectus. Qui ergo hæc ita sapit, docet, credit, aut prædicat; anathema sit.] Rursus execrandus Theodorus:

Deo autem gratias, qui nobis dedit victoriam per Dominum nostrum Iesum Christum. CAP. XLIII.
Istorum causam nobis fuisse dicens Deum, qui contra omnes aduersarios dedit nobis vi- HAERET.
ctoriam siue mortis, siue peccati, siue cuiuscumque hinc nascendi mali: qui Dominum
E nostrum Iesum Christum pro nobis hominem sumens, & ipsum per resurrectionem de mortuis ad meliorem transtulit finem, & in dextera sua sedere fecit, & nobis ad eum donauit communionem.

In suprascripto quadragesimotertio capitulo, exponendo verba Apostoli Pauli, quibus VIGILIVS
dicit [c]: Deo autem gratias, qui nobis dedit victoriam per Dominum nostrum Iesum Chri- PAPA.
stum. & post plura subiungitur: Dominus noster Iesus Christus pro nobis hominem su- [c] 1. *Cor.* 15.
mens, & ipsum per resurrectionem de mortuis ad meliorem transtulit finem. per quæ iam quasi existens homo, à Deo Verbo significatur assumptus, vt duo fuisse videantur, & alter alteri præstitisse. Qui ita sapit, docet, credit, aut prædicat; anathema sit.] Nondum finis blasphemiarum: adhuc pergit improbus hæreticus:

Cùm ergo interrogent, hominis genitrix ne aut Dei genitrix Maria dicatur à nobis? CAP. XLIIII.
Vtraque, vnum quidem natura, alterum autem relatione: hominis enim genitrix natura, HAERET.

quia

quia homo erat & in ventre Mariæ, qui & proceſſit inde: Dei autem genitrix, quia Deus A
erat in homine nato, non illum circumſcriptum ſecundùm naturam, ſed quod in eo erat
affectu voluntatis.

VIGILIVS PAPA. In ſupraſcripto quadrageſimoquarto capitulo dicitur: Cùm ergo interrogent, hominis genitrix, an Dei genitrix Maria dicatur; quaſi ex reſpondentis perſona, dicitur, vtraque dici. & adiungitur: Vnum quidem natura rei, alterum autem relatione. & additur: Hominis enim genitrix natura, quia homo erat & in ventre Mariæ, qui & proceſſit inde: Dei autem genitrix, quia Deus erat in homine nato. & adiicitur: Non ille circumſcriptus ſecundùm naturam, ſed quòd in eo erat affectu voluntatis. Quæ verba item & vnum hominem Chriſtum & duos filios beatæ Mariæ demonſtrant. Quod qui ita ſapit, docet, credit, aut prædicat; & non Deum Verbum, qui ante omnia ſæcula ex Patre ineffabiliter natus eſt, eumdem ſancta Virgine Maria (ſicut in primo capitulo diximus) per ſecundam natiuita- B
tem ſuam incarnatum & natum vnum in vtraque natura inconfuſa inſeparabiliq́ue cognoſcit: anathema ſit.] Adhuc vrgens impius addit:

CAP. XLV. HAERET. Gratia filius qui ex Maria eſt homo, natura autem Deus Verbum: quod autem ſecundùm gratiam, non natura; & quod ſecundùm naturam, non gratia; non duo filij? ſufficiat corpori, quod ex nobis eſt, ſecundùm gratiam filiatio, gloria & immortalitas: quia templum Dei Verbi factum eſt, non ſupra naturam eleuetur: Deus Verbum pro debita à nobis gratiarum actione non iniurietur: & quæ eſt iniuria componere eum cum corpore, & putare indigere corporis ad perfectam filiationem: nec ipſe Deus Verbum vult ſe Dauid filium eſſe, ſed Dominum; corpus autem hoc vocari Dauid filium non ſolùm non inuidit, ſed & propter hoc adfuit.] contra hæc Vigilius.

VIGILIVS PAPA. In ſupraſcripto quadrageſimoquinto capitulo dicitur, quia per gratiam ſit filius qui ex C
Maria natus eſt homo, natura autem Deus verbum: & quaſi ratiocinatur dicendo: Quod gratia, non natura: & quod natura non gratia. & adiungitur: Sufficit corpori quod ex nobis eſt ſecundùm gratiam filiatio, & non ſupra naturam eleuetur, & Deus Verbum pro debita à nobis gratiarum actione non iniurietur. quæ verba nudum hominem ex Virgine Maria ſignificant, qui per gratiam appelletur Filius Dei. Qui ergo hæc ita ſapit, docet, credit, aut prædicat; anathema ſit.] Inſaniens adhuc ita blaſphemat hæreticus:

CAP. XLVI. HAERET. Quando erit quæſtio de natiuitatibus ſecundùm naturam, ne Mariæ filius Verbum Dei exiſtimetur. mortales enim mortales generant ſecundùm naturam, & corpus ſimile ſibi: & duas natiuitates Deus Verbum non ſuſtinuit, vnam quidem ante ſæcula, alteram verò in poſterioribus temporibus.] at damnans hæc Vigilius ait:

VIGILIVS PAPA. In ſupradicto quadrageſimoſexto capitulo dicitur vt Mariæ filius Deus Verbum non D
exiſtimetur: adiiciendo, quia mortalis mortalem generat ſecundùm naturam, & corpus ſimile ſibi. quæ verba & purum hominem de ſancta Virgine Maria ſignificant, & duos filios introducunt. Qui ergo ita ſapit, docet, credit, aut prædicat; anathema ſit.] Inſuper hæreticus impiè.

CAP. XLVII. HAERET. Ergo iam ceſſabunt ab impudente pugna, deſiſtent autem à ſua contentione, erubeſcentes euidentiam prædictorum: plurimos enim dicunt Filios in gloriam ducentes. Ecce igi-
a 1. Tim. 3. tur in filiationis rationem Apoſtolus[a] apparet, aſſumptum hominem ceteris connumerans, non ſecundùm quod illius filiationis particeps eſt, ſed ſecundùm quod ſimiliter gratia filiationem aſſumpſit, Deitate ſola filiationem poſſidente.] ita verò damnat iſta Vigilius:

VIGILIVS PAPA. In ſupraſcripto quadrageſimoſeptimo capitulo id quod dicit Apoſtolus, qui multos filios ad gloriam adduxerat, exponendo dicitur, quòd aſſumptum hominem cæteris connu- E
meret ſanctus Apoſtolus, eo quòd ſimiliter gratiam filiationis acceperit, ſola Deitate naturalem filiationem poſſidente. quæ quidem verba (ſicut ſuperiùs dictum eſt) duos introducunt Filios, id eſt, vnum per gratiam, alterum per naturam. Quod qui ita ſapit, docet, credit, aut prædicat; anathema ſit.] Sed blaſphemare non ceſſans hæreticus addit:

CAP. XLVIII HAERET. Sed ad hoc dicunt, quòd Ieſus nomen Saluatorem ſignificat: Saluator autem ſi dicitur, quomodo ille homo dicatur? obliti quòd Ieſus dicebatur etiam filius Naue: & quod mirandum eſt, quia non ſit vocatus fortuitò in generatione, ſed tranſnominatus à Moyſe: certum autem eſt quòd non hoc imponere homini patiebatur, ſi diuinam naturam omnimodè ſignificabat.] at damnat iſta Vigilius, dicens:

VIGILIVS PAPA. In ſupraſcripto quadrageſimooctauo capitulo de nomine Ieſu, quòd Saluatorem ſignificat, argumentando negatur, & dicitur: Quia ſi Saluator diuinam naturam ſignificaret, num-

A numquam tale nomen homini imponeretur. Quibus verbis absolutè & purus homo Christus ostenditur,& duæ personæ intelliguntur. Quæ qui ita sapit, docet,credit,aut prædicat; anathema sit. Adhuc insaniens blasphemus addit:

Itaque non solùm Filium ipsum vocat à Deo Verbo separans, sed etiam secundùm rationem filiationis communicans cæteris participibus filiationis conuincitur: quoniam gratia & ipse particeps fuit filiationis, non naturaliter ex Patre natus, habens tamen ad cæteros excellentiam, qui vnitate ad ipsum filiationem possidet,quod ei firmiorem ipsius rei donat participationem.] reiicit ista Vigilius, dicens. CAP. XLIX. HAERET.

In suprascripto quadragesimonono capitulo dicitur, quia Christus per gratiam particeps fuit filiationis, habens tamen ad cæteros excellentiam; quòd ei firmior ipsius rei donata fuerit participatio. Quod qui ita sapit,docet,credit, aut prædicat, & non magis Deus Ver- VIGILIVS PAPA.
B bum cum assumpta carne vnus atque idem Dominus Iesus Christus & verus Filius Dei & idem ipse verus Filius hominis intelligitur & creditur;anathema sit.] Pergit hæreticus:

Homo Iesus similiter omnibus hominibus nihil differens connaturalibus hominibus, quàm quòd ipsi gratiam dedit: Gratia enim data naturam non mutat: Sed post mortis destructionem donauit ei Deus nomen super omne nomen.] contra hæc Vigilius: CAP. L. HAERET.

In suprascripto quinquagesimo capitulo dicitur, quòd homo Iesus nihil differat ab omnibus connaturalibus hominibus, nisi quòd ei gratiam dedit: Quæ verba Dominum nostrum Iesum Christum velut vnum de Iustis hominibus faciunt æstimari, qui non Deitate sua excelsus intelligatur,sed gratia aliquid amplius quàm cæteri homines asseratur adeptus. Quòd si quis ita sapit, docet,credit, aut prædicat; anathema sit.] Rursus impius: VIGILIVS PAPA.

Sed mei fratres,qui eiusdem mihi matris sunt filij,dicunt mihi: Non separato hominem
C & Deum, sed vnum eumdemque dic hominem,dicens,Connaturalem mihi dico Deum. Si dicam,connaturalem Deo, dico: Quomodo homo & Deus vnum sunt? numquid vna natura hominis & Dei,Domini & serui, factoris & facturæ? Homo homini consubstantialis est, Deus autem Deo consubstantialis est: Quomodo igitur homo & Deus vnus per natiuitatem esse potest, qui saluificat & qui saluificatur? qui ante sæcula, & qui ex Maria apparuit?] At audi Vigilium: CAP. LI. HAERET.

In suprascripto quinquagesimo primo capitulo negatur quòd vnus idemque dici possit Deus & homo, dicendo: Quomodo homo & Deus vnus per vnitatem esse potest? qui saluificat,& qui saluificatur; qui ante sæcula est, & qui ex Maria apparuit? Quæ verba duas introducunt in Christo personas. Si quis igitur ita sapit,docet,credit,aut prædicat;anathema sit.] Addit insuper execrandus hæreticus: VIGILIVS PAPA.

D Bene intulit: Namque ego homo [a] sum. ne dicat, nihil mirandum si hoc potes,cùm sis homo accipiens à Deo: quoniam & ego cùm hoc sim, accipio obedientes, semel habens iubendi potestatem propter datoris indulgentiam. CAP. LII. HAERET. [a] *Matth.* 8.

Quapropter & nec incongruum est, vt te accepta ista à Deo potestate, verbo solo iubentem abigere passiones.nec enim tamquam Filio Dei & ante vniuersam creaturam existenti & Creatori eorum quæ sunt,accessit Centurio.] sed contra ista omnia ita Vigilius: CAP. LIII. HAERET.

In suprascriptis quinquagesimosecundo & quinquagesimotertio capitulis dicitur: quia Christo dixerit Centurio,nihil mirandum esse si hoc potes,cùm sis homo,accipiens à Deo: quoniam & ego cùm hoc sim, accipio obedientes, semel habens iubendi potestatem propter datoris indulgentiam. Et quamuis ex eo quod sequitur, Centurionem non tamquam Filium Dei adiisse, qui vniuersam condiderit creaturam; videatur quidem esse confiteri
E eum esse Filium Dei & creaturæ totius opificem: Tamen quia nec de Centurionis intellectu bene existimauit, cuius Dominus fidem non laudaret dicendo, Non inueni tantam fidem in Israel, nisi sciret eum intellexisse quia Deus est: & ex his & superioribus capitulis & aliis dictis iam non per vnitatem subsistentiæ, sed per gratiam dicitur Christus esse Filius Dei, & ex eo Christus purus homo videtur induci; qui pro merito suo acciperet per datoris indulgentiam potestatem. Si quis ergo hæc ita sapit, docet, credit, aut prædicat; anathema sit.] Instat adhuc blasphemus, addens: VIGILIVS PAPA.

Consonantia & Apostolus [b] dicit & manifestè magnum pietatis mysterium, quod manifestatum est in carne, iustificatum est in Spiritu, dicens ipsum, siue quòd ante baptisma cum subtilitate competente legem custodiuit, siue quòd etiam post illud gratiæ conuersationem cooperatione Spiritus cum magna compleuit subtilitate.] At in hæc Vigilius: CAP. LIV. HAERET. [b] 1. *Tim.* 3.

In suprascripto quinquagesimoquarto capitulo id quod Apostolus dicit: Quod manifesta- VIGILIVS PAPA.

feſtatum eſt in carne, iuſtificatum eſt in Spiritu: Chriſtus iuſtificatus eſſe aſſeritur, ſiue quòd ante baptiſmum cum ſubtilitate competenti legem cuſtodiuit, ſiue quòd etiam poſt illud gratiæ conuerſationem cooperatione Spiritus cum magna ſubtilitate compleuerit. Quæ verba quia item purum hominem Chriſtum iuſtificatione eguiſſe demonſtrant: Si quis ita ſapit, docet, credit, aut prædicat, & non magis ipſum vt verum Deum conſubſtantialem Patri & Spiritui ſancto iuſtificare impios per fidem credit; anathema ſit.] Vrget adhuc blaſphemus: A

CAP. IV. HAERET. Idem hoc dicimus iuſtè & de Domino, quòd Deus Verbum ſciens eius virtutem, & ſecundùm præſcientiam ſtatim in ipſo initio complaſmationis cohabitare bene voluit, & vniens eum ſibi affectu voluntatis, maiorem quamdam præſtabat ei gratiam, vtpote gratia quæ in eum eſt & in omnes homines diuidenda. Vnde & circa bona voluntatem integram ei cuſtodiebat. Non enim hoc dicemus, quòd ille homo voluntatem habebat nullam, ſed quòd volebat quidem bonum, magis autem ei voluntariè plurimum aderat & boni deſiderium, & contrarij odium: conſeruabatur verò à diuina gratia illi voluntas integra ab initio, Deo qualis erit ſubtiliter ſciente, qui & ad confirmandum eum magnam illi cooperationem habitatione ſua præſtabat pro omnium noſtrum ſalute: vnde nec iniuſtum dicat aliquis eſſe, quòd præter omnes præcipuum aliquid datum eſt illi homini, qui à Domino aſſumptus eſt.] ita profanus. Sed contra hæc Vigilius: B

VIGILIVS PAPA. In ſupraſcripto quinquageſimoquinto capitulo dicitur, quia Deus Verbum ſecundùm præſcientiam ſciens hominis Chriſti virtutem, initio complaſmationis ſtatim inhabitare in ipſo bene voluerit, & vniens eum ſibi affectu voluntatis, maiorem quamdam ei præſtabat gratiam. Ex quibus verbis, & ex aliis quæ ſequuntur, duæ euidenter inducuntur eſſe perſonæ, & quia Filius Dei in Filio hominis per affectum & gratiam, & relationem habitare videatur. Si quis ergo hæc ita ſapit, docet, credit, aut prædicat, & non vnum eumdemque Chriſtum in duabus perfectis & indiuiduis inconfuſisque agnoſcit & credit naturis; anathema ſit.] Addit verò adhuc impius: C

CAP. VI. HAERET. Nam rationalis quidem primùm eſt diſcretio bonorum & malorum: cùm verò non ſint contraria, non erat ei poſſibile aliquid diſcernere. primùm igitur in his quæ creata ſunt, magnam contrarietatem fecit.] ſed hæc expendens Vigilius, ait:

VIGILIVS PAPA. In ſupraſcripto quinquageſimoſexto capitulo dicitur, rationalis proprium eſſe diſcretionem bonorum & malorum. & poſt pauca ſequitur: Primùm igitur in his quæ creata ſunt magnam contrarietatem fecit. Quæ verba ſi ea intentione dicantur, vt mali natura, ſicut & boni, introducatur; anathema ſit.] Sed rurſum hæreticus:

CAP. VII. HAERET. Quoniam autem non obaudiuit Adam, deinde ſubditus eſt morti, & factum eſt hoc propter inobedientiam, quod & citra inobedientiam propter vtilitatem noſtram à Creatore factum eſt, & docti ſumus omnes peccatum.] at contra hæc Vigilius ita: D

VIGILIVS PAPA. In ſupraſcripto quinquageſimoſeptimo capitulo dicitur, quia etſi non fuiſſet Adam inobediens, tamen propter vtilitatem hominum à Creatore factum eſſe, & edoctos nos eſſe peccatum: quod abſit vt Catholica fides credat, à Deo nos, vt peccatores efficeremur, doceri potuiſſe peccatum. Si quis ergo hoc ita ſapit, docet, credit, aut prædicat; & non magis prohibente Deo, primi hominis culpa introductum fatetur eſſe peccatum, & iuſto Dei iudicio eum atque eius progeniem propter inobedientiam ſuam mortis ſubiiſſe ſupplicium: anathema ſit.] Vrget adhuc blaſphemus, dicens:

CAP. VIII. HAERET. Nec igitur mortem ſponte & præter iudicium ſuum intulit hominibus, nec peccato aditum ad nullam vtilitatem dedit: nec enim hoc fieri, nolente ipſo, poterat: ſed quoniam ſciebat vtile eſſe nobis, magis autem omnibus rationabilibus prius quidem malorum & deteriorum fieri aditum, poſtea autem deleri quidem hæc, introduci autem meliora: ideo in duos ſtatus diuiſit Deus creaturam, præſentem & futurum, in iſto quidem ad immortalitatem omnia addicturus, in præſenti verò creaturam in mortem & mutabilitatem interim demittens. Nam ſi ſtatim ab initio immortales nos fecerit & immutabiles, nullam differentiam ab irrationabilibus haberemus, proprium neſcientes bonum: ignorantes etiam mutabilitatem, immutabilitatis ignorabamus bonum: neſcientes mortem, immortalitatis lucrum neſciebamus: ignorantes corruptionem, non laudabamus incorruptionem: neſcientes paſſionum grauamen, impaſſibilitatem non mirabamur (compendiosè dicam, ne longum ſermonem faciam) neſcientes malorum experimenta, bonorum illorum non poteramus ſcientiam mereri.] Audi verò Vigilium. E

In ſupra-

A In supraſcripto quinquageſimooctauo capitulo dicitur, ideo Deum dediſſe peccato aditum, quia vtile hoc ſciebat eſſe nobis, magis autem omnibus rationabilibus, vt priùs videlicet malis & deterioribus rebus fieret aditus, poſtea autem his deletis introduci meliora. & adiicitur: quia ſi ſtatim ab initio immortales nos feciſſet & immutabiles, nullam differentiam ad irrationabilia haberemus, proprium neſcientes bonum. Quibus verbis primùm contra regulam fidei Deus aſſeritur tanquam nobis vtile introduxiſſe peccatum. Secundò cùm omnia rationabilia complectitur, hoc etiam de Angelis & de vniuerſa cæleſti militia, quæ ratione eſt prædita, facit intelligi. Tertiò quia illud, quod diabolus ad decipiendum primis hominibus perſuaſerit, quia ſi de ligno prohibito manducarent, ſicut dij ſcientes bonum & malum, beneficij loco aſſeritur profuiſſe. Quæ ſi quis ita ſapit, docet, credit, aut prædicat; anathema ſit.] Rurſum verò erroribus intexens errores impius addit: VIGILIVS PAPA.

B Neceſſe eſt autem omnia ſimul rationabilia, inuiſibilia dico, & nos ipſos, quibus mortale quidem eſt corpus, animam autem per omnia eiuſdem generis inuiſibilibus & rationabilibus ſubſtantiis hîc quidem præſentem mutabilitatem pati, vt optima erudiamur doctrina religioſitatis, & ad beneuolentiam conſtituamur.] ad hæc Vigilius: CAP. LIX. HAERET.

In ſupraſcripto quinquageſimonono capitulo dicitur: neceſſe eſt omnia ſimul rationabilia, inuiſibilia, & nos ipſos, quibus mortale quidem eſt corpus, animam autem per omnia eiuſdem generis inuiſibilibus & rationabilibus ſubſtantiis hîc quidem præſentem mutationem pati, vt optima erudiamur doctrina religioſitatis, & ad beneuolentiam conſtituamur. Quibus verbis ſi & Angeli lucis, & vniuerſæ cæleſtes inuiſibilesq; virtutes ſic mutabilitati hactenus ſubiacere, ſicut humanæ animæ aſſeruntur; anathema ſit.] Rurſum hæreticus: VIGILIVS PAPA.

Nam ſciebat quidem, quòd peccabunt omnimodò: concedebat verò hoc fieri, expedire

C eis cognoſcens, quoniam non erat impoſſibile eum qui confecerat non exiſtentes, & tantorum quidem demonſtrauerit dominos. tanta verò bona propoſuerit, vt eis fruantur, nec prohibere peccati aditum, ſed expedire eis hoc cognoſceret: ſed enim non erat poſſibile nos aliter diſcere peccatum & paſſionum moleſtias & deteriora, & noſtram infirmitatem in his demonſtrandam, & oſtendendam magnitudinem immutabilitatis quam poſtea nobis eſſet donaturus, niſi ſic ab initio hæc fuiſſent à Deo diſpenſata, vt collatione & experimento infinitorum illorum bonorum poſſemus ſcire magnitudinem, & huiuſmodi gratia, vtpote profuturum nobis peccatum intrare dimittens, magnum in eius bello auxilium inuenit.] contra hæc Vigilius: CAP. LX. HAERET.

In ſupraſcripto ſexageſimo capitulo dicitur, quia Deus ſciens hominem peccaturum, ideo peccare permiſerit, quia hoc ei nouerat expedire, & propterea non prohibuiſſe peccati

D aditum, quia ſic ab initio à Deo fuerit diſpenſatum, vt collatione & experimento infinitorum malorum, bonorum poſſemus ſcire magnitudinem, & huius rei gratia, vtpote profuturum nobis peccatum intrare dimittens, magnum in eius peccati bello auxilium inuenerit homo. Quæ verba quoniam aliena ſunt à ſenſu diuinæ Scripturæ, vt dicatur, quia peccatum à Deo pro vtilitate nobis introductum ſit: Si quis ita ſapit, docet, credit, aut prædicat; anathema ſit. Sancta enim Catholica Eccleſia hoc certum tenet & credit, quia Deus & prohibuerit à peccato primum hominem, & per inobedientiam peccatum punierit iuſto ſupplicio: ſed bene vtens etiam malis noſtris, ſingulari nos remedio, per vnigeniti Filij ſui incarnationem, paſſionem, mortem, & reſurrectionem, hoc eſt Domini noſtri Ieſu Chriſti, ab omnium peccatorum nexibus liberauit.] hactenus ſexaginta capitum facta damnatio, ipſaque præmiſſa defenſioni Trium capitulorum: ne (vt dictum eſt) cùm pro ipſorum de-

E fenſione laborat, pro allata Theodori nomine mala doctrina pugnaſſe videri poſſet, & pati calumniam ab iis qui inferre parati erant. Subdit itaque hæc opportunè Vigilius: VIGILIVS PAPA.

His igitur competenter, & per Orthodoxæ fidei rectitudinem, Apoſtolicæ ſententiæ auctoritate damnatis: conſtituimus, vt ex omnibus iſtis, quæ nos Patrum ſtatutis atque traditionibus inhærentes Apoſtolica auctoritate damnauimus, nulla iniuriandi præcedentes Patres, vel Doctores Eccleſiæ (quæ proculdubio ſcandala ſacroſanctæ Eccleſiæ ſuſcitat) præbeatur occaſio: anathematizantes omnem ad ordines Eccleſiaſticos pertinentem, qui Patribus atque Doctoribus Eccleſiæ contumeliam ex ſupraſcriptis impietatibus quodammodo aſcribere vel irrogare voluerit. Et quoniam præfata dogmata, quæ ſecundùm intellectum de his expoſitum anathemati atq; damnationi ſubiecimus in eo volumine, quod nobis per fratrem noſtrum Benignum Epiſcopum nuper à pietate veſtra tranſmiſſum, ſub Theodori Mopſueſteni Epiſcopi perhibentur nomine prænotata: ad hoc ſolicitudinis noſtræ DE TRIBVS CAPP. AC PRIMVM DE THEODORO MOPSVEST.

ſtræ animum conſequẽter admouimus, vt ſi quid de perſona vel nomine memorati Theodori apud Patres quæſitum ſit, vel ſi qua ſuper eius nomine ab eis regulariter fuerint conſtituta, ſiue diſpoſita, diligentiſſima indagatione quærere curaremus: Et hæc inueſtigantes aduertimus beatæ recordationis Cyrillum Alexandrinæ ciuitatis Antiſtitem de perſona iam mortui Theodori Epiſcopi Ioanni reuerendæ memoriæ Antiochenæ ciuitatis Epiſcopo, vel Orientali Synodo ad eius litteras reſcribentem, inter alia ita tradidiſſe: Quæ prolata eſt in ſancta Synodo Epheſina definitio, veluti à Theodoro diſpoſita (ſicuti offerentes dicebant) nihil habens ſanum, euacuauit quidem eam ſancta Synodus veluti peruerſarum plenam intelligentiarum, condemnans item eos qui ſic ſapiunt. Diſpenſatim verò mentionem viri non fecit, neque eum nominatim anathemati ſubdidit, neque alios. Ipſam verò Synodum Epheſinam primam ſolicitè recenſentes, nihil de Theodori Mopſueſteni perſona referre comperimus, ſed Symbolum, quod Cariſius preſbyter illic prodidit, magis quia ab Athanaſio & Photio, qui tunc temporis hæretico Neſtorio adhærebant, per Antonium & Iacobum nomina tantùm preſbyterorum habentes ad Philadelphorum Eccleſias fuerit deſtinatum: ex quo claret, beatum Cyrillum hoc quod per litteras profitetur, à prolatoribus ſcilicet ſymboli iam defuncti Theodori Epiſcopi nomen fuiſſe delatum, ſua prouidentia Eccleſiaſticam moderationem circa mortuum ſapientia ſacerdotali ſeruantem, noluiſſe nomen eius, ne monumentis quidem Synodalibus, propter regulam quæ de mortuis in ſacerdotio ſeruanda eſt, contineri. Quomodo autem hoc quod ſuprà dixit beatus Cyrillus diſpenſatiuè factum, vt minimè anathemati nomen viri ſubiicere voluiſſet intelligi, ad Eccleſiaſticam regulam porrigendum, in eadem epiſtola ſua ſubter adiecit, dicens: Sed iuſtè audient, tametſi nolint, qui huiuſmodi cauſas præbent: Obliuiſcimini vos ipſos, quando aduerſus cineres arcus extenditis: non enim ſupereſt qui apud eos inſcriptus eſt: & me nullus culpet in hæc verba progreſſum, ſed cedant valde, nimirum prædeceſſori.

Graue eſt enim inſultare defunctis, vel ſi laici fuerint, nedum illis qui in Epiſcopatu hanc vitam depoſuerunt. Iuſtiſſimum enim apparet prudentibus viris cedere præſcienti *Deo ſcilicet* vniuſcuiuſque voluntatem, & cognoſcenti qualiſcumque quiſque futurus ſit. Beatum quinetiam Proclum huius regiæ ciuitatis Antiſtitem ita memorati Ioannis Antiocheni Epiſcopi ſimiliter conſtat reſpondiſſe reſcriptis, dicentem inter alia: Quando enim ſcripſi tuæ ſanctitati, oportere aut Theodorum, aut alios quoſdam, qui pridem defuncti ſunt, anathemati ſubdi, aut nominatim alicuius feci mentionem? & poſt pauca: Et illa capitula, quæ ſubiecta ſunt, repuli, vtpote ſubtilitatem non habentia pietatis: neque autem de Theodoro, neque de alio quoquam qui iam defuncti ſunt ſcripſi, Deo amantiſſimi, aut vt anathematizaretur, aut vt abdicetur. Sed neque chariſſimus Theodotus, qui à nobis directus eſt, diaconus, talia mandata ſuſcepit. Item ipſe Beatus Proclus in epiſtola ad Maximum diaconum poſt alia ita dicit: Quomodo igitur per litteras didici nunc, quia Theodori Mopſueſteni & aliorum quorumdam nomina præpoſita ſunt capitulis ad anathematizandum, cùm illi ad Deum iam migrauerint: & eos qui iam vitam reliquerunt, ſuperuacuum eſt iniuriari poſt mortem, quos nec viuos aliquando culpauimus. Et poſt pauca: Poſt ſubſcriptionem autem tomi, & poſt abiectionem capitulorum, quæ cuius ſint ignoramus, continuò præpara diaconum Theodotum venire ad regiam ciuitatem.

Perpendat ergo pietatis veſtræ ſapientia ſingularis, quia Proclus eruditiſſimus ſacerdotum, & non longè à Theodori Mopſueſteni vita repertus, mala quæ libenter damnauerat cuius eſſent, ſe iam tunc profeſſus eſt ignorare. Sed neque in ſancto ac venerando Chalcedonenſi Concilio aliquid de ſæpiùs deſignati Mopſueſteni Theodori Epiſcopi nomine inuenimus ſtatutum vel dictum eſſe contrarium, dum in relatione, quam eadem veneranda Synodus piæ memoriæ Marciano tunc Imperatori tranſmiſit, quam vos quoque veſtris legibus, dum Orthodoxa profeſſione vnum de ſancta Trinitate Chriſtum Deum ac Dominum noſtrum confitendum aſtruitis, ad teſtimonium laudabiliter adduxiſtis, litteræ Antiocheni Ioannis cum Orientali Synodo ad Theodoſium tunc piiſſimæ recordationis Principem deſtinatæ venerabiliter memorentur, quibus Mopſueſteni Theodori Epiſcopi perſona, ne poſt mortem damnari deberet, excuſatur.

Poſt hæc ampliori cura proſpeximus, ſi quid in his, qui iam defuncti ſunt, & minimè reperiuntur in vita damnati, etiam ſanctæ recordationis prædeceſſores noſtri decreuerint. Quibus inſpectis, agnouimus, quòd huius cautelæ prouidentiæque formam veneranda prædeceſſorum noſtrorum ſedis Apoſtolicæ Præſulum conſtituta nobis apertiſſimè tradiderunt.

derunt. Nam beatissimus Papa Leo ad Theodorum Episcopum Foroliuiensem post alia ita dicit: Non necesse est nos eorum, qui sic obierunt, merita actusque discurrere: cùm Dominus Deus noster, cuius iudicia nequeunt comprehendi, quod sacerdotale mysterium implere non poterat, suæ iustitiæ reseruauit. Item beatus Gelasius Papa in epistola, quam ad Episcopos Dardaniæ de causa Acacij scripsit, post alia ita dicit: Qui postquam in collegium recidens prauitatis, iure meruit ab Apostolica communione secludi, in hac autem persistens damnatione defunctus est, absolutionem quam superstes nec quæsiuit omnino, nec meruit, mortuus iam non potest impetrare. Siquidem ipsis Apostolis Christi voce delegatum est[a]: Quæ ligaueritis super terram, & quæ solueritis super terram. Cæterùm iam de eo, qui in diuino est iudico constitutus, nobis fas aliud decernere non est, præter id in quo eum dies supremus inuenit. [a] Matt. 18.

Item memoratus beatæ recordationis Papa Gelasius in Gestis Synodalibus de Miseni Episcopi Cumani absolutione confectis, hoc euidenter edocuit, dicens: Totum quod supra facultatis est modulum, diuino iudicio relinquamus: non autem nobis poterunt imputare, cur præuaricationis offensam viuentibus remittamus; quod Ecclesiæ, Deo largiente, possibile est: nec nos iam mortuis veniam præstare deposcant; quod nobis non esse possibile, manifestum est. quia cùm dictum sit: Quæ ligaueritis & solueritis super terram: hos quos super terram iam non esse constat, non humano, sed suo Deus iudicio reseruauit: nec audet Ecclesia sibimet vendicare, quod ipsis Apostolis conspicit non fuisse concessum: quia alia est causa superstitum, alia defunctorum. Hanc autem regulam & in sanctorum Ioannis Constantinopolitani Episcopi, quem Chrysostomum vocant, atque Flauiani eiusdem ciuitatis Episcopi veneranda memoria constat esse seruatam: qui licet violenter excluſi sunt, non tamen pro damnatis sunt habiti, eo quòd semper inuiolatam eorum communionem Romani Pontifices seruauerunt: nec abscindi ab Ecclesia dici potuerunt, vel poterunt, quos sibi inconuulsè vnitos Apostolica iudicauit auctoritas.

In Eusebij etiam cognomento Pamphili historiæ libro septimo legitur, Dionysium Alexandrinæ ciuitatis Episcopum, qui longè antè fuerat, de Nepote quodam Episcopo Aegypti ita fecisse: Hic enim Nepos Episcopus de mille annis, quibus post primam resurrectionem Sanctos cum Christo regnaturos esse, beatus Ioannes Apostolus in Apocalypsi dicit, scripsisse asseritur, in quibus Iudaicum intellectum habuisse narratur. Post cuius mortem, cùm ad Dionysium Alexandriæ Episcopum peruenisset, quòd tota Ægyptus ipsos libros quos Nepos reliquerat, veluti magnum aliquod & occultum mysterium se habere putaret: & pergens ad eum locum (in Arsenoite enim quæstionem ipsam motam fuisse refert) scribensque destruxit eosdem libros, atque euertit: Nepotem verò qui eos scripserat, propter hoc maximè, quia iam defunctus fuerat, nulla sit aggressus iniuria. Quæ si quis latiùs agnoscere velit, in memorato septimo historiæ eiusdem Eusebij libro reperiet.

Quibus omnibus diligenter inspectis, quia licet diuerso Patres nostri verborum modo, vnius tamen ductu intelligentiæ differentes, illæsas sacerdotum in pace Ecclesiastica defunctorum seruauere personas, idemque regulariter Apostolicæ sedis quæ suprà diximus definiunt constituta: Nulli licere nouiter aliquid de mortuorum iudicare personis: sed in hoc relinqui, in quo vnumquemque dies supremus inuenit. & specialiter de Theodori Mopsuesteni nomine, quid sancti Patres nostri disposuerint, superiùs euidenter expressum est: eum nostra non audemus damnare sententia, sed nec ab alio quopiam condemnari concedimus. Absit tamen, vt suprascripta capitula dogmatum, quæ secundùm subiectos intelligentiæ sensus à nobis constant esse damnata, vel quæcumque dicta cuiuslibet sine nomine prænotata, Euangelicis tamen & Apostolicis ac quatuor Synodorum Nicænæ, Constantinopolitanæ, Ephesinæ primæ, atque Chalcedonensis, & Apostolicæ sedis non congruentia consonaque doctrinis, non solùm sensu, sed vel etiam aure patiamur admittere.

De scriptis verò quæ sub viri venerabilis Theodoreti quondam Episcopi nomine profe- DE THEODORETI CAVSA CAP. II.
runtur: miramur primùm, cur necesse sit eius sacerdotis nomine in obtrectationem quicquam cuiuslibet studio deuocari, qui ante centum & ampliùs annos in sanctæ ac venerandę Chalcedonensis Synodi iudicio constitutus sine aliqua cunctatione subscripsit, & beatissimi Papæ Leonis epistolis prona deuotione consensit. Dehinc cùm existerent tunc Dioscorus & Aegyptij Episcopi, qui eum dicerent sanctum Cyrillum anathematizasse, & eumdem Theodoretum etiam hæreticum esse: tamen sancti Patres nostri hæc audientes, diligentissimè eodem Theodoreto posthac examinatione discusso, & præsente à præsentibus

bus inquisito, nihil aliud ab eo exegisse noscuntur, nisi vt statim Nestorium eiusque impia dogmata anathematizaret atque damnaret, hoc sibi tantummodo sufficere iudicantes: quod ille coram vniuerso Concilio faciens, Nestorium cum dogmatibus suis, vniuersis Patribus audientibus, clara voce damnauit. Ex quo euidenter apparet, quia quicquid sit vel fuerit sub cuiuslibet prolatum nomine, quod impij Nestorij videatur concordare dogmatibus, hoc tunc in illo sancto Concilio à viro venerabili Theodoreto fuerit sine dubitatione damnatum: & sit valde contrarium & Chalcedonensis Synodi iudicio indubitabiliter inimicum, quædam Nestoriana dogmata nunc sub eius sacerdotis nomine condemnari, qui cum sanctis Patribus eumdem impium Nestorium & execrabilia eius dogmata (sicut diximus) tunc apertissimè anathematizauit. Quid enim aliud est, mendaces aut simulantes professionem rectæ fidei Patres in sancta Chalcedonensi Synodo residentes ostendere, quàm dicere aliquos ex eis similia sapuisse Nestorio, quorum iudicio videas Nestorium eiusque dogmata fuisse damnata.

Nec illud arbitrandum est, quia sanctæ memoriæ Cyrilli iniuriis per duodecim capitulorum eius reprehensionem à viro venerabili Theodoreto (vt putatur) ingesta beatissimi Patres nostri in sancta Synodo Chalcedonensi neglexerint: sed aut (vtpote rebus de proximo gestis cuncta præ oculis habentes) Theodoretum nihil tale fecisse probauerunt; aut exemplum ipsius sanctæ memoriæ Cyrilli iudicauerunt esse sequendum, qui post multa & grauia contra se ab Orientalibus apud Ephesum scripto gesta, tempore quo cum ipsis in concordiam remeauit, tamquam si acta non fuissent, pacis amore, silentio dereliquit: vt impleret vtique illud Apostolicum dictum, quo Corinthiis scribit, dicens [a]: Cui enim aliquid donastis, & ego. Nam & illud sancta Synodus Chalcedonensis intendisse credenda est, quia dum doctrinam sancti Cyrilli ex epistolis eius in eadem Synodo relatis atque receptis memoratus Episcopus Theodoretus ità deuota mente susceperit, vt doctrinæ quoq; eius ad laudandam beatissimi Papæ Leonis epistolam testimoniis vteretur, etiam si in eum iniurias intulisse constaret, plenissimè satisfecisse videretur, illius venerabiliter amplectendo fidem, cuius falsò fuerat suspicatus errorem. Et ideo nos nec aliquid velut omissum à Patribus nostris quærere nunc aut retractare conuenit; & eos, quibus S. Cyrilli reprehensio nunc placet, aut iisdem sanctis Patribus nostris æstimant placuisse, modis omnibus refutamus.

[a] 2. Cor. 2.

THEODORETVS NON DAMNANDVS.

Hac ergo rerum veritate perpensa, statuimus atque decernimus, nihil in iniuriam atque obtrectationem probatissimi in Chalcedonensi Synodo viri, hoc est, Theodoreti Episcopi Cyri, sub taxatione nominis eius à quoquam fieri, vel proferri: sed custodita in omnibus personæ eius reuerentia, quæcumque scripta, vel dogmata eius cuiuslibet nomine prolata sceleratorum Nestorij atque Eutychetis manifestantur erroribus consonare, anathematizamus atque damnamus. Etenim satis habet, abundeque sufficere debet, quòd damnantes atque anathematizantes cum Paulo Samosateno & Bonoso Nestorium, & è diuerso cum Valentino atque Apollinare Eutychetem simul & errores eorum, aliosque hæreticos omnes cum dogmatibus suis, illos quoque pariter condemnamus, qui erroribus eorum impliciti & inemendabiles permanentes de vita præsentis sæculi migrauerunt. Siquidem per hoc nihil peruersæ doctrinæ relinquimus, quod non per hanc sententiam à nobis prolatam à sancta Dei Ecclesia Apostolica auctoritate inueniatur exclusum.

ANATHEMATISMI QVINQVE.

Rursus tamen hoc specialiter dicimus: vt si quis, seruata inconuertibilitate naturæ diuinæ, non confitetur Verbum carnem factum, & ex ipsa conceptione de vtero Virginis humanæ naturæ sibi secundùm subsistentiam vnisse principia, sed tamquam cum existenti iam homine fuerit Deus Verbum, vt per hoc non sancta Virgo verè Dei genitrix esse credatur, sed verbo tenus appelletur: anathema sit.

Si quis secundùm subsistentiá vnitatem naturarum in Christo factam denegat, sed seorsum existenti homini tamquam vni iustorum inhabitare Deum Verbum; & non ita confiteatur naturarum secundùm subsistentiam vnitatem, vt Deus Verbum cum assumpta carne vna permanserit permaneatque subsistentia siue persona: anathema sit.

Si quis voces Euangelicas & Apostolicas in vno Christo ita diuidit, vt etiam naturarum in ipso vnitarum diuisionem introducat: anathema sit.

Si quis vnum Iesum Christum verum Dei & eumdem ipsum verum hominis Filium futurorum ignorantiam aut diei vltimi iudicij habuisse dicit, & tanta scire potuisse, quanta ei Deitas, quasi alteri cuidam inhabitans, reuelabat: anathema sit.

[b] Hebr. 5.

Si quis illud Apostoli, quod est in epistola ad Hebræos [b] dictum, quòd experimento cognouit

A gnouit obedientiam, & cum clamore forti & lacrymis preces supplicationesque obtulit ad Deum, qui saluum illum posset à morte facere: tanquam nudo Deitate Christo deputans, qui laboribus virtutis perfectus sit, vt ex hoc duos introducere Christos vel duos Filios videatur, & non vnum eumdemque credit Christum Dei & hominis Filium ex duabus & in duabus naturis inseparabilibus indiuisisque confitendum atque adorandum: anathema sit.

His omnibus & huiusmodi blasphemiis ita à nobis abdicatis atque damnatis; hac præsentis constitutionis dispositione quàm maximè prouidemus, ne (sicut suprà diximus) personis quæ in pace & communione vniuersalis Ecclesiæ quieuerunt, sub hac damnati à nobis peruersi dogmatis occasione aliquid derogetur: sed execrabilibus dogmatibus in Nestorio atque Eutychete hæresiarchis, vniuersisque eorum sequacibus condemnatis, illis sacerdotibus, qui in pace Catholicæ Ecclesiæ (sicut dictum est) sunt defuncti, nulla contumelia
B generetur; ne inde iniuriarum nascatur occasio, vnde potiùs debeat sanctorum Patrum reuerentia custodiri.] QVOS VIGILIVS NOLIT DAMNARI MORTVOS.

Hîc aduerte, assertionem istam Vigilij de mortuis non condemnandis haud ita generaliter, vt ponitur, vsu receptam. Quamuis enim aliquis probetur mortuus in pace Ecclesiæ, & tamen absque calumnia constiterit eum damnatam hæresim aliquam scriptis suis acerrimè reliquisse defensam, & in eo errore perseuerantem diem extremum clausisse, simulateque Catholicæ Ecclesiæ communicasse: eiusmodi hominem iure damnare post mortem sancta consueuit Ecclesia. Pergit verò Vigilius:

De epistola quoque venerabilis viri Ibæ quondam Edessenæ ciuitatis Episcopi, de qua pariter inquisistis, diligenti nihilominus inuestigatione quæsiuimus, si quid de ea priscis temporibus apud Patres nostros motum vel agitatum, siue quæsitum, seu fuerit constitu-
C rum. Et quia Græcæ linguæ (sicut cunctis & maximè pietati vestræ notum est) sumus ignari: nunc per nostros, qui eiusdem linguæ videntur habere notitiam, Gesta sancti venerandique Chalcedonensis Concilij in Synodalibus codicibus diligentissimè perquirentes, dilucidè aperteque reperimus, duabus in eadem Synodo Actionibus prædicti viri venerabilis Ibæ examinatum fuisse negotium, ibique ex gestis apud Photium Tyri & Eustathium Berythi Episcopos habitis, hanc de qua quæritur, inter cætera prolatam fuisse contra eum ab accusatoribus eius epistolam: cumque consummata ipsius disceptatione negotij, à venerandis fuisset Patribus requisitum, quid de eiusdem constituendum videretur Ibæ negotio; consequenter huiusmodi processisse sententias[a]: DE IBAE EPISCOPI CAVSA CAP. III.

[a] *Conc. Chalced. Act. 10. prope finem.* EX ACTIS CONCILII CHALCED.

D *Paschasinus & Lucentius reuerendissimi Episcopi & Bonifacius presbyter tenentes locum sedis Apostolicæ (quia Missi Apostolici semper in Synodis priùs loqui & confirmare soliti sunt) per Paschasinum dixerunt: Relectis chartis, agnouimus ex sententia reuerendissimorum Episcoporum, Ibam reuerendissimum innoxium approbari. Relecta enim eius epistola, agnouimus eum Orthodoxum. Et ob hoc decernimus, ei honorem Episcopatus restituendum, & Ecclesiam à qua iniustè & absens expulsus est, reparandam. De Episcopo igitur sanctissimo Nonno, qui pro eo paulo antè factus est, existimationis erit venerabilis Episcopi Antiochenæ Ecclesiæ, quid oporteat de eo formari* siue statui.*

* firmari

E *Anatolius reuerendissimus Archiepiscopus Constantinopolis nouæ Romæ dixit: Deo amantissimorum Episcoporum & Iudicum fides, ac lectio omnium horum quæ sunt subsecuta, demonstrant innoxium Ibam reuerendissimum ab accusationibus quæ illatæ sunt in eum: Vnde omnem in præsenti suspicionem abiicio, quoniam consentit & subscribit ei quæ nunc de fide sententia data est à sancto Concilio, & epistolæ sanctissimi Archiepiscopi Romæ Leonis; & dignum eum iudico Episcopatu, & habere curam in qua pridem existebat Ecclesiæ.*

Maximus reuerendissimus Episcopus Antiochenus dixit: Ex iis quæ modò relecta sunt, constitui manifestum esse, quia ab omnibus ei illatis reuerendissimus Ibas innocens est repertus: ex relecto verò rescripto epistolæ, quæ probata est ab eo qui aduersarius eius existit, Orthodoxa est eius declarata dictatio.] & cætera vsque ad finem Actionis decimæ. Ex quibus omnibus ille cognoscitur scopus fuisse Vigilij, vt non errasse probaret Apostolicæ sedis Legatos, vel alios qui interlocuti sunt post illam recitatam epistolam, Ibam esse Catholicum. Id se idcirco probare conatum, ne hac ex parte derogaretur Chalcedonensi Concilio, idem ipse ad finem huius Constituti testatur; non autem vt cuncta quæ dicerentur in ipsa Ibæ epistola, voluerit asseruisse Catholica. Quæ verò in eamdem sententiam post illa recitata ipse subiiciat, accipe:

His igitur ita in sanctæ Chalcedonensis Synodi iudicio dispositioneq; iacentibus, & ita

IVDICIVM SYNODI DE EPIST. IBAE.

vicariatum sedis Apostolicæ venerandorum Præsulum sustinentium & cæterorum Patrum interlocutionibus declaratis, euidenter aduertimus, quòd ab his, qui in eadem sancta Chalcedonensi Synodo locum beatissimi prædecessoris nostri Papæ Leonis tenuisse noscuntur, dictum sit: *Relecta eius epistola, agnouimus eum esse Catholicum.* & ab Anatolio Constantinopolitano dictum sit: *Lectio omnium quæ sunt subsequuta, demonstrant innoxium Ibam reuerendissimum ab his quæ in eum accusatores intulerant.* à Maximo verò Antiocheno dictum sit: *Ex relecto scripto epistolæ, quod perlatum est ab aduersario eius, Catholica est eius declarata dictatio.* quorum interlocutionibus cæteri Episcopi non solùm non contradixisse, verùm etiam apertissimum noscuntur præbuisse consensum.] hæc Vigilius. A

VTILIS ADMONITIO AVCTORIS.

Antequam autem vlteriùs progrediamur, hîc te admonendum, lector, putamus, non eò spectare sententiam Patrum Chalcedonensis Concilii suis ipsorum recitatis interlocutionibus, vt voluerint probasse epistolam Ibæ refertam erroribus recipiendam esse vt Orthodoxam, cùm in ea essent complures assertæ blasphemiæ, neque id Vigilium asserere voluisse, sed tantùm ex ea esse recipiendum Ibam, in qua nimirum testetur ipse se iam amplecti pacem Ecclesiæ; qua recepta, necesse fuerit eumdem probare Catholicum. Quòd igitur ex dicta epistola complures viderentur assertæ blasphemiæ, ex quibus idem Ibas posset in suspicionem adduci Nestorianæ hæresis: ad hanc suspicionem perpurgandam (licet antea in eadem Actione demonstrauerit se post pacem initam plenissimè Orthodoxum, atque cum Cyrillo communicasse) vt ab illis omnibus idem ipse post pacem acceptam redderetur omnino liber, Patres sanctissimi eiusdem Chalcedonensis Concilij addiderunt hæc in fine eiusdem actionis decimæ: *Omnes reuerendissimi Episcopi clamauerunt: Omnes eadem dicimus: Nestorium modò anathematizet & Eutychetem, & eius dogma modò anathematizet. Ibas reuerendissimus Episcopus dixit: Et iam in scripto auathematizaui Nestorium, & nunc anathematizo eum decem millies. Quod enim semel cum satisfactione fit, si fiat decem millies, non contristat: Anathema & Nestorio, & Eutycheti, & vnam dicenti naturam: & omnem eum qui non sapit sicut hæc sancta Synodus, anathematizo.*] hæc ad finem decimæ Actionis Chalcedonensis Concilij Ibas. Quòd igitur (vt dictum est) non propter errores, quibus antea fuerat Ibas implicitus, in eadem epistola recensitos, Patres dixerunt eam epistolam vt Catholicam recipiendam, sed quòd ex illa ipse Ibas profiteretur se paci inter Ioannem atque Cyrillum initæ consentire; hac ex parte iidem sanctissimi Patres pronunciarunt recipiendam esse: prout declarat his verbis idem Vigilius inferiùs, cùm ista subiungit: B

IBAS PLENE COGNITVS ORTHODOXVS.

Propter illam prædicationem fidei, per quam venerandæ recordationis Cyrillus Alexandrinus Episcopus & reuerendissimus Ioannes Antiochenus Antistes atq; omnes Orientales Episcopi per Paulum Emesenæ ciuitatis Episcopum ad concordiam redierunt, quam Ibas quoque in eadem epistola laudans, libenter amplectitur, Orthodoxa est Ibæ Episcopi à Patribus pronunciata dictatio. Illa verò quæ in ipsa Ibæ sacerdotis epistola in iniuriis beatæ recordationis Cyrilli per errorem intelligentiæ dicta sunt, Patres in sancta Chalcedonensi Synodo epistolam pronunciantes Orthodoxam, nullatenus receperunt: quippe quæ etiam ipse venerabilis Episcopus, intellectu capitulorum eius meliore recepto, mutando refutauit, sicut interlocutione venerandæ memoriæ Eunomij Nicomedienſis Episcopi in eadem sancta Chalcedonensi Synodo residentis euidentissimè declaratur: quod ita se habet: *Eunomius Episcopus Nicomediæ dixit: Iam quidem ex his quæ relecta sunt, innoxius approbatus est beatus Ibas: in quibus etiam dicendo malè culpare visus est beatissimum Cyrillum; & in postremis rectè confessus, illa quæ culpauerat, refutauit. vnde & ego anathematizantem eum Nestorium & Eutychetem & impia eorum dogmata, & consentientem his quæ à sanctissimo Archiepiscopo Leone scripta sunt & in hac vniuersali Synodo, dignum esse Episcopatu decerno.*] Sic vides non alia ex parte probari à Patribus illis Ibæ epistolam, nisi quantum ad id spectat, quod significauit in postrema eius epistolæ parte, se in omnibus pactis conuentis inter Ioannem atque Cyrillum de vnione Catholica facienda præbuisse consensum: nec aliud quidem sensisse cæteros qui interlocuti sunt Patres, ex eorumdem sententiis, quas mox addit, satis apertè demonstrat: pergit enim: C D E

Nam & venerabilis memoriæ Iuuenalis interlocutio hoc idem significat: quod Ibas Episcopus de eo quod sancto Cyrillo capitula eius aliter intelligendo detraxerat, postea professus, quia his ab eo explanatis & à se intellectis, in communionem eius deuotè concurrerit, & de his quæ priùs aliter intellexerat sit conuersus: propterea recipere eum Episcopatum decreuit, vtpote quantum ad professionem fidei Orthodoxum existentem, ita dicens:

Qui

CHRISTI 553. VIGILII PAP. 14. IVSTINIANI IMP. 27.

A *Qui conuertitur, Scriptura diuina suscipi iubet: quapropter & ab hæreticis reuertentes suscipimus. vnde præuideo reuerendissimum Ibam mereri clementiam, quia & senex est, vt habeat Episcopatus gradum, Orthodoxum existentem.* Quibus verbis (inquit idem Vigilius) hoc intelligitur: quòd si ab hæreticis venientes suscipimus; quomodo Ibam, qui est Orthodoxus, & intellectu capitulorum beati Cyrilli hæsitans ei obloqui visus est, nunc ab eo in quo fallebatur intellectu conuersum non suscipiamus, cùm eum Orthodoxum constet existere? Neque enim Orthodoxum existere Ibam diceret Iuuenalis Episcopus, nisi ex verbis epistolæ eius confessionem fidei Orthodoxam comprobaret. Vt autem appareat quia interlocutio Iuuenalis Eunomij interlocutioni concordat, verba ipsa ex interlocutione Eunomij nos edocent, quæ inter alia ita se habent: *In quibus enim dicendo malè culpare visus est beatissimum Cyrillum, in postremis rectè confessus, illa quæ culpauerat refutauerit.* Ex quibus ver-
B bis euidenter declaratur, in Iba Episcopo nihil de confessione fidei reprehensum, quam constat esse laudatam; sed eumdem Ibam, quod fallente intelligentia de beato Cyrillo malè senserat, refutasse.] hæc ipse Vigilius: qui, ne minùs sufficientia esse putarentur ad Ibæ excusationem, quæ ex ipsius epistolæ extrema patre sunt allata, vtpote quòd possent in deteriorem partem accipi, quæ de duabus naturis Ibas ibi habet: Non enim quisquam audet dicere quia vna est natura diuinitatis & humanitatis, sed confiteantur in templum & in eum qui in hoc habitat, qui est vnus Filius Iesus Christus.] quæ quidem verba à Nestorianis in eum accipi sensum consueuerunt, vt ita in Christo duæ ponerentur naturæ, quæ duas pariter constituerent personas inter se diuisas, sicuti sunt templum & qui in eo habitat ab inuicem separata: ne itaque putaretur Ibas eiusdem esse in verbis illis sententiæ cum Nestorianis; ipse Vigilius veluti declarationem verborum illorum ad rectum sensum deducen-
C dorum affert, dum docet ex Actis ipsum Ibam iam recepisse Ephesinum Concilium, cuius professione de Nestorianismo omnis suspicio tolleretur. ait enim:

Nam idem venerabilis Episcopus Ibas ex ipsis Gestis præcedentibus (sicut Photij & Eustathij sententia continet) apertissimè perhibetur habere se & recipere omnia quæ in Ephesina prima Synodo gesta sunt, & æqua iudicare quæ in Nicæa sunt constituta, & nullam differentiam arbitrari eius ad alia, & nimis eius sanctitatem se laudasse pronuncians, quòd pronè Ibas sapuerit curare eos qui vel suspicione vel alio aliquo modo eius læderent opinionem doctrinæ: nam & post explanationem duodecim capitulorum beati Cyrilli factam, & intellectum eius sibi quem sanctus Cyrillus in ipsis capitulis habuit declaratum, & Orthodoxum eum se cum omnibus Orientalibus Episcopis habuisse, & in communione ipsius vsque ad exitum permansisse professus est. Ex quo apparet, eumdem Ibam, &
D priùs quàm duodecim capitula beati Cyrilli intelligeret, & cùm in eis suspicaretur vnam Christi prædicari naturam, Orthodoxo sensu quod malè dictum existimauerat reprobasse: & post explanationem eorum, eumdem Orthodoxo sensu, quæ rectè dicta cognouerat, venerabiliter suscepisse.

Sed & illud indubitanter cunctorum Fidelium mentibus patet, quòd magis in Ephesina secunda hæretico intellectu Dioscorus cum Eutychete beato Cyrillo & primo Ephesino Concilio contumelias irrogarint, qui crediderunt sanctum Cyrillum vnam naturam in Domino Deo nostro Iesu Christo per duodecim sua prædicasse capitula: & ob hoc aliquos Orientales Episcopos, qui vnius naturæ prædicationem noluerunt suscipere, Dioscorus condemnauit: inter quos & Ibam Episcopum propter hanc specialiter fidei eius professionem, qua duas naturas, vnam virtutem, vnam personam, quod est vnus Filius Dominus
E noster Iesu Christus, apertissimè confitetur, hæreticum condemnauit; & Eutychetem propter vnius naturæ prædicationem sicut Catholicum reuocauit, damnans quoque propter duarum naturarum vocem sanctæ recordationis Flauiani personam: & inuentus est ipse magis Dioscorus Ephesinam primam Synodum conari destruere, qui eam sub execrabilis intellectus imagine defendebat; & ampliùs beatum Cyrillum criminatus est laudans Dioscorus atque Eutyches, quàm Ibas sub falsi intellectus errore vituperans. Namque cùm laus atque vituperatio ad vnum tenderent intellectum: Dioscorus & Eutyches, qui laudauerunt, hæretico spiritu laudasse reperti sunt, atque ideo sunt à sancta Chalcedonensi Synodo damnati: at verò Ibas Episcopus, qui per errorem vnam putans in his prædicari naturam, priùs vituperauit capitula; & post declaratum sibi intellectum eorum, communicatorem se beati Cyrilli cum omnibus Orientalibus esse professus est, & in Catholicæ fidei rectitudine ab eadem Chalcedonensi Synodo iudicatus est permansisse. Hæc ergo eadem

QVOMODO ET QVANDO IBAS ADVERSATVS S. CYRILLO.

Synodus

Synodus in Dioſcoro atque Eutychete, qui ſe falſo per beatum Cyrillum velamine tegere A
nitebantur, videns potiùs beati Cyrilli prædicationibus Dioſcorum atque Eutychetem apparere contrarios per hoc quòd vnam poſt adunationem naturam blaſphemo ſpiritu prædicabant, ſimili atque eadem Dioſcorum cum Eutychete ſententia condemnauit, deſtruens Epheſinam ſecundam, primamque confirmans.

VIGILII SCOPVS *Ezech. 22.

Et quia nobis de Ezechielis Prophetæ verbis obiicitur illud, quod ad ſacerdotes Hieruſalem malum à bono non diſcernentes, ex perſona domini dicebat*: Sacerdotes eius ſpernentes legem meam, coinquinauerunt ſancta mea, inter ſanctum & pollutum non diſtinguebant, & inter medium mundi & immundi non ſecernebant: debet veſtra pietas pariter nobiſcum & vniuerſorum corda Fidelium ex his verbis aduertere, ideo nos non audere Chalcedonenſis Synodi retractare iudicium, ne ibidem conſidentibus ſacerdotibus iſta (quod abſit) ab hæreticorum inſidiis macula inuratur: vt eos inter ſanctum & pollutum, & inter B
medium mundi & immundi non potuiſſe diſcernere criminentur, ſi nos modò cauſas eiuſdem ſanctæ Synodi cum conſenſu ſedis Apoſtolicæ iudicio terminatas, ſub qualibet occaſione, viderint retractare. Propterea ergo diſcretionem atque iudicium ſanctorum Patrum nos in omnibus conſeruantes, & rerum omnium diſpoſitionem ſecundùm eam quam reddimus rationem ex Chalcedonenſis Synodi iudicio declaratam, cùm ſatis apertiſſima luceat veritate, ex verbis epiſtolæ viri venerabilis Ibæ rectiſſimo ac piiſſimo intellectu perſpectis, & ex Geſtis apud Photium & Euſtachium habitis; & ex ipſius Ibæ Epiſcopi præſentis à præſentibus intentione diſcuſſa, Patres noſtros in Chalcedone reſidentes iuſtiſſimè Orthodoxam eiuſdem viri venerabilis Ibæ Epiſcopi pronunciaſſe fidem, & reprehenſionem beati Cyrilli, quam humanitus per errorem intelligentiæ euenſſe cognouerant, congrua ſatisfactione purgatam: præſentis ſententiæ noſtræ auctoritate ſtatuimus atque decernimus, C
cùm in omnibus, tum etiam in ſæpiùs memorata venerabilis Ibæ epiſtola intemeratum Patrum in Chalcedone reſidétium manere iudicium.] quo nempe declararunt ex ea Ibam comprobatum eſſe Catholicum, non autem quòd qui in ea recitantur errores aliquo modo recipiendos eſſe putarint, quos iam antea ab iiſdem Patribus & ab ipſo Iba in eadem Synodo liquet fuiſſe damnatos. Quamobrem ne ob eam cauſam ab occaſionem quærentibus ex ea epiſtola aliquid derogaretur integritati ipſius Synodi Chalcedonenſis, idem Vigilius non pro defenſione epiſtolæ, ſed pro firmitate eiuſdem Synodi conſeruanda hæc addit:

Nec quemquam ad ordines & dignitates Eccleſiaſticas pertinentem hoc Conſtituto noſtro permittimus aliquando præſumere vel ſuper eiuſdem epiſtolæ negotium, vel aliis in Chalcedonenſi Concilio conſenſu Vicariorum ſedis Apoſtolicæ iudicatis, ordinatis, definitis atque diſpoſitis, tamquam imperfectis atque reprehenſibilibus, ſiue per additamentum, ſiue per diminutionem, ſiue per immutationem, vel quoquo modo aliquid temeriariæ nouitatis inferre.] hæc ipſe pro defenſione atque integritate Actorum Synodi Chalcedonenſis: adeò vt duplex de ea epiſtola eſſet iudicium faciendum: alterum, cùm epiſtola illa conſideratur in eiuſdem Synodi Actis inſerta & ad hoc poſita, vt qualis tunc eſſet Ibas, qui iam antea hæreticus fuerat, intelligeretur: hac habita ratione, nequaquam detrahendum quis iure dixerit Apoſtolicæ ſedis Legatis, vel aliis, qui ex ea comprobarunt Ibam eſſe Catholicum, cùm ex ea intelligeretur, ipſum eſſe, iam pace facta, redditum vnitati, ob idque non eſſe explodendam epiſtolam, ſed ad hoc quod diximus, probandum, eſſe recipiendam: Alterum verò iudicium faciendum, ſi ea ratio auferatur, atque ſeorſum poſita, extra Acta epiſtola illa conſideretur: tunc quidem iure meritoque nemo non dixerit (quod pariter à ſancta Synodo & ſanctiſſimorum Pontificum decretis definitum poſtea E
fuit) eam epiſtolam ob blaſphemias in ipſa poſitas penitus reſpuendam. Sed quæ his addat Vigilius, accipe:

DVPLEX IVDICIVM DE IBAE EPIST.

DE DVODECIM CAPITVLIS CYRILLI.

Pari ratione decernimus, ne quiſquam epiſtolæ beati Cyrilli, cui duodecim ſunt ſubiecta capitula, vel ipſis capitibus aduerſus Neſtorij perfidiam promulgatis exiſtimet derogandum: cùm conſtet eumdem Ibam, vel inter omnes Orientales Epiſcopos poſt explanatum ſibi eorumdem capitulorum intellectum, beati Cyrilli communicatorem toto vitæ eius tempore permanſiſſe, abiicientem ea, & à veri intellectus rectitudine repellentem, in quibus vel ex ſupraſcripta epiſtola vnius Ibæ Epiſcopi; vel ex omnibus quæ in ſancta Synodo Chalcedonenſi iudicata, ordinata, definita, atque diſpoſita ſunt, ita quicquam aptatur, vt per auctoritatem eiuſdem Synodi aut peruerſum dogma aſſertum eſſe Neſtorij, aut ipſe dicatur Neſtorius excuſatus.

Et ne

A Et ne quis forsitan arbitretur ambiguum, quod præfatis Legatis atque Vicariis sedis Apostolicæ à beatissimo Papa Leone tantum fidei causa, & non etiam de depositorum incompetenter Episcoporum fuerit reuocatione mandatum, & quasi superfluè Ibæ quoque Edessenæ ciuitatis Episcopi causam coram sanctis Patribus existimet agitatam: nouerit beatissimum Papam Leonem sanctæ Chalcedonensi Synodo hæc inter cæteta scripsisse, dicendo: Quia verò non ignoramus per prauas æmulationes statum multarum Ecclesiarum fuisse turbatum, plurimosque Episcopos qui hæresim non reciperent, sedibus suis pulsos, & in exilia deportatos, atque in locum superstitum alios substitutos: his primitus vulneribus adhibenda est medicina iustitiæ, ne quisquam careat propriis, vel aliter vtatur alienis.

Et ne quis dubitet, vtrum ea quæ de restitutione Episcoporum gesta sunt in Chalcedonensi Synodo, ad beatissimi Leonis fuerint perducta notitiam, & ab eodem confirmata:
B ipsam potiùs Synodi relationem ad beatissimum Leonem prædecessorem nostrum directam congrua legere solicitudine non omittat: cuius post alia in fine hæc verba sunt: Omnem vobis Gestorum vim insinuare curauimus ad consistentiam nostram, & eorum quæ à nobis acta sunt, confirmationem & dispositionem. post quorum notitiam idem beatissimus Papa Leo ad piæ memoriæ Pulcheriam Augustam gratias referens de restitutis Episcopis, ita scribit: Clementia igitur vestra cognoscat omnem Romanam Ecclesiam de vniuersis fidei vestræ operibus plurimùm gratulari, siue quòd legationem nostram pio per omnia iuuistis affectu, & quòd sacerdotes Catholicos, qui ab Ecclesiis suis iniusta fuerant electi sententia, reduxistis. Ecce & in eo quòd omnia Gesta beatissimo Papæ Leoni directa sunt, rerum gestarum ad eum perducta notitia est, & in recurrentium actione gratiarum rerum gestarum confirmatio declaratur.

C Non dubitamus igitur omnium Fidelium sensibus patefactum, quæ Vicariis beati Leonis Papæ loco eius Synodo præsentibus, ab eodem fuerit dispensandarum rerum forma mandata, vel quales ad expungendum perceperint actiones, vel quæ ab illo generali Concilio, præsidente ac consentiente per Vicarios suos sedis Apostolicæ Præsule, fuerint constituta: quæ neque minui, neque augeri, neque perfringi, neque posse fas est ab aliquo retractari. Non licere autem venerandæ Chalcedonensis Synodi statuta conuelli, vel quolibet colore seu titulo retractari, prædecessorum nostrorum pauca de innumeris prolata constituta nos docent, ex illius præcipuè beati Leonis prædecessoris nostri epistolis, quo in Vicariis suis Summo Præsule floruit sanctum Chalcedonense Concilium. Ait namque in epistola ad piæ memoriæ Leonem Augustum ita: Hæc autem Dei munera ita demum nobis diuinitus conferuntur, si de his quæ sunt præstita non inueniamur ingrati, & tanquam nulla sint quæ adepti sumus, contraria potius expectemus. Nam quæ patefacta sunt quærere, quæ perfecta sunt retractare, & quæ sunt definita conuelli, quid aliud est, quàm de adeptis gratias non referre, & ad interdictæ arboris cibum in prauos appetitus mortiferæ cupiditatis extendere? Et post aliquanta, ita: Prænoscat (inquit) igitur pietas tua, venerabilis Imperator, hos quos spondeo dirigendos, non ad confligendum cum hostibus fidei, nec certandum contra illos à sede Apostolica profecturos: quia de rebus & apud Nicæam & apud Chalcedonem, sicut Deo placuit, definitis, nullum audemus inire tractatum, tamquam dubia vel infirma sint, quæ tanta per Spiritum sanctum fixit auctoritas.

QVID S. LEO PRO INTEGRITATE CONCILII CHALCED.

Necnon idem beatus prædecessor noster Papa Leo ad præfatum venerabilem Augustum in alia epistola: Non sinas (ait) contra dexteræ Omnipotentis triumphos rediuiuis exE urgere motibus extincta certamina: præsertim cùm in damnatis iamdudum hæreticorum ausibus omnino non liceat: & hic fructus piis laboribus debeatur, vt omnis Ecclesiæ plenitudo in suæ vnitatis soliditate secura permaneat, nihilque prorsus de bene constitutis retractetur: quia post legitimas & diuinitus inspiratas constitutiones velle confligere, non pacifici est animi, sed rebellis, dicente Apostolo[a]: Verbis enim contendere nihil vtile est, nisi ad subuersionem audientium. Nam si humanis persuasionibus semper disceptare sit liberum, numquam deesse poterunt, qui veritati audeant resultare, & de mundanæ sapientiæ loquacitate confidere. Item post pauca: Piè nobis & constanter videndum est, ne dum talium disputatio admittitur, his quæ diuinitus definita sunt auctoritas derogetur. Item in epistola Papæ Leonis ad Anatolium Constantinopolitanum Episcopum: Vt autem hæc exhortatio ad omnium fratrum possit notitiam peruenire, diligentiæ vestræ cura perficiat: quia (quod sæpè dicendum est) tota religio Christiana turbatur, si quicquam de his quæ

[a] 2. Tim. 2.

apud

apud Chalcedonem constituta sunt, conuellatur; & quæ ex diuina sunt dispositione com- A
posita, vlla patiamini nouitate temerari.

QVID PRO SYNODO CHALCED. SIMPLICIVS PAPA.

Sed & beatissimus prædecessor noster Papa Simplicius ad Zenonem Augustum sic inter cætera dicit: Neque aliquis dubius rationis & trepidus mentis expectet noui aliquid post Chalcedonense Concilium contra definitiones ipsius retractari: quia per vniuersum mundum insolubili obseruatione retinetur, quòd à sacerdotum vniuersitate est constitutum. Item memoratus Papa Simplicius Zenoni Augusto: Nullus ad aures vestræ pietatis pernicioſis mentibus pandatur accessus, nulla retractandi de veterrimis fiducia concedatur: sic hæresum denique machinamenta cunctarum Ecclesiasticis prostrata decretis, numquam sinuntur oppugnationibus elisa reparare certamina. Item prædictus Papa Simplicius ad præfatum Zenonem Augustum: Ita Chalcedonensis Synodi constituta, vel quæ beatæ memoriæ prædecessor meus Leo Apostolica traditione perdocuit, intemerata vigere iubeatis: B
quia nec vllo modo retractari potest, quod illorum definitione sopitum est.

QVID VIGILIVS CONSVLTVM VOLVIT CONC. CHALCED.

Constat ergo ex præfatis testimoniis Patrum quam tenere debeamus pro Apostolicæ sedis rectitudine, & pro vniuersalis Ecclesiæ consideratione cautelam: cuius nos quoque cautelæ iamdudum memores, in eam quam tunc dederamus ad Mennam Constantinopolitanum Episcopum epistolam, quam tum præsentibus pluribus sacerdotibus & glorioso Senatu, Menna sanctæ recordationis Episcopo vestræ clementiæ offerente, & pietate vestra nobis cum eius consensu restituente receptam, quantum ad Trium capitulorum causam pertinet, euacuauimus, nullatenus à loci nostri atque propositi circumspectione cessantes, competentem Chalcedonensis Synodi reuerentiam curauimus omnibus exhibere, sicut series eiusdem testatur epistolæ: cuius ad probandam cautelam nostram subiecimus perpauca de plurimis: quibus diligenter inspectis, qualiter apud nos sancta Chalcedonensis C
Synodus inuiolata permanserit atque permaneat, euidenter ostenditur. Siquidem de eadem Synodo ita nos ipsa epistola nostra certum est inter cætera posuisse, dicentes: Cùm apud nos manifesta ratione perclareat, quicunque in contumeliam antefatæ Synodi aliquid tentat agere, sibi potiùs nociturum. Item post alia:

QVANTVM DEFERENDVM SYNODIS.

Sed si euidenter nobis fuisset ostensum in ipsis Gestis potiùs contineri, nullus auderet tantæ præsumptionis auctor existere, vt aliquid, quod in illud sanctissimum iudicium productum est, velut dubium iudicaret: cùm credendum sit, illos tunc præsentes à præsenti rerum memoria diligentiùs etiam præter scriptũ aliqua requirere, vel definire certiùs potuisse, quod nobis nunc post tanta tempora velut ignota causa videatur ambiguum, cùm & hoc deferatur reuerentiæ Synodorum, vt & in his quæ minùs intelliguntur, eorum cedatur auctoritati. Item post alia: Saluis omnibus, atque in sua perpetua firmitate durantibus, quæ D
in Nicæno, Constantinopolitano, Ephesino primo, atque Chalcedonensi venerandis constant Conciliis definita, & prædecessorum nostrorum auctoritate firmata; & cunctis, qui in memoratis sanctis Conciliis abdicati sunt, sine dubitatione damnatis, & his nihilominus absolutis, de quorum ab iisdem Synodis absolutione decretum est. Item post alia:

PRO CONC. CHALCED. VIGILII ASSERTIONES.

Anathematis sententiæ eum quoque subdentes, qui quæuis contra prædictam Synodum Chalcedonensem, vel præsenti, vel quælibet in hac causa siue à nobis, siue à quibuscumque gesta scriptáve inueniuntur, pro aliqua susceperit firmitate: & sancta Chalcedonensis Synodus, cuius magna & inconcussa est firmitas, perpetua & veneranda, sicut Nicæna, Constantinopolitana, atque Ephesina prima habent, suam teneant firmitatem. Item post alia: Anathematizamus & eum quoque, quicumque sanctam Nicænam, Constantinopolitanam, Ephesinam primam, atque Chalcedonensem sanctissimas E
Synodos in vna & immaculata fide Apostolis consonantes, & ab Apostolicæ sedis Præsulibus roboratas, non & fideliter sequitur, & æqualiter veneratur: vel qui ea quæ in ipsis sanctis Conciliis, quæ præfati sumus, gesta sunt, vult quasi praue dicta corrigere, aut vult imperfecta supplere.

SYNODO CHALCED. VVLT CONSVLTVM.

Ecce, venerabilis Imperator, luce clariùs demonstratur, hanc nos habuisse semper in sanctarum quatuor Synodorum reuerentia voluntatem, & quæcumque à sanctis Patribus in eisdem considentibus definita, vel statuta, siue iudicata sunt, intemerata permanere. Manentibus ergo omnibus quæ de epistola Ibæ personaque eius in sanctorum Patrum & sedis Apostolicæ Vicariorum interlocutionibus continentur, illud nobis, omnibusque Catholicis æquali voluntate sufficiat, quod illic sibi sancta Synodus sufficere posse clamauit, dicendo: Nestorium & eius dogmata modò anathematizet: quo anathemate nefandissimorum

A morum Nestorij & Eutychetis ab Iba Episcopo toties iterato, totius satisfactum esse Synodi voluntati.

His igitur à nobis cum omni vndique cautela atque diligentia propter seruandam inuiolabilem reuerentiam prædictarum Synodorum & earumdem venerabilia constituta disposítis: memores scriptum esse, terminos patrum nostrorum nos transcendere non debere: Statuimus & decernimus, nulli ad ordines & dignitates Ecclesiasticas pertinenti licere quicquam contrarium his quæ præsenti asseruimus vel statuimus Constituto, de sæpè dictis Tribus capitulis aut conscribere, vel proferre, aut componere, vel docere, aut aliquam post præsentem definitionem mouere vlteriùs quæstionem. Si quid verò de iisdem Tribus capitulis contra hæc, quæ hîc asseruimus vel statuimus, nomine cuiuscumque ad ordines & dignitates Ecclesiasticas pertinentis factum, dictum, atque conscriptum est, vel fuerit, & à B quolibet vbicunque repertum; hoc modis omnibus ex auctoritate sedis Apostolicæ, cui per gratiam Dei præsidemus, refutamus.] VIGILII PROHIBITIO.

Subscriptio.

A ☧ Ω. Iuuante Deo & per ipsius gratiam Vigilius Episcopus sanctæ Ecclesiæ Catholicæ vrbis Romæ huic Constituto nostro subscripsi.

Subscriptiones Episcoporum.

Ioannes Episcopus Ecclesiæ Marsorum huic Constituto consentiens, subscripsi.

Zachæus Episcopus Ecclesiæ Scyllacenæ huic constituto consentiens, subscripsi.

Pastor misericordia Dei Episcopus Ecclesiæ Iconiensis Metropolis huic Constituto consentiens, subscripsi.

C Vincentius Episcopus Claudiopolitanus Metropoleos huic Constituto consentiens, subscripsi.

Zacchæus Episcopus rogatus à fratre Valentino Episcopo Siluæcandidæ, ipso præsente & consentiente & mihi dictante, huic Constituto pro ipso subscripsi.] *Valentinus hic est ille, de quo superiùs egimus: qui missus Vicarius à Vigilio Romam, in Portu Romano à Totila Rege Gothorum amputatus est manibus, ob idq; per alium subscribit.*

Iulianus humilis Episcopus Ecclesiæ Cingulanæ huic Constituto consentiens, subscripsi.

Paulus humilis gratia Dei Episcopus Ecclesiæ Vlpianensis huic Constituto, quod beatissimus Papa Vigilius in causa Trium capitulorum protulit, ad omnia suprascripta consentiens, subscripsi.

Proiectus Episcopus Nassitanæ ciuitatis huic Constituto consentiens, subscripsi.

D Fabianus gratia Dei Episcopus Zapparenæ ciuitatis huic Constituto, quod beatissimus Papa Vigilius in causa Trium capitulorum protulit, ad omnia suprascripta consentiens, subscripsi.

Primasius Dei gratia Episcopus ciuitatis Adrumetinæ, quæ etiam Iustinianopolis dicitur Consilij Bizaceni, huic Constituto, quod beatus Papa Vigilius in causa Trium capitulorum protulit, consentiens, subscripsi.

Stephanus Episcopus Ecclesiæ Ariminensis huic Constituto consentiens, subscripsi.

Alexander Episcopus Ecclesiæ Melitenæ huic Constituto consentiens, subscripsi.

Iulianus Episcopus Ecclesiæ Melitensis huic constituto consentiens, subscripsi.

Redemptus Episcopus Ecclesiæ Nomentanæ huic Constituto consentiens, subscripsi.

Venantius Episcopus Ecclesiæ Lippiensis * huic Constituto consentiens, subscripsi. * Liparensis

E Quoduultdeus Episcopus Ecclesiæ Numanæ * huic Constituto consentiens, subscripsi. * Nuceranæ

Theophanius Archidiaconus sanctæ Ecclesiæ Romanæ huic Constituto consentiens, subscripsi.

Pelagius miserante Deo Diaconus sanctæ Ecclesiæ Romanæ huic Constituto consentiens, subscripsi.

Petrus miserante Deo sanctæ Ecclesiæ Romanæ Diaconus huic Constituto consentiens, subscripsi.

Datum pridie Idus Maij, imperante domino nostro Iustiniano perpetuo Augusto anno XXVII. Post Consulatum Basilij V.C. anno XII. in Constantinopolitana ciuitate.] hactenus Vigilij tractatus, Constituti nomine nuncupatus. Porrò eiusmodi Vigilij decretum antè conscriptum, ad Imperatorem primùm datum, ab eodem ad Synodum missum esse, ex sequenti Collatione sexta Synodi Quintæ possumus intelligere, in qua allata ab ipso Vigilio

gilio pro defensione Ibæ epistolæ, nempe interlocutiones Episcoporum in Concilio Chalcedonensi confutantur. A

COLLATIO SEXTA AD MODVM DEPRAVATA.

Agamus igitur de ipsa, quæ sexta ordine sequitur, Collatione: De qua primùm monendum, quòd dum falsa quædam asserta ibi reperiuntur, de impostura non mediocrem suspicionem inducunt: cùm videlicet habetur ibidem dictum, Ibam negasse epistolam esse suam, ex eo quòd post vnionem pacemque factam negauerit se quicquam contra Cyrillum esse locutum. Verùm cùm eodem momento pacis initæ eam scripserit Ibas epistolam: quod dixit, post vnitatem inclusiuè intelligi voluit, post quam minimè probaretur ipsum aduersus Cyrillum aliquod protulisse indecens verbum. Sed & quod ibidem subditur, eamdem epistolam in Synodo Chalcedonensi à Patribus fuisse damnatam, ipsa Acta secus docent: neutrum enim horum verum esse, superiùs cùm egimus de Chalcedonensi Concilio sexto tomo ex ipsius Synodi Actis apertiùs demonstrauimus. Certè quidem & sanctum B Gregorium Romanum Pontificem eadem Acta deprauata nactum esse, dum eadem affirmat, item ostendimus. Etenim Ibam eamdem epistolam suam esse professum, & Legatos Apostolicæ sedis inter alios asseruisse, ex ea lecta epistola Ibam cognitum esse Catholicum, quòd Catholica pacta conuenta initæ pacis se recipere profiteretur, inter quæ erat damnatio Nestorij & eius errorum, superiùs diximus.

COLLATIO SEXTA.

Porrò hæc sexta Collatio, quæ celebrata ponitur decimoquarto Kal. Iunias, eo ordine disposita est, vt cùm in ea actum sit de ipsa causa Ibæ (quod est vnum ex tribus capitulis) primo loco ipsius Ibæ epistola recitata sit, indeque contra Ibam epistola Procli in medium allata, ex quibus conuinceretur Ibas post pacem Ecclesiæ perseuerasse Nestorianus: postea iudicium de ipso habitum Berythi breuiter repetitum est. Inde verò additum de interlocutionibus Episcoporum, quæ in causa Ibæ in Chalcedonensi Concilio descriptæ reperiun- C tur, actumque est (vt apparet) aduersus Vigilij Constitutum, licet præ reuerentia ipsum non nominauerint: partimque excusant, partim verò redarguunt, hoc vsi potissimùm argumento: In Conciliis non vnius vel secundi interlocutionem attendere oportet, sed quæ communiter ab omnibus vel amplioribus definiuntur.] Istis subiiciunt, ex Episcoporum etiam interlocutionibus probari epistolam Ibæ esse hæreticam, & damnatam à Patribus, cùm videlicet ipsum Ibam coegerunt damnare Nestorium, cui visa esset eadem epistola fauisse. Post hæc autem relegi iussa sunt Acta primæ Synodi Ephesinæ, & sancti Leonis Papæ ad Flauianum epistola, atque ex Concilio Chalcedonensi petita fidei professio, cui collata epistola Ibæ in multis comprobata est hæretica, ob idque ab omnibus condemnata, dictumque iterum anathema Nestorio, ac Theodoro Mopsuesteno. huncque finem tandem sortita est Collatio sexta.

QVOMODO EX EPISTOLA HAERETICA IBAS OSTENSVS CATHOLICVS.

Sed quomodo hæc non contradicant Actis Synodi Chalcedonensis, in quibus interlocutione Apostolicæ sedis Legatorum & aliorum disertis verbis dictum est, ea lecta epistola, Ibam auctorem eius probari esse Catholicum? nam si epistola esse pronunciatur hæretica, quomodo auctor ipsius dici potuit probari Catholicus? De his cùm sæpe superiùs dictum sit, dum de eodē Concilio Chalcedonensi est historia recitata, atque itidem nuper ingestum iterum: hîc rursum paucis erit in memoriam reuocandum: nimirum quod in fine habetur epistolæ, eius auctorem Ibam pacem in Ecclesia initam esse testari, seque ostendere ex eo lætari, pacique consentire, dum de restituta concordia Deo gratias agit: cumque ea conditione transactio illa facta fuerit, vt Nestorius atque eius pariter condemnarentur errores, Synodusque Ephesina prior, & in ea decreta reciperentur: planè ex necessaria proue- QVID A GRAECIS ADDITVM AD CONC. CHALCED. niebat assumptione, vt & (quod Catholici esset hominis) Ibas Nestorium condemnarit, E Synodumque Ephesinam professus sit. Sic igitur haud perperam interlocuti sunt Apostolicæ sedis Legati & alij, cùm dixerunt, epistola illa lecta, Ibam probatum esse Catholicum: & hoc planè fuit quod interlocutus est Eunomius Episcopus, ipsam epistolam in principio apparere hæreticam, in fine verò inuentam esse Catholicam. Sed de his modò satis, de quibus superiùs sæpè diffusiùs actum est.

At non prætermittamus hîc Græcorum illorum vafriciem notam facere, nimirum præter fas iusque sacrum corrupisse textum Synodalium Actorum, dum tandem addiderunt (quod diutiùs tentarant) verba illa ad Chalcedonēse Concilium, de quibus sub Hormisda Papa diu fuerat altercatum, cùm contenderent nonnulli Eutychianæ hæresis suspecti, præsertim verò Scythæ monachi, de quibus superiùs pluribus actum est, vt in ipsam sacrosanctam Synodum Chalcedonensem inferrentur verba ista: Dominum nostrum Iesum Christum

D

stum vnum esse de sancta Trinitate.] quod cùm tunc non obtinuissent, quòd absque additamento Synodus rectè consisteret: hic modò dum confertur Ibæ epistola cum Concilij Chalcedonensis professione, hæc recitant Synodi verba: Chalcedonensis sancta Synodus in definitione quam de fide fecit, prædicat Deum Verbum incarnatum hominem factum esse.] addideruntque Synodi verbis hæc: Qui est Dominus noster Iesus Christus vnus de sancta Trinitate, &c.] quasi id professa fuerit ipsa Synodus Chalcedonensis, quæ potiùs vnam dicere maluit personam sanctæ Trinitatis, quàm vnum de sancta Trinitate. Sed cur id dicendum recusarit Hormisda ob dolos vitandos hæreticorum Eutychianorum, & cur à successoribus ad confutandos Nestorianos illa sint verba recepta, dictum est de his pluri-
B bus suo loco superiùs. Iam verò veniamus ad septimam Collationem.

Rursum enim ad septimum Kalendas Iunij ijdem qui suprà Orientales Episcopi ad Synodum conuenere. Vbi primùm Constãtinus Quęstor nomine Imperatoris Synodo suggessit, vt singula legerentur quæ Vigilius ad diuersos scripsisset, siue cùm damnauit Rusticum & Sebastianum Ecclesiæ Romanæ diaconos, siue cùm suspicione pulsatus de Trium capitulorum damnatione litteras scripsisset ad Valentinianum Tomitanæ in Scythia Ecclesiæ Antistitem, necnon ad Aurelianum Episcopum Arelatensem; in eo ex his laborante Imperatore, vt posset arguere ipsum Vigilium præuaricationis, quasi ante Tria capitula condemnasset, quæ postea defendisset. Ad postremum verò recitantur Acta Antiochena, quibus docetur, Nestorianos vendicantes sibi vt suum Theodoretum, eius imaginem super currum cum triumpho duxisse. His peractis, absoluta est Collatio septima. COLLATIO SEPTIMA.

C Vltima demum Collatio habita legitur quarto Nonas Iunias: in qua recitata est sententia contra Theodorum Mopsuestenum, Ibæ epistolam, & Theodoreti scripta aduersus Cyrillum. est eius exordium: Magno Deo & Saluatore nostro Iesu Christo, &c.] Ad calcem verò sententiæ à Synodo positi habentur duodecim anathematismi contra Nestorij & Eutychetis hæreses & aduersus Tria illa capitula: quæ omnia secuta subscriptio Episcoporum roborauit. Ab Eutychio Episcopo Constantinopolitano primùm omnium subscriptum est latæ sententiæ, inde ab Apollinare Alexandrino, & Domno Antiocheno: sed cùm Episcopus Hierosolymitanus non adesset Eustochius, per legatos subscriptus legitur. sunt omnes numerati centum sexagintaquinque. Quid autem in eadem sententia de Vigilio Papa sint prælocuti, hic recitemus; sic enim se habent: OCTAVA ET VLTIMA COLLATIO.

Quia contigit Vigilium religiosissimũ in hac regia vrbe degentem omnibus interesse quę
D de Tribus capitulis annotata sunt, & tam in scriptis quã sine scriptis ea sępiùs condemnasse: postea tamen & consensit in scriptis in Concilio conuenire & disceptare vnà nobiscum de his tribus capitulis, vt diffinitio communiter ab omnibus nobis præbeatur fidei rectæ conueniens: piissimus Imperator (secundũ quod inter nos placuit) tam ipsum quàm nos hortatus est communiter cõuenire, eo quòd sacerdotes decet communibus quæstionibus finem communem imponere. Vnde necessariò petiuimus ipsius reuerentiam, scriptis suas promissiones adimplere: nec enim iustum esse amplius scãdalum de his Tribus capitulis crescere, & Dei Ecclesiam conturbari.] & inferiùs: Cùm autem & à nobis omnibus inuitatus, & insuper glorioſissimis Iudicibus missis ad ipsum à piissimo Imperatore, promisit per se ipsum de iisdem Tribus capitulis sententiam proferre. Huiusmodi responso audito, Apostoli nos admonitiones in corde habentes, quòd vnusquisque pro se rationem reddet Deo, timentes
E autem & scandalum imminens eis qui vel vnum ex minimis scandalizant, quãto magis Imperatorem ita Christianissimum & populos & Ecclesias totas, &c.] subditur enim causa, cur ipsi ad ea de Tribus capitulis definienda permoti fuerint, putantes præmissam excusationẽ sufficere, quòd Vigilius Põtifex, vocatus licet tam solemniter, ad Synodũ venire recusarit. QVAE RELATA IN SENTENTIAM DE VIGILIO.

Ex his primùm illud considerandum putamus, renuentem Vigilium minimè coactum fuisse aliquo termino peremptorio ex more præfixo ad Synodum conuenire, neque prohibitum pro arbitrio de causa in Synodo ventilanda, pendente Synodo, sententiam ferre; neque vlla ob id à Synodo censura perculsum. Illud insuper, quòd sciret Synodus absque assensu Romani Pontificis irrita reddi decreta Concilij: vtcumque possent Vigilij consensum ad ea quæ ab ipsis de Tribus capitulis sunt definita prætendere; in sententia posuerunt, antea ab ipso & scriptis & sine scriptis. Tria damnata esse capitula, tacentes omnino quid ab ipso per editum Constitutum, pendente Synodo, pro defensione Trium capitulorum decretum esset; vtpote quòd scirent, non esse cuiusuis Synodi infringere latam sententiam ab ipso Romano Pontifice. Hæc, inquam, omnia tacuere, vt qui (quod dictum est) REVERENTVR ADVERSARII AVCTORITATEM ROM. PONT.

non ignorarent, nullius esse roboris, quæ contra præceptum eiusdem Pontificis esset Synodus congregata, & quæ ipso contradicente, in eadem fuissent Synodo constituta. Quòd igitur scirent, non esse tantum virium cuiuis Synodo quolibet numero Episcoporum pollenti, vt infringere possit decreta Romani Pontificis: silentio potiùs agere, quàm contrariis niti viribus, consultius visum fuit: sicque nullam penitus de Vigilij Constituto, quo defendebat Tria capitula, mentionem habendam esse duxerunt. A

QVALIS ISTA SYNODVS.

His ita se habentibus, si ad numeros omnes, quibus constare debet Synodus, vt Oecumenica in Spiritu sancto legitimè congregata dicatur, istam conferas: rebus sic stantibus quas exhibent Acta, planè consentiens ipsam non Oecumenicæ tantùm, sed nec priuatæ Synodi mereri nomen, vt quæ resistente Romano Pontifice fuerit congregata, & contra ipsius decreta ab ea pariter sententia dicta. At quomodo factum sit, vt eadem postea nomen Synodi obtinuerit Oecumenicæ, inferiùs dicturi sumus. B

FRVSTRA CONDESCENDITVR HAERETICIS.

Hìc modò illud considerandum est: num effectum illum fuerit id Concilium consecutum, cuius causa fuit indictum, nempe vt Eutychiani illi hæretici, qui dicebantur Hæsitantes, reciperent (vt promittebatur) sacrosanctum Chalcedonense Concilium, Tribus illis, quibus offendi videbantur, capitulis condemnatis? minimè gentium: etenim in errore pressiùs permansere. vnde ex hac Synodo euidens fuerit posteris relictum exemplum, nihil contra fas hæreticis concedendum sub specie conuersionis illorum. Nam audi Leontium Scholasticum, qui his temporibus hæc scribebat[a]: Alia (inquit) nobis oritur de Iustiniani tẽporibus difficultas: nam quia Iustinianus, qui videret Hæsitantes occlamare Theodoreto* & Ibæ, quasique propter ipsos auersari Synodũ, anathemati eos subiecit: obiiciunt nobis, quamobrem illos anathematizassemus? Aut boni scilicet erant, aut mali. Si boni, cur anathematizatis? Si mali, cur à Synodo, *Chalcedonensi videlicet*, recepti sunt? Quòd si vos iam ipsos vt malos anathematizatis, quid hoc ad Chalcedonense Concilium à vobis probatum, quod eos suscepit? Ad hoc respondemus, Iustinianum hoc certo quodam consilio feciss̃e. Nam quia videbat (vt diximus) horum causa Hæsitãtes Synodum auersari: perfecturum se putabat, vt iis anathematizatis, Synodus reciperetur. Ideoque duos anathematizandos duxit (quamquam minimè anathematizatos oportuit) vt omnes ad vnionem redigeret. Hanc igitur ob causam illos anathemati subiecit. Verùm nec sic quidem adducti sunt Hæsitantes vt Synodum reciperent.] hæc Leontius, qui & alia quæ in Orthodoxos iidem Hæsitantes obiicerent, recensetque atque refellit. citat ipsum Ioannes Damascenus[b]: C

[a] *Leont. de sect. Act. 6. in fine & 7.* * Theodoro

[b] *Ioã. Damasc. de Orthod. fid. lib. 3. c. 11*

IVSTINIAN. RESISTENTES SYNODO PVNIT EXILIO.

At non hæretici tantùm minimè conuersi (quod ferendum aliquo pacto esset) sed quod longè deterius est, Orthodoxi schismate diuisi sunt, & vniuersa Ecclesia Catholica schismate dilacerata: & quod monstruosius accessit, ab Imperatore, qui Christianissimus semper videri voluit, persecutio excitata fuit, & haud quidem leuis: siquidem illi qui damnationem Trium capitulorum non reciperent, Imperatoris iussu in exilium agebantur. Nam audi Liberatum Diaconum[c], dum ait, quòd sicuti omnes qui consentiebant in damnationem Trium capitulorum, ab Imperatore muneribus ditabantur: Ita (inquit) non consentientes, depositi, in exilium missi sunt: vel aliqui fuga latitantes in angustiis felicem exitum susceperunt.] hæc ipse, qui vnà cum suis Africanis pro Tribus capitulis pariter pugnauit. Sed & de Victore in Africa Episcopo hæc Isidorus habet[d]: Victor pro defensione Trium capitulorum à Iustiniano Augusto exilio in Ægyptum transportatur. Vnde rursus Constantinopolim euocatus, dum Iustiniano Imperatori & Eutychio Constantinopolitanæ vrbis Episcopo obtrectatoribus eorumdem Trium capitulorum resisteret, rursus in monasterium eiusdem ciuitatis custodiendus mittitur, atque in eadem damnatione (vt dicunt) permanens moritur.] hæc de Victore Isidorus. Constat & Facundum Hermianensem Episcopum in Africa quæsitum ad pœnas, eo quòd quàm disertissimè pro Tribus illis (vt diximus) scripsisset capitulis: ipsum autem captantem latebras euasisse, è quibus aduersus Mocianum hæc ipsa exprobrantem libellum scripsit. D

[c] *Liberat. diac. in Breuiar. c. vlt.*

[d] *Isidor. de Vir. Illust. c. 25.*

EPISC. AFRI ET ILLYRICI DIRA PASSI.

At non Africanis tantùm Episcopis ob eamdem causam idem Imperator negotium facessiuit, sed aduersus Illyrici Episcopos, qui pro Tribus capitulis collegerant Concilium, edictum promulgauit. De his enim hæc Isidorus habet[e], cùm de Iustiniano Imperatore agit: Condidit quoque (inquit) & rescriptum contra Illyricanam Synodum & aduersus Africanos Episcopos, in quo Tria capitula damnare contendit, &c.] Immunes à persecutione illi tantùm fuere, qui non sub ipsius Iustiniani degebant Imperio: hincque accidit, vt Venetæ & ei adiacentium regionum Episcopi, cùm essent sub Francorum dominio (Franci enim E

[e] *Isidor. de Vir. illustr. c. 18.*

A enim tunc illis dominabantur prouinciis) contra Quintam Synodum cogerent Concilium Aquileiæ, cuius meminit Beda. Quem igitur contra aduersantes Episcopos promulgasse constat edictum, num Vigilio Papæ pepercit, qui pro Tribus capitulis aduersus Imperatoris promulgatum antè decretum & contra Synodi sententiam Constitutum antè à se editum vniuersæ Ecclesiæ notum fecit? minimè quidem. Liquet enim ex Anastasio, Vigilium vnà cum iis qui cum ipso erant, in exilium fuisse deportatum, demum verò rogatu Narsetis ab exilio omnes pariter reuocatos: de quorum restitutione suo loco acturi sumus.

AN VIGILIVS CONSENSERIT QVINTAE SYNODO.

Porrò si Vigilius in exilium actus est: quomodo dicunt nonnulli ipsum Vigilium per litteras consensum iam Synodo tribuisse? non enim ista sibi inter se aduersantia simul conuenire possunt, vt Vigilius consensum Synodo præbuerit, & in exilium actus sit: cùm præsertim Liberatus testetur eos qui in damnatione Trium capitulorum Synodo consenserunt,
B ab Imperatore abdicatos esse. Græcorum tamen nonnulli sunt, qui de ipsius Vigilij consensu affirmat, quòd scilicet scirent absque eius assensu cuncta irrita cassaq. ipso iure esse. Euagrius enim hæc ait [a]: Vigilius autem per litteras consensit Concilio: non tamen interesse voluit.] eadem quoq. Nicephorus [b] tradit, necnō Eustathius in Vita Eutychij: id ipsum Cedrenus, Zonaras atq. Photius de septem Synodis apud Euthymiū in Panoplia [c]. Sed mihi verisimile non fit, vt vel pendente Synodo, vel statim vt est absoluta, id Vigilius fecerit, tum ex his quæ dicta sunt de eius exilio mox secuto: tum etiam quod si verum esset, tunc per litteras assensum Vigilium tribuisse, vtique litteræ illæ tanto emendicatæ labore atque industria Actis fuissent intextæ, & plurima earum exemplaria exscripta, notaque facta omnibus tum Orientalis, tum Occidentalis orbis Ecclesiis, non secus ac epistola Leonis Papæ, quòd ex illis validarentur quæ à Synodo sancita ipso contradicente essent inualida. An autem post
C exilium assensus sit, cùm redire Romam permissus est, suo loco dicemus.

[a] *Euagr. lib. 4. c. 37.*
[b] *Niceph. lib. 17. c. 27. & 28.*
[c] *Euthym. Panop. part. 2. tit. 24.*

QVA AVCTORITATE QVINTA SYNODVS OECVMENICA FACTA SIT.

Sed dices: Si Vigilius tunc cùm ageretur non consensit, neque ratam statim absolutam Synodum habuit: quonam pacto nomen & titulum & auctoritatē obtinuit Oecumenicæ? Hic siste, lector, atq. rem attentè cōsidera: non esse hoc nouum, vt aliqua Synodus, cui nec per Legatos ipse Pontifex interfuerit, sed aduersatus fuerit, titulū tamen obtinuerit Oecumenicæ, cùm postea vt huiusmodi titulum obtineret, Romani Pontificis voluntas accessit. Ita quidē accidisse superiùs diximus Synodo Constantinopolitanæ sub Theodosio Maiore celebratæ, repugnāte Damaso, qui (vt suo loco vidimus) Synodum ipsam Romæ celebrandam indixerat: cui tamen accedens postea eiusdem Damasi Papæ consensus, eam Oecumenicam esse fecit. Huic igitur Synodo etsi Vigilij consensum aliquando defuisse dixerimus, ipsius tamen postea, vel successoris eius Pelagij, & aliorum qui post ipsum præfuerunt
D Pontificum Apostolicæ sedis assensu ipsa non caruit. Sic igitur quæ aliquando expers fuit penitus auctoritatis, vt nec legitima Synodus dici meruerit, eo quòd resistente Romano Pontifice fuerit congregata, & eodem contrà obnitente absoluta: vbi tandem pariter ipsius Vigilij & successorum Romanorū Pontificum sententia est probata, eadem titulo Oecumenicæ toti Christiano orbi plena eluxit auctoritate. Ex quibus quisque poterit intelligere, quanta vis in Apostolica sede resideat, cuius arbitrio pendeat, quid velit esse in vniuersa Ecclesia sacrosanctum, & ab omnibus custodiri legitimum, atque canonicum comprobari.

CVR NON VT ALIAE QVATVOR QVINTA SYNODVS LAVDATA.

Quòd autem dum de Synodis agunt Patres, non eodem præconio eademque fiducia celebrant Synodum Quintam, sicut alias quatuor præcedentes: id ea ex causa accidisse videtur, quòd hac ex parte haud adeò nobilis ista Quinta vt aliæ visa fuit, eo quòd nō de fide in hac actum est, sed de personis, in quatuor autē superioribus Synodis præcipua fidei Chri-
E stianæ tractata atque stabilita sunt dogmata, nimirum de diuinitate Filij Dei & Spiritus sancti, atque de incarnatione Verbi. Hinc vides sanctum Gregorium Papam non audere hanc Quintam cum quatuor superioribus conferre Synodis, cùm ad Cōstantium Mediolanensem scribens, hæc ait [d]: Nunc ita facimus, sicut vobis placuit, vt quatuor Synodos solummodo laudaremus. De illa autem Synodo quæ in Constantinopoli postmodum facta est, quæ à multis Quinta nominatur: scire vos volo, quia nihil contra quatuor sanctissimas Synodos constituerit vel senserit: quippe quia in ea de personis tantummodo, non autem de fide aliquid gestum est, & de his personis, de quibus in Chalcedonensi Concilio nihil continetur, sed post expressas Synodos seu canones facta contentio, & extrema Actio de personis ventilata est.] hæc Gregorius, eo quòd ea de controuersiis Episcoporum post fidei definitionem statuta, appendix potiùs quædam ad ipsam Synodum viderentur.

[d] *Gregor. lib. 3. epist. 37.*

De probatione autem ipsius Quintæ Synodi idem S. Gregorius ad Ioannē Constantino-

politanum Episcopum hæc habet [a]: Quintum quoque Concilium pariter veneror: in quo epistola quę Ibæ dicitur,erroris plena reprobatur:in quo Theodorus personam Mediatoris Dei & hominum in duabus subsistentiis separans, ad impietatis perfidiam cecidisse conuincitur: & in quo scripta quoque Theodoreti, per quæ beati Cyrilli fides reprehenditur, aulu dementiæ prolata reperiuntur. Cunctas verò quas præfata veneranda Concilia prorsus respuunt,respuo; quas venerantur,complector.] hæc Gregorius ad Ioannem: in eamdemque sententiam ad Theodolindam Longobardorum Reginam sic ait [b]: Quantum vos purè diligimus, tantum de vobis fortiùs dolemus, quia vos imperitis stultisque hominibus creditis,qui non solùm ea quæ loquuntur,nesciunt,sed vix ea percipere quæ audierint,possunt. Dicunt enim, piæ memoriæ Iustiniani temporibus aliqua contra Chalcedonensem Synodum fuisse constituta. Qui dum neque legunt,neque legentibus credunt,in ipso errore manent,quem tibi de nobis ipsi finxerunt. Nos enim,teste conscientia, fatemur de fide eiusdem sancti Chalcedonensis Concilij nihil motum, nihil esse violatum: sed quicquid prædicti Iustiniani temporibus actum est,ita actum est,vt fides Chalcedonensis Concilij à nullo vexaretur. Si quis autem contra eiusmodi Synodi fidem aliquid loqui præsumit vel sapere,nos eius sensum sub anathematis interpositione detestamur.]

Ad Sabinum verò subdiaconũ sic [c]: Exeuntes maligni homines turbauerunt animos vestros,non intelligentes neque quæ loquuntur, neque de quibus affirmant, astruentes quod aliquid de Chalcedonensi Synodo piæ memoriæ Iustiniani temporibus sit imminutum, quam omni fide omniq. deuotione veneramur: Et sic quatuor Synodos sanctæ vniuersalis Ecclesiæ,sicut quatuor libros sancti Euangelij recipimus. De personis verò, de quibus post terminũ Synodi aliquid actum fuerat,eiusdem piæ memorię Iustiniani tẽporibus est ventilatum,ita tamen,vt nec fides in aliquo violaretur, nec de iisdem personis aliquid aliud ageretur, quàm apud eamdem Synodum Chalcedonensem fuerit constitutum. Anathematizamus autem,si quis ex definitione fidei,quæ in eadem Synodo prolata est, aliquid minuere præsumit.] hæc ad Sabinum:sed fusiùs de his agit scribẽs ad Secundinum,vbi inter alia [d]: Synodus quæ post eam generaliter facta est, idcirco à nobis recipitur, quia eiusdem Synodi, *Chalcedonensis scilicet*, in omnibus sequax, honorem illius auctoritatemque custodit.]

At quòd in epistolis suis breuiter tantùm attigisse hæc Gregorius potuit, nec cunctos qui eius essent quæstionis valuit explicare numeros: idem scribens ad Hibernos Episcopos de his quærentes, mittit ad eos Pelagij Papæ librum eodem argumento conscriptum, quo doceri potuissent, nihil ab Ecclesia perperam factum, quod ab aliis Episcopis iure redargui potuisset, nam audi ipsum de his ad eos ita scribentem [e]: Vt de Tribus capitulis animis vestris ablata dubietate possit satisfactio abundanter infundi: librum quem ex hac re sanctæ memoriæ decessor meus Pelagius Papa scripserat, vobis vtile iudicaui transmittere: quem si,posito voluntariæ dissensionis studio, puro vigilantique corde sæpiùs volueritis relegere, eum vos per omnia secuturos, & ad vnitatem nostram reuersuros nihilominus esse confido.Porrò si post huius libri lectionem, in ea qua estis volueritis deliberatione persistere, sine dubio non rationi operam, sed obstinationi vos dare monstratis.] hæc ad Hibernos dicta ex causa schismate diuisos Gregorius. Meminit etiam eiusdem Pelagij Papæ epistolæ Paulus [f] Diaconus, quam dicit fuisse conscriptam ab ipso Gregorio, cùm esset Diaconus. ex quibus intelligas, librum illum non Pelagij Senioris, sed Iunioris, qui præcessit Gregorium,fuisse opus.

At non Gregorius tantùm cũ prædecessoribus Romanis Pontificibus, sed & successores omnes Quintam Synodum recepisse atque confirmasse noscũtur. Constat id de Leone Secundo,qui ad Constantium Imp.scribens, eamdem Synodum confirmauit, cuius epistola in Sexta Synodo recitatur.Præstitit id ipsum Hadrianus Papa in epistola ad Nectarium data.Itemq; in aliis Oecumenicis Synodis postea celebratis eadẽ Quinta Synodus Oecumenica cognita est atque probata:vt nihil penitus sit,quo id in dubitationem ampliùs reuocari possit.Verùm quod ad hæc spectat tempora,accidit quidem,vt cùm his temporibus Vigilij Constitutum de Tribus capitulis comprobãdis vbique vulgatum haberetur præ manibus, eius nisi auctoritate atque fiducia complures Catholici orbis Episcopi Synodum Quintam minimè receperint, atque à contraria illis sentientibus sese diuiserint: fuerunt hi Episcopi Africani, Italique illi Venetiæ prouinciæ atque Liguriæ,& alij Epirotici, Illyrici,& illis finitimi,demumque progressum est malum (vt vidimus) ad Hibernos. Constituto namque Vigilij fretos,id sibi iure licuisse eos arbitratos esse,ex S.Gregorio satis intelligi potest.

Sed

[a] *Gregor. lib. 2.epist.24.* RECEPTA QVINTA SYNODVS VT OECVMENICA.

[b] *Gregor.lib. 3.epist.4.*

[c] *Gregor. lib. 2. epist. 10. Indict.11.*

[d] *Gregor. lib. 7.epist. 53. Indict. 10.*

DE LIBRO PELAGII PRO QVINTA SYNOD

[e] *Gregor. lib 8.epist.36.*

[f] *Paul. Diac. de Gestis Lõgob. lib. 3. c.10.*

DEFENSORES CONSTITVTI VIGILII CONFLARVNT SCHISMA.

A Sed insurgens aliquis Nouator, vrgensque dilemmate, dicet: Si bene fecit Vigilius contraria prioribus decernens, Pelagiusque & successores aliud statuentes de Tribus capitulis, quàm quę ab ipso Vigilio statuta essent; fateri necesse est Vigilium ipsum aliquando errasse. Contrà verò si Vigilius suo Constituto minimè errasse dicatur; tunc dicere opus erit, eumdem aliud decernentem, id ipsumque confirmantes Pelagium & successores, à recto veritatis tramite deuiasse. Vel saltem erit, vt leuitatis crimen Vigilius effugere minimè posse videatur, iuxta illud Ecclesiastici [a]: Vnus ædificans, vnus destruens: quid prodest illis nisi labor?] Sed & præuaricationis notam quomodo effugiet, secundùm Apostoli verba dicētis [b]: Si quæ destruxi, hæc iterum ædifico, præuaricatorem me constituo?] Vt autem hos soluas nodos, tricasque resoluas, tollas ambages, spinetaque tanta veritatis falce succidas, attende.

DIVENDAE PROPONVNTVR OBIECTIONES.

[a] *Eccli.* 34.
[b] *Galat.* 2.

Primum omnium absque controuersia vlla ab omnibus consentitur (quod modò legimus ab ipso S. Gregorio sæpiùs inculcatum, & à nobis superiùs est pluries dictum) in his disceptationibus de Tribus capitulis nullam fuisse de fide quæstionem, vt alter ab altero aliter sentiens dici posset hæreticus. Rursum pariter ex his quæ dicta sunt, in comperto est, vtramque partem in altercando ac differendo professam esse, totum quod ageret, in id respexisse, vt consultum esset dignitati sicut & auctoritati sacrosancti Concilij Chalcedonensis. id quidem Quintæ Synodi sexcenta loca, id Vigilium Papam suo Constituto sæpe sæpiùs inculcasse legisti: vt nec de his vlla dubitatio esse possit. Hæc cùm ita se habeant: si licuit Vigilio ex causa vitandi schismatis priorem mutare sententiam, & contraria iis quæ antea statuisset Constituto decernere: cur ipsi non licuit ex eadem causa, mutato rerum statu, rursum mutare sententiam, itidemque eius successoribus in ipsius Vigilij abire decretum? cùm præsertim (vt sæpè dictum est) in vtroque bene esset consultum Concilio Chalcedonensi, siue cùm damnaret Tria illa capitula, siue cùm eadem ipsa defenderet, vt ex allatis pro vtraque parte rationibus perspicuè intelligi potest.

SALVO CONCIL. CHALCED. DISCEPTATVM.

Cùm enim damnarentur eadem Tria capitula, nihil detractum fuit vel derogatum sacrosanctæ Synodo Chalcedonensi, sed additum potiùs, siue dixerimus aliquid magis perspicuè declaratum. Etenim cùm Theodorus Mopsuestenus in epistola Ibę inueniretur esse laudatus: ne quis deciperetur, vt ob id à sancta Synodo ipsum vnà cum eius scriptis putaret esse receptum, magnoque præiudicio Catholicæ veritatis, plus illi quàm par esset tribueret: placuit ipsum ex suis scriptis fuisse hæreticum demonstrare, pariterque damnare, ad obstruenda etiam hæreticorum ora, qui calumniabantur Synodum suscepisse in epistola Ibæ eiusdem Theodori præconia. Insuper quòd in eadem epistola videri possent ab auctore laudata Theodoreti scripta, & Cyrillus nota Apollinaris erroris inustus: ne ex his daretur occasio, vt ab aduersariis dici posset fuisse recepta à Synodo scripta Theodoreti contra Cyrillum, probasseque Synodum Cyrilli crimen: opus esse videbatur, hæc veluti declarando, damnare iam antea improbata Theodoreti contra Cyrillum scripta. Rursum verò, ne quòd Ibæ epistola Actis Synodi Chalcedonensis haberetur intexta conferta blasphemiis, à Synodo in omnibus videretur esse suscepta: placuit Synodo & aliis eius sententiæ Episcopis eam vt hæreticam condemnare. Hæ sunt causæ & rationes, quibus Tria illa primùm condemnare capitula tum Vigilius, tum Iustinianus, tùm Synodus postea sunt persuasi. His accedebat, quòd magna spes erat, si ea Tria capitula damnarentur, fore vt Eutychianorum pars illa, quæ Hæsitantium dicebatur, ad Ecclesiam remearet.

CONTRARIAE SENTENTIAE QVOMODO IN VNVM CONSENTIANT.

Vt autem Vigilius aliquando postea in hac sententia non steterit, sed pro defensione Trium capitulorum fecerit Constitutum, vtque alij quamplurimi diuersarum prouinciarum Antistites itidem pro defensione Trium capitulorum soliciti fuerint, plures etiam accesserunt dignæ causæ & rationes: atque primùm, quòd veluti per cuniculos aditus patefactus videretur ad inuadendum sacrosanctum Chalcedonense Concilium, cùm quæ in eo acta essent, iterum ad examen reuocarentur. Præterea si concederetur, vt in communicatione Catholica defunctus aliquis posset damnari post mortem: pateret ostium, vt ex suis scriptis quisque Ecclesiæ scriptor post mortem, licet in communione Catholica defunctus esset, sæpè posset vt hæreticus condemnari: cùm haud facile sit reperire aliquem rerum Ecclesiasticarum tractatorem, qui quantumlibet titulo sanctitatis atque doctrinæ refulserit, non sit erroris alicuius arguendus.

QVID PRAETENDERENT DEFENSORES TRIVM CAPITVLORVM.

Rursum verò, quòd infirmari videretur ab aduersariis ipsum sacrosanctum Concilium Chalcedonense, quòd recepisset epistolam Ibæ blasphemam: pro eius defensione insurgendum esse, necessarium visum fuit, affereréque, quòd etsi Synodus Chalcedonensis recitatam

A PATRIBVS PLENE CONSVLTVM CAVSAE IBAE.

tatam audierit epistolam Ibæ, non potest tamen affirmari ita eam recepisse,vt cuncta quæ A
in ea scripta haberentur probaret, sed tantùm quòd ex ipsa cognitus fuerit Ibas euasisse
Catholicus, nimirum cùm historicè ipse in ea mala præterita blasphemiasque recensens
quæ hactenus viguissent, ad postremum de pace sancita, qua ab omnibus Nestorius fuit
condemnatus,exultans Ibas potuit videri Catholicus; sed quasi id non sufficeret,à Patribus
compulsus est pleniùs ibi condemnare Nestorium, adeò vt bene definitum iudicium de
Iba iam cum iniuria Synodi calumniosè reuocari videretur in dubium.

His accedebat causa vrgentissima,qua coactus fuerit in hanc Vigilius sententiã pertransi-
DEFENSORVM CAPP. DVPLEX CONDITIO. re;nempe quòd (vt sæpè dictũ est) viderit tum Africanam tum reliquas fermè omnes Occi-
dentales Ecclesias schismate diuidendas,si contra Tria capitula in priori sententia perstitis-
set. Cùm verò grauiori damno vniuersum Orientem ab Ecclesia Romana diuisum cerne- B
ret,nisi Synodo cõsentiret,eam probauit. Sic igitur nouis emergentibus causis, sententiam
[a] *Galat. 2.* cùm sæpè mutarit,haud arguendus est leuitatis:sicut nec accusandus est Paulus Apostolus[a],
neq; prævaricator dicendus fuit,si cũ ipse tulisset de abroganda circumcisione suffragium,
[b] *Act. 16.* postmodum noua suborta causa Timotheum circumcidit[b], atque rursum priora secutus,
Petro ad tempus dissimulanti in faciem restiterit, & redarguerit eum, quòd magno alio-
rum periculo Iudaizaret; ita pro ratione temporis modò hoc, modò illud adimplens,factus
est omnia omnibus, vt omnes lucraretur.

Hæc sunt quæ ad excusationem Vigilij spectant, necnon eorum qui pro defensione
Trium capitulorum hactenus laborarunt: à quibus tamen in eo Vigilius discrepasse visus
est, quod illi pertinaci animo impudenter satis cum Tribus capitulis defendebant pariter
Theodorum Mopsuestenum,vt apparet ex scriptis Liberati diaconi,atque Facũdi Episcopi C
Hermianensis: Vigilius autem contrà,cuncta quæ eius nomine allata fuissent, anathemate
(vt vidimus) condemnauit. At sicut Vigilius,ita & Vigilij successor Pelagius Papa eamdem
iniens rationem, ipsam Quintam Synodum damnantem capitula Tria esse suscipiendam
existimauit; ex ea potissimum permotus ratione,vt Orientalis Ecclesia schismate scissa ob
Vigilij Constitutum, Romanæ Ecclesiæ vniretur. Quòd insuper in ea (vt dicemus) rata
habita esset damnatio Origenis & eius errorum,qui magnopere in Orientali inualescebant
Ecclesia: ne viderentur eam damnando Synodum,quæ infectata erat Origenis errores, iis-
dem aliquo modo fauisse, eamdem Quintam Synodum iidem comprobarunt.

Hæc ad excusationem vtriusque sibi inuicem aduersantis partis voluimus in medium
DE TRIBVS CAPITVLIS DAMNOSA DISPVTATIO. adduxisse: cùm tamen illud affirmare non desinamus, longè præstantius futurum fuisse,
vt ab his controuersiis Dei Ecclesia ieiuna mansisset, nec vmquam de his aliquis habitus D
esset sermo, ex quibus tum Oriens tum Occidens immensa strage multiplicibus diu sunt
repleti funeribus. Hanc tandem cladem Orbi,pestemque Ecclesię Iustinianus inuexit,dum
suadente Theodoro Cæsarensi, de Tribus damnandis capitulis primus legem sanciuit, &
promulgauit edictum. Vides,quanta iactura, quod est Episcoporum Principes sibi sumant,
cùm indicere audent ipsis sacerdotibus leges,à quibus sanctas seruare ipsi debẽt,& seruan-
das edicere: quo semel è cardine suo reuulso ordine,confundi omnia,cunctaque necesse sit
in summum discrimen adduci, periclitarique penitus quæ sunt in Ecclesia bene disposita.

His visis,iam ad ea quæ in eadem Quinta Synodo desiderari videntur, quæve spuria ei-
DESIDERARI A QVINTA SYNODO DAMNATIONEM ORIGENIS. dem postea accesserunt, orationem diu per altercationum tribulos atque carduos dissen-
sionum deductam,libentiori animo conuertamus. Constat quidem plurium testificatione
(vt superiùs dictum est) in eadem Synodo damnatos esse Origenẽ,Didymum,& Euagrium E
vnà cum ipsorum erroribus,scriptosque aduersus eos decem anathematismos, quos Nice-
[c] *Niceph. lib. 17. c. 27.* phorus recitat[c]: in Actis autem Synodi de Origene eiusque erroribus condemnatis fit tan-
[d] *Cedren. in compend. Annal.* tùm breuis mentio in vndecimo anathematismo. Affert verò Cedrenus ex epistola Iusti-
niani Imperatoris ad Synodum Quintam data de erroribus Origenis hæc ipsa[d]:

Litterarum Iustiniani ad Concilium hæc est sententia.

EX EPIST. IVSTINIANI DE ORIGENIS ERRORIBVS. De Origene & iis quæ ab eius sunt secta, operam dedimus, iustum esse intelligentes, vt
sanctam Dei Apostolicamque Ecclesiam à turbis securam præstemus, vtque ea quæ quo-
cumque modo aduersa rectæ fidei enascuntur, condemnentur. Cum ergo compertum
habeamus, esse Hierosolymis quosdam, monachos nimirum, qui Pythagoræ, Platonis,
Origenis Adamantij impios errores sectentur atque doceant: existimamus curam & inqui-
sitionem de his adhibendam, ne hi ad extremum Græcanicis & Manichæicis suis impo-
sturis multos perdant. Nam vt de multis pauca commemoremus,mentes aiunt esse innu-

meras

A meras & nominis expertes, omniaque ratione prædita vnum esse idemque substantia & efficacia facultateque ad Deum & cognitione omnia vnita. Has mentes, cùm amoris ac cõtemplationis Dei satietas eas cepisset, pro eo vt quæuis magis minúsve in deterius defeciuerat, vel crassiora vel tenuiora corpora indui, atque nomina sortiri, atque cælestibus & administris facultatibus esse subiectas; ipsum adeò Solem, Lunam, & stellas, cùm ipsa quoque irrationali ista vnitate essent, mutatione in deterius facta, id cœpisse esse quod sunt. Eas verò mentes, in quibus Dei amor magis etiam refrixit, animas factas, & crassioribus, qualia nostra sunt, corporibus immitti: Quæ verò ad extremum peruersitatis venerint, eas frigidis & caliginosis inseri corporibus, quos dæmonas vocant: Ex Angelico proinde statu animalem, ex animali dæmoniacum fieri & humanum.

De tota autem vnitate mentium vnam duntaxat perstitisse immotam, neque ab amo-
B re & contemplatione Dei passam esse abduci: eum esse Christum, qui Deus & homo fuerit. Affirmauit etiam corpora prorsus interire, ipsumque primò Dominum corpus suum abiecisse, & id omnes homines facere: rursusque omnes in vnitatem redire, ac mentes fieri, sicut ab initio fuerant: ipsum videlicet etiam diabolum & reliquos dæmones, impiosque homines in eamdem cum sanctis & diuinis hominibus & cælestibus facultatibus, eodemq; quo ipse Christus modo cum Deo vnitum iri, sicut & à principio vniti fuerant: atque adeò Christum planè nihil à reliquis ratione præditis differre, neque substantia, neque cognitione, neque facultate, neque efficacitate. Sane Pythagoras principium omnium rerum esse vnitatem pronunciauit, idemque & Plato docuerunt, esse quamdam gentem animarum corporis expertium, quæ si quid delinquunt, pœnæ loco in corpora demittuntur. quamobrem Plato corpus σῶμα, quasi σῆμα, id est, vinculum appellauit, in eo animam quasi se-
C pultura alligari, indicans.

Idem de futuro Iudicio & præmiis ac pœnis animarum sic scribit: Philosophi anima, qui masculorum amore & flagitiis se polluit, tres millenarias circuitione pœnas luit: itaque millesimo anno allata eiicitur & abit. reliquæ hac vita defunctæ, aliæ ad tribunalia infra terram deferuntur, pœnas ibi daturæ dicta causa, aliæ in cælestem quemdam locum subleuatæ à iustitia pro vitæ meritis beatitudine fruuntur. Est autem in promptu huius sententiæ absurditatem perspicere. Quis enim eum docuit millenarias istas annorum conuersiones, & quòd mille annis elapsis, quæuis anima ad suum perueniat locum? nam quæ in medio sunt horum, de his ne libidinosos quidem decuit ita pronunciare, nedum tantum Philosophum. Quippe eos qui vitam perfectissimis functi officiis egerunt, cum intem-
D perantibus & masculorum amatoribus composuit, eademque vtrosque manere dixit. Pythagoras ergo, Plato, Plotinus, alijque horum tribules immortalitatem animæ vno sensu ascribentes, eas corporibus priores affirmant, & esse quamdam animarum gentem, ac eas quæ peccant ideo in corpora dilabi, pigrorumque animas abire in asinos, rapacium in lupos, dolosorum in vulpes, mulierum amore furentium in equos. Sed Ecclesia diuinis astipulans Scripturis, animam vnà cum corpore condi affirmat, neque alterum altero prius esse, vt vecordi visum est Origeni.

Propter has igitur malas & pernicioſas opiniones, aut deliria potiùs, vos hortamur, ô sanctissimi Patres, vt in vnum collecti subiectam expositionem & singula eius capita examinetis, damnetisque vnà cum Origene omnes qui idem sentiunt, aut quocumque tempore sentient. Patres his acceptis litteris, omnibusque perpensis, exclamauerunt: Damnamus hæc omnia, & omnes qui ita sentiunt & sentient.] hactenus de litteris Iustiniani ad
E Synodum Cedrenus: cæterum & illas putamus esse his subiectas litteras Imperatoris ad Mennam (siue edictum dixeris) quas superiùs recitauimus per singula distincta capita alios plures Origenis errores continentes, iam antè (vt vidimus) editas. Porrò ex eiusdem auctoris sententia, de Origene eiusque sectatoribus Didymo, Euagrio, & aliis actum esse in Synodo ponitur, inde verò de Theodoro Mopsuesteno, Ibæque epistola, & Theodoreti aduersus Cyrillum editis scriptis.

His autem recitatis subiicit aliam eiusdem Imperatoris ad Synodum datam epistolam de quatuor Conciliis Oecumenicis historiam continentem, vbi ad calcem plura habet aduersus Theodorum Mopsuestenum. est eius exordium: Maiores nostri fidei cultores, qui ante nos Imperium piè administrarunt, &c.] Fuisse verò eamdem epistolam ad Synodum datam Actis eius intextam, nemo iure dubitarit: vt ex his etiam intelligas, quàm plurima in eadem Quinta Synodo desiderari.

AB ORIGENISTIS SYNODVS MVTILATA.

Sed & cùm Actorum contra Origenem & Origeniſtas pars magna fuerit, quod deſideratur in eis, recitatum ſuo loco prolixum Imperatoris contra eoſdem edictum, quod quidem ipſis fuiſſe putamus adnexum: quis dubitet id factum ab Origeniſtis qui Synodo præfuerunt, quorum ſumma erat apud Imperatorem auctoritas, quorum patronus fuit (vt ſæpe dictum eſt) Theodorus Cæſarienſis malorum omnium concinnator? Sed & in non leuem ſuſpicionem Origeniſmi induci potuit Eutychius Conſtantinopolitanus Epiſcopus, cùm videlicet ſecundùm Origenis errores aliquando illud ſenſiſſe certum ſit, non cum eadem carne atque membris corpus noſtrum reſurrecturum; licet redargutus poſtea à ſancto Gregorio Papa tunc diacono Apocriſario Romanæ Eccleſiæ, eo abdicato errore, Catholicus ſit defunctus. Cùm igitur audis Quintæ Synodi coriphæos Origenis errores vel ex parte ſectatos eſſe, æquè intelligere potes, quorum arte, quæ in Synodo acta ſunt contra Origenem & eius errores, ex ea fuerint decurtata.

Acta illa præterea deeſſe noſcuntur, quibus agebatur de adiectis Patriarchatui Hieroſolymitano Eccleſiis, de quibus hæc leguntur in Bello ſacro[a]: Tempore prædicti Principis, *Iuſtiniani videlicet*, congregata eſt Synodus generalis apud Conſtantinopolim, tempore Domini Vigilij Papæ, Eutychij Conſtantinopolitani, Apollinaris Alexandrini, Pauli * Antiocheni, & Euſtochij Hieroſolymitani Patriarcharum, ſuper Tribus capitulis, &c. In qua Synodo poſt alias populo Dei neceſſarias inſtitutiones, quas pro tempore promulgandas decreuerat ſanctorum Patrum qui ad eam conuenerant auctoritas, prædictam Deo amabilem Hieroſolymitanam honorare Eccleſiã, & eius Epiſcopo locum inter Patriarchas dare, communi ſanxit voluntate, reuerentiam exhibens ſanctæ Reſurrectioni. Et quoniam prædicta Dei cultrix ciuitas, quaſi in limite Alexandrini & Antiocheni Patriarcharum erat, nec haberet vnde illi vrbi ordinaret Suffraganeos, niſi vtrique Patriarchæ aliquid detraheret: viſum eſt expedire, ab vtroque aliquid detrahere, vt eidem iuxta formam aliorum Patriarchatuum ordinaret ſubiectos. Subtraxerunt ergo Antiocheno Cæſarienſem & Scythopolitanum Metropolitanos, Alexandrino verò Rubenſem & Berythenſem item Metropolitanos. Et quoniam iterum eumdem Patriarcham oportebat habere præter ſupradictos Metropolitanos familiares Suffraganeos, quos Græci Cancellos * vocant: ſubtraxerunt prædictis Metropolitanis quoſdam Epiſcopos, & quoſdam de nouo erexerunt vſque ad vigeſimumquintum, quorum nomina ſubiunximus, computatis priùs Metropolitanis & Suffraganeis eorum. Eſt autem ordo talis: Dorenſis, Antipatrita, &c.] eadem reperimus in Vaticana bibliotheca in codice notiſſimo, cuius eſt titulus, Liber Cenſuum.

[a] *Guiliel Tyr. de bello ſacro, lib. 14. c. 12.*

* Domni HIEROSOL. ECCLESIA ERECTA IN PATRIARCHATVM.

* Syncellos

Meminiſſe debes lector, hæc tentaſſe & obtinuiſſe Iuuenalem Hieroſolymorum Epiſcopum in Concilio Chalcedonenſi poſt abſentiam Legatorum; ſed quo minùs ea, quòd in præiudicium verterentur aliarum Eccleſiarum, executioni mandata eſſent, Leonem Romanum Pontificem interceſſiſſe. Sic igitur inuerſo antiquo ordine à ſacroſancto Nicæno Concilio inſtituto, Cæſarienſis Eccleſia totius Palæſtinæ Metropolis ſpoliata, nunc primùm ſubiecta eſt Hieroſolymorum Eccleſiæ. Porrò Iuſtinianus Imperator eamdem Cæſarienſem ciuitatem nobilitare voluit Proconſularibus faſcibus, reſtituens quem diu antè poſſediſſet Proconſulatum, vt de his edita eiuſdem Imperatoris conſtitutio [b] docet. Nunc ergo primùm Hieroſolymorum Eccleſia Patriarchatu verè aucta cognoſcitur, licet eodem nomine ſæpè eius Epiſcopus ante hæc tempora vſus eſſe inueniatur.

[b] *Conſt. 101. de Proconſul. Palæſt.*

QVINTA SYNOD. CORRVPTA A MONOTHELITIS.

Iam verò ad poſtremum videamus quæ ab impoſtoribus fuerint Quintæ Synodi nomine peruulgata. Monothelitarum fuit inuentum, vt ſub titulo Quintæ Synodi, tamquam ex eius Actis depromptam ediderint epiſtolam quamdam Mennæ Conſtantinopolitani Epiſcopi nomine ad Vigilium Papam conſcriptam de vnica in Chriſto voluntate. Sed eiuſmodi ſtropha detecta eſt in Sexta Synodo à Legatis Apoſtolicæ ſedis oſtendentibus tres quaterniones Actis Quintæ Synodi recèns adnexos. Rurſus verò dum in Sexta Synodo Actio ſeptima Quintæ Synodi legeretur, duo in ea ſuperadditæ epiſtolæ inuentæ ſunt Vigilij Papæ nomine inſcriptæ, quarum altera ad Iuſtinianum Imperatorem, altera verò ad Theodoram Auguſtam data haberetur, quibus Vigilij Papæ de vna in Chriſto operatione eſſet aſſertio, quas commentitias atque ſuppoſitas iidem Apoſtolicæ ſedis Legati manifeſtè probarunt. Detectæ ſunt eiuſmodi hæreticorum impoſturæ in Actione decimaquarta eiuſdem Sextæ Synodi, in qua dictum eſt pariter anathema in eos qui quoquo modo eamdem Quintam Synodum corruperunt. Vides igitur, quàm fuerit Quinta Synodus tum ab Origeniſtis, tum etiam à Monothelitis diuerſis temporibus lancinata.

His

A His ergo hinc inde collectis quæ ad Synodum Quintam spectare videbantur, reliquum est, vt iam quæ post Synodum diuersis in locis fieri contigerunt, his adnectamus. Extant acta sancti Sabæ à Cyrillo (vt dictum est) omni fide conscripta: ad quorum finem hæc habentur de damnatione Origenis atque sectariorum eius relata in Actione prima Septimæ Synodi: Itaque cùm sancta vniuersalis Quinta Synodus Constantinopoli esset congregata, communi & generali anathemate reiecti sunt Origenes & Theodorus Episcopus Mopsuestiæ, & quæcumque ab Euagrio & Didymo dicta sunt de præexistentia, περὶ προῦ πάρξεως. Probauerunt autem id quatuor Patriarchæ præsentes. Præterea Imperator noster Dei obseruantissimus Acta Synodi Hierosolymam misit: in qua ciuitate coacto Episcoporum conuentu, quotquot erant Palæstinorum Episcopi manibus & pedibus & ore sententiam & statutum Synodi confirmarunt, nisi quòd Alexander Episcopus Abyles con- B trarium sensit: quamobrem Episcopatu exutus, Byzantium se recepit, & terræmotu absorptus est & defossus. Neolauritas autem *(monachos scilicet qui nouam Lauram sancti Sabæ incolebant)* cùm se à Catholica communione separassent; Eutychius Patriarcha diuersis rationibus aggressus est, octo menses vsque varia admonitione & cohortatione vsus, cùm non posset voti fieri compos, neque ad vnitatem Ecclesiæ eos perducere, Imperatoriis iussionibus obtemperans; illos per Anastasium Ducem à Neolaura expulit, regionem ab illorum peste liberans.] hæc ibi.

DE REBVS POST SYNODVM GESTIS.

Cæterùm quod pertinet ad terræmotum, quo Constantinopolitana ciuitas concussa est: id factum hoc anno, in Miscella ita describitur: Anno vigesimoseptimo Imperij Iustiniani factus est terribilis terræmotus Constantinopoli & per alias vrbes, qui tenuit dies quadraginta. Et paulatim homines compuncti sunt, litaniam agentes & frequentantes, atque in C Ecclesias commeantes. Cumque multa misericordia Dei facta fuisset, homines ad peiora delapsi sunt. Fit autem memoria huius terræmotus per singulos annos, in campo litaniam populo agente.] hæc ibi. Agit de eodem terræmotu Agathias[a], cuius etiam assertione colligitur, hoc eodem anno contigisse, nempe vigesimoseptimo eiusdem Iustiniani Imperatoris, autumnalique tempore: Verùm (vt dictum est) non Byzantium tantùm, sed & alias regiones Orientis eodem fuisse motu concussas, & ciuitates solo æquatas, vt inter alias Berythum in Phœnicia, contremuisseque etiam Alexandriam Ægypti vrbem (quod magno miraculo factum est) terræmotibus minimè soli natura subiectam, idem asserit Agathias, qui & de eiusmodi prodigiis multa philosophatur, quæ tu ipse consulere poteris: nobis non est tantum otij, nec patitur institutum vt hæc inquiramus.

TERRAE-MOTVS CONCVSSA CONSTANTINOPOLIS.

[a] *Agath. li. 2.*

Cæterùm quis negare poterit, si ab euentis facta nouerit iudicare, præsagia ista fuisse D malorum quæ sunt Synodum hoc anno habitam consecuta? cùm videlicet grauiore concussione commotæ Ecclesiæ sunt, quæ inter se inuicem collidentes, ciuitatibus Orientis & Occidentis lacrymabile planè spectaculum intulerũt, cùm nequaquam terræmotus instar breui temporis spatio perdurantis, sed commotio talis fuit, quæ indesinenti concussione ad plurimorum annorum spatia sanctam Ecclesiam iugiter agitauit, prout quæ singulis fermè annis dicturi sumus facilè demonstrabunt. Etenim ipsa Synodo absoluta, tantum abest vt pax reddita sit Ecclesiis, vt maius bellum exarserit, intestinaque discordia magis sæuierit, Orthodoxis inter se inuicem altercantibus, inhærentibus aliis Synodalibus de Trium capitulorum damnatione decretis, aliis verò tuentibus Vigilij Pontificis Constitutum pro eorumdem Trium capitulorum defensione sancitum. præualuerunt isti in Occidente, in Oriente autem illi, vbi imperatoria eminebat auctoritas. Sic igitur haud tunc accidit (quod E in aliis Oecumenicis Conciliis euenisse scimus (vt de hæresibus expugnatis atque damnatis Orthodoxi Episcopi ad propria cum triumpho redirent, pacemque referrent, erigerentque de impietate expugnata trophæa, sed ciuilem potiùs discordiam inuexere. Vbicumque enim Synodale decretum munitum Imperatoris edicto à prouinciarum Præsidibus promulgabatur, illic ab aduersa parte luctus excitabatur, quasi proculcata sacrosanctæ Synodi Chalcedonensis maiestate, atque auctoritate Apostolicæ sedis in Vigilio vilipensa.

Verum luctus mœrorque haud ipsorum animos hebetarunt, sed vehementioribus sumptis spiritibus exurgentes ex aduerso, pro Tribus capitulis Synodos collegere, putantes se legitimum inire certamen, quod iniisse scirent atque prosequi quantumlibet exulem Romanum Pontificem, seque pro sacrosanctis pugnare legibus, quarum causa viderent primarium Catholicæ Ecclesiæ Antistitem constanti animo exilium ferre. Congregata sunt igitur ea de causa ab ipsis in Occidente Concilia, in quibus Constituto Vigilij subscribentes,

bentes, quæ facta essent Constantinopoli damnauere, memores ea tantùm de Synodis in Ecclesia esse recepta, quæ Apostolicæ sedis Antistites suo calculo comprobassent: cuius veritatis de præcedenti Oecumenica Quarta Synodo ingerebatur exemplum, vbi quæ sexcenti & ampliùs de sedium prærogatiua Episcopi statuissent, non consentiente sed aduersante ipso sancto Leone Romano Pontifice, irrita cassaque reddita sunt & nullius auctoritatis. Quo igitur iustiùs iuncta capiti membra sibi visa sunt suscepisse certamen, eo ardentiùs prosilierunt ad pugnam; coronandi quidem, si secuti eumdem postea Vigilium Romanum Pontificem probantem Synodum, capiti itidem inhærentes, ipsum non deseruissent, neque in Vigilij locum subrogatos sibi inuicem Romanos Pontifices de quæstione proposita ob bonum pacis aliter statuentes, salua fide & Chalcedonensis Concilij integritate seruata. Verùm dum contrariæ sententiæ defensioni Trium capitulorum obstinatiùs quàm par erat inhærerent, à coniunctione visibilis capitis desciuerunt. Sed de his abundè suis locis inferiùs. A B

DE AVARO TERRIBILIS CASVS.

Iam verò quæ reliqua sunt anni huius rerum gestarum prosequamur. Habet hæc Cedrenus sub huius anni periodo: Eo tempore Constantinopoli dives quidam cùm ægrotaret, mortemque timeret, triginta libras argenti in pauperes erogauit: restitutus autem præter spem suam bonæ valetudini, fraude diaboli eò inductus est, vt facti ipsum pœniteret, hocque fideli cuidam suo amico aperiret. Monet ille hominem, ne huic malæ assentiatur cogitationi, Deumque irritet, qui propter istam largitatem miseratus, sanitatem donarit; alioqui fore vt subita morte, nondum mutato facto, pereat. Cùm non moueretur ille, sed magis magisque irritaretur: amicus, Quando, inquit, salutare consilium non admittis, aliud tibi subiiciam. Poscenti hoc, verè misericors ille: Agedum, ait, ad templum vade, & non te sed me in pauperes elargitum pecuniam istam dicito: ipse statim triginta libras reddam. C Consentiens infelix ille ad templum abiit, auroque accepto, ita vt alter præceperat, locutus est. Inde egrediens, ad ipsam templi portam mortuus concidit, Clericis de rei nouitate stupentibus, omnibusque aliis qui fortè aderant, iubentibus alterum pecuniam recipere suam; ille non obtemperauit, sed inter egenos omnem diuisit. quòd diceret Deum non pati sannas. Promissa enim Deo non tantùm pecuniam, sed verba voluntatemque obligant; & quicquid homo Deo pollicitus fuerit, id præstare opus habet, virgo virginitatem, continens continentiam, &c.] hæc auctor. Sed quæ post hæc subiicit de Synesio, suo loco illa posuimus. Iam verò huius anni res Francorum inuisamus.

CHROTIL. DIS REGINAE OBITVS.

Hoc eodem anno finem huic vitæ imposuisse magnam illam feminam sanctam Chrotildem Clodouei Regis coniugem, scriptores tradunt[a]: cui debent Franci, quicquid boni ob susceptam Christianam religionem sunt consecuti; vtpote quæ suis precibus & hortationibus Clodoueo viro suo simulque Francorum genti auctrix fuit, vt Christianam religionem, abiecta idololatria, susciperent. Quæ fidei Catholicæ, vitæque fidei congruæ profunda relinquens beneque impressa vestigia, viduata viro, reliquum vitæ tempus apud sepulchrum S. Martini Turonis ad obitum vsque sanctissimè perduxit, cùm illi Ecclesiæ præsideret Iniuriosus Episcopus, quem interfuisse diximus quarto Concilio Aurelianensi. ait enim Gregorius[b]: Chrotildis Regina plena dierum, bonisque operibus prædita, apud vrbem Turonicam obiit tempore Iniuriosi Episcopi: Quæ Parisiis magno cum psallentium præconio deportata, in sacrario basilicæ sancti Petri ad latus Clodouei Regis sepulta est à filiis suis Childeberto atque Clothario Regibus: nam basilicam ipsa construxerat, in qua & Genouefa beatissima est sepulta.] hæc Gregorius. D

[a] *Sigebertus in Chron. & alij eum secuti.*

[b] *Gre. Turon. hist. lib. 4. c. 1. & lib. 16. c. 31.*

Quæ enim viuens coluit, custodiuit, propagauitque fidem Petri, in Petri pariter basilica elegit, quam erexerat, sibi sepulchrum, sciens in terra & in cælo ei traditam potestatem: ita quidem sicut viuens verbis & exemplis, sic moriens testatum relinquere voluit perpetuo monumẽto Francis omnibus, potissimùm verò Parisiensibus amplissimis notis expressum, quam sectari deberent fidem & colere pietatem: quibus meritò positum sit ob oculos semper loquens & auribus inclamans iugiter illud diuinum elogium[c]: Attendite ad petram vnde excisi estis, & ad cauernam laci, de qua præcisi estis. Attendite ad Abraham patrem vestrum, & ad Saram, quæ peperit vos] ad Clodoueum, inquam, atque Chrotildem, qui supra petram fundamenta regni perpetuò permansuri locantes, in signum Petro basilicam erexere, in qua quiescentes in spe, diem nouissimum expectarent. Prosecuta verò est tantæ feminæ dignam memoriam Catholica Ecclesia, dum inter Sanctos illam ascribens, diei quoque natalis eius anniuersariam memoriam celebrat[d]. At de his satis. E

[c] *Isaiæ 51.*

[d] *Rom. Martyrolog die. 3. Iuny.*

IESV

IESV CHRISTI ANNVS 554. | VIGILII PAP. ANNVS 15. | IVSTINIANI IMP. ANNVS 28.

A ANnus Christi Redemptoris quingentesimus quinquagesimusquartus, post Consulatum Basilij decimustertius in Fastis notatur, quo Vigilius Papa precibus Narsetis Ducis ab Imperatore liberatur exilio. Res gesta ab Anastasio ita describitur: Adunatus clerus Romanus rogauerunt Narsetem, vt vnà cum eius suggestione rogarent Principem, vt si adhuc viueret Vigilius Papa, aut presbyteri, vel clerus qui cum eodem Vigilio fuerant in exilium deportati, reuerterentur. Suscepta relatione Narsetis vel cuncti cleri Romani, lætus effectus est Imperator, & omnes inclyti eius, eo quòd requiem donasset Deus Romanis. Mox misit iussiones suas per diuersa loca, vbi fuerant in exilium deportati in Gyssa* & B Proconesso, & adduxit eos ad se Imperator, dicens eis: Vultis recipere Vigilium, vt fuit Papa vester? gratias ago. Minusve? hìc habetis Archidiaconum vestrum Pelagium, & manus mea vobiscum erit. Responderunt omnes: Imperet Deus pietati tuæ. Restitue nobis modò Vigilium: & quando voluerit eum Deus transire ab hoc sæculo, tunc vestra præceptione donetur nobis Pelagius Archidiaconus noster. Tunc dimisit omnes cum Vigilio.] hæc Anastasius.

VIGILIVS AB EXILIO LIBERATVS.

Audisti Imperatorem iam arrogasse sibi Romani Pontificis confirmationem, immo & abrogationem, nimirum dum se paratum exhibet, si clerus Pelagium magis velit, facturum vt Vigilius cesset; ita planè captiuam ducens Romanam Ecclesiam, quam sub eodem humiliatam tenuit iugo, cùm videlicet nullam haberi voluit electionem cleri, nisi electi accederet confirmatio ab Imperatore. Vidisti & clerum abiectè nimis profitentem, post obi- C tum Vigilij in successoris substitutione præceptionem ipsius expectaturum. Sic quidem ducta[a] est in captiuitatem domina Gentium, & Regina prouinciarum facta est sub tributo. Totidem è Hieremia petitis verbis deplorat ista S. Gregorius[b] Papa, cùm & dolet non sine certæ oblatione pecuniæ eiusmodi fieri solitam ab Imperatore probationem Romani Pontificis, vt apertiùs suo loco inferiùs apparebit.

[a] *Thren. 1.*

[b] *Gre in septē Psal. pœnit.*

Vidisti scelus? Qui enim præ ceteris videri voluit Imperator maximè pius, se maximè impium præstitit, dum duriores coëgit Romanam Ecclesiam subire conditiones, quàm tulerat sub Ethnicis Imperatoribus, de quibus nulla est vsquam mentio, quòd confirmationem electi in Romanum Pontificem sibi aliquando arrogarint. Ista igitur quæ neque humana neque diuina iura tribuunt Imperatori, iste qui legislator omnium maximus dici studuit, sibi sumens, in his impiè decernendis diuinorum & humanorum decretorum pro- D fanator & conculcator euasit, in gratiam haud dubium æmulantium Græcorum Romanæ Ecclesiæ gloriam. Sed frustra humana id præsumpsit astutia: Impingentes enim ipsi in lapidem, fracti sunt. Romanæ verò Ecclesiæ decor magis semper eluxit, vt quæ dicentur amplissimam fidem facient.

Hæc autem quæ de liberatione Vigilij & aliorum ab exilio dicta sunt, licet Anastasius facta tradat rogante Narsete exercitus in Italia duce: tamen & tunc accidisse putamus, vt Vigilius Papa assensus fuerit Imperatori, recedensque à sua sententia, quam Constituto edito declarauerat, Quintam Synodum comprobarit. Etenim cùm de consensione Vigilij Græci omnes affirment, & qui his temporibus vixit & scripsit Euagrius id ipsum asserat, vt quæ sunt superiùs dicta testantur: cumque pariter declaratum sit, id non eo tempore accidere potuisse, cùm idem Pontifex actus est non ob aliam causam in exilium, nisi quòd E Quintam Synodum minimè probare voluisset: necesse est affirmare, id ab ipso factum esse hoc tempore, cùm ab exilio solutus est, liberque dimissus, vt in suam rediret Ecclesiam, iam vendicata per Narsetem à Gothis Italia.

DE QVINTA SYNODO A VIGILIO COMPROBATA.

Vt istæc firmemus, alia plura suadent. In primis verò, quòd Liberatus diaconus Carthaginensis, & ipse ex iis vnus qui pugnarunt pro Trium capitulorum defensione (vt ex Breuiario ab ipso conscripto satis apparet vel ex eo potissimum dum Theodorum Mopsuestenum laudat) ipse, inquam, Liberatus in Vigilium parum æquus, præter alia quæ aduersus eum conscripsit, ista de eius fine habet[c]: Hæc (inquit) Vigilius scribens hæreticis occultè, permansit sedens. In quo impletum est illud testimonium, quod Salomon in Prouerbiis dicit[d]: Edent viæ suæ fructus, & consiliis suis saturabuntur. Ab ipsa hæresi afflictus Vigilius, nec coronatus, qualem vitæ terminum susceperit, notum est omnibus.] hæc Liberatus: qui quidem si perstantem in sententia vsque ad mortem pro Trium capitulorum defen-

[c] *Liberat Brc. c. 22. in fine.*

[d] *Prou. 1.*

sione,

sione,quorum causa constitutum ediderat, Vigilium comperisset, ipsum in ea defunctum velut martyrem collaudasset:sed cùm ait,ipsum fuisse afflictum nec coronatum,planè alludit ad eius exilium,& post exilium à priori proposito defectionem.

Suadet etiam istud ipsum ea ratio, quòd cùm Iustinianus Imperator nihil antiquius habuerit Trium capitulorum damnatione, quorum causa plura (vt vidimus) sanciuit edicta,& Synodum Oecumenicam collegit, suaéque sententiæ aduersantes seuerè puniuit: quomodo passurus fuisset,nisi consensisset, vt Vigilius,qui amplissimis scriptis contrariam sententiam professus fuit,& ad eam sectandam vniuersam Ecclesiam Catholicam impulit, idem postquam solueretur exilio, sineretur proficisci in Occidentem, haud dubium vni- B
VIGILIVS IVSTINIANO AMICVS REDDITVS. uersos Episcopos orbis Occidui aduersus edicta Imperatoris atque Synodi decreta concitaturus? Rursum verò cùm Iustinianus Imperator non solùm ab exilio ipsum Vigilium liberauerit, sed alia nonnulla eidem petenti concesserit, & ipso exigente sanctionem de rebus Italicis promulgarit;absque dubio ex huiusmodi officiis declaratum est,eumdem Vigilium ipsi valde charum extitisse, vt ea petenti indulserit: at nonnisi consensione in Trium capitulorum damnatione effici potuit, vt inter eos amicitia sanciretur, quorum solùm causa odium conflatum erat,& in eum exilium irrogatum.

Sic igitur ex omnibus, suffragante potissimùm Græcorum auctoritate,satis apparet,Vigilium Papam,vt natum occasione Trium capitulorũ schisma penitus tolleret,omnemque Orientalem Ecclesiam Catholicæ communioni coniungeret, abrogato quod pro Tribus
VLTIMAM VIGILII SENTENTIAM ECCLESIA SECVTA. capitulis ediderat constituto Quintæ Synodo aduersanti, eadem Synodum auctoritate Apostolica comprobasse, œcumenicamque dixisse: cuius postremam sententiam cùm po- C
steri omnes Romani Pontifices sint secuti,vniuersa Dei Ecclesia,paucis exceptis schismaticis,eamdem Synodum vt œcumenicam semper nouit & prædicauit. Eius verò exemplaria tunc in Romanæ Ecclesiæ archiuis fuerunt inter alia scripta authentica collocata; quæ vtinam conseruata fuissent:non enim opus esset eam corruptam & mutilatam (vt vidimus) è codicibus Græcis accipere.

Porrò eadem exemplaria genuina misisse noscitur S.Gregorius ad Theodolindam Lon-
QVINT. SYNODI GERMANA EXEMPLARIA. gobardorum Reginam,& eius filium Adulouualdum renuentem aliquándo ea de causa Ecclesiæ Catholicę communicare,quod accepisset,ex eadem Synodo derogari scriptis S. Leonis Papæ ab vniuersa Ecclesia vt sacrosanctis toto orbe receptis. Sed accipe ipsius verba Gregorij ad ipsam Theodolindam Reginam reddita[a] extremo tempore sui Pontificatus:
[a] *Greg.lib.11. epist.7.* eam tamen (inquit) Synodum quæ piæ memoriæ Iustiniani tempore facta est, per latores D
præsentium transmisi: vt prædictus filius meus dilectissimus ipsam relegens cognoscat, quia falsa sunt omnia,quæ contra sedem Apostolicam vel Catholicam Ecclesiam audierat. Absit enim nos cuiuslibet sensum hæretici recipere, vel à tomo sanctæ memoriæ Leonis prædecessoris nostri in aliquo deuiare: sed quæcumque à sanctis quatuor Synodis sunt definita,recipimus; & quæcumque reprobata sunt, condemnamus.] hæc Gregorius, qui tum ipsam Reginam, tum eius filium Regem Longobardorũm detrectantes interea ob falsos à schismaticis sparsos rumores Apostolicæ sedi communicare, rei veritate dilucidè demonstrata,communione Catholica & Apostolica impertiuit.

Sed ad ipsum Vigilium solutum iam exilio,dimissumque liberum vt ad suam redire Ecclesiam posset, reuertamur. Cùm rediturus Romam, Constantinopolim ad Iustinianum Imperatorem venisset: ab ipso petiit sanctionem promulgari vniuersæ Italiæ profuturam. E
Extat illa quidem,quã hic tibi reddendam putauimus, vt quæ sunt dicta notiora fiant. ipsa verò ad Narsetem Ducem & ad Antiochum Italiæ Præfectum data reperitur hoc anno, distincta capitibus vigintiseptem: sed nobis satis hæc ex multis pauca referre[b]:

[b] *Nouel. Iulian.edit.nisi.* EDICTVM IVSTINIANI IMP. DE REBVS ITALIAE. Pro petitione Virgilij venerabilis antiquioris Romæ Episcopi quædam disponenda censuimus ad vtilitatem omnium pertinentia, qui per Occidentales partes habitare noscuntur. In primis itaque iubemus, vt omnia quæ Athalaricus vel Amalasuntha regia mater eius,vel etiam Theodatis,Romanis, vel Senatu poscente, concesserunt, inuiolabiliter conseruentur: sed & ea quæ à nobis,vel à piæ memoriæ Theodora Augusta quondam coniuge nostra collata sunt, volumus illibata seruari: nulla cuicumque danda licentia contra ea venire, quæ à prædictis personis pro quibuscumque rebus vel titulis data vel concessa esse noscuntur, excepta videlicet donatione à Theodato in Maximũ pro rebus habita Marciani,ex quibus dimidiam portionem Liberio viro glorioſissimo dedisse meminimus,reliquam dimidiã Maximo viro magnifico relictã,quas apud vtrumque firmiter manere censuimus.

Si quid

A Si quid à Totilano tyranno factum vel donatum esse inuenitur cuicumq. Romano, seu cuique alio, seruare, vel in sua firmitate manere, nullo modo concedimus; sed res ablatas ab huiusmodi detentatoribus antiquis dominis reformari præcipimus. Quod enim per illum tyrannidis eius tempore factũ esse inuenitur, hoc legitima nostra notare tempora non concedimus.] & inferiùs de iisdẽ rebus à Totila alienatis: Quia autem verisimile putamus, diuersos tyrannidis tempore res suas per metum alienasse hominibus vel officium quodcumque gerentibus, vel aliam à Totila commissam actionem, vel potentiam, vel gratiam apud eum habentibus, siue venditione, siue aliis quibuscumque contractis titulis; modò verò quod factum est priùs, rescindi desiderare, vtpote per violentiam, vel per metum tyrannici temporis factum: sancimus omnibus esse licentiam sui recipiendi, siue vendicandi, vel possessionis à Iudice adipiscendæ, pretiis tantummodo videlicet restitutis: quæ tamen (eo
B qui se dedisse perhibet adprobante) veraciter constiterit exoluta, nec aliquo postea modo vel fraude subtracta, vel ab eo recepta, cùm non absque ratione esse putemus multa tunc tẽporis per metum & violẽtiam facta esse, quæ nostris tẽporibus rescindi poscit iustitia, pœna videlicet instruentis inserta propter prædictas factiones modis omnibus quiescente.] hęc & alia plura ad res siue immobiles siue mobiles spectantia, instãte Vigilio Papa, Iustinianus sanxit, multaque alia ad personas respiciẽtia, quas vel barbaricus furor redegisset in seruitutem, vel militaris licentia profanasset. nam post alia plura hæc dedicatis Deo virginibus:

Cùm autem tyrannicæ ferocitatis præsumptionem res etiam illicitas quasi permissas egisse, sine dubio sit: sancimus, vt si qui mulieres Deo sacratas, vel habitum religiosum habentes sibi coniunxisse inueniantur, nulla eis tenendi, vel dotes fortè conscriptas, iterum monasteriis, vel ecclesiis, aut sancto proposito cui dedicatæ sunt, restituantur.] hæc & alia
C Iustinianus hoc anno vigesimooctauo sui Imperij, & post Consulatum Basilij tertiodecimo: quæ quidem ab Imperatore procurasse Vigilium apparet, vt quæ tempore bellico fuissent iura iussa sileri, eadem reuiuiscerent, suumque vnicuique tribuerẽt. Quomodo autem recedens Constantinopoli Vigilius Papa, cùm in Siciliam peruenisset, illic extremum clausit diem, sequenti anno, quo id contigit, dicturi sumus: modò quæ anni huius sunt reliqua prosequamur.

Hoc eodem vigesimooctauo Imperatoris anno à Cosrhoe Persarum Rege aduersus Iustinianum Augustum bellum mouetur, non quidem ex more in Syria, sed in Colchorum prouincia; quo Romanus exercitus turpiter victus atque fugatus est. Hæc verò quomodo se habuerint, Agathias pluribus refert. Quibus accuratè narratis, diuertit idem auctor ad peregrinationem seu transmigrationem quorumdam Gentilium philosophorum è Roma-
D no solo in Persidem, ea (vt refert) occasione, quòd pertæsi illi Christianam religionem & eam colentium mores, ad Persas, quos acceperant esse modestiores, proficiscì, ibique reliquum vitæ tempus apud eos degere decreuerunt: verùm falsa decepti fama, vbi Persarum fœdissimos inuenerunt mores, mox redire ad pristinos lares, & cum Christianis reliquum vitæ tempus degere censuerunt. Quæ autem notatu digna iisdem tunc acciderint remeantibus, ab eodem accipiamus auctore, qui rem sic exorditur[a]:

[a] *Agat lib 2.*

DE PHILOSOPHIS AD PERSAS PEREGRINANTIBVS.

Paulo antè Damascius Syrus, Simpliciusque è Cicilia, Eulamius Phryx, Prisanius Lydus, Hermias præterea & Diogenes ex Phœnicia, Isidorusque Gazæus in Persidem ad Regem
E hunc visendum se contulerunt: qui omnes facilè hac nostra ætate omnium erant philosophorum principes. Hi quidem, cùm minùs placerent quę de Deo Romani rectiùs sentiunt, & multorum relatu persuasi iam essent Persarum instituta & mores ceteris longè præstare, in Persiam ad Regem, vt in ea victuri, vnà concesserunt, & eo libentiùs, quòd Regem in primis iustissimum, continentissimumque esse acceperant, qualem & vult Plato, vt philosophia sit cum Imperio iuncta: subditos verò pollere virtutibus, quandoquidẽ nec fures apud hos essent neque prædones, nec denique qui iniustiora cetera facerent: atque adeò vt pretiosissima quæque vel in solitudine quauis relicta, qui fortè inuenerit, haudquaquam sit sublaturus, sed relinquenti vtcumque domino integra omnia vsque ad reditum maneant. Vbi tamen eò est tandem peruentum, cùm omnia aliter longè ac ipsi acceperant, sese habere iam comperissent, & omnem scelerum apud hos speciem exerceri, ipsique hæc molestissime ferrent: inconstantiæ & leuitatis se statim insimularũt, & mutati loci cœpit hos pœnitere. Vnde etsi Cosrhoes eos & beneuolẽtia prosequeretur, & vt apud se manerẽt, precibus fatigasset: confestim tamen ad pristina loca, e quibus excesserant, se receperunt, existimantes, longè sibi potius fore, initis mox Romanorum confinibus mortem, si forte contingat,

obire,quàm apud Persas morando, maiora sibi præmia comparare. Sic demum omnes ad A
pristinas sedes reducti,barbarica detestabantur hospitia.] Ita quidem experimento didicere philosophi, solutos licet disciplina Christianos præstare moribus quibuslibet veri Dei cultum ignorantibus populis. Quid verò his subiiciat auctor admiratione dignum, accipe:

DE CADAVERE HVMATO ATQVE REFOSSO. Sed cùm interea iter hi facerent, mirandum quiddam his ferunt & dignum memoria contigisse. Nam cùm in agrum quemdam Persicum philosophi diuertissent, hominis eiectum cadauer viderunt recèns mortui inhumatum. Tum hi legis barbaricæ prauitatem commiserati *(lege enim Persarum, defunctorum hominum corpora non humari, sed feris bestiis & volucribus exponi iubebantur)* quandoquidem nec par fore existimabant, vt vel in partem aliam natura iniuriam pateretur, cadauer illud per seruos elatum, terra (vt licuit) obtegerunt. Noctu verò,his quiescentibus, vnus quidam eo ex comitatu (non enim sat calleo) obuersari sibi speciem vidit hominis senioris, sibique incogniti, aliàs tamen grauis & vene- B
randi,& qui philosophiæ studenti vt pallio,ita & barba promissiore nihil esset absimilis; sibique perinde iubendo, monendoque huiusmodi inclamasse: Noli inhumatum humare: permitte canibus lacerandum. Terra vniuersorum mater matris corruptorem hominem non suscipit *(hæc idcirco, quòd Persis in more esset, filios cum matribus commisceri.)* Tum ille quamprimùm præ formidine experrectus, aliis somnium statim renunciauit. At illi tum primùm dubij animi erant,quonam esset id somnium euasurum. Antelucano autem tempore surgentes progrediuntur quò erat iter occeptum,agrum eumdem carpendo, cogente ad id loci situ in quo pridie mortui cadauer suffoderant. Nudum illum iteratò inueniunt, in agri superficie iacentem,tamquam sponte sua in apertum remittente terra,nec tolerante non à bestiis absumptum seruare. Illi igitur rei miraculo obstupefacti, iter prosequebantur, omisso humanitatis officio,quod sibi ex lege iniungebatur. Somnium interea cum fermo- C
nibus agitarent,ex eo facile fatebantur, pœnas luere Persas pro impudico & materno concubitu,eoque & insepultos manere,& non iniuria per canes dilacerari.] hæc Agathias,suorum temporum recensens historiam,haud leuiter accepta refert.

IPSOS IMPII POENIS AFFICIVNT. Ex hoc quidem exemplo quis non intelligat, in suæ ipsorum vltionem impietatis sini à Deo Nouatores hæreticos spernere ab Apostolis traditos & in Ecclesia Catholica sæpè vsu receptos atque posteris commendatos Christianis ritus sepulchrales, pompamque piam, qua sacris canticis ducuntur funera, sacrisque locis, quæ sunt Christi membra, humantur corpora defunctorum; eosdemque verè impios sua sponte ab Ecclesiastica communione discissos hisce priuari, atque tamquam infames in loco profano, profanæque sepulturæ
[a] *Hiere. 22.* mandari? vt planè iusto Dei iudicio in eis Hieremiæ [a] vaticinium compleatur,quo ait: Sepultura asini sepelietur, putrefactus & proiectus extra portas Hierusalem.] Sed quæ de fu- D
nere & sepultura dicimus,de pluribus aliis Dei beneficiis Catholicæ Ecclesiæ collatis æquè dicenda sunt, quibus in suorum scelerum pœnam sua ipsorum sententia impij, sed iusto Dei iudicio omnino priuantur.

IESV CHRISTI ANNVS 555. VIGILII PAP. ANNVS 16. IVSTINIANI IMP. ANNVS 28.

VIGILII PAPAE OBITVS. HIc annus Domini quingentesimus quinquagesimusquintus, post Consulatum Basilij numeratur decimusquartus: quo Vigilius Romanus Pontifex venturus in Italiam, in Sicilia diem obiit,cùm sedisset annos sexdecim, licet Anastasius habeat sedisse annos de- E
cem & septem, menses sex, & dies vigintisex: sed nulla subsistunt talia ratione, quamplurimis his aduersantibus. De ipso item hæc Anastasius subdit, cùm agit de eius obitu: Venerunt itaque in Siciliam, in ciuitatem Syracusas, vbi Vigilius afflictus, calculi dolorem habens,mortuus est. Corpus eius delatum Romam, sepultum est ad sanctum Marcellum via Salaria.] sed quoto anni mense dieve sit mortuus,nulla apud antiquos mentio: nec nobis de his diuinandum, cùm nec ex successoris annis tempus Vigilij sedis possit mensium atque dierum numero definiri. Ceterùm hic non prætermittendum,Pelagium diaconum ductum esse in suspicionem illatæ mortis Vigilio: id enim idem Anastasius tradit,cùm agit de eiusdem Pelagij ordinatione: addit autem,ipsum Pelagium publicè se purgasse de tanta illata calumnia.sed de his inferiùs.

Hic tandem finis Vigilij Papæ,vt iusto Dei iudicio in insula defunctus sit, confectus ipse ærumnis

A ærumnis ex morbo, qui coegerat sanctum prædecessorem suum Siluerium deportatum in insulam illic animam exhalare. Qui enim malis artibus ad Pontificatum sibi parauit ascensum, ipsum adeptus, immensis semper agitatus est fluctibus, inuisus in primis Imperatori, cuius gratiam tot studiis demerere conatus fuit, Orientalibus haud gratus Episcopis, aduersus quos diu multumque certauit: sed & Occidentalibus defensoribus Trium capitulorum redditus execrabilis, quòd in sententia non stetisset, sed impugnatoribus eorumdem, suo constituto abolito, inhæsisset, Quintam probando Synodum, quam antea impugnasset: ac tandem cùm è procellis in portum sibi visus est appulisse, pedemque alterum in Vrbem, à qua diu abfuisset, propemodum intulisse, in via mori cogitur immensis confectus ex calculi morbo doloribus.

Fuit ista Vigilij, dum esset Pontifex, vitæ periodus: ex qua quidem multa quis hauriet
B diuinæ prouidentiæ inuigilãtis super Ecclesiam Romanã exempla: quibus illud potissimùm euidẽtiùs innotescat, ipsam Diuinitatem eius gubernaculũ tunc præcipuè moderari, cũ qui naui præsidet, clauumq. tenet, obdormire videtur, vel aliò non opportunè dirigere, quò vel timor impellit, aut priuatus commouet affectus: qui enim in ea residet Christus, huc atque illuc vniuersam nauim pro arbitrio vertit: & fluctus licet contrarij vrgeant, & flantes venti in aduersam partem impellant: numquam tamen ipsa nauis impingat in scopulos, neque offendat in syrtes, vel crebrioribus vndarum ictibus dissoluatur, sed illæsa permaneat, nesciens vel vetustate lentescere, vt per lata foramina sorbens aquam, absorbeatur à fluctibus.

ROMANA ECCL. NON LAEDITVR ADVERSIS.

Intelliget ex iis pariter accuratus inspector, quanta Romanæ Ecclesiæ insit auctoritas, vigeatque potestas, cùm viderit ex aduerso frustra sæcularem niti potentiam, incassumque armari perfidiam, vaneque contra niti Orientales Episcopos, otiosè resilire Occidentales Antistites, inutiliter vbique cogi Concilia atque sanciri decreta, vbi non accesserit ipsius sedis
C Apostolicæ confirmatio, & qui in ea sedet Romani Pontificis comprobatio: cùm illud tantùm necesse sit in Ecclesia Catholica haberi ratum & firmum, quod noscitur consensione asserta vel præsumpta eiusdem Romani Antistitis comprobatum.

Vidisti enim, frustra nisum Imperiali edicto Iustinianum, quousque illi Vigilius restitit, nulliusque roboris habitum totius Orientis collectum Concilium, donec illud ipsum suo assensu voluerit Romanus Pontifex effici Oecumenicum: cùm planè non alia ratione ipsi etiam Græci illud comprobent Oecumenicum esse, nisi quòd illi consensus accesserit Romani Pontificis. Sic vides, quo magis in Vigilio contempta est Apostolicæ sedis auctoritas, eo amplius eamdem apparuisse illustratam: & cùm nulla fuerint tempora, quibus sub Catholico Imperatore adeò ignominiosa diraque pati coactus sit Romanus Pontifex, num-
D quam tamen magis, quanta in Petri successore vis atque potestas esset, cognitum fuit, in illo præsertim Antistite, quem ante electionem præterita crimina adeò infamassent, & violenta præcedens intrusio, illicitæque atque probrosæ promissiones factæ hæreticę feminæ contemptibilem reddidissent, atque demum Siluerij Papæ obitus fermè omnibus detestabilem effecisset. Ita planè permisit Deus Apostolicam sedem adeò fluctuare, atque in discrimen adduci, vt ab omnibus intelligatur non humanis sed diuinis illam fulciri præsidiis. Sed quæ reliqua sunt Vigilij Papæ, antequam de eius agamus successore, prosequamur.

APOST. SEDIS SVMMA AVCTORITAS.

In huiusce modi habitis cum Iustiniano conflictibus cùm fatigatus esset ærumnis Vigilius, idem Imperator ab eo inter alia illud extorsit, quod ab Agapeto Papa obtinere frustra tentauerat, nec ab eius successore Siluerio impetrare valuit, nempe vt Prima Iustiniana, natale solum, à se mirificè illustrata, non Episcopatus tantùm, sed Metropolitanæ sedis auge-
E retur dignitate. Cùm id, inquam, à Vigilij prædecessoribus ipse Iustinianus impetrare conatus esset, minimè valuit obtinere, quòd scirent iidem Romani Pontifices (vt superiùs dictum est) ea verti in præiudicium aliarum ipsi prouinciæ adiacentium Metropolitanarum sedium, iniustum rati dedecore nobilium Ecclesiarum illustrari nouam Ecclesiam Primæ Iustinianæ, indecensque esse alias denudare, vt vna superexornaretur Ecclesia, cresceret nimirũ ipsa diminutione maioris cui ipsa subdita fuisset Ecclesiæ; & pallium quod illa soleret accipere à Romano Pontifice, Prima Iustiniana ab eodem peteret, ac sibi superinduere t. Id quidem fuisse à Vigilio Papa decretum, vt eius Episcopus pallio ornaretur, vicemque gereret Apostolicæ sedis, idẽ Iustinianus Imp. in constitutione Nouella profitetur [a]: de eodemq; pallio, quod Archiepiscopus Primæ Iustinianæ accipere soleret à Romano Pontifice, testis est Gregorius [b] Papa in epistola ad Ioannem. Exciderunt autem ipsius Vigilij Papæ Apostolicæ litteræ de collatis à se priuilegiis Primæ Iustinianæ. Hæc verò, quòd incerta habeantur

A VIGILIO COLLATVM PRIVILEGIVM PRIMAE IVSTIN.

[a] *Nouel 131. cap. 3.*

[b] *Gregor. lib. 4. epist. 15.*

quo anno facta fuerint, hîc ad finem ipſius Vigilij rerum geſtarum ex more poſuimus. A

SACRARVM VSVS IMAGINVM.

Ad poſtremum de eodem Vigilio Papa his illud adiicere monumentum minimè prętermittimus, quod habet Hadrianus Romanus Pontifex in epiſtola ad Carolũ Magnum Imp. nempe ab eo egregiis iiſdemque piis imaginibus exornatam fuiſſe baſilicam à ſe erectam. Cùm enim inter alia plurima idem Pontifex vellet oſtendere Imperatori, viguiſſe ſemper in Eccleſia ſacrarum vſum imaginum, & de ſingulis temporibus quibus celebratæ eſſent Oecumenicæ Synodi adduxiſſet de Romana Eccleſia, quam aliæ minores Eccleſiæ imitarentur, exempla: vbi ventum eſt ad proximè dicta tempora Quintæ Synodi, ita habet: Et de ſancto Quinto Concilio: Sanctiſſimus Vigilius Papa in Lateranenſi Patriarchio baſilicam faciens, pulcherrimis eam decorauit picturis, tam in hiſtoriis, quàm in ſacris imaginibus.] hæc ipſe: quæ quidem verba (vt ex præcedentibus patet) eam habent ſententiam, vt Pontifex dicere voluerit, ſicut tempore reliquorum Conciliorum Oecumenicorum vſus B probatur ſacrarum imaginum, ita etiam tempore Quintæ Synodi, cùm eſſet Pontifex Vigilius Papa, qui baſilicam à ſe conſtructam ſacris decorauit picturis. Quod tamen ab ipſo Vigilio antè factum oportuit, quàm in Orientem proficiſceretur: nam ſemel Roma diſcedens, illuc non eſt ampliùs reuerſus.

Quod rurſum ad reliqua eiuſdem Vigilij monumenta pertinet; nec excidat, quod ſanctus Gregorius Papa in epiſtola ad Vigilium Epiſcopum Arelatenſem meminit de priuilegiis ab ipſo conceſſis Arelatenſi monaſterio, quod Childebertus Rex Francorum erexit, & petiit à Vigilio ſedis Apoſtolicæ immunitatibus communiri: cui illum aſſentientem, litteras Apoſtolicas ad Aurelium tunc Arelatenſem Epiſcopum[a] dediſſe ſignificat, ad quem conſtat aliam quàm ſuperiùs recitauimus ſcripſiſſe epiſtolam.

[a] *Gregor lib. 7. epiſt. 115.*

Vides igitur tam in Oriente, quàm in Occidente, tum Imperatores tum Reges non ab C alio Antiſtite quàm à Romano Pontifice expetere conſueuiſſe pro locis à ſe erectis priuilegia, vtpote quòd certò ſcirent in ipſo totius Catholicæ Eccleſiæ reſidere primatum, vniuerſoſque Antiſtites eiuſdem parere præceptis, ſæculareſque Principes haud audere violare, quæ ſcirent Apoſtolicæ ſedis priuilegiis eſſe munita. Nec de Vigilio illud prætereat (quod attigimus) Conſtitutum aliud ſanciuiſſe aduerſus Origenem, ipſum condemnans, vt Caſſiodorus teſtatur his verbis[b]: Hunc, *nempe Origenem*, licet tot Patrum impugnet auctoritas, præſenti tamen tempore & à Vigilio beatiſſimo Papa denuo conſtat eſſe damnatum.] Hæc cùm teſtetur Caſſiodorus, ſatis habes declaratum, quomodo accipiendum ſit, quod in alio ſuo Conſtituto Vigilius ad Iuſtinianum Imp. dato, quod haud pridem recitauimus, ait, poſt mortem non eſſe aliquem condemnandum, qui in pace & communione Eccleſiæ Catholicæ deceſſerit: cuius ſententiæ ſenſus quomodo ſit accipiendus, ſuo loco diximus. D Demum verò, vt res Vigilij ad finem perducamus, de ordinationibus ab eo factis quæ habeat Anaſtaſius, accipe: Hic fecit ordinationes duas per menſem Decembrem, preſbyteros quadragintaſex, diaconos ſexdecim, Epiſcopos per diuerſa loca octoginta & vnum. Ceſſauit Epiſcopatus eius menſes tres & dies quinque.]

[b] *Caſſiod. Inſt. diuin. lect. lib. 1. c. 1.*

PELAGIVS PAPA CREATVR.

Subrogatus eſt in locum Vigilij Pelagius Archidiaconus: quo autem menſe & die, antiquorum nemo docet. De huius ordinatione hæc idem Anaſtaſius: Dum non eſſent Epiſcopi qui eum ordinarent, inuenti ſunt duo Epiſcopi, Ioannes de Peruſio & Bonus de Ferentino, & Andreas presbyter de Oſtia, & ordinauerunt eum Pontificem: tunc enim non erant in clero qui eum poſſent promouere; & multitudo religioſorum, ſapientum, & nobilium ſubtraxerant ſe à communione eius, dicentes quia in morte Vigilij Papæ ſe immiſcuit, vt tantis pœnis affligeretur. Eodem tempore Narſes & Pelagius Papa, conſilio inito, E data litania à S. Pancratio, cum hymnis & canticis ſpiritualibus venerunt ad S. Petrum Apoſtolum: Cùm Pelagius tenens Euangelium & crucem Domini ſuper caput ſuum, in ambonem aſcendit: & ſic ſatisfecit cuncto populo & plebi, quia nullum malum peregiſſet contra Vigilium. Item adiecit Pelagius Papa: Peto vt petitionem meam confirmetis, vt ſi quis ille eſt, qui promouendus eſt in ſancta Eccleſia ab oſtiario vſque ad gradum Epiſcopatus, neque per aurum neque per alias promiſſiones proficiat (vos enim omnes ſcitis quia hoc ſimoniacum eſt) ſed ſi quis ille eſt doctus in opere Dei bonam vitam habens, non per datione, ſed per bonam conuerſationem, inhibemus eum vſque ad primum gradum venire. Eodem tempore Eccleſiæ rebus præfecit Valentinum Notarium ſuum timentem Deum, & reſtitui fecit omnia vaſa aurea & argentea & pallia per omnes eccleſias.] hactenus de Pelagij ingreſſu Anaſtaſius.

Qui

A Qui igitur non sine assensu, immo & promotione Iustiniani Imperatoris, qui etiam Vigilio adhuc superstite (vt vidimus) ei studebat, Pelagius Pontifex creatus est, licet viuente Vigilio cùm esset Archidiaconus, eius Constituto pro Tribus capitulis subscripsisset: tamen postremam eiusdem Vigilij sententiam probantem Synodum secutus est; cùm præsertim probè nosset, causam non esse eiusmodi, vt nonnisi cum iactura Catholicæ fidei, vel ignominia Synodi Chalcedonensis (vt superiùs est monstratum) sanciri pax potuisset. Sed ad alia transeamus. PELAGIVS PAPA RECIPIT QVINTAM SYNODVM.

Hoc anno vigesimonono Iustiniani Imperatoris, qui sub Theodibaldo Frãcorum Rege militabant duo germani, iidemq. Alemanni Leuthares & Bucellinus (quem Agathias Bultinum vocat) cum Francorum ingentibus copiis descendentes in agrum Campanum, Lucanos, Brutios, omnesq. interiacentes regiones depopulantur. hæc pluribus Agathias[a], qui B horum exercitium fuisse septuagintaduo millia delectorum virorum tradit. Porrò Alemannos ductabat Leuthares, Francos verò Bucellinus. De eodem Francorum Duce meminit Gregorius Turonensis[b], licet malè temporibus Belisarij eius expeditionem cõtigisse dicat; huncque ipsum Bucillenum appellat, quem S. Gregorius[c] Papa nominat Bucellinum, dum agit de S. Libertino, qui in monasterio apud Fundos in Campania posito egregia floruit sanctitate; atque de eodem Bucellino, qui eius tunc monasterium inuaserat, hæc scribit: Eodem verò tempore in Campaniæ partibus Bucellinus cum Francis venit. De monasterio verò præfati viri famuli Dei rumor exierat, quòd pecunias multas haberet. Ingressi oratorium Franci cœperunt sæuientes Libertinum quærere, Libertinum clamare, vbi in oratione ille prostratus iacebat. Mira valde res, quærentes, sæuientesque Franci ingredientes in ipso impingebant, & ipsum videre non poterant, sicque sua cæcitate frustrati C à monasterio sunt vacui reuersi.] hæc Gregorius, qui de sancto viro miranda complura alia scribit. Agathias dum de Bucellini grassatione in Italiam facta agit[d], hæc ait, Francorum erga res sacras abstinentiam commendans: FRANCI CVM ALEMANNIS INVADVNT ITALIAM.

[a] *Agath. hist. lib. 4.*

[b] *Gregor. Turon. histor. Franc. lib. 3. cap. 32.*

[c] *Gregor. dial. lib. 1. c. 2.*

[d] *Agat. lib. 2.*

Eò vbi ventum iam est, Franci omnes, qui locis hisce antè insueuissent, erga sacra pietate & reuerentia vtebantur, vt qui ad potiores leges tamquam veræ fidei cultores concesserant (vt suprà iam diximus) & haud secus ac Romani sacrificarent. Sed Alemannorum exercitus omnis (nam aliter longè hi sentiunt) sine vllo delectu & per impietatem templa diripiebant simul & deformabant; sacraque ex auro vasa, & ad peragendam rem diuinam parata, pretiosamque ceteram supellectilem cùm sustuliissent, in possessionem turpiter vendicabant: cumque ea patrassent, necdum malefactis exatiati, vel vrnas ipsas, quibus templorum structores recondebantur, frangebant, euertebantq. pauimenta, & cruore templa fœD dabant, prædaq. omnis conspurcabatur, cùm mortuos insepultos disiicerent. Haud tamen diuina longè pòst ira, quæ ob tanta hæc scelera inferebatur, hos pœnis affecit. Quandoquidem bello partim, partim morbo interiere, ita vt eorum nemo quippiam sit ex pristina rapiendi spe consecutus. Iniustitia namque & erga Deum impietas vt fugienda permaximè sunt, ita & prodesse nil poterunt, & in ipso præsertim bello. Nam patriæ opem ferre, ac patrias leges tueri, & has deuastantibus se minùs permittere, sed enixiùs hos impugnare, æquum proculdubio fuerit & generosum. Qui verò lucri & auaritiæ gratia, odiique nulla ratione subnixi, cùm nullum crminandi ius habeant, si velint in aliena irrumpere, & eos incessere, qui iniuriæ nihil intulerint; profectò insolentes hi sunt, & planè insaniunt, neq. quid ius fasque sit norunt, nec magni id faciunt, si maleficis sit infensior Deus. Quo fit, vt acriora his inferantur supplicia, & ad insanabilem calamitatem, qui praue gesserint, recidant, E etsi ad breue felices existimentur. Leuthari itaque, Bultinoque istiusmodi euenere, &c.]

Quàm autem terribilem Dei in se iram expertus sit Leuthares germanus Bucellini, dum onustus sacrorum spoliis domum reditum parat, idem auctor paulo inferiùs his verbis conscribit[e]:

[e] *Agath. histor. lib. 2.*

Paulo pòst pestilens morbus de repentè cùm hos inuasisset, multitudinem absumebat, ita vt partim circumiectorum locorum aërem vt noxium causarentur, & eius mali originem fuisse hunc ducerent, partim etiam vitæ incusarent mutationem: quandoquidem ex assidua belli exercitatione, longisque itineribus ad otium & delicias diuertissent. morbi tamen principium & calamitatis necessitatem non admodum pernoscebant. Iniustitia namque & rebus sacris, humanisque legibus illata iniuria, exitij causa his (vt equidem reor) fuere. cui rei vel Princeps ipse argumento sat fuit, quem ex Deo ingesta supplicia diuexabant: Quippe qui demens iam factus, in apertam est rabiem versus, vt amentes solent & furi- LEVTHARES DAT POENAS PATRATORVM SCELERVM.

bundi. Vertigo præterea crebrior quædam eum excepit, eiulatuſque edebat horribiles, cernuusque nonnumquam, vel vtrumque in latus ſe proruendo, illiſus ſolo volutabatur, abundantique ſpuma os ipſum proluebatur: tamen oculi horribiles viſu, inuerſique erant, & eò iam miſer veſaniæ venerat, vt vel propria membra deſæuiendo guſtaret. brachiis ſiquidem vbi iam mordicus inhæſiſſet, dentibus carne dilacerata in feræ beſtiæ morem, his veſcebatur, defluentemque lingebat cruorem. ſic demum ſuo exatiatus, & paulatim deperditus, miſerrimè ex humanis exceſſit. Ceteri verò paſſim moriebantur, nil penitus remittente malo, quouſq. tandem vniuerſi interiere. Quinetiam vel febre maior pars degrauata mortem obibat: nonnullos apoplexiæ morbus acerrimus inuadebat, alij capitis dolore peribant, & mentis exceſſu quidam. Itaque dum variè omnes afficerentur, in perniciem morbi ipſi cedebant. Cum Leuthare igitur & ceteris omnibus, qui ſe ſequebantur, ſic actum: & hunc ea expeditio habuit finem.] hæc Agathias, qui de Bucellino refert, iuraſſe non ſe receſſurum ab Italia, ſed pro Gothis ſemper bello aduerſus Romanos acturum. Quæ verò dicta ſunt de Leuthari atque Alemannorum exercitu, contigiſſe ait idem auctor trans Padum ad Venetiæ loca apud Cenedam vrbem, cùm iam iidem reuerterentur in patriam. A B C

FRANCI A ROMANIS VICTI.

Bucellinus autem apud Capuam cum Francis agens, & prœlio decernens cum Narſete, ab eo victus eſt, ac necatus cum omni Francorum exercitu: adeò vt ex tam ingenti hoſtium numero quinque tãtummodo fuerint reperti qui remearint ad propria. Rem porrò egregiè geſtam cùm Agathias deſcribat, id tribuit pietati ac iuſtitiæ Narſetis, qui non antè cõſerere manus cum hoſtibus voluit, quàm purgato exercitu: inuẽtum verò tunc vnum Herulorum nobilem militem, qui ſeruum occidiſſet, pari illum pœna plectendum eſſe iuſſit; nec magni fecit, etſi in tanta temporis ac rerum neceſſitate ingẽs Herulorum multitudo ſeſe ab exercitu, mortem gentilis ſui ægro ferens animo, ſepararet. Pluribus hæc omnia idem auctor ſcriptis mandauit, qui & inferiùs eiuſmodi recitat inſcriptionem, qua tantæ victoriæ monumentum exaratum fuit: ait enim[a]: Mihi verò ex incolis quidam nonnulla elogia recitauit in vrnam inſculpta lapideam ſub Caſilini fluminis ripas locatam; quæ huiuſmodi ſunt: C

[a] *Agat. lib. 2.*

AQVAS CASILINI FLVMINIS MORTVIS GRAVATAS SVSCEPIT TYRRHENI MARIS LITTVS, QVANDO FRANCORVM GENTEM OCCIDIT AVSONIVS ENSIS, VBI MISERO HÆC GESSIT MOREM BVLTINO. FELIX ETIAM ISTE FLVCTVS, ET ERIT BARBARICO PRO TROPHÆO DIVTINE ERVCTANS SANGVINEM.

Id epigramma ſiue in vero lapide fuerit inſculptum, ſiue aliàs vtcumque celebre ſit, ad me peruenit: haud tamen diffido fuiſſe hoc modo inſcriptum.] D

CVR FRANCI VICTI.

[b] *Agat. lib. 2.*

Cùm autem idem auctor apertè teſtetur[b], ob iniuſtitiam victos fuiſſe Frãcos: hic examinandum eſt præcipuum eorum peccatum, cuius rei gratia adeò ad internecionem cędi meruere. Nam cùm ab eodem auctore Francorum pietas commendetur, iuſtitia tamen non ita: quòd ſcilicet Agathias de eorum Duce tradat, obſtinatè nimis patrocinium Gothorum ſuſcepiſſe: adeò vt recedente Leuthari cum Alemannis, ipſe laturus Gothis opem remanere omnino voluerit. ait enim: Bultinus verò cùm iureiurando iam confirmaſſet aduerſus Romanos & pro Gothis ſe bella geſturum, hique adulando barbarum permulcerent, ac ſuum Imperatorem fore ſe prædicarent: viſum eſt tandem manendum apud hos potiùs eſſe, & peragenda conuenta: vnde apud Gothos is manſit, & ad bellum neceſſaria comparabat.] hæc auctor dum in bello ſuſcepto iniuſtitiam aperit, cùm illos defendendos Franci ſuſcepiſſent, qui ditionem inuaſerant alienam. Adde his etiam, quòd ea ex parte impietatem defenderent (licet hoc non eſſet in animo) dum aduerſus Catholicos pro Arianis, quales Gothi erant, iuratum prœlium proſequi ſtatuiſſent. His etiam iunge illud, quòd inuito Theodibaldo Francorum Rege (vt idem auctor teſtatur) ſuaq. ſponte idem Dux exercitus Bucellinus pro Gothis Francos duxit cum Alemannis ad pugnam. Vt planè exemplo poſteris fuerit, fortiſſimos quoſque debiles reddi ac prorſus imbelles, quos iuſtitia deſerit, quam meritò Sapiens prœliantium [c] thoracem appellat, fidem verò ſcutum; quibus ſi careant prœliantes, omnino ſint perituri, niſi (quod ſæpe contigit) ad ſcelera vlciſcenda his Deus vtatur tamquam virga furoris ſui. E

[c] *Sap. 5.*

ROM. EXERCITVS PROPELIGATVS IN COLCHIS.

Sed quòd res humanæ ſui varietate inconſtantes eſſe ſoleant, lætis mox admixta ſunt triſtia; cùm videlicet poſt tam ingentem de Francis adeptam victoriam in Italia, Romanus exercitus qui in Perſide militabat, poſteriores tulit. Siquidem hoc anno ab eo malè pugnatum eſt cũ Perſis, fugatis à tribus millibus Perſarum quinquaginta millibus Romanorum,

vlciſcente

A vlciscente Deo (vt ab omnibus iactabatur) innocentem sanguinem Regis Colchorum à Romani exercitus Ducibus fraude necati. De his pluribus Agathias. Erat namque Rex ille Christianus maximè pius, totaque eius prouincia Christianitate refulgens. Factaque hæc ait, dum Persæ obsiderent Onogorim antiquum præsidium, quod Christiani Colchi à Protomartyris nomine Sanctum Stephanum nominarunt. Tu verò de his eumdem, si libet, auctorem consule.

Inter hæc verò, dum quæ dicta sunt de Francis in Italia gererentur, Theodibaldum Francorum Regem adolescentulum penè puerum morbo miserrimè affectum ex hac vita migrasse, idem auctor Agathias affirmat; ob idque cùm ad consanguineos superstites Francorum Reges Childebertum atque Clotharium deuolueretur hereditas, inter eos obortam esse discordiam tradit. De Theodibaldo scribit Gregorius, vxorem duxisse, annoque
B regni sui septimo decessisse. Porrò vnà cum regno eius quoque coniugem incestuoso connubio Clotharium accepisse narrat, reprehẽsum verò à sacerdotibus eam dimisisse. sed audi verba ipsius [a]: Regnum eius Clotharius Rex accepit, copulans Vuldotradam vxorem eius strato suo: sed increpitus à sacerdotibus, reliquit eam, dans ei Gariualdum Ducem, &c.] Vigebat quidem Gallicanorum Episcoporum sacerdotalis vigor his temporibus aduersus incestuosos: nam exstant plures canones diuersorum Conciliorum in Gallijs habitorum, quibus eiusmodi crimen Ecclesiasticis censuris insectati sunt sanctissimi Patres illi quos diximus Aurelianensium Synodorum secundæ, tertiæ, quartæ, & quintæ, necnon Concilij Turonensis. Sanè quidem & aliud id genus crimen eiusdem Clotharij idem Gregorius [b] refert, nimirum duas sibi in matrimonium coniunxisse sorores, ex quibus septem suscepit filios. Vnde ob tanta hæc facinora haud modicum fuit iisdem sanctis Episcopis laborandum,
C vt malos hos exoriri cœptos frutices sacrarum legum falce succiderent.

[a] *Gregor. lib. 4. c. 9.*

[b] *Gregor. lib. 4. c. 3.*

Sed vt repetamus res Orientis, hoc eodem anno vndetrigesimo Iustiniani Imperatoris tumultuatum rursum esse à Iudæis & Samaritanis hæreticis in Palæstina, Miscellæ auctor ita describit: Anno vigesimonono Imperij Iustiniani seditionem cõcitauerunt Iudæi & Samaritæ Cæsareæ Palæstinæ, & facti quasi in ordine Prasino & Veneto irruerunt in Christianos eiusdem ciuitatis, & multos interfecerunt, & ecclesias combusserunt, & Stephanum ipsius ciuitatis Præfectum in Prætorio peremerunt, & substantiam eius diripuerunt. Vxor verò illius fugiens in vrbem, adiit Imperatorem: Qui iussit Adamantio Magistro militum descendere in Palæstinam, & occisionem exquirere Stephani: qui veniens, eorum quos reperit, alios suspendit, alios decollauit, alios verò debilitauit & publicauit: & factus est timor magnus in omnibus partibus Orientis.] hæc aduersus Iudæos & Samaritas hoc anno facta
D sunt, quos iam antea sæpiùs aduersus Christianos sæuientes legibus eiusdem Imperatoris compressos, sæpe superiùs dictum est.

QVingentesimus quinquagesimus sextus Christi annus post Cõsulatum Basilij decimus quintus notatur: quo debellatis Francis, Alemannis lue consumptis, & Gothis in deditionem acceptis, à bellis Italia tandem quieuit: cùm tamen vigeret bellum Ecclesiasticum, & illud quidem haud leue, iam antè ortum, cùm Vigilius Constantinopoli primùm
E contra Tria capitula illa sententiam tulisse ferretur, vt diximus: auctum verò, cùm cognitum fuit, ab eo Quintam Synodum comprobatam eadem Tria capitula condemnantem: magis autem commotum, cùm auditum, quòd Pelagius Papa (vt dictum est) anno superiori creatus Pontifex, vt Orientalem Ecclesiam ob Quintam Synodum cum Occidentali coniunctam in pace seruaret, ipsam Quintam Synodum recepisset: maior enim inde facta est scissura Occidentalium Episcoporum, ad quam consarciendam idem Pelagius Pontifex impigrè laborauit. Adeò enim visi sunt exhorruisse Occidentales Antistites fere omnes aliam Oecumenicam Synodum post Quartam admittere, vt nec potuerit Pelagius reperire Episcopos Romæ, à quibus consecraretur, atque opus fuerit presbyterum Ostiensem (quod nũquam antea accidisset) loco Episcopi munus illud obire, ipso Pelagio ita iubente.

BELLVM ECCLESIASTICVM INOCCIDENTE.

Quantum enim auersati fuerint Quintam Synodum Occidentales, vel ex Cassiodoro [c] & aliis possumus intelligere, qui licet à communione Catholica numquam defecerint,

[c] *Cassiod. Instit. diuin. lect. li. 1. cap. 11.*

rint,nec eamdem Quintam Synodum aliquando damnarint:eam tamen silentio prę- A
runt , satis esse putantes in his quæ spectant ad Catholicam fidem quatuor profiteri Oecumenicas Synodos,in quibus Catholica dogmata aduersus hæreticos aduersantes sunt stabilita:nam in ipsa Quinta Synodo actum constat de personis:quamobrem haud necessarium visum est in assertione Catholica vnà cũ quatuor Synodis etiam Quintam eadẽ obseruantia qua illas quatuor profiteri . Sic & Cassiodorus fecisse cognoscitur , & aliquando etiam S.Gregorius Papa,atque Patres Concilij Bracarensis secundi, vt suo loco dicetur. Non dubium enim est , pertæsos etiam fuisse Catholicos Occidentales professores Quintæ Synodi,aliquid esse occasione Chalcedonensis Concilij innouatum. Hinc est, quod ipse Cassiodorus in commẽtario illo quo de diuinæ lectionis institutionibus agit, vbi de quatuor Synodis summa cum laude mentionẽ habet,aduersus eos qui innouarunt sic inuehitur [a] : Sunt B nonnulli, qui putant esse laudabile , si quid contra antiquos sapiant , & aliquid noui, vnde periti videantur,inueniant. Chalcedonensis autem Synodi testis est codex encyclicus, qui eius reuerentiam tanta laude concelebrat , vt sanctæ auctoritati meritò iudicet comparandam.quem codicem ἐγκύκλιον, id est , totius Orbis epistolarum à viro disertissimo Epiphanio fecimus in Latinum de Græco sermone conuerti.] hæc ipse,intelligens per encyclicum codicem tomum illum epistolarum , procurante Leone Imperatore, à quamplurimis eius temporis Episcopis pro defensione Chalcedonensis Concilij conscriptarum , quem continet secundum volumen Conciliorum,de quo suo loco pluribus dictum est. Neminem verò moueat,si idem Cassiodorus recensens Oecumenicas Synodos, de Quinta Synodo nullam habuerit mentionem, sicut & S. Gregorius [b] aliquando fecisse visus est ; quòd (vt ipse Gregorius testatur [c]) in ea non de fide,sed,de personis sit actum : id enim (vt dicetur) & alij C plures fecisse noscuntur,cùm tamen eidem non contradicerent.

CASSIODORVS QVATVOR TANTVM SYNODORVM ASSERTOR.

[a] *Cassiod. de diuin lect. c. 11. & 17.*

[b] *Gregor. lib. 3. epist. 33.*

[c] *Gregor. lib. 3. epist. 37.*

At ne quis putet Cassiodorum,quẽ claruisse vidimus tẽpore Theodorici & successorum Regum Gothorum,ad hæc tempora minimè peruenisse:ex eodem libro Institutionum diuinarum lectionum, quonam tẽpore ætatis eius ille sit scriptus,facilè intelligi poterit. Cùm enim trigesimo eiusdem commentarij capite memmerit libri de Orthographia à se cõscripti,idemq́. testetur in eiusdem voluminis præfatione illum ipsum à se elaboratũ anno suæ ætatis nonagesimotertio : planè intelligere vales , eumdem Cassiodorum his superuixisse temporibus,pluraque scripsisse , edidisseq́. de sacræ lectionis Institutionibus librum illum, vbi quatuor tantùm Synodos agnoscere profitetur , omni explosa altercantium nouitate. quod (vt dictum est) mirum esse minimè debet , cùm & temporibus Gregorij Papæ de eadem Quinta Synodo haud esset omnium Orthodoxorum eam recipientiũ libera certaque D assertio. Sed ad Pelagium redeamus, Cassiodorum opportuniori tempore conuenturi.

DE AETATE ET SCRIPTIS CASSIODORI.

PELAGIVS LABORAT PRO QVINTA SYNODO.

Pelagius igitur vbi Occidentalium animos ex Oriente veniens exploratos habuit , etsi grauem subiisse prouinciam sensit , & supra vires onus suscepisse ex eius pondere intellexit: haud tamen à cœptis destitit,sed perarduum opus semel aggressus, illud perficere manibus (vt aiunt) pedibusque conatus, omnes neruos intendit, vt Occidentales Episcopos,potissimùm verò Italos sibi in his obsequẽtes redderet.Verùm cùm omnes ferme reperit renitentes,tũ verò prę ceteris refractarios illos inuenit,qui in ea Italiæ erant regione,quæ hactenus Francis subdita fuit, nempe Venetos,Istrios,atque Ligures: quos ad Catholicam vnitatem reducere festinans , eosdem litteris Apostolicis vocauit , & prouocauit aliorum exemplis. At cùm penitus resilirent , per Narsetem eos compescere , atque coercere putauit. Narses verò quòd pius admodum esset, veritus est aduersus Episcopos aliquid agere ; cùm ad eum E ita trepidantem Pelagius hæc tunc scripsit [d]:

[d] *Pelag. epist. 3 tom. 1. epi. Rom. Pont.*

Non vos hominum vaniloquia retardent dicẽtium, quia persecutionem Ecclesia faciat, dum vel ea quæ committuntur reprimit,vel animarum salutem requirit.Errant huiusmodi rumoris fabulatores. Non persequitur, nisi qui ad malum cogit . Qui verò malum vel factum iam punit,vel prohibet ne fiat, non persequitur iste, sed diligit. Nam si (vt illi putant) nemo nec reprimendus à malo,nec retrahendus à malo ad bonum est : humanas & diuinas leges necesse est euacuari, quæ & malis pœnam, & præmia bonis, iustitia suadente, constituunt. Malum autem schisma esse, & per exteras etiam potestates huiusmodi homines debere opprimi , & canonicæ Scripturæ auctoritas & paternarum regularum nos veritas docet. Quisquis ergo ab Apostolicis diuisus est sedibus , in schismate eum esse , non dubium est,& contra vniuersalem Ecclesiam altare conatur erigere.

Sed quid de talibus insertus Chalcedonensi Synodo canon statuat , gloria vestra consideret,

A deret, vbi post alia sic dicit: Qui à communione se ipsum suspendit, & collectam facit, & altare constituit, & noluerit vocanti Episcopo consentire; & noluerit eidem acquiescere, neq. obedire primò & secundò vocanti; hunc omninò damnari; nec vmquã vel orationem mereri, nec recipere eum posse honorem. Si enim permanserit turbas faciens & seditiones Ecclesiæ, per exteram potestatem tamquam seditiosum comprimi. Et beatus Augustinus de talibus dicit[a]: Multa etiam cum inuitis benigna quadam asperitate plectendis agenda sunt: quorum potiùs vtilitati consulendum est, quàm voluntati. Nam in corripiendo filio, quantumuis asperè, numquam paternus amor amittitur: fit tamen, quod nollet, vt doleat, qui etiam inuitus videtur dolore sanandus. [a] Augustin. Enchir. c. 73.

Ecce videtis, quemadmodum tanti testimonio Patris non persequatur coercendo talia, sed diligat emendando tales semper Ecclesia. Facite ergo etiam vos (quod scientes intenB tionem Christianitatis vestræ frequenter hortamur) & date operam, vt talia fieri vltrà non liceat, sed etiam (quod vobis facillimum esse non dubito) hi qui talia præsumpserunt, ad piissimum Principem sub digna custodia dirigantur. Recolere enim debet celsitudo vestra, quid per vos Deus fecerit tempore illo, quo Istriam & Venetias tyranno Totila possidente, Francis etiam cuncta vastantibus, non antè tamen Mediolanensem Episcopum fieri permisistis, nisi ad clementissimum Principem exinde retulissetis; & quid fieri debuisset, eius iterum scriptis recognouissetis; & inter vbique feruentes hostes, Rauennam tamen & is qui ordinabatur, & is qui ordinaturus erat, prouidentia culminis vestri deducti sint.

De Liguribus atque Veneticis & Istriis Episcopis quid dicam? quos idonea est excellentia vestra ratione & potestate reprimere, & dimittitis eos in contemptum Apostolicarum sedium de sua rusticitate gloriari: cùm si quid eos de iudicio vniuersalis Synodi, quod C Constantinopoli per primam nuper elapsam Indictionem actum est, fortè mouebat; ad sedem Apostolicam (quomodo semper factum est) electis aliquibus de suis, qui dare & accipere rationem possent, dirigere debuerunt, & non clausis oculis corpus Christi Dei nostri, hoc est, sanctam Ecclesiam lacerare. Nolite ergo dubitare, huiusmodi homines principali vel iudiciali auctoritate comprimere: quia regulæ Patrum hoc specialiter constituerunt, vt si qua Ecclesiastici officij persona, cui subiectus est restiterit, vel seorsum collegerit, aut aliud altare erexerit, seu schisma fecerit; iste excommunicetur, atque damnetur. Quòd si fortè & hoc contempserit, & permanserit diuisiones & schisma faciendo, per potestates publicas opprimatur. Ecce domine, quod animus vester fortè timidus est, ne persequi videaris, de Patrum vobis auctoritate hæc breuiter dirigenda curaui: cùm mille alia exempla & constitutiones sint, quibus euidenter agnoscitur, vt facientes scissuras in sancta Ecclesia, non soD lùm exiliis, sed etiam proscriptione rerum & dura custodia per publicas potestates debeant coerceri.] hactenus ad Narsetem Pelagius.

COERCENDI SCHISMATICI.

Ecce Pelagius Papa (vt vides) schismaticos Donatistarum exemplo vult corripi per sæcularem Principem, sicut eos sanctus Augustinus cogendos scripsit per Romanum Imperatorem. Ceterùm quod ad hæc spectat, Facundus Episcopus Hermianensis Africanus (de quo plura superiùs) acerrimus Trium capitulorum defensor, in libello quem scripsit ad Mocianum, nequaquam horum causam esse similem Donatistarum schismati, sed longè disparem, asserit & lamentatur: reclamabant enim vndique schismatici, dum vrgerentur, persecutionem se pati à Patribus Orthodoxis: isti verò ex aduerso schismaticos vi coercendos, exemplis sanctorum Patrum atque legibus probabant Ecclesiasticis. Sed & quòd iidem essent in schismate, inde certo declarabant argumento, quòd diuisi essent in primis ab ipso E capite, simulque ab omnibus totius Catholicæ Ecclesiæ Patriarchalibus sedibus.

Quòd igitur idem probè sciret Pelagius, quanto cum detrimento schismatici permitterentur sua insania agere, atque seorsum colligere conuenticula: vrget opus, ad Narsetem iterum scribens his verbis[b]: [b] Pelag. epi. 5.

EPISCOPI AQVILEIENSIS ET MEDIOLANENSIS SCHISMATICI.

Istud est quod à vobis poposcimus, & nunc iterum postulamus, vt Paulinum Aquileiensem pseudoepiscopum, & *illum* Mediolanensem Episcopum ad clementissimum Principem sub digna custodia dirigatis: vt & iste, qui Episcopus esse nullatenus potest, quia contra omnem canonicam consuetudinem factus est, alios vltrà non perdat; & ille, qui contra morem antiquum eum ordinare præsumpsit, canonum vindictæ subiaceat. Nec licuit alicui aliquando, nec licebit particularem Synodum congregare. Sed quoties aliqua de vniuersali Synodo aliquibus dubitatio nascitur, ad recipiendam de eo quod non intelligunt rationem, aut sponte ij qui salutem animæ suæ desiderant, ad Apostolicam sedem pro

reci-

recipienda ratione conueniant: aut si fortè (sicut de talibus scriptum est[a]: Peccator cùm venerit in profundum malorum, contemnit) ita obstinati & contumaces extiterint, vt doceri non velint: eos ab eisdem Apostolicis sedibus aut attrahi ad salutem quoquo modo necesse est; aut ne aliorum perditio esse possint, secundùm canones per sæculares comprimi potestates.] hæc ad Narsetem Pelagius. A

[a] *Prouerb.* 18.

Ceterùm etsi Episcopi à capite schismate scissi essent, populi tamen nõ ita. Etenim quod longo vsu didicissent, secundùm hierarchicum in Ecclesia semper seruatum ordinem, esse non posse legitimum sacerdotem, qui à Romano Pontifice non habeat communionem, nec viuere in corpore membrum, quod à connexione capitis sit abscissum: hac de causa cùm scirent eiusmodi esse à Romani Pontificis coniunctione discissos, eosdem non vt pastores legitimos cognoscebant, sed vt alienos auersabantur & fugiebant, & ad eum quem verè sciebant in Ecclesia omnium vniuersalem esse pastorem accurrebant porrigentes querelarum libellos aduersus eos quos patiebantur schismaticos sacerdotes. Hos cùm audiret Romæ Pelagius, officio non defuit, vt oues à luporum insultibus vindicaret: sed quòd probè nosset haud eiusmodi litteris permoueri, nec legationibus reprimi, sed magis ex iis pastoralibus admonitionibus eosdem reddi proteruos; sæcularis esse opus auxilio potestatis intelligens, in eamdem sententiam de comprimendis his qui à sede Apostolica sunt diuisi, hæc ad Narsetem Præfectum scribit[b]:

POPVLI RECVRRVNT AD PELAGIVM.

B

[b] *Pelag. epi. 2.*

Quali nos de gloriæ vestræ studiis iudicio gratulemur, nõ solùm vestram, sed multorum ac penè omnium credimus habere notitiam: & idcirco nunc de his, quæ vobis præsentibus ibi fieri stupemus, fiducialiter apud gloriam vestram duximus conquerendum. Thracius* siquidem atque Maximilianus nomina tantùm Episcoporum habentes, & Ecclesiasticam ibi vnitatem perturbare dicuntur, & omnes Ecclesiasticas res suis vsibus applicare: in tantum vt contra vnum eorum, id est, Maximilianum, vsque ad nos per tam longum iter, necessitate compellente, quidam infatigabiliter venientes, preces offerrent. Ob quam causam Petrum presbyterum sedis nostræ, sed & Proiectum Notarium ad eadem loca duximus destinandos; vt ea quæ canonicis statutis à prædictis pseudoepiscopis compererint commissa, vel digna debeant ibi vltione compescere, vel eosdem ad nos vsque perducere.

PELAGIVS RVRSVM EXCITAT NARSETEM CONTRA SCHISMATICOS.

* Tertius

C

Et ideo salutantes paterno affectu gloriam vestram, petimus, vt præfatis, qui à nostra sede directi sunt, in omnibus præbeatis auxilium: nec putetis alicuius esse peccati, si huiusmodi homines comprimuntur. Hoc enim & diuinæ & humanæ leges statuerunt, vt ab Ecclesiæ vnitate diuisi, & eius pacem nequissimè perturbantes, à sæcularibus etiã potestatibus comprimantur. Nec quicquam maius est, vnde Deo sacrificium possitis offerre, quàm si id ordinetis, vt hi qui in suam & aliorum perniciem debacchantur, competenti debeant vigore compesci.] hæc Pelagius ad Narsetem, ad quem eodem argumento aliàs (vt vidimus) litteras dedit. Ceterùm ipse litteris permotus Pelagij Narses, cùm aduersus schismaticos moueretur, non vi, sed hortatione cum eis agendum putauit: cùm illi contrà, eum à Pelagij communicatione debere recedere hortarentur: quod cùm Narses detestaretur, ipsi schismatici eum cum ignominia veluti schismaticum auersati sunt. Cùm autem hæc omnia ipse Narses Pelagio significasset, idem Pontifex ad ipsum ista rescripsit[c]:

SCHISMATICI COMPRIMENDI.

D

[c] *Pelag epi.* 4

Relegentes litteras excellentiæ vestræ, de iniuria quidem, quam vobis iniquorum hominum præsumptio ingessit, valde doluimus. Sed quia scimus occulto Dei iudicio animam vestram etsi per aliorum iniquitatem & superbiam à contaminatione schismatis custoditam; egimus omnipotenti Deo gratias, qui etiam de malis hominum actibus bona operari consueuit. Nec enim sine illius prouidentia factum esse credendum est, vt insensati & peruersi homines ad hoc vsque prosilirent, vt suam diuisionem, Catholicam esse credentes Ecclesiam, à sua vos pollutione prohiberent. Sic enim per misericordiam Dei, etiam nescientibus illis, hoc factum est, vt à schismaticorum factione eruti, Catholicæ quam diligitis, seruari vos contigisset Ecclesiæ. Quamuis igitur vestra per illorum scelus vtilitas facta sit: nolite tamen impunitam iniquorum hominum præsumptionem grassari permittere. Si enim hoc, quod in vestram gloriam præsumpserunt, non fuerit vindicta compressum: quod in minoribus non valeant puniri, ambigi vltrà non debet.

RVRSVM PELAGIVS AD NARSETEM.

E

Exercere igitur in talibus debitam auctoritatem; & ne eis ampliùs talia committendi spiritus crescat, vestris coercitionibus reprimantur. Ad hoc siquidem Dei nutu etiam contra vos talia præsumpserunt: vt talia vobis corrigentibus, ab eodem scelere alios possitis, Deo propitiante, munire. Quales autem sint qui Ecclesiam fugiunt, Euphrasij vos scelera

(quæ

A (quæ ampliùs occulta Deus esse noluit) euidenter informant: qui in homicidio quidem nec hominis necessitudinem, nec fratris charitatem, nec sacerdotij reuerentiam cogitauit. Incestuoso autem adulterio etiam ipsius vindictæ abstulit modum: quia si adulterium punias, non remanet in quo vindicetur incestus. Si incestuoso ingeras pœnam, inultum crimen adulterij remanebit. Ecce de quo collegio sunt, qui quantum ad superbiam suam, iniuriam vobis inferre moliti sunt; & quantum ad prouidentiam Dei, impollutos vos Ecclesiæ seruauerunt. Auferte tales ab ista prouincia: vtimini oblata vobis à Deo opprimendi perfidos occasione. Quod tunc plenius fieri poterit, si auctores scelerum ad clementissimum Principem dirigantur, & maximè Ecclesiæ Aquileiensis inuasor, qui in schismate, & in eo maledictus nec honorem Episcopi poterit retinere, nec meritum.] hactenus de his Pelagius.

B Hic autem Episcopus Aquileiensis, de quo agitur, Paulinus nomine, post Macedonium sedit annos vigintiduos, vt habent monumenta Ecclesiæ Aquileiensis. Quæ verò gesta sint per Narsetem Pelagij Papæ impulsionibus, ex scriptorum inopia latent. sed & quæ reliqua fuerint Pelagij aduersus schismaticos studia, licet præter hæc altum sit silentium: ex his tamen quæ dicta sunt, ea quæ ignorantur, possumus intelligere, cùm constet conflatum semel schisma minimè consopitum, sed maioribus in dies incrementis auctum, vt ex Gregorij Papæ epistolis satis liquet. At quidnam profecit Pelagius per Narsetem? multum quidem, nempe vt nonnulli Italiæ Episcopi veluti membra capiti subderentur. Aquileiensis tamen Episcopus & aliquot ipsi inhærentes obstinatissimi permansere, adeò vt Ecclesia illa vsque ad Sergij Papæ tempora in schismate diuisa permanserit ad centum ferme annorum spatium, licet omnes successores Pelagij, vt eum cum aliis ad Catholicam vnitatem reducerent, nauiter laborauerint. At de his hæc modò satis.

C

Hoc eodem anno, nempe decimoquinto post Consulatum Basilij, idem Pelagius Papa cùm suscepisset legatos à Childeberto Francorum Rege, necnon ab Episcopo Arelatensi Sapaudo, siue Sabaudio (ita enim subscriptus reperitur Concilio secundo Matisconensi) ad eosdem rescripsit, in primisque ad eumdem Episcopum Arelatensem litteras dedit, quibus eidem suas delegauit vices, & impertitus est pallium. accepimus eas ab Ecclesia Arelatensi: sic enim se habent:

PELAGII PAP. EPIST. AD SAPAVDVM EPISC. ARELAT.

Dilectissimo fratri Sapaudo Pelagius.

Maiorum nostrorum, operante Dei misericordia, cupientes inhærere vestigiis, & eorum actus diuino iuuamine in omnibus imitari; charitati tuæ per vniuersam Galliam sanctæ sedis Apostolicæ, cui diuina gratia præsidemus, vices iniungimus: hoc enim antiquita-

D tis memoria docet, hoc Ecclesiæ Romanæ testantur scrinia à sanctis Patribus & decessoribus nostris tuis decessoribus esse concessum: vt illius stabilis petræ sempiterna soliditas, supra quam Dominus Saluator noster propriam fundauit Ecclesiam, à Solis ortu vsque ad occasum primatus sui apicem successorum suorum auctoritate tam per se, quàm per Vicarios suos firmiter obtineret. Nos autem (sicut dicit beatus Apostolus [a]) non in immensum gloriamur, sed secundùm mensuram regulæ, qua mensus est nobis Deus mensuram pertingendi vsque ad vos: nec enim quasi qui non pertingentes ad vos superextendimus nos. Sic ergo participata solicitudine, sanctam Dei vniuersalem Ecclesiam nostri per Dei gratiam rexere maiores. Hinc est quòd & nos fraternitati tuæ huiusmodi curas iniungimus, vt sedis nostræ Vicarius institutus ad instar nostrum in Galliarum partibus primi sacerdotis locum obtineas, & quicquid ad gubernationem vel dispensationem Ecclesiastici status ge-

E rendum est, seruatis Patrum regulis & sedis Apostolicæ constitutis, diuini iudicij consideratione dispenses, talemque te in custodiendis canonibus sancta conuersatione demonstres, qualem tanti loci decet esse Vicarium.

[a] 1. Cor. 10.

Memor sententiæ beati Pauli Apostoli, qua Timotheum discipulum solicitè magister informat, dicens [b]: Testor coram Deo, & Christo Iesu, & electis Angelis eius, vt hæc custodias sine præiudicio, nihil faciens in aliam partem declinando: vt erogetur, charissime frater, auctoritas Pontificis & pastoris mansuetudo, per nos tibi locum Vicarij, sicut & decessoribus tuis, noueris gratiæ largitate concessum. Quia licet apud Dominum non sit acceptio personarum, tuam tamen charitatem etiam carnali generatione constat esse præclaram. Et ideo conuenit, vt quanto in te Dominus multiplicia bona largitus est, tanto in sacerdotalibus actibus probitatem morum exhibeas clariorem. Scriptum est enim [c]: Cui commodauerunt multum, plus petent ab eo. Vsum quoque pallij tibi alacriter affectio-

[b] 1. Tim. 5.

[c] Luc. 12.

affectuoſe

*affectuoſe affectioſeque * concedimus, pariter etiã pallium dirigentes: vt in tanti loci faſtigio conſtitutus præclaro quoq. habitu decoreris, ſciturus omnibus Eccleſiaſtici gradus hominibus nullam haberi licentiam ſine Formata tuæ charitatis ex quacumque Galliarum parte longiores petere regiones, ne prohibita præſumentes ipſi ſe proprio priuare videantur officio. Hæc igitur per Flauianum diaconum, & Neſtorium ſubdiaconum Eccleſiæ tuæ, per quos epiſtolas tuas accepimus, ſcribenda eſſe curauimus, in quorum etiam conuerſatione laudabilis tuæ charitatis agnouimus inſtitutum. Dominus te incolumem cuſtodiat, frater chariſſime. Dat. III. Non. Febr. anno XV. P.C. Baſilij V. C.] Ad ipſum verò Francorum Regem hanc ſcripſit epiſtolam:

PELAGII PAP. EPIST. AD CHILDEBERTVM FRANC. REG.

Domino filio merito glorioſiſſimo atq præcellentiſſimo Childeberto Regi Pelagius.

Excellentiæ veſtræ litteras poſt illas quas legati veſtri detulerunt, etiam per eos quos frater & Coepiſcopus noſter Sapaudus * ad nos direxit, reuerenter accepimus; & ſalutis veſtræ, quæ nobis ſemper optanda eſt, cognoſcentes indicia, gratias diuinæ pietati retulimus, exorantes clementiam eius, vt vos largiflua pietate ſua conſeruet incolumes. Litteras autem noſtras præfato conſacerdoti noſtro Sapaudo ſecundùm petitionem veſtram direximus, vſum pallij pariter concedentes: quia in ſcrinio Eccleſiaſtico huiuſmodi exempla reperimus, quibus oſtenditur Arelatenſibus Epiſcopis à ſanctæ recordationis deceſſoribus noſtris hæc fuiſſe collata. Propterea ſalutantes cultu regalibus infulis debito, poſtulamus, vt ita eum atque Eccleſiam eius gratia excellentiæ veſtræ tueatur ac foueat, ne quem per vices noſtras augeri, propitiante Domino, poſtulatis, in aliqua parte cuiquam Gallicanorum ſacerdotum, vel cuiuſlibet ordinis Eccleſiaſtici perſonis (quod non oportet) contemptibilis habeatur, & in ea auctoritate ſanctæ ſedi Apoſtolicæ & genio veſtro, qui pro eo ſuffragatores acceditis (quod abſit) videatur in aliquo derogari. Perincolumem excellentiam veſtram Deus noſter cuſtodiat, domine fili glorioſiſſime atque præcellentiſſime.] deſunt quibus data eſt dies & Conſulatus; ſed eodem tempore quo ſuperior datam eſſe, argumentum ipſius ſignificat. Cùm autem ea data tertio Non. Februarij habeatur, præmittenda eſt reliquis ab eodem Pelagio Papa ſiue ad eumdem Sabaudium, ſiue ad Childebertum Regem poſtea eodem anno datis, atque in primis quæ ſcripta legitur decimooctauo Kalendas Iunias ad eumdem Sabaudium Epiſcopum, quæ ſic ſe habet:

* Sabaudius

ALIA PELAGII PAP. EPIST. AD SAPAVD. EPISC.

Dilectiſſimo fratri Sapaudo Pelagius.

Quia legatus filij noſtri glorioſiſſimi Regis Childeberti beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli & aliorum ſanctorum martyrum reliquias popoſcerunt: neceſſe habuimus hominem bonum ſubdiaconem de clero noſtro dirigere, qui eas vſque ad fraternitatem tuam cum reuerentia deportaret. Et ideo ſalutantes, hortamur vt quæſita occaſione ſiue nauis, ſiue terreno, cum talibus perſonis, de quibus nulla periculi poſſit eſſe ſuſpicio, ad nos eum, iuuante Domino, remittatis. Ea autem quæ pro honore charitatis tuæ à nobis ſupradicti legati popoſciſſe noſcuntur, parati ſumus, Deo iuuante, concedere. Sed niſi litteras tuas per te acceperimus, ſicut etiam deceſſores noſtri poſtulantibus tuis deceſſoribus præſtiterunt, ſuperfluum iudicauimus vltro tranſmittere: ſed mox ad nos, iuuante Domino, cùm de clero tuo cum litteris direxeris, ſi Dominus voluerit, & ſi vixerimus, promittimus, nos eſſe facturos. Præterea hortamur, vt viro magnificentiſſimo filio noſtro Patricio Placido genitori tuo dicas, vt quod de penſionibus poſſeſſionum Eccleſiæ noſtræ collectum eſt, aut per ſuum hominem, aut per harum nobis dignetur dirigere portitorem: quia Italiæ prædia ita deſolata ſunt, vt ad recuperationem eorum nemo ſufficiat. Et ſi poſſibile eſt vt nobis de ipſis ſolidis ſaga tumentacia, quæ pauperibus erogari poſſint, & tunicas albas, aut cucullas, vel colobia, aut ſi quæ aliæ ſpecies in Prouincia fiunt, quæ pauperibus (vt diximus) erogari debeant, exinde facite comparari, & opportunitate nauis inuenta dirigite: vt maximas fraternitati tuæ gratias referamus, dum huiuſmodi ſolicitudinem noſtram prouidentia charitatis tuæ releuari contigerit. Hortamur etiam, vt Anaſtaſium fratrem Pauli Defenſoris Eccleſiæ ad nos faciatis occurrere. Dominus te incolumem cuſtodiat, frater chariſſime. Data X VIII. Kal. Iun. anno XV. P. C. Baſilij V. C.] hæc Pelagius ad Arelatenſem Epiſcopum: quibus intelligis ſtudium Regis Chriſtianiſſimi erga Sanctorum cultum, cùm ad accipiendas Sanctorum reliquias Romam ad Pelagium Papam legationem miſit; & reuerentiam illis exhibitam ab ipſo Romano Pontifice, dum eas non credidit homini laico, ſed mittendas putauit per Romanæ Eccleſiæ ſubdiaconum virum pium. Porrò hæc menſe Maio eſſe à Pelagio Papa ſcripta vidiſti. Quo item anno, poſt Conſulatum

ſcilicet

A scilicet Basilij decimoquinto, idem Pelagius Papa mense Iulio has ad eumdem Arelatensem Episcopum litteras perbreues dedit:

Dilectissimo fratri Sapaudo Pelagius.

EIVSDEM AD EVNDEM EPIST. III.

Quæ nobiscum omnipotentis Dei gratia fuerit operata, ad charitatem tuam credimus fuisse perlatum: pro qua re ad vos * destinari conuenerat, vt visitatione communi magno inuicem gaudio frueremur. Nos tamen fraternæ memores charitatis, per præsentium portitorem, occasione reperta, officium fraternæ salutationis impendimus. Optamus, vt alterna in timore Domini charitate viuentes, mutuo frequenter refoueamur alloquio. Dominus te incolumem custodiat, frater chariſſime. Dat. IIII. Nonarum Iuliarum, anno XV. P.C. Basilij V.C.] Rursum verò eodem anno mense Septembri ad eumdem idem Pelagius Papa dedisse litteras reperitur, quæ sic se habent:

* nos

B Dilectissimo fratri Sapaudo Pelagius.

EIVSDEM AD EVNDEM EPIST. IV.

Fraternitatis vestræ grata nobis colloquia, Felice viro honesto deferente, suscepimus: quibus recensitis, communi Domino ac Deo non insufficientes gratias egimus, quia incolumitatem dilectionis tuæ, quæ nobis est desiderabilis, eorum testificatione cognouimus. Ea autem quæ in nostris laudibus facundia oris vestri disseruit, quamquam vos congruentem vobis rem fecisse manifestum sit, nos tamen nihil nostrum ex omnibus quæ dicta sunt agnoscentes, verecundiam magis incurrimus, illud doctissimi viri ad animum perducentes, qui dixit: Sicut vera laus ornat, sic falsa castigat. Multum enim vitæ nostræ ac morum verba charitatis vestræ mensuras excedunt. Optamus tamen, vt Sanctorum omnium precibus & vestris orationibus faciat nos Deus tales existere, quales vos esse ex bona voluntate pinxistis. Atque ideo salutantes debito charitatis affectu, indicamus nos, inuenta ante hoc
C paruum tempus occasione quorumdam de prouincia vestra Romam venientium, tanto amoris vestri feruore fuisse succensos, vt impatienter ferremus huiusmodi opportunitatem silentio præterire.

Scribentes namque glorioſissimo communi filio Regi Childeberto, etiam ad charitatem tuam litteras, quales sub breuitate temporis potuimus dictare, transmisimus. Quædam autem nobis (sicut scripsistis) proprio ore, litterarum vestrarum in compendio portitor intimauit, quæ nos non mediocriter promouerunt, admirantes nimirum, qua ratione tam noua res fuerit vsurpata: & necesse habemus solicitè *, vt si quis venerit, non facilè nobis tamquam ignaris subrepere videatur. Meliùs tamen fraternitas tua faciet, si cognoscens illos quos suspicamini ad nos esse venturos, & vos personam instructam ex omni parte dirigatis, quæ eis possit obsistere. Quia cùm epistola vestra nihil de causa contineat:
D si hic, qui nobis modò ex voluntate vestra verbo suggessit, tunc apud nos nequeat inueniri, videbimur nos accusatoris officium suscepisse. Quòd si à tua charitate persona dirigitur: nostrum est & pro affectu quem vobis impendimus, & pro rei gestæ nouitate, salua æquitate, competentem, quem dilectio tua miserit, præbere fauorem. Dominus te incolumen custodiat, frater chariſſime. Dat. XI. Kalend. Octob. anno XV. P. C. Basilij V. C.] Quænam autem ista fuerint, quibus Episcopus Arelatensis iudicandus fuerit ab ipso Romano Pontifice, ex epistola eiusdem Pelagij data ad Childebertum Francorum Regem aliqua ex parte possumus intelligere, quæ sic se habet:

* perscrutari

Domino filio glorioſissimo atque præcellentissimo Childeberto Regi Pelagius.

PELAGII PAP. AD CHILDEBERTVM REG. EPIST.

Cùm celsitudini vestræ multa dona misericordia diuina contulerit, pro amore tamen quem Ecclesiæ eius sinceriter exhibetis, fecit vos multis regnantibus clariores: quoniam
E inter alias regni vestri curas pro tranquillitate sanctæ Ecclesiæ præcipuam solicitudinem vos certum est exhibere. Quæ cùm ita sint, miramur quia & quantum nobis præsentium portitorum suggestio patefecit, passi estis subripi vobis Sapaudum fratrem & Coepiscopum nostrum Arelatensis ciuitatis Antistitem, cuius Ecclesia in regionibus Gallicanis primatus priuilegio & sedis Apostolicæ vicibus decoratur, ad petitionem Episcopi ab ipso ordinati in iudicium sequentis * ciuitatis Episcopi (quod nulla Ecclesiastica lege vel ratione conceditur) iudicandum iuberetis occurrere; vt ipso de conculcato loci sui præiudicio conquerente, illum qui vsurpauit necesse sit de illicita præsumptione culpari. Pro quibus Christianitatis vestræ confidentia freti, paterno studio postulamus, vt si quid est tale factum, congrua satisfactione celeriter amputetur, nec vllum sui exemplum in perturbatione Ecclesiarum, quas vobis Deus credidit, relinquere concedatur. Et huiusmodi causis solicitam vos in reliquo decet exhibere cautelam, ne quid contra Ecclesiasticas regulas petentibus

concedatis: quia (quod bene cognitum est religiosæ menti vestræ) non aliter Deo nostro A
rectè potest regalis deuotio famulari, nisi prouidentia eius Ecclesiasticorum ordinum seruet integritatem. Incolumitatem excellentiæ vestræ Deus noster custodiat, domine fili glorioſissime atque præcellentissime.] hactenus epistola ad Regem Francorum, quæ sine die & Consulatu licet posita habeatur, datam tamen anno quintodecimo post Consulatum Basilij, quæ dicta sunt, docent. Quo pariter anno ab eodem Pontifice scripta legitur epistola mense Decembri ad eumdem Childebertum Francorum Regem per Ruffinum legatum missa. Quòd enim Græcis consensisset Pelagius in probanda Quinta Synodo, à schismaticis in suspicionem adductus est de violata Catholica fide: cuius rei gratia idem Rex Ruffinum legatum Romam ad ipsum Pontificem misit id exploratum. Quo audito, mox idem Pontifex has ad eumdem Regem litteras reddidit: B

ALIA EIVSDEM AD EVNDEM EPIST.

Domino filio glorioſissimo atque præcellentissimo Childeberto Regi Pelagius Episcopus.

Ruffinus vir magnificus legatus excellentiæ vestræ nobis dixit, quòd & in prouinciis Galliarum quidam semina scandalorum sparserunt, dicendo quid contra fidem Catholicam (quod Dominus non patiatur) admissum. Et quamuis à transitu diuæ memoriæ Theodoræ Augustæ nullas de fide quæstiones Ecclesia Dei in partibus Orientis, Deo miserante, formidet, sed quædam capitula extra fidem fuerint agitata, de quibus longum est vt epistolari possint complecti sermone: hoc breuiter secundùm admonitionem præfati magnifici viri Ruffini, ad sanandum animum vestrum, vel omnium fratrum & Coepiscoporum nostrorum in Galliæ regionibus consistentium, faciendum esse perspeximus, dicentes anathematizare nos, & alienos ab æternæ vitæ prẹmiis iudicare, quicumque ab illa fide, quam beatæ recordationis Papa Leo in suis epistolis prædicauit, & quam Chalcedonense Concilium sequens eumdem Præsulem edita diffinitione suscepit, in vna syllaba aut in vno verbo vel in sensu errauit, vel errauerit aliquando, aut declinauit, vel declinauerit aliquando. C

Quibus se ita habentibus, non attendat celsitudo vestra, nec fratres nostri Episcopi fabulas eorum hominum, qui scandalis delectantur. Quoniam hæc ipsa ita contigerunt, vt cùm pater vester clementissimus Imperator omnes hæreses, quæ Constantinopoli Episcopos suos & ecclesias cum magnis reditibus & vasorum diuersitate vsque ad tempora Imperij eius habuerunt, euerterit, & sublatis basilicis eorum atque reditibus, omnibusque aliis rebus, Catholicis tradiderit: hi ergo, qui in ipsis erroribus remanserunt, conglobati sunt in vnum, & agunt vehementer, qualiter Ecclesiam Catholicam scindant atque perturbent. Nam & sic in Italiam (quamdiu nos in Constantinopoli fuimus) de nomine nostro char- D
tas mittebant, dicendo, quasi nos dixerimus fidem Catholicam fuisse corruptam: nunc verò etiam contra nos afferunt huc chartas tacitis nominibus, vt nesciatur qui eas misit: sed sic faciunt Christiani qui in Constantinopoli sunt, dum eos constet non esse Christianos, maximè tamen Nestorianæ hæresis homines, pro eo quòd Nestorius duas naturas in Christo separatas quidem & diuisas astruxerit, fraudulenter moliuntur dicere longè ab intellectu esse Chalcedonensis Synodi & Papæ Leonis, dum Nestorium pro eo quòd diuisas duas naturas assereret, ipso dogmate beati Papæ Leonis constat esse damnatum.

Hæc breuiter insinuanda esse excellentiæ vestræ curauimus, vt ille ardor fidei vestræ & vnitatis amor non alicuius peruersi hominis fabulas aut chartas superfluas permittat attendi: quia & sic simplices aliquos Episcopos & nescientes prima elemẽta fidei solicitauerunt, vt nec rationem ipsam intelligant, nec discernant quantum sit bonum à fide Catholica non E
errare, sed si qua sunt alia quibus crimen ab hæreticis patitur sancta Ecclesia, refutare. Quis enim patiatur, vt Nestorij vel sectatorum eius blasphemias pro eo quòd duas naturas in Christo separatas, id est diuisas esse astruxerit, Catholicæ fidei existimet concordare?

Vt autem nos diu tribulationes Constantinopoli pateremur, illa res fecit, quam breuiter superiùs tetigimus: quoniam viuente Augusta, quicquid in Ecclesiasticis causis mouebatur, suspectum habuimus: nam pater vester clementissimus Imperator & B. Papæ Leonis dogma & Chalcedonensis Synodi fidem nullo modo patitur violari. Reliquias verò tam beatorum Apostolorum, quàm sanctorum martyrum iam quidem per seruos Dei monasterij Lirinensis direximus: sed & nunc quas legati vestri poposcerunt, nos misisse signamus, deputantes hominem bonum subdiaconem ex clero Ecclesiæ nostræ, à quo vsque ad fratrem & Coepiscopum nostrum Sapaudum, iubente Domino, deferantur. Dat. III. Id. Decemb. anno xv. post Cons. Basilij V. C. Per Ruffinum legatum.

Pelagius

A Pelagius misericordia Dei Episcopus Ecclesiæ Catholicæ vrbis Romæ exemplari epistolæ nostræ subscripsimus.]

Post hæc autē idem Rex,ad omnē dubitationē tollendā,adiecit vt peteret ab ipso Pontifice exactiorē fidei professionē:quod & fecit anno sequenti eam scribēs:habes ipsam collocatā in fine Pelagij. Has verò omnes epistolas ab Ecclesia Arelatensi accepimus ex antiquitus scripto codice. Hæc gesta sunt cū Ecclesia Gallicana. Quęnam autē hoc eodē anno geri contigerit cum Episcopis Italiæ prouinciæ Tusciæ, ex litteris eiusdem Pelagij ad eos datis mense Februarij satis apparet.extant ipsæ integræ ex eodem codice acceptę,iicq. se habent:

Dilectissimis Fratribus Gaudentio, Maximiliano, Gerontio,Iusto, Ferentio, Vitali, & Laurentio per Tusciam Annonariam Pelagius.

PELAGII PAP. AD TVSCIAE EPISCOPOS EPIST.

Directam à vobis relationem, Defensore Ecclesiæ nostræ Iordane deferēte, susciplentes
B satis mirati sumus, ita vos Apostolicæ auctoritatis oblitos, vt diuisionem vestram ab vniuersali Ecclesia meo etiam volueritis (quod absit) consensu firmari ; & quos decuit popularem ignorantiam sacerdotali doctrina comprimere, in contumeliam sedis Apostolicæ, plebis velle sequi iudicium. Nec ista dicentes, iniuriam nostram dolemus, quibus donante Domino propositum est in mansuetudine supportantes omnia fraternæ pacis vinculo custodire : sed (sicut diximus) diuisionem vestram à generali Ecclesia, quam tolerabiliter ferre non potero,vehementer stupeo. Cùm enim beatissimus Augustinus Dominicæ sententiæ memor,qua fundamentum Ecclesiæ in Apostolicis sedibus collocauit,in schismate esse dicat,quicumque se à Præsulis earumdem sedium auctoritate vel communione suspenderit,nec aliam manifestet esse Ecclesiam,nisi quæ in Pontificibus Apostolicarum sedium est solidata radicibus : quomodo vos ab vniuersi Orbis communione separatos esse non credi-
C tis,si mei inter sacra mysteria secundùm consuetudinem nominis memoriam reticetis, in quo licet indigno Apostolicæ sedis per successionem Episcopatus præsenti tempore videtis consistere firmitatem?

Sed ne apud vos fortè,vel apud greges qui vobis cōmissi sunt,de fide nostra aliqua possit remanere suspicio: hoc dilectionem vestram certissimè nosse desidero, me illam, donante Domino,custodire fidem,quam sacra Apostolorum doctrina cōstituit,quam Nicęnæ Synodi firmauit auctoritas, quam Constantinopolitanæ, Ephesinæ primæ, & Chalcedonensis sanctarum Synodorum explanauere sententiæ, nec quicquam de præfatarum Synodorum definitionibus vel imminuisse me aliquid,vel auxisse,aut in aliquo permutasse ; sed omnia, Deo propitio,quæ ab illis de fidei puritate conscripta sunt, inuiolabiliter custodire:anathematis nihilominus iudicio subdens, quisquis ad suprascriptarum quatuor Synodorum fi-
D dem,vel ad beatissimi Leonis Præsulis Apostolicæ sedis tomum, qui in Chalcedonensi est Synodo confirmatus,aliqua ex parte vel infirmandum quoquo modo,vel in dubium (quod absit) deducendum aliquando consenserit. Hac igitur dilectio vestra fidei nostræ professione munita,ignorantiam hominum (sicut sacerdotes decet) in spiritu mansuetudinis edocere festinet,& à praua intentione modis omnibus reuocare, atque vnitati Ecclesiæ reddere. Quòd si quis fortè etiam post hæc aliquem sibi superesse credit scrupulum ; ab insano tumultu desinens, ad nos magis venire festinet : vt ex his quæ dubitat, rationabili satisfactione percepta, lætus, Deo propitio, cognita veritate, vniuersali reformetur Ecclesiæ. Nos enim (secundùm Apostolicam[a] sententiam) parati sumus ad satisfactionem omni poscenti [a] 1. Petr.3.
nos rationem de ea quæ in nobis est fide : quia in nullo nos à sanctis patribus, custodiente nos diuina gratia,cognoscimus deuiasse. Dominus vos incolumes custodiat, fratres cha-
E rissimi. Dat.xv.Kalend. Mar.anno xv.P.C.Basilij V.C.] hæc Pelagius,qui cùm vbique tumultuari audisset, schismaticis omnes Ecclesias aduersus ipsum Romanum Pontificem concitantibus, expedire iudicauit de fide Catholica ad vniuersum populum Christianum circulares (quas dicunt) litteras dare,quas ex eodem codice hic tibi reddere, operæpretium iudicauimus ; sic enim se habent:

Pelagius Episcopus vniuerso populo Dei. [b] Rom. 10.

PELAGII PAP. AD VNIVERSVM POPVLVM CHRISTIAN. DE CATHOLICA FIDE EPIST.

Vas electionis beatissimus Paulus Apostolus[b] cùm de Iudæis in Christo necdum credentibus loqueretur, zelum eos Dei habere professus est ; sed ne ex hoc sine culpa esse crederentur, consequenter adiecit, sed non secundùm scientiam : vt eos necessariè per doctrinam à Deo sibi creditam ostenderet emendandos. Quod testimonium nostro etiam tempori conuenire, charitas vestra non ambigit: quia etsi zelum Dei in quorumdam mentibus esse deprehendimus, in hoc tamen quòd suspicionibus quibusdam sine notitia

veritatis se concusserunt atque concutiunt, & quòd se à visceribus vnicæ matris Ecclesiæ A
nefaria animositate discerpunt, sine scientia eos esse non dubium est. Et possemus quidem totius causæ rationem ad sedandos rumores hominum, diuina nobis cooperante misericordia, fiducialiter explicare, nihilque contra fidē Patrum, contraque quatuor Synodorum firmitatem vllatenus esse tentandum, lucidissimis approbationibus demonstrare, magisque id actum vt memoratarum Synodorum firmitas contra omnes inimicos immobili soliditate consisteret. Sed quia hoc his, qui lacte potiùs quàm solido cibo nutriendi sunt, ne-
[a] 1. Cor. 6. cessarium esse non duximus, vt (sicut memoratus Doctor gentium dicit [a]) inter perfectos loquenda sit sapientia: hoc interim, quod etiam paruulis abunde sufficiat, ad notitiam omnium deferēdum esse perspeximus. Id autem est, vt fidem meam annexa subter professione definiam, in qua, Deo propitio, & rectæ me Apostolorum doctrinæ & Patrum inhærere ve- B
stigiis euidenter appareat: vt per vos, qui zelum Dei etiam cum scientia possidetis, ceteris innotescat, quos, operante Domini nostri gratia, non sine vestra mercede ab irrationabili diuisionis suæ malo confidimus liberandos.

De sanctis verò quatuor Conciliis, id est, Nicæno trecentorum decē & octo, Constantinopolitano centum quinquaginta, Ephesino primo ducentorum, sed & de Chalcedonensi sexcentorum triginta, ita me protegente diuina misericordia sensisse & vsque ad terminum vitæ meæ sentire toto animo & tota virtute profiteor, vt eas in sanctæ fidei defensione, & damnationibus hæresum atque hæreticorum, vtpote sancto firmatas Spiritu, omnimoda deuotione custodiam; quarum firmitatem, quia vniuersalis Ecclesiæ firmitas est, ita me tueri ac defendere profiteor, sicut eas decessores meos defendisse nō dubium est: in quibus illum maximè & sequi & imitari desidero, quem Chalcedonensis Synodi auctorem nouimus extitisse; qui suo congruens nomini, eius se membrum, qui de tribu Iuda leo extitit, viuacissima fidei solicitudine euidenter ostendit. Similem igitur suprascriptis Synodis reuerentiam me semper exhibiturum esse confido, & quicumque ab eisdem quatuor Conciliis absoluti sunt, me esse Orthodoxos habiturum, nec vmquam in vita mea, Deo nos in omnibus protegente, aliquid de sanctæ & veræ prædicationis eorum auctoritate minuere. C

Sed & canones, quos sedes Apostolica suscepit, sequor & veneror, & Deo adiuuante defendo, neque vel de hac professione reticere, aut discedere aliquādo promitto. Epistolas etiam beatæ recordationis Papæ Cælestini, Sixti, & præ omnibus B. Leonis, necnon etiam successorum eius Hilari, Simplicij, Felicis, Gelasij, Anastasij, Symmachi, Hormisdæ, Ioānis, Felicis, Bonifacij, Ioannis alterius, & Agapeti pro defensione fidei Catholicæ, & pro firmitate suprascriptarum quatuor Synodorum, & contra hæreticos tam ad Principes, quàm ad D
Episcopos, vel quoslibet alios per Orientem & Illyricū atque Dardaniam, aliasque prouincias diuersis temporibus missas, inuiolabiliter, adiuuāte Christo Domino nostro, me custodire profiteor; & omnes quos ipsi damnauerunt, habere damnatos; & quos ipsi receperunt, præcipuè venerabiles Episcopos Theodoritum & Ibam, me inter Orthodoxos venerari.

Hæc est igitur fides mea, & spes quæ in me dono misericordiæ Dei est: pro qua maxi-
[b] 1. Petr. 3. mè paratos nos esse debere, beatus Petrus [b] præcipit, ad respondendum omni poscenti nos rationem. Cùm hac professione me viuere opto cum ipsa ante tribunal Christi assistere: per hanc à peccatis meis absolui me credo, & ad dexteram gloriæ diuina misericordia deportandum. Quicumque autem aliud senserit, crediderit, prædicauerit, hūc anathematizat sancta & vniuersalis Ecclesia Dei. Deus vos incolumes custodiat, filij dilectissimi. Amen.] Ad hæc quidem compulsus est Pelagius Papa, cùm obrutus vbique esset schismaticorum E
calumniis, quòd Quintam probando Synodum, Quartam aboleuisse, vel saltem corrupisse iactarent. Profuerunt ista quidem multis, non tamen omnibus: etenim in pluribus Italiæ locis diutius eiusmodi viguisse schismaticos liquet.

[c] Agat. lib. 1. BELLVM CIVILE ET DOMESTICVM AFFLIGIT GALLIAS.

Hoc eodem tempore (vt Agathias [c] tradit) regnum Francorum in maximum discrimen adductum est ex bello ciuili conflato inter fratres Regem Childebertum atque Clotarium ob diuisionem bonorum Theodibaldi Regis defuncti: cui & domesticum bellum accessit, cùm Chramnus Clotarij filius contra patrem arma mouit, quo tempore idem Clotarius aduersus Saxones rebellantes in expeditione esset. Sed omnibus his omissis, hic ea tantùm referanda sunt, quibus Dei aduersus sacrilegos vltio his temporibus non semel progressa narratur. Ac primùm de Leone Pictauiensi, qui inter alios filium in patrem
[d] Greger. Turon. lib. 4. c. 16. commouit, hæc notatu digna Gregorius [d]: Habebat Chramnus & Leonem Pictauiensem ad omnia mala perpetranda grauem stimulum, qui no minis sui tamquam leo erat in omni cupidi-

A cupiditate sæuissimus. Hic fertur quadam vice dixisse, quòd Martinus & Martialis confessores nihil Fisci viribus vtile reliquissent: & statim percussus à virtute confessorum, surdus & mutus effectus, amens est mortuus. Venit enim miser ad basilicam sancti Martini Turonos, celebrauitque vigilias, dedit munera: sed non eum respexit virtus consueta; cum ipsa enim qua venerat infirmitate regressus est.] inhiasse hominem rapacem in bona Ecclesiæ, vltio secuta declarat. LEO PICTAVIEN. BLASPHEMVS IN SANCTOS PVNITVR.

Complures alios his ciuilium discordiarum temporibus iniecisse manus in bona Ecclesiastica, nonnulla alia exempla diuinæ vltionis in eos immissa demonstrant: quod & testatur primus canon [a] Parisiensis Concilij post annũ sequentem (vt suo loco dicemus) habiti: hæc enim habet in fine post nonnulla aduersus huiusmodi facinorosos statuta: Accidit autem, vt temporibus discordiæ *(hæc enim signat tempora)* supra prouisionem beatæ memoriæ B Clodouei Regis, res Ecclesiarum aliqui competissent, ipsasque res inuasissent, improuisa morte collapsi, propriis heredibus reliquissent. Placet & hos quoque, nisi res Dei admoniti à Pontifice, agnita veritate, reddiderint, similiter à sanctæ communionis participatione suspendi: quoniam res Dei, quæ antecessores eorum immaturà morte credendæ sunt peremisse, non debent filij vlteriùs possidere. Iniquum esse censemus, vt potiùs custodes chartarum, per quas aliquid à fidelibus personis legitur derelictum, quàm defensores rerum creditarum (vt præceptum est) iudicemur.] hæc Patres in Concilio Parisiensi. [a] *Concil. Paris. 1. cap. 1.*

Sed & præter hos bonorum Ecclesiarum inuasores regij quoque ministri eadẽ Fisco addicere consueuerunt: cuius rei gratia iidem in eadem Synodo Patres hæc in secundo canone posuerunt: Perpetuo autem anathemate feriatur, qui res Ecclesiæ confiscare, aut competere, aut peruadere periculosa infestatione præsumpserit.] periculosa, inquiunt, infestaC tione, quòd scilicet (vt dictum est, atque dicetur) multæ aduersus eiusmodi vltionis diuinæ exempla edi solerent. hæc canon secundus eiusdem Concilij, de quo post sequentem annum suo loco dicturi sumus: sed cœpta prosequamur.

Ad eiusmodi verò contra patrem sceleratum bellum susceptum idem perditissimus filius Chramnus patruum suum Childebertum Regem Clotarij fratrem sibi, fœdere icto, coniunxit. Sed quænam essent obuentura, clerici Diuionenses in hunc modum ex diuinis Scripturis deprompto oraculo notum fecere: ait enim Gregorius: Positis, clerici, tribus libris super altarium, id est, Prophetiæ, Apostoli, & Euangeliorum, orauerunt ad Dominum, vt Chramno quid eueniret, ostenderet: aut si ei feliciter succederet, aut certè si regnare posset, diuina potentia declararet. simulque vnam habentes conniuentiam, vt vnusquisque in libro quod primùm aperiebat, hoc ad Missas etiam legeret. Aperto ergo primùm D omnium Prophetarum libro, reperiunt: Auferam [b] maceriam eius, & erit in direptionem: Pro eo quod debuit facere vuas, fecit autem labruscas. Reseratoque Apostoli libro, inueniunt [c]: Ipsi enim diligenter scitis, fratres, quòd dies Domini sicut fur in nocte ita veniet: & cùm dixerint, Pax & securitas, tunc repentinus illis superueniet interitus, sicut dolores parturientis, & non effugient. Dominus autem per Euangelium ait [d]: Qui non audit verba mea, adsimilabitur viro stulto, qui ædificauit domum suam super arenam. descendit pluuia, aduenerunt flumina, flauerunt venti, & irruerunt in domum illam, & cecidit, & facta est ruina eius magna.] Ista sunt in suscepto bello prænunciata de Chramno, ac pariter adimpleta in exemplum iusti iudicij magni Dei: sed quomodo id acciderit, dicemus inferiùs, simulque diuinitus ostensa prodigia. Subiicit enim ista Gregorius [e]: [b] *Isai. 5.* [c] *1. Thess. 5.* [d] *Matt. 7.* [e] *Gregor. lib. 4. c. 18.*

Austrapius Dux Chramnum metuens, in basilicam S. Martini confugit: cui tali in triE bulatione posito non defuit diuinum auxilium. Nam cùm Chramnus ita eum constringi iussisset, vt nullus illi alimenta præbere præsumeret, & ita arctiùs custodiretur, vt nec aquam quidem ei haurire liceret: quo faciliùs compulsus inedia, ipse sponte sua de basilica sancta periturus exiret: accedens quidam vasculum illi cum aqua semiuiuo detulit ad potandum. Quo accepto, velociter Iudex loci aduolauit, ereptumque de manu eius terra diffudit. Quod velox Dei vltio & beati Antistitis virtus est subsecuta. Ea namque die Iudex qui ista gesserat, correptus à febre, nocte media expirauit, nec peruenit in crastinum ad illam horam qua in basilica Sancti poculum de manu excusserat fugitiui. Post istud miraculum, omnes ei opulentissimè quæ erant necessaria detulerunt.] hæc Gregorius: quibus præter diuinitus patrata miracula, illud admiratione dignum pariter innotescit, quàm religiosè à Francis sacra custodirentur, cùm nec perditissimus Chramnus ea violare præsumpserit, sed obsidione potiùs quàm inuasione capere voluerit inimicum. Quid autem DE AVSTRAPIO DVCE.

eidem acciderit Chramno, cùm euasurus indignationem patris confugit ipse in eandem basilicam S. Martini, suo loco dicemus. Sed quæ præterea diuina vltio consecuta sit milites Chramni cùm res Ecclesiæ abstulissent, eumdem audi Gregorium[a]: A

[a] *Gregor. de gloria mart. c. 66.*

MILITES SACRILEGI PVNIVNTVR, POENITENS LIBERATVR.

In ipso quoque territorio, tempore quo Chramnus Aruernum abiit, cùm diuersa scelera ab eius gererentur ministris, quinque viri sacrosanctum oratorium domus Iciacensis furtim appetunt: habentur autem in eo S. Saturnini reliquiæ: interruptoque ablatis palliolis vel reliquis ministerij ornamentis, nocte tegente, discedunt. Sed presbyter recognoscens furtum, ac inter vicinos scrutans, nullum potuit ex his quæ ablata fuerant indicium reperire. Protinus verò latrones, qui hæc admiserant, in Aurelianense se territorium transtulerunt: diuisisque rebus, accepit vnusquisque partem suam. sed mox insequente vltione diuina, quatuor in seditionibus interfecti sunt: quintus verò totam furti huius hereditatem superstes remanens vendicauit. Sed vbi hæc in domum suam contulit, statim obtectis sanguine oculis, excæcatus est. Tunc compunctus tam doloribus, quàm inspiratione diuina, vouit, dicens: Si respexerit Deus miseriam meam, & mihi visum reddiderit, referam loco illi sancto quæ abstuli. Et hæc cum lacrymis orans, visum recepit. Accedens verò ad oppidum Aurelianense, prouidente Deo, diaconum Aruernensem inuenit: cui traditis rebus, suppliciter exorauit, vt eadem oratorio restitueret. quod diaconus deuotus impleuit.] hactenus de his Gregorius. Sed ad Orientem recurrat oratio. B

[b] *Agat. lib. 3.*

IVSTINVS PIETATI INTENTVS PERSAS VINCIT.

Hoc eodem anno (vt colligitur ex Agathia[b]) ingentem insperatamque victoriã de Persarum exercitu apud Colchos Romanus exercitus obtinuit, Deo ita cuncta sua prouidentia disponente, dum qui sacrificij causa Iustinus Dux cum equitatu abesset, reuersurus in munitionem, hostes quibus occurrit fugauit. Agathias rem gestam narrans, hæc de Iustino, qui post Iustinianum imperauit: Interea verò Iustinum (non enim Nachoragan Persarum Ducem de improuiso affuturũ putabat) cogitatio subiit, & diuinitus quidem (vt reor) templum quoddam sanctissimum, & apud Christianos haud dubiè permagnificum, sacrificandi gratia adeundi haud procul ab vrbe situm. Delectis itaque ex vniuerso exercitu equitum mille fortissimis & bellicosissimis viris, haud secus instructis, armatisque ac acie mox esset concertandum, processit, sequẽtibus signis, & militari cetero apparatu: & ferme tunc accidit, vt nec Persæ hos abeuntes præuiderint, neque hi illos in se aduentantes: sed alia ducti, mœnia de improuiso aggrediuntur.] & inferiùs post enarratum summum discrimen in quod obsessi coniecti erant, de eodem Iustino ista subiicit: Interea Iustino è templo iam redeunti, ex ipso tumultu & armorum concussione quæ gererentur innotuere: vnde equitatu statim conuerso, & ordine suo quodam instructo, iussisque antesignanis vt signa erigerent, vniuersos operam vt nauarent hortatus, suos certiores mox fecit, non sine diuino nutu ex oppido se excessisse, vt hostes in se subita territos obsidione abduceret.] Quomodo autem compressione in hostes facta, omnes in fugam adegit, ordines turbans, & internecioni subiecit, idem pluribus refert. Sed hæc satis ad institutum, quo moneamur omnia florida euenire, cum diuini numinis cultus præcedit opus. C D

IESV CHRISTI ANNVS 557. PELAGII PAP. ANNVS 3. IVSTINIANI IMP. ANNVS 31.

QVinquagesimus septimus supra quingentesimum Christi annus, idemque post Consulatum Basilij decimussextus in Fastis inscriptus, Constantinopolitanis admodum luctuosus ob ingentẽ rursus repetitum terræmotũ ipsam vrbem horrenda denuo quassatione concutientem extitit. Agathias enim post recensitas anni huius res gestas, nimirum quæ facta sunt hieme aduersus Rusticũ & Ioannem Duces exercitus capite damnatos ob necem illatam Cholcorum Regi Christiano Romani Imp. socio; & bella quæ prosperè confecta sunt aduersus Misianos, qui defecerant à Romanis ad Persas: postq. enarratum supplicium superbissimi Persarum exercitus Ducis, quem ob malè rem gestam Cosrhoes Rex excæcari iussit: post denique de Regibus Persarũ, eiusdemq. gentis moribus plura fusiùs pertractata: quæ funesta hoc eodem anno Constantinopoli autumni tempore contigerunt, ita scribit[c]: E

[c] *Agat. lib 5.*

CONSTANTINOP. A TERRAE MOTV CONCVSSA.

Paulo antè quam hæc gererentur, iterato Byzantij vehementer adeò terra mouit, vt omnis ferè collapsa ciuitas sit. Hunc terræmotum & alter tantæ magnitudinis insecutus, quantæ (vt reor) numquam antea fuerat; nimirum qui sit ex æstuantibus aquis, salientisque

terræ

A terræ perseuerantia factus: & is sanè eo horridior videbatur, quod & pleraque periculosius occurrebant. Exierat namque autumni iam tempus, & pro nominibus ex Romana consuetudine sympolia peragebantur. frigus tunc erat, quale per id esse tempus decebat; Solque in occiduum vertens, in Capricornum deferebatur: cùm interea circa mediæ noctis custodiam ciuibus altiore somno detentis & iam quiescentibus, derepente id malum inuasit, atque adeò vt à fundamentis omnia quaterentur: motusque ipse etsi in principio statim violentissimus fuit, in maius tamen continenter excreuit, ita vt alio addito ad id incremento, in immensum euaderet.

Demum itaque omnibus excitatis, eiulatus vndique, complorationesque exaudiebãtur, & vox item illa quæ in huiusmodi malis afferri sponte ad Deum solet. Nam sonitus quidam grauis, ferusque perinde tonantis è terra stridor, fragorque remittebantur, remissosque B ventorum turbines subsequebantur, & terrorem ingeminabant pauentibus: siquidem terrestris spiritus quidam fumosa nebula nescio quo pacto sursum versus expulsus desæuiebat & turbulentior & sonorus. quo territi homines & pauore correpti, mentis quadam torpedine, è domiciliis se proruebant: tum publicæ angustioresque viæ multitudine complebantur, tamquam non domi deperituri, si pereundum iam esset: nam frequentia, continuata, connexaque inuicem eius vrbis ædificia sunt, atque adeò vt vix locum sub diuo situm, apertumque, & omnino non adiacente ædificio altero vacuum reperiat quisquam. Sed alioquin cùm ad superiora dirigerent oculos, & vtcumque cælum spectarent, Deumque hoc pacto deprecarentur: summitti timor animi omnis & perturbatio denique sensim his videbatur, & perinde leuiter cadente niue irrigabantur, algore iam degrauati: haud tamen vel ita affecti tecta iterato subibant, ni fortè sacras ædes inissent nonnulli, eodemque prouo- C luti ex Deo opem deposcerent. INGENS TREMOR OCCVPAT OMNES.

Videre tunc licuisset feminarum vim maximam, nec infimæ sortis, sed familiæ honoratissimæ cũm viris simul deferri, & turbæ immiscerí, omnem ordinẽ & pudorem confundi, nec cuiusuis conditionis homines præ formidine sine vllo discrimine proculcari. Dominos præterea serui aspernabantur, nec dicto parebant, cùm maiore quodam terrore victi se in templa reciperent. Haud secus inferiores priuatique homines magistratus gerentibus sine vllo honoris respectu permixti iam aderant, vt ex communi omnibus incidenti periculo, vniuersis existimantibus se non longè pòst perituros. Frequentiores ea sunt nocte euersæ domus, & præsertim in Regio (vrbis arx Regium est) quàm multa præterea & incredibilia contigere. Nam alibi fortè siue lapide tecta, siue ligno ædificata, velut renunciata compage hiantia, ab inuicem diuellebantur, ita vt æther inde astraque nihil secus ac sub D diuo conspicerentur, ac mox iteratò in pristinam compagem coibant. Alibi verò columnæ è superiori domicilij loco firmiùs collocatæ, violentia exæstuantis motus depulsæ excutiebantur, superuectæque proximas domos, ad eas quæ longiùs aberant, veluti funda emissæ euehebantur, & fragore ingenti omnia conterebant. Alibi verò horribiliora acciderant, sed aliàs sæpe & superioribus temporibus facta, & vt in posterum fiant necesse est, quoadusque terra hæc supereſt & humanæ naturæ peccata: tunc tamen in maius omnia occurrerunt. Nam è turba magna vis hominum & obscuriorum interiit. Ex his verò qui Senatorum numero essent ascripti, solus Anatolius periit, vir sanè Consularis dignitatis honoratissimus: ad quod accedebat, quod Imperatoris domus vt curam susceperat, sic & esset bonorum omnium procurationem nactus. VARII AC MISERABILES CASVS.

Is itaque cùm suo & consueto lectulo quiesceret, marmoris iuxta se frustum in cubiculi E ædificio stabat pulchrè atque decenter elaboratum, qualia parietibus solent ad ornatum & ostentationem, non ad necessitatem per eos affigi, qui istiusmodi superuacaneis inhiant rebus, & non admodum necessariis ornamentis. Ea igitur saxi moles præ nimio motu diffracta luxataque è pariete pulsa huic in caput concidit dormienti, & planè contriuit. Anatolius verò tanta mole oppressus ad id modò suffecit, vt grauiter ex cordeque ingemiscens, eodem tamen in lecto procumberet moribundus. Hæc noctu. ANATOLII OBITVS.

Die autem comparente, perquam libenter se inuicem ciues contuebantur, cùm obuiam offerrentur amantissimi quique & familiarissimi: complorationeque mutua ceteræ se turbæ insinuantes, alternisque singuli pro data redditaque vltro salute, etsi sui iam desperantes, voluptate afficiebantur. Interea verò dum Anatolius in sepulchrum effertur, è plebe homines quidam (vt fit) dictitare, non iniuria eum hoc mortis genere fuisse affectum, quippe qui iniustissimus fuerit, & quàm multis multa subtraxerit; & facile confirmare, QVAE CONSOLATIO IN ANGVSTIIS.

firmare, descriptas illas per eum tabellas sub puniceas vestes hunc sibi demum exitum habuisse, quas sub prætextu in Imperatorem beneuolētiæ in domos felicium frequenter congesserat, & hac via omnia sibi vendicasset, violassetque impudentiùs simul & fregerit quæ testamento mortui delegassent, abire in rem malam legibus iussis, quæ liberos velint in paternæ substantiæ hereditatem succedere. Istiusmodi vulgus submurmurando, tanti casus compertam habere se causam opinabatur.] & inferiùs post nonnulla de Anatolij repentino obitu disputata, cœptam semel de terræmotu narrationem prosequitur verbis istis: A

DE IMPOSTORIBVS OCCASVM MVNDI PRAEDICENTIBVS.

Tunc igitur & deinceps dies quamplurimos terra mouit: breuior tamen, nec qualis tunc primùm hic motus inuasit, sed validus alioquin, vt qui reliqua quæ Byzantij essent concuteret. Tunc portenta mox quædam & prædictiones absurdæ in vulgus temerè diuulgari, & mundi hanc machinam prædicari quàm concitatissimè collapsuram. Nebulones præterea quidam & deceptores, veluti diuini quidam & vates sponte sua circumire, & sibi visa prædicere, terroresque multis incutere; quibus facilè poterat, vt antea territis, persuaderi. Hi itaque siue incassum furere, & prauo agitari dæmone se simularent, grauissima quædam passim iactabant, & tamquam ex adnata sibi prauorum dæmonum specie fuissent futura edocti, deque suis admodum furiis iactarentur. Alij præterea astrorum decursus, figurasque animo agitantes, maiores calamitates, & perinde communem rerum euersionem fore significabant. Itaque terrore omnes percellebantur.] Quomodo autem & ob præsentia quæ aderant mala, & futura quæ timebantur, populus sibi timens totus esset in supplicationibus, idem sic addit auctor: B

POPVLVS CONST. AD MELIOREM FRVGEM CONVERSVS.

Eorum tamen nemo qui affuissent, sibi non admodum formidolosus terrore obstupescebat. Vnde & supplicationes publicè factæ, hymniq. supplices, vniuersis astantibus ad id vnum coactis, exaudiebantur. Quinetiam quæ verbo tenus antea laudassent, sed factis rarius confirmassent, tunc mira animi promptitudine exequebantur: æquitatem præterea vniuersi in suis commerciis præferebant; ita vt vel Principes ciuitatis, lucri cupiditate reiecta, ex lege causas vendicarent: tum alij etiam, etsi potentes, taciti secum quiescere, iustioraque facere, & à turpissimis abstinere. Nonnulli verò, immutato prorsus viuendi more, solitariam potiùs vitam & in montibus ducere maluerant, relictis honoribus, pecuniisque & eiusmodi ceteris quæ suauissima dicunt mortales; vel fortè in sacras ædes, sacrosque viros collatis. Noctu præterea primores vrbis publicas circumuecti vias abundè cibis, vestituque miseros quosque & calamitosos donabant, quorum plerique vt corpore mutilati in terram proiecti tunc fortè emendicabant. Hæc ferme per tempus aliquod gesta, & quamdiu recens timor incubuit. Postquam verò subleuari parumper discrimen est visum, confestim ad pristinam rediere plerique consuetudinem: dum enim necessitas vrget, & formido ingruerit, quæ recentiora sunt factu, vtcumque & leuiter degustamus.] hæc Agathias; qui & post diuersorum sententias de terræmotus causa allatas, de Iustiniani studio ista subdit: C D

Per eam itaque hiemem in his malis ciuitas versabatur, adeò vt ad plurimos dies terra visa sit commoueri, etsi minùs concuteretur: insederat id hominum mentibus, & suspicio inerat animi cogitatus obturbans. Imperator interea ædificia pleraque, quæ putrentia & debilia essent, vel fortè prolapsa, instaurare nitebatur. Sed curæ illi præcipuè fuit Dei illud maximum & egregium templum, quod antea ipse per populum quondam incensum, conspicuum & admirabile iteratò construxerat, & vt pristina magnitudine excellentius, ita & formæ decore & metallorum varietate ornarat.] & paulo pòst: Erat in eo pars quædam testudinis & intermedia quidem, quæ ceteras superaret ædificij partes, terræmotu excussa; quam Imperator longè firmiùs exædificari curauit.] Quomodo autem id factum sit docet, asserens insuper de eodem mirabili ædificio extare egregium poëma Pauli Flori viri maiorum nobilitate clarissimi atque inter Præfectos insignis, cuius etiam argumenti edita reperirentur egregia alia poëmata. De eodem quoque templo præter illa quæ à Procopio[a] scripta habentur (Euagrius eius structuram, situm, & dimensiones capite vno complexus est: quod hic describere, haud superuacaneum esse putamus. ait igitur[b]: E

IVSTINIAN. IMP. TEMPLVM INSTAVRAT.

[a] *Procop. lib. 1. ædif. Iustin. Imp.*
[b] *Euagr. lib 4. c. 30.*

DESCRIPTIO SOPHIAE TEMPLI.

Idem Iustinianus Constantinopoli cùm alias multas sacras ædes pulcherrimo artificio elaboratas Deo & Sanctis erexit, tum insigne illud & præ ceteris eximium, amplissimum dico Sophiæ templum extruxit: quod quidem tale fuit, quale non aliquando visum fuisset, quodque ornatu & splendore adeò excelluit, vti nulla dicendi vi facilè explanari posset: at ipse tamen illud pro virili describere conabor. Testudo sanctuarij quatuor fornicibus in sublime erecta, & ad tantam sublata altitudinem, vt ad eius emispherij fastigium acies eorum

A rum qui infrà ad basim consistentes oculos sursum tollebant, ægrè penetrare posset; & qui suprà stabant, etiam si valdè essent animosi, despicere neutiquam auderent, oculósve ad basim deiicere. Fornices à solo vsque ad tectum (vsque eò namque eriguntur) penitus vacant. In dextro templi latere sunt homini ingredienti ad læuam columnæ ordine locatæ, quæ ex lapide Thessalico confectæ sunt. sunt etiam alta tabulata aliis columnis similibus suffulta, in quibus si qui volunt, mysteria peracta videre possunt. In illis quoque Imperator diebus festis, dum sacrosanctę mysteriorum celebrationi interesset, assidere solet. Quæ quidem partim versus orientem Solem, partim occidentem versus sic diriguntur, vt minimè impedimento sint, quo minùs amplitudo talis operis spectari queat. Porrò autem porticus eorumdem tabulatorum, quæ infrà, columnis paruisque fornicibus operis extremitates ambiunt. Verùm quò magis admirabilis ædificij fabrica velut ante oculos cuiusque versetur, visum est hoc loco intexere, quot pedes eius longitudo contineat, quot latitudo, quot altitudo, & de fornicibus eodem modo quot pedes vacuus eorum complectatur ambitus, quot denique eorum altitudo. sic igitur se habent:

Longitudo à porta quæ à regione sacræ conchæ, in qua incruentum offertur sacrificium, sita est, ad ipsam concham vsque pedes continet centum nonaginta. Latitudo à parte Septentrionali ad Borealem pedes centum quindecim. Altitudo ab ipso puncto in vertice hemisphærij ad solum vsque pedes centum octoginta. Latitudo autem cuiusque fornicis pedes habet sexaginta sex. Longitudo totius templi ab Oriente ad Occidentem pedes ducentos sexaginta. Latitudo verò τῆ ἐυφώτι illius pedes continet septuagintaquinque. Sunt præterea versus Solis occasum aliæ duæ porticus valde eximiæ, & atria vndique sub dio posita.] hucusque de Sophiæ templo Euagrius. De cuius sacra mensa ista Cedrenus: Sacram quoque mensam tum fecit, opus imitatione multa æquandum: constabat verò auro, argento, omnisque generis lapidibus, lignis, metallis, omnibusque rebus, quas terra fert, mare, & totus mundus: ex omni materia pretiosiora plura, viliora pauciora collegerat: liquatisque, his quæ fluunt, sicca illis immiserat, atque in formam mensæ absoluerat. Itaque varium illud opus contuentibus stuporem coniiciebat. In orbem hanc habuit inscriptionem:

TEMPLI DIMENSIONES SINGVLAE.

TVA DE TVIS TIBI OFFERIMVS SERVI TVI CHRISTE IVSTINIANVS ET THEODORA. EA TV PROPITIVS ACCIPE FILI DEI VERBVM QVI NOSTRI CAVSA CARNEM ASSVMPSISTI ET CRVCI AFFIXVS FVISTI. AC NOS IN TVA RECTA FIDE CONSERVA. ET QVAM NOBIS COMMISISTI REMP. EAM AD TVAM GLORIAM AVGE ET TVERE; INTERCEDENTE SANCTA DEIPARA VIRGINE MARIA.] hactenus inscriptio. Rursus verò de eodem sumptuoso ornatu meminit Agathias, vbi ait: Huius ex versibus nosse insuper poteris, sanctius illud sacellum argento auroque constare, & in mysteria dumtaxat sepositum pretiosissimis rebus & mira varietate ornatum.] At de his modò hactenus.

IESV CHRISTI ANNVS 558. PELAGII PAP. ANNVS 4. IVSTINIANI IMP. ANNVS 32.

QVingentesimus quinquagesimusoctauus sequitur Christi annus, post Basilij Consulatum decimusseptimus, idemque Constantinopolitanæ ciuitati ob nouas ingruentes clades planè miserrimus, longeque superiori funestior: etenim ille vltima sui parte ob terræmotum dumtaxat infelix, hic verò peste belloque semper ærumnosus extitit. Complectitur breuiter Agathias lugubrem tragœdiam verbis istis [a]: Eodem anno, vere iam ineunte, derepentè & iteratò vrbem pestilens morbus inuasit, & infinitam sustulit multitudinem: haud tamen prorsus cessauit, ex quo tunc primùm anno Iustiniani Imperij quinto irrepere hanc nostram regionem occepit.] qualis verò eiusmodi contagio esset, ita inferiùs: Interibant autem repentina morte quàm multi tamquam apoplexiæ graui morbo correpti: qui plurimùm resistebant, ad quintum vix diem vita defungebantur.] sed & qualis esse soleret febris quæ hos perurgebat, narrare pergit.

[a] *Agat. lib. 5.* PESTIS BELLVMQVE CONSTANTINOPOLIM VRGET.

Ad tanta hæc auertenda mala, pestis scilicet & terræmotus, Iustinianus Imperator haud dubius ob peccata diuinitus eiusmodi immitti flagella, hanc ad populum Constantinopolitanum edidit sanctionem [b]:

[b] *Nouel. 77.*

Omnibus

Omnibus hominibus qui rectè sapiunt, manifestum esse putamus, quia omne nobis est A
studium & oratio, vt crediti nobis à Domino Deo bene viuant, & eius inueniant placationem: quoniam & Dei misericordia non perditionem, sed cõuersionem & salutem vult; & delinquentes qui corriguntur, suscipit Deus. Propter quod vos omnes inuitamus, Dei timorem in sensibus accipere, & inuocare eius placationem: & nouimus, quia omnes qui Dominum diligunt, & misericordiam eius sustinent, hoc faciunt. Igitur quoniam quidam diabolica instigatione comprehensi, & grauissimis luxuriis semetipsos inserunt, & ipsi naturæ contraria agunt: Istis iniungimus, in sensibus accipere Dei timorem & futurum iudicium, & abstinere ab huiusmodi diabolicis & illicitis luxuriis, vt non propter huiusmodi impios actus ab ira Dei iusta inueniantur, & ciuitates cum habitatoribus earum pereant. Docemur enim à diuinis Scripturis, quia ex huiusmodi impiis actibus & ciuitates cum ho- B
minibus pariter perierunt.

Et quoniam quidam ad hæc quæ diximus & blasphema verba & sacramenta de Deo iurant, Deum ad iracundiam prouocantes: istis iniungimus, abstinere ab huiusmodi & aliis blasphemis verbis, & non iurare per capillos & caput & his proxima verba. Si enim contra homines factæ blasphemiæ impunitæ non relinquuntur: multo magis qui ipsum Deum blasphemant, digni sunt supplicia sustinere. Propterea igitur omnibus hominibus huiusmodi præcipimus à prædictis delictis abstinere, & Dei timorem in corde accipere, & sequi eos qui bene viuunt. Propter talia enim delicta & fames & terræmotus & pestilentiæ fiunt: & propterea admonemus abstinere ab huiusmodi prædictis illicitis, vt non suas perdant animas. Sin autem post huiusmodi nostram admonitionem inueniantur aliqui in talibus permanentes delictis: primùm quidem indignos semetipsos faciunt Dei misericordia, post C
hæc autem & legibus constitutis subiiciuntur tormentis.

Præcipimus enim glorioſissimo Præfecto ciuitatis regiæ, permanentes in prædictis illicitis & impiis actibus post hanc admonitionem nostram comprehendere, & vltimis subdere suppliciis, vt non ex contemptu talium inueniatur & ciuitas & Respublica per hos impios actus lædi. Sin autem post hanc nostram suasionem quidam tales inuenientes hoc supercelauerint, similiter à Deo Domino condemnabuntur. Ipse etenim glorioſissimus Præfectus si inuenerit quosdam tale aliquid delinquentes, & vindictam in eos non intulerit secundùm nostras leges: primum quidem obligatus erit Dei iudicio: post hæc & nostram indignationem sustinebit.] hucusque Imperator: qui dum famem, terræmotum, & pestem per eiusmodi delicta illata refert, nec de barbarica grassatione quicquam meminit: inde adducimur vt credamus eam hoc anno latam esse, sed ante Hunnorum aduentum, qui tem- D
pore autumni contigit, vt Agathias docet. Verùm primò quid Glicas his addat, audi:

Cùm (inquit) reperti quidam essent illicitis vtentes amplexibus, tamquam in triumpho per vrbem, veretris priùs amputatis, ducti sunt. Horum in numero quidam magnates & Pontifices erant, qui hoc modo circumducti vitam miserè finiebant.] Sed hæc expressius accipe à Cedreno, dum ait: Anno secundo Isaias Rhodi & Alexander Diospolis Thraciæ Episcopi, aliique multi deprehensi sunt masculorum corruptores. Horum aliis veretrum amputari iussit Imperator, aliis calamos acutos in meatus genitalium inseri, eosque nudos in forum quasi in triumpho produci. Fuerunt & ciuium ac Senatorum multitudo & Pontificum summorum non pauca in eadem culpa: qui castrati & publicè nudi in forum producti, miserabiliter perierunt, suoque exemplo reliquos pudicitiam colere docuerunt. Tulit Iustinianus acres leges contra impudicos, &c.] è quibus eam hoc tempore latam esse E
quam diximus, ea quæ sunt dicta ex Agathia de terræmotu atque peste satis docent: horum namque scelerum gratia tanta obuenisse mala, Imperator ea est edita sanctione conquestus. Verùm nec tantæ maculæ tantis sunt absterſæ flagellis, quæ olim nonnisi igne im-
*Agat. lib. 5. missõ cælitus dilui meruerunt. Nam audi ab eodem auctore Agathia[a], quæ hoc eodem anno autumni tempore mala Constantinopolim oppresserunt:

Super his autem ciuitati & alia pleraque eodem tempore inciderunt tumultuosa & turbida, nihil minus, quàm ea quæ diximus, permolesta. Sed qualia fuerint, explicaturi mox
NOVA HVN- sumus, si priùs & breuiter vetustiora quædam nos transegerimus.] narratis post hæc de
NORVM IN- Hunnorum gente nonnullis, mox ista subiungit: Eodem itaque anno, quo pestilentissimum
CVRSIO. morbum Byzantium diximus inuasisse, Hunnorum reliquiæ saluabantur, erantque adhuc celebritate & nomine clari. Descendentes itaque Hunni ad notum ventum, haud longè ab Istri fluminis ripis pro eorum arbitrio considebant. Tunc igitur hieme iam ineunte, huius

fluminis

A fluminis aquæ (vt aliàs semper) nimio præ algore magnam in profunditatem concretæ obstrictæque obduruerant, adeò vt peruiæ tam viris essent quàm equis iam redditæ. Zaberga igitur Cotrigurorum Hunnorum Præfectus magna cum hominum, equorumque multitudine dum per constrictos fluminis vortices nihil secus ac terra iter haberet, facillimè in Romanæ ditionis loca pertransit, nimirum quæ deserta iam essent, & prodeunti sibi nihil impedimento fuisset. Quo factum est, vt quamprimùm Mœsiam, Scythiamque transgressus, in Thraciam demum peruenerit: quò vbi ventum, exercitus partim in Græciam, vt de improuiso sine custodia loca excurreret & popularetur, dimisit, & alias deinceps manus in Chersonesum Thraciæ.] ac post nonnulla:

Ipse verò Zaberga cum equitum millibus septé rectà ire Cõstantinopolim pergit, agros depopulando, tentandoque proxima quæque castella, ita vt passim omnia perturbaret.] & INGENS ET MISERANDA STRAGES.
B post hæc: Cùm itaque prodeuntibus iis nemo obuiam iret, incursiones liberè factitabant, & agros depopulati ingentem auertebant prædam, magna vi captiuorum coacta; quos inter & feminæ quàm multæ vt nobiles, ita & continentissimæ crudeliùs trahebantur: quæ vtique infeliciores eo maximè erant, quo & barbarorum ministrare profusæ libidini cogebantur. Quinetiam barbari homines plerisque vel è sacrario abductis vim inferebant, quæ à puericia iampridem nuptiis renunciassent & sæculi voluptatibus, ac castam vitam vt degerent, in remoto aliquo domicilio reconderentur Deo ad supplicandum idoneo, & id magni facerent, vt semotæ omnino & liberæ à quouis hominum contubernio quàm procul abessent, quietique se solum permitterent. Erant præterea, quæ cùm barbarorum renunciarent concubitus, vel partui proximæ (si quæ fortè istiusmodi esse tunc contigissent) ita distrahebantur, vt si necessitas ipsa pariendi ingrueret, in ipso itinere, in propatulo fœtum mox ede-
C rent, nec verecundos possent partus dolores obtegere, vel hos vrgentes significare: vnde vel editi plerumque infantes canibus discerpendi, vel auibus in solitudine relinquerentur, perinde idcirco essent in lucem producti, & frustra quòd nati fuerant hi degustassent.

Rem sanè calamitosam, vt eò tandem res Romanorum redactæ iam essent, vt vel in circumiectis regiæ vrbi locis à barbaris etsi perpaucis quidem mala hæc inferrentur. Quibus tamen non eatenus audacia finiebatur: sed vrbem versus progrediendo, ad longos (quos DEPLORATVS RERVM STATVS. nuncupant) muros se facilè contulerunt, & præsidiis quæ infra hos essent, appropinquabant: iam verò præ vetustate & negligentia maioris castelli dissolutum ceciderat ædificium. Tum barbari ipsi vel stantes in partem aliquam muros haud secus ac sua intrepidè
D disturbabant: nec aliquid erat quod hos coërceret, cùm nullum ibidem esset militare præsidium collocatum, nec vlla ad defensionem tormenta, nec demum (si fortè affuissent) qui ea tractare satis callerent: nec canum latratus audiebatur, nec hominum fremitus: & si non id dictu ridiculum sit, tamquam porcorum in claustris Romani exercitus intercluſi manebant, tametsi vel eo numero essent, quo tunc primùm & veterum Imperatorum tempore recensebantur, & non in minimam partem redacti, haudquaquam sint tamen Imperij magnitudini suffecturi.] Enarratis denique, quàm florentissimi olim esse solerent atque copiosissimi qui vbique terrarum nutriebantur exercitus, sugillataq. ignauia Iustiniani iam in senectute non ferro, sed auro barbaros auertere consueti, talia deplorans tempora, ista subdit:

In scorta, aurigasque & homines eiusmodi effeminatos ac deliciis deditos, ciuilesque in seditiones tantùm intentos & corporum curam, contentiosos, furentes, audaces, & alia PRODIGIOSA IVSTINIANI MVTATIO.
demum minoris longè momenti militare stipendium insumebatur. Quo factum est, vt
E non solùm Thracia, sed vel proxima regiæ vrbi loca deserta iam adeò essent & sine vllis custodiis derelicta, vt barbaris peruia fierent, & ad incursiones nimium opportuna: nam illi eò euaserant insolentiæ, vt vel ad Melantidem vicum castra posuerint, qui à Byzantio ne centum quidem & quadraginta stadiis abest: quem vicum Atyras circumfluit amnis, qui fermè exiguo progrediens spatio, in austrum ventum sensim declinans, in Propontidem fluxum eructat, ad cuius ripam ipso in exitu promontorium habet porrectius, cuius appellationem & flumen id retulit. Hostibus itaque tam proximè vrbem stationem habentibus, ciuium multitudo & timere primùm & pauore percelli, & imminentia mala non solùm qualia essent, sed longè maiora animo agitare, somniareque obsidionem, incendia, futuram necessariorum carentiam, mœniumque diruptiones.

Itaque in ciuitatem, in publicas vias fugæ subitò multitudinis factæ, impulsioneſq. mutuæ & pauores, & quidem perrepidi ita & temerarij, perinde iam barbari in se impetum fecerint. In forumque exportarum violento impulsu crepitus ingens iam edebatur: atque

adeò

adeò vt non modò plebeios obscuræ sortis homines timor inuaderet, sed magistratus omnes,& Imperator haud parui quæ acciderant faceret. Dehonestabantur itaque Imperatoris ipsius permissu sacra omnia templa extra vrbem locata,Europæque è regione,littorique adiacentia loca, quæ vbique è Blanchernis (id loco nomen) initium sumunt, in pontum vsque Euxinum porrecta sunt,& in Bosphorum desinunt.Ex his itaque locis quæ pretiosiora essent oblationum cum cetero apparatu his necessario, partim plaustris deferentes intra vrbem deposuerunt,partim inuecta nauigiis,& intermedio traiecta freto in aduersum littus in continentem mox deuehunt. Videres tunc sacras nudatas ædes suo splendore sic & ornatu priuatas, perinde ac numquam antea dicatas, nec religionis quicquam aut sanctitatis sortitas,sed vt nuper fundatas. Adeò autem terribilia erant & ingentia illa discrimina, tantopere,vt occursura omnino animis ipsis cõcepta,vt vel in Syces mœnia, Chiseamque portam primores quidam Præfectique & armatorum vis magna insederint hostes oppugnantium,si se fortè inuaderent.] istiusmodi fuit miserandus ciuitatis status:ex quo quisque reliqua quæ extra vrbem, & in aliis tum Thraciæ tum Græciæ ciuitatibus, in quas iidem Hunni grassati sunt,ab iisdem sint crudeliter acta,poterit intelligere. Subdit verò Agathias:

CVNCTA LVCTV PLENA.

Dum interea ciuitas omnis tumultuando maximum in modum perturbaretur, & barbari haudquaquam proxima quæque depopulari intermisissent:Belisarius clarissimus olim Præfectus,etsi præ senectute in curuitatem iam declinasset, mittitur tamen per Imperatorem in hostes,eo armorum habitu circumactus, quibus à pueritia iam insueuerat: vnde & rerum per se quondam gestarum recordatio succurrebat, & ipse quidem de se mira animi promptitudine iuuenis munera exequebatur: id namque illi vltimũ in vita certamen fuit, nec tamen ex eo minorem retulit gloriam,quàm ex Vuandalis olim Gothisque deuictis:siquidem malorum præteritorum & futurorum iam desperatio, vt conatus hosce maiores fore,superbioresque arguebat,ita & victoriam periucundam.] Quomodo verò idem Belisarius non sine labore atque periculo eiusmodi tandem ab vrbe propulsauerit infestos barbaros, idem Agathias pluribus narrat: ac demum quonam pacto reliquos Hunnos per Thraciam Græciamque grassantes, non armis, sed auro penso, annuoque pollicito, vt ad propria redirent, tributo persuasit, atque alios Hunnos, quibus antea idem Imperator tributum pendebat,astuto consilio in hos concitauit,idem auctor fusiùs prosequitur: sed hæc nobis satis ad institutum.

BELISARIVS ARMATVR ADVERSVS HVNNOS.

Quàm autem iusta querela fuerit Agathiæ ista tempora deplorantis,cùm thesauris Romani Imperij non copiosissimi vt olim exercitus nutrirentur, sed iidem in aurigas & alios huiusmodi vanos homines impenderentur: audi suorum quoque tẽporum nobilem historiarum scriptorem Euagrium, cùm hæc tradit[a]: De alio item Iustiniani facto mihi dicendum est:quod quidem siue ex naturæ vitio, siue ex formidine & timore ortum sit, non habeo dicere; eius tamen generis fuit, vt omnem belluinam immanitatem longè superaret. Duxit autem initium ab ea seditione populari,quam Nica,hoc est, Vince, vocant. Placuit Iustiniano ita vehementer in alteram factionem eorum qui Prasini dicuntur animo propendere, vt impunè possent ipso meridie in ciuitate aduersarios trucidare, & non modò non pœnas metuerent,verùm etiam dignarentur honoribus:adeò vt inde multi homicidæ existerent. Licebat enim illis in ædes alienas irrumpere, thesauros diripere in illis reconditos,hominibus suam ipsorum salutem ac vitam diuidere. Et si qui magistratus illos cohibere moliretur,suo ipsius capiti creauit periculum.

[a] *Euagr.lib.4. c.31.*

IVSTINIANI STVLTITIA, DVM FACTIOSIS FAVET.

Vnde certè vir quidam qui gessit in Oriente magistratum, quoniam nonnullos eorum qui rebus nouis studebant, neruis coërcere voluit, quo modestiores efficerentur: per mediam vrbem circumductus fuit neruis grauiter cæsus. Callynicus porrò Præfectus Ciliciæ, cùm duo Cilices Paulus & Faustinus, homicida vterque, in eum impetum facerent, occidereque in animo haberent: quoniam pœna ex legibus constituta eos mulctauit, in crucem actus est, hocque supplicio pro recta conscientia & legum obseruatione affectus. Inde factum est, vt qui alterius erant factionis, cum domiciliis suis fugissent, & à nemine vsquam exciperentur hospitio, sed velut scelera vbique exagitarentur, tendere insidias viatoribus,compilare, cædes facere cœperint, vsque eò, vti omnia loca nece immatura, direptione, & reliquis id genus maleficiis redundarent. Interdum animo in contrariam sententiam mutato, eius generis homines interfecit, legumque permisit potestati etiam eos quos antè passus fuisset more barbarorum in ciuitatibus impia scelera conscisscere. Sed ad ista singillatim prosequenda mihi nec tempus suppetit, nec facultas dicendi. Atque ea

quæ

A quæ diximus, satis esse poterunt ad coniecturam de reliquis eius facinoribus faciendam.] hucusque Euagrius de magno legislatore, verumtamen maximo re vera iurium proculcatore. At à quibusnam abstinuisse iniustis actibus potuit, qui nec veritus est in ipsum Romanum Pontificem manum iniicere? ita miser à pristino illo vitæ instituto desciuit, dum se supra se contra Dei sacrosanctos sacerdotes erexit. sed hæc satis: ad res iam Occidentales.

Hoc eodem anno, quem diximus adnotatum post Consulatum Basilij decimumseptimum, magnus ille Ecclesiæ Narniensis Antistes S. Cassius ex hac vita feliciter transiit. Testantur id eiusdem Ecclesiæ vetera monumenta, nempe his versibus ad eius sepulchrum inscriptio exarata, haud tamen exculta minerua: inter tot enim tantaque bella, quibus est Italia deuastata, bonarum litterarum campum spineta repleuerant:

Cassius immerito Præsul de munere Christi,
B *Quem fato anticipas consors dulcissima vitæ.*
Tu, rogo, quisquis ades, prece nos memorare benigna.
Hic sua restituo terræ mihi credita membra.
Ante meum in pace requiescit Fausta sepulchrum.
Cuncta recepturam te nosce congrua factis.

DD. ANN. XXI. M. VIIII. D. X.
RE. IN PACE. PR. KAL. IVL.
P. C. BASILII AN. XVII.] Vides sanctissimum virum ex coniugio (vt aliis etiam plerisque viris sanctissimis contigit) vocatum ad Episcopatum, egregia claruisse sanctitate: cuius præclaram memoriam annis singulis in Ecclesia celebrandam Ecclesiasticæ tabulæ reddunt die ipsius natali, qui ita describitur à sancto Gregorio Papa[a]:

C Vir vitæ venerabilis Cassius Narniensis Episcopus, qui quotidianum offerre consueuerat Deo sacrificiũ, seque in lacrymis inter ipsa sacrificiorũ arcana mactabat, mãdatum Domini per cuiusdam sui visionem presbyteri suscepit, dicẽs: Age quod agis: operare quod operaris: non cesset pes tuus, non cesset manus tua: natali Apostolorum venies ad me, & retribuam tibi mercedem tuam. Qui post annos septem, ipso natalitio Apostolorum die, cùm Missarum solemnia peregisset, & mysteria sacræ communionis accepisset, è corpore exiliuit.] hactenus de Cassij transitu sanctus Gregorius.

[a] *Gregor. dial. log. li. 4. c. 56.*

Hoc eodem anno magnus ille Ioannes cognomento Silentiarius ex Episcopo anachoreta, de quo complura superiori tomo dicta sunt, ex hac vita migrasse reperitur annos natus centum quatuor, vt liquet assertione Cyrilli eius discipuli, quem Euthymij & aliorum illustrium monachorum res gestas scriptis mandasse diximus: licet agones eius aduersus hæ-
D reticos, præsertim verò Origenistas, ab aliis conscribendos fuisse testetur: quamobrem ipse de Sancto præclariora prætermisisse videri potest. Sed audi ipsum ita perorantem: Hæc quidem pauca ex multis selecta mandaui litteris, mittens narrare eius de fide certamina, quæ suscepit aduersus Origenis & Theodori Mopsuestiæ dogmata, & eorum qui ea defendebant, & persecutiones quas congruenter Euangelio pro decretis sustinuit Apostolicis. Sed quæ ab eo in his gesta sunt, relinquo narranda aliis. Scio enim fore, vt multi (sicuti est consentaneum) post eius decessum studeant scribere eius certamina & persecutiones & pericula quæ sustinuit pro fide Orthodoxa, victoriasque & res ab eo gloriosè gestas, &c.] Sed his caremus magno detrimento eius temporis historicæ veritatis. Quod ad rationem temporis eius obitus pertinet, satis id liquet, vt quem natum idem Cyrillus tradit anno quarto Imperij Marciani Aug. qui est annus Domini quadringentesimus
E quinquagesimusquartus, & vixisse scribit annos centum & quatuor, eum hoc anno defunctum opus sit affirmare: quem inter Sanctos in tabulas Ecclesiasticas relatum, tum Orientalis, tum Occidentalis Ecclesia anniuersaria memoria colit. Hic verò rerum gestarum anni huius finis esto.

OBITVS S. IOANNIS SILENTIARII.

IESV CHRISTI ANNVS 559. | PELAGII PAP. ANNVS 5. | IVSTINIANI IMP. ANNVS 33.

QVingentesimus vndesexagesimus Christi annus, idem Iustiniani Aug. trigesimus tertius, & post Basilij Consulatum decimusoctauus annus inscribitur: quo Pelagius Papa, vbi sedisset annos quatuor, menses decem, diesque decem & octo, ex hac vita migrauit

PELAGII PAP. OBITVS.

secunda Martij. ita ex Anastasij commentario, qui scriptus habetur in Vaticana bibliotheca, ex quo ista exscripsimus: quibus erroris redarguuntur, qui eumdem vixisse annos vndecim & aliquot menses ac dies ponunt, quive anno sequenti eumdem mortuum tradunt. Sed quæ de ipso sparsim scripta reperiuntur, nec certo quo facta sunt anno describi possunt, his veluti appendicem apponamus. De eodem enim Pelagio hæc Hadrianus Papa in epistola ad Carolum Magnum de imaginibus: Multo amplius verò eius sanctissimi successores domnus Pelagius & domnus Ioannes miræ magnitudinis ecclesiam Apostolorum à solo ædificantes, historias diuersas tam in musiuo, quàm in variis coloribus cum sacris pingentes imaginibus, & nunc vsque hactenus à nobis venerantur.] hæc Hadrianus. Porrò de eadem basilica à Pelagio cœpta, à Ioanne verò successore perfecta, idem qui suprà Anastasius meminit in Ioanne, eamque titulo Philippi atque Iacobi sanctorum Apostolorum consecratam affirmat. ex antiquis Vaticanæ basilicæ monumentis à Manlio collectis, de absoluta à Ioanne Papa basilica à Pelagio cœpta, habet versum hunc: A B

PELAGII PAP. EPITAPHIVM.

Pelagius cœpit, compleuit Papa Ioannnes.] recitatur ab eodem & epitaphium Pelagij Papæ inscriptum his versibus:

Terrenum corpus claudant hæc fortè sepulchra
Nil sancti meritis derogatura viri.
Viuit in arce poli cælesti luce beatus,
Viuit & hic cunctis per pia facta locis.
Surgere iudicio certus, dextramq; tenentem
Angelica partem se rapiente manu.
Virtutum numeret titulos Ecclesia Dei
Quos ventura vt † sæcula ferre queant: C
Rector Apostolicæ Fidei, veneranda retexit
Dogmata, quæ clarè constituere Patres.
Eloquio curans errorum scismate lapsos,
Vt veram teneant corda placata Fidem.
Sacrauit multos diuina lege ministros,
Nil pretio faciens immaculata manus,
Captiuos redimens, miseris succurrere promptus,
Pauperibus numquam parta negare sibi.
Tristia participans læti moderator opimus:
Alterius gemitus credidit esse suos.

Hic requieuit Pelagius Papa, qui sedit annos quatuor, menses decem, dies decem & octo. Depos. IIII. Non. Martij.] hactenus ibi. D

DE BASILICA XII. APOSTOLORVM.

Quod verò spectat ad Ecclesiam Apostolorum, his opportunè subiiciendum duximus antiquum bullæ exemplar è manuscriptis Vaticanis excerptum eiusdem Ioannis III. cui eiusmodi inscriptio præposita legitur, his verbis.

Exemplum Bullæ Papæ Ioannis Tertij, vbi dicit basilicam duodecim Apostolorum initiatam per Pelagium prædecessorem suum, & morte præuento non absolutam consummasse, Titulumque Cardinalem eam constituisse, & assignat eidem basilicæ parochiæ fines, & eam diuersis donariis donat de suo Vestiario.

Ioannes Episcopus seruus seruorum Dei, dilectis filiis Cardinalibus & clericis Ecclesiæ Apostolorum perpetuò in Christi seruitio manentibus.

Quoniam primitiuam Ecclesiam post incarnationem Christi duodecim Apostoli prædicatione illustrauerunt, & operibus stabiliuerunt, sicut in Actibus eorumdem legitur, quibus erat cor vnum, & in eisdem erant illis omnia communia, ac pro Christi Fide legitimè decertantes gloriosè coronati sunt: placuit mihi Ioanni Vrbis Romæ humillimo Pontifici Ecclesiam duodecim Apostolorum * confirmare, quam Pelagius Papa bonæ memoriæ prædecessor meus ante palatium Constantij initiauerat, sed morte præuentus inchoatam reliquit. Deinde Patris nostri incœpta captantes, quod ipse dimisit, diuina gratia opitulante, * vel perfectum vsque finem adduximus: hanc etiam & in natali Apostolorum Philippi & Iacobi, quod est in Kalendis Maij ad honorem omnium Apostolorum decenter dedicatam Titulum Cardinalem illam constituimus, necnon & parochiam sicut ceteri Tituli Vrbis habent de aliis & de aliis colligentes, sic tantæ & tam honorabili

* consummare

* ad

basilicæ

A basilicæ ratam & inconcussam deliberamus. Non enim laudaremur, si solùm in ædificiis extollendis laborauissemus, & alias dignitates Ecclesiasticas ei non prouideremus.

Idcirco præsente & consentiente fratrum nostrorum cœtu, nouæ basilicæ concessam & attributam parochiam determinamus, ita sanè vt omnes capellæ constitutæ vel constituendæ & populus qui infra terminos istos comprehenduntur, Apostolicæ basilicæ de parochiali iure deinceps penitus respondeant, videlicet. A via vbi est calix marmoreus & lapis marmoreus magnus in gradibus excauatus, cum omnibus domibus ante se; & inde itur iuxta Ecclesiam sancti Marcelli, & declinatur ad læuam, ante Ecclesiam sanctæ Mariæ quæ est in Via lata, & inde recto itinere producitur per viam quæ est sub monte Tarpeio vsque ad arcum Clagentariorum, & inde itur in viam ad læuam per viam secus hortum, qui dicitur Mirabilis, atque per Scalam mortuorum fit ascensus per cauam montis vsque ante
B Caballos marmoreos recta via ac inde vertitur ante arcum Pacis: deinde ad dextram extenditur iuxta latus montis super Catricam, & exinde deriuatur per Calicem montis vsque ad hortum Veneris, & deinde itur in viam Salariam, & exitur in Pincianam, deinde descenditur per Silicem, & fit transitus super formam Virginem iuxta Monumentum, & deinde conuertitur citra eamdem formam continuò vsque illuc vbi dicitur, Cannella eiusdem formæ, & exinde recolligitur per viculum Capralicum cum insula & casis ex vtroque latere viæ ad præfatum Calicem marmoreum, lapidem in gradibus excauatum.

Insuper ex sacro nostro Vestiario hæc donaria contulimus, videlicet Crucem vnã auream pensantem libras sex, calicem vnum aureum pensantem libras duas, calices duos argenteos pensantes libras quatuor, vestes quoque sericias cum gemmis albis & auro contextas quatuor; libris etiam multis ac variis eam adornare curauimus. Iis Ecclesiæ Apostolorum
C nostris manibus conditæ & dedicatæ parochialibus terminis statutis, ac donariis impartitis ex parte Dei omnipotentis & B. Mariæ & auctoritate Apostolorum Petri ac Pauli & omnium Apostolorum benedictionem nostram, & suorum peccatorum remissionem capituli huius ac priuilegij obseruatoribus & coadiutoribus condonamus. Contradicentibus autem & præuaricatoribus, eadem auctoritate, vsque ad satisfactionem Dathan Coræ & Abiron Moysi superbientium & contradicentium maledictionem & damnationem intendimus & confirmamus. Ipsi gloria, laus, potestas, imperium, qui viuit & regnat per infinita sæcula sæculorum. Amen. Bene valete.

Dat. temporibus domini Ioannis Tertij Papæ per manus Petri Episcopi Cancellarij sanctæ Sedis Apostolicæ, mense Maio, die tertia.

Ego Cirinus in Dei nomine Secretarius sanctæ Romanæ Ecclesiæ sicut inueni in charti-
D cinio priuilegio Tituli Apostolorum, fideliter in hac membrana exemplificaui.

DE PELAGII PAP. SCRIPTIS.

Quod verò ad eiusdem Pelagij Papæ scripta pertinet, præter epistolas quas superiùs suis locis posuimus, extat eiusdem nomine epistola nonnihil prolixa ad Vigilium quemdam Episcopum scripta: sed dum ad finem eius data ponitur sub Consulatu Narsetis atque Ioannis, impostura suspicionem auget. Etenim cùm vetera quæque monumenta signata vbique reperiantur post Basilij Consulatum toties repetitum; planè significatur, nullum alium interea Consulem esse creatum. Et ne de his dubites, habes Cassiodorum[a] numerantem annos post Consulatum eiusdem Basilij vicies semel repetitum. Quòd si Narsetis, vel aliorum post Basilij Consulatum fuisset Consulatus Fastis interpositus: certè non ab illo vltimo Consulatu Basilij tot anni post eius Consulatum reperirentur inscripti, sed post Consulatum Narsetis atque Ioannis. Sic igitur ex his reliquæ etiam epistolæ post
E Consulatum Basilij datæ, sed aliorum à Mercatore Consulum nota suppositæ, impostura suspectæ redduntur.

[a] *Cassiod. de comput. Paschali.*

LEGATIO CHILDEBERTI AD PELAGIVM PAP.

Rursum verò quod ad Pelagij Papæ scripta atque res gestas spectat, audi quæ[b] Papyrius vir planè disertus in Francorum Annalibus dicat, dum agit de Childeberto Rege: Childebertus Ruffinum in Italiam ad Pelagium Romanum Pontificem miserat, rogatum an Catholicè Leonis tomum aduersus Eutychetem sequeretur. Pelagius respondit, librum illum Ecclesiæ probari; ipseque vt Rex postularat, nouam fidei formulam scripsit. Exstat epistola Pelagij ad Childebertum.] hæc ipse. Porrò eum scribendi fidei professionis libellum siue epistolam Pelagio occasio oborta illa fuisse videtur, quòd cùm contra Tria capitula pro Quinta Synodo (vt vidimus) sententiam sequeretur, in suspicionem læsæ pietatis, offensæque Catholicæ fidei haud mediocrem adductus esset: cùm præsertim defensores Trium capitulorum illud vbique vulgassent, ac pariter exclamassent, omnes qui agerent cõtra Tria

[b] *Papyr. Annal. Franc. lib. 1.*

illa capitula, impugnare Chalcedonense Concilium: qua quidem calumnia vt dubitantium animos liberaret, eam ad Childebertum de fide Catholica Pelagius epistolam dedit: quod & præstitisse S. Gregorium ad Theodolindam Reginam eamdem ob causam oportuit. A

Sed & ex dictis illud obserua: cùm in dubium venit Romani Pontificis fides Catholica, non aliunde eius peti consueuisse examinationem atque discussionem, quàm à fide tradita à prædecessoribus; quibus si consentiat, nihil sit quod possit eum erroris arguere, secus si contrà. Sic igitur Childebertus Rex de fide Pelagij subdubitans, ad S. Leonis Papæ epistolam de recta fide ad Flauianum conscriptam prouocauit: cui se in omnibus cum Catholica Ecclesia consentire cùm professus sit scriptis Pelagius, omnem prorsus conceptam de se suspicionem amouit.

Hæc autem ad finem rerum gestarum Pelagij Papæ oportuit collocasse, cùm nobis esset penitus incompertum, quoto eius Pontificatus anno contigerint. Sed accidit, vt cuso iam tomo (vt sæpe superiùs dictum est) cùm allatæ ad nos essent ab Ecclesia Arelatensi complures diuersorum Romanorum Pontificum ad diuersos Episcopos Arelatenses datæ epistolæ, inter alias reperiremus eas de fide Catholica ad Childebertum Regem litteras scriptas, quę & ipsæ cùm die carerent & Consulatu, quando tamen datæ fuerint, ex alia epistola tunc ab eodem Pontifice ad Sapaudum, siue Sabaudium Arelatensem Episcopum scripta possumus intelligere, quæ data legitur anno decimosexto post Consulatum Basilij: est is annus Domini quingentesimus quinquagesimusseptimus, Pelagij verò Pōtificatus annus tertius. Epistola autem ad Sabaudium sic se habet: B

PELAGII PAP. EPIST. AD SAPAVDVM EPSIC. ARELAT.

Dilectissimo fratri Sapaudo Pelagius.

Tanta nobis est circa personam tuæ fraternitatis affectio, vt nullas occasiones transire silentio patiamur. Denique veniente illuc Petro vrbis negotiatore, præsentia curauimus ad fraternitatem tuam scripta dirigere, desiderantes vt de incolumitate quoque vicissim datis opportunitatibus agnoscamus. Atque ideò salutantes fraterno charitatis amore, indicamus, propitiante Domino, circa nos omnia prosperè geri. Et hortamur, vt si epistola, quam per diaconum atque subdiaconum fraternitatis tuæ ad excellentissimum filium nostrum Childebertum Regem direximus, in qua de institutis beatissimorum Patrum nostrorum fidem Catholicam nostro per Dei gratiam sermone deprompsimus, tam ipsi gloriosissimo Regi, quàm charitati tuæ, vel aliis fratribus & Coepiscopis nostris placuit, rescripto tuæ charitatis celeriùs agnoscamus. C

Præterea commendamus specialiter dilectioni tuæ Romanos, qui illuc hostilitatis metu confugerunt, vt solatium fraternitatis tuæ & continentiam, qualem peregrinatio eorum poscit, inueniant: quos etiam filio nostro magnificentissimo viro Patricio Placido genitori tuo ex nostra persona volumus commendari, vt in sua continentia recognoscant, quantum apud charitatem tuam eis commendatio nostra profuerit. D

Sed & illud ad commemorationem tuæ fraternitatis adducimus, vt (sicut iampridem scripsimus) vestes quæ pauperibus erogentur, id est, cucullas & tunicas atque saga de eo quod pro pensionibus Ecclesiasticarum possessionum nobis domnus filius noster Placidus directurus erat, comparari faciatis, & ad Portum Romanum, Deo propitiante, dirigere, quatenus solicitudinem nostram ex parte aliqua releuetis: quia tanta egestas, & nuditas in ciuitate ista est, vt sine dolore & angustia cordis nostri homines, quos honesto loco natos idoneos noueramus, non possimus aspicere. Deus te incolumem custodiat, frater charissime. Data Idibus April. anno XVI. P. C. Basilij.] Epistola autem ad ipsum Francorum Regem Childebertum data, in eodem codice posita sequitur istis verbis. E

PELAGII PAP. AD CHILDEBERTVM REG. DE CATHOLICA FIDE EPIST.

Domino filio glorioſissimo atque præcellentissimo Childeberto Regi Pelagius Episc.

Humani generis saluator ac Dominus discipulos suos docens, ait[a]: Non est voluntas Patris vestri qui in cælis est, vt vnus saltem pereat de pusillis: de quibus nec scandalizari quemquam sine magni asserit comparatione supplicij. Cùm igitur etiam de pusillis ista forma præcepti sit: quanto nobis studio ac labore satagendum est, vt pro auferendo suspicionis scandalo obsequium confessionis nostræ Regibus ministremus, quibus nos etiam subditos esse sanctæ Scripturæ præcipiunt? Veniens etenim Ruffinus vir magnificus legatus excellentiæ vestræ confidenter à nobis (vt decuit) postulauit, quatenus vobis aut beatæ recordationis Papæ Leonis tomum à nobis per omnia conseruari significare debuissemus, aut propriis verbis nostræ confessionem fidei destinare. Et primam quidem petitionis eius partem, quia facilior fuit, mox vt dixit, impleuimus; meque in omnibus prædictis Præsulis

[a] *Matth.* 18

tomum

A tomum pro Catholicæ fidei assertione conscriptum, Deo propitio, custodire, manus nostræ ad vos professione signauimus. Vt autem deinceps nullius (quod absit) suspicionis resideret occasio, etiam illam aliam partem, quam memoratus vir illustris Ruffinus admonuit, facere maturaui, scilicet propriis verbis confessionem fidei, quam tenemus, exponens. Definitiones quoque de eadem Catholica fide, quæ in quatuor sanctis Conciliis statutæ sunt, sed & memorati Pontificis, quas vniuersalis semper tenuit ac tenet Ecclesia, nos sancto Dei auxilio tenere atque defendere præsenti ad excellentiam vestram colloquio intimandum necessario iudicaui.

Fides Papæ Pelagij.

Credo igitur in vnum Dominum Patrem & Filium & Spiritum sanctum, Patrẽ scilicet omnipotentem, sempiternum, ingenitum; Filium verò ex eiusdem Patris substantia vel
B natura genitum ante omne omnino vel temporis, vel cuiusquam initium: de omnipotente omnipotentem, æqualem, consempiternum, atque consubstantialem. Spiritum quoque sanctum omnipotentem, vtrique, Patri scilicet ac Filio æqualem, consempiternum, atque consubstantialem, qui ex Patre intemporaliter procedens Patris est Filij quoque Spiritus, hoc est, tres personas, siue tres subsistentias vnius essentiæ, siue naturæ, vnius virtutis, vnius operationis, vnius beatitudinis, atque vnius potestatis, vt trina sit vnitas, & vna sit trinitas iuxta vocis Dominicæ veritatem, dicentis[a]: Ite, docete omnes gentes, baptizantes eos in no- [a] *Matth. 28.*
mine Patris & Filij & Spiritus sancti. In nomine, inquit, non nominibus, vt & vnum Dominum per indistinctum diuinæ essentiæ nomen ostenderet, & personarum discretionem suis demonstratam proprietatibus edoceret: quia dum tribus vnum Deitatis nomen est, æqualitas ostenditur personarum. Et rursus æqualitas personarum nihil extraneum, nihil acce-
C dens in eis permittit intelligi: ita vt & vnusquisque eorum verus perfectusque sit Deus, videlicet ex plenitudine diuinitatis nihil minus in singulis, nihil amplius intelligatur in tribus.

Ex hac autem sancta & beatissima atque consubstantiali Trinitate credo atque confiteor vnam personam, id est Filium Dei pro salute humani generis nouissimis temporibus descendisse de cælo, nec patriam sedem, nec mundi gubernacula relinquentem: & superueniente in beata Virgine Maria sancto Spiritu, atque obumbrante ei virtute Altissimi, eumdem Verbum ac Filium Dei in vtero eiusdem sanctæ Virginis Mariæ clementer ingressum, & de carne eius sibi vnisse carnem anima rationali & intellectuali animatam: Nec antè creatam esse carnem, & postea superuenisse Filium Dei: sed sicut scriptum est[b], Sa- [b] *Prou. 9.*
pientia ædificante sibi domum, mox carnem in vtero Virginis, mox Verbi Dei carnem factam, exindeque sine vlla permutatione atque conuersione Verbi carnisque naturæ Ver-
D bum ac Filium Dei factum hominem vnum in vtraque natura, diuina scilicet & humana, Christum Iesum Dominum verum eumdemq; verum hominem processisse, id est, natum esse, seruata integritate maternæ virginitatis: quia sic eum virgo permanens, genuit, quemadmodum virgo concepit. Propter quod eamdem beatam Virginem Mariam Dei genitricem verissimè confitemur: peperit enim incarnatum Dei Verbum.

Est ergo vnus atque idem Iesus Christus verus Filius Dei, & idem ipse verus Filius hominis, perfectus in Deitate, & idem ipse perfectus in humanitate, vtpote totus in suis, & idem ipse totus in nostris: sic per misericordiam natiuitatem sumens ex homine matre quod non erat, vt non desisteret esse quod per primam qua ex Patre natus est erat. propter quod eũ ex duabus & in duabus manentibus indiuisis, inconfusisque credimus esse naturis: indiuisis quidem, quia & post assumptionem naturæ nostræ vnus Christus Filius Dei per-
E mansit: inconfusis autem, quia sic in vnam personam atque subsistentiam adunatas credimus esse naturas, vt vtriusque proprietate seruata, neutra conuerteretur in alteram. Ac propterea (sicut sæpè diximus) vnum eumdemque Christum esse verum Filium Dei, & eumdem ipsum verum Filium hominis confitemur, consubstantialem Patri secundum Deitatem, consubstantialem nobis eumdem secundùm humanitatem, per omnia nobis similem absque peccato: passibilem carne, eumdem ipsum impassibilem Deitate. Quem sub Pontio Pilato sponte pro salute nostra passum esse carne confitemur, crucifixum carne, mortuum carne, resurrexisse tertia die glorificata & incorruptibili eadem carne, & conuersatum post resurrectionem cum discipulis suis, ac multimodis euidenter eis ostendisse sui corporis veritatem: & quadragesimo die, videntibus eisdem discipulis, ascendisse in cælos, sedere etiam ad dexteram Patris. Quem credo & confiteor secundùm testificationem Angelorum[c], sicut ascendit in cælos, ita venturum iudicare viuos & mortuos. Omnes [c] *Act. 1.*

enim homines ab Adam vsque ad consummationem sæculi natos & mortuos, cum ipso A
Adam eiusque vxore, qui non ex aliis parentibus nati sunt, sed alter de terra, altera autem
de costa viri creati sunt, tunc resurrecturos esse confiteor, & astare ante tribunal Christi,
vt recipiat vnusquisque propria corporis, prout gessit, siue bona, siue mala; & iustos quidem
per largissimam gratiam Dei, vtpote vasa misericordiæ in gloriam præparata, æternæ vitæ
præmiis donaturum, in societate videlicet Angelorum absque vllo iam lapsus sui metu sine
fine victuros. Iniquos autem arbitrio voluntatis propriæ vasa iræ apta in interitum per-
manentes, qui viam Domini aut non agnouerint, aut cognitam diuersis capti præuarica-
tionibus reliquerunt, in pœnis æterni atque inextinguibilis ignis, vt sine fine ardeant, iustis-
simo iudicio traditurum.

Hæc est igitur fides mea & spes, quæ in me dono misericordiæ Dei est, pro qua maximè
1. Petr. 3. paratos esse debere beatus Petrus Apostolus[a] præcipit ad respondendum omni poscenti B
nos rationem. Nunc conuenit excellentiam vestram pro feruore eiusdem fidei, quam vos
in corde habere gaudemus, peculiarem curam per vniuersas Galliæ vestræ regiones impen-
dere, ne illic scandala seminantes (sicut in partibus istis facere conabantur) frontis suæ pro-
cacitate impellente discurrant, & aliquos fratres & Coepiscopos nostros vel creditas eis
plebes ad dissensiones exagitent. Quia dum rectæ fidei non sine dolore oppressionis suæ, vt
se ad nutrienda scandala Catholicis familiares efficiant, etiam rectam fidem se simulant
vindicare, maximè apud eos qui fraudes ipsorum & dolos ignorant. Sed Deus, qui gloriam
vestram contra inimicos pacis Ecclesiasticę misericorditer hoc tempore præparauit, præstet
vos ita solicitos & circumspectos existere, vt non prævaleant intra sata sanctæ Ecclesiæ in
illis partibus loliorum suorum semina maligna iactare. Perincolumem excellentiam ve-
stram Deus noster custodiat, domine fili glorioſissime atque excellentissime.] hucusque C
fidei confessio Pelagij Papæ. Ad postremum autem hæc de eo apud Anastasium: Hic
fecit ordinationes duas per mensem Decembrem, presbyteros vigintisex, diaconos no-
uem, Episcopos per diuersa loca quadragintanouem. Qui etiam obiit secunda mensis
IOANNES PAP. III. Martij: & cessauit Episcopatus menses tres, & dies vigintiquinque.] sicque vigesimaspti-
ma mensis Iulij subrogatus est in locum eius Ioannes cognomento Catellinus, ex patre
Anastasio viro illustri.

S. EVPHRONIVS EPISCOPVS TVRONENSIS CREATVR.

Quod autem res Galliarum perlustrando occurrit: hic est annus, quo S. Euphronius
Turonensis Episcopus creatus est, vir qui his temporibus non eam tantùm prouinciam,
sed vniuersas planè Gallias illustrauit. Supputatio autem temporis hac ratione deducitur,
quod scilicet eiusdem Ecclesiæ Episcopus Grègorius[b] secundùm Sigeberti Francorum Re-
gis annum, eumdem numeret septimum sancti Euphronij. Porrò Sigeberti regnum inchoa- D
tum esse anno Domini quingentesimo sexagesimoquarto, quæ dicentur inferiùs palàm
facient. Quòd igitur hoc anno certum sit testificatione Gregorij Euphronium Turonen-
sem Episcopum sedere cœpisse; affirmare necesse erit, cuncta quæ sub eodem Episcopo
facta esse dicuntur, non ante præsentem annum contigisse. Vnde & illud ex his infertur,
DE PARISIEN. PRIORI CONCILIO. Parisiense Concilium, cui idem sanctus Euphronius præsens fuit, non ante hunc eumdem
annum celebrari potuisse, licet alij ante biennium referãt. Dignus planè memoria conuen-
tus ille habetur: in quo Patres inter alia laudabiliter instituta, insurgentes aduersus re-
gios ministros in res Ecclesiarum manus iniicientes, quotquot id facere auderent, ana-
themate feriendos esse sanxerunt. Ex bello ciuili exorta licentia illud effecit, vt non in ad-
uersantium tantùm bona manus hostes iniicerent, sed & à rebus Ecclesiarum minimè abs-
tinerent; atque qui ea ab Episcopis impetrare diffiderent, importuna petitione à Regibus E
obtinerent: ita cum sacrilegio auaritia grassans, inconcessa tentans, prædia inuadebat Ec-
clesiarum. Sed & ambitio ambiendo, flexuosoque gressu ad honores peruenire despiciens,
breuiori via sæculari iuncta potentiæ ad primos Ecclesiarum honores sibi aditum patefe-
cit; cùm videlicet pro Episcopatibus adipiscendis ipsos Reges adirent, peterentque ab eis,
quod obtinere per leges Ecclesiasticas non licebat.

Quamobrem aduersus eiusmodi adeò temerè præsumpta, sacrilegè tentata, atque pro-
brose vsurpata sanctissimi Galliarum Episcopi insurgentes, non clanculo, vel in angu-
lo, Regum timore, Synodum coëgere, sed Parisiis, vbi Rex ipse degere consueuit. Præ-
erat tunc nobili Ecclesiæ Parisiensi S. Germanus recens creatus Episcopus (vt ex or-
dine subscribentium patet) quem æstuantem zelo Ecclesiasticæ disciplinæ auctorem fuisse
eiusmodi congregãdi Concilij, mihi facilè persuadeo. Res planè agebatur magni momenti.

verùm

A verùm etsi aduersus Reges Ecclesiastica iura sibi vsurpantes certamen susciendum erat: pluris tamen apud eos fuit Dei timor, quàm Principum terror, sicque sacerdotali vigore, quo scirent cunctos Principes esse subditos sacerdotibus (si modo Christi esse oues, & numerari sub grege ipsius velint, & non procul abiici, & inter hædos haberi maledictionis heredes) rem tantam agrediuntur, primoque loco eiusmodi canonem promulgarunt[a]: *Conc. Paris. 1. cap. 1. tom. 2. Concil.

Itaque placet, ac omnibus nobis conuenit obseruare, vt quia nonnulli memores sui, per quaslibet scripturas pro captu animi de facultatibus suis, Ecclesiis aliquid contulisse probantur: quòd à diuersis minùs Deum timentibus eatenus mortifera calliditate tenetur, vt aliorum oblatio illis pertineat ad ruinam; nec intueri corde possunt diem iudicij, dum nimiæ cupiditatis delectantur ardore. Quicumque ergo immemor sui interitus, res Ecclesiæ (vt suprà diximus) delegatas iniustè possidens, præsumpserit retinere, & veritate com-
B perta res Dei seruis suis dissimulauerit reformare: ab omnibus Ecclesiis segregatus, à sancta communione habeatur extraneus, neque aliud mereatur habere remedium, nisi culpam propriam rerum emendatione purgauerit. Indignè enim ad altare Domini properare permittitur, qui res Ecclesiasticas & audet rapere & iniustè possidere, ac in iniqua defensione perdurat. Necatores enim pauperum iudicandi sunt, qui eorum taliter alimenta subtraxerint. Sacerdotalis tamen debet esse prouisio, vt vindictam admonitio manifesta præcedat: vt si res vsurpatas iniustè quis tenet *, adhibita æquitate restituat. Quòd si neglexerit: cùm necessitas compulerit, postea prædonem sacerdotalis districtio maturata percellat. *tulit

Neque quisquam per interregna res Dei defraudare * nitatur: quia Dei potentia cunctorum regnorum terminum singulari dominatione concludit. Quòd si præsumpserit: & * defensare
C ipsius offensam & prædictæ damnationis periculum sustinebit. Competitoribus etiam huiusmodi frenum districtionis imponimus, qui facultates Ecclesiæ sub specie largitatis regiæ improba surreptione peruaserint.

Sera namque de his rebus pœnitudine commouemur, cùm iam anteactis temporibus contra huiusmodi personas canonum suffulti præsidio se sacerdotes Domini erigere debuissent, ne mansuetudo indulgentiæ ad similia perpetranda improborum audaciam adhuc quotidie prouocaret: sed nunc tardè, iniuriarum mole depressi, damnis quoque Dominicis compellentibus, excitamur. Quòd si is qui res Dei competit, in aliisque vbi res agitur, maximè solet territoriis commorari, sacerdotem loci illius, vbi habitat, Episcopus ille huiusmodi prauitatis contemptus neglecta persona, litteris mox reddat instructum: tunc Antistes, ipsius fratris anxietate comperta, aut peruasorem admonitione corrigat, aut ca-
D nonica districtione condamnet, &c.] quæ nos superiùs alia occasione recitauimus. Et rursum inferius[b]: Perpetuo anathemate feriatur, qui res Ecclesiæ confiscare, aut conterere, *à Rege scilicet postulare*, aut peruadere periculosa infestatione præsumpserit.] *Concil. eod. c. 2.

Sed & ne Clotarij Regis, qui (vt diximus) coniugis suæ defunctæ sororem vxorem duxerat, & aliorum incestuosorum Principum exemplo populus Francus solitus mores suorum dominorum imitari deprauaretur; iidem sanctissimi Patres aduersus incestuosa coniugia hæc statuerunt[c]: Conuenit etiam vniuersis fratribus, vt non solùm præsentium rerum actus, sed & animarum quoque debeant præparare remedia. Nullus ergo illicita coniugia contra præceptum Domini inire præsumat, id est, fratris relictam, nec nouercam suam, relictamque patrui, vel sororem vxoris suæ sibi audeat sociare, atque auunculi quoque quæ relicta est, neque nurus suæ vel materteræ coniugio potiatur: pari etiam conditione à con-
E iugio amitæ, priuignæ, ac filiæ priuignæ coniunctionibus præcipimus abstinere.] hæc sancta Synodus, malos excrescentes ex malis Regum exemplis vepres succidens. Sed & in Reges ipsos præsumentes contra canones, arrogantesque sibi ius præficiendi Ecclesiis pastoribus destitutis Episcopos, hæc statuere[d]: *Eod. Concil. cap. 4.

Quod in aliquibus rebus consuetudo prisca negligitur, ac decreta canonum violantur: placuit vt iuxta aliquam consuetudinem canonum decreta seruentur. Nullus ciuibus inuitis ordinetur Episcopus, nisi quem populus & clericorum electio pleniissima quæsierit voluntate: non Principis imperio, neque per quamlibet conditionem contra metropolis voluntatem, vel Episcoporum prouincialium ingeratur. Quod si per ordinationem regiam honoris istius culmen peruadere aliquis nimia temeritate præsumpserit: à comprouincialibus loci ipsius Episcopis recipi nullatenus mereatur. Quem indebitè ordinatum cognoscunt, si quis de prouincialibus recipere contra interdicta præsumpserit, sit à fratribus om- *Conc. Paris. 1. cap. 8.

ADVERSVS REGES ECCLESIIS EPISCOPOS DARE PRAESVMENTES.

nibus

nibus segregatus & ab ipsorum omnium charitate remotus, &c.] Sanè quidem id à Regibus præsumptum hoc sæculo tum in Occidente, tum etiam in Oriente, ea quæ sunt dicta, & suo loco dicentur, fidem haud dubiam faciunt. A

NIHIL REGI LICEAT PRAETER IVS.

Insuper verò cum iisdem temporibus inter sanctos Episcopos Gallicanos vigeret Ecclesiastica disciplina, contigit vt praui homines à Rege impetrare conarentur, quod ab Episcopis scirent prohiberi: vnde & fiebat, vt etiam præter bona, fauore Regis, quam optarent peterent sibi coniugem. Cui temeritati Patres obuiantes, ista etiam vetuere, hæc sancientes[a]: Nullus res alienas competere à regia audeat potestate: Nullus viduam, neque filiam alterius extra voluntatem parentum aut rapere præsumat, aut Regis beneficio æstimet postulandam: quod si fecerit, similiter ab Ecclesiæ cõmunione remotus, anathematis damnatione plectatur.] hæc & alia Patres, in omnibus regiam auctoritatem plus æquo sibi sumentem sacerdotali robore reprimentes.

[a] *Conc. Paris. cap. 6.*

B

Cùm autem huic Concilio Parisiensi minimè subscriptus reperiatur Saphoratus eius ciuitatis Episcopus, quem interfuisse constat Concilio quinto Aurelianensi habito (vt vidimus) anno Domini quingentesimo quinquagesimo secundo: facile mihi persuadeo, posterius quod habetur Concilium Parisiense, in quo idem Saphoratus depositus legitur, ante præsentem Synodum celebratum esse, inuersumque ordinem, vt quod prius fuit dicatur posterius celebratum Concilium, hoc verò de quo est sermo, post illud fuisse habitum; vt & qui huic habetur Germanus subscriptus, ipse sit sanctissimus ille Dei sacerdos Germanus Parisiensis, quem Eusebio successisse post depositum Saphoratum Aimoinus tradit. Sanè quidem cùm Parisiense Concilium illud secundum dictum (vt ex ipso patet) paulo post quintum Aurelianense Concilium habitum affirmetur, æquè ratio persuadet ante præsentem Synodum esse collectum.

DE SECVNDO PARISIEN. CONC.

C

DE S. GERMANO EPISCOPO PARISIENSI.

Quod verò pertinet ad sanctum Germanum: ipsum ex Abbate monasterij S. Simphoriani sanctitate vitæ, dignis moribus, & miraculorum editione præstantem, præcedentibus prophetiis, vocatum ad regimen Parisiensis Ecclesiæ, Fortunatus Pictauiensis[b] Episcopus tradit, qui res ab eo præclarè atque mirificè gestas enarrat. Sed & Venantius Fortunatus, quanta sub eodem sancto Germano polleret Ecclesiastica disciplina Parisiensis Ecclesia, eleganti cecinit carmine ad Parisiacum clerum inscripto, in cuius fine[c]:

[b] *Extat apud Sur. die 28. Maij.*

[c] *Fortun. carm. lib. 1.*

Sub duce Germano felix exercitus hic est.
Moyses tende manus, & tua castra iuua.

] Cuncta planè docuerunt, maximo Dei beneficio his calamitosis temporibus euectum esse in sedem Pontificiam tantum Antistitem, cuius virtutum fulgore non Galliæ solùm, sed vniuersus orbis Occidentalis illustraretur, proficerentque omnes tanti viri monitis & exemplis. Inter alios autem quantum sub eodem Antistite Childebertus Rex Francorum pietate emituerit, plura sunt exempla, & egregia monumenta, atque in primis basilica, quam S. Vincentio, ipso Germano hortante, constituxit, de qua suo loco dicturi sumus.

CHILDEBERTVS REX VALDE PROFECIT SVB S. GERMANO.

D

De eleemosynarum verò copiosa largitione Fortunatus Pictauiensis Episcopus in rebus gestis eiusdem sancti Germani hæc habet his verbis: Quæ (inquit) eleemosynæ tam de rebus Ecclesiæ, quàm populi oblatione, vel regio munere per manus eius sanctificatæ sint, solus ille qui omnia scit, nouit & numerat. Denique quadam vice præexcellentissimus Childebertus Rex cùm ei direxisset sex millia solidorum pauperibus eroganda: expendés tria millia, reuertitur ad Palatium. Interrogatusque à Rege, si adhuc resideret quod egenis tribueret: respondit, medietatem resedisse, nec inuenisse se inopes, quibus mox totum expenderet. Erat ergo spectanda contentio inter sacerdotem & Principem: faciebant apud se de misericordia pugnam, & de pietate certamen.] hæc Fortunatus de Childeberti Regis sub sancto Germano erga pauperes amore atque munificentia: vt planè illud fuerit certo experimento cognitum, vbi sacerdotes sancti dignè numeros explent suos, Reges sponte se illis suaque bona subiicere, secundùm vulgatum illud Machabæorum[d]: Propter Oniæ Pontificis pietatem, & animos odio habentes mala, fiebat, vt & ipsi Reges & Principes locum summo honore dignum ducerent, & templum maximis honoribus illustrarent.] At de S. Germano plura inferiùs: nunc rursus ad S. Euphronium Episcopum Turonensem, de quo dicere cœpimus ipso exordio narrationis Concilij Parisiensis, recurrat oratio.

[d] *2. Mach. 3*

E

Extant ad hunc ipsum duæ epistolæ Venantij Fortunati, nec non carmen quo eum mirificè laudat, dignumque sancti Martini prædicat successorem, cùm eius tempore amplioribus

A bus miraculis eiusdem sancti cineres coruscarent. Prædicat idem Fortunatus eiusdem sancti viri inter alia erga pauperes mirificam charitatem istis versibus[a]:

EVPHRONII TEMPORE GRANDIA A S. MARTINO MIRACVLA EDITA.

[a] Fortun. li. 3.

Aduena si veniat, patriam tu reddis amatam,
Et per te proprias hic habet hospes opes.
Si quis iniqua gemit, tristis hinc nemo recedit:
Sed lacrymas remouens, lætificare facis.
Martinus meritis hac vos in sede locauit:
Dignus eras heres, qui sua iussa colis.
Ille tenet cælum, largo dans omnia voto:
Christo iunctus eris hunc imitando virum.] &c.

At (vt paululum à Synodi Actis diuertamus) quæ hoc ipso tempore, cùm sederet Eu-
B phronius, & bella vigerent Clotarij aduersus Chramnum filium suum, miranda fieri contigerunt virtute sancti Martini, rogante eodem Euphronio Episcopo, memoratu digna, accipe à Gregorio eiusdem Ecclesiæ Antistite successore, dum ait[b]:

[b] Gre. Turon. de mirac. S. Martin. lib 1. c. 23.

Dignum existimaui & illud non omittere in relatu, quod Viliathario presbytero referente audiui. Tempore quo propter perfidiam Chramnus iram Clotarij Regis incurrerat, in basilicam sancti Martini confugit, atque ibidem in catenis positus custodiebatur: sed virtute beati Martini Præsulis comminutæ catenæ, stare non potuerunt. Nescio autem quomodo imminente negligentia, foris atrium comprehensus est: quem oneratum ferro, vinctis post terga manibus, ducebant ad Regem. At ille voce magna clamare cœpit: vt sibi beatus Martinus misereretur, orare; nec eum sineret abire captiuum, cuius deuotus expetierat templum. Statimque in eius vocibus, orante beato Euphronio Episcopo de mu-
C ro ciuitatis contra basilicam, dissolutæ sunt manus eius, & omnes baccæ catenarum confractæ ceciderunt. Perductus autem vsque ad Regem, ibi iterum in compedibus & catenis constrictus retinebatur: sed inuocato nomine sæpe dicti patroni, ita omne ferrum super eum comminutum est, vt putares illud fuisse quasi figlinum. Hoc tantum erat in spatiis, vt non solueretur à vinculo, quoadusque nomen illud sacratissimum inuocasset: inuocato autem, omnia soluebantur. Tunc Rex altioris ingenij videns virtutes S. Martini ibidem operari, & ab onere vinculorum absoluit eum, & pristinæ restituit libertati. Hæc ab ipsius Viliatharij presbyteri ore coram multis testibus facta esse cognoui.] ista Gregorius. Porrò quomodo tot tantisque donis abusus, aduersus patrem iterum rebellans, meritas impius pœnas dedit, inferius suo loco dicemus.

CHRAMNVS LIBERATVS A VINCVLIS.

Redeamus modò ad sanctos Episcopos prioris ordine positi Concilij Parisiensis. Inter-
D fuisse eidem quoque reperitur S. Prætextatus Rothomagensis Antistes nobilior postea redditus corona martyrij, de quo suo loco pluribus agendum erit. Qui verò subscriptus Chalactericus nominatur, scias hunc fuisse Episcopum Carnotensem sanctitate clarum, sed iniuria temporis obscurum redditum: de quo vnicum quod extat monumentum hic describendum putamus, vt quoquo modo eumdem vindicemus in lucem. Venantius enim Fortunatus[c] eius sepulchro huiusmodi inscripsit epitaphium hoc titulo prænotatum:

[c] Fortu. carm. lib. 4.

Epitaphium Chalacterici Episcopi ciuitatis Carnotensis.

Illacrymant oculi, quatiuntur viscera fletu,
Nec tremuli digiti scribere dura valent:
Dum modò quæ nolui viuo, dabo verba sepulto,
Carmine vel dulci cogor amara loqui.
E *Digne tuis meritis, Chalacterice sacerdos,*
Tardè notus nobis, quam citò, chare, fugis.
Tu patriam repetis, nos triste sub vrbe relinquis:
Te tenet aula nitens, nos tenebrosa dies.
Ecce sub hoc tumulo pietatis membra quiescunt:
Dulcior in tumulo lingua sepulta iacet.
Forma venusta decens, animus sine fine benignus,
Vox suauis legem præmeditata Dei.
Spes cleri, tutor viduarum, panis egentum,
Cura propinquorum, promptus ad omne bonum.
Organa psalterij cecinit modulamine dulci,
Et tetigit laudans plectra beata Dei.

* & melle

* tutus

Cautere

Cautere eloquij bene purgans vulnera morbi: A
Quo pascente fuit fida medela gregi.
Sex qui lustra gerens, octo bonus insuper annos,
Ereptus terra iustus ad astra redis.
Ad paradisiacas epulas te ciue reducto:
Vnde gemit mundus, gaudet honore polus.
Et quia non dubito quanta est tibi gloria laudum,
Non debes fieri talis, amice Dei.
Hæc qui, sancte Pater, pro magnis parua susurro:
Pro Fortunato, quæso, precare tuo.] hactenus vetus memoria Chalacterici: sed agamus de reliquis.

Interfuit pariter eidem Concilio fama ille insignis, decus Aquitaniæ, Leontius Episco- B
pus Burdegalensis, de quo plura dicenda nobis erunt inferiùs, cùm agemus de Concilio Santonensi ab ipso collecto: porrò idem interfuisse reperitur quarto Aurelianensi Concilio. Præter alios verò nobis incompertos, qui penultimo ponitur loco Paternus, sanctitate conspicuus extitit Episcopus Abrigensis, quem etiam Catholica Ecclesia ascriptum tabulis Ecclesiasticis annua memoria celebrat decimasexta die Aprilis. Extat ad eumdem epi-
[a] *Fortu. carm. lib. 9.* gramma Venantij Fortunati his versibus[a]:

Nominis auspicio fulgent tua facta, Paterne,
Munere qui proprio te facis esse patrem.
Seruitij nostri non immemor omnia præstas,
Et tibi deuotis das pia vota libens.
Vt bona distribuas modò qui tam promptus haberis, C
Vnde magis præstes, amplificentur opes.] Quodnam esset seruitiũ, quod Paterno impertiit Fortunatus, idem alio declarat epigrammate versibus istis:

Paruimus tandem iussis, venerande sacerdos:
Nominis officium iure, Paterne, regis.
Qui propriis meritis ornans altaria Christi,
Tam prece quàm voto das placitura Deo.
Supplico, cede tamen, si quid me fortè fefellit:
Nam solet iste meas error habere manus.
Obtineat supplex modò pagina missa salutem:
Hæc quoque cum reliquis me memorare velis.] hæc Fortunatus ad Paternum tunc adhuc Abbatem, vt eiusdem epigrammatis inscriptio habet. extant res ab eo D
[b] *Sur. die. 16. Aprilis. to 2.* præclarè gestæ[b].

Qui verò vltimo loco ponitur Samson Episcopus, idem claruit in Minori Britannia sanctus Dei sacerdos, cuius perpetua viget memoria in Ecclesia, quæ eius natalem diem celebrat vigesimaoctaua Iulij. Sunt & alij nobis haud scriptorum monumentis satis noti: porrò omnes quindecim numerantur: statueruntque canones nouem tantùm numero, sed virtute pollentes, quibus Regum eorumque ministrorum atque aliorum sibi nimium sumentium temeritatem represserunt: ex quibus non solùm ij qui illis vixere temporibus, sed & Nouatores nostri temporis exagitentur.

Non prætereat, quòd Episcopi qui huic S. Synodo interfuisse reperiuntur, Euphronius, Prætextatus, Germanus, Felix, Domitianus, ibidem nominati, & præter eos duo alij Victorius & Domnolus, alter Redonensis, Cænomanensis alter, sanctitate clarissimi, inscripti E
reperiuntur in epistola ab iisdem data ad S. Radegundem Reginam de seruanda institutione monastica, quam miro ardore animi susceperat, & cum regiis aliisque nobilissimis
[c] *Recitata habetur à Greg. lib. 9 cap. 39.* virginibus Pictaui excolebat, quòd enim ex horum diœcesibus ad dictum monasterium Deo dicandæ virgines conuolassent: ne aliqua ex illis post promissionem Deo factam ad propria redire posset, vel nubere, iidem sanctissimi Patres eiusmodi scripsere epistolam ad sanctissimam Reginam, quæ sic se habet[c]:

EVPHRONII ET ALIORVM EPISC. EPIST. AD RADEGVNDEM REGINAM DE INSTITVT. MONAST.

Dominæ beatissimæ & in Christo Ecclesiæ filiæ Radegundi Euphronius, Prætextatus, Germanus, Felix, Domitianus, Victorius, & Domnolus Episcopi.

Solicita sunt iugiter circa genus humanum immensæ Diuinitatis prouisa remedia, nec ab assiduitate beneficiorum suorum quocumque loco vel tempore videntur aliquando seiuncta, cùm pius rerum arbiter tales in hæreditate culturæ Ecclesiasticæ personas vbique

disse-

A disseminat, quibus agrum eius intenta operatione fidei rastro colentibus ad felicem centeni numeri reditum diuina temperie Christi seges valeat peruenire. Tantum igitur benignitatis eius se passim dispensatio profutura diffundit, vt illud nusquam deneget, quod prodesse multis agnoscit: quarum personarum exemplo sanctissimo, cùm iudicaturus aduenerit, habeat in plurimis quod coronet.

Itaque cùm ipso Catholicæ religionis exortu cœpissent Gallicanis in finibus venerandæ fidei primordia respirare, & adhuc ad paucorum notitiam tunc ineffabilia peruenissent Trinitatis Dominicæ sacramenta *(cùm videlicet tempore Constantij in Galliis Ariana hæresis sub Saturnino Arelatensi Episcopo grassabatur)* ne quid hic minùs acquireret, quàm in Orbis circulo prædicantibus Apostolis obtineret: beatum Martinum peregrina de stirpe ad illuminationẽ patriæ dignatus est dirigere, misericordia consulente: qui licet Apostolorum
B tempore non fuerit, tamen Apostolicam gratiam non effugit: nam quod defuit in ordine, suppletum est in mercede: quoniam sequens gradus illi nihil subtrahit, qui meritis antecellit. Huius quoque, reuerentissima filia, in vobis congratulamur, rediuiua surgere supernę dilectionis exempla propitiatione diuina: nam declinante tempore sæculi vetustate, vestri sensus certamine fides reuirescit in flore, & quod veterno tepuerat algore senectæ, tandem feruentis animi rursus incalescat ardore.

Sed cùm penè eadem veneritis ex parte, qua beatum Martinum huc didicimus accessisse: non est mirum, si illum imitari videaris in opere, quem tibi ducem credimus itineris extitisse: vt cuius es secuta vestigia, felici voto compleas & exempla, & beatissimum virum intantum tibi facias esse socium, inquantum partem refugis habere de mundo. Cuius opinionis radio præmicante, ita reddis audientium pectora cælesti fulgore suffusa, vt passim
C prouocati puellarum animi, diuini ignis scintilla succensi, raptim festinent auidè in charitate Christi fonte vestri pectoris irrigari, & relictis parentibus, te sibi magis eligant, quàm matrem. facit hoc gratia, non natura.

Igitur huius studij vota videntes, gratias clementiæ supernæ referimus, qui voluntates hominum suæ facit voluntati connecti: quoniam confidimus, quas apud vos iubet colligi, suo vult amplexu seruari. Et quia quasdam comperimus, Diuinitate propitia, de nostris territoriis ad institutionem vestræ regulæ desiderabiliter conuolasse: inspicientes etiam vestræ petitionis epistolam libenter à nobis exceptam, hoc Christo auctore & remediatore firmamus: vt licet omnes æqualiter quæ ibi conueniunt in Domini charitate mansuræ, de-
D beant inuiolabiliter custodire quod videntur libentissimo animo suscepisse: quoniam contaminari non debet Christo fides, cælo teste, promissa: vbi non leue scelus est templum Dei (quod absit) pollui, vt ab eo possit ira succedente disperdi: tamen specialiter definimus, si qua (sicut dictum est) de locis sacerdotaliter nostræ gubernationi, Domino prouidente, commissis in Pictaua ciuitate vestro monasterio meruerit sociari, secundùm beatæ memoriæ domini Cæsarij Arelatensis Episcopi constituta, nulli sit vlteriùs discedendi licentia: quæ sicut continet regula, voluntate prodita videtur ingressa, ne vnius turpi dedecore ducatur in crimen, quod apud omnes micat in honore.

Et ideo si (quod Deus auertat) aliqua insanæ mentis illicitatione succensa ad tanti opprobrij maculam suam præcipitare voluerit disciplinam, gloriam, & coronam, vt inimici consilio sicut Eua eiecta de paradiso, per qualemcumque de claustris ipsius monasterij, immo de cæli regno exire pertulerit: mergenda & conculcanda vili platearum in luto, separata à communione nostra, diri anathematis vulnere feriatur. Ita, vt, si fortassis, Christo relicto,
E homini voluerit nubere, diabolo captiuante: non solùm ipsa quæ refugit, sed etiam ille qui ei coniunctus est, turpis adulter & potius sacrilegus, quàm maritus; vel quisquis vt hoc fieret, venenum magis quàm consilium ministrauit, simili vltione, sicut de illa dictum est, cælesti iudicio, nobis optantibus, percellatur: donec separatione facta, per competentem execrandi criminis pœnitentiam à loco quo egressa fuerat, recipi meruerit & annecti.

Adiicientes etiam, vt eorum qui nobis quandoque successuri sunt sacerdotes, similis condemnationis teneantur adstrictæ reatu: & si (quod non credimus) aliquid ipsi voluerint aliter, quàm nostra deliberatio continet, relaxare: nouerint se nobiscum æterno Iudice definiente causaturos: quia communis est salutis instructio, si quod Christo promittitur, inuiolabiliter obseruetur. Quod nostræ determinationis decretum, pro firmitatis intuitu, propriæ manus subscriptione credimus roborandum, perpetualiter à nobis * Christo auspice duraturum.] hactenus sanctissimorum Patrum epistola, siue de dicatis Deo

* in annos

virgi-

virginibus sacerdotale decretum: quibus admoneantur nostri sæculi Nouatores & ipsi ex- A
monachi, & Deo dicatas virgines ex monasteriis abducentes. Quis adeò mentis obtu-
sæ non statim intelligat, quàm perfidi isti sint, qui contraria statuant sanctissimis illis
Deo dignis Episcopis, qui innumeris eluxere miraculis, & virtutibus omnis generis ef-
fulsere decori? At de his satis.

IESV CHRISTI ANNVS 560. IOANNIS PAP. ANNVS I. IVSTINIANI IMP. ANNVS 34.

SExagesimus supra quingentesimum Domini annus inchoatur, post Basilij Consulatum decimusnonus, idem Imperatoris trigesimusquartus, Constantinopolitanis valde lugu- B
bris. Etenim [a] ægrotans idem Imperator cùm vulgò mortuus iactaretur, quasi in interregno
[a] *Miscel. & Cedrē. Anna. hoc anno.* quibusque quod vellent agendi licentiam sibi sumentibus, ingentia planè perpetrata sunt
CONSTANTINOPOLI DIREPTIO. scelera, quæ in vrbis direptione ab hostibus fieri consueuerunt; inter alia verò ergasteria
mercatorum sunt expilata. Si enim viuente adhuc Principe, Prasinorū factioni talia impu-
nè agendi videbatur facultas esse concessa: quid putandum post renunciatam Imperatoris
mortem non esse præsumptum siue ab ipsis, siue potiùs à contraria factione Imperatoris
potentia diu compressa, luctuosaque passa? Sed quomodo idem Imperator ex insperato, ope
sanctorum martyrum conualuerit, cùm omnes referant; nos ex ipso fonte, nempe Procopio, eam petamus historiam. ait enim [b]:

[b] *Procop. de edific. Iustinian. Imperat. lib. 1.* Iuxta orificium Sinus Irenes martyris templum fundatum est tanta magnificentia, vt
INVENTIO RELIQVIARVM SANCTORVM MARTYRVM. satis enarrare non possim. Hic asseruantur ex antiquo reliquiæ sanctorum virorum non mi- C
nùs quā quatuor, qui in Romano exercitu æra mærentes, militabant in duodecima legione
apud Melitenem vrbem Armeniæ olim collocata. Etenim latomi, effossa humo, inuene-
runt arculam litteris indicantem, esse scilicet reliquias horum virorum. Quod Deus latere
voluit, donec manifestari congruum foret. Quippe Iustinianus corpore erat malè affectus:
vehemens enim fluxus in genua delapsus virum dolore confecit.] quanam ex causa id ac-
ciderit, cùm idem referat, nos alia occasione superiùs enarrauimus. atque mox subdit: Hinc
igitur morbus succrescens, medicorum operam euicit. Interim audiens inuentas esse reli-
quias, relicta ope humana, ad has fidem conuertit, & vera opinione in iis quæ maximè ne-
cessaria erant vsus est. Postquam enim lancem reliquiarum sacerdotes genibus Regis im-
posuerunt, euanuit dolor, corporibus quæ Deo seruierunt, cedens. Quod profectò Deus
nolens esse dubium, magnum signum ostendit eorum quæ acta erant. Nam ex sanctis illis D
reliquiis subitò oleum manauit, & arculam perfundens, pedes & totam purpuream vestem
Regis imbuit & humectauit. Quamobrem vestis hoc modo humectata asseruatur in regiis
receptaculis, in eorum quæ tunc facta sunt testimonium.] hæc Procopius.

At non semel tantùm sanctorum martyrum beneficio curatū esse Iustinianum ab ægritu-
dine, & è mortis faucibus erutū atque renouatum ad vitam, constat: nam quæ sunt relata,
num hoc anno acciderint, vel potiùs quæ idem auctor his præmisit, quisque pro animi sen-
tentia iudicabit. Porrò rem gestam idem Procopius ita narrat. Etenim quod expertus est
modò remedium ex quatuor sanctorum martyrum reliquiis, aliàs ope sanctorum marty-
[c] *Procop. de ædif. Iustin. Imp. lib. 1.* rum Cosmæ & Damiani factum itidem refert his verbis [c]: Circa Sinus terminum in arduo
satis & edito loco sanctis Cosmæ & Damiano olim templum dedicatū est: vbi Iustinianum
grauiter ægrotantem, & iam morituri speciem præbentem, nempe à medicis desperatum, E
& inter cadauera iacentem, isti Sancti per somnum & visum apparentes curauerunt. Cuius
beneficij memor, pristinam structuram permutans impolitam planè & indignam tantis
cælitibus, elegantia, magnitudine, & fulgore luminis templum illustrauit.] hæc ipse.

MIRACVLA EX SANCTORVM RELIQVIIS. Non id recens, semelve experimento declaratum est, sanctorum reliquias Dei ope edi-
disse miracula: ab exordio enim nascentis Ecclesiæ, veluti è fonte perenni copiosè fluente,
riuosq. curationum in omnes Orbis partes emittente, Sanctorū reliquias id præstitisse, quæ
superiùs singulis ferme annis sunt dicta, perspicua luce demonstrant. Sicut etiam pariter
ostensum est, vbique locorum cultū sacrarum imaginū semper in Ecclesia Catholica viguis-
se, de quo hoc pariter anno haud vulgare exemplum Annales continent: hoc enim anno id
accidisse, Sigebertus est auctor, quod narrat his verbis: Hoc tempore Iudæus quidem ima-
ginem Saluatoris de ecclesia furtim deponens, eam telo transfixit, & eam clàm in domum
suam

A suam deferens,cùm vellet flammis exurere, se sanguine imaginis cruentatum videns, præ stupore eam abscondit. Quam Christiani requirentes,& per vestigia sanguinis inuenientes, eam sanguinolentam receperunt, Iudæum verò lapidauerunt.] hæc ipse.

IMPOSTVRA DE LIBRO RECONDITO.

Quòd verò de Iudæis mentio facta est: non prætermittimus dicere, eiusdem Iustiniani Imperatoris tempore tradi, à Theodosio Iudæo proditum librum apud Hebræos reconditum de Christi in templo sacerdotij functione, deque Dei genitricis virginitatis à sacerdotibus Iudæorum facta per obstetrices exploratione. narratur eiusmodi apud Suidam historia, eademq; à diuersis alijs auctoribus recentioribus repetita; quam vt commentum nos respuisse memores sumus tomo Annalium primo.

THEODOMIRVS REX SVEVORVM REDDITVS CATHOLICVS.

Quod ad res Occidentalis Ecclesiæ pertinet, vltimos adeamus Hispaniarum fines Oceano contiguos, ipsam inquam Galliciæ prouinciam, vbi regnantes hactenus Sueui Reges ij-
B demque impij post Alaxam apostatam haud modicum Catholicæ Ecclesiæ damnum intulere vsque ad præsentem annum, quo regnare cœpit Theodomirus, tenuitq; regnum annos decem, secundùm exactam doctissimi viri Moralis peruestigationē, cui haud inuiti subscribimus. Quòd autem hic ipse in Concilio priori Bracharensi Ariamirus dictus inueniatur, error illapsus putatur. Commune fuisse reperitur tam patri quàm filio, vt Miro vterque nominaretur: sed pater Theodo, Aria filio prænomē fuisse cognoscitur. licet apud Gregorium Turonensem idem qui Theodomirus, Charraricus etiam nuncupatus inueniatur: eumdem tamen esse cum ipso Mironis parente, ex eodem auctore probatur. Sed quanam occasione eiusdem Regis conuersio ad rectam fidem contigerit, hic ex ipso Gregorio res tunc temporis scribente depromimus, qui ait [a]:

[a] *Greg. Turo. mirac. S. Martin. lib. 1. c. 11.*

Charrarici cuiusdam Regis Galliciæ filius grauiter ægrotabat: qui tale tædium incurrerat,
C vt solo spiritu palpitaret. Pater autem eius fœtidæ se illi Arianæ sectæ vnà cum incolis loci illius subdiderat. Sed & regio illa plus solito, quàm aliæ prouinciæ, lepra sordebat. Cumque Rex videret vrgeri filium in extremis, dicit suis: Martinus ille, quem in Gallijs dicunt multis virtutibus effulgere, cuius, quæso, religionis fuerit, enarrate. Cui aiunt: Catholicæ fidei populum pastorali cura in corpore positus gubernauit, asserens Filium cum Patre & Spiritu sancto æquali substantia vel omnipotentia venerari debere. Sed & nunc cæli sede locatus, assiduis beneficijs non cessat plebi propriæ prouidere. Qui ait: Si hæc vera sunt quæ profertis: discurrant vsque ad eius templum fideles amici mei, multa munera deportātes: & si obtineant mei filij medicinam, inquisita fide Catholica, quam ille credidit, credam. Pensato ergo auro argentoq; ad filij pondus, transmisit ad venerabilem locum sepulchri.

Qui profecti, oblatis muneribus, exorant ad beati tumulum pro ęgroto. Sed insidente ad-
D huc in patris eius pectore secta, non cōtinuò integram recipere meruit medicinam. Reuersi autem nuncij narrauerunt Regi, se multas virtutes ad beati tumulum vidisse, dicentes: Cur non sanatus fuerit filius tuus, ignoramus. At ille intelligens, non ante sanari posse filium, nisi æqualem cum Patre crederet Christum, in honorem B. Martini fabricauit ecclesiam: miroq; opere expedita, proclamat: Si suscipere mereor viri iusti reliquias, quodcumque sacerdotes prædicauerint, credam.] hæc idcirco de reliquijs, quòd scilicet omnes qui alicui Sanctorum ecclesiam fabricassent, sanctuaria accipere solerent, nempe veli partem, quæ sepulchro illius Sancti superposita fuisset, vt ex S. Gregorij epistolis liquet, & quæ superiùs dicta sunt de S. Leone manifestum faciunt. Sed pergit Gregorius:

Et sic iterum suos dirigit maiore cum munere: qui venientes ad beatum locum reliquias postulabant. Cumque eis offerrentur ex consuetudine, dixerunt: Non ita faciemus;
E sed nobis, quæsumus, licentia tribuatur ponendi, quæ exinde iterum assumamus. Tunc partem pallij serici pensatam super beatum sepulchrum posuerunt, dicentes: Si inuenimus gratiam coram expetito patrono, quæ posuimus plus in sequenti pensabunt: eruntque nobis in benedictionem posita, quæsita per fidem.] eumdem planè vsum seruari solitum super corpora Apostolorum Romæ, idem auctor affirmat, quæ nos alia occasione superiùs retulimus: fiebat enim, in signum diuinæ benignitatis impartiendæ petenti, vt eadem vela maioris ponderis reciperentur, quàm data fuerint, secus si contrà. Sed de pallio serico quid legatis acciderit, audi:

Vigilata (inquit) vna nocte, facto manè, quæ posuerant pensitabant. In quibus tanta beati viri infusa est gratia, vt tamdiu eleuarent in sublime æream libram, quantum habere poterat, quo ascenderet momentana. Cumq; eleuatæ fuissent reliquiæ cum magno triumpho, audierunt voces psallentes qui erant in ciuitate detrusi in carcere (*nonnisi enim cum*

psalmodia reliquiæ transferri solebant) & admirantes suauitatem soni, interrogant custodes, A
quid hoc esset. Qui dixerunt: Reliquiæ domini Martini in Galliciam transmittũtur,& ideo sic psallitur. Tunc illi flentes, inuocabant S. Martinum, vt eos sua visitatione liberaret. Exterritisq; custodibus,& in fugam versis, diruptis obicibus retinaculorum, liber populus surgit à vinculo; & sic vsque ad sancta pignora, plebe inspectante, venerunt, osculantes flendo beatas reliquias, simulq; & gratias B. Martino pro sui absolutione reddẽtes, quòd eos dignatus fuerit sua pietate saluare. Tunc obtentis per sacerdotem à Iudice culpis, incolumes dimissi sunt. Quod videntes gestatores reliquiarum, gauisi sunt valde, dicentes: Nunc cognouimus, quòd dignatur beatus Antistes nobis peccatoribus propitium se præbere.] fuerunt hæc eorum quæ facienda erant in Gallicia in solutione perfidiæ vinculorum signa prænuncia in catenarum fractione monstrata. Sed prosequitur cetera Gregorius:

DE MARTINO PEREGRINO.

Et gratias agentes, prospero prosequente patroni præsidio nauigium, vndis leuibus, tem- B
peratis flatibus, velo pendulo, mari tranquillo, velociter ad portum Galliciæ peruenerunt. Tunc commonitus à Deo quidã nomine Martinus de regione longinqua, qui ibidem nunc sacerdos habetur, aduenit. Sed nec hoc credo sine diuina fuisse prouidentia, quòd eo die se commoueret de patria, quo beatæ reliquię de loco leuatæ sunt,& sic simul cum ipsis pignoribus Galliciæ portum ingressus sit.] perinde ac si Martinus Martinum ad Sueuorum conuersionem asciuerit, atque perfecerit æquè Martinus doctrina, quod Martinus miraculis
[a] *Ioan. 4.* inchoauerat: vt illud Euangelicum probaretur exemplo, quod est à Domino dictum [a]: In hoc veritas est, quod alius est qui seminat, alius est qui metit.] Quæ pignora (subdit Gregorius) cum summa veneratione suscipientes, fidem miraculis firmant: nam filius Regis,

LEPRA CVM PERFIDIA PER FIDEM TOLLITVR.

dimissa omni ægritudine, sanus properat ad occursum. Beatus autem Martinus sacerdotalis gratiæ accepit principatum. Rex vnitatem Patris & Filij & Spiritus sancti confessus, C
cum omni domo sua chrismatus est. Squallor lepræ à populo pellitur, & omnes infirmi saluantur, nec vmquam ibi vsque nunc super aliquem lepræ morbus apparuit. Talemque gratiam ibi in aduentu pignorum beati patroni Dominus tribuit, vt virtutes quæ ibidem illa die factæ sunt, enarrare perlõgum sit. Nam tantum in Christi amore populus ille promptus est, vt omnes martyrium libentissimè susciperent, si tempus persecutionis adesset.] hactenus de his Gregorius.

THEODOMIRI REGIS CONVERSIO

Porrò hæc omnia contigisse ipsius Theodomiri regni exordio, ex eo certum illud deducimus argumentum, quòd post annum sequentem, nempe tertio ipsius regni, totius suæ di-
tionis conuocari fecit Episcopos, Conciliumq; Brachari celebrari. Sed & de eiusdem Regis conuersione paucis agit Isidorus in Chronico Sueuorum verbis istis: Post multos deinde Reges regnum Sueuorum suscepit Theodomirus: qui fidem Catholicam adeptus, Arianæ D
impietatis errore destructo, Sueuos vnitati fidei reddidit. Huius tẽpore Martinus Dumiensis monasterij Episcopus fide & scientia claruit, cuius studio pax Ecclesię reddita est,& multa monasteria condita.] hæc Isidorus: sed de Martino rursus inferiùs dicendum erit.

Quòd verò tanta S. Martini meritis tribuuntur: opportunum putamus his attexere glorioſissimæ Francorum Reginæ (quæ ijsdem temporibus contigit) peregrinationem ad se-
[b] *Gregor. lib. 1. mirac. S. Mart. c.12.* pulchrum eiusdem S. Martini, de qua Gregorius ita pergit [b]: Nam & Vltrogotha Regina, auditis miraculis quæ ad locum fiunt quo sancta membra quiescunt, tamquam sapientiam Salomonis expetiit corde deuoto prospicere. Abstinens ergo se à cibis & somno, præcurrentibus etiam largissimis eleemosynis, peruenit ad locum sanctum; ingressaque basilicam timens & tremens, nequaquam audebat adire sepulchrum, indignam se esse proclamans, nec ibidem posse, obsistentibus culpis accedere. Tandem deducta vigilijs nocte,& E
orationibus, ac profluis lacrymis, manè oblatis muneribus multis in honorem beati confessoris Missas expetijt celebrari. Quæ dum celebrantur, subitò tres cæci, qui ad pedes beati Antistitis longo tempore priuati lumine residebant, fulgore nimio circumdati, lumen quod olim perdiderant, receperunt. Quo facto, clamor in cælum attollitur magnificantium Deum. Ad istud miraculum currit Regina, currit & populus: mirantur omnes fidem mulieris, mirantur gloriam Confessoris. Sed super omnia collaudatur Deus noster, qui tantam virtutem præstat Sanctis suis, vt per eos talia operari dignetur.] hæc Gregorius de Vltrogotha Regina. Extat Venantij Fortunati epigramma de horto eiusdem Vltrogothæ, siue Vltrogothonis Reginæ, licet deprauatus codex habeat Regis, pro Reginæ: non enim de Rege, sed de Regina esse epigramma illud, postremi saltem duo versus significant, qui sunt
[c] *Venã. carm. lib. 6.* huiusmodi [c]:

Possideas

CHRISTI 561. IOANNIS PAP. 3. IVSTINIANI IMP. 35.

A *Posideas felix hæc Vltrogotho per ævum*
Cum geminis natis tertia mater ovans.] at de ipsa satis: ad res iam sequentis anni transeamus.

IESV CHRISTI ANNVS 561. IOANNIS PAP. ANNVS 3. IVSTINIANI IMP. ANNVS 35.

REdemptoris nostri annus quingentesimus sexagesimusprimus, post Basilij Consulatum vigesimus, idemq; Iustiniani Imperatoris trigesimusquintus adest: quo defuncto Domno Iuniore Episcopo Antiocheno, vbi sedisset annos quatuordecim, subrogatus est in lo-
B cum ipsius Anastasius cognomento Sinaita; quòd ex monachis in Sina monte vitam agentibus ad Episcopatum eius Ecclesiæ vocatus sit; de quo plura suis locis dicturi sumus. Quo etiam tempore post Eustochium Hierosolymorum Ecclesiæ substitutus est Ioannes, cuius sedis tempus & res gestæ prorsus obscuræ mansere: licet alij in locum Macarij iterum restitutum eum creatum Hierosolymorum Antistitem dicant.

Hoc item anno trigesimoquinto Imperatoris, mense Nouembri structas fuisse insidias ad occidendum ipsum Iustinianum Augustum, habet Miscellæ auctor. Cùm, re detecta, in crimen adductus Belisarius pœnas dedit, bonis & dignitate exutus. Porrò sequenti anno mense Martio dimissum fuisse ipsum Belisarium ea de causa detentum, atque suis dignitatibus restitutum, idem auctor affirmat: quem & post biennium Byzantij mortuum esse, Cedrenus tradit. Sed aduersantur Latini[a] nonnulli, qui eum excæcatum, exutumq; omnibus
C dignitatibus atque diuitijs, mendicare stipem fuisse coactum asserunt.

BELISARII DVCIS CALAMITAS.

[a] *Crinit. de honest. disciplib. 15. Volater. Pontan. vel alij recentiores omnes.*

Aduersus hos scimus dimicare Alciatum[b] sui Iustiniani acerrimum defensorem. At vtinam leues istæ tantùm essent Iustiniani sordes, quæ breui ab eodem viro docto elui potuissent Apologia, & non potiùs illius generis, de quo Hieremias[c]: Si laueris te nitro, & multiplicaueris tibi herbam borith, maculatus es in iniquitate tua coram me.] aspersus enim impietate & sacrilegijs coinquinatus antea perpetratis diem clausit extremum, vt suo loco dicemus; vt nulla esse possit sufficiens quæ ipsum emundet apologia.

[b] *Alciat. parerg. lib. 4. c. 24.*

[c] *Hier. 2.*

Quod verò ad præsentem Belisarij causam pertinet, antiquiorum vna omnium sententia fuit, vt ipse in coniurationis suspicionem adductus, ab eodem Iustiniano Imperatore fuerit redactus in ordinem. De reliquis autem varias reperimus sententias esse: cùm alij dixerint excæcatum, & ita vsque ad finem vitam traxisse miserrimam: alij verò in eo tantùm consen-
D tiant, vt è sublimiori statu deiectus, rursus fuerit in pristinum restitutus. Sed accipe de his in primis Ioannis Græci auctoris Iambos:

Iste Belisarius Imperator magnus
Iustinianeis existens temporibus Imperator,
Ad omnem quadrantem terræ cùm explicuisset victorias,
Postea inuidia excæcatus (ô fortunam instabilem).
Poculum ligneum detinens clamabat plebi in stadio:
Belisarij obulum date Imperatori,
Quem fortuna quidem clarum fecit, excæcauit inuidia.
Alij dicunt chronici, non excæcatum fuisse hunc,
Ex honoratis autem infamem profecto factum esse,
E *Et iterum ad reuocationem æstimationis venisse prioris.*] hæc ipse. verùm de Belisarij in pristinum restitutione altum apud Græcos silentium.

Certè quidem Zonaras cum bonis omnibus priuatum dicat, de restitutione nihil: vt planè in statu miserrimo ipsum derelictum, nec ampliùs subleuatũ, possit intelligi. Sed & Glicas minimè eum in pristinum restitutum affirmat; idem & Cedrenus, qui de eodem hæc ait: Adeò autem acceptus fuit Iustiniano, vt is percusso nummo, in altera parte se, in altera parte Belisarium armatum effinxerit cum inscriptione hac: BELISARIVS ROMANORVM DECVS. Verùm enim verò inuidia vt solet rebus prosperrimè succedentibus insidiari, Belisarium quoque ita adorta est, vt is per calumniam delatus & magistratu & honore sit exutus.] hæc Cedrenus. Sed & Constantinus Manasses in Annalibus cùm id ipsum affirmet, vehementi istiusmodi inuectiua probrosum Imperatoris insectatus est facinus, vbi res à Belisario præclarè gestas enarrat:

PRO BELISARIO DECLAMATIO.

Sed hæc (inquit) inuidiæ sceleratissimæ non placebant: quapropter honestissimam Ducis famam parum æquis oculis intuebatur, & toto impetu gloriam eius oppugnabat: nam vulgo quòd dicitur, Quid sit vtile, ignorat inuidia. Quamobrem vir fortunatus, magnus copiarum ductor, qui formidabilem Cosrhoen Persarum Principem exterruerat, qui reges seruitutis iugo subiecerat, qui gladio tot Lybiæ nationes domuerat, vir denique Mauortius, & in prœlijs animo leonino præditus, immanis belluæ, nimirum inuidiæ dolis circumuentus, absque milite, propugnatoribus, pharetratorum turba ruinam indignam & lacrymis deplorandam ruit. Factus est (heu miser) pupillo nudior, calicem calamitatum largiter hausit: ceu fugitiuum quoddam mancipium rebus suis vniuersis spoliatus est: eoque denique loci redactus est, vt (heu sortem acerbam) carnificem expectaret, quando ceruices ei gladio secturus esset. O inuidia, bellua nocens, latrocinatrix, cædibus & persecutionibus gaudens, scorpie infinitis stimulis prædite, tigris homines deuorans, dracęna, venefica, letalis herba, telum ferri expers, cuspis acutissima, qualia desygnas & improba committis? Quas calamitates, quæ mala struis? Vincit me dolor, conturbat luctus, & lacrymas exprimit. Quousque perditrix tantum virium habebis? Quousque sceleratissima vitam humanam perturbabis? O tyranne mala machinans, sanguinarie cuncta appetens, etiam ipse (quod numquam factum oportuit) tuas in manus incidi, tuaque tela expertus iaceo, parumper adhuc spirans.] hucusque Constantinus in inuidiam veluti malorum omnium causam stylo pugnans, cum & alij in eodem argumento versantes fortunam proditionis incusent.

Sed Ethnicorum sint ista lamenta: altiùs figit oculos Christi fidelis, qui cùm manare cuncta è diuina prouidentia intueatur, haud casum incusat atque fortunam; sed præterita hominum impiè facta considerans, diuinam intelligit esse vindictam, quam imprudens quispiam inuidentię tribuit atque fortunæ. Quod autem, ex sententia Sapientis [a], Altissimus sit patiens redditor, cùm interdũ vindicet peccata patrum in filios, nepotes, ac pronepotes: seram haud quis iudicabit esse vindictam, qua ipsum viderit peccati esse prosecutum auctorem. Vt igitur æqua libra expensam intelligas in Belisarium cælitus Deum iaculatũ esse vindictam: hîc ob oculos pone quæ in sanctissimum Ecclesiæ Romanę Põtificem Siluerium in gratiam Theodoræ Augustæ Romæ Belisarius aliquando perpetrauit: quorũ etsi pœnituisse postea visus sit, tamen (quod honor Regis iudicium diligit) licet culpa peccantem absoluat, ob quam perpetua gehenna dignus erat, haud semper pœnam in pręsenti vita luendam omnino remittit: vt inter alia exempla quibus affluit diuina Scriptura, de Dauid [b] patet expressum; cui licet peccatum à Deo dimissum Nathan annunciauerit, pœnam tamen in pręsenti vita ipsi à Deo infligendã pariter demonstrauit. Quàm autem sit immane scelus, atque pauendum etiam dæmonibus sacrilegium, inijcere manus in Christum Domini, vnctumq; in sanctum sanctorum, ex illa satis sit ponderare sententia Domini, qua ait [c]: Qui tetigerit vos, tangit pupillam oculi mei.] vel cùm minatur [d]: Qui scandalizauerit vnum de pusillis istis qui in me credunt, expedit ei vt mola asinaria appendatur in collo eius, & deijciatur in mare.] Sed quis præterea, si sceleris immensitatem consideret, incusare poterit & non admirari potiùs diuinum iudicium iustè latũ in Belisarium, cùm experiri ipse coactus sit, quòd (vt ex Procopio dictum est) pati coactus est Ioannes Consul atque Præfectus Prætorio insignis Patricius, qui re vera ob inopiam compulsus est mendicare?

[a] *Eccli.5.* PECCATI CVLPA, NON POENA DIMISSA.

[b] *2.Reg.12.*

[c] *Zach.2.*

[d] *Matt.18. Marc.9. Luc.17.*

Quòd verò his de Belisario enarratis Alciatus (vt dictum est) repugnans, nullum præterea argumentum afferat, quàm de re tanta silẽtium Procopij & Agathiæ: Quod ad Procopium pertinet, nihil est quod ex eo aliquid induci possit, cùm minimè ad hæc tempora suam historiam perduxerit: Ceterùm ipsum post historiarum volumina scripsisse librum constat, quo eiusdem Iustiniani cõprehendit vituperationes, simul & vxoris eius Theodoræ, itemq; Belisarij, atque coniugis ipsius, prout testatur Suidas: in quo quidem commẽtario ea tractata fuisse, ratio argumenti cogit existimare. Quod autem pertinet ad Agathiam, haud potuit ipse hæc pertractasse, quæ facta diximus anno trigesimoquinto ipsius Iustiniani Imperatoris, cùm eius historia annum trigesimum secundum non excedat. At de his hactenus. Ad res verò Occidentalis Ecclesiæ pietas Childeberti nos prouocat.

Hoc enim anno, qui eiusdem Childeberti Francorum Regis quadragesimus octauus numeratur inchoatus, data reperitur eiusdem Regis pragmatica sanctio de bonis à se donatis ecclesiæ sancti Vincentij, quam (vt iam diximus) sumptuosè construxit. Vt ergo memorabile antiquitatis monumentum cunctis notum fiat, quo Christianissimi Regis pietas innotescit;

A tescit; hîc ipsam integram describere, ex parte aliqua superiùs recitatam, haud erit otiosum: sic enim se habet [a]:

[a] *Apud Aim. l.2.cap.20.*

Childebertus Rex Francorum V. I.

Recolendum nobis est & perpensandum vtilius, quòd hi qui templa Domini nostri Iesu Christi ædificauerint, & pro requie animarum suarum ibidem tribuerint, vel in alimoniam pauperum aliquid dederint, & voluntatem Dei adimpleuerint, in æterna requie sine dubio apud Deum mercedem recipere merentur. Ego Childebertus Francorum Rex vnà cum consensu Francorum & Neustrasiorum; & exhortatione sanctissimi Germani Parisiorum vrbis Pontificis, vel consensu Episcoporum, cœpi construere templum in hac vrbe Parisiaca prope muros ciuitatis in terra quæ aspicit ad fiscum nostrum Isiacensem, in loco qui appellatur Leucotitio, in honorem sancti Vincentij martyris, cuius reliquias ex Hispania asporta- B uimus, ceu & sanctæ Crucis, & S. Stephani, & S. Ferreoli, & S. Iuliani, & beatissimi S. Georgij, Protasij, Nazarij, & Celsi pueri, quorum reliquiæ ibi sunt consecratæ.

DONATIO CHILDEBERT. REG. FRANC.

Propterea in honorem dominorum Sanctorum concedimus fiscum nostrum largitatis nostræ Isiacum, qui est in pago Parisiorum prope alueum Sequanæ, vnà cum omnibus quæ ibi aspiciunt cum mansis & commanentibus in eius agris, territorijs, vineis, siluis, pratis, seruis, inquilinis, libertis, ministerialibus (præter illos quos ingenuos nos esse præcepimus) cum omnibus appendentijs suis quæ ibi aspiciunt, cum omnibus adiacentijs, cum omnibus quæ nobis deseruiunt tam in aquis quàm in insulis, vel cum molendinis intra portam ciuitatis & turrim positis, cum insulis quæ ad ipsum fiscum adiacent, cum piscatoria quę appellatur Verena, cum piscatorijs omnibus quæ sunt in ipso alueo Sequanæ, sumuntque initium à ponte ciuitatis, & sortiuntur finem vbi alueolus Sauaræ veniens præcipitat se in flumen. Has om- C nes piscationes, quæ sunt & fieri possunt in vtraque parte fluminis, sicut nos tenemus & nostra forestis est, tradimus ad ipsum locum, vt habeant ibidem Deo seruientes victum quotidianum per succedentia tempora. Damus autem hanc potestatem, vt cuiusque potestatis littora fuerint vtriusque partis fluminis, teneant vnam perticam terrę legalem, sicut mos est ad ducendas naues & reducendas, ad dimittenda retia vel deducenda absque vlla refragatione & contradictione, seu iudiciaria contentione.

De argumentis * verò, per quæ aues possunt capi super aquam, precipimus vt nulla potens persona inquietare valeat famulos, sed omnia securè teneant, possideat per infinitas tempo- rum successiones, & cum areis & casis infra Parisios ciuitatem cum terra & vinea, & oratorium in honorem S. Andeoli martyris, quæ de Hilario & Ceraunio, dato pretio, comparauimus, & cum omnibus quæcumque in eo nobis deseruiunt, pro requie animæ meæ, quando D Deus de hac clarissima luce dederit discessum. Ipse fiscus qui vocatur Isiacus, cum omnibus quæ ibi aspiciuntur, ipso die ad ipsum templum Domini, quod nos ædificauimus, deseruiat, & ad omnia quæ illi sunt opus tam ad lumen quàm in Dei nomine ad stipendia seruorum Dei quos ibi instituimus, seu ad ipsos rectores qui ipsos regere habent, omnino ibi transuolant, & per longa annorum spatia ad ipsum templum Domini, quod absque contradictione vel refragratione aut iudiciorum contentione inspecta, ipsa prœceptione omni tempore proficiat in augmentum. Et vt hæc præceptio cessionis nostræ futuris téporibus firmior habeatur, & Deo auxiliante, per omnia tempora inuiolabiliter conseruetur: manibus proprijs vel nostris signaculis infra decreuimus roborare. Datum quod fecit mense Decembri, die sexto, anno quadragesimooctauo postquam Childebertus Rex regnare cœpit.] hactenus donationis tabulæ Regis Christianissimi, ex Ecclesiastica disciplina colentis cineres sanctorum E martyrum, & perpetuam requiem post obitum per eleemosynas sibi conciliantis.

* instrumentis

Porrò quod ad nobilem basilicam ab ipso Childeberto Parisijs erectam pertinet, est eiusmodi carmen Venantij Fortunati hac inscriptione notatum:

De ecclesia Parisiaca.

DE BASILI. CAS. VINCENTII.

Si Salomoniaci memoretur machina templi:
Arte licet par sit, pulchrior ista fide.
Nam quæcumque illic veteris velamine legis
Clausa fuere priùs, hic reserata patent.
Floruit illa quidem vario intertexta metallo:
Clariùs hæc Christi sanguine tincta nitet.
Illam aurum, lapides, ornarunt cedrina ligna:
Hic venerabilior de Cruce fulget honor.] hæc idcirco de Cruce, quòd

(vt vidimus) in tabulis donationis inter alias sacras reliquias lignum quoque sanctæ Crucis illic Childebertus collocandum curauit. Sed pergit: A

Constitit illa vetus ruituro structa talento:
Hæc pretio mundi stat solidata domus.
Splendida marmoreis attollitur aula columnis:
Et quia pura manent, gratia maior inest.
Prima capit radios vitreis oculata fenestris,
Artificisq; manu clausit in arce diem:
Cursibus auroræ vaga lux laquearia complet,
*Atque suis radiis & * sine Sole micat.*] His dictis, de auctore qui eam

*hac

erexit, donisque multiplicibus ditauit, hæc addit: B

Hæc priùs egregio Rex Childebertus amore
Dona suo populo non moritura dedit,
Totus in affectu diuini cultus inhærens,
Ecclesiæq; iuges amplificauit opes.
Melchisedech noster meritò Rex atque sacerdos
Compleuit laicus relligionis opus.
Publica iura regens, & celsa palatia seruis
Vnica Pontificum gloria, norma fuit.
Hinc abiens, illinc meritorum viuit honore:
Hic quoque gestorum laude perennis erit.] hæc Fortunatus post obitum (vt apparet) ipsius Ghildeberti Regis, de quo dicemus anno sequenti.

PEREGRINATIO S. GERMANI HIEROSOL. [a] *Aimoin de Gest Franc. lib. 3. cap. 9.*

Ad hanc autem spiritualibus muneribus locupletandam basilicam, ipse S. Germanus ad C loca sancta inuisenda in Orientem profectus, expetitas à Iustiniano Imperatore reliquias detulit, atque in eadem basilica collocauit: de quibus Aimoinus hæc habet [a]: Beatissimus quoque Germanus Præsul Parisiacæ vrbis ad sancta loca Hierosolymam pergens, indeque rediens, præfatum Principem, *nempe Iustinianum Imperatorem,* adijt, à quo & honorificè est susceptus. Cumque eam plurimis vellet decorare muneribus, vir Deo plenus auri & argenti spernens munera, ab eo reliquias tantummodo Sanctorum expetijt. Cuius deuotionis præfatus congaudens Princeps, de Domini nostri Iesu Christi corona spinea, simulque reliquias Innocentum, vnaq; brachium sancti Georgij martyris pro magno munere contulit. Quæ vir Dei gratanter suscipiens, ad propria redijt, & prædicta Sanctorum pignora in ecclesia sanctæ Crucis, sanctique Vincentij condidit.] hæc auctor.

DE ALIIS MEMORIIS S. VINCEN. [b] *Fortun. lib. 1. c. 8. & 9.*

Porrò quod ad reliquias ipsius sancti Vincentij martyris pertinet, viguit magnopere non D in Hispanijs tantùm, vbi passus est, sed & in Gallijs earumdem cultus: cuius rei præter cætera fidem faciunt alia eiusdem Fortunati eodē argumento scripta carmina [b], nempe de eiusdem Sancti basilica vltra Garumnam, quam S. Leontius Episcopus Burdegalensis stanno cooperuit, & de alia in Vernemete, quam idem Leontius erexit à fundamentis; vbi & recolit miraculum in eius dedicatione, martyris virtute, factum; simulq; docet toto orbe terrarum cultum S. Vincentij martyris fuisse celebrem. Sed accipe eius epigramma:

S. VINCENTII CELEBERRIMVS CVLTVS. E

Cultoris Domini toto sonus exijt Orbe,
Nec locus est vbi se gloria celsa neget.
Sed cuius meritum scimus præcurrere mundum,
Huius vbiq; viri surgere templa decet.
Ecce beata nitent Vincenti culmina summi,
Munere martyrij qui colit astra poli.
Promptus amore pio quæ Papa Leontius olim
Condidit eximio consolidata loco,
Nomine Vernemetis voluit vocitare vetustas,
Quod quasi fanum ingens, Gallica lingua refert.
Auspicij præmissa fides erat arce futura,
Vt modò celsa domus flagret honore Dei.
Hic etiam sanctus Domini suffultus amore
Virtutis summæ signa tremenda dedit.
Nam cùm templa Dei Præsul de more dicauit,
Martyris aduentu dæmonis ira fugit.

Redditur

A *Redditur incolumis quidam de parte maligna:*
Cui vidisse pia templa, medela fuit.
Emicat aula potens diuino plena sereno,
Vt meritò placeat hic habitare Deo.
Nunc specie suadente loci hac virtutis honore
Euocat hic populus: hinc decus, inde salus.
Qui plebem accendis, venerandæ conditor arcis,
Talibus officijs præmia iusta metis.] hæc ad Leontium Fortunatus. Sed & de alijs eiusdem martyris in Gallia basilicis & miraculis illic edi solitis agit Gregorius Turonensis in commentario de Gloria martyrum. At de his hæc satis.

B IESV CHRISTI ANNVS 562. IOANNIS PAP. ANNVS 3. IVSTINIANI IMP. ANNVS 36.

NOuus illuxit annus, idemque Domini quingentesimus sexagesimus secundus numeratur, atque post Consulatum Basilij vigesimus primus, decimæ Indictionis: quo religiosissimus Francorum Rex Childebertus sanctis operibus clarus ex hac vita migrauit, agens in suo regno annos quadraginta nouem. Ad hunc vsque annum saltem peruenisse ipsum, vetera scriptorum monumenta anno superiori recitata satis docent. Vnde emendes eos qui ijdem tribuunt annos quadraginta quatuor: nam præter ea quæ dicta sunt, constat C ex Fortunato ad tempora Euphronij Episcopi Turonensis atque Germani peruenisse, qui haud pridem (vt diximus) creati fuere Episcopi. Sanè quidem Aimoinus atque Papyrius qui res Francorum accuratiùs sunt prosecuti, ad dictum à nobis positum annorum numerum eumdem Regem peruenisse testantur. Porrò vbi defunctus est in erecta ab ipso basilica sancti Vincentij (quod iusserat) sepultus fuit: ad cuius sepulchrum eiusmodi inscriptio exarata legitur [a]:

CHILDEBERTI REGIS OBITVS.

[a] *Apud Aimoin. lib. 2. c. 9.* EPITAPHIVM CHILDEBER. REG.

Francorum rector, præclarus in agmine ductor,
Cuius & Allobroges metuebant soluere leges,
Dacus, & Aruernus, Britonum Rex, Gothus, Iberus:
Hic situs est, dictus Rex Childebertus Honestus.
Condidit hanc aulam Vincenti nomine claram
D *Vir pietate cluens* [*], *probitatis munere pollens,*
Amplectens humiles, prosternens mente rebelles,
Templa Dei dicans, gaudebat, bona repensans:
Millia mendicis solidorum dans & egenis,
Gazarum cumulos satagebat condere cælo.]

[*] *clarens*

Porrò idem Rex religionis propensioris cultus alia plura monumenta reliquit, nempe hospitalem domum pauperibus extructam Lugduni, cuius est mentio in Concilio Aurelianensi [b]; celeberrimum insuper monasterium Arelatense, cuius meminit S. Gregorius [c], cùm illud locupletat priuilegijs; necnon etiam monasterium Modoalense; in quo sanctus Carilephus vna cum suis monasticam vitam summa excoluit diligentia, vt eius vitę Acta [d] significant. Sed & alia multa fuisse, non dubium est, quæ nos latent.

[b] *Conc. Aurelian. 5. c. 15.*
[c] *Greg. lib. 7. epist. 111.*
[d] *Extat apud Sur. tom 4. die 1 Iul.*

E Post obitum verò Childeberti Regis Clotarius germanus eius regnum, filiabus eiectis, accepit, solusq; totius Francorum regni monarchia potitus est. Qui Parisios veniens, & in morbum repentè incidens, à S. Germano eius ciuitatis Episcopo, cuius contemptus causa ille diuinitus immissus erat, curatur. Sed quomodo id acciderit, accipe à Fortunato, dum ait [e]: Cùm S. Germanus ad glorioſum Clotarium Regem occurrisset; nec tamen de sancto viro stante ante Palatium ei fuisset indicatum: mora facta ante vestibulum, non præsentatus, domum reuertitur. At sequens nox consuetis in oratorio vigilijs ducitur: Rex dolore atque febris infestatione torquetur. Vix primo diluculo ad domum Pontificis à proceribus concursatur: pœna Regis exponitur; & vt sua visitatione Regis doloris vim mitiget, optimates deprecantur. Mox apud pietatis virum iniuriæ causa postponitur: & qui ante nec nunciabatur, intrat iam honoratus, & exoratus Palatium visitat. Tunc Rex vix assurgēs de lectulo, cæsum se diuino flagello conqueritur, allambitq; palliolum, & vestem sacerdotis deducit gaudens per loca

CLOTARIVS MONARCHIAM ADEPTVS REGNI FRANCORVM.

[e] *Fortun. in vita S. Germani c. 24. apud Sur. Tom. 3.*

OB S. GERMANI CONTEMPTVM REX AFFLIGITVR.

per loca doloris: culpam namque confessus est criminis, & sic dolor omnis fugatur. Itaque actum est, vt cuius incurrebat de contemptu periculum, sentiret de contactu remedium.] hæc Fortunatus. Porrò vbi monarchiam Clotarius Galliarum obtinuit, cùm ceteros viros sanctos, tum præcipuè sanctùm Maurum, qui à sancto Benedicto missus erat in Gallias ad propagandam vitam monasticam, coluit, multaque erga eius monachos exhibuit pietatis officia, atque contulit beneficia, quæ Mauri Acta prosecutus Faustus pluribus narrat. Pepercitq; iterum filio suo Chramno sæpiùs rebellanti Clotarius hoc anno, vbi monarchiam est consecutus; sed frustra: nam de eo ista Gregorius[a]:

[a] Greg Turon. lib. 4. c. 20.

Chramnus patri repræsentatur, sed postea infidelis extitit. Cumque se cerneret euadere non posse, Britannias petiit, ibique cum Conobio Britannorum Comite ipse & vxor eius & filiæ latuerunt. Vuilicharius autem socer eius ad basilicam sancti Martini confugit. Tunc sancta basilica à peccatis populi ac ludibriis, quæ in ea fiebant, per Vuilicharium, coniugemque eius succensa est: quod non sine graui suspirio memoramus. Sed & ciuitas Turonica ante annum iam igne consumpta fuerat, & totæ ecclesiæ in eadem constructæ desertæ relictæ sunt. Protinus beati Martini basilica, ordinante Clotario Rege, stanno cooperta est, & in illa qua priùs fuerat elegantia reparata.] hæc Gregorius: reliqua autem de Clotario suo loco.

BASILICA S. MARTINI INCENSA.

Sed ratio temporis à nobis exigit, vt doctissimum illum & æquè sanctissimum virum, decus Romanæ nobilitatis, præfecturis innumeris diutiùs illustratum conueniamus Aurelium Cassiodorum, non otiosum illum quidem, licet feriatum degentem in monasterio quod extruxit: vbi velut in portu residens post naufragia Regum Gothorum, quorum regna Prætoria præfectura curarat, Deo & litteris vacans, reliquum vitæ tempus ad obitum vsque semper aliquem fertilissimi ingenij partum edens, effœtam licet annis, fœcundam frugibus senectutem ducebat. Scribebat hoc anno Paschalem computum, & de Indictione adinuenienda currente, ac de Epacta, alijsque ad Paschalis temporis computum spectantibus. In quibus singulis disponendis quàm adamussim in omnibus idem ipse nostræ censentiat Annalium chronographiæ (quod ex alijs testibus sæpè docuimus) ipsum audi ista dicentem: Si nosse vis, quotus annus est ab incarnatione Domini nostri Iesu Christi: computa triginta sex per quindecim, fiunt quingenti quadraginta: his semper adde duodecim, & fiunt quinquaginta duo: adde & Indictiones anni cuius volueris, vt puta, decimam, vicies semel post Consulatum Basilij Iunioris: sunt quingenti sexaginta duo, &c.] ac paulo pòst: Si vis scire, quota est Indictio, vt puta vicies semel post Consulatum Basilij Iunioris: sume ab incarnatione Domini nostri Iesu Christi, id est, quingentos sexaginta duos: his semper adijce tria; fiunt quingenti sexaginta quinque. Hæc partire per quindecim; remanent decem: decima est Indictio.] hæc ipse, præsentem designans annum.

DE AVREL. CASSIODORO.

Nos igitur ab eodem Cassiodoro hæc accuratè tractante accepto hoc anno tradito Indictionis inueniendæ, numerandæque modo, singulos post hæc annos Indictionis nota signaturi sumus. Cùm enim iam propè nos deserant Consules per quos hactenus annos singulos numerare consueuimus, vel admodum infrequentes inueniantur; nihil est vt per eos annos singulos numerare possimus: vnde opus est per Indictionem periodos deducere temporum supputationem. In quo illud monendum, quòd etsi numeret Cassiodorus ab incarnatione, nos verò à natali Domini, vnus idemque annus Domini est, cùm nouem tantùm menses intercedant ab incarnationis tempore vsque ad natalem ipsius diem, idemque annus sit sub Consulatu Basilij vicies semel signatus, vt etiam numeratum eum vides à Cassiodoro. Verùm si à mense Septembri, more maiorum, numerare cœperis Indictiones: tunc fiet vt non eadem sit Indictio anni ab incarnatione numerati, & eius qui exorditur à sequenti natali Domini: sæpè enim opus erit vt vnius numero crescat annus à Domini natali notatus; sicque hic ipse annus Domini quingentesimus sexagesimus secundus, sub Consulatu Basilij vicies semel, Indictionis decimæ ab incarnatione Domini, idem sit Indictionis vndecimæ à natalis tempore. Quamobrem cùm hoc anno Indictio decima à Cassiodoro ponatur, vndecima ponenda à nobis esset, ipsa incipiente à mense Septembri eiusdem anni quingentesimi sexagesimi secundi incarnationis Domini, qui deducitur vsque ad vigesimam quintam mensis Martij anni huius, à quo tempore postea sexagesimus tertius incipit numerari.

Quoniam verò maiores nostri, qui Christi annis coniunxere Indictiones, eos non à natali Domini, sed ab incarnatione (vt vides) incipiunt numerare: nos ad euitandas perplexitates eo-

A tes eodem pariter ordine iungemus Christi annis Indictiones, ita vt præsenti anno, veluti sit ab incarnatione inchoatus, ex sententia Cassiodori decimam ponamus Indictionem. Cetera nequaquam fit prejudicium institutæ chronographiæ; cùm eodem anno & sub ijsdem Consulibus (vt sæpe dictum est) quo Christus est incarnatus, pariter & natus sit, curratque idem annus, licet non eadem Indictio, absoluta priori mense Septembri, quo & sequens inchoatur. Hæc igitur meminisse oportuit, vt in ponendis Indictionibus nostri instituti ratio habeatur. Sed ad Cassiodorum redeamus.

Vt autem tanti viri memoria nostris Annalibus pressiùs inhæreat, præter illa quæ de ipso superiùs dicta sunt, quę sunt reliqua recolamus, ne qui nobis scribentibus quamplurima suppeditauit, suumq; sæculum mirificè illustrauit, ipse obscurus prætereat, atque ingrata nimis obliuione sepeliatur inglorius. Qui igitur à tempore Theodorici Amali Regis vsque ad Vi-
B tigem itidem Italię Regem, apud ipsos Gothorum Reges florētissimè vixit, summis semper honoribus auctus; exaturatus ad nauseam vsque continuatione amplissimorum magistratuum, quo turbulentius mundi pelagus magis expertus est, eo libentius tenui cymba contulit se in solitudinem, exoptatum diu portum tranquillitatis, nempe in monasterium à se constructum, de quo ipse pluribus in libris de diuinis lectionibus [a] meminit; appellatq; ipsum monasterium Viuariense, siue Castellense, ita à loco denominatum, vbi (vt ait) piscosus amnis Pellena dictus se mittit in mare. Sanè quidem vbi iste situs fuerit qui ab ipso Cassiodoro describitur locus, haud facilis est inuentu: ex Gregorio tamen Romano Pontifice in epistola ad Ioannem Scyllitanum Episcopum, vbi positum fuerit ipsum Cassiodori monasterium, quod Castellense nominatum tradit, possumus intelligere.

[a] *Cassiod. de diuin. lect. c. 29.* DE MONASTERIO CASSIODORI.

Meminit enim ipse [b] de Castellense siue Castellience monasterio à Romanis Pontifici-
C bus priuilegijs communito, traditq; collocatum fuisse apud ciuitatē Scyllitanam. Et ne quis putet S. Gregorium de alio aliquo Scyllitano siue Scyllacæo loco esse locutum, quàm de eo qui in extrema parte Calabriæ, siue dixeris magnæ Græciæ situs est, vbi famosus Scyllæ contra Caribdim scopulus imminet, à quo ciuitas nomen accepit: satis id intelligere possumus ex alia epistola [c] eiusdem Gregorij Papæ ad Secundum Tauromenij Episcopum data, cui committit causam eiusdem Castellienſis monasterij monachorum. Esse autem Tauromenium in Sicilia ciuitatem ex aduerso littore positam, nemo ignorat. Ceterùm de Pellena amne nusquam mentionem reperimus. At ex his quæ dicta sunt, minimè induci possumus, vt credamus (quod alij dicunt) Cassiodori monasterium in Rauennate fuisse territorio collocatum. Remotiora videtur quæsisse loca, qui sæculo nuncium omnino remisit, & non vbi assiduò bella vigebant.

[b] *Greg. lib. 7. Indict. 1. epist. 33.*

[c] *Greg. lib. 7. Indict. 1. epist. 31.*

D Sed cur duo nomina vni monasterio ab ipso indita, cùm eiusmodi affixit titulum loci descriptioni, videlicet, De positione monasterij Viuarienſis, siue Castellenſis.] accipe quæ ipse in fine eius capitis habet his verbis: Si nos in monasterio Viuarienſi (sicut credere dignum est) diuina gratia suffragante cœnobiorum consuetudo competenter adiuuat, & aliquod sublimius defectos animos optare contingat: habetis montis Castelli secreta suauia, vt velut anachoritæ, præstante Domino, esse possitis: sunt enim semota & emicantia eremi loca, quando muris pristinis ambientibus probantur incluſa.] A viuarijs verò piscium Viuarienſe monasterium esse dictum, ipse superiùs testari videtur, vbi ait: Maria quoque nobis ita subiacent, vt piscationibus varijs pateant, & captus piscis, cùm libuerit, viuarijs possit includi. Fecimus illic, iuuante Domino, grata receptacula, vbi sub clauſtro fideli vagetur piscium multitudo, ita consentanea montium speluncis, vt nullatenus se sentiat captum,
E cui libertas est escas sumere, & per solitas se cauernas abscondere.] hæc de loco & nominibus monasterij.

COENOBITIS ET ANACHORETIS LOCVS APTVS.

Porrò ita ipsum optimè, ciuitatis instar, instituit, vt nihil Deo seruientibus ex ijs deesset, quę Christiano philosophanti ad rerum diuinarum contemplationem conducerent. describit ipse [d] eadem vtensilia: vbi & de lucernis ex Archimedis officina sumptis hæc mira: Parauimus etiam nocturnis vigilijs mechanicas lucernas conseruatrices illuminantium flammarum, ipsas sibi nutrientes incendiū, quæ humano ministerio cessante, prolixè custodiant vberrimi luminis abundantissimam claritatem: vbi olei pinguedo non deficit, quamuis flammis ardentibus iugiter torreatur.] & de horologijs ista mox subijcit: Sed nec horarum modulos passi sumus vllatenus ignorare, qui ad magnas vtilitates humani generis noscuntur inuenti. Quapropter horologium vobis, quod Solis claritas indicet, præparasse cognoscor; alterum aquatile, quod die noctuque horarum iugiter indicet quantitatem: quia

[d] *Cassiod. de diuin. lect. c. 29. 30. 31.* DE LVCERNIS ET HOROLOGIIS.

quia frequenter nonnullis diebus Solis claritas abesse cognoscitur, miroque modo in terris aqua peragit, quod Solis flammeus vigor desuper modulatus excurrit. ita, quæ natura diuisa sunt, ars hominum facit ire concorditer; in quibus fides rerum tanta veritate consistit, vt quod ab vtrisque geritur, per internuncios existimes constitutum. Hæc ergo procurata sunt, vt milites Christi certissimis signis admoniti, ad opus exercendum diuinum quasi tubis clangentibus euocentur.] hæc ipse. A

DE CASSIODORI BIBLIOTHECA.

Sed quod omnibus præstat, egregiam planè eisdem vitam monasticam excolentibus ibidem bibliothecam constituit, quam & in commentario Institutionis diuinarum lectionum descripsit: quo & effecit, vt (quod in eius præfatione profitetur) cùm bellis pax esset in Italia vbique turbata, ob idq; ad discendum scholæ minimè essent apertæ, ipse addiscere cupientibus doctores veluti in cathedris constituerit, cùm eorum scripta per nouem (vt ipse testatur[a]) distincta armaria ibidem collocauit. Sed audi consilium eius, quod præfando declarat his verbis: Quoniam non habet locum res pacis temporibus inquietis: ad hoc diuina charitate probor esse compulsus, vt ad vicem magistri, introductorios vobis libros istos, Domino præstante, confecerim, per quos (sicut æstimo) & scripturarum diuinarum series, & sæcularium litterarum compendiosa notitia, Domini munere panderetur.]

[a] *Cassio. Inst. diuin. lect. c. 8. & 11.*

B

AB ANTIQVIS PETENDA DOCTRINA.

Et post hæc, quid è singulis sit accipiendum libris, sic vtiliter admonet: In quibus non propriam doctrinam, sed priscorum dicta commendo, quæ posteris laudare fas est, & prædicare glorioſum. Quoniam quicquid de priscis sub laude Domini dicitur, odiosa iactantia non putatur.] & paulo pòst, non propriam, sed priscorum esse in diuinis rebus sententiam sectandam, his verbis edocet: Quapropter, dilectissimi fratres, indubitanter ascendamus ad diuinam Scripturam per expositiones probabiles Patrum, veluti per quamdam scalam visionis Iacob[b]: vt eorum sensibus prouecti, ad contemplationem Domini efficaciter peruenire mereamur. ista enim fortasse scala Iacob per quam Angeli ascendũt atque descendunt; cui Dominus innititur, lapsis porrigens manum, & fessos ascendentium gressus sui contemplatione sustentans.] hæc ipse: qui & quæ tyronem deceant, quæve prouectioribus sint proponenda, magna habita discretione, partitur.

[b] *Genes. 28.*

C

DE MVTIANO.

Præter autem sanctorum Patrum varia scriptorum monumenta, recẽtiorum lucubrationes recenset auctorum, vt Dionysij Exigui, Epiphanij, Bellatoris, Eugipij, Primasij, quorum omnium superiùs suis locis fecimus mẽtionem. Meminit & Mutiani viri disertissimi, cuius se opera vsum tradit, vt trigintaquatuor homilias S. Ioannis Chrysostomi in epistolã Pauli ad Hebræos Latinitati donaret. Porrò hunc crediderim Mutianum illum fauẽtem Quintæ Synodo & Romanis Pontificibus in damnatione Trium capitulorũ, redarguentemq. Africanos obstinatè nimis resistentes, & schismate se ab Ecclesia Catholica diuidentes: aduersus quem Facundus Hermianensis Episcopus opusculum scripsit, cuius antè meminimus.

D

DE PETRO TRIPOLITANO.

Agit præterea Cassiodorus, dum relegit suam bibliothecam, de quodam Petro Abbate in Africa; cuius scripta dum recenset, hæc ait[c]: Petrus Abbas Tripolitanæ prouincię S. Pauli epistolas exemplis opusculorum S. Augustini subnotasse narratur, vt per os alienum sui cordis declaret arcanum: quæ ita locis singulis competenter aptauit, vt hoc magis studio beati Augustini credas esse profectum *. Mirum est enim sic alterum ex altero dilucidasse, vt nulla verborum suorum adiectione permixta, desiderium cordis proprij complesse videatur: qui vobis inter alios codices, diuina gratia suffragante, de Africana parte mittendus est.] hæc de Petro Cassiodorus.

[c] *Cassio. Inst. diuin. lect. c. 8.*

* perfectum

Tu verò scito, lector, eiusdem Petri extare labores, sed Bedæ nomine editos; quod vt probaret qui præfationem præfecit operi, Bedæ quædam verba id testantia recitat ad finem (vt ait) historiæ ipsius appositа: sed cùm desiderentur illa in ipsa recentiori etiam Bedæ editione, impostura arbitror. Absit à Venerabilis Bedæ probitate, alienos sibi partus supposuisse. Sed sicut Bedæ illud opus nõ est, ita nec Flori Abbatis, cui à Sigeberto tribuitur. Quis verò eius sit legitimus auctor, satis definitam habes litem, nempe esse opus illud Petri Abbatis Tripolitani: quòd (vt vidimus) Cassiodori testificatione monstratur.

E

DE EVSEBIO NOVATIANO HAERETICO.

Inter alios autem illustres viros, quorum ibidem Cassiodorus meminit, Eusebius cæcus est nemini notus, nisi qui commentarium illum legerit. de ipso enim hæc habet[d], dum de Didymo Alexandrino agit: De Didymo quod ferebatur, mihi penè impossibile videbatur esse, cùm legerem: nisi de partibus Asiæ quemdam ad nos venire Eusebium nomine contigisset. Qui se infantem quinque annorum sic excæcatum esse narrabat, vt sinistrum eius oculum excauatum orbis profundissimus indicaret; dexter verò globus vitreo colore confusus,

[d] *Cassio. Inst. diuin. lect. cap. 5.*

A fusus, sine videndi gratia infructuosis vsibus voluebatur. Hic tantos auctores, tantos libros in memoriæ suæ bibliotheca condiderat, vt legentes probabiliter admoneret, in qua parte codicis quod prædixerant inuenirent. Disciplinas omnes & animo retinebat, & expositione planissima lucidabat.] & post alia de eius lucubrationibus: Quem tamen adhuc Nouatianæ prauitatis errore detentum, misericordia Domini suffragante, rectæ fidei credimus illuminatione complendum; vt quem scripturas suas animo fecit discere, iubeat Catholicæ fidei integritate pollere.] hæc Cassiodorus.

DE CASSIODORI SCRIPTIS.

Sed iam ipsius recenseamus Cassiodori lucubrationes, quas in eadem collocauit bibliotheca; & quo ordine scriptæ fuerint, pernoscamus. Scripsit perbreue Chronicon vsque ad annum Domini quingentesimum decimumnonũ, id Theodorico Rege petente: itemq; de rebus Gothicis duodecim libros, vt ipse tradit in Variarum præfatione: id ipsumq; & Ior-
B danus, qui eos in compendium redegit. Variarum insuper duodecim libros collectos epistolarum in eadem bibliotheca posuit asseruandos. Mox verò scripsit librum de Anima, vt ipse testatur, cùm ita exorditur[a]: Cùm iam susceptí operis optato fine gauderem, meq; duodecim voluminibus iactatum quietis portus exciperet, vbi etsi non laudatus, certè liberatus aduenera m: amicorum me suaue collegium in salum rursus cogitationis exposuit: postulans, vt aliqua, quæ tam in libris sacris, quàm in sæcularibus abstrusa compereram, de animæ substantia, vel de eius virtutibus aperirem, &c.] habet id ipsum in vndecimi libri Variarum præfatione. Porrò ex dictis etiam illud apparet, tamdiu permansisse ipsum in sęcularibus curis, quamdiu vixere illi Gothorum Reges, quibus in amplissimis præfecturarum ordinibus militabat vsque ad Vitigem; inde verò sæculo huic nuncium remisisse, atque monasterij captasse quietem: cùm iam degustans spiritalis vitæ dulcedinem, cratere potatus sapientiæ,
C hoc ore promebat, styloq; pingebat, quo erat plenus interiùs: nam in fine eiusdem opusculi: Tibi denique Domino (inquit) nobilius est seruire, quàm mundi regna capessere; quando ex seruis filij, ex impijs iusti, de captiuis reddimur absoluti, &c.]

[a] *Cassiod. in præf. lib. de anima.*

Tunc temporis etiam, hortatu Summi Pontificis, Psalmos accepit interpretandos, vt ipse profitetur, cùm ait in ipsius operis prefatione his verbis: Repulsus aliquando in Rauẽnate vrbe solicitudinibus dignitatũ, & curis sæcularibus noxio sapore conditis, cum Psalterij cælestis animarum mella gustassem, &c.] in fine autem: Quocirca (inquit) Pater Apostolice, qui cælestes litteras sanctis monitis reddidisti, præstante Deo, tua imitatione prouocatus, abyssus diuinas ingrediar.] Ea scriptione perfecta, ad Salomonis Parabolas stylum conuertit: id enim ipse pollicitus est in fine eiusdem commentarij super Psalmos: idemq; in Institutione diuinarum lectionum super Psalmos à se editas lucubrationes affirmat: sed & in Parabolas
D Salomonis meminit in prologo[b] aliqua commonuisse. Quos autem post hæc ipse ediderit commentarios, audi ipsum eosdem hoc ordine referentem[c]:

[b] *Cassiod. Instit. diuin. lect. c. 5.*

[c] *Cassiod de Orthograph. in præf.*

CASSIODORI ELVCVBRATIONES.

Iam tempus est, vt totius operis nostri conclusionem facere debeamus, vt meliùs in animo recondantur, quæ septenaria conclusione distincta sunt. Prima post commenta Psalterij, vbi, præstante Domino, conuersionis meæ tempore primum studium laboris impendi. Secunda deinde post Institutiones quemadmodum diuinæ & humanæ deberent intelligi lectiones, duobus libris (vt opinor) sufficienter impletus, vbi plus vtilitatis inuenies, quàm decoris. Tertia post expositionem epistolæ quæ scribitur ad Romanos, vnde Pelagianæ hæreseos prauitates amoui, quod etiam in reliquo commentario facere sequentes admonui. Quarta post codicem, in qua artes Donati cum commentis suis & librum de Etymologijs, & alium librum sacerdotis de Schematibus, Domino præstante, colle-
E gi; vt instructi simplices fratres, vbi necesse fuerit, similia dicta sine confusione percipiant. Quinta post librum quoque titulorum, quem de diuina Scriptura collectum, Memorialem volui nuncupari, vt breuiter cuncta percurrant, qui legere prolixa fastidiunt. Sexta post complexiones in epistolis Apostolorum, & Actibus Apostolorum, & Apocalypsi quasi breuissimas explanationes decursas. Septima ad amantissimos Orthographos discutiendos anno ætatis meæ nonagesimotertio, Domino adiuuante, perueni.] hæc ipse de suis scriptis hactenus editis.

CASSIODORI IN SENECTVTE LABORES.

In quibus omnibus sanè admirari non desino doctissimi viri incredibilem animi demissionem, facti (secundùm Apostolum[d]) omnia omnibus: etenim non quæ sua sunt quærens, sed aliorum, prima etiam rudimenta in decrepita senectute monachos veluti pueros docere voluit, & tamquam puerorum manum tenere & ad characteres rectè formandos ducere non recusauit: in eorumdem enim fratrum vtilitatem plurimum se laboris insum-

[d] *1. Cor. 9.*

pſiſſe teſtatur, vt ſecundùm orthographiam iam librariorum incuria prætermiſſam, ad vtilitatem legentium, ſacros codices reſtitueret: nam audi ipſum, dum in præfatione Inſtitutionis diuinarum lectionum hęc ait: Illud quoque credidimus commonendum, ſanctum Hieronymum ſimplicium fratrum conſideratione pellectum, in Prophetarum præfatione dixiſſe, propter eos qui diſtinctiones non didicerunt apud magiſtros ſæculariũ litterarum, colis & comatibus tranſlationem ſuam, ſicut hodie legitur, diſtinxiſſe. Quod nos talis viri auctoritate commoniti, ſequendũ eſſe iudicauimus, vt cetera diſtinctionibus ordinẽtur, &c.] Verùm licet diligentiſſimis Notarijs opus delegarit, ipſe tamen plurimũ laboris inſumpſit, vt cunctos à ſe in bibliotheca poſitos codices cũ alijs antiquis voluminibus ſedulò legendo conferret. Sed qua hęc tanta ipſe mercede? in fine operis poſita ipſius verba audi: Valete fratres, atque in orationibus veſtris mei memores eſſe dignemini, qui inter cetera & de orthographiæ virtute, & de diſtinctione ponenda (quæ nimis pretioſa cognoſcitur) ſub breuitate commonui: & quemadmodũ Scripturæ diuinæ intelligi debeant, copioſiſſimè legenda prępraraui: quatenus ſicut ego vos ab imperitorum numero ſequeſtratos eſſe volui, ita nos virtus diuina non patiatur cum nequiſſimis pœnali ſocietate coniungi.]

CASSIODORVS QVAE ETIAM SVOS DOCVIT.

Sed quid poſtea? num hic finis eius didaſcaliæ? minimè gentium. Etenim poſt hæc quos rectè ſcribendi facultatem docuit, eoſdem arte Grammatica reddere voluit diligenter excultos dum eiuſdem de eadem Grammatica librum cõſcripſit: ſed & poſtea de Rhetorica breue adiecit compendium, de Dialectica etiam copioſius volumen, nec non de Arithmetica, de Muſica, de Geometria, & Aſtronomia, non euaneſcens quidem in philoſophorum ſententijs, ſed de ea perſecutus, quæ lectorem ſobrium reddant ac pium: nam hæc habet in fine libri de Aſtronomia: Nobis ſufficit, quantum in Scripturis ſacris legitur, tantum de hac arte, *nempe Aſtronomia*, ſentire: quia nimis indecorum eſt, hinc humanam ſequi ſententiam, vnde quantum nobis expedit, diuinam noſcimur habere doctrinam.] hæc ipſe, exploſa penitus à Fidelium corde ea, quam iudiciariam dicũt, Aſtronomia, euenta hominum præſignante. Ad poſtremum autem libellum addidit de Paſchali computo, quem hoc ab eo anno eſſe elucubratum, ex annorum numero poſt Baſilij Conſulatum deſignato (vt dictum eſt) ſatis manifeſtè apparet: an autem poſt hæc aliquid ſcripſerit, nobis ignotum; quantumque vitam duxerit, pariter incompertum; ſed propè centenarium ex hac vita migraſſe, ex dictis poſſumus opinari.

[a] *Caſſiod. in præfat. Variar.*

RELIQVAE CASSIODORI ELVCVBRATIONES.

Quod autem ad reliquas ſuperiùs non numeratas Caſſiodori lucubrationes pertinet: ante duodecim libros Variarum ipſe de ſe teſtatur [a], dixiſſe panegyricos Regibus atque Reginis; inſuper Eccleſiaſticam hiſtoriam ex Socrate, Sozomeno, atque Theodoreto tripartitam contexuiſſe, ijſdẽ auctoribus (vt ipſe affirmat) ab Epiphanio in Latinum verſis. Addidit de Schematibus & tropis libros duos, quos ante libros de Orthographia poſitos habes. Sic igitur, qui vegetiorẽ ætatem in optima regni gubernatione vtiliter honorificeq. conſumpſit, nec in decrepita ſenectute labores ad res diuinas cõuerſos vel minimum intermittẽs, in ſuo monaſterio tandem ſancto fine quieuit, ad monaſterij curam duobus præfectis Abbatibus viris ſanctiſſimis, Chalcedonio ſcilicet atque Geronio, quorum alter Viuarienſibus cœnobitis, Caſtellenſibus alter præeſſet ibidem iunctis anachoretis. At de Caſſiodoro ſatis.

IESV CHRISTI ANNVS 563. IOANNIS PAP. ANNVS 4. IVSTINIANI IMP. ANNVS 37.

IVSTINIAN. IMP. LAPSVS.

QVingenteſimo ſexageſimotertio Chriſti anno, poſt Conſulatum Baſilij vigeſimoſecundo, numerari cœpto Indictionis vndecimæ, noui de fide tumultus Eccleſiam Conſtantinopolitanam perturbant, cùm ſe Iuſtinianus Imp. infelix in hæreſim præcipitem dedit. Hunc tandem conſecuta eſt finem reprehenſibilis Imperatoris curioſitas, atque temeritas in miſcendis ſacris, ſummus velut Antiſtes eſſet. Qui igitur compoſitam à prædeceſſore Iuſtino pacem inuenit, fidemq; Catholicam ſtabilitam, vndique compreſſis hæreticis; dum quæ ſunt ſacerdotum ſibi nimium arrogat, & Pontificum partes vſurpat, pacem profligat, fidemq; in diſcrimen ſæpe adducit, atque tandem penitus labefactat. Ita planè homini accidit non quæ ſunt Cæſaris tantùm ſibi ſumenti, ſed & quę Dei procaciter vſurpanti. Sed hęc quomodo ſe habuerint, videamus.

Vbi ſe-

VNDE IVSTINIANO RVINA.

A Vbi semel pacis & concordiæ Ecclesiasticæ ineundæ velamento cœpit Iustinianus Imperator cum hæreticis habere consuetudinem, quos procul pellere, & more Catholicorum Imperatorum in exilium mittere debuisset: planè accidit, vt eorum venena minùs cautè vitarit: dumq; aduersantes sibi Romanos Pontifices (vt vidimus) auersari cœpit & persequi, factum est, vt tum maiorem fiduciam conciliaret hæreticis, tum etiam aduersus eos clamantium ora Orthodoxorum obstruxerit, ex quibus partes hæreticorum redditæ fuerint firmiores. Sed & quòd ijdem essent inter se conflictates hæretici adinuicem separati: æquè factum est, vt (quod consueuit in ludis Circensibus) alteri ipsorum parti aduersus alteram fautorem se Imperator addixerit, sicuti magnis animis summoq; conatu aduersus Venetos Prasinis stultè studuisse meminimus.

HÆRETICI INTER SE CONTRARII.

Erat vtraque pars ex Eutychianorum secta progrediens; quarum altera Corrupticolarum
B siue Gaianitarum, altera verò Aphthardocitarum, siue Incorruptibilium, vel Phantasiastarum nominabatur; quarum altera à Seuero, à quo & Seueriani heretici dicti fuere; altera verò à Iuliano pseudoepiscopo Halicarnasseo eodem tempore & loco, nempe Alexandriæ principium duxit, prout suo loco ex Liberato [a] diacono & Leontio Scholastico [b] ambobus suorum temporum rerum scriptoribus dictum est. Testatur verò Leontius, præualuisse sententiam Aphthardocitarum; ex quo factum esse, vt pulso Theodosio hæretico Eutychiano Episcopo Alexandrino Corrupticolarum fautore, in locum eius subrogatus fuerit Gaianus potentissimus defensor incorruptibilitatis, à quo eius sententiæ sectatores dicti fuerint Gaianitæ. Hi enim sic incorruptibilem & passionum expertem penitus Christi carnem dicebant, vt tamen, si voluisset, eamdem subijcere passionibus valuisset.

[a] *Liber. diac. in Breu. cap. 19. 20.*
[b] *Leont. de sectis sect. 5. & 10.*

ECCLESIAE CATHOLICÆ SENTENTIA.

At contrarium omnino profitetur Ecclesia Catholica, ita assumptam à Deo carnem pas-
C sionibus absque peccato fuisse subiectam, vt tamen si voluisset, vel quando voluisset, ab eisdem se liberum reddere potuisset: quamobrem qui erant in carne Christi eiusmodi naturales affectus, non passiones, sed propassiones Theologi Orthodoxi nominauerunt, nempe vt cùm vellet ipse, tantùm insurgerent; & si nollet, nequaquam ipsi dominarentur. Ex priori autem sententia illud deducebatur absurdum, vt vna tantùm esset in Christo voluntas: ex posteriori autem recta illa Catholicaque assertio, vt sicut duæ prædicantur in Christo naturæ, ita pariter & duæ voluntates affirmarentur. Quamobrem factum est, vt ex illa priori sententia exorta fuerit Monothelitarum hæresis, quæ diu multumque Ecclesiam Catholicam perturbauit, vt suo loco dicturi sumus. Porrò eo magis culpanda fuit horum hæreticorum de incorruptibilitate sententia, quo eam scire potuissent in Hilario esse damnatam non à recentioribus tantùm, sed & à Claudiano [c] Mamerto Episcopo Viennensi; licet
D in meliorem sensum Hilarij dicta recentiores [d] acceperint, excusetque idem Claudianus virum sanctissimum.

[c] *Claud. de statu animæ lib. 2. c. 11.*
[d] *Magist. sent. lib. 3. dist. 15.*

Contraria verò sententia dicentium Verbum corpus suscepisse passionibus subditum, in eo à Catholicis discrepabat, quòd id illi necessitate incubuisse traderent, vt etiam si noluisset, illis inseruire cogeretur: vnde & in illam deteriorem prolapsi sunt hæresim, qua ab ignorantia dicti sunt Agnoitæ, vtpote qui dicerent nesciisse penitus Christum iudicij magni tempus; quod scilicet ignorantiæ passio ita ipsi inhæserit, vt quod nesciret sui natura, eadem nosse minimè potuisset. Sic igitur ab vno eodemq; Eutychianæ hæresis lutoso fonte turbidos hos videas riuos Corruptibilium & Incorruptibilium hæreticorum manasse, rursumq; ex illo Agnoitarum, ex isto autem Monothelitarum esse hæreses propagatas: Cùm è contrà Catholica Ecclesia cœnosos hosce Ægypti lacus declinans, bibens aquã (vt monuit [e] Sa-
E piens) de cisterna sua, eamdem in plateas deriuans, sic asseruit atque docuit Christi corpus subditum fuisse passionibus, vt nonnisi volentem illæ eumdem appetere possent. vnde & olim Propheta [f]: Oblatus est, quia ipse voluit.] & sic in eodem duas nouit & docuit voluntates, vt tamen quæ esset secundùm humanam naturam ei quæ secundùm diuinam in omnibus & semper subditam esse nosset.

[e] *Prouer. 5.*
[f] *Isai. 53.*

Iustinianus igitur vbi semel de dogmatibus edicta sanciendi sibi arrogauit auctoritatem, ad huiusmodi dirimẽdas quæstiones haud more maiorum Orthodoxorum Imperatorum consulendam sibi putauit Apostolicam sedem (sicut antea sæpe ipsum fecisse vidimus) neque coacto aliquo prouinciali saltem Concilio, quid sentiendum esset explorauit Patrum sententias: sed quid ab vniuersa Catholica Ecclesia credendum, atque prædicandum foret ab omnibus Orthodoxis, super omnes Episcopos eleuans sibi thronum, non secus ac Antichristus in templo Dei erigens sibi cathedram, & extollens se supra id omne quod colitur,

de ſtabilienda perfidia leges ſacrilegas ſancit, atque de hæreſi conſcribit edicta : vt planè lu- A
[a] *Hierem. 2.* gubre illud Hieremię [a] fuerit omnibus Orthodoxis eximo corde ductis ſuſpirijs exclamandum: Obſtupeſcite cæli, & portæ eius deſolamini] ob tam grande peccatum Imperatoris, cùm relinquens venam aquarum viuentium, effodit ſibi ciſternas diſſipatas.

Viſum planè tunc fuit in Eccleſia contra Eccleſiam monſtrum illud triceps, quod adeò
[b] *Eccli. 25.* odio dignum & execrabile eſſe Eccleſiaſticus [b] monuit, vbi ait: Tres ſpecies odiuit anima mea, & aggrauor valde animæ illorum: pauperem ſuperbum, & diuitem mendacem, & ſenem fatuum & inſenſatum.] Ita planè apparuit Iuſtinianus, qualem fabulæ fingunt fuiſſe tricorporem Gerionem, cùm in ſe tria hæc adeò deteſtanda coniunxit: dum videlicet cùm pauper eſſet, immo pauperrimus expers penitus litterarum, cui nec ad legendum (vt aiunt) ipſa elementa ſuppeterent, nihilominus voluit omnium videri doctiſſimus Epiſcoporum, & quem ſequi deberet vniuerſa Eccleſia, cui non veretur doctrinam ſuam prę ſcribere, & ne B
quis contradicere audeat, ſua prohibere potentia: ex quo & diues ille mendax apparuit, de
[c] *Eccli. 13.* quo eſt illud etiam Sapientis [c]: Locutus eſt diues, & omnes tacuerunt, & verbum illius vſque ad nubes perducent.] Sed & cùm reſpuit conſilia ſeniorum, planè ſenex cognitus eſt
[d] *Eccli. 25.* fatuus & inſenſatus: nam è contra ſubdit Eccleſiaſticus [d]: Quàm ſpecioſum caniciei iudicium, & preſbyteris cognoſcere conſilium? Quàm ſpecioſa veteranis ſapientia, & glorioſis intellectus & conſilium? Corona ſenum multa peritia, & gloria illorum timor Dei.] Sic igitur incautè miſer tunc lapſus eſt iam ſenex, cùm ceteri, licet deſipuerint in iuuentute, ſapere ſaltem in ſenectute incipiunt.

Vtinam probroſa hæc poſſent aliqua excuſatione purgari: cùm enim eius in hæreſim lapſus tam Græci quàm Latini auctores omnes ſint teſtes, omneſq; pariter facinus deteſten-
[e] *Niceph. lib. 17. c. 29.* tur, vnus tantùm Nicephorus [e] crimen ab eo admiſſum his verbis attenuat : Hæc ipſa eſt C
Aphthardocitarum hæreſis, qua multi mortales ſunt correpti, non ſolùm ex his qui honores & magiſtratus geſſerunt, ſed & Hierarchæ primarij, & monachi vita illuſtres, & ex ſacerdotali ordine alij, atque adeò etiam ipſe Imperator Iuſtinianus : & is plurimùm opinioni ei inhæſit, non ille altiùs dogma tale inueſtigans, verùm verbi ipſius ſignificationi acriùs inſiſtens, videlicet quòd haudquaquam tale quiddam de Chriſto propter ſummum ipſius erga illum amorem & deſiderium audire conſtituerit] nempe vt carnem corruptibilem paſſionibus obnoxiã idem ſuſcepiſſe diceretur. at ſubdit : Princeps enim iſte tanto in Chriſtum pietatis ardore flagraſſe, ab eis qui res illius memoriæ poſteritatis mandarunt, dicitur, quanto alius ex ijs qui ante eum Imperium obtinuerunt, ter maximo illo Conſtantino ſemper excepto. Itaque propter vehementem in Chriſtum amorem, illius gratia, multa etiam violenter fecit : Hebræos namque Paſcha ante Chriſtianos celebrare paſſus non eſt, &c.] D
hæc quidem Nicephorus: verùm & ipſe hac ex parte (venia ſit dictum obtenta) fatuus iudicandus, qui putauit ex nimio in Chriſtum amore poſſe aliquem aduerſus Chriſtum eiuſq; Eccleſiam hæreſes promulgare. Charitas enim nõ agit perperam, nec quærit quæ ſua ſunt.]
[f] *1. Cor. 13.* iuſtiùs excuſaſſet, ſi quod ait Apoſtolus [f], de ipſo dixiſſet: Teſtimonium illi perhibeo, quòd zelum habuit, ſed non ſecundùm ſcientiam.]

Qui igitur ſemel imbibit de incorruptibilitate ſententiam, ita ebrius factus eſt, vt mente motus quid de ea ſententia vellet vt vniuerſa Catholica ſentiret Eccleſia, conſcripſerit
[g] *Euag. lib. 4. cap. 38.* edictum; de quo iſta Euagrius [g]: Iuſtinianus edictum ſcripſit, quo aſſeruit corpus Domini non fuiſſe obnoxium internecioni, neque affectionum illarum quæ naturaliter inſitæ ſunt, inque nullam incurrunt reprehenſionem, particeps eſſe, & Dominum eodem modo ante paſſionem comediſſe, quo poſt reſurrectionem comedit, & corpus eius ſanctiſſimum nul- E
lam conuerſionem, mutationémve, vel ex formatione quæ in matrice facta eſt, vel ex voluntarijs naturalibúsve affectionibus accepiſſe, immo ne poſt reſurrectionem quidem.]
hæc ex eius conſcripto edicto ſummatim eſt complexus Euagrius. Sed quomodo ad id
ANASTASII ANTIOCH. ORTHODOXI SENTENTIAM EXPECTANT. compellere niſus ſit ſacerdotes, & quomodo reſilierint Orthodoxi, mox ita ſubdit : Quibus opinionibus vt ſacerdotes & Epiſcopi vbique aſſentirentur, compellere inſtituit. At omnes ſe Anaſtaſij Epiſcopi Antiochiæ ſententiam expectare reſpondendo, primum illius conatum repulerunt.] Magni tunc nominis erat inter omnes Orthodoxos Antiſtites Anaſtaſius Sinaita ex eremo Sinæ montis petitus tum ob eminentem vitæ ſanctitatem, tum etiam ob eximiam viri doctrinam vbique in Oriente ſpectatam; de quo idem Euagrius iſta mox ſubijcit:

Anaſtaſius vir quidem erat cùm in ſacrarum litterarum cognitione apprimè diſertus,

tum

A tum in moribus & tota vitæ ratione adeò exquisitus, vt etiam rerum leuicularum magnam curam haberet, inque illis nec à constanti & stabili animi sui proposito decedere vellet, nedum à rebus maximi momenti & ponderis, & quæ ipsum Deum viderétur attingere. Quin etiam ita suum temperauit ingenium, vt neque propter lenitatem animi atque comitatem nimis facilè his rebus, quæ minùs rationi consentientes erant, cederet; neque propter seueritatem & inclementiam ægrè his, quas recta ratio postulabat, assentiretur. Ac rebus serijs audiendis eius patebant aures, & vt sermone profluens, ita in quæstionibus dissoluẽdis acutus & perspicax: rebus autem ineptis & nullius momenti occlusit aures: linguam verò sic freno cohibuit, vt & sermonem ratione moderaretur, & silentium loquela præstabilius efficeret. Istum tamquam turrim munitissimam oppugnare omni machinarũ genere aggressus est: illud scilicet complectens animo; se, si istum euerteret, nullo labore ciuitatem totam
B occupaturum, recta fidei dogmata redacturum veluti in seruitutem, & oues Christi denique captiuas ab Ecclesia abducturum.] Assensus est petitioni Episcoporum Orthodoxorum Iustinianus Imperator, sperans fore, vt datis ad eumdem Anastasium ipse litteris, eum mox in eamdem quam ipse fouebat sententiam perduceret, stultè credens eumdem Anastasium id genus esse Episcopum, qui Imperatoris gratiam quibuslibet dogmatibus anteferret. sed quàm deceptus sit Imperator, Euagrius ita subdit [a]:

QVALIS ANASTASIVS ANTIOCHÆ

Verùm Anastasius sic diuina quadam animi celsitate elatus fuit (nàm supra firmam petram constitit) vt Iustiniano per litteras suas liberè & apertè contradiceret, tum perspicuè admodum, tum disertè ostenderet, Apostolos & sanctos Patres confessos esse atque adeò tradidisse corpus Domini internecioni obnoxium esse, & affectionum quæ sunt natura in animis impressæ, quæque reprehensione carent, particeps. Eodem modo etiam monachis
C Maioris & Minoris Syriæ de hac re scisscitantibus sententiam respondit: omnes cõfirmauit mentes, ad certamen ineundum præparauit. In ecclesia denique lectitauit quotidie illam Pauli vasis electionis sententiam: Si quis vobis Euangelizauerit præter id quod accepistis, etiam si Angelus de cælo sit, anathema esto. Quibus omnes, paucis exceptis, assensi, simile studium erga fidei defensionem declararunt.]

[a] *Euagr. eod. lib. 4. c. 39.*

ANASTASIVS REPVGNAT IMPERATORI.

Iustinianus autem cùm litteras Anastasij perlegisset, intellexissetq. violentia sibi agẽdum fore, si vellet turres eiusmodi expugnare, ne euanescceret quod scripsisset edictum: exilium omnibus Episcopis contradicentibus comminatur. Cùm itaque & ipse Anastasius esset eadem ex causa subiturus exilium, ante profectionem suos armandos putauit ad prœliũ, data ad eos epistola, de qua subdit his verbis Euagrius: Idem verò Anastasius, cùm accepisset Iustinianum velle ipsum in exilium mittere; scripsit ad Antiochenos orationem, quâ eorum
D animos in fide confirmaret: quæ certè tum ob sermonis elegantiam, tum ob crebritatẽ sententiarum, tum ob testimoniorum è sacris litteris petitorum frequentiam, tum denique ob historiam quæ tam cõmodè in ea narrata est, optimo iure sanè permagni facienda est.] hucusque Euagrius. At egregium tanti viri opus hactenus latere dolemus. Quid autem post hęc aduersus renitentes Episcopos Iustinianus molitus sit, dicturi sumus anno sequenti.

IVSTINIANI PERSECVTIONEM INSTITVIT.

At Deus tantum Imperatoris lapsum aliquo non prætermisit statim admonere flagello: siquidem ipsa Constantinopolitana ciuitas hoc ipso anno conflagrauit; eodemque incendio conflagrasse præcipuam domum hospitalem Samsonis & complura alia ædificia ac monasteria & ecclesias, auctor est Cedrenus: qui in eadem ciuitate à trigesimoquarto Imperatoris anno vsque ad trigesimumseptimum diuersis in locis eamdem vrbem tertiò incendium passam affirmat, magno ciuium damno. Sed nec tot incendijs purgata scoria, ci-
E uitas pura mansit, polluta vbique ab hæreticis atque alijs sceleratis hominibus pacem publicam perturbantibus.

INCENDIVM CONSTANTIN.

Sed quid accidit? dum Imperator in Oriente à Catholica fide deficiẽs insequitur Orthodoxos (ô mirabile diuinæ prouidentiæ signum!) in Occidente qui erat hæreticus ad fidem conuersus Princeps, colligit Catholicos Episcopos, per quos Concilium celebrat, quo damnentur hæreses cum hæreticis. Hoc enim ipso anno, qui tertius Theodomiri Sueuorum Regis numeratur, idem Princeps celebrari curauit Concilium Bracharense in totius Galliciæ metropoli ciuitate. Porrò in editis ibi canonibus, loco Theodomiri, Ariamirus positus est, qui eius filius fuit. Præfuit autem Synodo Lucretius Bracharensis Episcopus, qui successit Profuturo, præcessit autem Martinum. Est ipsius Synodi eiusmodi exordium: Anno tertio Ariamiri * Rgis, Kalend. Maij, cùm Galliciæ prouinciæ Episcopi, &c.]

CONCILIVM BRACHARENSE.

* Theodomiri

In hoc autem Concilio primùm omnium ex præscripto Apostolicæ sedis damnata est hæresis

ARBITRIO ROM. PONT. CVNCTA DEFINITA.

hæresis Priscillianistarum, & aliorum hæreticorum errores, capitulis decem & septem Sed sicut fides recta sancita est ex Apostolicę sedis institutione, ita pariter ex eiusdem scriptis datis ad Profuturum Episcopum Lucretij prædecessorem, quæ spectarent ad Ecclesiasticam disciplinam vigintiduobus regulis sunt instituta. De litteris autem à Romano Pontifice ad Profuturum antea datis ita ibi testati sunt Patres: Si quid est illud magnum vel paruum, quo variari videmur: ad vnam (sicut dictum est) formulam, præfixis rationabiliter capitulis, reuocetur: præcipuè cùm & de certis quibusdam causis instructionem apud nos sedis Apostolicæ habeamus, quæ ad interrogationes suas quondam venerandæ memoriæ prædecessoris tui Profuturi prudentia ab ipsa beatissimi Petri accepit cathedra.] lecta est ipsa ibi epistola Romani Pontificis, quam se omnes sequi professi sunt, in ipsis præsertim sacris ritibus, & inter alia ita de Missa [a]:

[a] Conc. Brachar. 1. c. 22.

Item placuit, vt eodem ordine Missæ celebrarentur ab omnibus, quo Profuturus quondam huius metropolitanæ Ecclesiæ Episcopus ab ipsa Apostolicæ sedis auctoritate accepit scriptum.] ita quidem more maiorum vsus semper ille viguit in Ecclesia Catholica, qui ab exordio ipsius incipiens, idem ad posteros propagatus semper est, nempe vt ad Apostolicam sedem, ipsam Romanam Ecclesiam veniant omnes longè lateq; per Orbem vniuersum sitæ Ecclesiæ, vt ab eadem tum de fide, tum de his quæ ad sacros ritus necnon ad Ecclesiasticam disciplinam pertinent, erudiantur.

Quò insuper ab omni hæresis suspicione Dei ministri procul abessent, audi quid fuerit ab ijsdem sanctis Patribus salubriter institutum [b]: Item placuit, vt quicumque in clero cibo carnium non vtuntur, pro amputanda suspicione Priscillianæ hæresis, vel olera cocta cum carnibus tamen prægustare cogantur. Quod si contemserint, secundùm quod de talibus sancti Patres antiquitus statuerunt, necesse est pro suspicione hæresis huius hos excommunicatos ab officio omnimode remoueri.] Hoc planè sibi laudis vendicauit semper Ecclesia Catholica in Hispania, vt non ab erroribus tantùm, sed & à suspicionibus esse voluerit suos immunes. Quo factum est, vt & hoc ipso nostro sæculo, cùm longè lateque facibus hæreticorum Orbis inflammaretur, ipsa illæsa perstiterit, accurrentibus summa celeritate Dei ministris, si vel tenuem suspicionis scintillam, vel si non ignem, fumum saltem viderint latentis ignis indicium, ipso præcipuè Catholico Rege super omnes in opus nauiter incumbente.

[b] Eod. Concil. c. 32. HISPANICAE ECCLESIAE LAVS.

[c] Eodē Concil. c. 36.

Sed & illud ex sanctis hîc legibus [c] velim obserues, hactenus perseuerasse veterem vsum, ne in ecclesijs corpora defunctorum sepelirentur: sanctorum tantummodo martyrum vel confessorum sepulturæ ecclesia tunc temporis seruabatur. Hinc pluribus S. Gregorius Papa epistolis admonet, summopere cauendū esse, ne in ea quæ dedicanda foret ecclesia, aliquod corpus hominis cuiuslibet, licet Christiani, humatum esset. Quando autem, quáve ratione fuerit deinde concessum, vt intra Ecclesias Fideles sepelirentur, suo loco dicturi sumus. Statutis igitur canonibus quadraginta, quos tu consulas, Episcopi octo numero subscripsere.

IESV CHRISTI ANNVS 564. IOANNIS PAP. ANNVS 5. IVSTINIANI IMP. ANNVS 38.

INSEQVITVR IVSTINIANVS CATHOLICOS.

QVi sequitur annus Christi quingentesimus sexagesimusquartus, idem vltimus est Iustiniani Imperatoris, atque postremus qui post Consulatum Basilij numeretur vigesimustertius, Indictionis duodecimæ: Quo ipse Iustinianus Imperator, vbi elaboratum à se edictum contemni ab Orthodoxis & prò nihilo duci percepit, ira exæstuans magnam aduersus Catholicos Episcopos persecutionem commouit: quos enim habuit consultores ad impietatem statuendam, eosdem inuenit instigantes aduersus resistentes Antistites. Non enim sibi (vt aliàs fecerat) visum est ea de causa cogi debere Concilium, cùm sciret non Antiochenum tantùm, sed & Constantinopolitanum Patriarcham, atque alios primarum Ecclesiarum Episcopos fore totis viribus impietatem oppugnaturos, nec vllo modo passuros, vt eiusmodi prauum dogma decretis Synodalibus probaretur, quod tamquam idolum nulla ratio sed sola Imperatoris auctoritas erectura erat in Dei templo.

IVSTINIANI IGNORANTIA PRAVAE DISPOSITIONIS.

Neque etiam (quod antè sæpe fecerat, cùm aliqua oboriretur Ecclesiastica cōtrouersia) voluit de re tanta consulere Apostolicam sedem, quam aduersariam sibi fore haud dubijs signis

A sighis intelligebat: quin potiùs ipsi celandum esse putauit; ne scilicet, si resciisset, more consueto, eidem inconcessa tentanti Pontificia auctoritas restitisset, cohibuisséque quod iam aggressus facinus esset; scripsisséque ad Episcopum, clerum, populumque Constantinopolitanum & alios, omnes hortans aduersus emergentem hæresim ad mortem vsque certare; iussisséque pariter conuocari ea de causa Episcopos, atque celebrari Concilium: hæc, inquam, omnia vt vitaret Imperator, noluit de ijsdem ex more certiorem reddere Romanum Pontificem.

Quòd igitur omnis qui malè agit [a], odit lucem, ne eius praua opera arguantur: agi cuncta voluit Imperator summo silentio, nolens penitus intelligere vt benè ageret, secundùm illud Dauidicum [b]: Iniquitatem meditatus est in cubili suo, astitit omni viæ non bonæ] non alios quàm complices erroris adhibens in consilium. Rescíuerit ne per suum Apocrisarium B ista Ioannes Romanus Pontifex, haud exploratum habetur: periere enim eiusdem Pontificis totius ipsius Pontificatus scripta, ac reliqua monumenta. Quicquid sit, illud quidem constat, absque Episcoporum assensu Imperatorem hæresim comprobasse, eamdemq; scripto edicto firmasse, & in Episcopos persecutionem haud mediocrem commouisse: cuius primus passus est impetum, qui proximè aderat ipsi contradicens Eutychius Constantinopolitanus Episcopus, cuius res gestas cum Imperatore Eustathius eius Vitæ auctor scriptis mandauit: nos autem cuncta reddemus verbis ipsius, quibus eiusmodi narrationem instituit [c], ab exordio lapsus ipsius Iustiniani Imperatoris historiam texens, sui temporis rerum gestarum scriptor:

[a] *Ioan. 3.*

[b] *Psal. 35.*

[c] *Extant eius Acta die 6. Aprilis apud Sur. tom. 1.*

DE REBVS GESTIS EVTYCHII PATRIARCHAE CVM IMPERATORE.

Scitis vos omnes (inquit) qui pij Imperatoris Iustiniani diuinorum dogmatum studium meministis; quomodo is in eam potissimùm curam incumberet, vt omnes hęreticorum ra- C tiones vnà cum ipsis hæreticis improbaret & euerteret: quod quidem fecit tum argumentis & demonstrationibus, tum testimonijs Scripturarum. Hic, nescio quo auctore & magistro, cœpit execrabilẽ ac detestandam & pernicioſam opinionem illam sub specie religionis probare, quæ Domini nostri Iesu Christi corpus ex ipsa diuinitatis coniunctione incorruptum asserebat: quæ quidem vt cancer serpens atque depascens, totum prope Orbem perdidisset, nisi noster Phinees anteuertens restitisset. Sed quod huic morbo remedium adhibitum est? Sanctorum Apostolorum, Prophetarum atque doctorum testimonia, & demonstrationes sunt multæ, quibus vsus est ille ad pestiferum illum morbum opprimendum.

DE INCORRVPTIONE ERROR.

Pernicioſa omnino pestis est, affirmare incorruptum fuisse Domini nostri Iesu Christi corpus ante resurrectionem. Quis adeò stultus est, vt Domini corpus ex eo quod cum diui- D nà natura copulatum fuit, incorruptum asserat; cum hoc concesso, colligendum sit necessariò fictam & simulatam humanæ carnis susceptionem extitisse? Quomodo enim incorruptum corpus pati potuit, aut circumcidi, aut pannis inuolui, aut lacte nutriri? Quæ si illam vitæ largitricem carnem subijsse credimus; crucem item & clauorum foramina & lanceæ vulnus confiteri oportet. Incorruptum igitur de illo dici non potest: nisi per hoc verbum intelligamus, corpus illius nulla vmquam fuisse peccati macula contaminatum, aut in sepulchro non esse dissolutum. Verùm hæc à magno diuinoque doctore Eutychio scriptis studiosè sunt & acriter disputata. Ex quibus, si quis veritatem ignorat, facilè eam poterit intelligere. Longiores essemus, si ea vellemus persequi. Videamus igitur, quid posteaquam Patrum attulit testimonia, consecutum sit.] hęc de disputatione, qua Eutychius redarguit Imperatorem; abduxisséque eum fortasse poterat ab errore, in quem sese præcipitem dederat, nisi in eo veluti quibusdam vinculis obligatus fuisset quàm arctissimè ab illis qui ei assiste- E bant hæresis eius defensoribus Episcopis.

THEODORVS CAESARIENSIS AVCTOR ERRORIS IMP.

At quinam isti fuerint, licet à nemine expressum inuenerimus: ex eo tamen quòd idem Eustathius prosecutus res gestas eiusdem Eutychij cum Imperatore (vt dicemus) hos fuisse testetur, qui præcipui defensores essent Origenis errorum: facilè quidem & absque calumnia affirmare poterimus, horum antesignanum fuisse Theodorum illum nequissimum Cæsareæ in Cappadocia Archiepiscopum, quem mirum in modum fauisse ostendimus Origenis hæresibus; eiusq; causa vniuersum concussum vidimus Orientem, dum olim in odium Pelagij Romanæ Ecclesiæ Apocrisarij Constantinopoli exurgentis atque damnare curantis vniuersos cum auctore Origenis errores, ipse ex aduerso contra Chalcedonense Concilium occultè se erigens, famosam illam de Tribus capitulis excitauit in Ecclesia quæstionem, qua tantopere, tantoque tempore Catholicam Ecclesiam perturbauit, atque hactenus perturbare minimè quieuit.

Hic igitur nefandissimus, totius Ecclesiæ pestis, postquam totum id quod tamdiu molitus fuerat, esset de Tribus capitulis consecutus, cùm etsi faciem præseferret Antistitis Orthodoxi, omniumq; maximè pij, re vera tamen hæreticus esset, non Origenis tantùm erroris assecla, sed & Eutychianæ blasphemiæ vehementissimus propugnator, sensim rudem rerum sacrarum Imperatorem in quam voluit flexit opinionem: vbi enim semel de homine isto nequam optimam ipse Imp. concepisset æstimationem, eius semper inhærere vestigijs summam putauit esse religionem: ita miser cæcus cæcum sectans, cum ipso pariter mergitur in profundum. Fuerunt nescienti sacras litteras ad errorem illecebrę ipsius nominis pulchritudo, nempe ipsa de incorruptibilitate sententia, vt dignius putaret asserere incorruptibile, quàm contrarium affirmando inter detestabilis nominis hæreticos Corrupticolas numerari: ita planè rem tantam sono vocis definiés imprudenter, sicut Ariani olim à fide Catholica homines absterrere solebant, dum voce exotica Catholicos nominarent Homousianos. Sicque Theodorus verſutus homo, vt puerum larua, absterruit à contraria sententia Iustinianum Imperatorem, atque in hæresim captiuum abduxit.

INCAVTVS DECEPTVS SONO VOCIS IMP.

Habes igitur de auctore atque malorum omnium concinnatore Theodoro Cæsariensi assertam sententiam: reliquos autem qui ad malum accesserint adiutores, ex superiùs dictis quisque poterit reperire, eos scilicet quos ad alias miscendas discordias idem asciuerat sibi sodales: facile enim est, auctore inuento, reliquos prauitatis eiusdem peruestigare cõsocios: ad malum namque praui homines vt spinæ [a] sese inuicem complectuntur. Quos omnes cùm optimè Eustathius nosset, cur non expresserit, ea fuisse causa videtur, quòd cùm suorum temporum eam ipse historiam scriberet, superstites etsi ipsi non essent, eorum tamen propinqui, ijdemq; pietatem magnopere præseferentes, viuerent; quinam hi fuerint, maluit ex quibusdã notis notos ipsos relinquere, quàm inuidiosè nominatim exprimere, haud tamen numeros omnes scribentis historias in hoc implés: sed nec illos voluit proprio nomine significare, qui magistratibus perfungentes amplissimis ad eiusmodi errores ipsi Imperatori impulsores inhærebant: quos tamen quàm citissimè pœna est consecuta ex recenti delicto in ipsam maiestatem Imperatoriam perpetrato. Quòd enim qui Deo infideles existũt, haud hominibus norunt præstare fidem: ijdẽ ipsi qui eiusmodi hæresis laborabant infamia, praui instinctu dęmonis ijsdem dominantis, aduersus Imperatorem coniurationem conflare, machinariq; cædem aggressi sunt; sed detecti luere meritò pœnas. fuerunt hi Ablauius, Marcellus, & Sergius, inter quos & Belisarius, quem (siue iustè, siue iniustè id acciderit) vidimus fuisse proscriptum. Sed iam ipsum Eustathium eamdem prosequentem historiam audiamus; ait enim hæc post superiùs dicta consecura fuisse:

[a] *Nah.1.*

CVR SILENTIO AVCTORES ERRORIS OMISSI.

Cùm magnus hic vir, *Eutychius scilicet Constantinopolitanus Episcopus*, longa oratione Imperatori non esse id Catholicæ Ecclesię dogma comprobasset: animam suam (vt ait Ezechiel Propheta [b]) quæ ad propositum pertinerent explicans, seruauit: illi verò malorum inuentores in peccatis suis perierunt: instar enim sæpe cadentis guttæ & petram excauantis Imperatori persuaserunt. Atque huius quidem improbæ opinionis magistri execranda nugacis Origenis & Euagrij & Didymi dogmata defendebant: quorum nomina libens prætereo, ne malum malo pendere videar, & contumeliam calumnia persequi, & contra propositum & mores sancti Eutychij facere, qui ex beati Saluatoris mandato, non esse malum pro malo reddendum, sed contrà potiùs maledicentibus benedicendum, & pro persequentibus precandum, tum factis, tum verbis docuit. Quamquam silenda potiùs vidẽtur, quàm prædicanda, quæ tunc gesta sunt. Quamobrem (vt ipse vir sanctus edocuit) quæ silentio sunt digna prætereamus. Vigil igitur iustitiæ oculus malitiam impunitam abire non permisit, sed calumniam omnino retexit & patefecit: adeò vt illi ipsi ore proprio coniurationem confessi sint, & vltionis æquitatem collaudarint.

[b] *Ezech.3.*

Erant autem qui hæc machinati sunt, non solùm ex eorum numero qui plurimùm valebant apud Imperatorem, verùm etiam ex sacerdotibus qui erant insignes, quique magnas Ecclesias gubernabant (si tamen sacerdotis nomine digni sint homines improbi & calumniatores) quos tamen omnes iustitia puniuit obstruens labia aduersus iustum loquentia iniquitatem in superbia & despectione. Isti igitur (vt dictum est) execrabilium & impiorum dogmatum studio simplicitatem Imperatoris peruerterunt, & sub incorrupti occasione inique (vt demõstrabitur) & præter diuinos canones & Ecclesiastica instituta beatum ac pium virum oppugnarunt. Sed eos iustus Iudex & in hac vita puniuit, & mox in inferorum supplicia detrusit sempiterna.

Cùm

A Cùm igitur studijs istorum diuturna vis morbi esset adaucta,& vulnus intractabile atque adeò immedicabile euasisset: cumq; Imperator,assumpta charta,in qua detestanda illa opinio,quòd Domini corpus ex diuinę naturę copulatione incorruptibile fuerit,continebatur, eam diuino magnoq; pugili Eutychio perlegisset; flagitabat, vt sententia & suffragio suo illam comprobaret. At ille,vt æquum erat,primùm cohortationibus vtens,negabat eam esse doctrinam Apostolorum; quamobrem se illi nec animo posse, nec verbis assentiri. Deinde cùm nec cohortationibus,nec admonitionibus posset Imperatori persuadere, ne quid contra Catholicam Ecclesiam & recta dogmata faceret:omnem curam & solicitudinem suam in Deum reijciens, Apostoli[a] verbis testatus est,se nihil vtilium omisisse, quod non nunciarit: atque in posterum ita se confirmauit,vt pro Christi fide vellet omnia perpeti:Certò (inquiens) scio,nec mortem,nec vitam,nec præsentia,nec futura, nec afflictionem, nec angu-
B stiam,nec famem,nec nuditatem, nec gladium, nec exilium posse me separare à charitate Dei, quæ est in Christo Iesu Domino nostro. Hæc vir sanctus verbis primùm, mox autem factis comprobauit. Constat enim facta esse subsecuta.

TENTAT IMPERATOR VT EVTYCHIVS SVBSCRIBAT.

[a] Act. 20.

ADMIRANDA EVTYCHII CONSTANTIA.

Cùm enim nollet dogmatis errorem suscipere, & Aphthardocitas comprobare: statim malorum inuentores,qui omnia facilè audent, principes illi & sacerdotes annui congregati in auditorium & conuenientes meditati sunt inania & stulta aduersus Dominum & aduersus Christum eius: & Imperatori persuaserunt, vt virum omnibus ornatum virtutibus à sede exturbaret,in eaq; alium constitueret, qui studijs & opinionibus suis consentiret. quod quidem & factum est. Nam cùm festus dies S. Trimorhei apud Hormisdæ regionem in nouo Palatio celebraretur *(erat ibi ecclesia sancti Petri ab ipso Iustiniano in suis ædibus structa, vt Procopius[b] docet)* & S. Eutychius rem diuinam faceret: Tribunus militum & satellites im-
C manis feræ ministri Episcopatum inuaserunt, comprehensis & distractis viris Sancti familiaribus, qui contra illum testificarentur, vt quoquo modo illum non sine causa ex Episcopatu eiectum fuisse ostenderent. At vir magnus cùm eorum inuasionem in Episcopatum,& quosdam è suorum numero illinc violenter abstractos & in carcerem coniectos fuisse cognouisset,peracto sacrificio,distributaq; sancta communione, in sacrario mansit. Dicebant enim quidam graues viri:si è sacro templo exiret, fore vt interficeretur:quosdam enim armatos,atque in Antiochi prædio collocatos,eo consilio eum foris expectare.

MILITES INVADVNT EVTYCHIVM SACRA PERAGENTEM.

[b] Procop. lib. 1 ædif. Iustin. Imp.

Hæc cùm beatus vir accepisset,constitit ante altare; solitisq. vestibus & superhumerali indutus,quod semper secum habebat, vsque ad vesperam precationibus incubuit, Deum obsecrans,vt Ecclesiam suam tranquillam & recta dogmata conseruaret. Cùm autem fecisset obsecrandi finem: sacerdotes & monachi,qui aderant,hortati sunt eum, vt cibum caperet:
D quod & fecit. Cumq; paululum quieuisset,affuit cum gladijs & fustibus,multoq. cum præsidio militari magna illa fera,qui Etherius † appellabatur: correptum sanctũ virum nudum & nihil habentem,in monasterium;quod Choracudim appellant,asportauit. Quo in loco cùm vno die commoratus esset,& propter monasterij paupertatem malè tractaretur; misericordia commoti(nam viri sancti virtutem aduersarij quoque mirabantur) eum in Osiæ,id est,Sanctæ sic appellato monasterio prope Chalcedonem collocarunt. Nec amplius quærentes,vtrum iure,an iniuria è sede fuisset eiectus, coacto post diem octauum cõuentu Episcoporum & Principum, virum sanctum, quem indicta causa eiecerant, in ius vt se defen-
deret,vocarunt,quòd libellus aduersus eum Confessui esset oblatus. Quid autem libellus contineret,non sine risu potest audiri: Quòd vnctus esset: quòd auiculas comedisset: quòd multas horas genibus flexis orasset: & alia his magis adhuc ridicula. Ab huiusmodi igitur
E criminibus vt sese purgaret,eum accersiuerunt.]Sic igitur reuocantur impiè in Eutychium, quæ olim fuerunt contra S. Ioannem Chrysostomum,vrgente Eudoxia,actitata.

EVTYCHIVS VI RETRVDITVR IN MONASTERIVM.

† *Quæ inde hic Etherius pœnas dederit, scribit Euagrius hist. lib. 5 c. 3.*

Vbi primùm autem de exilio Eutychij sententia lata est: continuò de successore eligendo actum,delectusque fuit Ioannes cognomento Scholasticus ex Apocrisario Ecclesiæ Antiochenæ, homo planè seruus gloriæ & nundinator rerum sacrarum, quique pretio adulationis eam mercatus est dignitatem. Ne quid tamen absque vmbra saltem iudicialis formæ factum contra canones videretur: vbi Ioannes creatus est, iubetur citari Eutychius à Conciliabulo collecto Constantinopoli. At quid ipse,ita Eustathius subdit: Sed vir sanctus Episcopis & Principibus, qui Confessus mandato nuncium attulerant: Ad quem (inquit) accedetis? ad quem me vocatis? Illi veritate coacti responderunt: Ad dominum nostrum & patrem. Quibus ipse rursus: Quis est (inquit) iste dominus & pater vester? Venimus (inquiunt, tamquam occultis quibusdam verberibus vapularent) ad Patriarcham nostrum dominum

QVID CONTRA EVTYCHIVM EGERIT CONCILIABVLVM.

dominum Eutychium. Patriarcha ego (inquit ille) Patriarcha Dei gratia sum, nec à me quis- A
quam hominum tollet hanc dignitatem. Quis est ille, quem meo in loco collocastis? Quibus verbis cùm illi respondere non possent, victi reuerterunt ad eos, à quibus missi fuerant. Verùm idem Conuentus iterum & tertiò cõtra canones eum vocauit. Sed ille semper congruenter respondit: Si canonicum (inquiens) iudicium constitutum est, detur mihi clerus meus & ordo Patriarchatus, & veniam, defendamq; me, & accusatorum meorum vtar testimonio. Hæc illi responsa cùm accepissent, nihil consentaneum facientes, sententiam contra ipsum tulerunt ipsis Iudicibus dignam. Quam tamen beatus vir anteuertens, subiecit omnes pœnis canonicis, donec resipiscerent.

EVTYCHIVS DEPORTATVR IN INSVLAM.

Verùm cùm finem accepisset Confessus illius ludi: is qui consilium Achitophelis disiecerat, axesque curruum Pharaonis confregerat, dissipauit etiam illorum consilium, implicans eos inter se. Qui cùm occasionem honestam non reperirent aduersus iustum, vt quæ B
iniustè egerãt, iustè viderentur gessisse (erant enim ijdem Iudices & accusatores) eum ex loco, vbi erat, in insulam, quæ Princepo dicitur, transtulerunt. Ad hanc appulit insulam beatus vir cum tempestate, die sabbati, nocte propenda. Cùm autem illuxisset, antequam quicquam aliud ageret, vidit crucem in pariete pictam, cum hoc elogio: CHRISTVS VOBISCVM * EST. STATE.] terræmotus enim tempore eiusmodi verba in domibus inscribi consuetum fuisse, diximus suprà, cùm actum est de clade terræmotus Antiocheni. subdit verò: Qua quidem re vehementer lætatus, gratias egit Deo, qui hanc sibi consolationem attulisset.

* NOBISCVM

EVTYCHIVS AMASEAM TRANSFERTVR.

Sed cùm in illa insula tres hebdomadas sub magna militum custodia transegisset, rursus ab ijsdem Iudicibus decretum est, vt Amasæorum metropolim peteret, maneretq; in monasterio, quod ipse constituerat: quod & factum est. Quæ autem illic aduersus eum acta scriptáve sint, dicere, ne longior sim, supersedebo. Satis enim est quod ad hoc propositum dixit C
Ezechiel ex persona Dei [a]: Eo tempore auertam faciem meam ab eis, & inquinabunt Episcopatum meum, & ingredientur in sancta mea sine reuerentia, & facient inquinationem magnam. Sed quæ inde euenerint, videamus.

[a] Ezech. 36.

Fidelis Dei seruus Eutychius Paulo similis declaratus est, & ad eum quoque Pauli historia referri potest. sic enim de Paulo scriptum est [b]: Vt autem iudicatum est vt Italiam nauigaremus, tradiderunt Paulum & quosdam vinctos Centurioni nomine Iulio. Sic & de sancto viro factum est. Nam postquam multa temerè consulta essent, tandem (vt diximus) decretum fuit, vt ad Amasenorum metropolim sese conferret, & in suo ipsius monasterio viueret. Hoc ille nuncio doluit fortasse? auersatus est? vel succurrit illi quod Dominus prædixerat: Nemo Propheta acceptus est in patria sua? Minimè verò, sed prompto animo omnia D
subijt. Gaudebat enim, quòd dignus habitus esset, qui pro nomine Dei contumelia afficeretur. Studebat enim, non solùm vt in illum crederet, verùm etiam vt pateretur: quoniam fides sine operibus mortua est. Imitatus est hac item in re super omnia ipsum Deum, qui dorsum suum tradidit flagellis, & genas alapis, & faciem suam non auertit à fœditate sputorum, cuius liuore sanati omnes sumus. Qui etiam dixit: Si me persecuti sunt, & vos persequentur: Si patrem familias Beelzebub vocauerunt, quanto magis domesticos eius? Hoc egit & seruus Dei.

[b] Act. 27.

Decreuerat enim omnes potiùs perpeti acerbitates, quàm fidem prodere: vt exemplo sui multi confirmarentur, stabilesq; & immobiles in rectæ fidei confessione permanerent. Quod quidem & factum est. Omnes enim Patriarchæ, multique Episcopi, præcipueque Orientales recusarunt Imperatoris opinioni subscribere: & ei tum Synodo, tum scriptis re- E
stiterũt, in primisq. sanctissimus Theopolis Patriarcha Anastasius, qui easdem quas magnus, ærumnas ne dicam, an coronas? pertulit Cùm igitur indicta causa damnatus esset exilio, parataque essent iam omnia: nos item cum illo persecutionem pro Christo & exilium ferre decreuimus. Quo quidem constituto, ille omnes qui aderant in insula ore osculãs, vt Ephesios Paulus in littore, animo autem totam Ecclesiam sibi à Deo creditam in osculo sancto, eam Domino, à quo ipsam acceperat, commendauit. Eorum igitur qui nos ducebant & qui

DETRVDITVR EVTYCHIVS IN MONASTERIVM.

miserant arbitrio in monasterio ipsius constitimus tamquam in exilio, vt ipsi arbitrabantur: quod tamen vir sanctus salutiferum sibi & multorum bonorum causam existimabat. Quæ autem tunc in via publica gesta sunt, vtrum molesta acerbaque fuerint, an miraculis & ægrotantium curationibus plena, vt orationis longitudo vitetur, prætereo: quamquam eadem, maioraq; publiceque perspecta sunt, cum viri sancti reuocatio celebrata est.] & paulò

post:

A pòst: Qui cùm fide ad Sanctum accedebant, plus gratiæ accipiebant, cùm omnia sint credenti possibilia, viro sancto nimirum traditam sibi à Patre luminum gratiam impertiente. Hîc autem exordiar: Vos qui huiusmodi narrationibus delectamini, attendite.

EVTYCHII MIRACVLA ET PROPHETIA.

Sed vnde & à qua gratia exordiendum est? Quamuis alia sint miracula præstatiora, ab hoc tamen initium sumendũ existimo. Erat in vrbe Amasea quidam Androginus legitima vxore copulatus: qui cùm filijs procreandis operam darent, ita frustrabãtur, vt infantes, antequam è ventre exirent immaturi præriperentur; ex quo parentes ipsi magno mærore afficiebantur. Quid igitur faciunt? Vtile consilium capiunt. Cõfugiunt ad Deum, qui mortuos etiam potest per seruos suos in vitam reuocare. Imitantur viduam illam Sareptanam, cuius filium Elias suscitauit: Sunamitidem imitantur, quæ currit ad Eliseum, cùm filius eius in cœnaculo mortuus iaceret. Confugiunt & ipsi ad beatum virum: supplicant vt precibus suis impe-

B tret, ne infantes sibi in lucem editi statim moriantur. Quæ cùm pro illis precatus esset, ambos vnxit oleo sancto, tum eo quòd è pretiosa Cruce, tum illo quòd ex sanctæ puræque Dei genitricis & perpetuæ Virginis Mariæ nostræ dominæ venerãda imagine scaturire solet Sozopoli, dicens: In nomine Domini nostri Iesu Christi. Hæc enim verba cunctis ægrotantibus qui ad se accedebant, solitus erat adhibere, quemadmodum & S. Iacobus præcipit, sed non vt in Sacramento. Cùm igitur precandi finem fecisset, & tamquam gratia quadam afflatus taceret: mox, Nomen illi (inquit) Petrum imponetis, & viuet: erat enim mulier grauida. Cùm autem ego adessem, & respondissem: At si feminam, inquiens, pariet, ecquod illi nomen imponent? Minimè (inquit) sed Petrum vocabunt, & saluus erit. Quibus verbis gaudentes, tamquam puerum nondum natum in vlnis gestarent, domum reuersi sunt.

Tempore iam impleto peperit filium, quemadmodum anteuiderat & prædixerat seruus

C Dei. Quem cùm baptizandũ curassent parentes, & nominassent Petrum: postea vnà cũ ipso ad virum sanctũ accedentes, cõplexi sunt pedes eius, & confessi sunt quæ sibi fecisset Deus, & quod sui misertus esset. Impositis autẽ puero manibus, vir sanctus benedixit ei. Sed cùm creuisset ille qui ex præcognitione & precibus genitus fuerat, alter natus est illis. Itaque venientes rursus, ambos filios ad sanctum virum attulerunt, laudantesque Deum rogabant, quo nomine postremus deberet appellari. Qui geminos filios intuitus, illud Salomonis venustè vsurpauit[a]: Frater qui coadiuuatur à fratre, quasi ciuitas firma. Parentibus autem illorum dixit: Ioannem hunc appellabitis: quoniam in æde sancti Ioannis preces vestras Dominus Deus audiuit.] hæc Eustathius, qui his omnibus præsens aderat. [a] *Prouer. 18.*

MIRACVLA CONFIRMANDÆ FIDEI CAVSA.

Porrò quòd hæc & alia de Eutychio ab eodem recensita ibi miracula, non tam ad Euty-

D chij probandam sanctitatem, quàm ad fidem Catholicam, cuius causa ea patiebatur, confirmandam, Deo volente, edita fuisse videntur: nos hîc eadem referre minimè præterierimus. Ita planè Deus (sicut Pharaonem, vbi in populum Israëliticum insurrexit, miraculis voluit repressisse) cùm Iustinianus Imperator omni ad stabiliendã hæresim & fidem Catholicam deprimendam potentia vsus est, ex aduerso consurgens, ad indicandam, firmandam, stabiliendamq; Catholicorum dogmatum veritatem, confutãdam verò hæreticam prauitatem, hæc voluit per Eutychium Catholicę fidei confessorem edi signa, atque propalari miracula: vt si vel ex ipsis Pharao non proficeret, neque Ægyptij emendarentur, remanerent tamen in Ecclesia perpetua de veritate Catholicæ fidei monumenta, & contra expugnatam diuinitus impietatem erectæ columnæ. Quamobrem hîc de his agere, ratio postulat argumenti. Subdit igitur hæc Eustathius:

DE SVRDO ET MVTO SANATO.

Senex quidam è villa quæ ad sanctissimam Ecclesiam pertinebat, filium habebat surdum

E & mutum annorum circiter quatuordecim: quem cùm ad sanctum virum perduxisset, supplicabat vt ipsi à Deo opem impetraret. Itaque cùm pro illo preces fudisset, omnes eius sensus vnxit oleo sancto, terq. Nunechem (nam illi id erat nomen) vocat. Ac primo quidem die obscurè respondit: cùm autem tres ibi dies mansisset, & oleo sancto inungeretur, solutum est vinculum linguę eius, & planè audiebat & loquebatur. Sed cùm vellet eum pater in monasterio relinquere, noluit Dei seruus. Senex igitur, assumpto filio, domum magno cum gaudio reuersus est. Audiamus & aliud insigne miraculum.

Quidam alius eiusdem loci, qui inter ipsius sanctissimæ Ecclesiæ clericos electus erat, (Cyrillus ille appellabatur) filium habebat, qui cùm quinque esset annorum & eo amplius, nec loqui poterat, nec alimentum accipere, nec vitæ propè, nec mortis erat particeps. Hunc cùm ad virum sanctum perduxissent: ille solitas preces adhibuit, & sanctam communionem impertiuit, & cùm panem benedixisset, dedit ei, atque dimisit. Ex illa autem die solu-

tum est

tum est vinculum linguæ eius, & loquebatur,& edebat atque bibebat,cùm Dei gratia sanitatem recepisset. Videamus & aliud huic simile,immo verò mirabilius. A

DE PVERO CVRATO MIRACVLVM.

Est oppidum quoddam nomine Zala*, ipsi metropoli Amaseæ propinquum. Quidam inde profecti, quadrimulum puerum ad sanctum virum adduxerunt. hic nihil aliud nisi ex matris vbere nutrimenti paululum capiebat. Erat autem propè carnis & corporis expers, neque calorem vllum habebat: sed tamquam spica vento corrupta, quæ nondum creuerit, exilem quamdam ac inanem granorum & aristarum speciem habet, sic & ille puer videbatur. potuisses autem omnes illius costas & neruos & ossa numerare. Hunc vir Dei magnus cùm aspexisset sic exiccatum, & parentes ipsius dolore tabescentes; Dei, qui ea quæ non sunt facit vt sint, implorans auxilium, totum pueri corpus inunxit oleo pretioso, & sanctam communionem impertiuit; cumque panem communem benedixisset, parentibus dedit,præcepitque,vt mero panem illum intingerent,pueroque præberent. Quod B illi cùm fecissent, voti compotes facti sunt.] Subdit de duobus alijs pueris, quorum alter è desperata valetudine,veluti è mortuis excitatus reuixit,atque sanatus est; alter claudus, qui stare super plantas non valebat, omnino curatus. aliud idem grande miraculum refert de arreptitia puella grauiter à dæmone cruciata, quæ ab eo pariter liberata est. Sed quod de pictore à dæmone percusso, à Sancto autem sanato his subijcit, verbatim reddam, quòd plurimum idem miraculum in se contineat vtilitatis. ait enim Eustathius de his quæ præsens aspexit, hæc verba:

DE PICTORE MIRACVLVM.

Iuuenis quidam arte pingendi peritus eam in domo Chrysaphij piæ memoriæ in ipsa ciuitate Amasenorum exercebat. Hic aliquando veterem in pariete Veneris picturam delebat,vt historias pias reponeret. Volebat enim vir ille ex domo sua superiore Archangeli oratorium facere, ex inferiore autem oratorium sanctæ immaculatæq; dominæ nostræ Dei C genitricis & semper Virginis Mariæ. Cùm igitur pictor fœdam impudicæ Veneris historiam euertisset: dæmon qui illi inhærebat,artificis manum sic inuasit,vt inflammata tumesceret, & graui vulnere affecta,necessariò amputanda videretur. Quare cùm periculum aspiceret, vtile capit consilium, & ad virum sanctum cõfugit, vt per ipsum à Deo auxilium impetret. At ille cùm pro ipso Deum orasset,vnxit oleo sancto dexteram ipsius manum,quæ inflammatione & vlcere laborabat: idq; fecit tribus diebus, & manus eius diuino auxilio conualuit,atque alteri similis reddita est. Et quo in loco pictor vulnus acceperat,in eo memoriæ & grati animi declarandi causa sancti viri depinxit imaginem; vt manus,quę curationis beneficium acceperat, medicum suum secundùm Deum testaretur.]

Hic velim attendas,lector,non tantùm editum diuina virtute miraculum, sed etiam patefactam latentem ipsam veritatem, si quis eam ab exemplis deductam accipere velit. Si D enim in profanis inhonestisq; imaginibus inhæsisse cognita est ad nocendum, Deo permittente,vis inimica: vtique vel ex his discas, in sacris Deo dicatis imaginibus non deesse diuinam,ad beneficia præstanda virtutem; & sicut illæ Christianis obesse solent, ita & istas consueuisse ijsdem esse proficuas. Subijcit autem his auctor de eodem Sancto miracula admiratione quidem digna,vt de apostata à dæmone arrepto & mirum in modum cruciato,deque periuro cæco reddito, atque alijs pluribus ab eodem incolumitatem diuinitus consecutis. Sed illud hîc non prætermittendum putamus, quomodo sanctus vir ab exercitu Cosrhoes & à fame vrgente complures Amaseam confugientes Christianos liberauit. Rem gestam memoratu dignam sic describit Eustathius,qui præsto fuit:

CONFVGIVNT AMASEAM CHRISTIANI. * Zela

Impiorum Persarum in Rempublicam nostram impetum omnes scimus,cùm nouus Nabuchodonosor Cosrhoes Sebasten venit & Melitenem. Cùm igitur in magnas tunc angu- E stias atque discrimen adductæ res essent: vicini omnes ferè tũ Nicopoli, tum Cæsarea, tum Comanis, tum Zala* ex alijsq; finitimis ciuitatibus Amaseam tamquam ad locũ munitissimum se conferebant,non tam vrbis præsidio,quàm viri sancti precibus cõfisi. Omnes enim & ciues & inquilini, qui magna ex parte erant Iberi,& hospites reliqui suas secundũ Deum in hoc sancto viro spes collocarant: ex eius enim ore pendentes, & verba ipsius audientes seruati sunt. Meritò igitur in tali tumultu innumerabilis hominum multitudo ad eam vrbem concurrit. Sed cùm ibi diu esset commorata,magna cibariorum penuria consecuta est. Itaque omnes ad sanctum ipsius monasterium tamquam tutissimum in portum confugiebant,vt simul cum corporibus animos pascerẽt. Quare cùm magnus quotidie sumptus fieret, & fames in dies cresceret cùm propter nostros exercitus, tum propter Dei & Reipublicæ nostræ aduersarios, magna omnes in mœstitia & angustijs versabamur.

Cùm

A Cùm enim multitudini panis subministraretur, & sic exinanitæ essent arcæ monasterij, in quibus farinæ conseruabantur, vt ne vnius quidem hebdomadæ cibus in eis reliquus esset: cùm igitur horrei custodes monachi religiosissimi farinam minui, & flagitantium cernerent crescere multitudinem, ad virum magnum accesserũt, illum Scripturæ locum vsurpantes [a]: Transiens in Macedoniam adiuua nos: quoniam farina iam in arcis defecit, & spes victus nobis adimitur. At ille nulla interposita mora, nihil dubitans, sed opulentæ Dei misericordiæ fidens, in eum ingressus est locum, in quo arcæ erãt farina iam vacuæ. Et cùm Deum obsecrasset, ministros hortatus est: Bono (inquiens) animo estote: quantum enim egentibus impertitis, duplum Dominus noster elargietur. Spero enim, quemadmodum olim [b] ex hydria farina non defecit, ita nunc minimè defuturam. Nam licet declinaueritis ex hoc in illud (vt est in Psalmo [c] dictum) hoc est, à pleno in id quod est inane: tamen fæx eius non erit B exinanita: sed edent omnes, & saturabuntur, & laudabunt Dominum Deum nostrum. His verbis gaudio repleti religiosissimi monachi, alacriter mandata exequebantur, panes omnibus aduenientibus distribuentes. Atque hoc quidem modo magnam populi turbam fame laborantem diu nutriuerunt. Et eo sanè maius miraculum apparuit, quòd cùm farinæ in annum paratæ nihil adderetur, & tantum quotidie insumeretur: tamen non solùm non defecit, verùm etiam postquam noua farina esset illata, farina vetus diu, immo semper satis fuit; sicut scriptum est: Comedetis vetera super vetera, & vetera à cõspectu recentium efferetis.] hactenus Eustathius de rebus gestis Eutychij, cùm exularet; quibus eius confessionis corona & veritas Catholicæ fidei illustratæ fuere.

FARINA DIVINITVS AVCTA.

[a] *Act. 6.*

[b] *3. Reg. 17.*

[c] *Psal. 74.*

Perdurauit exilium Eutychij (vt idem auctor [d] affirmat) spatio duodecim annorum & amplius, nimirum annis duodecim & mensibus septem, quibus sedit Ioannes Scholasticus, C vt habet Nicephori Chronicon, in quo & ipsum hoc anno Iustiniani Imperatoris trigesimooctauo Eutychium esse iectum traditur; cui ceteri Græci historici assentiũtur. At quomodo vltus est Deus vnà cum prodita fide etiam Eutychij & aliorum Orthodoxorum Episcoporum calamitates quas passi sunt, dicemus anno sequenti.

[d] *Apud Lipom tom. 7.*

Quod ad res pertinet Occidentales, nihil præterea Annales reddunt, nisi monumenta Francorum. Hoc enim ipso anno, qui Clotarij Regis Francorum præcedit obitum, eius filij Chramni sæpe rebellantis & ad veniam sæpe recepti tragœdia finem habuit, qui à Gregorio ita describitur [e]: Clotarius autem Rex contra Chramnum frendens, cum exercitu aduersus eum in Britanniam dirigit. Sed nec ille contra patrem egredi timuit. Cumque in vno campo conglobatus vterque resideret exercitus, & Chramnus contra patrem aciem instruxisset, incumbente nocte à bello cessatum est. Ea quoque nocte Coonober Comes Britan- D norum dicit ad Chramnum: Iniustum censeo te contra patrem tuum debere egredi. Permitte me hac nocte, vt irruam super eum, ipsumque cum toto exercitu prosternam. Quod Chramnus (vt credo) virtute Dei præuentus, fieri non permisit. Manè autem facto, vterque commoto exercitu, ad bellum contra se properant. Ibatque Clotarius Rex tamquam nouus Dauid contra Absalonem filium pugnaturus, plangẽs, atque dicens: Respice Domine de cælo, & iudica causam meã, quia iniustè à filio iniuriam patior: Respice, & iudica iustè, illudq; impone iudicium, quod quondam inter Absalonem & patrem eius Dauid posuisti. Confligentibus igitur pariter, Britannorum Comes terga vertit, ibiq. & cecidit. Denique Chramnus fugam iniit, naues in mari paratas habens: sed dum vxorem & filias suas liberare voluit, ab exercitu patris oppressus, captus atque ligatus est. Quod cùm Clotario Regi nunciatum esset, iussit eum cum vxore & filiabus igne consumi: incluſusque in tugurio cuiusdam pau- E perculæ Chramnus super scamnum extensus orario fugillatus est, & sic postea super eos incensa casula cum vxore & filiabus interijt.] cum eo illas par pœna coniunxit, quas ad rebellandum contra patrem habuit impellentes; ignemq; pati ijdem meruerunt, quorum occasione (vt dictum est superiùs) incensa est Turoni basilica S. Martini.

DE CHRAMNI MISERANDO INTERITV.

[e] *Greg. hist. Franc. lib. 4. cap. 20.*

Reuerso autem ab hostium cæde Clotario contigit interesse sancti Medardi Episcopi Nouiomensis felici ad Deum ex hac vita migrationi. Auctor enim res ab eo præclarè gestas narrans, qui asseritur Fortunatus, hæc habet [f]: Cùm autem beatus hic Pontifex vitæ appropinquaret ad exitum, contigit Clotarium Regem, postquam Chramnum filium suum cum vxore sua ac filiabus combusserat, è regione reuerti Britannorum. Cognita verò huius infirmitate Pontificis, ad eum visendum humiliter festinauit, eius se non diffidens contra diabolicas infestationes benedictione muniri, & intercessione apud diuinam maiestatem reconciliari. Cùm ergo in hac regali visitatione in conspectu eiusdem & Principum de

[f] *Extat apud Surium die 8. Iunij.*

DE OBITV S. MEDARDI EPISC. NOVIOMENSIS.

pum de sepultura Pontificis tractaretur, suorum assensu filiorum sua se in sede Sanctus ipse A
præordinauit sepeliendum. Cuius sententiæ obstinato Rex animo resistens, Suessionem
eum constituit transferendum, asserens se super corpus eius basilicam decenter ædificatu-
rum, & ad laudem & gloriam diuinæ maiestatis cœnobialem seruorum Dei regulam ordi-
naturum. Cessit igitur beatissimus Pontifex regiæ dispositioni; & indefessè se suosque Do-
mino commendans, finita oratione, spiritum exhalauit. O felix corpus, felicioremque ani-
mam! Mox eorum certissimo qui aderant testimonio, cæli aperti sunt, & diuina luminaria
ferè per duarum horarum spatium ante Sancti apparuere præsentiam, de tenebris eum
transitorijs ad lucem designantia pro certo transisse perpetuam. Hoc tanto beatissimi Præ-
sulis animati miraculo, maiori vt eam transferrent, accensi sunt desiderio. Corpore itaque
sancto composito ac delato ad ecclesiam, nocte illa exequialem cùm multa deuotione ce-
lebrauerunt vigiliam. B

REX CLOTARIVS SVBIICIT TERGA FERETRO S. MEDARDI. Manè autem facto, cùm Episcopi, quibus interesse contigerat, suum defuncto celebras-
sent officium, inopinabilis multitudo conuenit nobilium de castellis & ciuitatibus, de
agris & municipijs adiacentibus inextimabilis accurrit conuentus, alij eius deuotè desi-
derantes interesse obsequijs, alij admodum lugentes patrem separari à filijs. Per medias
ergo plorantium lacrymas Rex irrumpens cum Episcopis & optimatibus, suis ipsius hu-
meris corpus sustulit sanctissimum, Suessionis (sicut prædixerat) efferre volens sepelien-
dum. Ea nimirum hora, quibus interesse contigit, ineffabilem lugentis populi expaue-
re gemitum, dum non modò in illa ecclesia, sed per totam ciuitatem & in suburbio per vi-
cos quoque & plateas vnam & eamdem vocem audirent plorantium. Recolebant siqui-
dem vrbis illius indigenæ patris sanctissimi (qua eatenus informati fuerant) benignissimam
prædicationem: dolebant verò & vehementer angebantur, quia cùm patrem amisissent, pa- C
tris etiam sepultura, Regis & procerum violentia, frustrabantur. Compatiebantur qui su-
peruenerant ad tantam plebis illius compunctam illacrymationem. Verùm quia regia vr-
gebat dignitas, ad sanctissimi corporis intentè insudabant translationem. Vix ergo & non
sine multo labore, patre, mærentibus & lugentibus filijs, erepto (sicut à Rege susceperant)
iter aggrediuntur.]

Qui enim multa audierat iam antè edita à viro sancto miracula, quiq; præsens inspexerat
cælitus missis luminibus coronatum feretrum, cui venerandum corpus erat impositum, ei-
dem Clotarius Rex humeros supponere ad gestandum, maximum esse duxit honorem, ac
veluti agere de victoria nuper adepta triumphum: ampliùs verò erga Sanctum affectus est,
vbi vidit quę in via, dum pergerent Suessionem, ab eodem sunt edita magna miracula: quo-
rum gratia magis de construenda illi ecclesia excitatus, colligere hinc inde magna solicitu- D
dine curauit, quæ ad sumptuosum ædificium opus essent; quàm, cùm ipse decessisset anno
sequenti, eius filius Sigebertus extruxit, monasteriumque coniunxit. hæc omnia pluribus
auctor enarrat, simulque miracula ibi fieri solita recenset. Porrò quale quantúmve ipsum
[a] *Greg lib. 12 epist. 32.* S. Medardi fuerit monasterium, quod regia est exædificatum impensa; ex Gregorij [a] Papæ
DE ECCLESIA ET MONAST. S. MEDARDI. epistola intelligere potes, dum munitum illud à se voluit sedis Apostolicæ priuilegijs, vt pri-
mum omnium esset honore & dignitate Galliæ monasterium. Ioannes autem, qui hoc
tempore sedebat Romanus Antistes, idē monasterium alijs muniuit priuilegijs, prout Gre-
gorius eadem testatur epistola, dum ait: Iuxta filiorum nostrorum præcellentissimorum
scripta Regum Brunichildis ac nepotis eius Theodorici, monasterio sanctæ Dei genitricis
Mariæ, ac beatorum Petri Apostolorum Principis, necnon protomartyris Christi Stepha-
ni, quod est in Suessionum ciuitate situm, vbi S. Medardus requiescere, & vir venerabilis E
Gailardus præesse videtur, huiusmodi priuilegia auctoritatis nostræ decreto indulgemus; &
ea pleniùs confirmamus priuilegia, quæ à bonæ memoriæ Papa Ioanne, comitante illu-
strium Regum clementia, Clotarij scilicet, & Sigeberti huius nostræ filiæ iugalis, ipsi loco
sub anathematis vinculo sunt concessa vel indulta, concedimus & terminamus: statuen-
tes, nullum Regum, &c.] ac post nonnulla: Ne vilescat tantæ sublimitatis locus sanctæ
Mariæ, & beati Petri, necnon & protomartyris, & domini Medardi meritis sactatus, quem
caput monasteriorum Galliæ constituimus, nullique ditioni patimur subesse.] at hæc satis
de monasterio.

Extat autem de egregia sanctitate atque miraculis eiusdem sancti Medardi carmen ele-
giacum Venantij Fortunati, vbi & aliquot recenset ab eo edita tum in vita, tum post mor-
[b] *Fortu. lib. 1* tem Apostolica signa; cuius est exordium [b]:

Inter

A *Inter Christicolas, quos actio vexit in astra,*
Pars tibi pro meritis magna, Medarde, patet.] deq; cæco illuminato, vbi defuncti corpus iaceret adhuc in feretro, hæc eleganter: DE CAECO ILLVMINATO.

Cum pia composito veherentur membra feretro,
Subtractum meruit cæcus habere diem.
Anxius ille sacra lumen suscepit ab vmbra,
Et tua mors illi lucis origo fuit.
Dumq; sepulchra darent, oculi rediere sepulti:
Tunc sopor ille tuus hunc vigilare facit.
Cùm fugis à mundo, datur illi lumine mundus,
Te linquente dies, hunc fugiunt tenebræ, &c.] reliqua item alia plura

B tunc edita recensetinuocato sancto viro signa, quæ ex auctore latius tibi petenda relinquimus. Ad finem verò pro Rege Sigeberto, qui extruendum templum curauit, precans auctor ita perorat: PRO SIGEBERTO REGE PRECES FORTVNATI.

En tua templa colit nimio Sigebertus amore,
Insistens operi promptus amore tui.
Culmine custodi qui templum in culmine duxit,
Protege pro meritis qui tibi tecta dedit.
Hæc pia pauca ferens ego Fortunatus amore
Auxilium posco; da mihi vota, precor.]

Porrò eadem ipsa die qua obijt S. Medardus, pariter excessisse ex hac vita S. Gildardum Rothomagensem Episcopum eius germanum, eademque cum ipso die natum atque sacra-

C tum, Audoenus eiusdem Ecclesiæ Episcopus his testatur versibus:

Hi sunt Gildardus fratres gemini atque Medardus:
Vna dies natos vtero, viditq; sacratos,
Albis indutos, & ab ista carne solutos.] sic & Catholica Ecclesia[a] vna eademq; die amborum ad Deum transitum celebrat. Quos igitur vna die peperit, simulque aluit, & Pontificia dignitate insuper auxit, vna pariter die Ecclesia Catholica missos ad superos colit. At rerum gestarum anni huius hic finis esto. [a] *Martyrol. Rom. 6. Idus Iunij.*

IESV CHRISTI ANNVS 565. IOANNIS PAP. ANNVS 6. IVSTINIANI IMP. ANNVS 39.

D QVingentesimus sexagesimusquintus Domini, idemque Iustiniani Imperatoris nouissimus, Indictionis decimætertiæ incipit annus: quo Iustinianus Imp. vbi absoluisset sui Imperij annum trigesimumoctauum, atque nonum ingressus esset (vt ait Euagrius[b]) per mensesocto, vel post annos triginta octo (vt auctor Miscellæ habet) menses septem & dies decem, aut (quod Cedrenus tradit) dies tredecim, ex hac vita migrauit Idibus Nouembris, media nocte, vt ex Corippo huius temporis poëta in carmine de Iustin. Imp. laudibus habes. Media namque nocte clamor factus est, cùm ex improuiso instar furis ianuam effringentis mors eum rapuit improuisa & importuna, opportuna verò ipsi Romano Imperio sub

E Imperatore hæretico titubanti, & in deteriora labenti; vindicante Deo illatas sanctis Episcopis contumelias, pariterq; prohibente, ne accensum ab eo semel incendium vniuersam deuoraret Ecclesiam. [b] *Euag. lib. 4. cap. 40.*

Vt enim Dei iudicium fieret manifestius, tunc subitanea est morte subreptus, cùm iam indixisset exilium Anastasio Episcopo Antiocheno, atque ceteris illi inhærentibus Ecclesiæ sacerdotibus. Tulerat diu consueta patientia Deus, quæ aduersus Eutychium Patriarcham anno superiore Imperator contra fas iusq; sacrilegè perpetrarat, cùm è sede eum violentus abstraxit: verùm qui non relinquit virgam peccatorum super sortem iustorum, haud fuit vlterius progredi qui non solùm non emendaret perperam facta, sed audaciora tentaret, repentina eum morte subducens. nam audi Euagrium[c]: Verùm (inquit) Iustiniani edictum diuina prouidentia, qua melius nobis prospectum fuit, minimè vulgatum est. Nam Iustinianus, qui Anastasio & suis sacerdotibus exilium indixerat, ex improuiso peremptus, cùm triginta octo annos & menses octo regnasset, ex hac luce migrauit.] De obitu item eius ista IVSTINIAN. DEI VINDICTA EX HAC VITA REPENTE AB. RAPTVS. [c] *Euag. lib. 4. cap. 40.*

Nicepho-

[a] *Niceph. lib. 16. c. 31.* Nicephorus[a]: Iustinianus namque cùm Anastasij, sacerdotumque eius, qui eodem cum illo ardore flagrabat, exilij libellum dictaret, inuisibili ictus plaga, ex hac vita excessit.] Euagrius insuper eum quem diuina hæc vindicta percussit, ob impietatem quam fouebat, & discordias quas in Ecclesia excitauit, ad inferos detrusum affirmat, cùm ait [b]: Iustinianus igitur cùm omnia omnino turba ac tumultu compleuisset, mercedemq. his debitam in extremo vitæ suæ tempore reportasset, ad supplicia iusto Dei iudicio apud inferos luenda profectus est.] hæc Euagrius suorum temporum rerum gestarum scriptor insignis. A

[b] *Euag. lib. 5. cap. 1.*

Qui autem diu post ipsum vixit, eum extremo illo spiritu facti pœnituisse, iussisseque Eutychium ab exilio reuocari, Nicephorus tradit[c]: quod ex eo (vt puto) argumento deduxit, dum non sicut aliorum hæreticorum eius nomen abrasum fuit è sacris tabulis, siue quòd Patres Sextæ Synodi & alij elogio Catholico homine digno & pietatis titulo repe- B riuntur eius memoriam prosecuti. nam S. Gregorius[d] Papa cùm eumdem nominat Imperatorem, piæ memoriæ Iustinianum appellat. Sed accipe de eodem Imperatore in Synodo Romana ab Agathone Papa pronúciatum præconium: in epistola[e] enim ad Heraclium & Tiberium Imperatores post recitatos sanctos Orthodoxos Episcopos, qui aduersus hæreticos pro fide Catholica certamen inierunt, mox de Iustiniano hæc subdit: Et præ omnibus æmulator veræ & Apostolicæ fidei piæ memoriæ Iustinianus Augustus, cuius fidei rectitudo quantum pro sincera confessione Deo placuit, tantum Rempublicam Christianam exaltauit. Et vtique ab omnibus gentibus eius religiosa memoria veneratione digna censetur, cuius fidei rectitudo per augustissima eius edicta in toto Orbe diffusa laudatur: quorum vnum, quod ad Zoilum Alexandrinum Præsulem aduersus Acephalorum hæresim missum est pro Catholicæ fidei rectitudine, satisfacere sufficiens cum hac nostræ humilitatis suggestione vestræ tranquillissimæ Christianitati dirigentes per præsentium latores offerimus, &c.] Et in alia rursus epistola ad eosdem Augustos Roma ex Synodo centum vigintiquinque Episcoporum missa, vbi Theodosij Magni atque Marciani fidei Catholicæ præstantiam prædicauit, hæc de Iustiniano mox infert, cùm præfert ijsdem: Sicut extremi quidem, præstantissimi tamen omnium magni illius Iustiniani, cuius vt virtus, ita & pietas omnia in meliorem ordinem restaurauit: cuius instar fortissimæ vestræ clementiæ principatus, virtutis quidem conatibus Rempublicam Christianam tuetur & restaurat in melius, pietatisque studijs Catholicæ succurrit Ecclesiæ.] hæc sunt ex Agathone Romano Pontifice Iustiniani præconia. C

[c] *Niceph lib. 17. c. 31.*

IVSTINIANI MEMORIA A ROM. PONT. COMMENDATA.

[d] *Greg. lib. 2. epist. 10 lib. 5. epist. 4. lib. 7. epist. 126.*

[e] *Extat recitata in Synodo Sexta Act. 4.*

Quòd enim quæ de eius hæresi iactarentur, nullis constarent edictorum ipsius publicis monumentis (nam etsi scripsit, non tamen, vt vidimus ex Euagrio, promulgauit de hæresi Imperator edictum) & è contrà eiusdem Imperatoris fides Catholica pluribus promulgatis sanctionibus probaretur: nihil præterea de eo sentiendum, quàm suis ipsius scriptis reperiretur expressum, idem Romanus Pontifex existimauit, cuius sententiam non ex populari clamore, sed potiùs ex certa scriptorum testificatione proferri debet. Sed nec irrogata in Orthodoxos exiliorum supplicia eum omnino conuincebant hæreticum, etsi iniustum arguebant atque sacrilegum: sicut nec cùm Vigilium Papam eadem pœna mulctauit: præsertim verò cùm de exilio Eutychij Episcopi culpam visus fuerit deleuisse, dum eum ex testamento (vt Nicephorus ait) reuocandum constituisset. D

Quòd igitur edictum retentum minimè fuerit promulgatum, & perperam facta vltimo elogio visus sit reuocasse; haud adeò infamis posteris, sed honorifica eius memoria mansit. Nam audi eumdem de his Nicephorum[f]: Ioannes Chalcedonij filius cùm Constantinopolitanæ præesset Ecclesiæ, Alexij Comneni ætate, in ipso Verbi Dei Sapientiæ tẽplo quotannis magnificè memoriam eius celebrauit, populi vniuersi concione ad rem diuinam coacta. Memoria eius Ephesi quoque, in ecclesia discipuli eius qui supra pectus Saluatoris recubuit culta: quam ecclesiam ipse Iustinianus construxerat.] hæc de eius memoria publicis honoribus affecta post mortem Nicephorus, qui & de eiusdem sepultura hæc subijcit[g]: In magnifico monumento ab ipso lapide Sardio in Apostolorum templo constructo sepultus est, ad dexteram in ædem ingredienti partem.] E

[f] *Niceph. lib. 17. c. 31.*

[g] *Niceph. lib. 17. c. 33.*

DE IVSTINIANI POSTREMO IVDICIO.

Sed quo magis humanum possunt Imperatores, subductis chartis, legitimũ fallere atque vitare iudicium, quod nõnisi (vt aiunt) secundùm acta atque probata proferri potest: eo districtiùs diuino reseruantur examini iudicandi, atque atrociori pœna plectendi, secundùm illud quod ait Sapiens ad Reges terræ[h]: Horrendè & citò apparebit vobis, quoniam iudicium durissimum his qui præsunt fiet. Exiguo enim conceditur misericordia, potentes autem

[h] *Sapien. 6.*

A autem potenter tormenta patientur.] Sanè quidem etsi humanæ non sit facultatis diuinis interesse iudicijs, ac de illis omnino nefas sit iudicare : tamen secundùm irreuocabilem illam Dei sententiam, quæ de omnibus reperitur pronunciata defunctis [a]: Opera illorum sequuntur illos] eadem ipsa quæ hinc abeuntem secuta sunt Iustinianum, aduersus eum hactenus clamant in chartis, nempe iuge bellum Ecclesiasticum, quod (exule facta, quam reperit, pace) iugiter enutriuit, decedensque reliquit accensum : sacrilegiorum immensitas, cùm sæpe in Christos Domini sanctos Episcopos violentas manus iniecit, vt inter alios in Vigilium Romanum Pontificem & Eutychium sanctissimum Constantinopolitanum Antistitem : crudelitas insuper in ciues innoxios ab Euagrio superiùs deplorata, & auaritia ab eodem pressiùs sugillata, vt omittamus reliqua. Quam autem mortuus ante horrendum maiestatis diuinæ tribunal sententiam acceperit, etsi non sit hominis iudicare : opi-
B nari tamen sicui licet, facilius est inuenire, qui Euagrij de eius condemnatione velit sequi sententiam, quem iure sciat prærogatiua temporis, cùm quæ scripsit inspexerit, historicis reliquis esse præferendum, qui longè post Iustiniani tempora res ab eo gestas scripsere : cùm præsertim in eamdem proculdubio abijsse sententiam Procopius eiusdem temporis luculentus historicus visus sit, dum quem antè sæpe laudarat, postea scripto volumine tam ipsum quàm Theodoram coniugem recantans palinodiam magnopere vituperauit, vt apud Suidam notatum habetur.

[a] *Apocal.14.*

At cùm laudatam audis ab eodem Procopio insignem eius pietatem in erectione templorum, quibus repleße non Constantinopolim tantùm, sed vniuersum penè visus est Orbem : prouoco te ad Euagrium de his ista dicentem [b]: Erat porrò tam largus in pecunia
C eroganda, vt multa sancta & magnifica templa in multis locis extrueret, aliaque sacra ædificia, quibus tum viri tum mulieres & ætate tenera & exacta, tum qui varijs morbis vexarentur, sedulò accurarentur, ædificaret : magnamque seorsum colligeret à suis pecuniarum vim, vnde ista perficerentur : alia denique infinita exequeretur opera : quæ sanè pia, Deoque accepta essent, si modò vel ille, vel alij qui talia moliuntur, de suis ipsorum bonis efficienda curarent, suæque vitæ actiones vacuas à sceleris labe tamquam hostiam Deo offerrent.] hæc ipse, qui paulò superiùs de eiusdem Imperatoris in pecunijs à subditis corradendis cupiditate ista recenset:

[b] *Euag lib.4. c.29. in fin.*

ALIENA PECVNIA ERECTAE ECCLESIAE A IVSTINIANO.

In Iustiniano verò tam inexplebilis fuit pecuniæ cupiditas, & tam turpis atque adeò absurda rerum alienarum appetitio, vt omnia subiectorum bona his qui magistratus administrabant, qui tributa colligebant, qui nulla de causa insidias hominibus struere volebant, ob auri amorem vendiderit. Complures verò, immo innumerabiles qui bona multa pos-
D sidebant, causa falsa commentitiaque conficta, omnibus fortunis mulctauit. Quòd si quæ meretrix oculos cupiditatis ad alicuius bona adijciens, consuetudinem se vllam cum eo vel coniunctionem habuisse simularet: statim omnia iura ac leges, modò Iustinianum turpis lucri socium constitueret, eius causa euersa iacuerunt; facultatesque omnes illius, qui falso in crimen adductus erat, fuerunt in eius domum translatæ.] hæc Euagrius; cuius sententia, quot ab eo nouæ promulgatæ sunt leges & veteres restitutæ, tot tensa ad extorquendam pecuniam retia dices : cùm etsi ex illis aliquæ currentibus ad prædam Iudicibus venatoribus aliquando potuissent obstare, continuò eadem mira arte depressas fiuerit à magistratibus pro arbitrio proculcari. Ista ex antiquioribus, fideque sincera pollentibus scriptoribus referans, scio in me concitasse Iurisconsultorum agmina pro suo Iustiniano pugnantia: verùm satis sit ad defensionem vnica opposita veritas, quam profitemur, & illibatam coli-
E mus & excolimus.

IVSTINIANI TVRPIS AVARITIA.

Ceterùm quæ ab eo iustè pieque restituta vel sancita reperiuntur, vt Dei munus Christianitas non refugit, sicut nec Ethnicorum Imperatorum, eorumdemque Christianorum persecutorum leges iustè decretas; mente illud retinens & ore versans, quod diuina Sapientia clamat [c]: Per me Reges regnant, & legum conditores iusta decernunt : Per me Principes imperant, & potentes decernunt iustitiam.] Hinc videas ipsum quoque S. Gregorium Romanum Pontificem [d] in moderandis etiam rebus Ecclesiasticis vti eiusdem Iustiniani Imperatoris constitutionibus, easdemque citare consueuisse, sicut & aliorum Christianorum Imperatorum, necnon & Gentilium, vt Modestini & aliorum, cùm opus fuit, Iureconsultorum. Quæ verò præter ius fasq; idem Iustinianus suis sanctionibus obseruanda præcepit, Catholica Ecclesia respuit, vt quæ sibi super Ecclesias personasque Ecclesiasticas arroga-
re præsumpsit, quæve de vsuris constituit. Sed in his consule Alciatum [e], licet ei in omnibus minimè

[c] *Prouer.18.*

[d] *Greg.lib.11. epist.54.*

[e] *Alciat parerg.lib.6. c.20.*

minimè assentiamur. Quòd autem inuratur nota Iustiniano de voluntario concesso diuortio; ad eius successorem Iustinum eam legem potiùs pertinere, suo loco dicemus. A

Quæ verò spectant ad eiusdem Imperatoris scripta, seu potiùs aliorum lucubrationes suo ipsius nomine promulgatas: præter illa quæ sunt recensita ipsius de fide edicta, Isidorus de eodem ista habet [a]: Iustinianus Imperator quosdam libros de Incarnatione Domini edidit, quos etiam per diuersas prouincias misit. Condidit quoque rescriptum contra Illyricanam Synodum & aduersus Africanos Episcopos, in quo Tria capitula damnare contendit, &c.] Sed ne quis ex ijs redarguat Suidam, quod analphabetum dixerit Iustinianum tot scriptorum auctorem: nam sicut Triboniani fuisse ciuiles leges, ita & Theodori Cæsariensis scripta suo nomine vulgari voluisse, quæ dicta sunt superiùs docent. At de Iustiniano hactenus.

[a] *Isid. c.* 18.

IVSTINIANI NOMINE VVLGATA SCRIPTA.

Antequam autem ad eius successorem conuertamus orationem, incisas à Narsete prope Romam, cùm adhuc viueret Iustinianus hoc anno, in ponte à se restituto super Anienem fluuium inscriptiones (ne eas amplissimis litteris exaratas non legisse culpæ sit) hîc describamus: sic enim se habent: B

NARSETIS MONVMENTA IN PONTE ANIENIS.

IMPERANTE. D. N. PIISSIMO. AC. TRIVMPHALI. SEMPER IVSTINIANO. PP. AVG. ANN. XXXVIIII
NARSES. VIR. GLORIOSISSIMVS. EX. PRÆPOSITO. SACRI PALATII. EX. CONS. ATQVE. PATRICIVS. POST. VICTORIAM GOTHICAM. IPSIS. EORVM. REGIBVS. CELERITATE. MIRABILI. CONFLICTV. PVBLICO. SVPERATIS. ATQVE. PROSTRATIS. LIBERTATE. VRBIS. ROMÆ. AC. TOTIVS. ITALIÆ. RESTITVTA. PONTEM. VIÆ. SALARIÆ. VSQVE. AD AQVAM. A. NEFANDISSIMO. TOTILA. TYRANNO. DESTRVCTVM. PVRGATO. FLVMINIS. ALVEO. IN. MELIOREM. STATVM. QVAM. QVONDAM. FVERAT. RENOVAVIT] itemque ibi: C

QVAM. BENE. CVRBATI. DIRECTA. EST. SEMITA. PONTIS
ATQVE. INTERRVPTVM. CONTINVATVR. ITER
CALCAMVS. RAPIDAS. SVBIECTI. GVRGITIS. VNDAS
ET. LIBET. IRATÆ. CERNERE. MVRMVR. AQVÆ
ITE. IGITVR. FACILES. PER. GAVDIA. VESTRA. QVIRITES
ET. NARSIM. RESONANS. PLAVSVS. VBIQVE. CANAT
QVI. POTVIT. RIGIDAS. GOTHORVM. SVBDERE. MENTES
HIC. DOCVIT. DVRVM. FLVMINA. FERRE. IVGVM] D

Iam ad ipsum Iustinum veniamus.

IVSTINVS IMPERAT.

Simulac autem ex hac vita Iustinianus discessit, succedit Iustinus ipsius sororis Iustiniani Imperatoris nomine Vigilantiæ filius, patreq; nomine Dulcissimo natus; coniux verò Iustini, Sophia appellata, Theodoræ Augustæ neptis fuit, vt ex Victoris Tunnensis Chronico, & Corippo Africano grammatico, qui Iustini laudes cecinit, apparet: nam pulchrè hîc de ipsius Iustini, matrisq; eius, atque vxoris nominibus:

Mater consilij placidis Vigilantia vestris
Semper inest oculis: quamq; omni pectore gestas,
Alma Augusta tui consors Sapientia regni.
Tu quoque Iustitiæ nomen de nomine sumens, E
Frena regendorum retines firmissima Regum, &c.] Iustinus igitur apud Iustinianum Imperatorem cognationis iure primum sibi vendicauerat locum, ab eodemque Curopalates creatus (ita Græci dicunt magistratum, cui Palatij cura credita erat) qui & Cæsar iam antea dictus fuerat. id quidem Corippus his versibus docet:

Te dominum sacræ quis non prædixerat aulæ,
Cùm magni regeres diuina Palatia patris,
Par extans curis, solo diademate dispar,
Ordine pro rerum vocitatus Curapalatij:
Dispositus iam Cæsar eras. Cùm sceptra teneret
Fortis adhuc senior, regni tu summa regebas

Consilio

A *Consilio moderata graui: Nil ille peregit*
Te sine.] Sed quæ diuinitus de eodem sint præuisa ab Eutychio Patriarcha, Eustathius ita narrat[a]:

[a] *Apud Sur. die 6. April. tom. 2.*

QVAE PRAEDICTA DE FVTVRO IMPERATORE.

Tribus circiter annis ante Imperium Iustini futura prospicienti & magno Pontifici patefactum fuit, ipsum imperaturum: Qui nulla interposita mora, vt eum in Dei timore cõfirmaret, tutiusq; vitam eius ad pietatem incenderet, cùm in Iucundianis quodã die Senatus haberetur, in remotum quemdam locum Dei seruus Iustinum seduxit, quo quidem in loco fenestra erat (hoc enim signum, vt lapidum cumulus olim inter Iacob & Laban testimonium fuit.) Et audi, inquit, amplissime vir: Quãuis ego humilis sim seruus & sacerdos Dei: significauit mihi Deus te post auunculum tuum fore Imperatorem. Quare vide, ne huc illuc occupationibus distraharis: sed attẽde tibi, & operam da, vt dignus euadas, qui Dei per-
B ficias voluntatẽ. His auditis Iustinus, gratias egit Deo, & viro magno respondit in hunc modum: Deus me dignum faciat, vt voluntati eius obtemperem, meq; gubernet & regat arbitrio suo. Et hæc quidem sic facta sunt. Cùm autem vir magnus esset in insula quæ Princepo appellatur, quadam die narrabat nobis: In visione (inquiens) noctis quidam gladium dedit duorum imagines continentẽ, Iustini & coniugis eius, qui & mihi arridebant. Sed quidnam id significaret, ab eo quæsiuit vnus ex ijs qui illic præsto erãt, num illius gladij visione sectionem aliquam, vel rei finem portendi sciret. Minimè, inquit ille; sed hi ipsi regnabunt, & me liberabunt: Imperatorio enim habitu indutos aspexi. Quòd imperauerint, perspicuum est. Quòd autem fuerit liberatus, quodq; exilij eius multę visiones extiterint, omnes nouimus.] hæc Eustathius. Verùm sicut pincerna tardius recordatus est Ioseph[b] in carcere detenti, ita & Iustinus seriùs quàm par erat Eutychium ab exilio reuocauit, & non antequam qui in
C eius locum intrusus fuerat Ioannes ex hac luce discesserit.

[b] *Genes. 40.*

Ex hac vita iam subducto Iustiniano Imperatore, excitatur media nocte Iustinus à Callinico Excubitorum Præposito, & vt habenas sumat Imperij admonetur; progressusq. ad aulam, & Senatu hortante, sumit Imperium: cùm interea componitur exanime Imperatoris cadauer, ornaturq. ad sepulturam, Sophia tunc ipsum veste contexit pretiosa valde, in qua effigiatæ erant eiusdem Imperatoris res gestæ: quæ describitur à Corippo, cùm agit de Sophiæ pietatis tum exhibitis officijs defuncto Iustiniano. Pandemus hîc tibi eam velut picturam in tabula, quam docta manus non penicillo, sed acu formauit. Cùm igitur de paratis agit exequijs, pompaque funeris adornata, hos etiam habet versus:

Exequijs adiecit solito plus dona paternis:
Iteq; contractas denso iubet agmine turbas:
D *Et tulit intextam pretioso murice vestem,*
Iustinianorum vbi tota laborum* * series
Nexo auro insignita fuit, gemmisq; coruſca.
Illic barbaricas flexa ceruice phalanges,
Occisos Reges, subiectasq; ordine gentes
Pictor acu tenui multa formauerat arte,
Fecerat & fuluum distare coloribus aurum,
Omnis vt aspiciens ceu corpora vera putaret.
Effigies auro, sanguis depingitur ostro.
Ipsum autem in media victorem pinxerat aula
Effera Vuandalici calcantem colla tyranni,
E *Plaudentem Libyam fruges laurumq; ferentem:*
Addidit antiquam tendentem brachia Romam
Exerto & nudo gestantem pectore mammam
Altricem Imperij, libertatisq; parentem.
Hoc ideo fieri viuax Sapientia iussit,
Ornatum vt proprijs funus regale triumphis
Augustum in tumulum fatalis duceret hora.] hæc de ornatu cadaueris atque feretri.

DE VESTE AVRO PICTA.

Ceterùm idem post multa subdit auctor, nullum fermè vas fuisse, in quo non sculptæ essent victoriæ eiusdem Imperatoris imagines; nam ait:

Ipse triumphorum per singula vasa suorum
Barbarico historiam fieri mandauerat auro,

TRIVMPHALIA VASA.

Tempore quo captis iniecit vincla tyrannis
Iuſtinianus ouans quarto cum Conſule Princeps
Alta triumphali terret Capitolia pompa.] A

At ita compoſito ad funus Iuſtiniani feretro, illud minimè tamen effertur, niſi poſtquam inſignia Iuſtinus accepit Imperij; quæ quidem nec recipere voluit, niſi conſulto oratoq; numine, & religionis officijs perſolutis: nam idem hæc de his cecinit auctor:

Ipſe autem procerum magnis oratibus actus
Non primùm Imperij regalia ſigna recepit,
Ni ſacrata priùs ſupplex oracula poſcens,
Effuſis precibus Chriſto ſua vota dicaret.
Ilicet Angelici pergens in limina templi,
Impoſuit pia thura focis, cerasq; micantes B
Obtulit, & ſupplex lacrymis ita cæpit obortis:
Omnipotens Princeps, &c.] quod item pietatis opus ipſa eius vxor Sophia

IVSTINVS A IOANNE EPISCOPO CORONATVR.

Teorſum exſoluit.

Expletis verò quæ ſolerent à proceribus exhiberi ſolẽnijs, à Patriarcha Ioanne idem Iuſtinus benedictionem accepit atque coronã: quod pulchrè his verſibus idem poëta deſcribit:

Poſtquam cuncta videt ritu peracta priorum,
Pontificum ſummus, plenaq; ætate venuſtus
Aſtantem benedixit eum; cæliq; parentem
Exorans Dominum, ſacro diademate iuſſit
Auguſtum ſancire caput; ſummoq; coronam
Imponens apici, &c.] C

Poſt hæc autem diademate inſignitum & in ſolio collocatum, acclamationibus abſolutis orationem habuiſſe teſtatur ad populum, quam deſcribit: ante cuius exordium cùm ſignaſſe cruce frontem tradat, veterem morem intellige, conſueuiſſe nimirum Fideles ante concionem præmittere crucis ſignum: nam audi:

SIGNO CRVCIS SE MVNIT ET LIGNO IMP.

Ipſe coronatus ſolium conſcendit auitum,
Atque crucis faciens ſignum venerabile, ſedit:
Erectaq; manu, cuncto præſente Senatu,
Ore pio hæc orans ait: Super omnia regnans
Regna Deus, &c.] At non manu tantùm ſignaſſe crucis ſignum, ſed & ligno ſacratiſſimæ Dominicæ crucis frontem exornaſſe, idem inferiùs docet, hæc dicens:

Egreditur cum luce ſua, frontemq; ſerenam
Armauit ſancti faciens ſignacula ligni. D

In frontibus enim Regum crucem fulgere cõſueuiſſe, ſuperiùs auctoritate Patrũ, alia id poſcẽte occaſione, dixiſſe meminimus.

Poſt hæc autem vbi ad populũ peroraſſet, atque eius querelas lugubribus editas vocibus percepiſſet, quibus dolebat iniuſtè exactionibus vexatum à prædeceſſore Principe, & ab eo debita non eſſe ſoluta: Iuſtinus ſua vnicuique reddenda præcipit, & æs alienum Iuſtiniani diſſolui iubet. Hæc autem pereleganter Corippus his verſibus cecinit:

IVSTINIANI AES ALIENVM DISSOLVIT IVSTINVS.

Flere diu tantis lacrymis non paſſus acerbis,
Condoluit miſerans, & ſe pietate ſubegit
Legibus vltro ſuis: Aliena pecunia, dixit,
Reddenda eſt. Viuus patri qui ſubſtitit heres
Theſauros fidis priuatos ferre miniſtris E
Imperat. Innumeræ mox aduenere cateruæ,
Fortia centenis oneratq; brachia libris
Depoſuere humeris: turmæ glomerantur in vnum,
Et totus fuſo Circus reſplenduit auro.
Tunc poſita ratione palàm, populoq; videnti,
Debita perſoluit genitoris, cauta recepit.
Gaudia quanta illic, quantus fauor! vndique lætus
Tollitur in cælum populorum clamor ouantum, &c.]

Hæc quidem omnia profectò redarguunt Iuſtiniani prædeceſſoris auaritiam, ne recitata ſuperiùs ex Euagrio eſſe calumnias & ex prauo ea ſcribẽtis animo prodijſſe quis putet. Præter hæc etiam de cauendis delictis Iuſtinum populum admonuiſſe, tradit auctor. Sed nec prætermi-

A prætermisisse quæ ad Ecclesiarum statum pertinere videbantur, testatur Euagrius, qui vbi plura præcedentibus consentientia narrauit, hæc addit: At primùm dat mandatum, vt omnes Episcopi & sacerdotes, qui ex omnibus locis in vnum Constantinopoli cõuocati erant, ad suas ipsorum dimitterentur sedes, vti consuetos cultus Deo sanctè religioseq; adhiberẽt, monens ne quisquam quod ad fidem pertineret nouare moliretur. Atque istud quidem eius factum in laude ponendum est.] hæc Euagrius.

Sed quæ ad Iustiniani Imp. funus spectant, quod postea curatum constat, pauca quędam hîc ex eodẽ Corippo cuncta exactè prosequente describenda putamus, vtpote quę ad Christianum cultum pertinere noscuntur, atque primùm de multiplicibus luminaribus celebri pompa delatis, cùm ait:

LVMINARIA EXORNANT FVNVS.

B *——— Vasa aurea mille,*
Mille columnarum species, argentea mille,
Quæ super impositis implebant atria ceris,
Ordine cuncta suo, patrum sic more parata.] Vasa illa fuisse intelligas multiplicia instrumenta pretiosorum diuersi generis candelabrorum ad portandos cereos fabrefactorum, quorum superiùs diuersis in locis mentio facta est. Subdit verò de his quæ ferebantur condiendi causa cadaueris.

VNGVENTIS CONDITVR CORPVS IMP.

Thura Sabæa cremant: fragrantia mella locatis
Infundunt pateris, & odoro balsama succo:
Centum aliæ species, vnguentaq; mira feruntur
Tempus in æternum sacrum seruantia corpus.] Et inferiùs de procedente populo, & psalmodia qua religiosam prosequebantur funeris pompam:

C *——— tota populus processit ab aula:*
Mæstaq; funereas accendunt agmina ceras.
Omnis in exequias sexus conuenit & ætas.
Quis memorare potest tantæ miracula pompæ?
Hinc Leuitarum mirabilis ordo canentum,
Virgineus tonat inde chorus: vox æthera pulsat.] At hæc satis ad insinuandam veterem Ecclesię Catholicæ consuetudinem in celebritate funerum Fidelium defunctorum, per singula tempora vsque in præsens religiosissimè propagatam. Sed de funere Imperatoris ad aliud Regis funus transeamus.

Hoc enim anno & Clotarius Rex Francorum, cùm ageret ab obitu Clodouei annos quinquaginta & vnum in regno, ex hac vita migrauit: de quo ista Gregorius [a], res sui temporis scriptis prosequens: Rex verò Clotarius anno quinquagesimoprimo sui regni cum multis muneribus limina beati Martini expetijt; & aduenies Turonos ad sepulchrum antedicti Antistitis, cunctas actiones, quas fortasse negligenter egerat, replicans, & orans cum grandi gemitu, vt pro suis culpis beatus Confessor Domini misericordiam exoraret, ea quæ irrationabiliter commiserat, suo obtentu dilueret. Exin regressus quinquagesimoprimo regni sui anno, dum in Cotia silua venationem exercet, à febre corripitur, & exinde Compendium villam redijt; in qua cùm grauiter vexaretur à febre, aiebat, Vah quid putatis? qualis est ille Rex cælestis, qui sic tam magnos Reges interficit? In hoc enim tædio positus, spiritum exhalauit.] Quod ad eius culpas pertinet: ipsum quidem compluribus delictis obnoxium, potissimùm verò incestis nuptijs infamatum, sæpe excommunicatum fuisse à S. Nicetio Episcopo Treuerensi, idem Gregorius in rebus gestis eiusdem Episcopi, quas

D

E conscripsit, affirmat. sed de eius sepultura vbi suprà idem auctor hæc addit: Quatuor filij sui cum magno honore Sueßionas deferentes, in basilica beati Medardi sepelierunt] loco scilicet quem delegerat ad basilicam construendam, quam tamen filius Sigebertus construxit. ac demum: Obijt autem post vnum decurrentis anni diem, quo Chramnus fuerat interfectus.] hæc Gregorius.

[a] *Greg. Turo. hist. Franc. lib. 4 c. 21.*

CLOTARII FRANCORVM REGIS OBITVS.

Defuncto Clotario, quatuor eius filij inter se partiti sunt regnum, nempe Charibertus, Chilpericus, Guntheramnus, & Sigebertus: quorum Charibertus regni sedem tenuit Parisijs, Chilpericus Sueßionis, Guntheramnus Aurelianis, Sigebertus Rhemis. Porrò horum omnium religiosissimus habitus est Sigebertus. Hic enim simulac accepit patrem esse defunctum, nihil antiquius habuit, quàm vt sanctum Nicetium Treuerensem Episcopum ab eo in exilium amandatum postliminio reuocaret: de quo ista in Vita eiusdem S. Nicetij Gregorius habet [b]:

QVATVOR FILII CLOTARII REGNANT IN GALLIIS.

[b] *Greg. Turo. Vit. S. Nicet. cap. 1.*

Sanctus

Sanctus Nicetius quotidie prædicabat populis, denudans crimina singulorum, & pro re- A
missione deprecãs assiduè confitentium: vnde aduersus eum sæpiùs odij virus exarsit, quod tam veraciter multorum facinora publicaret. Nam plerumque se persequentibus vltro obtulit, gladio exerto ceruicem præbuit: sed nocere ei Dominus non permisit. Voluit namque pro iustitia mori, si persecutor fuisset infestior. aiebat enim: Libenter moriar pro iustitia. Sed & Clotarium Regem pro iniustis operibus sæpiùs excommunicauit; exiliumq. minante eo, numquam est territus. Quodam verò tempore, cùm ad exilium ductus, ab reliquis Episcopis, qui adulatores Regis effecti fuerant, remotus esset, atque à suis omnibus derelictus: vni diacono, qui adhuc perstabat in fide, ait: Quid tu nunc agis? quare non sequeris fratres tuos & eos quos volueris, sicut & illi fecerunt? Qui ait: Viuit Dominus Deus meus, quia vsque-

SIGEBERTVS REX LIBERAT AB EXILIO S. NICETIVM.

quo spiritus meus intra hos artus contentus fuerit, numquam derelinquam te. Et ille: Quia (inquit) hæc dixisti, dicam tibi quæ Domino reuelante cognoui: Cras enim in hac hora & B
honorem recipiam, & Ecclesiæ meæ restituar. Hi autem qui me dereliquerunt, cum magno pudore ad me confugient. Præstolabatur itaque diaconus rem promissam attonitus: quod postea est expertus. Illucescente enim die crastina, subitò aduenit legatus Sigeberti Regis cum litteris, nuncians Clotarium Regem esse defunctum, seq; regnum debitum cum Episcopi charitate debere percipere. Hæc ille audiens, ad Ecclesiam regressus, potestati restituitur; confusisq. ijs à quibus derelictus fuerat, omnes in charitate recepit.] hucusque Gregorius, qui & alia sanctissimi Præsulis egregia facta scriptis mandauit.

PESTIS INGVINARIA ITALIAM VASTAT.

Hoc eodem anno (quo nimirum Iustinianus Imperator mortuus est) pestis illa vehemẽs, inguinaria dicta, vniuersam inuasit Italiam, peruasitq; etiam regiones Boreales; de qua ista habet Paulus diaconus [a]: Ijsdem temporibus in Liguria prouincia maxima pestilentia exorta est. Subitò enim apparebant quædam signacula per domos, ostia, vasa, vestimenta; quæ si C
quis voluisset abluere, magis magisq. apparebãt. Post annum verò expletũ cœperunt nasci in inguinibus hominũ & alijs delicatioribus locis glandulæ in modum nucis, seu dactyli, quas mox sequebatur febris intolerabilis æstus, ita vt triduo homo extingueretur. Sin verò aliquis triduum transegisset, habebat spem viuendi. Erat vbique luctus, vbique lacrymæ. Nam (vt vulgi rumor habebat) fugientes cladem aut vitantes relinquebant domos desertas habitatoribus, solis catulis eas seruantibus: pecuaria sola remanebant in pascuis, nullo astante pastore. Cerneres villas & castra agminibus hominum repleta, postero die, vniuersis fugientibus, in summa vastitate & silentio. Fugiebant filij, insepulta parentum relinquentes cadauera. Si quem fortè antiqua pietas perstringebat, vt vellet sepelire proximum, restabat ipse insepultus: & dum obsequebatur, perimebatur: dum offerre obsequium defunctis prẽmeditabatur, ipse sine obsequio futurum cadauer remanebat: vt videres seculum in antiquum re- D
dactum silentium. Nulla vox audiebatur, nisi gemẽtium in morte, nullus pastorum sibilus,
* nullæ ferarũ insidiæ parabantur.* pecudibus nulla damna domesticis volucribus: fata transgressa metendi tempora intacta expectabant messores. Vineæ amissis folijs, radiãtibus vuulis, illæsæ remanebant, hieme appropinquante. Nocturnis horis personabat tuba bellãtium: audiebatur à pluribus quasi murmur exercitus: nulla erant vestigia commeantium: nullus cernebatur percussor, & tantum visus oculorum superabant cadauera mortuorum. pastoralia loca conuersa fuerant in hominum sepulturas, & habitacula humana facta fuerant habitacula bestiarum. Et hæc quidem mala intra Italiam tantùm vsque ad fines Alemannorum & Baioariorum solis Romanis accidere. Inter hæc Iustiniano Principe è vita decedente, &c.] hæc Paulus diaconus. At quę de eadem lue vbique pauenda scripserint duo Gregorij, res gestas suorum temporum prosequentes, his subijciam. E

Hæc planè pestis illa fuit, cuius S. Gregorius Papa meminit in Dialogis, miraque narrat
[b] *Greg. dial. lib. 4. c. 26.* verbis istis [b]: Ammonius mihi iam in monasterio positus narrauit, quòd in ea mortalitate, quæ Patricij Narsetis temporibus hanc vrbem vehementer afflixit, in domo prædicti Valeriani puer armentarius fuit præcipuæ simplicitatis & humilitatis. Cùm verò eiusdem aduocati domus eadem clade vastaretur, idem puer percussus est, & vsque ad mortem deductus.

PRODIGIVM DE PVERO PESTE PERCVSSO.

Qui subitò sublatus à præsentibus, redijt, sibique dominum suum vocari fecit. Cui ait: Ego in cælo fui, & qui de hac domo mortui sunt, agnoui: Ille, ille, & ille mortui sunt. Tu verò ne timeas: quia in hoc tempore moriturus non es. Vt verò scias, quia me in cælum fuisse, verum fateor: ecce accepi illic vt linguis hominum loquar. Numquid tibi incognitum fuit Græcam me linguam omnino non nosse? & tamen Græcè loquar, vt cognoscas an verum sit, quòd me linguas hominum accepisse testificor. Cui tum Græcè dominus suus locutus

A est, atque ille in eadem lingua respondit; vt cuncti qui aderant, mirarentur. In eadem quoque domo prædicti Valeriani Narses spatharius Bulgar manebat; qui festinè ad ægrum deductus, ei Bulgarica lingua locutus est: sed ita puer in Italia natus, & nutritus in eadem, barbara locutione respondit, ac si fuisset ex eadem gente generatus. Mirati sunt omnes qui audiebant; atque ex duarum linguarum experimento, quas eum antè nescisse nouerant, crediderunt de omnibus, quæ probare minimè valebat. Tunc per biduum mors ei dilata est: sed die tertio (quo occulto Dei iudicio, nescitur) manus & brachia, lacertosq; suos dentibus laniauit, & ita de corpore exiuit.] hæc Gregorius. Sanè quidem & in amentiam quoque atque furorem deducere homines consueuisse pestem illam, Gregorius Turonensis testatur. Nec verò de alia planè lue meminit idem Gregorius, quàm de ista tùc grassante in Gallias: non enim Italiæ terminis contineri potuit, sed & exteras regiones Gallias atque Germa-
B niam peruasit, vt ex pluribus Gregorij locis apparet; qui in primis quomodo Rhemensis ciuitas fuerit liberata, ita describit [a]:

Sed nec illud sileri placuit, quod illo gestum est tempore, cùm lues inguinaria populum Primæ Germaniæ deuastaret. Cùm autem omnes terrerentur huius cladis auditu, cucurrit Rhemensis populus ad S. Remigij sepulchrum, congruum huius causæ flagitare remedium. Accensis cereis, lychnisq; non paucis, hymnis, psalmisq; cælestibus per totam excubat noctem. Manè autem facto, quid adhuc precatui desit, in tractatu rimatur. Reperiunt etenim, reuelante Deo, qualiter oratione præmissa, adhuc maiori propugnaculo vrbis propugnacula munirentur. Assumpta igitur palla de beati sepulchro, componunt in modum feretri: accensisq; super cruces cereis atque ceroferalibus, dant voces in canticis: circumeunt vrbem
C cum vicis, nec prætereunt vllum hospitium, quod non hac circuitione conclaudant. Quid plura? Non post multos dies, fines huius ciuitatis lues aggreditur memorata. Verumtamen vsque ad eum locum accedens, quo beati pignus accessit, ac si constitutum cerneret terminum, initio ingredi non modò non est ausa, sed etiam quæ in principio peruaserat, huius virtutis repulsu reliquit.] hæc Gregorius: qui & quonam modo Treuerensis etiam ciuitas ab eadem ingruente tunc lue fuerit liberata per S. Nicetium hoc tempore eius Episcopum, narrat in libello, quo eiusdem Sancti res gestas prosecutus est, his verbis [b]:

Cùm autem lues inguinaria Treuericum populum in circuitu ciuitatis valde vastaret, & sacerdos Dei pro ouibus commissis Domini misericordiam imploraret assiduè: factus est sonus de nocte magnus tamquam tonitruum validum super pontem amnis, ita vt putaretur vrbs ipsa absorberi. Cumque omnis populus exterritus in lectulis resedisset, letiferum sibi interitum opperiens: audita est in medio vox vna ceteris clarior, dicens: Et quid hîc, ô socij,
D faciemus? Ad vnam enim portam Eucharius sacerdos obseruat, ad aliam Maximinus excubat, in medio versatur Nicetius: nihil hîc vltrà præualere possumus, nisi sinamus hanc vrbem eorum tuitioni. Hac audita voce, statim morbus quieuit, nullusq; ab eo vltrà defunctus est. Vnde non ambigitur, virtute memorati Antistitis fuisse defensam.] hæc Gregorius de eadem agens inguinaria lue. Quomodo etiam precibus S. Galli Episcopi populus Aruernensis sit liberatus, idem auctor hæc ait [c]:

Huius tempore, cùm lues illa, quam inguinariam vocant, in diuersas regiones desæuiret, & maximè tunc Arelatensem prouinciam depopularetur: sanctus Gallus Aruernensis Episcopus non tantum pro se, quantum pro populo suo trepidus erat. Cumque die noctuque pro populo deprecaretur, vt veniens plebem suam vastari non cerneret: per visum noctis apparuit ei Angelus Domini, qui tam cæsariem quàm vestem in similitudinem niuis
E candidam efferebat; & ait ad eum: Benè enim facis, ô sacerdos, quòd sic Dominum pro populo tuo supplicas: exaudita est enim oratio tua, & ecce eris cum populo tuo ab hac infirmitate liberatus; nullusque te viuente, in regione ista ab hac strage deperiet: nunc autem ne timeas, post octo verò annos time. Vnde manifestum fuit, transactis his annis, eum è sæculo discessurum. Expergefactus autem, & Deo gratias pro hac consolatione agens, quòd eum per cęlestem nunciũ confortare dignatus est, Rogationes illas instituit, vt media Quadragesima psallendo ad basilicam beati Iuliani martyris itinere pedestri venirent. sunt enim in hoc itinere quasi stadia trecenta sexaginta. Tunc etiam in subita contemplatione parietes vel domorum vel ecclesiarum signari videbantur; vnde à rusticis hæc scriptio Thau vocabatur. Cùm autem regiones alias (vt diximus) lues ista consumeret, ad ciuitatem Aruernam, S. Galli intercedente oratione, non attigit. Vnde hanc non paruam censeo gratiam, qui hoc meruit, vt pastor positus oues suas deuorari, defendente Domino, non videret.]

hæc Gre-

[a] *Gregor. de Glor. conf. c. 79.* RHEMENSES EFFVGIVNT PESTEM OPE S. REMIGII.

[b] *Greg. Turo. in libel. vitæ S. Nicetij.* S. NICETIVS LIBERAT TREVERENSES AB INGVINARIA.

[c] *Greg. hist. Franc. lib. 4. c. 5. & in Vita S. Galli.* S. GALLVS LIBERAT ARVERNENSES AB INGVINARIA.

hæc Gregorius,qui eadem repetit,cùm eiuſdem S.Galli collectas res geſtas conſcripſit. Sed quid poſt annos octo timendum eſſe Angelus prædixit, cùm videlicet ipſo Sancto defuncto,in locum eius ſubrogatus eſt Cautinus Epiſcopus Aruernenſis, ſuo loco dicturi ſumus. At è Gallijs in Britanniam inſulam tranſeamus. A

Hoc enim anno gens Pictorum in Britannia inſula commorantium ad Chriſti fidem per ſanctum Columbanum perducta eſt. Rem geſtam certa temporis nota ſignatam Beda narrat his verbis[a]:

[a] *Beda de Geſtis Angl. lib. 3. c. 4.*

CONVERSIO PICTORVM SEPTENTRIONALIVM.

Anno incarnationis Dominicæ quingenteſimo ſexageſimoquinto (quo tempore gubernaculum Romani Imperij poſt Iuſtinianũ Iuſtinus Iunior accepit) venit de Hibernia preſbyter & Abbas habitu & vita monachi inſignis,nomine Columbanus, in Britanniam prædicaturus verbum Dei prouincijs Septentrionalium Pictorum, hoc eſt, eis qui arduis atque horrentibus montium iugis ab Auſtralibus eorum ſunt regionibus ſequeſtrati. Namque ipſi Auſtrales Picti,qui intra eoſdem montes habent ſedes,multo antè tempore (vt perhibẽt) relicto errore idololatriæ, fidem veritatis acceperant, prædicante eis verbum Nynia Epiſcopo reuerendiſſimo & ſanctiſſimo viro de natione Britonum, qui erat Romæ regulariter fidem & myſteria veritatis edoctus: cuius ſedem Epiſcopatus S.Martini Epiſcopi nomine & eccleſia inſignem (vbi ipſe etiam corpore cum pluribus Sanctis requieſcit) iam nunc Anglorum gens obtinet: qui locus ad prouinciam Berniciorum pertinens, vulgò vocatur Ad candicam caſam,eo quòd ibi eccleſiam de lapide,inſolito Britonibus more,fecerit. B

S.COLVMBANVS ABBAS PICTORVM APOSTOLVS.

Venit autem in Britanniam Columbanus, regnante Pictis Bridio filio Meilochon Rege potentiſſimo,nono anno regni eius: gentemq; illam verbo & exẽplo ad fidem Chriſti conuertit: vnde & præfatam inſulam ab eis in poſſeſſionem monaſterij faciendi accepit: neque enim magna eſt,ſed quaſi familiarum quinque iuxta æſtimationem Anglorum: quam ſucceſſores eius vſque hodie tenent, vbi ipſe ſepultus eſt poſt annos circiter trigintaduos, ex quo ipſe Britanniam prædicaturus adijt. C

Fecerat autem ſibi,priuſquã in Britãniam veniret,monaſterium nobile in Hibernia, quod à copia roborum Dearnach,lingua Scotorum,hoc eſt,Campus roborum,cognominatur. Ex quo vtroque monaſterio plurima exinde monaſteria per diſcipulos eius & in Britannia & in Hibernia propagata ſunt: in quibus omnibus idem monaſterium inſulanum,in quo ipſe requieſcit corpore,principatũ tenet. Habere autẽ ſolet ipſa inſula rectorem ſemper Abbatem preſbyterum, cuius iuri & omnis prouincia & ipſi etiam Epiſcopi ordine inuſitato debeant eſſe ſubiecti,iuxta exẽplum primi doctoris illius,qui non Epiſcopus, ſed preſbyter extitit & monachus: de cuius vita & verbis nonnulla à diſcipulis eius feruntur ſcripta haberi.

Verùm qualiſcumque fuerit ipſe,nos hoc de illo certum tenemus, quòd reliquit ſucceſſores magna continentia,ac diuino amore,regulariq; inſtitutione inſignes: in tempore quidem ſummæ feſtiuitatis, *Paſchatis ſcilicet*, dubios circulos ſequentes, vtpotè quibus longè vltra Orbem poſitis nemo Synodalia Paſchatis obſeruantiæ decreta porrexerat: tantùm ea quæ in Propheticis,Euangelicis, & Apoſtolicis litteris diſcere poterant, pietatis & caſtitatis opera diligenter obſeruantes. Permanſit autem huiuſmodi obſeruantia Paſchalis apud eos tempore non pauco, hoc eſt, vſque ad annum Dominicæ incarnationis ſeptingenteſimum decimumſextum,per annos centum quinquaginta. At tunc veniente ad eos reuerendiſſimo & ſanctiſſimo patre & ſacerdote Egberto de natione Anglorum, qui in Hibernia diu exulauerat pro Chriſto, & erat doctiſſimus in Scripturis, & longæua vitæ perfectione eximius: correcti ſunt per eum, & ad verum canonicumq; Paſchæ diem tranſlati.] Sed de his inferiùs ſuo loco. D

PICTORVM CHRISTIANORVM ERROR DE DIE PASCHATIS CELEBRANDO.

E

QVi ſequitur annus Redemptoris quingenteſimus ſexageſimusſextus,idem Iuſtini Imp. primus numeratur,inchoatus tamen ab anno ſuperiori menſe Nouembri,Indictionis decimæquartæ:quo idem Imp.Conſul creari voluit. Intermiſſus diu à Cõſulatu Baſilij eiuſmodi magiſtratus populum nonnihil mæſtum reddiderat; exhilaratus verò eſt, cum Iuſtinus reſtituendum Conſulatum fore promiſit: nam hæc Corippus[b] ex Iuſtini perſona:

[b] *Corip. in laud. Iuſtini lib. 2.*

Non

A *Non solùm optati iubeo spectacula Circi:*
Præmia sed populis & maxima dona parabo:
Ditabo plebes opibus: nomenq; negatum
Consulibus Consul post tempora cuncta nouabo,
Gaudeat vt totus Iustini munere mundus.
Dona Kalendarum properant vicina mearum.
Vos vestris adstate locis, properate, parate,
Promissaq; die nostras sperate curules.
Expauit gaudens inopino nomine vulgus
Consulis audito: natus fragor, itq; tumultus
Per latos ingens, *fremit vndique murmur,*
B *Ingeminantq; cauos dulci modulamine plausus.*]

Aduenientibus igitur ipsis Kalend. Ianuarijs Consulatum iniens Imp. donatiuum more maiorum dedit, templumq; petijt Deo acturus gratias more Christiano, non Gentili, quo Romani olim consueuerunt ascendere Capitolium. Sed audi ipsum Corippum:

——— *Hunc*, Christum scilicet, *mente fideli*
Regnator Iustinus amans, trabeatus ab aula
Egrediens, templum primus sublime petiuit,
Atque Deo grates solita pietate peregit.
Plurima votorum sacrauit dona suorum,
Immensoq; pium ditauit munere templum:
Obtulit & ceras, sed mitis voce petiuit,
C *Corde humilis, dextraq; Dei benedictus abiuit.*
Plus exaltatus, plus iustificatus in ipsum,
Quòd se humilem stans ante Deum, veramq; fatetur
Quam retinet pietate fidem.] alludit hæc dicens auctor ad fidei professionem, quam nouus creatus Imperator ipso sui Imperij initio publicè exhibere sosebat.

Quòd verò periclitantem nactus esset statum Imperij ob fidem Catholicam à prædecessore magnoperè (vt dictum est) perturbatam, edictum etiam de fide conscripsit, quo consultum voluit fidei Orthodoxæ, recitatur illud ab Euagrio istis verbis[a]:

[a] *Euag. lib. 5. cap. 4.* IVSTINI IMP. DE CATHOLICA FIDE EDICTVM.

In nomine Domini Iesu Christi Dei nostri, Imp. Cæsar Fl. Iustinus, fidelis in Christo, Mansuetus, max. Beneficus, Alemannicus, Gothicus, Germanicus, Atticus, Francicus, Herulicus, Gipedicus, Pius, Fortunatus, Gloriosus, Victor, Triumphator, semper Augustus.

D Pacem meam do vobis, inquit[b] Christus Dominus verus Deus noster: pacem meam relinquo vobis, idem Dominus omnibus prædicat. Atque istud aliud nihil est, quàm vt credentes in eum, ad vnam eamdemq; Ecclesiam se conferant, & in recta Christianorum fide ipsi inter se consentiant; eosq. qui ei contradicunt, opinionémve aduersariam consectantur, penitus detestentur. Est enim prima omnibus hominibus salus, ingenua veræ fidei cõfessio. Quocirca nos tum præceptis Euangelicis, tum sancto Symbolo, id est, doctrinæ sanctorum Patrum obsequentes, hortamur omnes, vt ad vnam eamdemq; Ecclesiam & disciplinam se recipiant, credentes in Patrem & Filium & Spiritum sanctum, Trinitatẽ consubstantialem, Vnam Deitatem, id est, naturam & substantiam ratione & re ipsa vnam, vim, potentiam & facultatem vnam in tribus personis glorificantes, in quibus baptizati sumus, in quas credimus, quibus in vnum coniungimur. Vnitatem in Trinitate, & Trinitatem in Vnitate ado-
E ramus, tum diuisionem habentem, tum coniunctionem planè admirabilem: vnitatẽ secundùm substantiam, id est, Diuinitatem: Trinitatem secundùm proprietates, id est, personas (diuiditur enim ratione, vt ita dicam, indiuidua, coniungitur autẽ diuidua: siquidem Diuinitas vnum est in tribus, & tres vnũ, in quibus est Diuinitas, vel, vt accuratiùs dicã, quæ sunt ipsa Diuinitas) Deum Patrem, Deum Filium, Deum Spiritum sanctum: quandoquidẽ singulæ personæ per se considerãtur, mente ea quæ seiungi non possunt seiungente; Deum nimirum tres esse personas, quæ in vnũ motus & naturæ (vt ita dicã) identitate cõiunctæ intelliguntur. Nam oportet & vnũ confiteri Deum, & tres personas siue proprietates prædicare.

Confitemur etiam ipsum vnigenitum Filium Dei, Deum Verbum ante sęcula & ab æternitate à Patre genitum, non factum, & in nouissimis diebus propter nostram salutem descendisse de cælis, & incarnatum ex Spiritu sancto, & ex domina nostra sancta & gloriosa Deipara semperque Virgine Maria, & natum ex ea: qui est æqualis Patri & Spiritui sancto.

[b] *Ioan. 14.*

Nam

Nam quartæ perſonę acceſſionem, id eſt, Dei Verbi incarnati, qui eſt vna perſona Trinitatis, A ſancta Trinitas non admittit: ſed eſt vnus & idē Dominus noſter Ieſus Chriſtus, qui eſt conſubſtantialis Patri ſecundùm Diuinitatē, nobis autem conſubſtantialis ſecundùm humanitatem, patibilis quidē carne, Diuinitate autē impatibilis. Non enim alium Deum Verbum qui miracula edidit, & aliū qui paſſus eſt, agnoſcimus: ſed vnum eumdemq. cōfitemur Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum Dei Verbum incarnatū & verè hominem factum, & tum miracula quæ edidit, tum afflictiones quas ſua ſponte pro noſtra ſalute carne ſuſtinuit, vnius & eiuſdem fuiſſe. Nam non homo aliquis ſe ipſum pro nobis tradidit, ſed ipſe Deus Verbum, qui ſine Diuinitatis mutatione factus eſt homo, & ſua ſponte paſſionem & mortem pro nobis ſubijt. Quapropter dum Deum illum confitemur, non inficiamur hominem eſſe: & dum illum confitemur hominem, Deum eſſe nō negamus. Vnde dum vnum Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum ex vtraque naturā Diuinitate & humanitate conſtare aſſerimus, B non confuſionem in vnitate introducimus. Etenim quod ſecundùm noſtram naturam factus ſit homo, non deſinet eſſe Deus: neque quod Deus ſit ſecundùm ſuam naturam, ſimilitudinemq; habeat noſtræ ſimilitudinis haud capacem, homo eſſe detrectabit: ſed manet ſicut Deus in humanitate, ſic non minùs in Diuinitatis præſtantia homo.

Ambo igitur in eodem, & vnus Deus pariter & homo, qui eſt Emmanuel. Eumdem porrò dum perfectum in Diuinitate, perfectum quoque in humanitate, ex quibus duabus rebus conſtat, concedimus; vni eius compoſitæ perſonæ diuiſionem, ſectionémve particularem non inferimus, ſed naturarum ſignificamus differentiam, quæ propter copulationem minimè tollitur. Siquidem neque diuina natura mutata eſt in humanam, neque humana natura in diuinam conuerſa: ſed quia vtraque in propriæ naturæ finitione rationeq; meliùs intelligatur, exiſtatque, idcirco copulationem factam in perſona dicimus. Copulatio autem C quæ eſt in perſona, oſtendit Deum Verbum, hoc eſt, vnam ex tribus perſonis in Diuinitate, non homini qui antè extitit, coniunctum fuiſſe, ſed in vtero dominæ noſtræ ſanctæ & glorioſæ Deiparæ & ſemper Virginis Mariæ ſibi ex ea in propria perſona carnem nobis conſubſtantialem, & ijſdem nobiſcum affectionibus, peccato excepto, obnoxiam, eamq; animā rationis & intelligentiæ participe imbutam fabricaſſe. In ſe namque propriam habuit perſonam, & factus eſt homo, & eſt vnus & idem Dominus noſter Ieſus Chriſtus eiuſdem cum Patre & Spiritu ſancto particeps gloriæ.

Ac dum mente complectimur inexplicabilem eius copulationem, confitemur verè vnam naturam Dei Verbi incarnatam carne anima rationali & mentis participe imbuta. Rurſus autem cùm cogitatione comprehendimus naturarum differentiam; duas naturas, nulla tamen inducta earum diréptione, aſſerimus. Nā in eo vtraque ineſt natura: & propterea vnum D & eumdem confitemur Chriſtum, vnum Filium, vnam perſonam, ſiue vnam proprietatem eſſentiæ diuinæ, Deum pariter & hominem. Quocirca omnibus qui iſtis contraria vel ſenſerunt vel ſentiunt, denunciamus anathema, alienosq. à ſancta Catholica & Apoſtolica Dei Eccleſia iudicamus. Et cùm recta veraq; dogmata, quæ ſancti Patres nobis tradiderūt, nobis prædicata ſint: hortamur vos omnes, immo verò etiam obſecramus, vt in vnam eamdemq; Catholicam & Apoſtolicam Eccleſiam coaleſcatis. Nam non grauamur, licet ſimus in hoc eximio Imperij gradu locati, eiuſmodi verbis pro omnium Chriſtianorum concordia & coniunctione vti, eo quidem conſilio, vti omnes vno ore laudem & gloriam Dei optimi maximi & Saluatoris noſtri Ieſu Chriſti celebrent; & nemo de reliquo vlla de cauſa vel de perſonis Trinitatis, vel de vlla ſyllaba in ea comprehenſa digladietur: quandoquidem ipſæ ſyllabæ nos ad vnam & ſinceram fidem ſententiamque ferant, & eadem conſuetudo & E modus in ſancta Catholica & Apoſtolica Dei Eccleſia hactenus omnino firmus & minimè nouatus manſerit, & in vniuerſum poſterum tempus manſurus ſit.] hucuſque Iuſtini Imp. edictum. Pergit verò Euagrius:

PROBE IACTA IMPERII FVNDAMENTA.

Huic edicto quamquam conſenſere omnes, illudq; ſicut vera fides poſcit, editum dixere: membra tamen Eccleſiæ, quæ opinionum varietate diſtracta erant, minimè fuerunt ad concordiam reducta: propterea quòd edictum planè & apertis verbis ſignificarit, vnam conſuetudinem in Eccleſijs firmam & minimè nouatam hactenus manſiſſe, & in poſterum tempus manſuram.] hæc Euagrius. Iecit ſtabiliendo Imperio hæc fundamenta Iuſtinus, ex quibus magna eſt ei parta fiducia, vt ingruentes barbaros non timeret: tantumque abfuit vt eiſdem dona mitteret, vt & pactum à Iuſtiniano tributum, quo redemerat cladem Imperij, eiſdem perſoluere denegarit, immo minas addiderit: vt ſecundùm illud Prouerbio-

rum:

A rum [a]: Iustus quasi leo contendens absque terrore erit] Iustinus fide munitus summam induerit animi fortitudinem. [a] Prou. 28.

Hoc namque anno cùm auspicatus est consulatum, idem Iustinus Imperator audiuit legatos Gagani Regis Auarum, qui missi erant ad exigendam à Iustino annuam pecuniam, quam Iustinianus Imperator illi soluere consueuerat, ne lacesseret, incursionémve faceret in Romani Imperij ditionem: sed renuit id præstare Iustinus, eosdemque inanes ac vacuos redire iussit, bellum eisdem comminatus, si quid contra Imperium moliri tentarent. Prosequitur ista describere Corippus, qui inter alia hæc Iustinum ad legatos constanti animo esse locutum tradit:

IVSTINVS CONTEMNIT BARBAROS.

Res Romana Dei est: terrenis non eget armis:
Iure pio viuit: bellum non ingerit vltrò;
B *Suscipit illatum.*] & inferiùs.
Quod superest, vnumq; meum speciale leuamen,
Imperij Deus est virtus & gloria nostri,
A quo certa salus, sceptrum datur atque potestas:
Qui populos clemens super omnia regna Latinos
Constituit, pacemq; suam commendat amari:
Cuius spe fruimur, cuius virtute superbos
Deiicimus: cuius populos pietate tuemur: *populum*
Qui nostros auget mirâ virtute triumphos:
Ipsius laudamus opus, solumq; timemus:
Hunc vnum colimus Regem Dominumq; fatemur. *rerum*
C *Cognoscant Auares, quoniam Deus omnium* hic est.] Ita planè Iustinus secundum illud Dauidicum [b]: In Deo faciemus virtutem, & ipse ad nihilum deducet inimicos nostros] contemnit formidabiles omnibus gentibus barbaros, qui (vt dictum est) & suum prædecessorem Iustinianum, qui VVandalos ac Gothos debellauit, iam sub tributo redegerant. * omnibus [b] Psal. 59.

Quod insuper ad eosdem barbaros à Iustino repulsos spectat, non prætermittendum putamus, Photium in sua bibliotheca, dum agit de Theophanis Byzantij historia cœpta (vt ait) à bello Persico, quod actum est post fœderis solutionem anno secundo Iustini Iunioris successoris Iustiniani Imperatoris, & producta vsque ad annum decimum eiusdem belli, inter alia mentionem habére de legatione Turcarum missa vnà cum donis ad Iustinum ipsum, qua peterent ne susciperet Auares barbaros ipsis infestissimos: aitque de Turcis, fuisse
D populum habitantem apud Tanaim versus Euri venti partem, eosdemque antiquitus appellatos esse Massagetas, à Persis verò ipsorum lingua Chermichiconas nominatos. hæc de his ex Theophane Byzantio Photius.

Sic igitur Iustinus in Deum sperans [c], non est fraudatus à desiderio suo; sed eodem truculentos hostes hactenus semper & vbique victores summa gloria superauit per Tiberium Ducem anno quarto sui Imperij, vt suo loco dicemus. Ad hæc idem Imperator maximè pius hoc itidem anno (vt Miscellæ auctor habet) ad sedandos obortos Alexandriæ tumultus occasione diuersarum sectarum inter se altercantium, Photinum Belisarij priuignum illuc misit, simulq; munera ecclesiis offerenda dedit & quidem sumptuosa. Sunt hæc sanè magna laude digna, si in reliquis idem Imperator optimi Principis numeros omnes simul explesset, & non potiùs turpi vita fœdasset quæ ipso sui Imperij exordio laudabiliter (vt
E Christianissimum decet Principem) peregisset. Hæc autem vt cognoscas, accipe quæ de ipso scripta sunt ab Euagrio istis verbis [d]: [c] Psal. 77.

IVSTINVS FIDEI CATHOLICAE STVDIOSVS

Verùm quod ad vitæ eius rationem attinet, deliciis re verâ defluxit & mollicie, in voluptatibus obscenis volutatus, alienæ pecuniæ adeò ardenter appetês, vti omnia iniqui quæstus gratia diuenderet; immo verò etiam ipsa sacerdotia, diuinũ numen minimè reuerens, plebeiis hominibus venalia palàm exponeret.] hæc Euagrius. Porrò incontinentis animi primum illud publica lege [e] sancita hoc anno Kal. Ianuarij dedit indicium, dum pœnas Iustiniani legibus aduersus illicita coniugia contrahentes sancitas silere voluit, atque ita coniunctos ab inuicem minimè separauit: sed his etiam deterior constitutio illa hoc eodem anno Septembri mense lata, qua communi coniugum consensu dissolui matrimonium posse sanciuit. Extat ipsa constitutio, sed malè inter Iustiniani Imperatoris Nouellas [f] adnumerata; cùm ipse Iustinus in ea testetur expressè, diuersam Iustiniani de ea re fuisse sententiam. [d] Euag. lib. 3. cap. 1. IVSTINI PRAVI MORES.

[e] Iustin. Nouel. const. 3. apud Iulian.

[f] Apud Nouel. Iustiniani 140.

Habes editionem Iuliani Anteceſſoris, in qua cùm eiuſmodi conſtitutio recitetur, Iuſtino, A
non autem Iuſtiniano tribuitur: vt de his nihil ſit quod dubitare quis poſſit. Hæc oportuit admonuiſſe, vt Iuſtinianus ab illata à nonnullis calumnia vendicetur. Porrò ad teſtandam ac deteſtandam Iuſtini temeritatem iſtiuſmodi inter Chriſtianos contrariam ſacro Euangelio legem ſancientis, hic ipſam deſcribendam putauimus. ſic enim ſe habet:

IVSTINI EDICTVM DE DIVORTIO.

Imp. Cæſ. Flauius Iuſtinus Alemannicus, Gothicus, Francicus, Alanicus, VVandalicus, Africanus, Pius, Felix, Glorioſus, Victor, ac Triumphator ſemper colendus Aug. Iuliano Præf. Vrbis Conſp.

Nuptiis decentius nihil eſt hominibus, ex quibus filij, ceteræque nationum ſucceſſiones, fundorum quoque & ciuitatum habitacula, & Reipublicæ eximius ſtatus. Propter quod nuptias felices eſſe eis qui eas ineunt, ſic optamus, ita vt numquam eas ſiniſtri ominis opus fieri, neque nuptiis copulatos abinuicem ſeparari, iuſtam non habentes abſolutionis nuptia- B
rum occaſionem. Sed quoniam difficile eſt in omnibus hominibus hoc ſeruari (in multitudine enim tanta non aliquas incidere irrationabiles ſimultates, vnum de impoſſibilibus exiſtit) oportere putauimus his reperire quamdam medelam; magis verò illic, vbi puſillanimitas in tantum erigitur, ita vt inplacabilis horror fiat coniugibus vnà manentibus: Antiquitus quidem licebat ſine periculo tales ab inuicem ſeparari ſecundùm communem voluntatem & conſenſum hoc agentes, ſic vt plurimæ tunc leges extarent hoc dicentes: ET BONA GRATIA. ſic procedentẽ ſolutionem nuptiarum patria vocitantes voce. Poſtea verò diuæ memoriæ noſtro patri pietate & temperantia omnes vbicumque aliquando imperantes excedenti viſum eſt, qui ad ſuam vtilem & firmam reſpiciens voluntatem, non autem miſerias puſillanimitatis coniiciens, legem ſancire, qua prohibuit conſenſu coniugia ſolui: quod nos quoque volebamus nimis obtinere in hoc ipſo. C

Plurimi autem nos adierunt inter ſe coniugium horrentes & abominantes, & prœlia diſcordiasque propter hoc domi contingere accuſantes (hoc quod valde doloriferum & triſte conſiſtit) diſſoluere propter hoc precantes connubia; etſi occaſiones non habuerunt dicere, per quas ſine timore lex hoc dabat * facere ipſis. Deſiderium verò & ſtudium eorum pro hac re in aliquanto diſtulimus tempore, aliquando quidem monentes, aliquando verò minantes quieſcere eos ab irrationabili circa inuicem horrore, & ad vnanimitatem properare, & melioris fieri voluntatis: agebamus verò plus nihil. Quoniam verò difficile eſt immutare ſemel detentos irrationabili paſſione & horrore: forſitan enim contigit iſtis & inſidias aggredi ad inuicem, & venenis aliisque ad mortem agentibus vti: ita vt nec filios eis factos valere ad vnam ſimilemque tales voluntatem immiſcere. Hæc igitur aliena noſtris iudicantes temporibus, in præſenti ſacram conſtituimus legem, per quam ſancimus licere (vt anti- D
quitus) conſenſu coniugum ſolutiones nuptiarum fieri: non vltrà verò obtinere conſtitutas pœnas conſtitutione noſtri patris aduerſus eos qui cum conſenſu coniugij faciunt ſolutionem. Si enim alterutrorum affectus nuptias ſolidat, meritò contraria voluntas iſtas cum conſenſu diſſoluit, adſignificantibus rebus quæ nuptias ſoluunt.

* debeat

Certum autem ſit, omnia alia quantacumque legibus ac potiſſimùm ſacris conſtitutionibus noſtri patris dicta ſunt de nuptiis, & filiis, occaſionibusque; ex quibus præcipitur diſſolui nuptias (ſi & ſine ratione non & cum communi conſenſu, ſecũdùm quod & præſens noſtra conſtituit diuinitas, hoc agentibus & diſponentibus pœnis interpoſitis) obtinere, & ex præſenti noſtra lege per omnia habere virtutem propriam. Quæ ergo nobis viſa ſunt, & per præſentem manifeſtata legem, tua gloria per conſuetum ſibi modum omnibus fieri manifeſta præcipiat in hac vrbe regia. Data decimooctauo Kal. Octob. Chalcedone, Imp. D. N. E.
Iuſtino P P. Aug. anno primo, Indictione quintadecima.] hactenus Iuſtini ſanctio, qua bene inſtituta primordia ſui turpiter fœdauit Imperij.

Porrò horrenda hæc debuere per Epiſcopos prohiberi ne fierent, & iam facta reſcindi, & ab Eccleſia penitus propulſari: ſed cuius id erat muneris Ioannes Conſtantinopolitanus Epiſcopus, quòd precario eam ſedem quodammodo poſſideret intruſus Antiſtes, minimè reſtitiſſe reperitur. De Ioanne autem Romano Pontifice, cùm omnia ferme eius rerum geſtarum monumenta perierint, nihil eſt quod dicere valeamus: quem tamen à prædeceſſoribus minimè exiſtimamus fuiſſe degenerem, quorum ſæpe ſacerdotalis vigor enituit in continendis Orientalibus Imperatoribus in fide Catholica & Eccleſiaſtica diſciplina, in coercendisque illis cùm ab ea vel leuiter declinarent, prout res geſtæ ipſorum ſuperiùs recenſitæ declarant.

Sed

A Sed iam de statu Ecclesiæ Gallicanæ, qualis fuerit, postquam quatuor Reges Francorum post obitum Clotarij anno superiori inter se regnum partiti sunt, videamus. Cùm autem (vt superiùs suo loco vidimus) in Concilio Parisiensi Episcopi statuissent, neminem admittendum ad Episcopatum, quem Regis auctoritas absque canonica electione intruderet, sed quem clerus eligeret, & Episcopi prouinciales vnà cum Metropolitano probarent: Leontius Burdegalensis Episcopus, collecto collegarum Concilio Santonis, inter alia decreta Emerium Episcopum Santonensem à Clotario Rege eo modo in Episcopatum regia auctoritate intrusum, sede priuauit; qui tamen à Rege Chariberto vi rursum intruditur. Hæc autem cuncta quomodo se habuerint, accipe à Gregorio res sui temporis scriptis tradente his verbis [a]:

CONCILIVM SANTONENSE.

[a] *Greg. Turo. lib. 4. c. 26.*

Apud vrbem Santonicam Leontius, congregatis prouinciæ suæ Episcopis, Emerium ab
B Episcopatu depulit, asserens non canonicè fuisse hoc honore donatum. Decretum enim Regis Clotarij habuerat, vt absque Metropolitani consilio benediceretur, qui non erat præsens. Quo electo, consilium fecere in Heraclium tunc Burdegalensis Ecclesiæ presbyterum: quod Regi Chariperto * subscriptum propriis manibus per nũcupatum presbyterum transmiserunt. Qui veniens Turonos, rem gestam beato Euphronio pandit, deprecans hoc, vt consensum, *decretum videlicet*, subscribere dignaretur. Quod vir Dei manifestè respuit. Igitur postquam presbyter Parisiacæ vrbis portas ingressus Regis præsentiam adiit, hæc effatus est: Salue Rex glorioſe: sedes enim Apostolica eminentiæ tuæ salutem mittit vberrimam. Cui ille: Numquid, ait, Turonicam adiisti vrbem, vt Papæ illius nobis salutem deferas?] Hic accipe, sic dici à Gregorio Ecclesiam Turonensem sedem Apostolicam, atque Burdegalensem; non quod ab Apostolis fuerint institutæ, cùm longè post Apostolorum tempo-
C ra (vt ipsemet tradit) cœperint habere Episcopum; sed quòd eisdem ab Apostolica sede Petri concessa per pallium Apostolica inesset auctoritas. Sed pergit:

CHARIBERTVS REX TYRANNICE AGIT IN EPISCOPOS.

* Chereberto

Pater (inquit presbyter) Leontius tuus cum comprouincialibus Episcopis salutem tibi mittit, indicans Æmulum (sic enim vocitare consueuit Emerium ab infantia sua) electum ab Episcopatu, pro eo quod prætermissa canonum sanctione, vrbis Santonicæ Episcopatum ambiuit. Ideoque consensum ad te direxerunt, vt alius in locum eius substituatur: quo fiat, vt dum transgressores canonum regulariter arguuntur, regni vestri potentia æuis prolixioribus propagetur. Hoc eo dicente, fremens * Rex, eum à suis conspectibus extrahi iussit, & plaustro spinis suppleto imponi desuper, & in exilium protrudi præcepit, dicens: Putas ne, quòd non est desuper quisquam de filiis Clotarij Regis, qui patris facta custodiat, quod hi Episcopum quem voluntas Regis elegit, absque nostro iudicio proiecerunt? Et statim ele-
D ctis viris religiosis, Episcopum loco restituit, dirigens etiam quosdam de Camerariis suis, qui exactis à Leontio mille aureis, reliquos iuxta possibilitatem damnet Episcopos. & sic patris est vltus iniuriam.] hæc quidem tyrannicè Rex. Quomodo autem idem Rex impiè agens, inuadens res Ecclesiarum, diuina vltione percussus interiit, suo loco dicemus. Permansisse quidem Emerium in Santonensi Episcopatu, eumdemque reconciliatum fuisse Leontio, ex his quæ scribit Venantius Fortunatus [b] in carmine de basilica S. Bibiani intelligi potest: nam eius precibus idem Leontius basilicam S. Bibiani Santonensis cœptam ab Eusebio perfecit, vt ipse Fortunatus docet his versibus:

LEONTIVS MVLCTATVR A CHARIBERTO REGE.

* freddens

[b] *Fortun. carm. lib. 1.*

Digna sacerdotis Bibiani templa coruscant:
Quo si iusta petis, dat pia vota fides:
Quæ Præsul fundauit ouans Eusebius olim;
E *Ne tamen expleret, raptus ab Orbe fuit.*
Cui mox Emerius succesſit in arce sacerdos:
Sed cæptum vt strueret, ferre recusat onus:
Quod precibus commisit opus tibi Papa Leonti,
Cuius ad hoc votum iugiter instat amor, &c.] At non S. Bibiani tãtum inchoatam Leontius perfecit ecclesiam, sed etiam collapsam restituit S. Eutropij primi eius sedis Episcopi, vt aliud eiusdem Fortunati subsequens indicat epigramma: quibus declaratur erga Santonenses fuisse Leontium propensiorem. Sed accidit (iisdem puto temporibus, cùm Regis violentia opprimeretur) vt falso allato nuncio ipsum iam esse defunctum, non defuerit qui in Burdegalensi Ecclesia creari conaretur Episcopus: cùm ex improuiso ipse aduenies, summo ciuium exceptus est gaudio: quando & eiusdem Leontij studiosissimus Venantius Fortunatus iucundissimum illum cecinit hymnum, cuius hæc sunt exordia:

LEONTIVS SVIS EXIM PROVISO REDDITVS.

Agnoſcat omne ſæculum
Pontificem Leontium
Burdegalenſe præmium
Dono ſuperno redditum.
Bilinguis ore callido
Crimen fouebat inuidum,
Ferens acerbum nuncium
Hunc iam ſepulchro conditum.] & poſt multa:
Non longiore tempore
Verſantur in hoc murmure:
Dum cogitant ſuccedere,
Redit ſacerdos qui fuit, &c.]

Quod igitur ad Leontium ſpectat, decimustertius hic Burdegalenſis Eccleſiæ Epiſcopus numeratur ab eodem Fortunato his verſibus[a]:

[a] *Fortun. in laud. Leontij. carm. lib. 1.*

Tertius à decimo huic vrbi Antiſtes haberis,
Sed primus meritis enumerandus eris.] qui nobiliſſimo ortus genere, diuitiiſque pollens, & egregiis animi virtutibus exornatus, coniugatus licet, inuitus ad eius Eccleſiæ Epiſcopatum aſſumptus eſt. Fuit nomen coniugis Placidina ex Imperatorio ſtemmate procreata; de qua idem auctor:

DE PLACIDINA CLARISS. FEMINA.

Cogor amore etiam Placidinæ pauca referre,
Quæ tibi tunc coniunx, eſt modò chara ſoror.
Lumen ab Arcadio veniens genitore refulget,
Qua manet Auguſtum germen, Auite, tuum:
Imperij faſtus toto qui rexit in Orbe,*
Cuius adhuc pollens iura Senatus habet.
Humani generis ſi culmina prima requiras,
Semine Cæſareo nil ſupereſſe poteſt.
Sed genus ipſa ſuum ſenſu & moderamine vicit,
Cuius ab eloquio dulcia mella fluunt.
Chara, ſerena, decens, ſollers, pia, mitis, opima,
Quæ bona cuncta gerit, quicquid honore placet:
Moribus, ingenio, meritorum luce coruſcans
Ornauit ſexum mens pretioſa ſuum.] Ita quidem optimis compoſita moribus, etſi diuiſa corpore à ſancto viro, inhæſit tamen ipſi in bonis operibus comes indiuidua, vt inter alia illis quoque docet verſibus Fortunatus, vbi agit de eccleſia S. Bibiani:

*fasces

Sacra ſepulchra tegunt Bibiani argentea tecta,
Vnanimis tecum quæ Placidina dedit.] Et cùm idem agit de baſilica S. Martini ab eodem Leontio erecta, ab ipſa verò Placidina ornata, hos in fine habet verſus:

Quæ Placidina ſacris ornauit culmina velis:
Atque ſimul certant: hic facit, illa colit.] Sed & de aliis Deo donis ab ipſis oblatis eiuſmodi extat eiuſdem auctoris epigramma:

Summus in arce Dei pia dona Leontius offert,
Votis iuncta ſacris & Placidina ſimul.
Felices quorum labor eſt altaribus aptus,
Tempore qui paruo non peritura ferunt.] Extitit verò & Placidinæ virtutis æmula ſoror ipſius nomine Alchima; quæ & ipſa iuncta coniugio, Apollinari viro ſuo, vt Epiſcopus crearetur, indulſit, pariterque ad conſtruenda ſanctis martyribus templa ſe contulit, vt ex Gregorio[b] habes, vbi agit de martyre Antoliano. Tanta hæc antiquæ Gallicanæ nobilitatis germina haud fuerunt prætereunda ſilentio, quæ egregiarum additamento virtutum reddita ſunt contemptu ſæculi clariora. Sed vt ad Leontium redeamus, cuius præclaras res geſtas nonniſi per fragmenta ſcriptorum colligere licuiſſe dolemus, ſiue eas à Gregorio, ſiue à Fortunato relatas: ſcias & in Actis[c] quoque S. Maclouij Epiſcopi in Britannia de hoc eodem Leontio mentionem eſſe frequentem: ex quo etiam tempus, quo idem Maclouius vixit, poteris facilè intelligere: qui fuit vir ſanè à Deo plurimis magnisq; miraculis illuſtratus.

DE ALCHIMA CLARISSIMA FEMINA.

[b] *Gregorius de Glor. mar. cap. 65.*

[c] *Apud Sur. to. 6. die 15. Nou. c. 21. 22. 23. 24. 25*

Demum verò vt eidem noſtro Leontio perſoluamus extrema, quod eius ſepulchro epitaphium

A taphium affixit idem qui suprà Venantius Fortunatus [a], hic describamus. sic enim se habet:

[a] *Fortun. carm. lib. 4. nou. edit.*

Omne bonum velox, fugitiuaq; gaudia mundi:
Prosperitas hominum quàm citò rupta volat.
Mallem cui potiùs nunc carmina ferre salutis,
Peruerso voto flere sepulchra vocor.

LEONTII EPISCOPI BVRDEGAL. EPITAPH.

Hoc recubant tumulo venerandi membra Leontij,
Quem sua Pontificem fama sub astra leuat.
Nobilitas altum ducens ab origine nomen,
Quale genus Romæ forte Senatus habet.
Et quamuis celso flueret de sanguine patrum,
Hic propriis meritis crescere fecit auos.
B *Regum summus amor, patriæ caput, arma parentum,*
Tutor amicorum, plebis & vrbis honor,
Templorum cultor, tacitus largitor egentum,
Susceptor peregrum distribuendo cibum.
Longiùs extremo si quis properasset ab Orbe
Aduena mox vidit hunc, ait esse patrem.
Ingenio viuax, animo probus, ore serenus:
Et mihi qualis erat, pectore flente loquor.
Hunc habuit clarum qualem modò Gallia nullum:
Nunc humili tumulo culmina celsa iacent.
Placabat Reges, recreans moderamine ciues.
C *Gaudia tot populis, heu, tulit vna dies.*
Lustra decem felix & quattuor insuper annos
Vixit, & à nostro lumine raptus obit *.
Funeris officium magni solamen amoris
Dulcis adhuc cineri dat Placidina tibi.]

* abit

hucusque epitaphium Leontij, qui iunior Leontius dicendus est respectu senioris itidem Burdegalensis Episcopi, cuius epitaphium apud eumdem Fortunatum extat [b] à Theodosio scriptum, de quo puto mentionem haberi apud Sidonium [c] Apollinarem: neque enim alium illum existimo à Leontio seniore Burdegalensi Episcopo, æquè nobilitate & vitæ sanctitate conspicuo. At de his hactenus.

[b] *Fortun. car. lib. 4. nou. ed.*
[c] *Sidon. lib. 6. epist. 3. & li. 7. epist. 6.*

Sed inuidia praui dæmonis interea factum est, vt dum tot luminaribus Gallicana Eccle-
D sia perfulgeret, quæ erat hoc tempore bene hactenus culta Ecclesia in Hibernia dẽsis tene-

HIBERN. EPISC. SCHIS MATICI.

bris obduceretur, passa naufragium, dum non sequitur eam, quæ ad salutis portum ante omnes pergit viam monstrans, nauiculam Petri: dum enim iustior ceteris videri voluit, & plus sapere quàm oportuit, decipitur imprudens à schismaticis. Dolo namque schismaticorum falso ad eos rumore perlato, à Quinta Synodo peccatum esse in sacrosanctũ Chalcedonense Concilium, quasi Trium damnatione capitulorum damnasset pariter quæ in eadem Synodo statuta essent: ardentissimo iidem studio pro Trium capitulorum defensione, iunctis animis, omnes qui in Hibernia erant Episcopi insurrexere. Addiderunt & illud nefas, vt cùm percepissent Romanam Ecclesiam æquè suscepisse Trium damnationem capitulorum, atque suo consensu Quintam Synodum roborasse: ab eadem pariter resilierint, atque reliquis qui vel in Italia, vel in Africa, aliisve regionibus erant, schismaticis in-
E hæserint, fiducia illa vana erecti, quòd pro fide Catholica starent, cùm quæ essent in Concilio Chalcedonensi statuta defenderent. Ita miseri rerum ignari, specie quadam apparentis iustitiæ permoti, zelum habentes, non tamen illum qui esset secundùm scientiam, cùm & in remotioribus Orbis partibus degerent, vt haud facilè admoneri & corrigi potuissent, accedentibus incommodis aliis, quæ bella, pestis, & fames secum ferre solent, ita permansere diutius, miserti illorum qui Quintam Synodum sectarentur, tamquam qui à recto fidei tramite aberrarent: tantum abfuit vt se errore deceptos esse intelligere potuissent. Sed eo fixiùs inhærent errori, cùm quæcumque Italia passa sit bellorum motibus, fame, vel pestilentia, ea ex causa illi cuncta infausta accidisse putarent, quòd pro Quinta Synodo aduersus Chalcedonense Concilium prœlium suscepisset. Quo statu miserrimo collocati vsque ad S. Gregorij Papæ tempora, ad finem videlicet præsentis sæculi, permansere, cùm de his iidem litteras ad eumdem quem scirent Deo amicum virum sanctissimum conscri-

pſere. Quid autem ad ea Gregorius ipſe reſcripſerit, ſuo loco dicturi ſumus. Extat ipſa epiſtola[a], ex qua iſta deprompſimus. A

[a] *Greg.lib.2. epiſt.36.*

At verò quod non ſolùm (vt dictum eſt) ſanctorum virorum hoc tempore viuentium Catholica Eccleſia eſt illuſtrata miraculis, ex quibus vbi eſſet veritas, potuiſſet agnoſci, ſi id attendere ſchiſmatici voluiſſent; verùm etiam præſtarent id ipſum abundantius Sanctorum cineres vbique miraculis coruſcantes: his iungenda putauimus, quæ hoc ipſo anno, quo & ſecundus Sigeberti Regis Francorum incipit numerari (anno enim ſuperiori, vt vidimus, auſpicatus eſt regnum) ipſi Gregorio Turonenſi Epiſcopo tunc diacono, qui ſucceſſit Euphronio, hoc eodem anno, quę ſeptimum eius ſedis numerat, acciderint. Dum enim inſignia recenſet eiuſdem S. Martini miracula, hæc habet de ſe ipſo[b]:

[b] *Greg.Turo. miracul. S. Mart. lib.1. cap.32.*

Ergo his exactis quæ circa alios geſta ſunt, aggrediar quæ circa me indignum virtus præſentis eſt operata patroni. Anno centeſimo ſexageſimotertio poſt aſſumptionem ſancti ac B
prædicabilis viri B. Martini Antiſtitis, regente Eccleſiam Turonenſem S. Euphronio Epiſcopo anno ſeptimo, ſecundo anno Sigeberti glorioſiſſimi Regis.] cõcordat his optimè poſita chronographia ab obitu S. Martini, quę deceſſiſſe diximus anno Domini quadringenteſimoſecundo: à quo tempore ſi deducas annos centum ſexagintatres exactos, planè hunc ipſum annum conſtituit, nempe quingentos ſexagintaquinque abſolutos, inchoato ſexageſimoſexto. Sed pergit ipſe: Irrui in valetudinem cum puſtulis malis & febre: negatoque vſu potus & cibi, ita angebar, vt amiſſa omni ſpe vitæ præſentis, de ſolis ſepulturæ neceſſariis cogitarem: obſederat enim me mors cum ardore, animam cupiens expellere de corpore.

QVAE GREGORIVS HOC ANNO CONSECVTVS EST A S. MARTINO.

Tunc iam valde exanimis, inuocato nomine beati Martini Antiſtitis, parumper conualui, & lento adhuc conamine iter incipio præparare: inſederat enim animis, vt locum venerabilis ſepulchri viſitare deberem. Vnde tanto deſiderio affectus ſum, vt ne viuere me optarem, ſi tardiùs direxiſſem. Et quia vix euaſeram, ex ardore incommodi cœpi iterum ardore febris ſuccendi. Nec mora, adhuc parum fortis iter cum meis arripio: actisque vel duabus vel tribus manſionibus, ingreſſus ſiluas corrui rurſus in febrem, & tam grauiter ægrotare cœpi, vt omnes me autumarent vitam amittere. Tunc accedentes amici, & videntes me valde laſſum, dicebant: Reuertamur ad propria: & ſi te Deus vocare voluerit, in domo tua moriere: ſi autem euaſeris, votiuum iter faciliùs explicabis: ſatius eſt enim reuerti ad domum, quàm mori in eremo. Ego verò hæc audiens, vehementer lacrymabar; & plangens infelicitatem meam, locutus ſum cum eis, dicens: Adiuro vos per omnipotentem Deum, & reis omnibus metuendum iudicij diẽ, vt ea quæ rogo conſentiatis: de cœpto itinere non deſiſtere: & ſi mereor S. Martini videre baſilicam, gratias ago; ſin aliàs, vel exanime corpus deferentes ibidem ſepelite: quia deliberatio mea eſt non reuerti domum, ſi non eius ſepulchro meruero præſentari. Tunc vnà pariter flentes, iter quod cœperam, aggredimur: præcedente verò præſidio glorioſi domini, ad baſilicam eius aduenimus. C D

[c] *Ibid.cap.33*

Eodem[c] tempore vnus ex clericis meis, Armentarius nomine, bene eruditus in ſpiritualibus Scripturis, cui tam facile erat ſonorum modulationes appendere, vt eum non putares hoc meditari, ſed ſcribere, in ſeruitio valde ſtrenuus & in commiſſo fidelis: hic verò, inficiente veneno, à puſtulis malis omnem ſenſum perdiderat, & ita redactus fuerat, vt nihil penitus aut intelligere poſſet, aut agere. Tertia autem nocte poſtquam aduenimus ad ſanctam baſilicam, vigilare diſpoſuimus: quod & impleuimus. Manè autem facto, ſigno ad matutinas commoto, reuerſi ſumus dormitum: qui lectulis quieſcentes vſque ad horam propè ſecundam dormiuibus. Expergefactus ergo, amota omni languoris & cordis amaritudine, ſentio me priſtinam recepiſſe ſanitatem: & gaudens, puerum familiarem, qui mihi ſeruiret, euoco. Exurgens autẽ Armentarius, velociter coram me ſtetit, & ait: Domine, ego parabo quod iuſſeris. At ego exiſtimans adhuc eſſe eum extenſum, Vade, inquam, voca puerum. Et ait: Ego quæcumque præceperis, adimplebo. Obſtupefactus interrogo quid hoc eſſet. Qui ait: Intelligo me valde ſanum; ſed vnus error eſt animi, quòd neſcio de qua parte huc aduenerim. Et ita incipiens, ita mihi impendit ſeruitium, ſicut erat ſolitus ante triduum. Tunc ego exultans & flens præ gaudio, gratias omnipotenti Deo tam pro me, quàm pro ipſo refero, quòd intercedente patrono, incolumem me corpore, illum mente reddiderit, & vnus excurſus ex fide etiam alteri amenti, qui nec petere nouerat, ſalutem præſtitiſſet.] ac paulo pòſt[d]: E

[d] *Ibid.c.34.*

DE CEREIS MIRACVLVM.

Nos verò reuertẽtes, tres cereolos pro benedictione beati ſepulchri portauimus. De qua cera quàm multæ virtutes factæ ſunt ſuper frigoreticis & aliis infirmis, longum eſt enarrare.

Sed

A Sed vnum è multis miraculum proferam. Agrum quemdam possessionis nostrę grando annis singulis vastare consueuerat, & tam grauiter sæuiebat, vt nihil ibidem, cùm venisset, relinqueret. Tunc ego in vineis illis arborem vnam quæ erat excelsior ceteris eligens, de sancta cera super eam posui. post illam autem diem vsque in præsens tempus, numquam ibidem tempestas cecidit: sed veniens, locum illum tamquam timens præteriit.] hæc ibi. Quomodo verò vno ex cereolis è S. Martini sepulchro sublatis sanauit Iustinum filium sororis suæ, idem Gregorius pluribus inferiùs narrat [a]. Sed pergit ipse reliqua referre [b]:

[a] *Greg. lib. 2. mirac. sancti Martini. c. 2.*

[b] *Greg. lib 1. mirac. sancti Martin. c. 35.*

DE LIGNO CANCELLI S. MARTINI MIRANDA.

Fide commouente, quidam ex nostris lignum venerabile de cancello lectuli à monasterio Sancti, me nesciente, detulerat; quod in hospitiolo suo pro saluatione retinebat. Sed credo quia non sic honorabatur aut decorabatur, vt decuerat, cœpit familia eius grauiter ægrotare. Et cùm penitus nesciretur quid hoc esset, nec minueretur aliquid, sed quotidie
B augeretur deteriùs: vidit in visu noctis personam terribilem dicentem sibi: Cur sic tecum agitur? Qui ait: Ignoro prorsus vnde hoc euenerit. Dicit ei persona: Lignum quod de lectulo Domini Martini tulisti, negligenter hic retines: ideo hæc incurristi. Sed vade nunc, & defer illud Gregorio diacono, & ipse secum retineat. At ille nihil moratus, mihi exhibuit: quod ego cum summa veneratione collectum, loco digno reposui. Et sic omnis familia in domo eius sanata est, ita vt nemo ibidem deinceps aliquid mali perferret.] hæc Gregorius: qui his longè maiora edita à Sancto refert miracula, eademq; quatuor libris distinxit. Hæc autem quæ de se Gregorius hoc anno accidisse triplici signat chronographia, prætermisisse noluimus: quo etiam fieret manifestum, qualisnam & his temporibus cultus reliquiarum vigeret in Galliis, præcipuè verò in sacris cineribus S. Martini: de cuius celebritate vide quæ inter alia Venantius Fortunatus [c] his consentientia scribat ad Childebertum
C Regem, atque Brunichildem Reginam:

[c] *Venantius carm. lib. 10.*

S. MARTINI VIRTVS TOTO ORBE PERSPICVA.

Qui modò de Gallis totum mirè occupat Orbem,
Et virtus pergit, quò pede nemo valet:
Qui velut alta Pharus lumen protendit ad Indos:
*Quem Hispanus, Morus *, Persa, Britanus amat:*
Hunc Oriens, Occasus habet, hunc Africa, & Arctos.
Martini decus est, quæ loca mundus habet.
Quiq; per Oceanum discurrit marginis vndas,
Omnibus vt præstet circuit Orbis iter.

* al. *Maurus*

] Sed quomodo idem Gregorius iam Episcopus, hausto puluere è sepulchro sancti Martini accepto, è morte fuerit reuocatus ad vitam, suo loco inferiùs dicturi sumus. Habes ex his in Ecclesia Catholica, tum ex viuis,
D tum vita functis sanctissimis viris (vti proposuimus) semper scaturire veluti è fonte perenni miracula; quibus manifestissimis notis quisque licet mente stolidus cognoscere possit, vbi veritas permaneat sacrorum dogmatum, ac pariter intelligere hæreticos atque schismaticos censendos esse, qui ab iis procul aberrant.

CVLTVS SACRARVM RELIQVIARVM VIGET IN GALLIIS

Ceterùm admiratione maxima dignus est fidei Christianæ feruor, qui his temporibus erga sacrarum reliquiarũ cultum adeò exardebat in Galliis, vt licet abundarent illæ prouincię sacris pignoribus sanctorum martyrũ & confessorum, nihilominus fame inhiarent ad peregrina: quorum gratia in Orientem profectum esse diximus S. Germanum Parisiensem Episcopum, qui factus pij voti compos ad suam Ecclesiam locupletatus hisce diuitiis est reuersus Parisios, vti diximus. Sed & sancta Regina, Clotarij Regis quondam coniux, clarissima Radegundis his ipsis tẽporibus sæpiùs legatos misisse reperitur in Orientem ad perquirẽdas
E Sanctorum reliquias, de quibus hic nobis opportunè dicendum: de prima enim legatione hæc habet Bandoninia, siue Bandomina, quæ cum ea in monasterio coalescens, quæ vidit, de ipsa quàm fidelissimè scripsit, his verbis [d]: Quantam illa, postquam in monasterium se contulit, sanctarũ reliquiarum multitudinẽ precibus fidelissimis aggregarit, testatur Oriens, Aquilo, Auster, & Occidens confitetur. Vndique enim gemmas pretiosas, cælo reconditas & quas paradisus habet, & muneribus & precibus, vt adipiscereturr, effecit: apud illas verò sine intermissione meditari, psalmos & hymnos sibi depromere videbatur. Perlatum est ad eam, Mammetis * martyris sacros artus Hierosolymis quiescere. Illa instar hydropicæ, mirè sitiens, auidè hęc hauriebat. Sicut enim qui hydropisi laborant, quanto plus bibunt, tanto maiori ardent siti: ita & ipsa rore Dei perfusa magis incaluit. Itaque virum venerabilem Reculum * presbyterũ, qui tum sæcularis adhuc erat, & hodie supereſt, ad Patriarcham Hierosolymitanum transmisit, petens beati Mammetis pignora sibi donari. Eius preces vir Dei benignè

[d] *Bandon. in Vita S. Radeg. lib. 2. tom 4. Sur. die 13. Aug.*

* Mamantis

* Regulum ACCEPTAE RELIQVIAE MAMMETIS MARTYRIS.

benignè admittens, orationes populo indixit, cupiens nosse Dei voluntatem. Tertio die A
Missa celebrata, ad beati martyris sepulchrum cum omni populo accessit, altaque voce &
plena fide dixit: Obsecro te, confessor & martyr Christi, si vera est ancilla Dei beata Rade-
gundis, innotescat gentibus potentia tua, permittasq; de pignoribus tuis mentem fidelem
accipere quod poscit. Oratione completa, cùm populus omnis respondisset, Amen: venit
ad sanctum sepulchrum, semper beatæ fidem pronuncians: contrectat sacra membra, scire
cupiens, quænam ipse martyr beatissimus dominæ Radegundi donari velit. Tangit manus
dexteræ singulos digitos: vbi ad minimum ventum est, leni attactu è manu amotus est, vt
beatæ Reginæ desiderio satisfaceret. Eum verò digitum vir Apostolicus eo quo par erat ho-
nore beatæ Radegundi misit. Ab Hierosolymis verò Pictauos vsque in eius honorem sem-
per diuinæ laudes promebantur.

QVANTA VENERATIONE SACRAE SVSCEPTAE RELIQVIAS. Quis verò pro dignitate explicet, quàm ardenti animo, quàm fida deuotione tantum il- B
la munus expectans sese abstinentię mancipârit? Postquam autem hoc cæleste donum cum
multa animi alacritate accepit, tota hebdomada cum vniuersa congregatione psallentium
vigiliis & ieiuniis se accommodauit, Deum benedicens, quòd tale munus consequi meruis-
set. Sic Deus suis fidelibus quæ postulant, non negat.] hucusque de prima à sancta Rade-
gunde Regina in Orientem legatione missa.

ALIA LEGATIO IN ORIENTEM PRO LIGNO CRVCIS. Post hæc autem paulo inferiùs de alia ab eadem missa legatione in Orientem ad Impe-
ratorem pro ligno sanctæ Crucis accipiendo eadem Bandoninia refert, hæcq; habet: Quod
igitur fecit sancta Helena in Oriente, hoc fecit beata Radegundis in Galliis. Sed quia nihil
sine consilio facere voluit quamdiu vixit in hoc mundo, litteris ad Sigebertum excellen-
tissimum Regem datis (is est filius Clotarij Regis, qui vnà cum fratribus regnauit in Galliis)
petiit ab eo, vt cum eius bona venia liceret sibi pro totius patriæ salute, & regni ipsius stabi- C
limento, lignum salutaris Crucis Domini ab Imperatore expetere. Illo clementissimè san-
ctæ Reginæ precibus annuente, deuotione plena cum multo desiderio ad Imperatorem
munera misit, quippe quæ causa amoris Christi pauperem se fecerat. Sed Sanctos iugiter
implorans, nuncios suos ablegauit; Sanctorumque suffragiis, quod optabat, adepta est. Im-
perator enim & beatum lignum Crucis Domini auro & argento ornatum, multasque San-
ctorum reliquias, quas Oriens obtinebat, ei per legatos transmisit vnà cum Euangeliis auro
gemmisque decoratis.] asserit Gregorius eas fuisse reliquias sanctorum Apostolorum atque
martyrum. Pergit verò Bandoninia:

MOROVEVS ADVERSATVRS CRVCI. Vt autem salus mundi Pictauorum vrbem cum sanctis reliquiis aduenit, lociq; Antistes
(*is erat Merouæus*) cum omni populo deuotè ea vellet accipere: inimicus humani generis per
satellites suos egit, vt pretium mundi repelleretur, nec illud intra vrbem vellent accipere, D
aliud pro alio Iudaico more asserentes. Quid sanè egerint, non est nostrum commemora-
re: ipsi viderint: Dominus nouit quinam rei sint.] tacuit prudens femina peccatum Anti-
stitis Morouei, quod Gregorius ex parte saltem prodit his verbis[a]: Petiit Regina Episco-
pum, vt cum honore debito, grandique psallentio in monasterio locarentur: sed ille despi-
ciens suggestionem eius, ascensis equis, villæ se contulit. Tunc Regina iteratò ad Sigeber-
tum Regem direxit, deprecans, vt iniunctione sua quicumque ex Episcopis hæc pignora
cum illo quo decebat honore, votumque eius exposcebat, in monasterio locarent. Ad hoc
enim opus beatus Euphronius vrbis Turonicæ Episcopus iniungitur, &c.] Sed & modestè
quidem Gregorius tacet, quòd à ciuitate, sicut à monasterio, ne illuc inferretur, sacrosan-
ctum lignum excluſum sit: ne enim vel in ciuitatem admitteretur, satanico ille spiritu hoc
prohibebat. Sed audiamus Bandoniniam ita historiam prosequentem: E

[a] *Greg. Turo. lib. 9. c. 40.*

At beata Radegundis feruens spiritu, animo certans, ad clementissimum Regem scripsit,
orans vt in ciuitatem lignum Dominicum recipi iuberet. Interim donec eius nuncij à Re-
ge redirent, Turonico suo virorum monasterio, quod ipsa condiderat, cum psalmodiis &
canticis sacerdotum Crucem Domini & Sanctorum pignora cõmendauit. Vbi tamen non
minorem iniuriam sancta Crux perpessa est, stimulante inuidia, quàm Dominus ipse, cùm
ad Præsidem & Iudices iniquos maligna omnia patienter pertulit, ne id quod creauerat
periret.] quidnam autem istud fuerit, sicut nec ipsa, ita neque Gregorius innuit.

6. CRVX CONTVMELIAM PASSA.

Ceterùm ea cuncta in maiorem Dominicæ Crucis cessere gloriam: etenim apud Turo-
nos in honorem sanctæ Crucis erectum oratorium fuit, de quo meminit Venantius Fortu-
natus; qui, cùm pallia crucibus intexta successor Euphronij Gregorius dono dedit, eandem
dignam oblationem his versibus prosecutus est, quibus & Crucis gloriam prædicauit[b]:

[b] *Fortun. carm. lib. 2.*

Virtus

A *Virtus excelsa Crucis totum rectè * occupat Orbem:* *ritè
Hæc quoniam mundi perdita cuncta redit.
Quodq; ferus serpens infecit felle veneni,
Christi sanguis in hac dulce liquore lauat.
Quæq; lupi fuerant raptoris præda ferocis,
In Cruce restituit Virginis agnus oues.
Tensus in his ramis cum plantis brachia pendens,
Ecclesiam stabilit pendulus ipse Cruce.
*Hoc opus * in ligno reparans deperdita pridem,* *pius
Quod vetiti ligni poma tulere boni.
*Addita quinetiam virtutum flamma coruſca *,* *coruscat
B *Bona quod obsequiis Crux parat ipsa suis.*] hactenus de Crucis sanctæ præconiis. Quænam autem eiusmodi essent dona, quibus Crucis gloria illustraretur, ex nuncupato voto persoluta, mox ista subiungens ostendit:

Denique sancta Cruci hæc templa Gregorius offert,
Pallia dum coperit signa gerendo Crucis:
Dona repentè dedit diuina potentia Christi:
Mox fuit & voti causa secuta pij.
Pallia nam meruit, sunt quæ Cruce textile pulchra:
Obsequiisq; suis Crux habet alma Cruces.
*Serica cum niueis agnata * est blatea telis,* *agnana
Et textis Crucibus magnificatur opus.
C *Sic citò Pontifici dedit hæc deuota voluntas,*
Atque dicata Cruci condita vela placent.
Vnde salutifero signo tibi clare sacerdos,
Hæc cui complacuit, reddere magna valet.] Ita planè vsu veteri receptum fuit, vt cùm ipsa figura ecclesiæ, tum vel vestes, vasaque sacra, & alia ad diuinum opus parata vtensilia tam in Occidente quàm in Oriente sanctæ Crucis signis multiplicibus ornarentur. Sed cœptam ex Bandoninia prosequamur historiam, cùm post despectam à membris diaboli Crucem ista refert:

Id verò sancta femina animaduertens, magnis se cruciatibus dedit, ieiuniis, vigiliis, profusioni lacrymarum se addicens cum tota congregatione sua; donec respexit Dominus humilitatem ancillæ suæ, aspirauitque eam mentem Regi, vt in populo faceret iudicium & PER S. EVPHRONI. MLIGNVM S. CRVCIS RECONDITVR SVO LOCO.
D iustitiam. Misit enim deuotus Rex virum illustrem Iustinum ad virum Apostolicum Euphronium Episcopum, præcipiens vt cum honore condigno glorioſam Domini Crucem & Sanctorum reliquias in monasterium dominæ Radegundis inferret.]

Tunc temporis verò à Venantio Fortunato eiusdem S. Radegundis studiosissimo (vt ex plurimis ad eamdem scriptis carminibus constat) nobilis ille conscriptus est sacer hymnus, qui ab vniuersa Occidentali Ecclesia vt in honorem sanctissimæ Crucis sæpè caneretur, vsu receptus est, sicque incipit:

Vexilla Regis prodeunt,
Fulget Crucis mysterium,
Quo carne carnis conditor
Suspensus est patibulo.] &c. Adiecit & illum itidem in Ecclesia Catholica
E vbique à Latinis musicis modulis occini solitum, cuius hoc est exordium:

Pange lingua glorioſi prælium certaminis,
Et super Crucis trophæum dic triumphum nobilem,
Qualiter Redemptor orbis immolatus vicerit] &c. quòd enim ore omnium ferme Fidelium iidem soliti sint concini sacri hymni, eos hic reddere integros non curamus. Verùm aliud ab eodem tunc temporis eadem occasione in honorem eiusdem sanctissimæ Crucis elaboratum elegans epigramma his describendum putauimus: sic enim se habet:

Crux benedicta nitet, Dominus qua carne pependit,
Atque cruore suo vulnera nostra lauat.
Mitis amore pio pro nobis victima factus
Traxit ab ore lupi qua sacer agnus oues.

Transfixis

Transfixis palmis, vbi mundum à clade redemit, A
Atque suo clausit funere mortis iter.
Hic manus illa fuit clauis confixa cruentis,
Quæ eripuit Paulum crimine, morte Petrum.
Fertilitate potens, ô dulce & nobile lignum,
Quando tuis ramis tam noua poma geris.
Cuius odore nouo defuncta cadauera surgunt,
Et redeunt vitæ qui caruere die.
Nullum vret æstus sub frondibus arboris huius,
Luna nec in nocte, Sol neque meridie.
Tu plantata micas secus est vbi cursus aquarum,
Spargis & ornatas flore recente comas. B
Appensa est vitis inter tua brachia, de qua
Dulcia sanguineo vina rubore fluunt.]

Quæ autem secuta sint post illatum in monasterium venerandum lignum Crucis, audi quę subdit sacra virgo Bandoninia:

Quod vt factum est, exultauit mirificè beata illa cum omni congregatione tale sibi donum cælitus collatum, quod propitium Deum effecturum esset suæ congregationi, quam in Dei seruitium collegisset, nimirum spiritu præsentiens, post decessum suum quàm esset eximia monasterij eius futura facultas, licet ipsa cum cæli Rege gloriaretur. Vt ergo illi subueniret, instar optimi prouisoris & pastoris boni, ne oues vsquequaque desereret, pretium mundi de pignore Christi è longinqua regione expetitum in loci eius honorem & populi salutem suo monasterio reliquit.] Sed quid accidit? Quæ visa est sanctissima Crux alieno C
auxilio & Regum obsequio indigere ad eliciendam credentium fidem, mox ipsa apparere
MIRACVLA EDITA EX LIGNO S.CRVCIS. voluit non alieno quo non indigebat, sed suo fulgore coruisca. Nam audi quid dictis subiiciat: Ibi diuina agente virtute, cæcis redditur lux, aures surdorum patescunt, mutorum linguis suum restituitur officium, claudi ambulant, dæmones profligantur. Quid multa? Quisquis morbo laborans (quicumque tandem ille sit morbus) ex fide eò accedit, per sanctæ Crucis virtutem recedit incolumis. Pro quo ineffabili dono, quod in hanc vrbem beata intulit, quisquis ex fide viuit, eius nomini benedicit.] At ne ieiunum omnino lectorem ista præterire sinamus, vnum vel duo ex Gregorio Turonensi, qui interfuit, his miracula atte-
[a] *Gregor. Tur. de Glor. mar. cap. 5.* xamus: qui cùm ea describit, ista præfatur [a]:

Crux Dominica, quæ ab Helena Augusta reperta est Hierosolymis, ita quarta & sexta feria adoratur. Huius reliquias & merito & fide Helenæ comparanda Regina Radegun- D
dis expetiit, ac deuotè in monasterium Pictauiense, quod suo studio constituit, collocauit: misitque pueros iterum Hierosolymas, ac per totam Orientis plagam; qui circumeuntes sepulchra sanctorum martyrum, confessorumque cunctorum reliquias detulerunt. Quibus in arca argentea cum ipsa Cruce sancta locatis, multa exinde miracula conspicere meruit. De quibus illud primùm exponam, quod ibidem Dominus in diebus passionis suæ dignatus est reuelare.

Sexta feria ante sanctum Pascha, cùm in vigiliis sine lumine pernoctarent, circa horam
LVX DE CRVCE. tertiam noctis apparuit ante altare lumę paruulum in modum scintillæ: deinde ampliatum huc illucque comas fulgoris spargens, cœpit gradatim in altum conscendere; effectaque pharus magna, obscuræ nocti, vigilantiq; plebeculæ lumen præbuit supplicanti: Illucescente quoque cælo paulatim deficiens, data terris luce, ab oculis mirantium euanuit. E

OLEVM EXVNDANS. Ego autem audiebam sæpius, quòd etiam lychni qui accendebantur ante hæc pignora, ebullientes virtute diuina, in tantum exundarent oleum, vt vas suppositum plerumque replerent: & tamen iuxta stultitiam mentis duræ numquam ad hæc credenda mouebar, donec brutam segnitiem ipsa ad præsens quæ ostensa est virtus argueret. Ideoque quæ oculis propriis viderim, explicabo.

Causa deuotionis extitit, vt sepulchrum S. Hilarij visitans, huius Reginæ audirem collo-
INSIGNE MIRACVLVM DE EXCRESCENTE OLEO LAMPADIS S.CRVCIS. quia: ingressusque monasterium, consalutata Regina, coram adoranda Cruce ac sacris beatorum prosternor pignoribus. Denique oratione facta, surrexi. Erat enim ad dexteram lychnus accensus: quem cum stillis frequentibus defluere conspexissem, testor Deum quia putaui quasi vas esset effractum, quia erat ei concha suppositа, in quam oleum defluens decidebat. Tunc conuersus ad Abbatissam, aio: Tanta ne te retinet mentis ignauia, vt integrum

A grum cicindile laborare non possis, in quo oleum accendatur, nisi effractum quo defluat, ponas? Et illa: Nec est ita, domine mi, sed virtus est Crucis sanctæ, quam cernis. Tunc ego ad me reuersus, & ad memoriam reuocans quæ prius audieram, conuersus ad lychnum, video in modum ollæ feruentis magnis fluctibus exundare, ac per oram ipsam vndis intumescentibus superfluere, & (vt credo) ad incredulitatem meam arguendam magis ac magis augeri, ita vt in vnius horæ spatio plus quàm vnum sextarium redderet vasculum, quod quartarium non tenebat: admiratusq; silui, ac virtutem adorandæ Crucis deinceps prædicaui.] hæc & alia ex dicto Crucis ligno manasse miracula, idem auctor affirmat.

Porrò sancta Radegundis pretiosissimi accepti ab Imperatore muneris grata, non litteris tantum ipsi gratias agendas existimauit, verùm etiam certos misit ad gratias debitas persoluendas legatos, nempe venerandum sacerdotem Regulum, per quem illud ipsum accepe- LEGATIO RADEGVNDIS AD IMP.
B rat, & alios. De hac rursum missa in Orientem legatione, eadem quæ supra eiusdem monasterij monialis sacra virgo Bandoninia ista habet[a]: Pro cælesti autem hoc munere misit supradictum presbyterum cum aliis, gratias vt agerent Imperatori.] Quid verò iisdem legatis in Gallias redeuntibus, dum nauigarent, acciderit, ex quo eiusdem sanctæ Radegundis virtus magis enituit, ex eadem accipe, dum ista mox subdit:

[a] *Band. in Vita S. Rad. g. lib. 2. c. 17.*

Quibus redeuntibus, mare fluctibus cœpit agitari; ita vt multis illi obiecti periculis, eiusmodi procellas & tempestates numquam se vidisse faterentur. Quadraginta diebus & noctibus in medio mari in summum vitæ discrimen coniecti, cùm vitam planè desperarent, & mors eis ob oculos versaretur; inter se mutuo conciliati, pelago illos iam iam absorbere incipiente, vocem in cælum dabant, ita dicentes: Domina Radegundis, subueni seruis tuis, vt qui tibi obediuimus, sine subsidio non pereamus: libera nos de præsentissimo subuersio-
C nis periculo. Vbicumque ex fide inuocaris, misericors es: adiuua etiam tuos, ne pereamus. Ad has voces in medio mari columba ad eos veniens, nauem ter cirumuolauit: cumque tertio id faceret in nomine sanctissimæ Trinitatis, quam beata Radegundis semper in suo habuit pectore, famulus eius Benesarus manum exendens, è cauda tres extraxit pennas, quas mari intingens, tempestatem sedauit.] hæc de liberatione legatorum precibus Radegundis (vt ab omnibus fuit existimatum) per alitis nuncium suos periclitantes inuisentis, & per eius pennas, quibus nihil leuius esse potest, exæstuantis maris fluctus diuinitus mitigantis, penitusque sedantis.

Magno namque beneficio Francorum gentis, talem tantamque Reginam virginem æquè ex Burgundiæ Regibus oriundam, sicut & Crotildem fidei Christianæ Francis auctricem, Deus clarere in Ecclesia fecit hoc sæculo, cùm Galliæ bello ciuili sæpe repetito RADEGVNDIS REGINAE GLORIA.
D flagrarent; quæ veluti nocturno tempore super excelsam turrim ingens pharus esset posita lucens, perspicua errantibus duplici lumine tum ex sanctissimæ vitæ moribus, tum etiam ex frequentibus edi solitis ab ea miraculis comparato. in cuius laudem tum metro tum soluta quoque oratione cùm plurima scripserit Venantius Fortunatus, ex multis vnum hic accipe epigramma[b]:

[b] *Fortun. carm. lib. 8.*

Ad beatam Radegundem.

Regali de stirpe potens Radegundis in Orbe,
Altera cui cælis regna tenenda manent.
Despiciens mundum, meruisti acquirere Christum:
Et dum clausa lates, hinc super astra vides.
Gaudia terreni conculcans noxia regni,
E *Vt placeat regi læta fauente polo.*
Nunc angusta tenes, quo cælos largior intres:
Effundens lacrymas gaudia vera metes,
Dum corpus cruciant, animam ieiunia pascunt.
Salue quam Dominus seruat amore suo.]

Quod autem idem Fortunatus eamdem sanctè pieq; amans sæpe carmine caneret, & munusculis frequentaret: cùm eiusmodi officia quæ ex pietate animique integritate progredi solerent, in deteriorem partem susurrones acciperent, qui nonnisi ex suis ipsorum deprauatis moribus soleant aliorum facta metiri: idem ad ipsam hæc scripsit tum carmina[c]:

[c] *Fortun. carm. lib. 11.* MIRIFICE COLVIT RADEGVNDEM FORTVNATVS.

Mater honore mihi, soror autem dulcis amore:
Quam pietate, fide, pectore, corde colo,
Cælesti affectu, non crimine corporis vllo:

Non

Non caro, ſed hoc quod ſpiritus optat, amo.
Eſt teſtis Chriſtus, Petro, Pauloq; miniſtris,
Cumq; piis ſociis ſancta Maria videt,
Te mihi non aliis oculis, animoq; fuiſſe,
Quàm ſoror ex animo tu Titiana fores,
Ac ſi vno partu mater Radegundis vtroſque
Viſceribus caſtis progenuiſſet eram,
Et tamquam pariter nos vbera chara beatæ
Pauiſſent vno lacte fluente duos.
Heu mea damna gemo, tenui ne fortè ſuſurro
Impediant ſenſum mollia verba meum.
Sed tamen eſt animus ſimili me viuere voto,
Si vos me dulci vultis amore coli.] hæc & alia aliis verſibus ſæpe idem auctor inculcat aduerſus obtrectatores. At quomodo non toto amanda corde, omnibusque laudibus proſequenda, obſequiisque cunctis honoranda, & muneribus demerenda ab omnibus, quæ regiæ nobilitatis verticem Chriſti amoris cauſa ſumma animi demiſſione adeò inclinaſſet, angelicamque vitam in terra, ſpreto connubio Regis, ducere ſtatuiſſet, omnique virtutum genere compta Chriſto ſponſo placere ſemper ardentiſſimè ſtuduiſſet? Quis vehementer amare refugere poſſet, quam à Deo, eiuſque Angelis atque ſanctis præ ceteris diligi perſpexiſſet? Quis obſequi in omnibus illi refugeret, cuius virtuti in miraculorum editione cæleſtia atque terreſtria pariter obtemperare cognouiſſet? Quis denique omni cultus genere proſequi eam prætermiſiſſet, quam currentem in odorem vnguentorum cæleſtis ſponſi, & poſt eam & ab ea ſacrarum virginum chorum duci intellexiſſet? Sed de Radegunde ac Fortunato modò ſatis.

IVSTE AMATA CVLTAQVE S. RADEGVNDIS A FORTVNATO.

Quòd verò iam ad calcem anni huius peruenimus, non prætermittendum de Victore chronographo meminiſſe, quem gẽnere Africanum in hunc vſque primum Iuſtini Imp. annum ſuum Chronicon perduxiſſe, auctor eſt Iſidorus, qui de ipſo iſta habet[a]: Victor Tumuenſis ſiue Tunnenſis Eccleſiæ Africanæ Epiſcopus, à principio mundi vſque ad primum Iuſtini Iunioris Imperatoris annum perbreuem per Conſules annuos bellicarum Eccleſiaſticarumque rerum nobiliſſimam promulgauit hiſtoriam laude & notatione illuſtrem ac memoria dignam, &c.] Diximus ex eodem de ipſo ſuperiùs ſuo loco, iuſſu Imperatoris in exilium deportatum, ac demum Conſtantinopolim reuocatum, detruſumque ibidem in monaſterium in defenſione Trium capitulorum perſtantẽ diem clauſiſſe extremum. Porrò de eodem Victore locum corrige Iſidori in libro Originum: ibi enim dum de ipſo agitur, nominatus reperitur Turonenſis Epiſcopus loco Tunnenſis, ſiue Tumuenſis. Finis hic Victoris: quem cum aliis, dum videri voluit nimis iuſtus, ſtupor oppreſſit, non attendentem quod commonet Eccleſiaſtes, dicens[b]: Iuſtus perit in iuſtitia ſua.] & paulo pòſt: Noli eſſe multum iuſtus, neque plus ſapias quàm neceſſe eſt, ne obſtupeſcas.

[a] *Iſidor de Vir. Illuſtr. c. 25. DE VICTORE EPISC. AFRICANO.*

[b] *Eccleſ. 7.*

IESV CHRISTI ANNVS 567. IOANNIS PAP. ANNVS 8. IVSTINI IVN. IMP. ANNVS 2.

QVingenteſimus ſexageſimus ſeptimus annus Redemptoris adeſt, qui Indictionis decimæquintæ, ipſius Iuſtini Imperatoris ſecundus à menſe Nouembri anni ſuperioris iam cœptus adnumeratur; idemque alicubi ſecundo eiuſdem Auguſti Conſulatu inſcriptus habetur: ſic enim viſus eſt reuocaſſe in vſum Conſulatus ampliſſimum magiſtratum, vt ipſe ſolus eo potitus nullum aſciuerit ſibi collegam. Sanguinolentus fluxit hic annus nece Iuſtini Ducis cognati ipſius Imperatoris, necnon clariſſimorum virorum Ætherij & Addæi: quos hoc anno Imperatorium gladium ſuſtuliſſe, omnes hiſtorici[c] nota temporum ſingula conſignantes affirmant: ſed & diem necis notat Euſtathius[d], fuiſſeque ait tertiam menſis Octobris. Ante hos illuſtres viros è medio ſublatum eſſe Iuſtinum, Euagrius[e] docet; cui potiùs aſſentimur, quàm recentiori[f] auctori ad ſextum annum Iuſtini Imperij referenti. De Iuſtino igitur primùm aggrediamur tragœdiam: cuius non ſit quem non miſereat, qui res ab

CRVENTVS ANNVS NECE NOBILIVM.

[c] *Miſcel. hoc an. & Cedre.*
[d] *Euſtath. in Vita S. Eutyc. apud Sur. die 6. April.*
[e] *Euag. lib. 5. c. 1. 2.*
[f] *Cedren. annal. in Iuſtino*

A res ab eo præclarè gestas in bello Persico & aliis ex Procopio atque Agathia perceperit. Sed audiamus de eius nece quæ scribat Euagrius [a]:

[a] *Euag. lib. 5. c. 1. 2.* DE ABARIS ATQ. IVRCIS.

Quinetiam (inquit) audacia & timiditate, duobus vitiis contrariis irretitus, primùm Iustinum cognatum, virum in magna gloria apud omnes tum ob rerum bellicarum vsum, tum ob alia ornamenta, iam circiter Danubium ideo commorantem, vt Abaros, ne eo flumine traiecto in fines Romanorum irrumperent, prohiberet, ad se accersit. Isti Abari sunt ex gente Scytharum, qui Amaxobij dicuntur, quique agros vltra Caucasum iacentes accolunt, oriundi. Qui Turcas vicinos suos ab illis grauibus affecti incommodis cum omnibus suis fugientes, primùm ad Bosphorum venerunt; deinde Euxini ponti littoribus relictis (vbi multæ gentes barbaræ habitant illæ quidem, sed vrbes & castella à Romanis incolebantur; atque eò tum nonnulli milites rude donati aduenerant, tum coloniæ erant de
B sententia Imperatorum deductæ) recto itinere contenderunt, omnibus barbaris qui ante pedes erant vsque eò expugnatis, quoad Danubij ad littora peruenirent; vnde legatos miserunt ad Iustinianum.] At quod ad Turcas pertinet, quos Abaris fuisse confines Euagrius tradit: veteres eosdem non ignorarunt: siquidem à Plinio [b] adnumerantur inter eas gentes, quæ circa Meotidem paludem habitant. horum dum huius etiam temporis scriptor meminit Agathias [c], ait ipsos fuisse horribiles visu, intonsos, sordidos, impexos, squallidos. sed de his aliàs. Pergit Euagrius:

[b] *Plin. hist. lib. 6. c. 7.*

[c] *Agath. lib. 1*

Ex eo loco Iustinus accersebatur, eo nomine videlicet, vti conditionibus inter ipsum & Imperatorem Iustinum pactis frueretur. Nam quoniam ambo in simili vitæ splendore positi videbantur, & Imperium ad vtrumque spectaret; post magnam de rerum summa disceptationem & controuersiam conuenit inter eos, vt vter illorum ad Imperij honorem
C ascenderet, alteri deferret secundas, eatenus quidem, vti licet secundas ab Imperatore, præ ceteris tamen omnibus primas obtineret. Quapropter Iustinus Imperator beneuolentia quadam fronte simulata, alterum Iustinum complectitur; & criminibus paulatim contra eum confictis, & satellitibus militibus prætorianis ac stipatoribus ab eo remotis, vetat quo minus in publicum prodiret (domi enim assiduè se continuit) & tandem mandat Alexandriam transportandum. In qua vrbe nocte intempesta, cùm iam decumberet in lecto, miserandum in modum interemptus est: istaq; mercede tum ob beneuolentiam in Rempublicam, tum ob res præclarè in bello gestas remuneratus. Atque non priùs Imperatoris, eiusque coniugis *Sophiæ Augustæ* furor & iracundiæ flamma restincta fuit, quàm caput eius ceruicibus abscissum cernerent, inque illud calcibus insultarent.] hæc de nece Iustini Ducis exercitus habet Euagrius.

IVSTINVS DVX INVITE NECATVR.

D Sed quæ in Ætherium & Addæum clarissimos Senatores admiserit, ita subdit: Non longo tempore pòst, Ætherium & Addæum, vtrumque ex ordine Senatorio, qui Principem locum apud Iustinianum diu tenuerant, in iudicium ob piaculum quoddam adducit Iustinus. Quorum alter (Ætherium dico) confessus se animo instituisse Imperatorem veneno conficere, habuisseque Addæum illius conatus socium & in omnibus adiutorem. Verùm Addæus grandi cum iureiurando affirmat, se istius rei prorsus ignarum esse. At vterque tamen securi percussus est. Atque Addæus, cùm iam caput abscinderetur, dixit ingenuè, licet falsò de his rebus esset accusatus, iusta tamen debitaque à Deo facinoris cuiusque contemplatore & vindice sibi inflicta supplicia: Theodotum namque aulæ præfectum se præstigiis quibusdam è medio sustulisse. Ceterùm ista ita ne se habeant, an secus, non possum quidem pro certo affirmare. Attamen vterque scelestus fuit: quippe Addæus insa-
E no puerorum amore exarsit: Ætherius autem nullum calumniæ genus præteriens, tum viuos, tum mortuos nomine aulæ Imperatoriæ, cui regnante Iustiniano præfuit, fortunis spoliauit. Atque hæ res hunc habuere exitum.]

AETHERII ET ADDAEI SVPPLICIVM.

Hæc cùm habeat Euagrius, ipsum quidem illa causa præteriit vtriusque supplicij, sacrilegium nimirum ab vtroque aduersus sanctum Eutychium Constantinopolitanum Episcopum perpetratum, cùm eum trudentes in exilium pessimè habuere. Est horum omnium fidelis testis Eustathius, qui interfuit, cunctaque litteris commendauit, atque de his hæc habet [d]:

[d] *Eustath. in Vita S. Eutyc. apud Sur. die 6. April.*

Ea quidem die tertia mensis Octobris, quæ erat Dominica. Qua quidem die & illi qui viro sancto insidias struxerant, atque in exilium eiecerant, Ætherius & Addæus, quorum hic vrbis Præfectus erat, ille autem Antiochiæ Curator, mortui sunt: & quemadmodum virum sanctum eiiciendum curauerant, ita ambo mercedem perceperunt. In hac igitur die

vir optimus sedem recepit atque Ecclesiam suam,& ipsi priuati sunt vita,multis annis ante- A
quam ipse reuocaretur.] & paulo inferiùs: Iam de superhumerali, *pallio videlicet*, dicenda
sunt: neque enim illi in ea expulsione fuit ereptum, sed apud eum mansit. Cùm enim qui-
dam è clericis suaderent Ætherio,vt ipsum adimeret viro sancto : ille,neglectis eorum ver-
bis, recusauit. Itaque cùm ipse in indignatione versaretur , eis qui ad se inuisendum vene-
rant,confessus est: Quæ, inquiens, feci domino Eutychio , ea in me cumulatè reciderunt.
Per homines enim meos oppugnaui eum , & per homines meos oppugnatus sum : Vesti-
menta illius diripui ; omnia mihi direpta sunt. Vnum tantùm non ademi : id mihi quoque
relictum est. Cùm enim clerici me hortarentur, vt adimerem superhumerale, non feci. Et
ecce cùm in hac sim calamitate,zona tantùm & dignitatis meæ insignia à me non sunt ab-
lata. Lugens ille quidem hæc narrabat: pœnitentiæ tamen tempus non inuenit, quamuis
multis lacrymis eam quæsiuisset. At de his quidem satis.] hæc Eustathius : quibus intelli- B
[a] *Hier.1.* gas virgam illam, quam vigilantem Hieremias[a] vidit , diuinam scilicet imminentem super
quoslibet delinquentes vltionem,iustè digneque ad infligenda peccantibus verba diuinæ
manus arbitrio tempore congruo deorsum ferri.

Sed iam ingens strepitus barbarorum Italiam aggredi parantium , vt oculos atque au-
res, ita & stylum ad se conuertit. Quæ enim depressis atque penitus ferè extinctis Gothis,
cunctisque Francis eam subigere laborantibus , iam tandem visa est Italia quieuisse; nouis
exundantibus barbaris , maiori cœpit subiacere discrimini , cùm videlicet grassantes Lon-
gobardi in eam parant aduentum. Hæc autem quomodo se habuerint , quæ Paulus diaco-
nus Longobardorum res prosecutus conscripsit , primùm adducamus in medium , qui sic
[b] *Paul.diac. de Gest. Lon-gobard.lib.1. cap.5.* exorditur[b] :

DE NARSETE ET SOPHIA AVGVSTA. Narses (inquit) dum multum auri & argenti , aliarumque rerum diuitias acquisiuisset, C
magnam à Romanis , pro quibus multum contra eorum hostes laborauerat , inuidiam
traxit : qui contra eum Iustino Augusto ,eiusque coniugi Sophiæ Augustæ suggessere , di-
centes , quòd expedierat Romanis seruire Gothis potiùs quàm Græcis, vbi Narses eunu-
chus imperat & nos seruitute opprimit , & hæc noster piissimus Imperator ignorat. Aut
igitur libera nos de manu eius , aut certè vrbem Romam & nosmetipsos Gentibus trade-
mus. Cumque hoc Narses audisset, hæc breuiter retulit verba : Si malè feci Romanis,ma-
lè inueniam. Tunc Iustinus Augustus in tantum aduersus Narsetem commotus est, vt sta-
tim in Italiam Longinum Præfectum mitteret , qui Narsetis locum obtineret. Narses ve-
rò his cognitis , valde timuit ,& vsque adeò ab Augusta perterritus est , vt vltrà regredi
Constantinopolim non auderet : cui inter cetera (quia eunuchus erat) illa hoc fertur man-
dasse , vt cum puellis in gynæceo lanarum pensa faceret diuidere. Ad quæ Narses respon- D
disse fertur : Telam se eidem talem orditurum, qualem ipsa , dum viueret , deponere , aut
detexere non posset.

LEGATIO NARSETIS AD LONGOBARDOS. Itaque odio & metu exagitatus, Neapolim Campaniæ ciuitatem secedit : vnde legatos
mox ad Longobardorum gentem dirigit , mandans vt pauperrima Pannoniæ rura defere-
rent,& ad possidendam Italiam cunctis refertam diuitiis venirent : simulq; multimoda po-
morum genera, aliarumque rerum species, quarum Italia ferax est, ad eos mittit, vt eos ad
veniendum citiùs posset illicere. Longobardi læta nuncia, quæ ipsi præoptauerant , gratan-
ter accipiunt,deque futuris commodis animos extollunt. Continuò verò apud Italiam ter-
ribilia noctu signa visa sunt,vtpote igneæ acies in cælo apparentes,eum videlicet,qui postea
effusus est,sanguinem tali coruscatione portendentes.] hæc Paulus diaconus,qui hæc acci-
disse hoc eodem anno satis demonstrat , dum ipsam eruptionem Longobardorum è Pan- E
nonia in Italiam anno sequenti,nimirum quingentesimo sexagesimooctauo,quarto Nonas
[c] *Paul. diac. de Gest. Lon-gobard. lib.1. cap.6.* Aprilis vel ipsis Kalendis eiusdem , contigisse commemorat[c].

Quod autem spectat ad inimicitias inter Senatum populumq; Romanum atque Narse-
tem conflatas: Anastasius auctor est Ioannem Romanum Pontificem ad eos inter se conci-
liandos accessisse sequestrem,Neapolimque ea de causa profectum,eumdemque in Vrbem
reuocasse : ait enim : Vt cognouit Ioannes Papa, quia suggestionem suam ad Imperatorem
contra Narsetem Senatorem misissent,*Romani scilicet*,festinus venit Neapolim: cœpit eum
Ioannes Papa rogare,vt reuerteretur Romam. Tunc Narses dixit ei : Dic sanctissime Papa,
quid mali feci Romanis? Vadam ad pedes eius qui me misit; vt cognoscat Italia, quomodo
totis viribus laboraui pro ea. Respondit Ioannes Papa,dicens : Citiùs ego vadam, quàm tu
de hac terra egressus fueris. Reuersus est ergo Narses cum Ioanne sanctissimo Papa. Hinc

sanctissi-

A sanctissimus Papa retinuit se in cœmeterio sanctorum Tiburtij & Valeriani, & habitauit ibi multum temporis, vt etiam Episcopos ibi consecraret. Narses verò ingressus Romam, non post multum temporis mortuus est, &c.] sed de Narsetis obitu inferiùs pluribus agendum erit. Vidisti omnia quæ de Narsete tum à Paulo diacono, tum ab Anastasio scripta sunt. At hæc vera ne sint, diligentiori sunt studio inuestiganda.

Atque primùm illud expendendum, an veritate subsistat, Narsetem hoc tempore in Italia commoratum, atque inde Longobardos è Pannonia conuocasse, qui sequenti anno irruperint in Italiam, cùm iam in locum eius ab Imperatore Longinus subrogatus esset. Hæc autem ab auctoribus conscripta, qui post plurimos annos vixerunt, vt in dubium reuocentur, haud mirum videri debet; cùm præsertim ab auctore arguantur, qui his temporibus vixit. Certè quidem Corippus grammaticus Africanus, quem superiùs sæpe citasse meminimus, Narsetem iam ante præsentem annum reuocatum Constantinopolim, magnumq; honorem apud Iustinum Imp. consecutum docet, dum ait ipsum præsentem fuisse anno superiori quo Iustinus adiit Consulatum, inhæsisseque præceteris lateri ipsius Imperatoris, cùm audiuit legatos missos ab Auaribus barbaris. habet enim de ipso hos versus [a]:

DE NARSETE HISTORIA PAVLI DIACONI REIICITVR

[a] *Corip. in laud. Iustin. lib. 3.*

Armiger interea, domini vestigia lustrans,
Eminet excelsus super omnia vertice Narses
Agmina, & Augustam cultu præfulgurat aulam,
Comptus cæsarie, formaq; insignis & ore:
Aureus omnis erat, cultuq; habituq; modestus,
Et morum probitate placens, virtute verendus,
Fulmineus, cautus, vigilans noctesq; diesq;
Pro rerum dominis.] & inferiùs de eodem Narsete ita magnificè [b]:

[b] *Corip. lib. 4. in fin.*

Necnon ensipotens membrorum robore constans,
Aspectu mentis, non à grauitate benignus
Adstabat Narses, sedemq; ornabat herilem,
Splendida signa gerens, qualis pretiosus achates,
Aut medius fuluo Parius lapis enitet auro,
Artificis formante manu: sic luce coruscus,
Sic animo placidus, mitis sic gratior ore,
Terga tegens domini, claris fulgebat in armis.]

hæc de Narsete auctor ipso anno primo Iustini Imperatoris: vt non sit dubium ipsum iam antea ab Italia fuisse Constantinopolim reuocatum. Quamobrem ea omnia à Paulo diacono, siue ab aliis de ipso asserta commenta corruunt, dum volunt minimè antehac fuisse reuersum Constantinopolim, sed hoc anno altercatum cum Senatoribus Vrbis, & ab Augusta contemptum.

Sed nec est quod dici possit, ipsum Narsetem, qui reperitur anni superioris initio fuisse Constantinopoli, ab Imperatore iterum in Italiam missum cum eodem munere præfecturæ. Etenim omnes consentiunt atque simul testantur, Longinum in eius locum subrogatum fuisse: quamobrem in Italiam iterum missum esse vt dicamus, nulla ratio persuadet. Sic igitur cuncta quæ de vocatis ab eo ex dicta causa Longobardis sunt per Paulum diaconum enarrata, in dubiũ reuocari posse videntur, & fabulæ loco accipi quæ sponte corruant, cùm firmitate veritatis non subsistant. His in medium adductis, reliquum est, vt cœptam iam de aduentu Longobardorum in Italiam historiam prosequamur, atque primùm de iis quæ de dira clade ab ipsis Italiæ inferenda fuerunt antè significata.

Quod igitur ad prodigia attinet, quorum meminit Paulus, ea ex ipso sunt fonte petẽda. Sanctus Gregorius Papa de his agens, hæc pro concione habuit ad populum [c]: Priusquam Italia Gentili gladio ferienda traderetur, igneas in cælo acies vidimus, ipsumque qui postea humani generis fusus est, sanguinem coruscantes.] hæc Gregorius. Sed quæ ante hæc ostensa de his sint sancto redempto Episcopo Ferentinati, idem sanctus Gregorius narrat his verbis [d]: Redemptum Ferentinæ ciuitatis Episcopum, vitæ venerabilis virum, qui ante hos fere annos septem ex hoc mundo migrauit, tua dilectio cognitum habuit. Hic, sicut mihi adhuc in monasterio propè posito valde familiariter iungebatur, hoc quod Ioannis Iunioris prædecessoris mei tempore de mundi fine cognouerat, sicut longè lateque claruerat, à me requisitus mihi ipse narrabat. Aiebat namque, quia quadam die, dum parochias suas ex more circuiret, peruenit ad ecclesiam beati Eutychij martyris. Aduesperascente autem die, stratum

[c] *Greg. homil. 1. in Euang.*

[d] *Greg. dialo. lib. 3. c. 38.*

QVAE PRAE OSTENSA DE INCVRSIONE LONGOBARDORVM S. REDEMPTO.

ſtratum ſibi fieri iuxta ſepulchrum martyris voluit,atque ibi poſt laborem quieuit.cùm no- A
cte media(vt aſſerebat) nec perfectè vigilare poterat,nec dormiebat; ſed depreſſus, vt ſolet, ſomno grauabatur,quodam pondere vigilans animus: atque ante eum idem martyr Eutychius aſtitit,dicens: Redempte,vigilas? Cui reſpondit: Vigilo. Qui ait: Finis venit vniuerſæ carnis: Finis venit vniuerſæ carnis: Finis venit vniuerſæ carnis. Poſt quam trinam vocem viſio martyris, quæ mentis eius oculis apparebat,euanuit.Tunc vir Dei ſurrexit,ſeq; in orationis lamentum dedit.

MALA A LONGOBARDIS ILLATA.

Mox enim illa terribilia in cælum ſigna ſecuta ſunt, vt haſtæ atque acies igneæ ab Aquilonis parte viderentur. Mox effera Longobardorũ gens de vagina ſuæ habitationis educta, in noſtram ceruicem graſſata eſt; atque humanum genus,quod in hac terra præ nimia multitudine quaſi ſpiſſæ ſegetis more ſurrexerat,ſucciſum aruit: nam depopulatæ vrbes,euerſa caſtra,concrematæ eccleſiæ, deſtructa monaſteria virorum & feminarum, deſolata ab ho- B
minibus prædia,atque ab omni cultore deſtituta in ſolitudine vacat terra, nullus hãc poſſeſſor inhabitat: occuparunt beſtiæ loca, quæ prius multitudo hominum tenebat. Et quid in aliis mundi partibus agatur,ignoro. Nam in hac terra,in qua nos viuimus, finem ſuum iam non nunciat,ſed oſtendit. Tanto ergo nos neceſſe eſt inſtantiùs æterna quærere, quanto à nobis cognoſcimus temporalia fugiſſe. Deſpiciendus à nobis hic mundus fuerat, etiam ſi blandiretur, ſi rebus proſperis demulceret animum. At poſtquam tot flagellis premitur, tanta aduerſitate fatigatur, tot nobis quotidie dolores ingeminat: quid nobis aliud, quàm ne diligatur,clamat?] hæc S.Gregorius de aduentus Longobardorum prædictione.

At ne quis putet mendax fuiſſe oraculum de fine vniuerſæ carnis prædictum: ſciat hiſce verbis non ſæculi conſummationẽ ſignificatam,ſed gentis Italiæ cladem: ſicut olim Deum per ſuum Prophetam comminatum fuiſſe conſtat, vbi ait[a]: Hæc dicit Dominus Deus ter- C
ræ Iſrael: Finis venit: Venit finis ſuper quatuor plagas terræ: Nunc finis ſuper te,&c.] ſicut ergo finem vniuerſæ carnis minitante Propheta,non mundi eſt demonſtratus interitus, ſed imminẽtes tantùm clades præſignatæ fuere;ita pariter eadem quæ prædicta ſunt S.Redemto accipienda erunt. Certè quidem finis quodammodo tunc dici potuit aduenisſe Romani Occidentalis Imperij,cùm Longobardi Italiam inuadentes,rerum potiti ſunt.Etenim poſt paucos Hexarchos Conſtantinopoli ab Imperatoribus in Italiam miſſos,qui Rauennę conſidere conſueuere, iiſdem diu præualentibus Longobardis, Occidentis Imperium penitus collapſum eſt, neque vſque ad Carolum Magnum ampliùs reſtitutum,vt tamen in Gallias fuerit ipſum tranſlatum. Sanè quidem quàm duriſſima foret Longobardorum aduentura graſſatio, eiuſmodi factis diuinitus vaticinus præſignata poteſt intelligi, quibus mũdi ipſius interitus fuit creditus ſignificari. D

[a] Ezech.7.

QVOMODO ACCIPIENDVM VATICINIVM.

QVAM DIRA LONGOBARDORVM INVASIO.

Quid autem paſſa ſit à Longobardis Italia,vel hoc vno collige argumento: Si,teſte Procopio, cùm iidem amici eſſent Imperatoris, & laboranti Italiæ bello Gothico in auxilium Longobardi venientes, longè deteriora hoſtibus perpetrarunt, vt opus fuerit eos dimittere: quid ab iiſdem factum poteſt exiſtimari, cùm iam hoſtes redditi hoſtili animo Italiam inuaſerunt? Sanè quidem adeò immenſa vbique increbuere ſub ipſis mala, vt non leues quæque perſonæ,ſed ipſe S.Gregorius Papa, idemque Magnus præ meritorum celſitudine nuncupatus exiſtimarit iam inſtare nouiſſimum diem,quo vniuerſi Orbis conflagratio immineret. Sed de his pluribus ſuo loco agendum infetiùs: iam verò quæ rerum geſtarum anni huius ſunt reliqua videamus.

Hoc eodem anno, qui eſt ſecundus Iuſtini Imperatoris, defuncto Athanagildo Rege Gothorum in Hiſpania, cùm ceſſaſſet regnum menſes quinque, Liuba ei præficitur,ſecundoque ſui regni anno ſibi collegam aſciuit Leuuigildum fratrem. hæc Chronicon Iſidori, licet quod ad notam Æræ pertinet deprauatus numerus eius reperiatur. Fuerunt Athanagildo duæ filiæ, quarum altera maior natu Geleſuintha, minor Brunichildis; illa nuptui tradita Chilperico Francorum Regi regnanti Sueſſionis, iſta Sigeberto Regi itidem Francorum Rhemis regni ſedem habenti. Quòd enim à patre etſi Ariano,Catholicis tamen fauente,immo & clam(vt Tuditanus eſt auctor) Catholicam fidem colente,ſint genitæ; perfacile fuit eaſdem,vbi venerunt in Gallias,rectis dogmatibus imbui,& abiurata Ariana impietate, reddi Catholicas. E

[b] Fortun. carm.lib.6.

Cecinit tunc temporis Venantius Fortunatus[b] epithalamium de nuptiis Sigeberti Regis atque Brunichildis Reginæ, vbi plura de laudibus Sigeberti, deque pace inter Francos & Gothos nuptiis Brunichildis ſancita hæc habet:

— Quis

A —— —— *Quis crederet autem*
Hispaniam tibimet dominam Germania nasci,
Quæ duo regna iugo pretiosa annexuit vno?
Non labor humanus potuit tam mira parare:
Namres difficilis diuinis vtitur armis,
Longa retro series Regi hoc vix contulit vlli:*
Difficili nisu superantur ardua rerum.
Nobilitas excelsa nitet genus Athanagildi,
Longiùs extremo regnum qui porrigit Orbi,
Diues opum, quas mundus habet, populumq; gubernat
Hispanum sub iure suo pietate canenda.] &c. De ipsa verò à viro suo ad fi-
B dem conuersa Brunichilde hæc idem auctor in carmine in laudem Sigeberti Regis eius coniugis habet[a]:

Catholico cultu decorata est optima coniunx:
Ecclesiæ creuit, te faciente, domus.
Reginam meritis Brunichildem Christus amore
Tunc tibi coniunxit, hanc tibi quando dedit.
Altera vota colis meliùs, quia munere Christi*
Pectora iuncta priùs, plus modò lege placent.
Rex pie, Reginæ tanto de lumine gaude:
Acquisita bis est, quæ tibi nupta semel.
Pulchra, modesta, decens, sollers, pia, grata, benigna,
C *Ingenio, vultu, nobilitate potens.*
Sed quamuis tantum meruisset sola decorem:
Antè tamen homini, nunc placet ecce Deo.]

Cecinit idem auctor de Gelesuintha eius sorore nupta Chilperico Regi non epithalamium, sed lugubres elegos: quibus planè ostendit in poëticis facultatibus haud Latinas Musas his temporibus raucas, sed planè sonoras, quæ & ad collacrymandum lectorem impellant. Miserrima quidem fuit Gelesuinthæ conditio: de eius enim cum Chilperico infelici coniugio Gregorius ista habet[b]: Chilpericus Rex, cùm iam plures haberet vxores *(ita nominat concubinas)* sororem Brunichildis Galsuintham, *siue Gelesuintham, vel Gelsuintham dictam*, expetiit, promittens per legatos se alias relicturum, tantùm condignam sibi Regisque prolem mereretur accipere. Pater verò eius has promissiones accipiens, filiam
D suam sicut anteriorem similiter ipsi cum magnis opibus destinauit: nam Gelesuintha ætate senior quàm Brunichildis erat. Quæ cùm ad Chilpericum Regem venisset, cum grandi honore susceptа, eiusque est sociata coniugio. A quo etiam magno amore diligebatur: detulerat enim secum magnos thesauros. Sed per amorem Fredegundis, quam priùs habuerat, ortum est inter eos grande scandalum. Iam enim in lege Catholica conuersa fuerat & chrismata. Cumque se Regi quereretur assiduè iniurias perferre, diceretque nullam se dignitatem cum eodem habere; petiit, vt relictis thesauris quos secum detulerat, liberè redire permitteret ad patriam. Quod ille per ingenia dissimulans, verbis etiam lenibus demulsit. Ad extremum eam fugillari iussit à puero: mortuamque reperit in stratu.] hæc Gregorius. Ceterùm rem haud omnibus compertam fuisse, Fortunatus demonstrat, dum repentina eam morte abreptam, non violenta ex hac vita subductam tradit: qui de ambabus so-
E roribus hæc primùm habet[c]:

Toletus geminas misit tibi Gallia turres:
Prima stante quidem, fracta secunda iacet.
Alta super colles speciosa cacumine pulchro
Flatibus infestis culmine lapsa ruit.
Sedibus in patriæ sua fundamenta relinquens,
Cardine mota suo, non stetit vna diu.
De proprio migrata solo noua mersit arena*
Exul, & his terris, heu, peregrina iacet.] & inferiùs de eius in pauperes amore & fide Catholica recens accepta hos versus idem auctor cecinit eleganter:

Regnabat placido componens tramite vitam,
Pauperibus tribuens aduena mater erat.

PAX CONCILIATA NVPTIIS BRVNICHILDIS.

* quæ Regi hoc cont.

[a] *Fortun. carm. lib. 6.* DE BRVNICHILDE REGINA FACTA CATHOLICA. * *qua*

[b] *Greg. hist. lib. 4. c. 28.*

[c] *Fortun. de Gelesuin. car. lib. 6.* DE BRVNICHILDE ET GELESVINTHA SORORIBVS.

* *mors sit*

Quoq; magis poſsit regno ſupereſſe perenni, A
Catholicæ fidei conciliata placet.
O dolor inſignis, quid differs tempora fletus,
Lugubresq; vices plura loquendo taces?
*Improba ſors hominum, * quæ improuiſo condita lapſu*
*Tot bona tam ſubitò, ſorte volante, voras *.*
Nam breue tempus habens, conſorti nexa iugali,
Principio vitæ funere rapta fuit.
Præcipiti caſu, volucri præuenta ſub ictu
Deficit, & verſo lumine lumen obit.] Hoc tamen lucrata fuit Hiſpana virgo; vt ex Ariana Gallia Catholica redderetur, ac planè ſancta moribus efficeretur. Quid autem acciderit ad ipſius ſepulchrum, quod eius ſanctitatis indicium haud leue exiſtimatum B
[a] Greg. lib. 4. cap. 28. eſt, refert Gregorius, dum iſta ſubdit [a]:

Poſt eius obitum Deus virtutem magnam oſtendit. Lychnus enim ille qui fune ſuſpenſus coram ſepulchro eius ardebat, nullo tangente, fune diſrupto, in pauimentum corruit: & fugiente ante eum duritie pauimenti, tamquam in aliquod molle elementum deſcendit, atque medius eſt ſuffuſus *, nec omnino contritus: quod non ſine magno miraculo videntibus fuit.] hæc ipſe; quæ idem Fortunatus in eius panegyrico, dum de ipſius funere agit, ita carmine cecinit:

* ſuffixus MIRACVLVM AD SEPVLCHRVM GELESVINTHAE.

Ducitur, ornatur, deponitur, vndique fletur,
Conditur & tumulo ſic peregrina ſuo.
Naſcitur & ſubitò rerum mirabile ſignum.
Dum pendens lychnus lucet in obſequium, C
Decidit in lapidem, nec vergit, & integer arſit:
Nec vitrum ſaxis, nec perit ignis aquis.] Et ad finem ex eodem arguit auctor miraculo, quòd anima eius lucidas cum Sanctis ſedes acceperit: hæc enim idem Fortunatus habet, quæ vt alia plura in veteri editione deſiderantur, in tantæ feminæ commendatione piè ac religiosè decantata:

Tot lacrymas ſtillaſſe ſat eſt: ſed ab imbre vaporis
Non releuanda ſitim gutta miniſtrat opem.
Affectus ſi fortè poteſt miteſcere, dicam:
Nam, ea flenda iacet, quæ loca læta tenet.
Dicite ſi quid ei nocuit, quam tempore lapſo
Mortis iter rapuit, vita perennis alit. D
Quæ modò cum Stephano cæleſti Conſule pergit,
Fulget Apoſtolico principe clara Petro:
Matre ſimul Domini plaudens radiante Maria,
Rege ſub æterno militat illa Deo.
Conciliata placet, pretioſo funere fulget:
Depoſita veteri, nunc ſtola pulchra tegit.
Atque vtinam nobis illos accedere vultus
Cedat amore Deus per mare, per gladios.
Vitæ ſigna tenet, vitreo cum vaſe cadente
Non aqua reſtinxit, nec petra fregit humi.
Tu quoque mater habes conſultum voce tonantis E
De nata & genero, nepte, nepote, viro.
Credite Chriſticolæ vitam quia credidit illam,
Non hanc flere decet, quam paradiſus habet.] hactenus Fortunatus. Sed quę eſt ſecuta vltio Chilpericum, cùm detectum eſt facinus, à Gregorio item accipe, qui ait: Rex autem Chilpericus cùm eam mortuam defleſſet, poſt paucos dies Fredegundem recepit in matrimonio. Poſt quod factum reputantes eius fratres, quòd ſua emiſſione antedicta Regina fuerit interfecta, eum è regno deiiciunt.] ſed hæc poſtea.

Porrò hoc tempore in Hiſpaniis etſi non ampliùs aduerſus Francos coniugij fœdere ſociatos Gothis certandum eſſet: aduerſus tamen Græcos aſcitos ſocios, ſed conuerſos in hoſtes iugiter pugnandum fuit: poſt obitum enim Athanagildi Iſidorus tradit Hiſpaniarum Regibus adhuc fuiſſe cum iiſdem confligendum: Aduerſus quos (inquit) hucuſque confligitum

HISPANI ADVERSVS GRAECOS PVGNANT.

A gitur: nam frequentibus antè prœliis cæsi, nunc autem multis casibus fracti ac diminuti sunt.] hæc Isidorus. Ad hæc planè spectant, quæ S. Gregorius [a] scribit ad Recharedum Regem requirẽtem capitula ac pacta illa conuenta cum Iustiniano Imperatore, dum ait: Item in Anagnostico ante longum tempus dulcissima mihi vestra excellentia, Neapolitano quodam iuuẽne veniente, mandare curauerat, vt piissimo Imperatori scriberem, quatenus pacta in chartophylacio requireret, quæ dudum inter piæ memoriæ Iustinianum Principem & iura regni vestri fuerant emissa: vt ex his colligeret, quid vobis seruare debuisset. Sed ad hæc facienda duæ res mihi vehementer obstiterunt: Vna, quia chartophylacium prædicti piæ memoriæ Iustiniani Principis tempore ita surrepente subitò flamma incensum est, vt omnino ex eius temporibus penè nulla charta remaneret: Alia autem, quia (quod nulli dicendum est) ea quæ contra te sunt, apud temetipsum debes documenta requirere, * atque

B hoc per me in medium proferre. Ex qua re hortor, vt vestra excellentia suis moribus congrua disponat, & quæque ad pacem pertinent, studiosè peragat, vt regni vestri tempora per longa sint annorum curricula cum magna laude moderanda.] hæc Gregorius: quibus indicat adhùc viguisse bellum in Hispania aduersus milites Imperatoris, qui aliquo sibi iure id faciendum putaret: conuentum namque inter eos tradunt, vt si opem ferret Imperator, Hispaniæ pars sub Romani Imperij ditionem, hoste superato, rediret: ob idque ad pacem idem Gregorius hortatus est Recharedum. Verùm non pace, sed gladio finem bello impositum, idem Isidorus affirmat.

Sub hoc anno secundo Chilperici Clotarij filij Regis Francorum notatæ reperiuntur præclaræ res gestæ sancti Launomari Abbatis, qui his temporibus in Gallia egregia sanctitate atque miraculis refulsit. extant ipsæ omni fide conscriptæ ab æquali [b] ipsius: ex quo

C hæc tantùm quæ ad annum hunc spectant, haud silentio prætereunda putamus, cùm agit de monasterio ab eo erigi cœpto, vbi antea plurimis miraculis claruisset. reliqua verò quæ ab eodem auctore descripta leguntur, tu consulas: Cœpit (inquit) eo in loco vir Dei ad laborem se accingere, Deo adiuuante, illum repurgare, Turbionis [*] pristino permanente vocabulo: statuitque ibi oratorium, instarque cœnobij cellulas ædificauit, in iis cum suis habitans. Factum hoc est anno secũdo Chilperici Regis, qui fuit filius Clotarij supradicti à Clodoueo primo Francorum Rege Christiano progeniti. Die quadam monachi venerabilis Patris vetustam quercum amputauerunt, cessuram in structuram oratorij. Vbi autem hora cibi capiendi aduenit, vir Domini illos iussit abscedere: ipse verò cum suo ministro in opere permansit. Erat arbor illa in loco importuno sita, vt à fratribus neque securi, neque dolabris aptari posset ad vsum ædificij.

D Itaque seruus Dei ad solitum præsidium recurrens, precibusq; pulsans Dominum, illius virtute & opere fretus, arborem immensæ molis & roboris, quo illi collibitum fuit transposuit: ita vbi ab hominibus non suppetebat adiutorium, non deerat fideli seruo manus auxiliatrix præpotentis Dei. Fertur autem ea arbor tantæ fuisse vastitatis, vt vix quadraginta viri illi deportandæ sufficerent. Præcepit autem vir sanctus ministro suo, vt venientibus fratribus diceret, à prætereuntibus allatam fuisse opem. In cunctis autem operibus suis valde id studebat, vt hominum fugeret notitiam & spiritum vanitatis atque iactantiæ: admonebatque vt omnis laus vni Deo ascriberetur, cuius etiam re vera totum esset, quicquid feciſſet boni.] ita quidem tegere sua admiranda opera consueuit, vt tamen mendacij prauitatem effugeret: neque enim quisquam eum esse mentitum dicere potuit, dum à prætereuntibus allatam opem ad quercum transferendam asseruit: prætereuntes namque quis

E dixerit sanctos Angelos viatores, qui ipsorum apparitiones factas Abrahæ, Loth, atque Tobiæ in memoriam reuocarit. Sed attende quid mox idem subiiciat auctor:

Fuit sioſt hæc vir quidam nobilis, Ermoaldus nomine, qui iam ad extrema perductus, mortis angoribus premebatur. Misit igitur ad virum Dei solidos quadraginta, obnixè rogans, vt ipsi iam in supremo constituto spiritu velit benignus opitulari, & suis apud Deum precibus efficere, vt spes obtinendæ sanitatis ipsi præstetur. Illam pecuniam vir sanctus prorsus recipere noluit: attamen rogante latore, accepit illam quidem, sed ingressus in oratorium fudit preces ad Deum, vt accepta foret in conspectu illius oblatio hominis: imponensq; altari pecuniam, & multo studio singulos appendens & manu reuersans nummos, crebroque flectens genua & orans Dominum; ad extremum nonnisi vnum ex omnibus retinuit sibi solidum, quem per spiritum cognouit non rapina, sed iure partum esse. Reliquos autem restituens illi qui eos attulerat, ait: Hæc pecunia per iniquitatem conflata est;

nec

[a] *Greg. lib. 7. epist. 126.*

[b] *Recitat Sur. tom. 1. die 19. Ian.*

[*] Corbionis RES GESTAE S. LAVNOMARI.

nec potest mutare sententiam Dei, nec vitæ spatia producere, nec peccatorum veniam impetrare. scriptum enim est[a]: Victimæ impiorum abominabiles Domino: vota iustorum placabilia. Hinc est illa Prophetæ exprobratio[b]: Sacrificate de fermento laudem. De fermento quippe laudem immolat, qui Deo sacrificium de rapina parat. Tu ergo, frater, celeriter annuncia domino tuo, vt pro animæ suæ salute sit solicitus, iniusteque aliis ablata restituat, noueritque hoc morbo vitam se amissurum temporariam: nos verò, Christo propitio, bonis omnibus abundamus, nec quicquam nobis in Christum firmiter credentibus poterit deesse. Dominus tecum sit, fili: vade in pace. Ille, his auditis, abiit ad dominum suum: quem tum quidem adhuc viuentem reperit; sed idem tamen, inualescente morbo, excessit è vita.] Alia his ab auctore subiiciuntur obseruatione digniſſima: sed quòd aliò nostra tendit oratio, ista de sancto viro libasse satis erit. Iam verò ad cladem per Longobardos Italiæ sequenti anno inferri cœptam transeamus.

[a] *Prou. 15.*
[b] *Amos 4.*

A B

IESV CHRISTI ANNVS 568. IOANNIS PAP. ANNVS 9. IVSTINI IVN. IMP. ANNVS 3.

LONGOBARDI INTLVVNT IN ITALIAM.

QVingentesimus sexagesimus octauus Domini annus adest, Indictionis primæ, qui & Consulatu secundo Iustini Imperatoris in aliquibus (vt dicetur) monumentis notatus habetur: quo Alboinus Rex Longobardorum è Pannonia, quam occuparat, & ad quadragintaduorum annorum spatia illic manserat, cum suis ex Scandauia insula iam antè progressis, in Italiam magnis potens viribus ingreditur. C

Quòd autem aliqui anno superiori id factum volunt, temporis ratio exactiùs est exploranda. licet enim Paulo diacono[c] id testanti de prima Indictione & anno præ ceteris fides præstanda esset; eius adhuc sententiam sancti Gregorij Papæ assertione fulcire in promptu est: in epistola[d] enim ad Constantiam Augustam data sub Indictione decimatertia post mensem Iunium (qui est annus Domini quingentesimus nonagesimusquintus) cùm numeret annos viginti septem ab aduentu Longobardorum: vtique ab hoc anno eum oportuit numerare cœpisse. Rursum verò cùm in epistola ad Phocam Imperatorem data sub sexta Indictione (qui est annus Domini sexcentesimus tertius) numeret annos triginta quinque à Longobardorum incursionibus: vtique etiam affirmare necesse est, ab hoc ipso anno numerum deduxisse. Ait enim scribens ad Constantiam, siue potiùs dixeris Constantinam: Viginti iam & septem annos ducimus, quòd in hac vrbe inter Longobardorum gladios viuimus.] quæ verba cùm nequaquam intelligi possint, ex quo Longobardi Romam venerunt, vtique de tempore inuasæ ab eis Italiæ accipienda erunt, sicuti & cùm hæc scribit ad Phocam Imperatorem[e]: Qualiter enim quotidianis & quantis Longobardorum incursionibus ecce iam per triginta quinque annorum longitudinem premimur, nullis supplere vocibus suggestionis valemus.] hæc quod ad annum Longobardorum in Italiam aduentus, sed & diem pariter signant, vbi id factum hoc anno, quarto Nonas Aprilis, alij ipsis Kalendis eiusdem tradunt. D

[c] *Paul. diac. de Gest. Longobard lib. 2. cap 6.*
[d] *Greg. lib. 4. epist. 34.*
DE TEMPORE ADVENTVS LONG. IN ITAL.
[e] *Greg. lib. 11. epist. 43.*

Quòd autem ad ipsum Regem spectat: cùm esset Francis amicitia & affinitate coniunctus, magis reddebatur Romanis timendus: ipse enim (vt Gregorius[f] auctor est) Chlothosindam Clotarij filiam in vxorem duxit: sicque non tantùm Regis potentissimi effectus est gener, sed & quatuor Francorum Regum cognatus. His addebatur, quòd & Hunnis fœdere erat iunctus, quibus Pannoniam liberè possidendam precario concessit. Accedebat ad tanta hæc, quòd & alios cõplures barbaros nactus est auxiliares, nempe Saxones, & præter hos alias nationes, quarum vel singulæ negotium facessere Romano Imperio potuerunt. quænam hæ fuerint, audi Paulum diaconum[g]: Certum est autem (inquit) Alboinum tũc multos secũ ex diuersis gentibus, quas vel alij Reges, vel ipse ceperat, ad Italiam adduxisse. Vnde in hodiernum vsque diem populos in his quos habitant vicos, Gipedas, Bulgaros, Sarmatas, Pannonios, Sueuos, & aliis huiuscemodi nominibus appellamus.] hæc Paulus. E

[f] *Greg. Turo. hist. Franc. lib 4. c. 35.*
CVM LONGOBARDIS ALII BARBARI.
[g] *Paul. diac. lib. 2 c. 12.*

LONGOBARDORVM PESSIMI MORES.

Sed & quid magis exterruerit animos audientium vel solum nomen Longobardorum, memoria rursum repete quæ ex Procopio superiùs dicta sunt; qui res belli Gothici tractãs, expertam iam fuisse Italiam tradit, quàm feræ bestiæ essent & truculentæ, quamq; turpissimæ;

A simæ; cùm Narseti, qui aliquot ex ipsis vocauerat contra Gothos, necessarium fuerit eos muneribus donatos quàm citissimè ad propria dimisisse, quòd intolerabilis esset eorum in Italia commoratio, amicorum cuncta præda, incendiis, & libidinum putore miscentium. Sed iterum accipe verba Procopij ista dicentis [a]: Illi namque, *Longobardi videlicet*, ad ceteram vitæ factorumque impietatem & scelus, vel ædificia ipsa, in quæ fortè diuerterant, iniustè cremabant, stuprumque feminis & vim inferebant sacras in ædes refugientibus: vnde magna pecunia hos primùm donatos, ad proprios redire penates permisit, &c.] Si tāta hæc, Romanis militantes, aduersus eosdem scelera immania perpetrabant: quid putandum eosdem iam hostes, in Romanum solum cùm irrumperent, peracturos? cùm præsertim nullus esset qui illis arma obiiciendo resisteret: licet enim Hexarchus in Italiam ab Imperatore missus Longinus defendere à barbaris eam (quantum fas esset) conaretur; tamen quòd val-

B de debilis viribus esset, occurrendi & cum eisdem in campo collatis signis pugnandi, nulla penitus illi facultas. Quales autem fuerint in Italiam Longobardorum progressus, scire si cupis, eos consule qui eo argumento commentarios conscripsere: nobis satis ad institutum, hæc quo potissimùm anno agi sint cœpta, in medium afferre, his & alia pro ratione temporis addituri, quæ ad rerum Ecclesiasticarum statum spectare noscentur.

[a] *Procop. de bello Goth. lib. 3.*

Illud autem minimè prætermittimus, ipsum Alboinum Regem ad conciliandos sibi Italorum animos benignum se præbuisse, depositoque pauendam illam cunctis Longobardis innatam sæuitiam: testatur siquidem Paulus [b] diaconus, eidem in Italiam ingredienti occurrisse Felicem Ecclesiæ Taruisanæ Episcopum, ab eoque suæ Ecclesiæ petiisse immunitatem, ne scilicet ab hostibus detrimentum aliquod pateretur; accepisseque ab eodem quæ postulasset. ait enim: Igitur Alboinus cùm ad fluuium Plauem peruenisset, ibi ei Felix Epi-

C scopus Taruisanæ Ecclesiæ occurrit: eique vt erat largissimus, omnes Ecclesiæ suæ facultates postulanti concessit, & per suum pragmaticum postulata firmauit.]

ALBOINVS REX LONGOBARDIS MITIS VIDERI CVPIT.

[b] *Paul. dia. li. 2. c. 9.*

Hæc narrans Paulus de Felice, hunc illum tradit esse Felicem perneccessarium Venantij Fortunati, cuius meminit in Vita S. Martini his versibus [c]:

DE FELICE EPISC. TARVISANO.

Illustrem socium Felicem, quæso, require,
Cui mecum lumen Martinus reddidit olim.

[c] *Venant. Fortun. in Vita sancti Martini lib. 4. in fine.*

] Sed quid sit quod ait: *Cui mecum lumen*, &c.] declarat inferiùs idem ipse, dum ad finem Vitæ S. Martini, quam heroico carmine cecinit, de se ipso testatur, laborantem oculis, oleo lampadis ad imaginem S. Martini incensæ esse sanatum, quorum nos iam meminimus. Sed audi iterum ipsum rem tantam his versibus describentem:

OLEO LAMPADIS CVRATVS OCVLIS FORTVNATVS.

D *Expete Martini loculum, quo iure sacelli*
Iam desperatum lumen mihi reddidit auctor,
Munera qui tribuit, saltem rogo verba repende.
Est vbi basilicæ culmen Pauli atque Ioannis,
*Hic paries * tenet sancti sub imagine formam,*
Amplectenda ipso dulci pictura colore.
*Sub pedibus iusti paries habet arcte * fenestram:*
Lychnus adest, cuius vitrea natat ignis in vrna.
Huc ego dum propero, valido torquente dolore,
Diffugiente gemens oculorum luce fenestræ.
Quo procul vt tetigi benedicto lumen oliuo,
Igneus ille vapor marcenti fronte recessit,
E *Et præsens medicus blando fugat vnguine morbos.*

* *ante*

] ista & alia Fortunatus: qui accepti diuinitus beneficij memor, pro gratiarum actione res gestas S. Martini quatuor libris concinuisse voluit. Sed de his alia occasione superiùs: hic verò ob Paulum diaconum repetenda putauimus, qui eiusdem Fortunati natale solum describit his verbis:

Sanè quia huius Felicis fecimus mentionem, libet quoque pauca de venerabili & sapientissimo viro Fortunato contexere, qui hunc Felicem asserit sibi socium fuisse. Hic itaque Fortunatus ortus quidem in loco, qui Duplabilis dicitur, fuit; qui locus haud longè à Cenetensi castro vel Taruisana distat ciuitate: sed tamen Rauennæ nutritus & doctus in arte Grammatica, Rhetorica, & Geometria clarissimus extitit. Is cùm oculorum dolorem vehementissimum pateretur, similiter & Felix præfatus socius eius eorumdem dolore laboraret, &c.] curationem eorum recenset ipsius Fortunati versibus recitatam; de quo & ista subdit:

Fortu-

PEREGRINATIO FORTVNATI.

Fortunatus in tantum B. Martinum veneratus est, vt relicta patria, paulò antequam Longobardi Italiam inuaderent, ipsius sanctissimas reliquias in Gallia sitas visitare decreuerit: quod iter suum per flumina, montes, valles, oppida, pagos ipse in carminibus suis dilucidè describit in præfatione ad Gregorium. Qui postquam Turonos iuxta votũ proprium peruenit, Pictauos transiens, illic habitauit, & multorum ibidem Sanctorum gesta partim prosa, partim metrica oratione conscripsit: nouissimeq; in eadem ciuitate primùm presbyter, deinde Episcopus ordinatus est, atque in eodem loco digno tumulatus honore quiescit.] subdit de eiusdem lucubrationibus, atque hæc ad finem: Ad cuius tumulum, cùm illuc orationis gratia aduẽtassem, epitaphium rogatus ab eiusdem loci Abbate contexui.] hucusque Paulus diaconus de Fortunato, non aliunde quàm ex ipsius scriptis elicita. Sed quæ huius anni rerum gestarum reliqua esse putantur, iam prosequamur. A

DE NARSETIS DVCIS FINE DIVERSAE SENTENTIAE. [a] *Paul. dia. li. 2. c. 5. & 8. & in Miscell. lib. 17.*

Longino (vt vidimus) ab Imperatore in Italiam misso, cessasse Narsetem à præfectura, atq; pariter vitæ finem imposuisse, sunt qui testentur. Verùm quid actum sit de eodem Narsete in Italia Duce, haud leuis suboritur controuersia, quam necdum ab aliquo inuenimus esse solutam, sed nec etiam pertractatam. De eo autem quid primùm Latini tradant, audiamus. Paulus diaconus, Anastasij & alij eos secuti testantur eumdem cum Ioanne Pontifice Romam reuersum, facti admissi pœnitentem, Romæ extremum diem clausisse, corpusque eius loculo plumbeo collocatum vnà cum ipsius thesauro Constantinopolim esse translatum. hæc, inquam, Latini habent. Sed longè discrepant ab his Græci, dum asserunt, eum Constantinopolim esse reuersum, & post reditum sumptuosa ædificia erexisse. Cedrenus enim hæc habet anno sexto Iustini Imperatoris: Narses chariſſimus Imperatori domum, Narsetis dictam, construxit, & Catharorum mansionem.] sed & Miscella hæc in Tiberio: Narses quoque Patricius Italię cum multis thesauris ab Italia ad supra memoratam vrbem, *Constantinopolim videlicet*, aduexit, & ibi in domo sua cisternam effodit magnam, in qua multa millia centenariorum auri argentiq; deposuit: interfectisque omnibus conscijs, vni tantummodo seni, hæc pro iuramento ab eo exigens, commendauit, &c.] ex quibus intelligas plures post hæc annos oportuisse eumdem Narsetem fuisse superstitem. B C

DE PRODITIONE NARSETIS REFELLITVR ASSERTIO.

Quibúsnam autem alterutrorum maior sit in tanta scriptorum diuersitate præstanda fides, æqua sunt cuncta expendenda statera. Certè quidem inclinari lancem pondere veritatis in Græcorum sententiam, quæ superiùs recitata sunt ex Corippo sui temporis scriptore declarant; quibus demonstratum est, ante annum Narsetem rediisse Constantinopolim, illicq; mirificè cultum, nec ampliùs in Italiam, misso illuc longino, esse reuersum. Quæ verò hac de re scripta sunt à Latinis, leuitate tolli, & instar fumi in aëra euanescere, præter ea quæ dicta sunt, plura alia persuadent. Primò quidem periclitari fides Latinorum videtur, dum dicunt, statim vt reuersus est Narses in Vrbem, mortuum esse. Etenim si Anastasius habet eodem tempore contigisse mori Ioannem Pontificem, quo Narses extinctus est; cùm constet de Ioanne adhuc post annos quatuor fuisse superstitem, totidem anni vitæ Narseti tribuendi erunt. Id magis patebit ex litteris Ioannis Papæ, si agere ex illis velis, in quibus mentio est Consulatus Narsetis cum Iustino sextùm Consule, quem hoc anno secundum Consulatum gessisse, ex his quæ proximè dicentur, apparet. D

Sed nec illud asseri quidem vel coniectura existimari potest, quod aiunt, post tam immane facinus Narsetis quo Italiam barbaris prodidit, cùm iustissimam Imperatoris iram commeruisset, eius tamen corpus (vbi ipse defunctus est) cum honore esse translatum Constantinopolim; quod quidem si fuisset sepultum, exhumandum illud & proiiciendum foras, magnitudo sceleris postulasset. Sic ergo siue viuens Constantinopolim rediisset, siue post mortem eius cadauer translatum dixeris Constantinopolim, vtrumque (quodcumque fuerit) eumdem ab Italiæ proditionis crimine reddit immunem: vt planè tela illa, in qua tot tantaq; mala ab eo ordita feruntur, contexta appareat in mendaciorum textrina. Quonam pacto, rogo, totius Italiæ fax, tantæ auctor proditionis, postquam defunctus est, tanto honore dignus est habitus, vt si non ipse, cineres ipsius saltem velut quodam triumpho euehendæ fuerint Constantinopolim, cùm iure meritoque siqua illius siue lapide siue ære extaret incisa memoria, fuisset more maiorum penitus abolenda? Græcis igitur hac in re maiorem putarem fidem adhibendam; cùm præsertim iidem & Latinum huius temporis scriptorem astipulatorem habeant Gregorium Turonensem [b], qui ea cuncta de thesauro absconditio tradita à Græcis narrat. E

[b] *Greg. Turo. lib. 5. c. 19.*

Verùm & Græcorum in eo fides vacillat, dum quem omnes prædicant religione maximè pium,

A mè pium, operibusque probè factis Deo gratissimum, ipsi eumdem auarum atque crudelem fuisse tradunt, cui non satis fuerit adeò ingentem pecuniam congregasse, sed & insontium immani cæde eamdem sanguine madidam nullius profuturam vtilitati in loco abdito collocasse: de quo portentoso facinore dicturi sumus inferiùs in Tiberio Augusto opportuniori loco. Porrò laudatum vidimus Narsetem à Procopio, eumque ob insignem pietatem de Gothis plenam meruisse, desperatis iam planè rebus, victoriam, id ipsum testante Euagrio [a], atque Nicephoro, istis repetitis verbis [b]: De Narsete, qui familiariter cum eo vixere illud perhibent, ita ipsum ex diuino numine pependisse, atque id omnis generis pietate coluisse, & Virginem eamdemque Dei genitricem ita veneratum esse, vt illa manifestò ei apparens, quando prœlium committẽdum esset, præciperet; neque illum facilè priùs in aciem descendisse, quàm tempus opportunum ab ea cognouisset. Plures & alias res ma-
B ximas Narses gessit, &c.] hæc de Narsete Euagrius, itemque Nicephorus. laudauit & ipsum plurimùm Agathias [c]. Sed de eodem audi elogium Pauli diaconi [d]: Erat (inquit) vir piissimus, in religione Catholicus, in pauperes munificus, in reparandis basilicis multum studiosus, vigiliis & orationibus in tantum studens, vt plus supplicationibus quàm armis bellicis victoriam obtineret.] Certè quidem si quid huiusmodi Narses post adeptam ob victorias tantam gloriam perpetrasset, scribens post hæc res sui temporis Euagrius parciùs saltem laudasset hominem, quem tam infamis exitus fugillasset; eaque de ipso referre, vel saltem meminisse minimè prætermisisset: sed cùm ad Mauritij tempora suam historiam perducat, nec de eius obitu vel minimum quidem loquatur, adhuc fuisse superstitem, haud leuem suspicionem ingerit.

NARSES MIRIFICE LAVDATVS.

[a] *Euag. lib. 4. c. 31.*
[b] *Niceph. lib. 17. c. 13. in fi.*
[c] *Agat. lib. 1.*
[d] *Paul. diac. de Gest. Longobard. lib. 2. cap. 3.*

Quod facit vt in illum respiciam virum insignem eodem nomine nuncupatum Narse-
C tem sub eodem Imperatore Mauritio domi foriscque spectatum, summa gloria auctum, eademque Patriciatus dignitate insignitum, eidem muneri mancipatum, nempe Romani exercitus præfecturæ, & (quod maius est) eadem etiam pietate imbutum: hunc ipsum inquam dum intueor, me suspicio haud leuis pulsat, num hic idem cum ipso sit, atque adhuc ad annos triginta vitam propagarit. Quòd si quis penitus inficias ierit; tunc necesse erit affirmare, duos eodem ferme tempore eiusdem nominis, ordinis, dignitatis, probitatis, & victoriis insignitos, bello spectatos Duces exercitus vixisse Narsetes: quod haud adeò sit verisimile, cùm nulla distinctione prior senior vel maior, posterior verò iunior vel minor dictus inueniatur. De eius Narsetis præfectura exercitus, quo vicit Varanem inuasorem regni Persarum, restituitque in regnum Cosrhoem iuniorem senioris filium; agitur pluribus in Miscellã [e] sub anno quarto Mauritij Imperatoris, item que de ipso Zonaras [f], Cedrenus in
D Tiberio, Nicephorus [g], & Constantinus [h]; qui & de eius nece sub Phoca tyranno agunt: ab eodemque ædificatas ecclesias SS. Pataleemoni, Probo, Taracho, & Andronico, necnon hospitalem domum, Zonaras tradit [i], dum recenset viri insignis pietatis monumenta; quibus ipsum eumdem esse Narsetem Patricium S. Gregorij Papę obseruantissimum, ad quem ipsius Pontificis tres extant epistolæ [k], suademur.

DE NARSETE PATRICIO VT DVCE VRBIS MAVRITIO.

[e] *Miscella lib. 17.*
[f] *Zonar. in Maurit.*
[g] *Niceph. lib. 18. c. 20.*
[h] *Constantin. in Annal.*
[i] *Zonar. in Phoca.*
[k] *Greg. lib. 1. epist. 6. lib. 5. epist. 14. & lib. 6. epist. 27.*

Si verò hunc sub Mauritio Imperatore tot insignibus spectatum Narsetem diuersum ab eo qui sub Iustiniano Gothos vicit, fuisse quis dicat: haud pro his nobis adeò pugnandum erit, cùm res tantummodo coniecturis agatur, & hæc ipsa potiùs considerandaproposuerimus, quàm historica lege credenda. Ad postremum autem de Narsete Italiæ Duce quod refert Paulus diaconus, haud perfunctoriè prætereundum est. His quoque temporibus (inquit [l]) Narses Patricius, cuius studium ad omnia vigilabat, Vitalem Episcopum Altinæ ci-
E uitatis, qui ante annos plurimos ad Francorum regnum, hoc est, ad Moguntinensem ciuitatem confugerat, tandem comprehensum apud Siciliam exilio damnauit.] hæc ipse. Porrò non tanta sibi arrogasse Narsetem virum pium, vt in Episcopos manus iniiceret, quisque sciat, nisi cùm id iussum ipsi fuit pluribus litteris à Pelagio Papa Ioannis huius prædecessore, prout quæ recitatæ sunt superiùs ipsius Pelagij litteræ facilè demonstrant. Pelagium verò ipsum ad hæc Narsetem excitasse constat, vt obortum recens schisma sedaretur: quod & iure faciendum esse, S. Augustinus aduersus Donatistas agens, pluribus comprobauit. Fuisse autem tum Altinensem tum Aquileiensem Ecclesias temporibus istis in schismate, quæ superiùs dicta sunt atque dicentur ostendunt.

[l] *Paul. diac. de Gest. Longobard. lib. 2. c. 4. in fin.*

DE VITALI EPISCOPO ALTINENSI IN EXILIVM DEPORTATO.

Sed res Orientales obuias prosequamur. De Sophia Augusta dignum Christiana femina facinus chronographi [m] hoc anno recẽsent, nempe dissoluisse nomina omnium debitorum: ait enim Cedrenus: Tertio anno Sophia Augusta accitis omnibus qui ære alieno obstricti erant,

[m] *Cedren. anno 3. Iustini, & Miscella auctor.*

erant,debita eorum creditoribus dissoluit,& pignora suis auctoribus, *dominis scilicet*, reddi- A
dit.] eadem in Miscella. Præcesserunt hæc clamores pauperum à potentibus oppressorum: pro quibus cùm Imperator sæpiùs rescripsisset,sed nihil profecisset,violento tandem intellexit opus esse remedio : nempe vt vno ex sublimioribus magistratibus pœnam dante, reliqui discerent aduersus iustitiam nihil debere præsumi. Quodnam autem istiusmodi remedium fuerit, Cedrenus exactè rem gestam narrat his verbis :

IVSTINI AD MAGISTRATVS ORATIO.

Iustinus hic cùm crebro ægrotaret, ac vertigine vexaretur, neque in publicum prodire posset : potentes quidam (quia ad Imperatorem querelæ de eis afferri non possent) nemini parcentes,omnium facultates diripuerant. Cùm verò Imperator aliquando se recollegisset, atque in templum prodiisset: ij qui iniuria fuerant affecti,misericordiam ipsius magna voce implorauerunt. Omnibus ergo in curiam vocatis,Iustinus: Existimabam,inquit,vos omnes pietatem colere, vestrisq; contentos, nemini egenorum iniuriam inferre : at vos & Deo & B
Imperio nostro aduersa patratis facinora. Hortor ergo vos,vt pauperibus sua vltro reddatis, ne vestra ipsorum bona amittatis. Potentes his auditis,tamen consuetudine ducti deteriora etiam prioribus adiecerũt. Acris enim res est consuetudo, quæ iam altera natura iudicatur. Itaque cùm Imperator rursum ad processum prodiret,plures eum inuocabant. Rursum igitur in progressu conuocato Senatu,dicit: Si me à Deo putatis Imperatorem factum,eius auxilio imperare : parete iustis meis mandatis : iniuria afficere pauperes desinite : solis namq; piscibus moris est, vt validior & maior deuoret minorem. Quòd si meis præceptis non parere,sed in rapiendo vestris obsequi vultis cupiditatibus,alium vobis vestro arbitrio deligite Imperatorem. Ego enim contumacibus,iniustis, & aliena violantibus imperare nolo.

PRAEFECTVRA CONCESSA PRO DEFENSIONE OPPRESSORVM.

Ibi quidam procerum,libertate dicendi sumpta,ita Imperatorem alloquitur : Constitue C
me coram omnibus Præfectum Vrbis, mandaq; ne cuiusquam rationem potiorem iustitia habeam, vtq; mihi te de rebus necessariis monituro semper aditus pateat: recipio in me,effecturum me intra mensem, ne vlla sit vel illata in vrbe, vel accepta iniuria. Quod si quis profert culpam,quam mihi indicatam non punierim,capite me plecti iubeto. Pergratũ hoc Imp. fuit,eumque Præfectum Vrbis constituit. Is ergo cùm manè pro tribunali sederet, & quædam vidua quereretur se à Magistro quodã omnibus suis facultatibus spoliatam: mittit eam cum sygillo ad Magistrum illum, iubetque eum ad dicendam causam venire.

EGREGIVM FACINVS PRAEF. VRBIS.

Cùm eamdem viduam Magister verberibus malè mulctatam remisisset : mittit Præfectus ad eum de Cursoribus vnum: sed hunc quoque verbis delusum dimittit. Interim dum Præfectus in Circo sedet,Magistrumq; opperitur : hic ad conuiuium ab Imp. vocatur. Eodem se Præfectus quoque confert,aitq; Imperatori: Si in eo Imp. persistis,quod mihi mandasti,ne cui eorum,qui pauperes concutiunt,parcam : scito me promissis meis satisfacturũ. D
Sin eos tu, pœnitentia ductus, amicos potiùs habes,& conuiuiis adhibes : scias me quoque detrectare ea quæ in me recepi. Imperatore respondente, vti se ipsum potiùs solio detraheret,si sontem talis criminis sciret : Præfectus illico Magistrum vi abripuit,& in curiam,quæ Arca dicitur, cum eo abiit. Ibi diligenter vtriusque sermone considerato, cùm haud leuibus iniuriis ab eo affectam mulierem comperisset : verberibus impositis homini caput rasit,asinoq; nudum impositum per mediam vrbem velut in triumpho duxit, & omnes eius opes mulieri addixit. Hoc exemplum reliquos ita in viam redegit,vt vbique summa in pace viueretur, atque intra trigesimum diem neque actor vllus esset,neque reus iniuriarũ. Tunc Præfectus Imperatori significat,se promissa impleuisse : & Imperator in publicum progressus, cùm nulla querela audiretur, reuersus Patricia dignitate eum ornat,& per omnem vitam Præfectum vrbis esse iubet.] hactenus de his auctor. E

Hoc eodem tertio anno Iustini Imp. cùm Spesindeum Episcopus Primas Bizacenæ prouinciæ in Africa de suæ Ecclesiæ priuilegiis conseruandis interpellasset Imperatorem, ipse morem gerens in hunc modum ad eum rescripsit[a] :

[a] *Extat in Nouel. Iulian. Antecess.*

Imperator Iustinus Aug. Spesindeũ viro beato Archiepiscopo Vizacenæ* prouinciæ.

* Bizacenæ

IVSTINVS IMP. SALVA VVLT PRIVILEGIA ECCL. BIZACENAE.

Cùm & priuatis hominibus donata priuilegia pietas nostra obseruare curauerit : hoc ipsum multo magis & sanctis Ecclesiis custodiri, necessarium esse putamus. Petiuit enim tua beatitudo per Euasium reuerendissimũ diaconum, diuinas regulas atq; priuilegia data sancto Concilio tuo, vel Ecclesiæ tuæ inuiolata custodiri : vt si quando contra clericos accusatio processerit : quæ pertinẽt ad diuinas regulas,non apud Iudices ciuiles aut militares causæ examinatio procedat, sed ad tuam beatitudinem, sicut & pater noster per diuinos apices constituit. Quapropter sancimus, secundùm regularum diuinarum tenorem,atq; dispositio-

A positionem patris nostri, Episcopos, siue omnes clericos subiectos tuæ beatitudini, si accusantur ab aliquo, sub tua audientia satisfacere in his quæ ad regularem ordinem pertinent: quia nostra pietas hæc ipsa atque priuilegia data sancto Concilio tuo præuidit confirmare.

Super hæc petisti, vt quando opus fuerit ad nostram pietatem tuos Responsales dirigere, nullus eos prohibeat nauigare; quod & nobis placuit, vt nihil necessariorum lateat aures nostras. Vnde licentiam tuæ beatitudini damus, vt quando opus fuerit aut Ecclesiæ tuæ, aut communi prouinciæ ad serenitatem nostram aliquem transmittere docturum causas necessarias, sine aliquo impedimento dirigere eum; vt veritatem audientes, quicquid oporteat fieri, statuamus. Alios verò Episcopos illius prouinciæ, si necessariæ causæ emerserint, ad nos dirigere, aut ad nostram venire pietatem, cum voluntate Primatis hoc faciant. Hæc ergo tua beatitudo effectui tradere obseruareque procuret. Legi. Data Kalend.
B Maij, Constantinopoli, Imperij domini nostri Iustini PP. Aug. an. III. Consulatu eiusdem secundo.] hæc quidem ipse pio digna Imperatore: quibus huius anni rerum gestarum finem imponimus.

IESV CHRISTI ANNVS 569. IOANNIS PAP. ANNVS 10. IVSTINI IVN. IMP. ANNVS 4.

C QVingentesimus ac sexagesimusnonus vertitur annus Domini, secundæ Indictionis, idemque quartus Iustini Imperatoris: cùm Liuba Rex Gothorum in Hispania, ipsius regni anno secundo propè dilapso, collegam sibi allegit fratrem suum Leuuigildum, cui & cessit Hispanias, ipse contentus regno quo potiebatur in Gallia Narbonensi. Erat Leuuigildo vxor Theodosia Catholica femina, eademque soror sanctorum Leandri, Fulgentij, Isidori, ac Florentiæ, filia verò Seueriani Carthaginensem prouinciam moderantis. sed nihil ex sancto consortio profecit Rex impius Arianismi tenacissimus. De tempore fidem facit idem S. Isidorus [a] in Chronico, dum ait, anno secundo Iustini Imp. Liuuam * regnare cœpisse; & idem addit, eumdem secundo anno ab adepto Principatu asciuisse in regnum socium fratrem Leuuigildum. Vnde opus est vt ex eodem Isidoro corrigas Isidori deprauatum in eo Chronicon, cùm ibidem subditur, anno secundo Iustini vocatum ad regnum à fratre Leuuigildum: vt quartus Iustini pro secundo ponendus sit annus. De persecutione
D autem à Leuuigildo aduersus Catholicos excitata suo loco dicturi sumus.

[a] *Isidor. in Chron. Goth.*
* Liubam

Hoc item anno sub Theodomiro Sueuorum Catholico Rege celebratum est in Gallicia Lucense Concilium, de quo perpauca hæc tantùm monumenta habentur, Ambrosij rerum Hispanicarum luculenti historici diligentia nuper inuenta: Tempore Sueuorum, sub Æra sexcentesima septima, die Kal. Ianuarij, Theodomirus Princeps Sueuorum Concilium in ciuitate Luco fieri præcepit, ad confirmandam fidem Catholicam, vel pro diuersis Ecclesiæ causis, &c.] quod insuper recitat ex aliis scriptis exordium, cùm spectare cognoscatur ad secundum Lucense Concilium, de eo suo loco dicendum. In hoc autem actum rogatione Regis, vt noua institueretur Metropolitana Ecclesia in Gallicia, quæ tamen esset subdita Bracharensi: circumscriptique sunt in eodem Conuentu limites Lucensis Ecclesiæ ad lites de finibus euitandas. Ita planè incaluit recens redditi Catholici Regis fidei ardor, vt totus
E esset in his quæ spectarent ad fidem Catholicam illustrandam, conseruandamque in Ecclesia pace, curaritq; summa diligentia neophytus Princeps, quæ sunt absolutissimi sacerdotis.

LVCENSE CONCILIVM IN GALLICIA.

Quod verò ad res Orientales pertinet, hoc ipso anno quarto Iustini Imp. Tiberius Comes Excubitorum, qui postea Augustus creatus est, aduersus Auares barbaros pugnans, eos vicit atque penitus debellauit, adeò vt eosdem pacem submissè petere ab Imperatore coëgerit. hæc apud Victorem Tunnensem in Chronico: sed & horum meminit Corippus in carmine ad Iustinum his versibus [b]:

AVARES VICTI A TIBERIO PACEM PETVNT.

Illa colubrimodis Auarum gens dura capillis
Horribilis visu, crudisq; asperrima bellis
Imperio subiecta tuo seruire parata,
In media supplex defusis crinibus aula
Exorat pacem, nec fidere millibus audet

[b] *Corip. in princ. carm.*

Tot nemorosa suis Romana lacessere signa.] & infrà: A
Pars inimicorum cecidit cum magna tuorum
Perfidia punita sua: nunc marte peracto
Victores, victiq; famulantur in aula.] at hæc satis.

* vna

IESV CHRISTI ANNVS 570. IOANNIS PAP. ANNVS II. IVSTINI IVN. IMP. ANNVS 5.

SEptuagesimus supra quingentesimum adest annus Domini, tertiæ Indictionis, idemque quintus Iustini Augusti, qui & in ipsius constitutione [a] annus secundus post Consulatum B eiusdem inscribitur. Quo Apollinaris Alexandrinæ Ecclesiæ Episcopus, vbi sedisset annos decem & nouem (secundùm Nicephori Chronici rationem) ex hac vita migrauit. de quo non prætereant quæ de ipso apud Sophronium omni fide testata leguntur, cùm contigit eum sanctissimos viros ordinare Episcopos in Ægypto, quorum vnus è mortuis resurrexerat. Res gesta ita describitur [b] testificatione Zosimi Cilicis magni anachoretæ:

[a] *Const. defilitsliber apud Iu.ian. Antecess.*

[b] *Prat. Spir. c. 124.*

DE TRIBVS EPISCOPIS AB APOLLINARE ORDINATIS.

Narrauit autem nobis (inquit) & hoc senex, dicens: Ante annos vigintiduos ascendi in Porphycilem, volens illic morari. Accepi autem & discipulum meum Ioannem mecum. Cùm autem illuc venissemus, inuenimus duos anachoretas, mansimusque prope illos. Erat autem alter quidem ex his Galata nomine Paulus, alter verò Melitinus nomine Theodorus (ex monasterio fuerant Abbatis Euthymij) ferebant autem collobia ex pellibus bubalorum. Manси autem illic ferme duos annos: distabamus ab inuicem quasi duobus stadiis. C Die autem quadam, cùm sederet Ioannes discipulus meus, percussit eum serpens, statimq; defunctus est, sanguinem ex omnibus partibus fundens. In multa igitur angustia existens, abij ad anachoretas. Qui vt viderunt me turbatum & afflictum, antequam aliquid dicerem ad eos, dicunt mihi: Quid est, Abba Zosime? mortuus est frater? Dico: Ita sanè, mortuus est. Venientes igitur mecum, videntesque ipsum in terra iacentem, dicunt mihi: Noli contristari, Abba Zosime: adest diuinum adiutorium. Vocantesque fratrem, dixerunt: Frater Ioannes, surge: quia senex te opus habet: Continuoque surrexit frater de terra. Quærentes autem bestiam & inuenientes, tenuerunt eam, & in conspectu nostro illam in duas partes disruperunt. Tunc dicunt mihi: Abba Zosime, vade in Sina. Deus vult tibi committere Ecclesiam Babylonis. Continuò itaque recessimus nos. Cumq; venissemus in Sina, Abbas misit me & duos alios in ministerium Alexandriam: tenensque nos Papa Alexandrinus beatissimus Apollinaris, omnes tres fecit Episcopos, vnum quidē Heliopoleos, D alium Leontopoleos, me verò in Babylonem misit.] hæc de facta ab Apollinare ordinatione Episcoporum. Porrò idem Zosimus abdicauit se postea Episcopatu, & in Sinæ monasterium reuersus est, vt idem auctor testatur [c]. In locum verò ipsius Apollinaris Episcopi Alexandrini subrogatus est Ioannes.

[c] *Prat. Spir. c. 127.*

[d] *Prat Spir. c. 215.*

MIRACVLA CREBRA IN TESTIMONIVM FIDEI

Sanè quidem frequentia fuisse miracula, quæ his temporibus Deus per Catholicos operabatur ad hæreses destruendas, accipe ex relatione eiusdem auctoris, cùm ait [d]: Dicebat senex quidā: Signa & prodigia vsque hodie diuinitus in Ecclesia fiunt propter eas quæ pullulauerunt & pullulant quotidie impias hæreses, & maximè propter Acephali Seueri & ceterorum pernicioſa schismata, ad munimen ac firmitatem infirmarum animarum, atque ad illorum ipsorum, si ita voluerint, conuersionem. Propterea igitur à sanctis Patribus & à E beatissimis martyribus ab initio fidei vsque hodie fiunt mirabilia in sancta Catholica & Apostolica Ecclesia.] hæc quidem scite, vtpote quòd peculiaris hæc sit dos Ecclesiæ, neque cuipiam extra Ecclesiam posito aliquando concessum, vt vera miracula faciat. Glorientur licet hæretici de argumentorum captiositate quam præseferunt, insultent licet in Catholicos contumeliis: numquam tamen ostendere possunt suam ipsorum veris miraculis confirmatam esse perfidiam, Dei voluntate signis ostensa.

At non prætereat de Apollinare Alexandrino Episcopo illa his addere, quæ ipsius sanctitatem commendent. Quod enim eius ingressus in Alexandrinum Episcopatum, pulso Zoilo, visus sit Vigilio Romano Pontifici (vt dictum est) haud legitimus, sed probrosus; rursum verò ipse vnà cum Quinta Synodo, cui interfuit, cùm fuerit æquè receptus, purgata est labes intrusionis, & inter germanos Alexandriæ Episcopos adnumeratus est. vt ergo eum

ostēn-

A ostendamus magnæ quoque fuisse virtutis; quæ de ipso ex Sophronio narrata habentur, hîc sunt referenda: sic enim se habent[a]:

Narrauerunt nobis de sancto Abbate Apollinare Alexandrino Patriarcha, quòd valde fuerit misericors & compassionis visceribus affluens: cuius rei indicium id afferebant. Erat (aiebant) Alexandriæ iuuenis quidam, qui primarij ciuitatis dignitate atque diuitiis clarissimi filius fuerat. Parentibus itaque istius defunctis, qui infinita illi bona tam in auro, quàm in naualibus commerciis reliquerant, non satis feliciter & prosperè ea gubernans, perdidit omnia, atque ad extremam inopiam deductus est, cùm neque gulæ, neque luxuriæ vacauerit (quæ solent diuitum exhaurire patrimonia) sed in casus varios atque naufragia inciderit. Itaque ex opulentissimo pauperrimus est effectus, iuxta illud Psalmistæ: Ascendunt vsque ad cælos, & descendunt vsque ad abyssos. Namque adolescens quanto fuerat pecuniis sub-
B limior, tanto per inopiam inferior factus est.

Hoc audiens beatus Apollinaris, videnscq; in quantum miseriæ & paupertatis adolescens delapsus esset, cùm parentes eius fuissent locupletissimi: miseratus illius casum, exiguum ipsi charitatis impendere voluit ministrando alimenta: sed erubescebat, & quoties videbat illum, in secreto conscientiæ suæ angebatur, cernens vestem sordidam & luridam faciem, quæ sunt extremæ paupertatis indicia. Cùm igitur huiusmodi curis angeretur Pontifex, die quadam diuinitus inspiratus, consilium profectò mirabile adinuenit ipsius sanctitati maximè conueniens. Accersiuit itaque dispensatorem sanctissimæ Ecclesiæ, seorsumq; illum alloquens, dixit ei: Poteris mihi seruare secretum, domine dispensator? Qui ait: Spero, domine mi, in Filium Dei, quia quodcumque mihi iusseris, nemini dicam; neque discet
C aliquis vmquam ex me, quod mihi seruo tuo aperueris. Tunc ait ad illum Episcopus Apollinaris: Vade & conscribe chirographum quinquaginta librarum auri, quæ à sanctissima ista Ecclesia Macario illius miseri adolescentis patri debeantur, & appone testes & stipulationem & ratam, & affer illud mihi.

Dispensator continuò quod sibi fuerat à Pontifice iniunctum cum omni celeritate peregit, attulitq; chirographum, & dedit illi. Cùm itaque pater adolescentis ante decem annos defunctus esset, chartaq; chirographi noua videretur, ait illi Pontifex: Vade, domine dispensator, chirographum istud vel in tritico vel in hordeo absconde, & post paucos dies affer illud ad me. Quod ille cùm feciſſet, præfinito die chirographum retulit quasi subuetustum, deditq; Pontifici. Tunc ait ille: Perge modo, domine dispēsator, & dicito adolescenti: Quid mihi daturus es, si tibi dedero chirographum magnæ pecuniæ quæ debetur tibi? Et caue ne plusquā tria numismata ab illo accipias, & præbe illi chirographū. Respondens autē dis-
D pensator: Verè mi domine, si iusseris, nihil accipiam. Dixit ei ille: Volo omnino vt tria numismata accipias. Perrexit autem ille ad iuuenem, sicut ipsi iussum fuerat, & dixit ei: Dabis mihi tria numismata, si ostendero tibi aliquid magnæ vtilitatis tuæ? Ille verò pollicitus est illi, quicquid vellet, se daturum. Fingens autem dispensator ait illi: Ante quinque vel sex dies euoluens instrumenta Ecclesiastica, reperi chirographum istud; & memini quia Macarius pater tuus mihi multum confidens, ipsum mihi diebus aliquot permisit: defunctoque ipso, contigit illud apud me vsque hodie manere: obliuione enim subreptum est mihi, nec vmquam venit in mentem vt illud redderem tibi. Ait illi adolescens: Nosti quòd persona illa sit locuples quæ debet? Dixit ei dispensator: Ita sanè, locuples & grata est: potesq; ab illa debitum sine labore recipere. Dixit ei iunior: Nouit Deus, quia modò nihil habeo; sed si re-
E cepero quod meum est, quicquid petiisti, dabo tibi, vltra etiam tria numismata.

Tunc dedit ei dispensator instrumentum quinquaginta librarum. Suscepto itaque chirographo, perrexit ad sanctum Pontificem, prostratusq; ante illum, dedit ei chirographum. Cùm ergo accepisset ille instrumentum ipsum ac legisset, cœpit se ipsum turbatiorē ostendere, dixitque ei: Et vbi fuisti vsque modò? pater tuus ante decem annos defunctus est: perge, nolo tibi nunc respondere. Qui dixit illi: Veraciter, domine mi, non ego illud habui, sed dispensator illud habebat, & ego nesciebam: sed Deus ipsius misereatur, quia modò ipsum mihi reddidit, dicens, se inter chartas suas domi inuenisse. Pontifex verò illum interim remisit, dicens: Deliberabo mecum, seruato apud me chirographo. Post vnam igitur hebdomadam rediit ad Episcopum iunior, iterumque deprecabatur eum. Ille autem quasi nihil ei vellet dare, dicebat: Quare tantum distulisti proferre chirographum? Dixit illi adolescens: Mi domine, scit Deus, quia non habeo vnde familiam meam nutriam: itaque si Deus inspirat vobis, miseremini mei. Tunc dixit illi S. Apollinaris, fingens se illius precibus

[a] *Prat Spir. c. 195.* APOLLINARIS EPISC. ALEX. INSIGNIS LIBERALITAS ERGA PAVPERES.

cedere. Summam quidem integram ego tibi restituam: hoc autem obsecro, mi domine frater, ne à sancta hac Ecclesia vsuras exigas. Tunc procidens ille adolescens, ait: Quicquid voluerit & iusserit mihi dominus meus, hoc faciam; & si ex principali summa placet minuere aliquid, minue. Dixit illi Episcopus: Non id quidem: satis est si nobis vsuras dimittis. Tunc proferens quinquaginta libras auri, dedit ei, & dimisit eum, orans eum pro vsuræ remissione. Hoc opus summi Apollinaris, ista sancta illius ars atque misericordia.] hæc ibi, hic apposita ad Apollinaris sepulchrum ornandum. A

PROGRESSVS LONGOBARDORVM IN ITALIA.

Quod autem ad res Occidentalis orbis spectat, de progressu Longobardorum in depræ-
[a] *Paul. diac. de Gest. Longobard. lib. 2. cap. 10.*
dationem Italiæ Paulus diaconus agens sub hoc anno tertiæ Indictionis, præter illa quæ in deuastationē Venetæ prouinciæ ab iisdē perpetrata esse superiùs[a] tradidit, hæc postmodum hoc anno facta addit[b]: Alboinus igitur Liguriam introiens, Indictione ingrediente tertia ad Nonas Septembris, sub temporibus Honorati Archiepiscopi Mediolanensis ingressus est. Dehinc vniuersas Liguriæ ciuitates, præter eas quæ in littore maris positæ sunt, cepit. Honoratus verò Archiepiscopus Mediolanum deserens, ad Genuensem vrbem confugit. Paulinus verò Patriarcha Aquileiensis vndecim annis sacerdotio functus ex hac luce subtractus est, regendamque Ecclesiam Probino reliquit.] B
[b] *Lod. li. c. 12.*

DE PATRIARCHAE NOMINE.

Quòd verò sit hic prima mentio de Patriarchatu Aquileiæ: vnde emerserit istiusmodi inauditum hactenus in Italia nomen, in qua præter Romanum Pontificem, neminem eiusmodi titulo apud veteres reperies insignitum, accuratiùs disquiramus. Ad hæc autem primò illud dicendum occurrit, vsurpatum frequenter id ipsum nomen his temporibus reperiri pro Archiepiscopo, nimirum vt qui sub se alios haberet Episcopos, sicut dictus esset Archiepiscopus, idem pariter ex vocis significatione Princeps Patrum, & Græco nomine Patriarcha nominaretur. Sunt de his plura exempla: etenim Gregorius Turonensis[c] Patriarcham appellat S. Nicetium Archiepiscopum Lugdunensem: id ipsum etiam habes in Concilio secundo Matisconensi, vbi item Priscus Lugdunensis Episcopus Patriarcha pariter appellatur. sunt & de his alia plura testimonia. Constat præterea Arianos consueuisse suos primarios Episcopos Patriarchas appellare: quod cùm apud Victorem, tum apud Gregorium & alios vsurpatum inuenies: factumque est, vt & alij hæretici à Catholica communione discissi, quem sequerentur erroris Principem, eumdē quoque dicerent Patriarcham, ad hoc malè vsurpato nomine Patriarchæ, quod olim Apostolicarum tantùm sedium consueuit esse nomen amplissimæ dignitatis. C
[c] *Greg. Turo. hist. Franc. lib. 5. c. 20.*

Ceterùm quod ad præsentem causam spectat, non alio præterito tempore, sed præsenti, cùm videlicet Venetiarum & Istriæ Episcopi atque Liguriæ (vt vidimus ex epistolis[d] Pelagij Papæ) essent in schismate, Paulinusq; Aquileiensis his omnibus præemineret, placuit iisdem schismaticis qui ab Ecclesia Romana desciuissent, illum sibi loco Pontificis constituere supremum Antistitem, quem & Patriarcham nuncupauere. Hanc igitur putamus veram germanamque fuisse noui nominis causam; ab hac verò diuersam neque quis poterit somniare, cùm non antea sed tunc aucta sit maioris dignitatis amplitudine Ecclesia illa, dum esset in schismate. D
[d] *Pelag. epist. 3. & 5.*

Sed ô mirabilis, sicut & terribilis Deus in consiliis super filios hominum: Etenim in vltionem eorumdem schismaticorum feros barbaros aduocauit, inq; gladium eorum eos primùm cum sectatoribus suis tradidit consumendos. An non sunt hæc certa diuinæ vindictæ impressa vestigia? cùm ipsi primùm schismatici traditi sint à Deo ore gladij deuorandi, & ante omnes schismaticorum latibula Aquileia, Mediolanum, & aliæ Ecclesiæ dictarū prouinciarum captæ atque in prædam datæ Longobardis; Roma autem ipsa quamuis à Gothis sæpe antea capta fuerit, à Longobardis licet inuadi, minimè tamen comprehendi potuerit? Habes igitur hæc de Aquileiensis Ecclesiæ Patriarchatus origine ex schismate deriuata: quod quidem nomen eidem retinere bono pacis permissum fuisse videtur, quo & ad præsens vtitur, sedis Apostolicæ indulgentia. Pergit verò Paulus eiusdē Ecclesiæ diaconus: Ticinensis autē ciuitatis per ea tempora vltra quatuor annos obsidionem perferens, se fortiter continuit, Longobardorum exercitu non procul ab ea in Occidentali parte residente. E

* electis

Interim Alboinus erectis* militibus inuasit omnia vsque ad Tusciam præter Romā & Rauennam & quædam castella quæ erant in maris littore constituta. Nec erat tunc virtus Romanis vt resistere possent: quia & pestilentia, quæ sub Narsete facta est, plurimos in Liguria & Venetia extinxerat, & post annum quem diximus miræ vbertatis fuisse, fames nimia irruens vniuersam Italiam deuastauit.] hæc Paulus: cetera autem quæ subdit, suo loco.

Sed

A Sed ad res Gallicanas inuisendas transeamus. In Galliis hoc tempore ob complures sanctos Episcopos, qui præerant diuersarum prouinciarum Ecclesiis, vigebat magnopere Ecclesiastica disciplina: nam & sicubi ea collapsa reperiretur, eucstigiò qui eam restituerent excitabantur Episcopi. Hoc namque anno, qui sextus Chariberti Regis numeratur, celebrata reperitur Synodus Turonensis secunda decimoquinto Kal. Decembris, vt ex eius Actis habetur expressum; nam ea sexto anno ipsius Regis habita dicitur. cui etsi pauci numero interfuisse reperiuntur Episcopi, nempe octo tantummodo numerati: tamen ex eis viri sanctitate celebres quatuor præter alios subscripti habentur, iidemq; in sacras Ecclesiæ tabulas relati, nempe qui primo loco ponitur Prætextatus Rhotomagensis, Germanus Parisiensis, Domitianus Catalaunensis, atque Domnulus Cænomanensis, quorum omnium memoriam suis descriptam diebus annis singulis Ecclesia Catholica celebrare consueuit. Verùm
B quòd inter eos non legatur S. Euphronius hoc tempore Episcopus Turonensis eius videlicet loci vbi Synodus est celebrata sacer Antistes, neque per vicarium subscriptus reperiatur: inde existimo seriem Episcoporum intercisam & minime integram ibi poni. Eius autem Synodi celebrandę illa occasio intercessit, quòd videlicet nonnullorum temeritate sacri canones proculcarentur; pro quorum stabili firmitate sanctissimi Patres illi ex aduerso consurgentes, pro muro se domui Israel opposuere, atque duodetriginta canones statuerunt, quibus Ecclesiastica disciplina collapsa resurgeret, pristinoque nitore splendesceret.

DE SYNODO SECVNDA TVRONENSI.

Inter alios verò ille obseruatione dignus est canon, quo de asseruatione sanctissimæ Eucharistiæ ita decernitur[a]: Vt corpus Domini in altari non in imaginario ordine, sed sub
C Crucis titulo componatur.] nempe vt digniorem sibi vendicaret locum, statutum est, vt non inter sacras imagines super altari pom solitas poneretur, sed sub ipsa Cruce, quæ in meditullio ipsius altaris collocari consueuit. Scimus intra columbam argenteam alicubi his temporibus conseruari consueuisse Eucharistiam, quod Synodus prohibuisse videri potest, dum prohibet ne in imaginario collocaretur ordine: sicque videas non esse nouum vt corpus Christi super altare seruetur.

[a] *Concil. Turon. 2. c. 3.* VBI EVCHARISTIA ASSERVARI DEBERET.

His adiicimus de Felice Episcopo Bituricensi, qui huic Synodo interfuit, tertioque loco subscripsit, ipsum perelegans aureum vas ad sacratissimam Eucharistiam conseruandam turris instar fabrefieri curasse, quod Venantius Fortunatus eiusmodi epigrammate celebrauit, cui præposita legitur hæc inscriptio:

DE AVREIS VASIS AD EVCHARISTIAM CONSERVANDAM.

Ad Felicem Episcopum Bituricensem in Turrem eius.

D *Quàm benè iuncta decent, sacrati vt corporis Agni*
Margaritum ingens aurea dona ferant.
Cedant chrysolitis Salomonia vasa metallis:
Ista placere magis ars facit atque fides.
Quæ data, Christe, tibi Felicis munere sic sint,
Qualia tunc tribuit de grege pastor Abel:
Et cuius tu corda vides pietate coæquas
Par viduæ merito quæ dedit æra duo.] Vides igitur quanto honore consueuerit Eucharistia custodiri super altare sub sacratissima Cruce in pretiosissimo tabernaculo turris instar, quo nomine auctor in titulo ipsum appellat. Commendatur tamen à S. Hie-
E ronymo[b] S. Exuperius Tolosanus, qui tempore exundantium barbarorum, ne istiusmodi aurea sacra vasa cederent illorum rapinæ, ipsa conflarat in vsum pauperum, canistro vimineo & vitreo calice corpus Domini portans. Hæc occasione canonis de loco Dominici corporis ea statuentis.

[b] *Hier. epist. 4*

Sed illud Christianam magnam redolet pietatem, cùm ad curam pauperum adhibendam ista sanxere Patres[c]: Vt vnaquæque ciuitas pauperes & egenos incolas alimentis congruentibus pascat secundùm vires: vt tam vicini presbyteri, quàm ciues omnes suum pauperem pascant. Quo fiet, vt ipsi pauperes per ciuitates alias non vagentur.] Sed & de ieiuniis obseruari solitis in monastica obseruantia, deq; psallendi ordine in Ecclesia vsu recepto canones condiderunt. Insuper aduersus repullulantem Nicolaitarum hæresim, qua sacri ministri iam relictas resumebant vxores, inuigilauit sacerdotalis diligentia, succidens eiusmodi frutices Dei Ecclesiam occupantes, canone sancito vigesimo.

[c] *Ibid. c. 5.* DE CVRA PAVPERVM

Insuper & plurimùm iidem cognoscuntur laborasse Patres aduersus incestuosos, quorum gratia vigesimum secundum canonem statuerunt, in quo ex diuinæ Scripturæ locis al-

latæ ſententiæ,& diuerſorum Conciliorum diuerſi intexti ſunt canones. Et hoc quidem viſi A
ſunt ſtatuiſſe ſanctiſſimi Patres ad corrigendum ipſum Regem Charibertum tanto crimine labefactatũ, vtpote qui ſororem coniugis ſibi nefariè copulaſſet, Marcouefam ſcilicet Meroflendis vxoris ſororem. Sed quid accidit? Cùm nec iſta remedia ipſi profuerint,paratumque à ſanctis Patribus antidotum omnino reſpuerit, ab ipſo S.Germano Pariſienſi Epiſcopo huius canonis vindice, cui ſubſcripſerat,interpellatus, ſed non emendatus, fuit excommu-
[a] *Greg.Turo. hiſt. Franc. lib.7.c.26.* nicatione perculſus,vt Gregorius[a] ait, cùm poſt turpitudines eiuſdem Regis recenſitas hæc addit: Poſt hæc Marcouefam Meroflendis ſcilicet ſororem coniugio copulauit: pro qua re à S. Germano Epiſcopo excommunicatus vterque eſt,ſed cùm eam Rex relinquere nollet, primùm illa percuſſa iudicio Dei obiit: nec multo pòſt & ipſe Rex poſt eam deceſſit Charibertus.] quod contigit poſt ſequentem annum,quo agemus de eodem pluribus.

[b] *Concil. Turon.2.c.14.* Quod autem ab iiſdem additum eſt[b] ſanctis Patribus,vt præter S. Ambroſij hymnos alij B
etiam in Eccleſia canerentur: ni fallor, eiuſmodi ſanciendæ legis cauſam dediſſe exiſtimo hymnos Venantij Fortunati, quos (vt dictum eſt) haud pridem de ſancta Cruce cecinerat; quos & ſcimus fuiſſe ab Eccleſia receptos, atque hactenus piè ſanctéque concini ſolitos.

Rurſum verò quòd exciſæ ſemel atque iterum ſpinæ illæ in agro Dominico, adhuc magno damno è maledictis radicibus foras emergerent: fuit in his denuo ſuccidendis ſanctis Patribus laborandum. Acciderat enim,vt frequentium occaſione bellorum,cùm non eſſet ampliùs in regiis theſauris vndè Princeps ſatisfaceret militantibus, bona Eccleſiæ iidem inuaderent, ea à Rege petentes, vel ſponte eadem vſurpantes. Ad hæc igitur reprimenda penitusque tollenda diuino pollentes Spiritu Patres iſta decreuerunt[c]:
[c] *Conc.Tur. 2.c.15.*

Illud quoque quamquam canonica ſit auctoritate præfixum; quo dum intra ſe ſæuiunt domini noſtri, *Reges Francorum ſcilicet*, ac malorum hominum ſtimulo concitantur,& al- C
ter alterius res rapida cupiditate peruadit: ne iſta caduca actione, qua inter ſe aguntur,Eccleſiaſtica rura aut contaminare præſumant, inuiolabiliter obſeruandum cẽſemus: Vt quicumque tam Eccleſiæ,quàm Epiſcopi res proprias,quæ & ipſæ Eccleſiæ noſcuntur eſſe,quas Pontifex Actoribus Eccleſiæ dignoſcitur aſſignaſſe,vel Abbatum, aut monaſteriorum, ſiue preſbyterorum quaqua temeritate peruadere,competere,vel confiſcare præſumpſerit: Tũc reſeruato correctionis hoc loco adhuc preſbyter eiuſdem Eccleſiæ, cuius intereſt, peruaſorem conuenit admonere: & ſi reſtitutionem diſtulerit; adhuc quaſi filius ab omnibus fratribus ad reddendum,miſſis epiſtolis compellatur. Qui ſi pertinaciter in peruaſione perſiterit,& ſe tollere poſt tertiam commonitionem de re illa aut Eccleſiæ aut propria noluerit: conuenit omnes omnino cum conniuentia ſimul cum noſtris Abbatibus ac Preſbyteris,vel clero, qui ſtipendiis ex ipſo alimento paſcuntur (quia arma nobis non ſunt alia) adiuuante D
Chriſto, circumſepto clericali choro, necatori pauperum, qui res peruadit Eccleſiæ, pſalmus centeſimus octauus dicatur, qui incipit: Deus meus laudem meam ne tacueris, &c.
[d] *Ioan.13.* vt verè ſit ſuper eum illa maledictio,quæ ſuper Iudam[d] venit,qui cùm loculos ferret*, ſubtrahebat pauperum alimentum: vt non ſolùm excommunicatus, ſed etiam anathema moriatur,& cæleſti gladio fodiatur, qui in deſpectu Dei & Eccleſiæ & Pontificum in hac peruaſione præſumit aſſurgere.] hæc de his Patres,qui & eidem ipſorum inſtituto canoni ſubiiciunt alium antè (vt dictum eſt) eadem ex cauſa contra eoſdem in Concilio Pariſienſi ſancitum; nihil penitus omittentes, quo eiuſmodi cohiberent rerum Eccleſiæ inuaſores. Ceterùm compluribus fuit declaratum exemplis, maledictionem illos ſequi non deſinere qui res Eccleſiæ inuaſere,diuinitusque vindictam immitti in eiuſmodi delinquentes: quæ quidem cùm ſuis locis opportunè ſcripſerimus, hic vel vnũ ex iis (quod ratio exigat argumenti) reddere minimè prætermittimus. Accipe igitur quæ eodem fermè tempore ibidem in E
[e] *Greg.de Glo. mart.lib.1. c.27.* Gallia Gregorius accidiſſe narrat his verbis[e]:

Fuit etiam quidam diaconus, qui,relicta eccleſia, Fiſco ſe publicè iunxit; acceptaque à patronis poteſtate, tanta perpetrabat, vt vix poſſet à vicinis circumpoſitis ſuſtineri. Accidit autem quadam vice, vt ſaltus montenſes,vbi ad æſtiuandum oues aberant, circumiret, atque paſcuaria, quæ Fiſco debebantur,inquireret. Cumque diuerſos ſpoliaret iniuſtè, conſpicit eminus greges, qui tunc ſub nomine martyris Iuliani ducebantur: ad quos leui curſu volans,tamquam lupus rapax diripit arietes. Conturbati atque exterriti paſtores ouium,dicunt ei: Ne,quæſumus, contingas hos arietes, quia beati martyris Iuliani dominio ſubiugati ſunt. Quibus ille hæc irridens reſpondiſſe fertur: Putas ne quia Iulianus comedit arietes? Dehinc ipſis verberibus affectis, quæ voluit abſtulit, ignorans miſer, quòd qui de domibus

A mibus Sanctorum aliquid aufert, ipsis Sanctis iniuriam facit, ipso sic Domino protestante: Qui vos spernit, me spernit: & qui recipit iustum, mercedem iusti accipiet.] Sed ne immissa in sacrilegum vltio aliqua alia ex causa vel casu accidisse à quolibet fingi posset delectus est ad supplicium locus & modus, vt vindicta diuinitus illata fieret manifestior. Verùm quomodò id acciderit, audi: subdit enim:

Contigit autem, vt post dies multos, non religione, sed casu conferente, ad vicum Briuatensem diaconus properaret, proiectusque humo ante sepulchrum martyris, mox à febre corripitur, & tanta vi caloris opprimitur, vt neque consurgere, neque puerum euocare posset. Famuli verò cùm vidissent eum extra solitum plus procumbere, accedentes: Quid tu, inquiunt, in tanta diuturnitate deprimeris? non enim tibi tam longus mos erat orandi, aut deuotio. Ferebant autem de eo; quòd quando quidem in ecclesiam fuisset ingressus, pa-
B rumper immurmurans, nec capite inclinato, regrediebatur. Tunc interpellantibus pueris, cùm responsum reddere non valeret, ablatus manibus è loco, in cellam quæ erat proxima, lectulo collocatur. Igitur inualescente febre, proclamat se miserum incendi per martyrem: Et quod primò siluerat, admotis animæ iudicij facibus, crimina confitetur; iactarique super se aquam, voce qua poterat, deprecabatur. Delatis quoque in vasculo limphis, & in eum sæpè deiectis, tamquam de fornace, ita fumus egrediebatur è corpore. Interea miseri artus ceu combusti, in nigredinem conuertuntur: vnde tantus procedebat fœtor, vt vix de astantibus posset aliquis tolerare. Innuens enim dehinc manu, indicat se esse leuiorem. Mox illis recedentibus, hic spiritum exhalauit. De quo haud dubium est qualem illic teneat locum, qui hinc cum tali discessit iudicio.] hæc Gregorius, occasione canonis Concilij Turonensis à nobis relata, quo Patres diuinam vltionem aduersus huiusmodi facinorosos
C implorandam esse putarunt. At quomodo & in ipsum Regem peruadentem bona sancti Martini dira vindicta secuta sit, dicemus inferiùs in eius obitu. Sed de Turonensi Concilio hactenus.

Hoc eodem anno, qui pariter sextus numeratur Guntheramni Francorum Regis, celebrata reperitur Synodus Lugdunensis, quæ prima earum quæ reperiuntur, dicta inuenitur; cui interfuerunt Episcopi quatuordecim, eorumque aliqui per legatos: statutique in eadem sex canones reperiuntur, quibus Ecclesiasticæ paci atque indemnitati consulitur, appositè quidem ob scandala à quibusdam malis Episcopis tunc illata. Quænam autem ista fuerint, ex Gregorio Turonensi ita accipe[a]: Contra Salonium (inquit) Sagittariumque Episcopos tumultus exoritur: hi enim à S. Nicetio Lugdunensi Episcopo educati, diaconatus officium sunt sortiti: huiusque tempore Salonius Ebredunensis vrbis, Sagittariusque
D Vapingensis Ecclesiæ sacerdotes statuuntur. Sed assumpto Episcopatu, in proprium relati arbitrium, cœperunt in peruasionibus, cædibus, homicidiis, adulteriis, diuersisque in sceleribus insano furore grassari: ita vt quodam tempore celebrante Victore Tricassinorum Episcopo solemnitatem natalitij sui, emissa cohorte, cum gladiis & sagittis irruerent super eum: venientesque sciderunt vestimenta eius, ministros ceciderunt, vasa & omnia ad apparatum prandij auferentes, relinquentes Episcopum cum grandi contumelia. Quod cùm Rex Guntheramnus comperisset, congregari Synodum ad vrbem Lugdunensem iussit. Coniunctique Episcopi cum Patriarcha Nicetio beato, discussis causis, inuenerunt eos de his sceleribus, de quibus accusabantur, valde conuictos. Præceperuntque, vt qui talia commiserant, Episcopatus honore priuarentur. At illi cùm adhuc propitium sibi Regem nossent, ad eum accedunt, deplorantes se iniustè remotos: sibique tradi licentiam, vt ad Pa-
E pam vrbis Romanæ accedere debeant. Rex verò annuens petitionibus eorum, datis epistolis, eos abire permisit.] Vigebat his etiam temporibus (vti semper viguit) vsus ille à quouis Concilio ad Sedem Apostolicam appellandi: quod & hi feciisse noscuntur; de quibus pergit Gregorius hæc dicere:

Qui accedentes, coram Papa Ioanne exponunt se nullius rationis existentibus causis dimotos. Ille verò epistolas ad Regem dirigit, in quibus locis suis eosdem restitui iubet. Quod Rex sine mora, castigatis priùs illis verbis multis, impleuit.] Vides ne, lector, quantam reuerentiam exhibuerint Reges atque Episcopi sententiæ Romani Pontificis, vt quamuis iidem videri potuissent iniustè restituti esse, quos Synodus iustè damnasset, parere tamen ipsi minimè prætermiserint? Sed nulla (subdit Gregorius) quod est peius, fuit emendatio subsecuta. Tamen Victoris Episcopi pacem petierunt, traditis hominibus, quos in seditionem direxerant. Sed ille recordatus præcepti Dominici, non debere reddi inimicis mala

CONCILIVM LVGDVNENSE PRIMVM

[a] *Greg. Turon. hist. Fra. lib. 5. c. 20.*

pro

* malis

pro bonis *, nihil his mali faciens, liberos abire permisit: vnde in posterum à communione A
suspensus est, pro eo quòd publicè accusans, clàm inimicis pepercisset absque consilio, qui-
bus accusauerat, fratrum.] hæc de his quæ spectant ad Concilium Lugdunense hoc anno
tempore Ioannis Papæ celebratum. Porrò de iisdem Episcopis hæc superiùs idem Grego-
[a] Greg. hist. lib. 7. c. 37. rius [a], dum agit de bello Longobardorum aduersus Burgundiones: Fueruntq; in hoc præ-
lio Salonius & Sagittarius fratres atque Episcopi, qui non cruce cælesti muniti, sed galeà at-
que lorica sæculari armati, multos manibus propriis (quod peius est) interfecisse referun-
tur.] hæc tunc primùm sunt monstra cœpta videri, vt loricati Episcopi militarent.

Hoc anno Liuba Rex Gothorum in Hispania, ipso regni sui anno tertio moritur: sicque
Leuuigildus eius germanus in collegam antea ascitus, solus vniuerso potitur regno. Quo
pariter anno defunctus Theodomirus Sueuorum Rex Catholicus, maximeque pius, filio
Ariamiro, quem precibus S. Martini ex diuturno atque grauissimo morbo sanum accepe- B
rat, vnà cum pietate regnum pariter reliquit: de quo hic describenda putamus, quæ Gre-
gorius Turonensis rudi licet stylo, veritatis tamen fulgore corusco posteris tradidit his-
[b] Greg. Turon. mirac. sancti Martini lib. 4. c. 7. ce verbis [b]: Et quia Florentiani Maioris memoriam fecimus: quid ab eo didicerim, nefas puto
taceri. Tempore quodam causa legationis Galliciam adiit, atque ad Mironis Regis præsen-
tiam accedens, negotia patefecit iniuncta. Erat enim eo tempore Miro Rex in ciuitate illa,
in qua decessor eius basilicam S. Martini ædificauerat, sicut in libro primo huius operis ex-
posuimus. Ante huius ædis porticum vitium camera extensa per traduces dependentibus
vuis quasi picta vernabat. Sub hac enim erat semita, quæ ad sacras ædis valuas peditem de-
ducebat. Cumque Rex sub hac præteriens camera hoc templum adiret, dixit suis: Cauete
ne contingatis vnum ex his botrionibus, ne fortè offensam sancti eius incurratis. Omnia
enim quæ in hoc habentur atrio, ipsi sacrata sunt. C

Hoc audiens vnus puerorum, ait intra se: Vtrum sint hæc huic Sancto consecrata, an
non, ignoro: vnum scio, quia deliberatio animi mei est de his vesci. Et statim iniecta manu,
caudam botrionis cœpit incidere: protinusque dextera eius adhærens cameræ, arente la-
certo, diriguit. Erat autè mimus Regis, qui ei per verba iocularia lætitiam erat solitus excita-
re: sed non eum adiuuit cachinnus aliquis, neque præstigium artis suæ; sed cogente dolore,
voces dare cœpit, ac dicere: Succurrite, viri, misero: subuenite oppresso, releuate appen-
sum, & S. Antistitis Martini virtutem deprecamini, quia tali exitu crucior, tali plaga affli-
gor, tali incisione disiungor. Egressus quoque Rex, cùm ea quæ acta fuerant didicisset, tan-
to furore contra puerum est accensus, vt eius manum vellet incidere, si à suis prohibitus
non fuisset. Dicentibus tamen præterea famulis: Noli ô Rex, iudicio Dei tuam adiungere
vltionem, ne fortè iniuriam quam minaris puero, in te retorqueas. Tunc ille compunctus D
corde, ingressus basilicam, prostratus coram sancto altari, cum lacrymis preces fudit ad
Dominum, nec antea à pauimento surrexit, quàm flumen oculorum huius paginam deli-
cti deleret. Quo à vinculo, quo nexus fuerat, absoluto, ac in basilicam ingresso, Rex eleua-
tur è solo: & sic recipiens in columem famulum, palatium repetiuit. Testatur autem Ma-
ior præfatus, hoc se ab ipsius Regis relatione, sicut actum narrauimus, cognouisse.] huc-
usque Gregorius. Hisce Deus miraculis recens credentem Regem voluit admonuisse, quòd
non sine diuina vltione peccant, qui vel minimum quippiam è rebus Ecclesiæ auferunt,
quæ vel seruienti um vsui, vel pauperum alimoniis sunt destinatæ. Quomodo autem idem
Rex paterno exemplo duo Concilia, Bracharense videlicet atque Lucense congregauit,
suo loco dicemus.

E

IESV CHRISTI ANNVS 571. IOANNIS PAP. ANNVS 12. IVSTINI IVN. IMP. ANNVS 6.

ADuenit annus Domini quingentesimus septuagesimus primus, quartæ Indictionis:
quo Alboinus Longobardorum Rex, vbi regnasset in Italia annos tres & menses sex,
Kalendis Octobris moritur, cùm paulo antè Ticinensem ciuitatem per tres annos & am-
[c] Paul. diac. de Gest. Longobard. lib. 2. cap. 13. plius obsessam cepisset. Quid autem tunc admiratione dignum acciderit, à Paulo diacono
ita accipe [c]: At verò Ticinensis ciuitas per tres annos & aliquot menses obsidionem perfe-
rens, tandem se Alboino tradidit & obsidentibus Longobardis. In quam cùm Alboinus

per

A per portam quæ dicitur sancti Ioannis, ab Orientali vrbis parte introiret; equus eius in portæ medio concidens; quamuis calcaribus stimulatus, quamuis hinc inde à Stratorio verberibus cæsus, non poterat eleuari. Tunc quidam de Longobardis ita Regem allocutus est: Memento, domine Rex, quale votum vouisti: Frange tam dirum votum, & ingredieris in vrbem. Verè enim Christianus est populus in hac ciuitate. Siquidem Alboinus vouerat, quòd vniuersum populum, qui se dedere noluerat, gladio extingueret. Qui postquam tale votum disrumpens, veniam promisit; mox equo surgente, ciuitatem ingressus, in sua promissione permansit. Tunc ad eum omnis populus in palatium, quod quondam Rex Theodoricus construxerat, corruens post tantam miseriam, de spe iam fidens, cœpit animum ad meliora futura leuare. Qui Rex postquam in Italia tres annos & sex menses regnauerat, insidiis suæ coniugis peremptus est.] quomodo autem id acciderit, pluribus

B ipse narrat his verbis[a]:

Causa autem eius interfectionis huiusmodi fuit. Cùm in conuiuio vltrà quàm oportuerat, apud Veronam lætus resideret, cum poculo, quod de capite Chunimundi Regis sui soceri fecerat, Reginæ ad bibendum vinum dari præcepit, atque eam vt cum patre suo lætanter biberet, inuitauit. Hoc ne cui videatur impossibile: veritatem in Christo loquor: ego hoc poculum vidi in quodam die festo Ratichis Principem, vt illud conuiuis suis ostentaret, manu tenentē. Igitur Rosimunda *(id erat vxori Alboini Regis nomen)* vbi rem animaduertit, altum concipiens in corde dolorem, quem compescere non valens, mox in mariti necem, patris cædem vindicatura exarsit: consiliumque mox cum Helmige, qui Regis Scilpor, id est, Armiger & collectaneus erat, vt Regem interficeret, iniit. Qui Reginæ suasit, vt Peredeum, qui erat vir fortissimus, in hoc consilium ascisceret.

C Cùm verò Peredeus Reginæ suadenti tantum nefas consensum adhibere nollet: illa se noctu in lectulo suæ vestiariæ, cum qua Peredeus stupri consuetudinem habuerat, suppositi: Vbi Peredeus inscius fraudis cum Regina concubuit. Cumque illa, patrato iam scelere, ab eo quæreret, quam se esse existimaret: & ipse nomen suæ amicæ, quam esse putabat, nominasset: Regina subiunxit: Nequaquam est vt putas, sed ego Rosimunda sum. Certè nunc Peredee, rem talem perpetrasti, quod aut tu Alboinum interficies, aut ipse te suo gladio extinguet. Tunc ille intellexit malum quod fecit; & quod sponte noluerat, tali modo in Regis necem coactus assensit. Tunc Rosimunda, dum se Alboinus in meridie sopori dedisset: magnum in palatio silentium fieri præcipiens, omnia alia arma subtrahens, spatham illius ad lectuli caput, ne tolli aut euaginari posset, fortiter colligauit, & iuxta consilium initum Peredeum & Helmigem* interfectores, omni bestia crudelior, intro-

D duxit. Alboinus subitò de sopore experrectus, malum quod imminebat intelligens, manum citiùs ad spatham porrexit, quam strictiùs ligatam cùm trahere non valeret, apprehenso scabello suppedaneo, se per aliquod tempus defendit. Sed heu, proh dolor! vir bellicosissimus & summæ audaciæ, nihil contra hostem prævalens, quasi vnus de inermibus interfectus est, vniusque mulierculæ consilio periit, qui per tot hostium strages in bello fortunatissimus extitit.] hic finis Regis Longobardorum, qui inuasit Italiam, & tot malorum quæ sunt subsecuta, primus extitit auctor. Subdit verò Paulus diaconus de fuga Rosimundæ ad Romanos Rauennam cum Helmige, simulque cum Longobardorum Regis thesauro. Sed quæ vtrumque sint consecuta mala Rosimundam & Helmigem, ab eodem sic breuiter accipe:

Tunc Longinus Præfectus (erat is missus ab Imperatore Hexarchus, morabaturque Ra-

E uennæ) suadere cœpit Rosimundæ, vt Helmigem interficeret, & ipsius se nuptiis copularet. Illa vt erat ad omnem nequitiam facilis, cùm affectaret Rauennatium domina fieri, ad tantum facinus perpetrandum assensum præbuit: atque dum Helmigis se in balneo abluerat, egredienti mortis poculum, quod salutare asseruit, propinauit. Ille vbi sensit se mortis poculum bibisse, Rosimundam (euaginato gladio super eam) quod reliquum erat bibere coëgit. Sicque omnipotentis Dei iudicio Regis interfectores nequissimi vno momento perierunt.] hucusque Paulus: quibus vidisti repræsentatam de Rege atque Regina tragœdiam: ita planè agente Deo vindice, vt qui innoxios populos crudeli cæde depascerent, in se ipsos suam ipsorum sæuitiam retorquerent. Successit post Alboinum Clephis Rex, tenuitque regnum annum vnum & menses quinque. Corrigendus verò textus Gregorij Turonensis esse videtur, vbi præter omnium sententiam Alboinum regnasse in Italia tradit annos septem: ab ipsa enim Gregorij Papæ sententia de tempore aduentus Longobardorum discre-

[a] *Paul. diac. de Gest. Longobard lib. 2. cap. 14.*

ALBOINVS REX ARTE CONIVGIS NECATVR.

ALBOINVS REX OCCIDITVR.

* Amechildem

ROSIMVNDAE REGINAE ET HELMIGIS OBITVS.

CLEPHIS REX LONGOBARD.

discrepare cognoscitur, quam duabus ipsius testatam epistolis superiùs proposuimus. A

Sed de propagatione Longobardorum in Italia regni, diuinum admirare consilium, quod manifestè declararunt euẽta, Deum permisisse eiusmodi feros barbaros potiri Italia, vt eius dominio Orientales exueret Imperatores quibusuis barbaris aduersus Romanos truciores: sicq; tandem fieret, vt excussa Græcorum tyrannide, & vendicata à Francis cum Vrbe Italia, eadem magna ex parte cederet Romano Pontifici: ita suauiter Deo ex more cuncta disponente, qui semper maiores Ecclesiæ clades maioribus consueuit compensare prouentibus, sicut & Ecclesiæ ipsius nomine cognoscitur occinuisse Propheta, dum ait[a]: In tribulatione dilatasti mihi.] cùm & consilium illud Græcorũ euanuit, quo deprimere Romanam Ecclesiam diutiùs laborarunt, reddita illa magis magisque ex ipsorum cladibus ampliore.

[a] *Psal.* 4.

IESV CHRISTI IOANNIS PAP. IVSTINI IVN. IMP. B

ANNVS 572. ANNVS 13. ANNVS 7.

QVingentesimus ac septuagesimus secundus Domini annus quintæ Indictionis adest; quo Ioannes Papa, vbi sedisset annos tredecim, minus diebus quatuordecim, moritur tertio Idus Iulij, vt ex Anastasio admonemur, qui de eodem hæc habet: Hic ampliauit & restaurauit cœmeteria sanctorum martyrum. Hic constituit, vt oblationes, & amulæ vel luminaria in eadem cœmeteria per omnes Dominicas de Lateranis ministrarentur. Hic perfecit ecclesiam sanctorum Philippi & Iacobi, & dedicauit eam.] & in fine: Eodem tempore Ioannes Papa & ipse mortuus est, & sepultus est in basilica S. Petri Apostoli tertio Idus Iulias. Hic fecit ordinationes duas per mensem Decembrem, presbyteros triginta octo, diacones tredecim, Episcopos per diuersa loca numero sexaginta & vnum. Cessauit Episcopatus eius menses decem, dies tres.] hæc Anastasius. De subrogatione igitur successoris agemus suo loco anno sequenti. C

IOANNIS PAP. OBITVS

Ad hæc tempora eiusdem Ioannis Romani Pontificis, antequam tamen Longobardi irrumperent in Italiam, Constantius Episcopus Aquinas, qui viuente adhuc S. Benedicto iam sedere cœperat, defunctus est, vt testatur sanctus Gregorius, qui & ipsius ex hac vita ad Deum transitum refert his verbis[b]: Vir quoque venerabilis vitæ Constantius Aquinæ ciuitatis Episcopus fuit, qui nuper prædecessoris mei tempore beatæ memoriæ Ioannis Papæ defunctus est. Hunc prophetiæ habuisse spiritum, multi testantur. Cuius inter multa hoc D ferunt religiosi veracesque viri, qui præsentes fuerunt, quòd in die obitus sui, cùm à circumstantibus ciuibus, vtpote discessurus, Pater tam amabilis amarissimè plangeretur: eum flendo requisierunt, dicentes: Quem post te Patrem habebimus? Quibus ipse Pater per prophetiæ spiritum respondit, dicens: Post Constantium mulionem, post mulionẽ fullonem. O tu Aquina, & hos habes. Quibus prophetiæ verbis editis, vitæ spiritum exhalauit extremum. Quo defuncto, eius Ecclesiæ pastoralem suscepit curam Andreas diaconus illius; qui quondam in stabulis itinerum cursum seruauerat equorum. Atque hoc ex hac vita subducto, ad Episcopatus ordinem Iouinus accersitus est, qui in eadem ciuitate fullo fuerat. Quo adhuc superstite, ita cuncti habitatores ciuitatis illius & barbarorum gladiis & pestilentiæ immanitate vastati sunt, vt post mortem illius nec quis Episcopus fieret inueniri potuisset. Sic itaque completa est viri Dei sententia, quatenus post discessum duorum E se sequentium eius Ecclesia pastorem minimè haberet.] hucusque Gregorius: quæ quidem cùm sub Ioanne Papa contigisse dicat, nec quoto eius Pontificatus anno sint facta referat, hic ad finem rerum gestarum eiusdem Pontificis ex more voluimus collocasse cum reliquis aliis quæ certo anno minimè definita reperiuntur. Porrò ex his etiam infelicem Italiæ statũ huius temporis possumus intelligere, cùm desolarentur penitus tum ob bella, tum etiam ob pestem integræ ciuitates. Quod rursus ad Constantium ipsum spectat, eiusdem nominis & ciuitatis diximus in Notis[c] reperiri Episcopum, qui sub Hilaro Papa claruit & peruenit ad Symmachi tempora, vt Concilia Romana sub iisdem Pontificibus celebrata testantur: licet priorem illum alicubi non Constantium, sed Constantinum appellatum inuenerimus.

DE OBITV CONSTANTII EPISC. AQVINATIS

[b] *Greg. dialo. lib. 3. c. 8.*

LONGOBARDORVM INCVRSIONE PLVRES ECCLESIAE DESOLATAE

[c] *Not. in Rom. Martyrol. die 1. Sept. O.*

Vt autem ad postremum de scriptis eiusdem Ioannis Pontificis nomine editis agamus:

fertur

A fertur eius epistola ad vniuersos Episcopos Germaniæ & Galliæ aduersus Corepiscopos, qui sibi quæ essent Episcoporum vsurparent: data habetur eadem sub Consulatu Iustini sexto cum Narsete, quo designatur iste ipse præsens annus, si annis singulis eum gessisse dixerimus Consulatum. Etenim quem anno tertio Consulem secundò fuisse constat ex recitata superiùs eius constitutione, vtique hoc sui Imperij anno septimo & non antè oportuit gessisse sextum Consulatum. Verùm dum decimoquarto Kal. Augusti eadem data reperitur epistola, vtique nonnisi ad tempus post obitum Ioannis referri potest: adeò vt impostura argui facilè possit: quæ & non ex his tantùm, sed & aliis signis cõuincitur non esse Ioannis, sed ex suppositis mercibus Mercatoris. Etenim nomen Corepiscoporum, de quorum munere integra est epistola illa scripta, in Galliis siue in Germania penitus erat abolitum. Consule cuncta Gallicana Concilia his temporibus celebrata, & nullam de Corepiscopis B inuenies mentionem. Sed quòd eadem epistola contineat de Lino & Cleto Romanis Pontificibus, quòd non fuerint re vera Romani Pontifices, sed Corepiscopi tantùm: est planè ab omni antiquitate & veritate historiæ alienum. Sunt præterea alia signa quæ vultum exprimant Mercatoris, siue potiùs subdoli venditoris. sed de his satis.

DE SPVRIA IOANNIS PAPAE NOMINE EPISTOLA.

Hoc pariter anno defunctus est Charibertus Francorum Rex, qui regnabat Parisiis, cùm tenuisset regnum annos octo: sed quæ eius obitum scitu digna præcesserint in testimonium iudicij magni Dei, hîc recensenda putamus. Gregorius igitur, qui his temporibus viuebat, hæc in primis de ipso habet[a]: Videtur non silendum, qualiter vir beatus Martinus præsidia famulis ad res suas defendendas quaqua iubet, accommodat. Charibertus Rex cùm, exosis clericis, ecclesias Dei negligeret, despectisque sacerdotibus, magis in luxuriam declinasset: ingestum est eius auribus, locum quemdam quem basilica S. Martini diuturno tem- C pore retinebat, sisti sui iuri, reddique debere: loco autem illi Nauicellis nomen prisca vetustas indiderat. Qui accepto iniquo consilio, pueros velociter misit, qui remiculam illam in suo dominio subiugarent. Cumque hæc rectè possidens videretur habere, iussit in locum illum stabularios cum equitibus dirigi, ibique sine æquitatis ordine præcepit equos ali. Accedentes ergo pueri fœnum, quod coaceruatum fuerat, accipiunt in equorum expensas. Cumque iniunctum studiosè ageretur seruitium, atque equi appositum fœnum cœpissent expendere, corripiuntur rabie: & frementes adinuicem, disruptis loris, per plana prosiliunt, & in fugam vertuntur: & sic malè dispersi alij excæcantur, alij rupibus præcipitantur, alij se sepibus ingerentes palorum acuminibus transfodiuntur. Tandem stabularij, iram Dei intelligentes, paucos extra terminum loci, quos assequi potuerunt, expellunt, sanosque recipiunt, nunciantes Regi rem illam iniustissimè detineri. Et ideo hæc cùm fuissent perpessi, D dixerunt: Dimitte eam, & erit pax tibi.

[a] *Greg. Turo. de miracul. S. Mart. li. 1. cap. 29.*

CHARIBERTI REG. SACRILEGIA.

REX IMPIVS INVADIT SVO DAMNORES ECCLESIAE.

Qui furore repletus, sic dixisse fertur: Siue iustè, siue iniustè reddi debeat, regnante me hanc basilica non habebit. Qui protinus diuina iussione transitum accipiens, quieuit. Adueniente autem glorioſissimo Sigeberto Rege in eius regnum, ad suggestionem beati Euphronij Episcopi, hoc in domo sancti Martini restituit, quod vsque adhuc ab eius basilica possidetur. Audite hæc omnes potestatem habentes: sic vestite alios, vt alios non spolietis: hoc adiungite vestris diuitiis, vt damna non inferatis Ecclesiis. Vindex est enim Deus velociter seruorum suorum. Et ideo monemus, vt qui de potestatibus hæc legerit, non irascatur: nam si irascitur, de se fatebitur dictum.] hucusque Gregorius, piam ingerens monitionem legenti.

Quomodo autem idem S. Euphronius Turonensis Episcopus eiusdẽ Regis obitum pro- E phetico spiritu præsensit, idem auctor alibi narrat his verbis[b]: Ipse quoque Pontifex cùm à multis crebriùs vrgeretur, vt ad occursum Chariberti Regis deberet accedere; & innectens moras ire differret: tandem commotus à suis, ait: Ite præparate iter, vt eamus ad occursum Regis, quem visuri non sumus. Igitur imponẽtes plaustris necessaria, & caballis ad iter præparatis, iamque in hoc stante ratione, vt deberet viam incedere, ait: Reuertantur plaustra, laxentur equi: non modò hoc iter incedimus. Dicentibus autem suis, quæ esset hæc leuitas, vt quæ tam instanter parari iusserat, tam facilè deturbaret: ait secretiùs: Princeps ad quem nos ire compellitis, obiit; nec viuentem, si abierimus, inueniemus. Stupefacti audientes, diem notant, & Sancti verba taciti seruant. Aduenientibus autem ab vrbe Parisiaca hominibus, ea hora Regem transisse nunciant, qua sacerdos plaustra de itinere iusserat reuocari.] hæc de Euphronij prædictione Gregorius eius in Episcopatu successor.

[b] *Greg. de Glo. confess. c. 19.*

PRAEDICTIO S EVPHRONII.

Verùm eumdem Charibertum decessisse excommunicatum à sancto Germano Parisiorum

DE THEODIGILDE CONCVBINA REGIS.

rum Episcopo ob incestum coniugium (quod dictum est superiùs) idem auctor affirmat: A & quæ post obitum de Theodigilde Regina secuta sint, ita narrat[a]: Nec multo post illatam excommunicationem à sancto Germano, & ipse Rex post eam decessit. Cuius post obitum, Theodigildis vna Reginarum eius nuncios ad Guntheramnum Regem dirigit, se vltrò offerens matrimonio eius. Quibus Rex hoc reddidit responsum: Accedere ad me ei non pigeat cum thesauris suis: ego enim accipiam eam, faciamque magnam in populis, vt scilicet maiore mecum honore, quàm cum germano meo, qui nuper defunctus est, potiatur. At illa gauisa, collectis omnibus, ad eum profecta est. Quod cernens Rex, ait: Rectius est enim, vt hi thesauri apud me habeantur, quàm apud hanc, quæ indignè germani mei torum adiuit. Tunc ablatis multis, paucis relictis, Arelatensi eam monasterio destinauit. Hæc verò ægrè acquiescens ieiuniis ac vigiliis affici, per occultos nuncios Gothum quemdam adiuit, promittens, si se in Hispanias deductam coniugio copularet, quòd cum thesauris suis de B monasterio egrediens, libenti eum animo sequeretur. Quod ille nihil dubitans, rem promisit. Cumque hæc collectis rebus, factisque inuolucris, è cœnebio pararet egredi: anticipauit voluntatem eius industria Abbatissæ, deprehensaque fraude, eam grauiter cæsam custodiæ mancipari præcepit, in qua vsque ad exitum vitæ præsentis non mediocribus attrita passionibus perdurauit.] hucusque Gregorius.

[a] *Greg. Turo. hist. Franc. lib. 4 c. 26.*

DE THEODIGILDE REGINA.

Porrò licet nomine eamdem, diuersam planè moribus atque genere Theodigildem aliam, siue Theodichildem itidem Reginam laudat Venantius Fortunatus: licet errore librariorum in carminis inscriptione, loco Theodigildis Reginæ, inditum sit nomen Theodigildi Regis: de femina namque, non de viro illa fuisse scripta, his planè haud obscurè declarat versibus, dicens[b]:

[b] *Venant. carm. lib. 6.*

C

Femineum sexum quantum præcedis honore,
Tantum alias superas & pietatis ope.
Si nouus adueniat, recipis sic mente benigna,
Ac si seruitiis iam placuisset auus.
Pauperibus fessis tua dextera seminat escas,
Vt segetes fructu fertiliore metas.
Vnde fouens inopes semper satiata manebis:
Vt quem sumit egens, sit tuus ille cibus.
Peruenit ad Christum, quicquid largiris egeno:
Etsi nemo videt, non peritura manent.
Cùm venit extremus finis concludere mundum,
Omnia dum pereunt, tu meliora petis. D
Ecclesiæ sacræ, te dispensante, nouantur:
Ipsa domum Christi condis, & ille tuam.*
Tu fabricas illi terris, dabit ille supernis:
Commutas in melius sic habitura polos.
Stat sine fraude tuum quod mittis ad astra talentum:
Quas bene dispergis, has tibi condis opes.
Quæ Domino viuis summo, non perdis honores,
Regna tenes terris, regna tenenda polis.
Sit modò longa salus pro munere plebis in vrbe,
Felix quæ meritis, luce perennis eris.] hactenus Fortunatus de Theodigilde Regina tunc viuente. Porrò longè diuersam hanc esse à coniuge Chariberti, de qua nuper egimus, non mores tantùm valde dissimiles significant, sed & genus: illam enim Opilionis filiam fuisse, idem qui suprà Gregorius tradit[c]: quam verò Fortunatus laudat, idem docet regali genere, patreque Rege natam: nam ita de ipsa exorditur: E

* concidit

[c] *Greg. hist. Franc. lib. 4 c. 26.*

Inclyta progenies regali stirpe coruscans,
Cui celsum à proauis nomen origo dedit:
Currit in Orbe volans generis noua gloria vestri,
Et simul hinc frater personat, inde pater.] &c. Rursum verò cùm dicat de illa Gregorius, nullius ipsam matrem fuisse filij (nam quem vnicum aliquando genuerat, mox, inquit, vt processit ex aluo, delatus est ad sepulchrum) istam è contrario fœcundam fuisse, idem Fortunatus his versibus significat, quibus ait:

A *Mens veneranda, decens, sollers, pia, chara, benigna*
Cùm sis prole potens, gratia maior adest.] Hæc idcirco ad discriminationem alterius ab altera dicta voluimus, ne quis post laudes ab eodem Fortunato tributas Chariberto Regi, legens præconia Theodigildis Reginæ, existimet eam fuisse ipsius coniugem.

Mentio est etiam de eadem Theodigilde apud eumdem Gregorium in commentario de Gloria confessorum [a], vbi pro Theodigilde, Theodichildis scripta habetur, sicut & in epitaphio ipsius ab eodem Venantio [b] Fortunato conscripto, vbi inter alia de eius nobilitate atque pariter pietate:

[a] *Greg. de glor. confess. c. 41.*
[b] *Fortii carm. lib. 4.*

Cui frater, genitor, coniux, auus, atque priores,
Culmine succiduo regius ordo fuit:
B *Orphanus, exul, egens, viduæ, nudæq; iacentes*
Matrem, escam, tegmen hic sepelisse dolent.] Diem verò obiisse senem annorum ætatis septuagintaquinque, postremo versu docet, cum ait:

Actibus his instans terrena in luce redacta,
Ter quinto lustro vixit in Orbe decus.] Hactenus Fortunatus: qui etsi laudasse legitur Charibertum Regem, quem infami exitu diem extremum clausisse vidimus; non eum post mortem, sed cùm regnare cœpit laudasse cognoscitur: quas laudes & Nero commeruisse potuit, qui primò triennio optimè Imperij habenas moderatus est. Sed de Theodigilde, atque de rebus Gallicis hactenus: iam ad Hispanicas transeamus.

Hoc ipso anno, mense Decembri celebrata est Synodus posterior Bracharensis, anno secundo Ariamiri Regis Sueuorum, vt eius Acta sui exordio declarant his verbis: Regnan-
C te Domino Iesu Christo, currente Æra sexcentesima decima, die decimooctauo Kalendarum Ianuariarum, cùm Galliciæ Episcopi tam ex Bracharensi quàm ex Lucensi Synodo cum suis Metropolitanis præcepto præfati glorioſissimi Regis simul in Metropolitana Bracharensi Ecclesia conuenissent, id est, Martinus, Nitigius *, &c.] omnes numero duodecim. Statuti sunt autem canones decem ad Ecclesiasticam disciplinam spectantes: exstant ipsi quidem ab ipso Martino Metropolitano canonum collectore summa industria elaborati, quos tu consulas. Porrò eadem Æra sexcentesima decima, qui cùm Metropolitano suo Nitigio ad propria reuersi sunt Episcopi, Luci habuere conuentum, in quo de eadem secunda Synodo Brachari habita mentio facta est. de his locuples testis est vetus constitutio eiusdem Regis hac pariter Æra data, vendicata autem in lucem ex abditis Ecclesiasticis tabulis ab Ambrosio, quo nomine plurimum ei debent Hispaniæ, omnesque simul
D rerum antiquarum studioſi. Recitat ipse quæ in eiusdem Regis constitutionis habentur exordio verbis istis [c]:

BRACHARENSE SECVNDVM CONCILIVM.

* Nitigisius Nigenius

DE CONCILIO LVCENSI SECVNDO.

[c] *Ambr. Moral. Chron. lib. 11. cap. 62.*

Deo omnipotenti trino & vno & vero Patri & Filio & Spiritui sancto, qui sua sapientia ineffabili in Deitate perfecta ex arce summa quæcumque sunt tam præsentia quàm futura inspicit, vt præscius ordinat atque disponit vt dominus. Ipso cælorum Rege inspirante seu opitulante, ego Theodomirus Rex, cognomento etiam Mirus, Galliciæ totius prouinciæ Rex, Deo, eiusq; genitrici gloriosæ Mariæ ac ceteris Sanctis cupiens esse famulus & seruulus, coadunato nutu Dei Concilio in Lucensi iam præfatæ prouinciæ vrbe omnium Catholicorum Episcoporum, seu religioſorum virorum, nobis ab ipsis intimatum est vno animo cordeque perfecto, auctoritate etiam sedis Apostolicæ sancti Petri, cuius legationem læti excepimus.] hucusque ex eius constitutionis exordio Ambrosius: ex quibus & illud
E intelligis, nisos sedis Apostolicæ auctoritate Reges, cùm præciperent Episcopos ad Synodos conuenire. Missam autem apparet ad hunc Regem à Ioanne Papa legationem, simulac paternum regnum accepit. Moris quidem fuisse liquet Romanorum Pontificum, nouos, vbicumque essent, Christianos Reges legationibus conuenire, quibus eos quæ decent Catholicos Principes commonerent, & quæ opus essent ad religionis statum integrè conseruandum, vt facerent, æquè iuberent, facultatemque eisdem eam tribuerent, quæ ad res bene conficiendas necessaria videretur.

Sed quæ post Regis constitutionem Nitigij Episcopi verba postrema recitat videamus: vbi enim de his Rex egit quæ ad terminos diœceſis constitutos in priori Lucensi Concilio conseruandos admonuit, ipse Nitigius Episcopus ista subiecit: His itaque determinationibus seu definitionibus Comitatuum à me Nitigio nutu Dei Lucensis sedis Episcopo diligentissimè exquisitis, per antiquorum virorum scientiam seu scripturarum seriem vetusta-

rum ſtudioſiſſimè poſt peractam Synodum Bracharẽſem ſecundam, ibidem in diebus glorioſiſſimi domini Mironis Regis ſub Æra ſexcenteſima decima in præſentia ipſius Regis & omnium Catholicorum magnatum totius Galliciæ, &c.] Sed illa haud leuis ſuboritur de textu deprauato ſuſpicio, cùm Theodomiri ea dicatur conſtitutio, quam ex Æra notata & mentione ſecundæ Synodi Bracharenſis conſtat non patris eo nomine appellati, ſed filij Ariamiri eſſe: nam quòd vterque Mirus dicatur, commune nomen fuiſſe videtur Regibus Sueuorum, vt Ambroſius exiſtimauit, cui conſentio: ſed & Theodem, ſicut & Mirum, eorum fuiſſe Regum cognomina honorem & dignitatem aliquam ſignificantia, haud facilè admittendum putamus: nam cùm ambo eiuſdem fuerint Reges regni, non diuerſa cognomina, ſed eadem iiſdem fuerant ipſorum nominibus apponenda. vnde magis ineſſe in ſcripto vitium, librariorum (vt accidit) errore dilapſum, putamus.

DE NOMINE ET COGNOMINE REGVM SVEVORVM.

Quòd verò eadem ſancta Synodus cùm ſacroſanctas Oecumenicas recenſet Synodos, omiſſa Quinta, quatuor tantùm numerat, nempe Nicænam, Conſtantinopolitanã, Epheſinam, & Chalcedonenſem: rationem diſces ex Gregorio Romano Pontifice, quòd videlicet in Quinta (vt ait [a]) non ſit actum de fide, ſed de perſonis, in illis verò quatuor de fide, ob idque illarum profeſſio neceſſaria videretur. Nihil eſt ergo vt ob id iidem ſanctiſſimi Epiſcopi in ſuſpicionem ſchiſmatis poſſint adduci, quibus eum cõſtat (vt dictum eſt) Apoſtolicam ſedem litteris atque legatione ad Regem miſſis communicaſſe. Videmus enim & ipſum quoque Gregorium [b] interdum nonniſi quatuor recenſere Oecumenicas Synodos, cùm tamen & Quintam recipiendam eſſe teſtetur [c].

CVR OMISSA PROFESSIO QVINTAE SYNODI.

[a] *Greg. lib. 3. epiſt. 37.*

[b] *Gregor. ad Theodolind. lib. 3. epiſt. 33*

[c] *Greg. lib 1. ep. 24. in fin.*

Ad eumdem Lucenſis Eccleſiæ Epiſcopum Nitigium, ſimulque ad vniuerſum Lucenſe Concilium Martinus Bracharenſis Epiſcopus collectionem & emendationem Orientalium canonum direxit huiuſcemodi perbreui præfatione notatam:

Domino meo beatiſſimo & Apoſtolicæ ſedis honore ſuſcipiendo in Chriſto fratri Nitigio * Epiſcopo, vel vniuerſo Concilio Lucenſis Eccleſiæ Martinus Epiſcopus. Canones ſancti, qui in partibus Oriẽtis ab antiquis Patribus conſtituti ſunt., poſtea autem ſuccedenti tempore in Latinam linguam tranſlati ſunt. Et quia difficile eſt vt ſimplicius aliquid ex alia lingua transferatur in aliam, ſimulque & illud accidit, vt in tantis temporibus ſcriptores aut non intelligentes, aut dormitantes multa prætermittant, & propterea in ipſis canonibus aliqua ſimplicioribus videantur obſcura: ideo viſum eſt, vt cùm omni diligentia quæ per tranſlatores obſcuriùs dicta ſunt, immutata, ſimpliciùs & emendatiùs reſtaurarem, id primum obſeruans, vt illa quæ ad Epiſcopos vel vniuerſum clerum pertinent, vna in parte conſcripta ſint; ſimiliter & quæ ad laicos pertinent, ſimul ſint adunata: vt de quo capitulo ſcire aliquis voluerit, poſſit celeriùs inuenire.] extat ipſa collectio canonibus octoginta-quinque locupletata.

* Nigetio

MARTINI BRACHAR. COLLECTIO CANONVM.

Verum fuerunt eiuſdem viri alia ſcriptorum monumenta, de quibus Iſidorus dum agit, hæc ait [d]: Martinus Dumienſis monaſterij ſanctiſſimus Pontifex, ex Orientis partibus nauigans, in Galliciam venit, ibique conuerſis ab Ariana impietate ad fidem Sueuorum populis regulam fidei & ſanctæ religionis conſtituit, eccleſias informauit, monaſteria condidit, copioſaq; præcepta piæ inſtitutionis compoſuit. Cuius quidem ego legi librũ de Differentiis quatuor virtutum, & aliud volumen epiſtolarum, in quibus hortatur vitæ emendationem & conuerſionem fidei, orationis inſtantiam, & eleemoſynarum diſtributionem, & ſuper omnia culturam virtutum omnium pietatem. Floruit regnante Theodomiro Rege Sueuorum, temporibus illis quibus Iuſtinianus in Republica, & Athanagildus Hiſpanus Imperium tenuere.] hæc Iſidorus. Porrò libellũ illum de Virtutibus quatuor cõplectentem honeſtæ vitæ formulam, inſcripſiſſe ad Mironem Regem, Sigebertus [e] eſt teſtis. Reliqua de eodem Sancto rurſum in eius obitu dicturi ſumus. Sed iam pandat vela in Orientem oratio.

[d] *Iſidor. de Scrip. Eccleſ. cap. 22.*

[e] *Sigibert. de Scrip. Eccleſ. cap. 19.*

Hoc ipſo anno qui numeratur S. Anaſtaſij Sinaitæ Epiſcopi Antiocheni ſedis vndecimus (vt in Chronico Nicephorus docet) ipſe à Iuſtino Imperatore in exilium miſſus eſt, inque locum eius ſubrogatus Gregorius fuit. Hæc autem quomodo ſe habuerint, ab Euagrio res ſui temporis proſequente petamus hiſtoriam: ipſe enim de his agens, hæc primùm ait [f]:

[f] *Euag. lib. 5. cap. 6.*

CALVMNIAE CONTRA ANAST. ANTIOCH. EPISCOP.

Iuſtinus itaque Anaſtaſium, his illi obiectis criminibus, primùm quòd ſacrũ theſaurum extra modum & in nullum vſum neceſſarium profuderit, deinde quòd conuicia in ipſum iecerat (Anaſtaſium enim, cùm rogaretur quid cauſæ eſſet, cur ſacrum theſaurum tam effuse aſſumpſiſſet? ingenuè reſpondiſſe ferunt, Ne à Iuſtino communi totius Orbis Principe diriperetur, ſede Antiochena exturbauit. Quinetiam dicitur, Iuſtinum Anaſtaſio ſuccen-

ſuiſſe

A fuisse, quòd postulanti ei pecuniam, cùm Episcopus esset designatus, Anastasius dare noluit. Alia præterea crimina à quibusdam, qui Imperatoris instituto (credo) inseruire st idebant, ei intendebantur.] hæc Euagrius de exilio Anastasij, qui exul vixit annis vigintiquatuor (tot enim annis sedit Gregorius, qui in locum eius à Iustino est subrogatus, vel annis vigintitribus, vt idem habet Euagrius[a]) inde Mauritij Imperatoris tempore iterum restituitur, vt suo loco dicemus inferiùs. Verùm cùm à Iustino depositus dicatur Anastasius, non tamen sine coacto ad hoc Episcoporum conuentu id esse factum scias: docet id enim Eutychij Constantinopolitani Episcopi superiùs enarratum exemplum Porrò quem in locum eius substitutum Gregorium diximus, hunc mirificè laudat Euagrius, sic dicens[b]:

[a] *Euagr hist. lib. 6. c. vlt.*

[b] *Euagr hist. lib. 5. cap. 6.*

GREGORIVS EPISC. ANTIOCHEN. IN LOCVM ANASTASII.

Post illum Gregorius ad sacrum Episcopatus gradum elatus fuit, qui ob poeticam facultatem magnam apud omnes gloriam consecutus est. Hic ineunte ætate monasticam vi-
B uendi viam ingressus est, & adeò viriliter & excelso animo in ea decertauit, vt cùm iam primùm pubescere inciperet, ad summum ac perfectissimum gradum peruenerit, præfueritq; monasterio Constantinopoli, in quo vitam inopem & austeram degit. Deinde mandato Iustini monasterio in monte Sina præfectus fuit: vbi obsessus à barbaris Scenitis Arabibus, in grauissima incidit pericula. Ac cùm in illis locis pacem constituisset, inde ad Episcopatum capessendum accersitus fuit. Erat vir quidem, siue prudentiam, siue virtutem spectes, omnium præstantissimus, & ad quamcumque rem animum suum applicaret, in ea perficienda longè diligentissimus: atque vt metu percelli non poterat, sic nullo modo adduci, vt vel sententia cederet, vel hominum pertimescere potestatem.

GREGORII LAVDES.

Ita porrò magnificas pecuniarum fecit largitiones (liberalitate namque & munificentia in quemque vsus) vti cùm aliquò prodiret, ingens multitudo, præter eos qui illum comita-
C ri consueuissent, eum sequeretur, & qui vel viderent, vel audirent eum quopiam iturum, frequentes confluerent. Atque ad eximiam illius dignitatis amplitudinem, in qua collocatus fuit, hæc secunda adiecta fuere ornamenta, quòd videlicet homines sua sponte inducti tam sæpe vel propè in eum intueri, vel verba facientem audire cuperent. Erat enim ad desiderium sui in animis omnium, qui quacumque de causa vel quocumque modo ipsum compellassent, inserendum aptissimus, admirabilis cum primis aspectu, sermone propter leporem iucundissimus, & sicut ad rem quampiam intelligentiæ acumine extempore eliciendam peracutus, sic ad optimum consilium capiendum & ad iudicandum tum de suis rebus, tum de alienis solertissimus. Vnde etiam euenit, vt tot & tam egregia facinora gereret: nihil enim distulit in crastinum.

In magnam præterea traduxit admirationem non solùm Imperatores Romanos, verùm
D etiam Reges Persarum: propterea quòd omnibus ita vti poterat, sicut tum poscebat necessitas, tum occasio, quam non aliquando omisit, postulabat. Cuius quidem rei singulæ eius res gestæ argumento esse possunt. Erat quoque in eo multa seueritas, & interdum ira: non exigua rursus, immo etiam permagna comitas & mansuetudo: vt illud prudens Gregorij Theologi dictum in eum optimè conueniret: Seueritas sic cum pudore temperata fuit, vti neutra res læderetur ab altera, sed vtraque alterius ope maximam consequeretur commendationem.] hæc Euagrius: sed & alia de eodem laude dignissima tradunt: quibus appareat eum minimè fuisse violenter in sedem Antiochenam intrusum, sed legitimè electum, cùm Anastasius fuisset in Synodo ab Episcopis etsi non iustè, aliqua tamen specie prætensa iustitiæ legitimè condemnatus. Alioqui quam commeruisse potuit laudem intrusus? an non potius insectandus probris, qui vt fur & latro aliunde quàm per ostium in ouile ouium ascendisset? Porrò eumdem Gregorium etiam postea ex aliis rebus probè gestis
E summam gloriam assecutum esse, dicetur inferiùs.

DE COSMA ABBATIS OBITV ET MIRACVLIS.

Hic verò in eius ingressu mira illa dicenda, quæ de eodem Gregorio Episcopo Antiocheno in Prato Spirituali[c] habentur, dum eiusmodi narratur historia de S. Cosma Abbate: Narrauit nobis Abbas Basilius presbyter Bicatiorum, dicens: Cùm essem Theopoli apud Patriarcham Gregorium, venit ab Hierosolymis Abbas Cosmas eunuchus Lauræ Pharan, vir singularis religionis & fidei, rectorumque dogmatum valde tenax & zelator, ac diuinarum Scripturarum scientia non mediocriter instructus. Cùm ergo fuisset ibi senex dies non paucos, defunctus est. Et iussit Patriarcha pretiosas illius reliquias in monasterio suo sepeliri, vbi & positus erat quidá Episcopus. Die igitur quadam profectus sum vt salutarem sepulchrum senis. Erat autem supra sepulchrum eius iacens homo quidam pauper, eleemosynam petens ab ingredientibus in templum. Cùm ergo me conspexisset pauper tertiò

[c] *Pratum Sprit. cap. 40.*

prostratum & seni orationem facientem,dicit mihi: Abba, magnus profectò erat senex ille, quem sepelistis hic ante duos menses. Tunc ego ad illum: Vnde hoc tu nosti? Qui respondit: Verè, domine Abba, ego paralyticus fui annis duodecim, & per ipsum curauit me Deus:& quoties in tribulatione sum,venit ad me consolationem afferens, mihique refrigerium præstat. A

NEC IN VITA NEC IN MORTE COMMVNICANDVM CVM HAERETICIS.

Sed & aliud audi de illo miraculum. Ex qua die illum sepelistis, vsque ad horam hanc, audio illum singulis noctibus clamantem, ac dicentem ad Episcopum: Noli me tangere, hæretice,& ne appropinques mihi, inimice sanctæ Dei Catholicæ Ecclesiæ. Hoc ego audiens ab eo qui sanatus fuerat, perrexi, & omnia ex ordine Patriarchæ retuli, orabamque ipsum sanctissimum Patriarcham, vt sumptum ex eo loco corpus senis, in sepulchro alio conderemus. Tunc ait Abbas Gregorius Patriarcha: Mihi crede, fili, nihil ab hæretico læditur Abbas Cosmas: sed hoc tantum factum est, vt senis virtus,zelusque fidei nobis innotescerет, qualis scilicet fuerit, qualisve sit etiam post carnis occubitum, vtque Episcopi nobis proderetur opinio, ne illum arbitraremur Orthodoxum fuisse atque Catholicum,&c.] plura de eodem Cosma subijcit, de quo etiam Cyrillus in Actis S.Sabæ Abbatis meminit. B

Hoc autem primo anno, quo Gregorius, de quo agimus, accepit sedem Antiochenam, Christiani incolentes Maiorem Armeniam, cùm grauia paterentur fidei causa à Cosrhoe Rege Persarum, legationem miserunt ad Iustinum Imperatorem, cupientes, sicut olim erant, Romani Imperij ditioni subiici. Quid autem actum sit, Euagrius rem gestam narrat his verbis[a]: Primo anno quo iste Episcopatum administrauit, qui Maiorem accolebant Armeniam (sic enim olim appellata est, postea autem Persamenia, quæ antè fuerat Romanis subiecta,& à Philippo,qui Gordiano successit, Sapori prodita: atque vt Armenia, quæ Minor dicitur, fuit in ditione Romanorum,sic reliqua tota Persis paruit) qui inquam Maiorem accolebant, fidem Christianam professi: quoniam à ceteris Persis miserè & potissimùm religionis suæ gratia vexabantur, clandestinam ad Iustinum misere legationem, supplicaturi, vt Romano subiicerentur Imperio, quò liberè, nemine impediente, diuinos cultus exequerentur. Quam legationem cùm Iustinus admisisset,& quædam conditiones in litteris, quas ad eos dabant, explicatæ essent, ac sacramento ac solemni iuramento confirmatæ: Armenij ipsos suorum Principes trucidant, & se cum suis omnibus Romano adigunt Imperio. Quibuscum regio finitima,in qua homines cùm eiusdem generis, tum peregrini habitabant,vni Romanorum ditioni accessit, duce Vardane, qui apud eos tum ob generis & honoris splendorem,tum ob peritiam rei militaris facilè primas obtinuit. Itaque Iustinus Cosrhoen his de rebus eum insimulantem hac ratione repulit: Præfinitum paci tempus effluxisse: nec fas esse, vt Christiani Christianos in tempore belli ad se confugientes desertos esse patiantur. Atque Iustinus tametsi hoc responsum dedit Cosrhoi, tamen ad bellum gerendum neutiquam se parat, sed consuetis deliciis tenetur irretitus, omniaque suæ voluptati postponit.] hæc ipse. At de his hæc modò satis. C D

[a] *Euagr. lib. 5. cap. 7.*

ARMENII A PERSIS AFFLICTI.

IESV CHRISTI BENEDICTI PAP. IVSTINI IVN. IMP.

ANNVS 573. ANNVS 1. ANNVS 8.

BENEDICTVS PAPA.

ANno Redemptoris quingentesimo septuagesimotertio, Indictionis sextæ,vbi Romanæ Ecclesiæ sedes bellicis tumultibus exagitata vacasset menses decem & dies tres, creatus est Benedictus cognomento Bonosus decimasexta mensis Maij: Græci verò hunc à cognomento non Benedictum,sed Bonosum appellant,vt Euagrius[b]. De eo autem ista Anastasius: Benedictus natione Romanus ex patre Bonifacio sedit annos quatuor, menses duos,dies quindecim. Eiusdem tempore gens Longobardorum inuasit totam Italiam,simulque & fames nimia, vt etiam multitudo castrorum se traderet Longobardis, vt temperare posset inopiam famis. Quod dum cognouisset Iustinus piissimus Imperator, quia Roma periclitaretur fame & mortalitate, misit in Ægyptum,& onerauit naues frumento, & transmisit Romam: & sic misertus est Deus Italiæ.] hæc Anastasius. E

[b] *Euagr lib. 5. c. 16.*

CLEPHIS REX OCCISVS.

Quod autem ad Longobardos pertinet: hoc anno, qui fuerat in locum Alboini subrogatus Clephis,vbi regnasset annum vnum & menses quinque, à seruo occisus est, interregnumq;

A gnumque fuit (vt Paulus[a] diaconus ait) annis decem, cùm interim trigintasex militum Duces partiti sunt sibi quas cepissent in Italia ciuitates. Quibus diebus (inquit Paulus) multi nobilium Romanorum ob cupiditatem Ducum interfecti sunt: reliqui verò per partes diuisi tertiam partem frugum Longobardis persoluerunt, & tributarij efficiuntur. Porrò his Longobardorum Ducibus, septimo anno ab aduentu Alboini & totius gentis, expoliatis ecclesiis, sacerdotibus interfectis, ciuitatibus subrutis, populisque qui more segetum excreuerant, extinctis in iis regionibus quas Alboinus ceperat, Italia maxima ex parte capta à Longobardis subiugata est.] hæc Paulus.

[a] *Paulus diac. lib. 2. cap. 17.*

DE LONGOBARDORVM RELIGIONE.

De persecutione Longobardorum acturi, primùm omnium ipsorum exploremus religionem, cuius numinis cultores ijdem fuerint Longobardi. Eos quidem Christianos fuisse, Procopius[b] haud obscurè testatur: verùm etsi non omnes, quamplurimos tamen adhuc
B Gentiles & idolorum cultores perseueraſſe, multa quæ de ipsis à S. Gregorio[c] Papa in Dialogis conscribuntur ostendunt: vnde hac ex parte sæuior illis inerat aduersus Christianos immanitas, & maior in loca sancta despectus: vt planè quæ antehac à barbaris passa Italia esset, tolerabilia videri potuissent. Ceterùm & eos qui inter ipsos erant Christiani, fuisse secta Arianos, Gregorius testatur, dum in Dialogis[d] agit de Longobardorũ Episcopo quodam Ariano. In his autem aliquos ex Principibus conuersos fuisse postea ad Catholicam fidem, quæ dicentur, ostendent.

[b] *Procop. de bello Goth. lib. 2.*

[c] *Gregor. in Euang. hom. 1. & dialog. li. 3. c. 26. 28.*

[d] *Gregor. dialog. li. 3. c. 29.*

DE PERSECVTIONE LONGOBARDORVM.

Quod verò ad persecutionem ab eis illatam spectat: numerat idem S. Gregorius Longobardorum grassationem inter alias sæuas Ecclesiæ persecutiones, dũ ait: Sunt etiam portæ inferi quædam potestates huius mũdi. Quid enim Nero, quid Diocletianus, quid denique iste qui hoc tempore Ecclesiam persequitur, *nempe Longobardorum populus*, numquid non
C omnes istæ portæ inferi? &c.] Sed eiusmodi portæ inferi non prævaluerunt aduersus Romanam Ecclesiam, neque ipsam quidem Vrbem, qua potiri minimè datum est Longobardis, veluti magno miraculo, vt Gregorius testatur his verbis in epistola ad Rusticianam Patriciam, vbi ait[e]: Si verò gladios Italiæ & bella formidatis: solicitè debetis aspicere, quanta beati Petri Apostolorum Principis in hac Vrbe protectio est, in qua sine magnitudine populi, sine adiutoriis militum, tot annos inter gladios illæsi, Deo auctore, seruamur.] hæc Gregorius tempore sui Pontificatus.

[e] *Greg. lib. 7. epist. 23.*

Ceterùm vt ingruentes eiusmodi possent abigere bestias, muneribus interdum Romani Pontifices eos auertebant ab Vrbe nam ad Constantinam Augustam hæc scribit[f]: Viginti autem iam & septem annos ducimus, quòd in hac vrbe inter Longobardorũ gladios viuimus: quibus quàm multa hac ab Ecclesia quotidianis diebus erogantur, vt inter eos vi-
D uere possimus, suggerenda non sunt. Verùm in Vrbem licet non sint ingressi, in suburbia tamen omnia quæ potuerunt damna intulerunt, demoliti etiam ædificia quæ constructa erant in sanctorum martyrum cœmeteriis, quibus Vrbs abundabat. testatur id quidem Paulus Romanus Pontifex in suo Constituto de erectione ecclesiæ sanctorum Stephani & Siluestri Romanorum Põtificum: cuius hæc sunt verba, vbi de cœmeteriis loquitur: Igitur cùm per euoluta annorum spatia diuersa sanctorum Christi martyrum atque confessorum eius foras muros huius Romanæ vrbis sita cœmeteria neglecta antiquitus satis manerent diruta: contigit postmodum ab impia Longobardorum gentium impugnatione funditus esse demolita. Qui etiam & aliquanta ipsorum effodientes martyrum sepulchra, & impiè deuastantes, quorumdam Sanctorum secum depopulata auferentes deportauerunt corpora. Et ex eo tempore omnino desidiosè atque negligenter eis debitus veneratio-
E nis exhibebatur honor. Nam (& quod dictu nefas est) etiam & diuersa animalia in aliquantis eisdem Sanctorum cœmeteriis aditum habebant, & illic eorum existebant septa bouilia, in quibus fœtoris egerebant squallorem, &c.] ex quibus accidit, vt ad auertenda animalia in cœmeteriis stabulantia, eorum complurium fuerint aditus omnino clausi: ex quo & illud grauius accidit damnum, vt & ipsorum memoria omnino perierit: contigit verò sæpe diebus nostris, à vinitoribus, vel à fossoribus arenam fossilem eruderantibus aliquod detegi cœmeterium. Hæc autem vt quærantur, & quæsita religioso cultu custodiantur, scimus esse curæ Sanctissimo D. N. Clementi Octauo Pontifici Maximo: quod vt impleat, Deus concedat. Sed ad cladem per Longobardos illatam redeamus.

[f] *Greg. lib. 4. epist. 34.*

ROMA QVAE PASSA A LONGOBARDIS.

COEMETERIA A LONGOBARDIS DIRVTA.

Quoniam verò non sicut res Gothicas Procopius, ita Paulus per singulos annos grassationes Longobardorum prosecutus est, sed quamplurima prætermisisse constat, vtpote qui neque sicut ille sui temporis, & quæ aspexit oculis, sed post ducentos & amplius annos

LONGOBARDORVM RES HAVD EXACTE CONSCRIPTAE.

suam de Longobardis historiam scripsit, tempore videlicet Caroli Magni Imperatoris, neque antiquorum aliquis inueniatur qui in eo argumẽto versatus sit: operæpretium existimauimus, quæ diuersis in locis sanctus Gregorius Papa de eorumdem Longobardorum persecutione suis scriptis mandauit, hic tibi in vnum colligere; cius fides cùm ob dignitatem & sanctitatem personæ omnibus probata videri possit, eo certior atque exploratior simulque fidelior haberi debet, quòd sui temporis res gestas fuisse stylo prosecutus appareat, & cuncta ferme certa testificatione cõsignata reliquit: vt ex his quæ lector vera sinceraq; compererit, reliqua possit mente concipere, quæ remanserunt absque scriptionis alicuius lucerna tenebris obscurata. A

SVB DVCIBVS LONGOBARDI TRVCVLENTIORES.

Age igitur, quæ certo tempore in reliquis Italiæ partibus sub Benedicto Papa in eadem Longobardorum incursione sunt facta, quæ & à S. Gregorio sunt scripta, hic colligentes sub anno præsenti recensеamus, quo videlicet deficiente Rege, Duces esse cœperunt: cum eo licentiùs ipsos sæuiisse constat, quo ex crudelitate quisque potentior videri vellet, cùm neminem haberet, qui patratorum scelerum vltor Iudex existeret. Etenim hoc ipso eorundem Ducem primo progressu, hisque diebus quibus Benedictus Pontifex vixit, teste Paulo diacono, eorumdem furor rabiesque barbarica vehementiori incendio exarsit. B

DE FVGA CHRISTIANORVM, ET DE S. CERBONIO EPISC. POPVLONII.

Dispersis creatis Ducibus per diuersas Italiæ regiones, cùm eorum crudelitatis fama percurreret, frequentes erant Fidelium latebræ atque fugæ; suaque ipsorum bona eisdem relinquentes in prædam, saluti singuli consulere sollicitè festinabant, fiebantque desertæ ciuitates, ipsa verò loca deserta ciuibus replebantur: magis autem insulæ maris appetebantur ab iis, quibus nauigij alicuius poterat esse facultas. Inter alios autem vnà cum suis clericis magnus ille confessor Cerbonius Episcopus Populonij, qui Gothorum tempore sese ipsis obiecit intrepidè, modò exundante vehementiori Longobardorum sæuitia, in Iluam insulam Tyrrheni maris se contulit, vbi & Deo iuuante, vitæ præsentis finem accepit: sic enim meliùs abscondit eum Dominus in abscondito faciei suæ à pusillanimitate spiritus & tempestate. Moritur igitur iisdem primordiis Ducum Longobardorum incursionis sanctissimus hic Episcopus, de cuius obitu & sepultura idem sanctus Gregorius scribit his verbis [a]: C

[a] *Greg. dial. lib. 3. cap. 11.*

S. CERBONII OBITVS ET FVNVS.

Cùm Longobardorum gens in Italiam veniens cuncta vastasset, ad Helbam * insulam idem sanctus Cerbonius receſſit. Qui ingruente ægritudine, ad mortem veniens, clericis suis sibique obsequentibus præcepit, dicens: In sepulchro meo, quod mihi præparaui Populonij, me ponite. Cui illi cùm dicerent: Corpus tuum illuc qualiter deferre possumus; quia à Longobardis teneri loca eadem, & vbique illic eos discurrere scimus? Ille respondit: Reducite me securi: nolite timere, sed festinè sepelire me curate: moxque vt sepultum fuerit corpus meum, ex eodem loco sub omni festinatione recedite. Defuncti igitur corpus imposuerunt naui. Cumque Populonium tenderent, collectis in aëre nubibus, immensa nimis pluuia erupit. Sed vt pateſceret omnibus cuius viri corpus nauis illa portaret, per illud maris spatium, quod ab Helba insula vsque Populonium duodecim millibus distat, circa vtraque nauis latera procellosa valde pluuia descendit, & in nauem eamdem vna pluuiæ gutta non cecidit. Peruenerunt itaque ad locum clerici, & sepulturæ tradiderunt corpus sacerdotis sui. cuius præcepta seruantes, in nauem sub festinatione reuersi sunt: quam mox vt intrare potuerunt, in eumdem locum, vbi vir Domini sepultus fuerat, Longobardorum Dux crudelissimus Gummar aduenit: ex cuius aduentu, virum Dei habuisse spiritum prophetiæ claruit: quia ministros suos à sepulturæ suæ loco sub festinatione discedere præcepit.] hæc de S. Cerbonio & Longobardorum Duce Gregorius. D

* Iluam

Erat Gummar vnus ex dictis triginta sex Ducibus, quos inter se hoc anno partitos esse regnum Longobardorum diximus. De Populonij autem Ecclesia destituta pastore agit idem Gregorius cùm esset Pontifex. Ita planè qui à Longobardis, iubente Deo, cùm suis timens visus est in insulam confugisse, mortuus de iisdem apparuit triumphasse, dum cælitus missis aquis illi reiecti sunt; cum quot pluuiæ guttis, tot veluti characteribus fuit eius sanctitas prædicata: vt non lugubre funus illud Deus esse voluerit, sed paratum illi è cælo triumphum, quo pariter quam accepisset eius anima à Deo in cælo coronam, omnibus perspicuè innoteſceret. Sic igitur quem confessorem sub Gothis nouit Ecclesia, & sub Longobardis post obitum tanto miraculo diuinitus illustratum accepit, eumdem inter Sanctos eadem die, qua ex hac vita migrauit, allegit, atque legit ex more in ecclesia anniuersaria [b] obitus die ipsius populo Christiano confessionem. E

S. CERBONII TRIVMPHVS.

[b] *Mart. Rom. die 10. Octob.*

Ceterùm

A Ceterùm sicut & fugientes Dominus non deseruit, & defunctis honorificam parari voluit sepulturam, ita & iis qui remanserunt præsto fuit, & manus conserentibus astitit, vt vnus fugaret mille, & duo decem millia, non armis, sed fide, qua Sancti vicerunt regna, fortes facti sunt in bello, & castra verterunt exterorum. Nam accipe primùm quæ in prouincia Samnij acciderunt eisdem temporibus, idem S. Gregorius his verbis enarrat [a]: Nuper in prouincia Samnij quidam venerabilis vir, Menas nomine, solitariam vitam ducebat: qui nostrorum multis cognitus, ante hoc ferè est decennium defunctus. De cuius operis narratione vnum auctorem non refero, quia penè tot mihi in eius vita testes sunt, quot Samnij prouinciam nouerunt. Hic itaque nihil ad vsum suum aliud, nisi pauca apium vascula possidebat. Huic cùm Longobardus quidam in iisdem partibus rapinam voluisset ingerere, priùs ab eo viro verbo correptus est, & mox per malignum spiritum ante eius vestigia vexatus. Qua ex re factum est, vt sicut apud omnes incolas, ita etiam apud eamdem barbaram gentem eius celebre nomen haberetur, nullusque vltra præsumeret eius cellulam nisi humilis intrare. hactenus de Mena Gregorius.

[a] *Gregor. dialog. li. 3. c. 26.* DE MENA SOLITARIO.

B

Sed coronis coronas iungens, huiuscemodi addit glorioſum ex religione triumphum, cùm videlicet non aduersus Longobardos tantùm pugnatum est, sed & contra Arianam perfidiam, qua armatus ipsorum Episcopus in castra Dei tentauit violentus irrumpere: ait enim [b]: Vnum narro, quod per Bonifacium monasterij mei monachum, qui vsque ante quadriennium cum Longobardis fuit, adhuc ante triduum agnoui. Cum ad Spoletanam vrbem Longobardorum Episcopus, scilicet Arianus, veniisset, & locum illic, vbi solemnia sua ageret non haberet, cœpit ab eius ciuitatis Episcopo ecclesiam petere, quam suo errori dedicaret. Quod dum valde Episcopus negaret, idem qui venerat Arianus, beati

[b] *Greg. dialog li. 3. c. 29.*

C Pauli Apostoli ecclesiam illic cominus sitam se die altero violenter intraturum esse professus est. Quod eiusdem ecclesiæ custos audiens, festinus cucurrit: ecclesiam clausit, seris muniuit: facto autem vespere, lampades omnes extinxit, seque in interioribus abscondit. In ipso autem subsequentis lucis crepusculo Arianus Episcopus collecta multitudine aduenit, clausas ecclesiæ ianuas effringere paratus. Sed repentè cunctæ simul portæ diuinitus concussæ, abiectis longiùs seris, apertæ sunt, atque cum magno sonitu omnia ecclesiæ claustra patuerunt. Effuso desuper lumine, omnes quæ extinctæ sunt lampades, accensæ sunt. Arianus verò Episcopus, qui vim facturus aduenerat, subita cæcitate percussus est, atque alienis manibus ad suum habitaculum reductus. Quod dum Longobardi in eadem regione positi omnes agnoscerent, nequaquam vlteriùs præsumpserunt Catholica loca, *ibidem scilicet posita*, temerare. Miro enim modo res gesta est, vt quia eiusdem Ariani causa lam-

ARIANVS EPISCOPVS DAT POENAS IMPIETATIS.

D pades in ecclesia beati Pauli fuerant extinctæ, vno eodemque tempore & ipse lumen perderet, & in ecclesia lumen rediret.] hæc Gregorius. Sed quòd arma fidelium non sint carnalia, sed Deo potentia, & non ira sed charitate aduersus hostes consueuerint dimicare: his adiungam quæ de Christi milite Sanctulo Nursinæ Ecclesiæ presbytero idem auctor tunc accidisse scribit his verbis [c]:

[c] *Gregor. dialog. l. 3. c. 37.* MIRA DE SANCTVLO.

Hic (inquit) quodam tempore, cùm in prælo Longobardi oliuam premerent, vt oleum liquari debuisset: sicut iucundus erat & vultu & animo, vtrem vacuum ad prælum detulit, laborantesque Longobardos læto vultu salutauit, vtrem protulit, & iubendo potiùs, quàm petendo, eum impleri sibi dixit. Sed Gentiles viri, quia tota iam die fruſtra laborauerant, atque ab oliuis exigere oleum torquendo non poterant, verba illius molestè susceperunt, eumque iniuriis infectati sunt. Quibus vir Dei lætiori adhuc vultu respondit, di-

E cens: Si premetis, vt istum vtrem Sanctulo impleatis, sic oleum vobis reuertetur. Cumque illi ex oliuis oleum defluere non cernerent, & virum Dei ad implendum vtrem sibi insistere viderent, vehementer accensi maioribus hunc verborum contumeliis detestari cœperunt. Vir autem Dei videns quòd ex prælo oleum nullo modo exiret, aquam sibi dari petiit, quam cunctis videntibus benedixit, atque in prælum suis manibus iactauit: ex qua protinus benedictione tanta vbertas olei erupit, vt Longobardi, qui diu incassum laborauerant, non solùm sua vascula omnia, sed vtrem quoque, quem vir Dei detulerat, implentes, gratias agerent, quia is qui oleum petere venerat, benedicendo dederat quod postulabat.]

ECCLESIAM INCENSAM SANCTVLVS INSTAVRAT.

Sed de eo subdit maiora idem S. Gregorius, referens insigne miraculum ab ipso Sanctulo eodem tempore editum, cum ecclesiam S. Laurentij à Longobardis incensam restituere conaretur. ait enim: Alio quoque tempore vehemens vbique fames incubuerat (*illa videlicet*,

delicet, de qua ex Anastasio hoc anno mentionem fecimus) & beati Laurentij martyris ecclesia A
fuerat à Longobardis incensa, quam vir Dei restaurare cupiens, artifices multos ac plures
subministrantes operarios adhibuit; quibus necesse erat vt quotidianos sumptus laborantibus
sine dilatione præberet. Sed exigente eiusdem famis necessitate, panis defuit: cœperuntque
laborantes instanter victum quærere, quia vires ad laborem per inopiam non haberent. Quod
vir Dei audiens, eos verbis consolabatur, foris promittẽdo quod deerat: sed ipse grauiter
anxiabatur intus, exhibere cibum non valens, quem promittebat.

PANIS OPERARIIS SVPPEDITATVR INDEFICIENS.

Cùm verò huc illucq; anxius pergeret, deuenit ad clibanum, in quo vicinæ mulieres pridie panes coxerant: ibiq; incuruatus aspexit, si fortè panis à coquentibus remansisset. Tunc repentè panem miræ magnitudinis atque insoliti candoris inuenit: quem quidem tulit, sed deferre artificibus noluit, ne fortasse alienus esset, & culpam velut ex pietate perpetraret. Per vicinas itaque hunc mulieres detulit, eumque omnibus ostendit; ac ne cui earum B
remansisset, inquisiuit. Omnes autem quæ pridie panem coxerant, suum hunc esse negauerunt, atque panes suos numero integros retulisse, professæ sunt. Tunc lætus vir Domini perrexit ad multos artifices cum vno pane: & vt omnipotenti Deo gratias agerent, admonuit; & quia eis annonam præbuerat, indicauit. Eisque ad refectionem protinus inuitatis, inuentum panem apposuit. Quibus sufficienter pleneque satiatis, plura ex eo quàm ipse panis erat, fragmenta collegit: quæ die quoque altero eis ad refectionem intulit. sed id quod ex fragmentis supererat, ipsa quoque quæ apposita fuerant fragmenta superabat. Factumque, vt per dies decem omnes illi artifices & operarij ex illo pane satiati, hunc & quotidie ederent, & ex eo quotidie quod edi posset in crastinum supereresset, & sic fragmenta panis illius per esum crescerent, & cibum comedentium ora repararent.] hucusque de his Gregorius: sed nondum de Sanctulo, eiusque cum Longobardis inito certamine finis. C
Audi enim quæ iis idem sanctus Gregorius de eodem mox adnectit, cùm plenè de Longobardis aduersantibus victoriam tulit, spoliaque reuexit, & perspicuò in Ecclesia permansura trophæa Christi gloriam prædicantia statuit. ait ergo Gregorius [a]:

[a] *Greg. dialog. li. 3. c. 37*

DIACONVS LIBERATVR.

Die quadam captus à Longobardis quidam diaconus tenebatur ligatus; eumq; ipsi qui tenuerant, interficere cogitabant. Adueserascente autem die, vir Dei Sanctulus ab iisdem Longobardis petiit, vt relaxari, eique vitam concedi debuisset: quod posse se facere, omnino negauerunt. Cumque mortem illius deliberasse eos cerneret, petiit vt sibi ad custodiam dari debuisset. Cui protinus responderunt: Tibi quidem eum ad custodiendum damus, sed ea conditione interposita, vt si iste fugerit, pro eo ipse moriaris. Quod vir Domini libenter accipiens, prædictum diaconum in suam suscepit fidem: quem nocte media, cùm Longobardos omnes somno graui depressos aspiceret, excitauit, & ait: Surge, & concitus fuge: D
liberet te omnipotens Deus. Sed idem diaconus promissionis eius non immemor, respondit, dicens: Fugere, pater, non possum: quia si fugero, pro me sine dubio ipse morieris. Quem vir Domini Sanctulus ad fugiendum compulit, dicens: Surge, & vade: te omnipotens Deus eripiat: nam ego in manu eius sum: tantum in me possunt facere, quantum ipse permiserit. Fugit itaque diaconus; & quasi deceptus in medio fideiussor remansit.

Facto igitur manè, Longobardi, qui diaconum ad custodiendum dederant, venerunt: quem dederant, petierunt: sed hunc venerandus presbyter fugisse respondit. Tunc illi inquiunt: Scis ipse meliùs quid conuenit. Seruus autem Domini constanter ait: Scio. Cui dixerunt: Bonus homo es: nolumus te per varios cruciatus mori: elige tibi mortem quam vis. Quibus vir Domini respondit, dicens: In manu Dei sum: ea morte me occidite, qua occidi permiserit. Tunc omnibus qui illic aderant Longobardis placuit, vt eum capite E
truncare debuissent, quatenus sine graui cruciatu vitam eius compendiosa morte terminarent. Cognito itaque, quòd Sanctulus, qui inter eos pro sanctitatis reuerentia magni honoris habebatur, occidendus esset: omnes qui in eodem loco inuenti sunt Longobardi conuenerunt, sicut sunt nimiæ crudelitatis, læti ad spectaculum mortis. Circumsteterunt itaque acies. Vir autem Domini deductus in medium est, atque ex omnibus viris fortibus electus est vnus, de quo dubium non esset quin vno ictu caput eius abscinderet. Venerandus igitur vir inter armatos deductus, ad sua arma statim cucurrit: nam petiit vt sibi paululum orandi licentia daretur. Cui dum concessum fuisset, in terram se strauit & orauit. Qui dum paulo diutiùs oraret, hunc electus interfector calce pulsauit, vt surgeret, dicens: Surge, & flexo genu extende ceruicem. Surrexit autem vir Domini, genu flexit, ceruicem extendit; sed tenso collo eductam contra se spatham intuens, hoc vnum publicè

SANCTVLVS IN DISCRIMEN ADDVCTVS LIBERATVR.

dixisse

A dixisse fertur: Sancte Ioannes, suscipe illam. Tunc electus carnifex euaginatum gladium tenens, nisu forti in altum brachium percussurus eleuauit, sed deponere nullo modo potuit: nam repentè diriguit, & erecto in cælum gladio, brachium inflexibile remansit.

Tunc omnis Longobardorum turba, quæ ad illud spectaculum aderat, in laudis fauorem conuersa, mirari cœpit, virumque Dei cum timore venerari: quia profectò claruerat, cuius sanctitatis esset, qui carnificis brachium in aëre ligasset. Itaque postulatus vt surgeret, surrexit: postulatus vt brachium sui carnificis sanaret, negauit, dicens: Ego pro eo nullo modo orabo, nisi mihi ante iuramentum dederit, quia cum ista manu Christianum hominem non occidat. Sed Longobardus idem, qui (vt ita dicam) brachium contra Deum tendendo perdiderat, pœna sua exigente, compulsus est iurare, se Christianum hominem numquam occidere. Tunc vir Dei præcepit, dicens: Depone manum deorsum. Qui
B statim deposuit. Atque illico adiunxit: Remitte gladium in vaginam. & statim remisit.

LONGOBARDI SANCTVLVM VENERATI.

Omnes ergo tantæ virtutis hominem cognoscentes, boues & iumenta, quæ deprædati fuerant, certatim ei offerre in munere volebant: sed vir Domini tale munus suscipere recusauit, munus autem bonæ mercedis requisiuit, dicens: Si mihi aliquid vultis concedere: omnes captiuos, quos habetis, mihi tribuite, vt habeam vnde pro vobis debeam orare. Factumque est, vt omnes captiui cum eo dimissi sint; atque superna gratia disponente, cùm se vnus pro vno morti obtulit, multos à morte liberauit.] hucusque Gregorius de Sanctuli inito cum Longobardis certamine, in quo charitati iuncta fides extinxit odium, atque perfidiam superauit. Siquando verò eos permisit Deus in Dei seruos sic sæuire, vt eosdem absque obice neci traderent; & in hoc declarata est diuina potentia, cùm iidem occisi licet, tamen vt victores triumphale carmen concinere auditi sunt. Nam accipe quæ
C insuper in prouincia Valeria accidisse in hunc modum idem auctor enarrat[a]:

SANCTVLVS CAPTIVOS LIBERAT.

[a] *Gregor. dialog. l. 4. c. 21.*

Vitæ namque venerabilis Valentius, qui pòst in hac Romana vrbe mihi (sicut nosti) meoque monasterio præfuit, priùs in Valeriæ prouincia suum monasterium rexit. In quo dum Longobardi sæuientes venissent (sicut eius narratione didici) duos eius monachos in ramis vnius arboris suspenderunt; qui suspensi eodem die defuncti sunt. Facto autem vespere, vtrorumque eorum spiritus claris illic apertisque vocibus psallere cœperunt: ita vt ipsi quoque, qui eos occiderant, nimium mirati tenerentur. quas videlicet voces captiui quoque omnes, qui illic aderant, audierunt, atque eorum psalmodiæ postmodum testes extiterunt. Sed has voces spirituum omnipotens Deus idcirco pertingere voluit ad aures corporis, vt viuentes quique in carne discerent, quia si Deo seruire studeant, post carnis mortem vberiùs viuant.] hæc ipse: sed & aliis quoque signis Deus reddidit manifestum in
D cælo viuere, quos tunc barbaricus gladius in terra necasset. nam audi eumdem Gregorium ista narrantem:[b]:

MONACHI SVSPENSI PSALLVNT.

[b] *Ibid. c. 22.*

Quibusdam religiosis quoque viris attestantibus, adhuc in monasterio positus agnoui, quòd hoc Longobardorum tempore iuxta in hac prouincia, quæ Sura nominatur, quidam monasterij pater venerabilis Soranus nomine fuerit, qui captiuis aduenientibus, atque à Longobardorum deprædatione fugientibus, cuncta quæ in monasterio videbatur habere, largitus est. Cumque in eleemosynis vestimenta sua ac fratrum omnia & cellarium cõsumpsisset, quicquid habere in horto potuit, expendit. Expensis verò rebus omnibus, Longobardi ad eum subitò venerunt, eumque tenuerunt, & aurum ab eo petere cœperunt. Quibus cùm ille diceret, se omnino nihil habere; in vicino monte ab eis ductus est, in qua silua immensæ magnitudinis stabat. Ibi captiuus quidam fugiens, in caua arbore latebat: vbi
E vnus ex Longobardis, educto gladio, prædictum venerabilem occidit virum: cuius corpore in terram cadente, mons protinus & silua concussa est, ac si se ferre non posse pondus sanctitatis eius diceret terra quæ tremuisset.] Sic igitur sanctum virum martyrio coronatum, anniuersaria recurrente die, quolibet anno Ecclesia celebrare consueuit. Sed attende quid de alio itidem martyrio vita perfuncto Gregorius subdit[c]:

DE SORANI ABBATIS NECE.

[c] *Ibid. c. 23.*

Alius quoque in Marsorum prouincia vitæ valde venerabilis diaconus fuit: quem inuentum Longobardi tenuerunt, quorum vnus educto gladio caput eius amputauit. Sed cùm corpus eius in terram caderet: ipse, qui hunc capite truncauerat, immundo spiritu correptus, ad pedes eius corruit, & quòd amicum Dei occiderit, inimico Dei traditus ostendit.] hæc sanctus Gregorius. Quòd igitur alios ereptos, alios verò ab eisdem barbaris necatos audis: in vtrisque admirandam Dei prouidentiam contemplari licet, cùm vt alij coronam consequerentur, & vt alij in aliorum leuamen solatiumque remanerent, effecit

VLTIO SVBSECVTA EST DIACONI OCCISOREM.

fecit; ne si magistri omnino deficerent, exoleſceret diſciplina. Quomodo autem reliqui A
sanctiſſimi monachi mirifici illius Equitij alumni à Deo illæſi à furore barbarico conſeruati ſint, eumdem audi Gregorium, cùm ita ſcribit[a]:

[a] *Greg. dialog lib 1. c. 4.*

S. EQVITIVS SVOS LIBERAT.

Eamdem Valeriæ prouinciam Longobardis intrantibus, ex monaſterio reuerendiſſimi viri Equitij in prædicto oratorio ad ſepulchrum eius monachi confugerunt. Cumque Longobardi ſæuientes oratorium intraſſent, cœperunt eoſdem monachos foras trahere, vt eos aut per tormenta diſcuterent, aut gladiis necarent. Quorum vnus ingemuit, atque acri dolore commotus clamauit: Heu, heu, heu, sancte Equiti, placet tibi quòd trahimur, & nos non defendis? Ad cuius vocem protinus ſæuientes Longobardos immundus ſpiritus inuaſit: qui corruentes in terram tamdiu vexati ſunt, quouſque cuncti qui foras erant Longobardi cognoſcerent, quatenus locum ſacrum temerare vlteriùs non auderent. Sicque vir ſanctus dum diſcipulos defendit, etiam multis poſtea remedium illuc fugientibus præſti- B
tit.] Idemque de Caſſinati monaſterio S. Benedicti iſta inferiùs[b] tradit, in primis referens quæ ab ipſo ſancto viro antè cognita atque prænunciata fuiſſent:

[b] *Gregor. dialog. l. 2. c. 17.*

Vir quidam nobilis Theoprobus nomine eiuſdem Benedicti Patris fuerat admonitione conuerſus, qui pro vitæ ſuæ merito magnam apud eum familiaritatis fiduciam habebat. Hic cùm quadam die eius cellam fuiſſet ingreſſus, hunc amariſſimè flẽtem reperit. Cumq; diu ſubſiſteret, eiuſque non finiri lacrymas videret (nec tamen vir Dei conſueuerat orando plangere, ſed merendo) quænam cauſa tanti luctus exiſteret, inquiſiuit. Cui vir Dei illico reſpondit: Omne hoc monaſterium quod conſtruxi, & cuncta quæ fratribus præparaui, omnipotentis Dei iudicio Gentibus tradita ſunt. Vix autem obtinere potui, vt mihi ex hoc loco animæ concederentur. Cuius vocem tunc Theoprobus audiuit, nos autem cernimus, qui deſtructum modò à Longobardorum gẽte eius monaſterium ſcimus. Nocturno enim C
tempore, quieſcentibus fratribus, nuper illuc Longobardi ingreſſi ſunt, qui diripientes omnia, ne vnum quidem hominem tenere potuerunt. Sed impleuit omnipotens Deus, quod fideli famulo Benedicto promiſerat, vt ſi res Gentibus traderet, animas cuſtodiret.] hæc Gregorius. Porrò eoſdem monachos inde pulſos Romam commigraſſe, idem alibi tradit,

[c] *Gregor dialog. lib. 2. in princ.*

Abbateſque numerat, qui ad ea vſque tempora eidem monaſterio præfuerunt[c], traditumque his fuiſſe Lateranenſe cœnobium incolendum affirmat. Hos etiam accipere conſueuiſſe alimoniam vnà cum aliis monachis ab ipſa Apoſtolica ſede, idem Gregorius in epi-

[d] *Greg. lib. 4. epiſt. 34.*

ſtola ad Conſtantinam Auguſtam[d] docet. At de Longobardorum ſub Benedicto Papa cœpta graſſatione per Duces in reliquas Italiæ partes ſatis. Plura ſunt alia, quæ certis annis, quibus geſta eſſe reperiuntur, opportuniùs inſeremus.

Quòd verò ad res hoc anno in Galliis geſtas pertinet, auctor eſt Sigebertus hoc anno al- D
tercatum eſſe inter Hiſpanos & Gallos de Paſchatis diei celebritate. ait enim: Hiſpani & Franci de Paſcha celebrando diſſentiunt, Hiſpanis duodecimo Kalendas Aprilis, Francis verò decimoquarto Kalendas Maij Paſcha celebrantibus. Sed Francos rectè celebraſſe, per hoc diuinitus claruit, quòd fontes in Hiſpania, qui in ſabbato ſancto Paſchæ ad baptizandum ſponte diuinitus repleri ſolent, non in Hiſpanorum, ſed in Francorum Paſcha repleti ſunt.] hæc ipſe, ex quibus omnis de impoſtura interdum oborta ſuſpicio abolita eſt. Si enim humana arte ea de fontibus contigiſſent, vtique eadem ad Hiſpanorum ſententiam comprobandam accommodata fuiſſent.

S. GALLI OBITVS.

Hic ipſe inſuper numeratur annus octauus à tempore inguinariæ peſtis, quo ſuum S. Gallus Aruernenſis Epiſcopus obitum deſignauit, & cladem populi ex renaſcente eodem mor-

[e] *Gregor. Turõ hiſt. Frãc. lib. 4 cap. 5.*

bo prædixit, vt ſuo loco ex Gregorio[e] Turonenſi narratum eſt. Porrò de eius felici ad E
Deum tranſitu idem auctor iſta alibi habet[f]: Cùm grauatus incommodo decubaret, ita

[f] *Greg. Turon. in Vit. SS. Patr. cap. 3.*

febris interna omnia membra eius depilauit, vt capillos & barbam ſimul amitteret. Sciens autem, reuelante Domino, poſt triduum migraturum, conuocat populum, & omnibus confracto pane, communionem ſancta ac pia voluntate largitur. Aduenientе autem die tertia, quæ erat Dominica dies, quæ ciuibus Aruernis immanem cõtulit luctum, albeſcente iam cælo, interrogat, quid in eccleſia pſallerent. Dixerunt, Benedictionem ſeſe pſallere, *nempe pſalmum Benedicite omnia opera Domini Domino.* At ille, pſalmo quinquageſimo, & Benedictione decantata, & Alleluiatico cum capitello expleto, conſummauit officium totum temporis matutini. Quo iam extremo perfunctus officio, ait: Vale dicimus vobis, fratres. Et hæc dicens, extenſis manibus, ſpiritum cælo intentus præmiſit ad Dominum: tranſiit autem ætatis ſuæ anno ſexageſimoquinto, Epiſcopatus verò ſui ſeptimo & vigeſi-

mo

A mo anno.] hucusque Gregorius de obitu S. Galli: pergit verò dicere de funere atque miraculis: sed satis ad institutum.

At non prætereundum de eodem S. Gallo Venantij Fortunati[a] epitaphium, quod in gratiam Gregorij Turonensis eius nepotis conscripsit: sic enim se habet: [a] *Fortũ. lib. 4. carm.*

Hostis inique, Adam paradiso fraude repellis:
Ecce Deus famulis præstat adire polos.
Inuide, sic tua mors homini meliora parauit:
Tu expellis terris: hîc dat & astra suis:
Testis & Anti es Gallus probat ista beatus,
Nobilis in terris, diues eundo polos.] Sed quod ad eius pertinet antiquam nobilitatem, testatur Gregorius Turonensis[b] in vita ipsius, genus ducere ab egregio [b] *Gregor. vit. SS. Patr. c. 3.*
B martyre Vetio Epagatho, cuius mentio est in epistola Ecclesiæ Lugdunensis apud Eusebium[c], fuisseque tradit natum ex Georgio Senatoriæ stirpis viro & matre Leocadia. Pergit verò idem Fortunatus eius vitam summatim referre: [c] *Euseb. lib. 5. cap. 1.*

Qui Christi auxilio fultus, nec adultus in annis
Se maiora petens, odit amore lares:
Effugit amplexus patrios, matremq; relinquit:
Qui monachum regeret quæritur Abba parens.
Illic tyro rudis generoso cœpit ab æuo
Militiæ Domini belliger arma pati.
Quintiano demum sancto erudiente magistro,
Pulchrior est auro corde probatus homo.] Fuit iste Quintianus sanctitate
C præclarus Episcopus Aruernensis, qui eum ex monacho reddidit clericum, atque imbuit sanctis moribus & Ecclesiasticis litteris; quibus optimè excultus, cùm innotuisset Theodorico Francorum Regi, ab eo accersitus atque retentus est: vbi cùm esset, apud Coloniam Agrippinam idolorum templum, quod frequentabatur à rusticis, succendisse tradit Gregorius. Pergit verò Fortunatus:

Inde Palatinam Regis translatus in aulam,
Theodorice, tuam, vixit amore pio.
Mox vbi destituens terras, petit astra magister,
Cessit discipulo cura tenenda gregis.
Pontificatus enim moderans ita rexit habenas,
Pastor vt officij, esset amore pater,
D *Mansuetus, patiens, bonus, æquus, amator, amandus,*
Non erat offensæ, sed locus hic veniæ.
Siqua superuenit, facta est iniuria verbis:
Vnde furor poterat, inde triumphus erat.] plura id genus de ipso Gregorius refert exempla, de contumeliis scilicet atque verberibus à suis presbyteris magna patientia toleratis. Sed audi reliqua:

Plebem voce fouens, quasi natos vbere nutrix
Dulcia condito cum sale mella dabat:
Hoc opus exercens præsensit dona futuri,
Se pastore nihil posse perire gregis.] hoc idcirco Christianus poeta, quòd
E ingruente inguinaria lue, à diuino oraculo accepit responsum (vt idem tradit Gregorius) ipso viuente, nullum è suis ea peste lædendum: quod & sicuti prædictum fuit, euenit. Quot autem annis eamdem Ecclesiam gubernarit, his Fortunatus, quos subdit, versibus docet:

Sic Pater Ecclesiam regit in quinquennia quinque,
Bis terdena tamen lustra superstes agens.
Hinc meliore via sanctum ad cælestia vectum
Non premit vrna rogi, sed tenet vlna Dei.] hucusque Fortunati de S. Gallo epitaphium. Claruisse autẽ corpus eius terræ mãdatum pluribus miraculis, Gregorius, tradit, qui tamen in numerãdo sedis ipsius tẽpore duobus annis à Fortunato discrepat: siquidem eum Ecclesiæ Aruernensi præfuisse Episcopum ait annos viginti septem. Remansit posteris eius memoria in vniuersa Ecclesia celebris: etenim sacris inter Sanctos ipse ascriptus tabulis, die qua obiit, Kalendis Iulij anniuersaria memoria vbique recolitur.

Sed qui dum vixit extitit suis mediator apud Deũ, tamquam Moyses[d], qui stetit in con- [d] *Psal. 106. & Exod. 32.*

fractione

fractione in conſpectu eius,vt auerteret indignationem eius, ne diſperderet eos: Vbi verò mortuus eſt,ſublato de medio tanto obice,tamquam à vinea macerie depulſa, de qua ſcriptum eſt [a]: Auferam maceriem eius,& erit in direptionem] mox lues illa inguinaria, quæ ante annos octo Italos & Gallos afflixit,Aruernos autẽ, Sancto intercedente, non læſerat, populum illum inuaſit,magnaque clade affecit,vt Gregorius ipſe teſtatur [b], cùm de diuina virtute, quam tunc fuit in famulo ſuo expertus per ſancti Iuliani martyris Aruernenſis reliquias,ita alibi narrat [c]:

[a] Iſaiæ 5.

[b] Gregor. Turò hiſt. Franc. lib.4 cap.15.

[c] Greg. Turon. ae Glo. mar.lib.2. c.45.

Inter reliqua verò inſignia ſuſcipiendorum miraculorum ponimus & iſtud, quòd inſipientes corrigat,& roboret ſapientes. Igitur Cautini Epiſcopi tempore, quo ingruentibus peccatis populi Aruerna regio ab excidio luis, quam inguinariam vocant, deuaſtabatur: ego Briuatenſem vicum expetij, ſcilicet vt qui meritis tutari nequibam, beati martyris Iuliani tutarer præſidio. In quo dum commorarer vico, vnus puer ex noſtris ab hoc morbo corripitur:reclinatoque ad lectulum capite, grauiter ægrotare cœpit. Erat autem febris aſſidua cum ſtomachi pituita, ita vt ſi quid acciperet, confeſtim eiiceret, nec erat ei cibus confortatio,ſed magis exitus putabatur.Denique mei cùm viderent eum in extrema vexari,hariolum quemdã inuocant.Ille verò venire non differens,acceſſit ad ægrotum,& artem ſuam exercere conatur,incantationes immurmurat,ſortes iactat, ligaturas collo ſuſpendit, promittit viuere quem ipſe mancipauerat morti. Hæc autem me inſcio agebantur. Quæ cùm mihi delata fuiſſent,amariſſimus reddor,& cũ graui ſuſpirio illud commemoro,quod Dominus per Eliam Prophetam Ochoziæ Regi pronunciat, dicens [d]: Quia dereliquiſti Dominum Deum Iſraël,& conſuluiſti Deum Accaron, ideo de lectulo in quo aſcendiſti non conſurges,ſed morte morieris.Nam iſte poſt aduentum harioli validiùs febre ſuccenſus,ſpiritum exhalauit.Cuius poſt obitum interpoſitis paucis diebus, puer alius ſimili laborare cœpit incommodo. Tunc ego eis inquio: Accedite ad martyris tumulum, & aliquid exinde ad ægrotum deportate, & videbitis magnalia Dei, atque cognoſcetis quid ſit inter iuſtum & iniuſtum, & inter timentem Deum & non ſeruientem illi. Accedentes autem, parumper pulueris circa ſepulchrum iacentis ſuſtulerunt. De quo vt hauſit infirmus cum aqua,protinus aſſecutus eſt medicinam, recuperatiſque viribus ac reſtincta febre cõualuit. Intelligite ergo nunc,ô omnes qui inſipientes eſtis in populo, & poſtquam ita diſcuſſeritis, ſcitote quia nihil ſunt quæ ad ſeducendum humanum genus diabolus operatur. Ideo moneo, vt ſi quis vexillo Crucis ſignatus,ſi quis baptiſmi abſolutione mundatus, ſi quis vetuſtate depoſita in nouo nunc homine viget,talia poſtponat ac negligat:quærat autem patrocinia martyrum,per quos ſanitatum miracula celebrantur:poſtulet adiutoria confeſſorum, qui meritò amici ſunt Dominici nuncupati;& quæ voluerit,obtinebit.] hucuſq; Gregorius, eamdem ſpirans in ſacrarum reliquiarum cultu pietatem, qua omnes non Galliarum tantùm,ſed totius Catholici orbis ſanctiſſimi Epiſcopi prædíti ſemper fuerunt.

[d] 4. Reg. 1.

PVLVERE SEPVLCHRI S. MARTYRIS CVRATI INFIRMI.

Quòd verò Aruernenſes populi poſt obitum ſancti Galli ea meruerunt affligi clade: ad alia ipſorum peccata,quorum Gregorius meminit,illud acceſſit, vt poſt obitum eius diuiſa ſchiſmate eccleſia illa fuerit,ſtudentibus aliis Catoni preſbytero, Archidiacono verò Cautino aliis,cùm iſte dolo agens,clàm profectus ad Regem, ab eodem dari ſibi petiit Epiſcopatum, quæ quidem omnia luctu digna idem Gregorius ſuo proſecutus eſt ſtylo [e]: verùm cognoſcitur memoria lapſus, dum ad tempora Theodibaldi Regis id refert: nam longè poſt Theodibaldi obitum ſuperſtitem fuiſſe Gallum, tum ex Actis Conciliorum quibus Gallus interfuit, tum ex iis quæ de eodem Gallo ipſe Gregorius ſcripſit,apparet.

ARVERNENSIS ECCLES SCHISMATE LABORAT.

[e] Greg. hiſt. Franc. lib.4. c.5.6.7.

IESV CHRISTI ANNVS 574. BENEDICTI PAP. ANNVS 2. IVSTINI IVN. IMP. ANNVS 9.

IAm quingenteſimus ſeptuageſimusquartus Chriſti annus adeſt ſeptimæ Indictionis, idemque nonus numeratus Iuſtini Imperatoris: qui quidem extitit Orientali Imperio funeſtiſſimus,Abaris vna ex parte, Perſis ex altera Romanum Imperium deuaſtantibus.

AVARES RVRSVM INVADVNT ROM. IMPERIVM.

Anno enim hoc nono Iuſtini (inquit Cedrenus) Abari ſiue Auares ad Danubium venerunt,ac vicerunt Romanos.]de his hæc pauca ipſe;Euagrius verò pluribus,dum agit de Tiberio,qui aſcitus poſtea fuit collega in Imperium à Iuſtino:Hunc (inquit) Iuſtinus, ingenti collecto

A collecto exercitu, ad congrediendum cum Abaris iampridem miserat. Qui quidem, militibus aspectum barbarorum haud ferentibus, parum aberat quin captus fuisset, nisi diuina prouidentia eum præter omnium opinionem seruasset, & in fines Imperij Romani reduxisset incolumem: quippe temerariis Iustini institutis obsecutus, ipse cum tota Romana Republica in periculum venit penitus pereundi, & amplum Imperij Romani decus barbaris concedendi ad occupandum.] hæc ipse. His autem hæc præterea hoc item anno addita mala à Persis, idem Euagrius affirmat his verbis: Et Artabanus Persa in Romanorum ditionem facta incursione, multos captiuos abduxit, captoque etiam Daras castro, domum rediit. Iustinus nuncio tantæ cladis accepto, animo abalienatus est, petiitque ab Hormisda, vti pacem componeret, quæ & in annum pacta est. Constitutum sub eo est, vt psalmus, Tuę cœnæ mysticæ] magna feria quinta caneretur. Illata quoque tunc est imago nulla ma-
B nu facta Camulianis pago Cappadociæ: *illuc enim Edessa, ne in Persarum manus deueniret, olim translata fuit.* Et veneranda ligna, *Crucis sanctissimæ scilicet,* ab Apamea Syriæ Secundæ Constantinopolim translata sunt.] quibus exuta ciuitas illa, quæ (vt dictum est superiùs) ab iisdem in alia Persarum incursione miraculo magno diuinitus defensa fuit, capta statim atque in fauillam redacta est.

Verùm quæ de hac Persarum incursione, ex qua in magnum discrimen Antiochia adducta est, idem Euagrius tradat, hic describamus. Ipse enim dum agit de Nisibis, quæ erat sub potestate Persarũ, obsidione, quâ Marcianus Dux Romani exercitus ad multũ temporis spatium protraxerat, ob idq; Iustinum Imp. in indignationẽ commouerat, cuius & præcipiti animo mala cuncta Imperio inferrentur, hæc ait[a]: De ea incursione, *quam scilicet pararet Cosrhoes per Adaarmanem Ducem (sic enim eum appellat, quem Cedrenus nominat Arta-*[a] *Euag. lib. 5. c. 9. 10.*
C *banum*) fit certior Gregorius Episcopus Antiochiæ: nam huic Episcopus Nisibis amicissimus fuit, magnis muneribus ab eo donatus: & propterea cũ insanam Persarũ contumeliam contra Christianos admissam, qua semper fere premebantur, ægrè admodum pateretur, & magnopere cuperet ciuitatem, cuius ipse fuit Episcopus, in ditionem Romanorum venire, omnia quæ extra fines Romanorum circiter Nisibin gerebantur, significauit opportuneq; exposuit. Quæ quidem Gregorius illico ad Iustinum retulit, eiq; quàm celerrimam declarauit Cosrhois incursionem. At verò ille in consuetarum voluptatum sordibus volutatus, PECCATIS VRGENTIBVS DATVM ROBVR HOSTIBVS CONTRA ROMANOS.
Gregorij litteris neque animum attendere, neque fidem habere voluit: illud dumtaxat ve-
D rum arbitratus, quod ipse in animum induxerat. Nam hominum intemperantium & luxu perditorum consuetudinẽ imitabatur, in quorum animis sicut ignauia insita est, ita de prospero rerum aduentu nimis magna fiducia, & si quid contra ipsorum voluntatem acciderit, ei nolunt vllo modo fidem adiungere. Itaque scribit Gregorio, resq; ad se relatas, quasi omnino veræ non sint, reijcit: quòd si veræ sint, Persas non ante suos obsidione occupaturos; sin autem antè occuparent, cum magno suo malo discessuros.] ita quidem Euagrius, deuastationem Syriæ & captiuitatem Antiochiæ tribuens Imperatoris ignauiæ: sed altius optassem ipsum ista considerasse, curante septem annos, quibus Imperium Iustinus administrauit, minimè cõtigerint, sed vbi scilicet sanctissimum Episcopum ab ea ciuitate dimouit? hæc enim si considerasset, non in ignauiam, sed ad sacrilegium Imperatoris ea cuncta mala retulisset: sicuti enim in templo columnæ, & in ædibus sunt fundamenta, ita planè se habent in ciuitatibus atque prouinciis sanctissimi sacerdotes; quos si quis è loco dimoueat, foriscque pellat, necesse sit cuncta quæ virtutum fortissimo robore sustinebant, omnino corruere ac pessumire. Cùm Anastasius Antiochiæ sederet, ipse Dominus positus erat in
E Syria vniuersa murus & antemurale; quo sublato, & Dominus pariter recessit ab eis, atque tunc luxit[b] antemurale, & murus pariter dissipatus est, cùm vniuersa Syria cessit depræda-[b] *Thren. 2.*
tioni barbarorum, cùm iam nullus penitus esset qui resisteret grassantibus vbique locorum hostibus crudelissimis. sed quomodo id acciderit, sic narrare pergit Euagrius.

Deinde mittit Acacium Imperator, hominem superbum & contumeliosum, ad Marcianum Ducem exercitus cum hoc mandato, vt si Marcianus alterum pedem in ciuitatem Constantinopolitanã antè intulisset, quàm scilicet de hostibus victoriam accepisset, hono- PERSAE VNIVERSAM DEPOPVLATI SYRIAM.
ris sui gradu eum abdicaret. Quod quidem factum est ab eo sedulò: idque non sine Reipublicæ detrimento, quò Imperatoris mãdato inseruiret. Nam profectus ad castra Romanorum, Marcianum iuxta fines Imperij versantem, insciente exercitu, spoliat dignitate. Præfecti autem Manipulares ad Centuriones, vbi peractis vigiliis didicerant Ducem suũ de honoris gradu dimotum, copias non vlteriùs ducunt, sed clàm se inde subducentes, sparsi fu-

giunt, obsidione ciuitatis Nisibis cũ omni irrisione dimissa. Adaarmanes igitur, qui Persarum & Scenitarum barbarorũ satis validum & magnũ habebat exercitum, Circesium præteriens, res Romanorum incendio, occisione, & aliis omnibus vastationis generibus populatus, nec quicquam clementiæ omnino vel cogitatione complexus est, vel factis declarauit. Capit castella & pagos multos, nemine præterea repugnante: primùm quòd copiæ Romanæ nullum Ducem habuere: deinde quòd militibus circiter Daras à Cosrhoe circumclusis, populationes agrorum & incursiones absque vllo timore fiebant. A

Inuadit porrò Cosrhoes Antiochiam per suos dumtaxat milites (ipse namque eò non venit) qui præter omnem spem inde repulsi fuere; cùm tamen nemo, vel pauci admodum in ciuitate remanerent. Cumque Episcopus inde fugisset, secumque eduxisset sacrum Ecclesiæ thesaurum, propterea quòd magna pars muri ceciderat, & populus (vt fit in his præsertim temporibus) seditione conflata nouis rebus studebat, quibus fugientibus vrbs deserta relicta: nec quisquam erat, qui vel ad machinas vllas contra hostes fabricandas, vel ad eisdem vllo modo resistendum, animum intenderet.] subiicit [a] his de Heraclea ab hostibus incensa, Apameaque capta & igne absumpta, abducto captiuo Episcopo vnà cum ciuitatis Præfecto, aliisque malis innumeris illatis regionibus illis, in quas iidem se grassantes infuderant: cùm interea ipse Cosrhoes Daram expugnauit ciuitatem munitissimam in finibus positam. B

[a] Euagr. lib. 5. c. 10.

Alia rursus clade contigit his Iustini temporibus Syriã nonnihil affligi à Samaritis hæreticis sæpe repressis, eiectis, ac sæpe receptis, sed denuo in Catholicos insurgentibus: de quibus idem Imp. Nouellam [b] constitutionem ediderat, mulctans ciuilibus pœnis eos qui in eodem permansissent errore. Quæ autem malæ bestiæ istæ tentauerint, videre est apud acta Nicæni posterioris Concilij Oecumenici, cùm à Patribus recitari iubetur epistola Simeonis Stylitæ Iunioris ad ipsum tunc Imperatorem Iustinum data, cuius titulus sic se habet [c]:

[b] Nouel. 5. Iustini inter Nouell. Iustiniani 44.

[c] Nican. Concil. 2. Act. 1.

Beati Simeonis Stylitæ, qui in admirando monte vixit, epistola ad Iustinum Iuniorem Imperatorem.

DE SAMARITIS IN SACRAS IMAGINES INSANIENTIBVS.

Quis dabit oculis meis fontem lacrymarum, vt omnibus diebus miseræ vitæ meæ satis ex corde fleam? Tanta enim, vestra serenitate & pietate regnante, tanta scelera & impietates ab impiis & execrandis Samaritanis in sanctum templum, quod deuota tua maiestas extrui iussit, designata sunt, qualia numquam sunt audita. Dico autem eos qui castra habent prope ciuitatem Porphyrionis. Hæc autem quæ sunt facta, breuiter & tenuiter cognoscat vestra serenitas in his quæ nostra humilitas per sanctissimum Episcopum Orientalem Patriarcham, qui non leuiter ex hoc angitur, ad vestram maiestatem scripsit. Nec lapides sufficientes sunt ferre, si omnem illam impietatem exclamet, quam oculis suis dictus sanctissimus Archiepiscopus vidit. Citiùs enim mortem & interitum nostra tenuitas expeteret, quàm iterum talia mihi narrari audire. Omnem enim blasphemiam excellit improbum hoc factum, quod in Deum Verbũ pro nobis incarnatum, eiusq; glorioſam matrem, & venerandam sanctamque Crucem designarunt. Hanc rem cùm cogitamus, ad diuinas vestras aures nos referimus. Nam cùm videamus pias leges vestras, eos qui imaginem aut statuam Imperatoris ignominia afficiunt, extremo & iusto mortis supplicio plectere: qua tandem pœna puniendi sunt, qui in imaginem Domini nostri eiusque matrem nefando facinore grassati sunt? Profectò non video quid mihi dicendum sit. Tantum enim scelus est commissum, vt nec vlla humanitatis mica ampliùs superesse credatur. Quamobrem obsecramus victoriosam vestram potentiã, ne vlla posthac eis misericordia ostendatur, neque ampliùs parcere illis quispiam velit, neque vllam apologiam aut excusationem illorum nomine accipere, ne posthac peiora aggrediantur.] hactenus magnus Simeon. D E

ADVERSVS ICONOCLASTAS.

Videant recẽtiores Iconoclastæ, quibus se cõiunxerint hæreticis omniũ nefandissimis: audiant à spirituali homine qui omnia rectè diiudicat, qualia sint de quibus etiã gloriantur sacrilegia, dum violentas in sacras imagines manus immittunt; & quibus sint digni supplicijs, ex verbis pariter Simeonis expendant. Quid verò de his factum sit, nusquam verbum.

DE VITA ET MIRACVLIS SIMEONIS IVNIORIS.

[d] Euag. lib. 6. cap. 22.

De ipso autem Simeone plura etiam scribit Euagrius, cui magnus cũ eo vsus amicitiæ interfuit: qui quonam pacto tã arduum vitæ institutũ arripuerit, Abbate in cuius monasterio degebat, id monente, narrat his verbis [d]: Erat autem iste Simeones propter eximiã virtutem omnium hominum suæ ætatis facilè præstantissimus; qui in columna vitam seueram coluerat adeò à teneris (vt aiunt) vnguiculis, vti dentes suos in ea mansione commutaret.

Ad vitam

A Ad vitam autem in columna degendam tali causa inductus fuit. Cùm adhuc tenella valde ætate esset,& puerorum more per montis iuga ludendo saltandoque pererraret, forte fortuna incidit in pardum:cuius collo cingulo circumiecto, eo veluti freno bestiam, quæ iam suam feram naturam exuerat,ad suum monasterium secum ducit. Quod cùm magister eius,qui ætatem agebat in columna,videret:percontatur quid sit. Respondit puer, felem esse, quem vulgò catum nominant.Hinc igitur coniecturam faciens,quantopere virtute esset in posterum præstaturus,ad vitam in columna degendam eum induxit.In qua columna simul & in altera summo in montis vertice sita sexaginta & acto annos vixit omnibus gratiæ donis repletus : quippe dæmones expulit,sanauit omnem morbum & omnem languorem,res futuras perinde ac præsentes præuidit. Qui prædixerat Gregorio, illum eius morti minimè adfuturum, atque adeò ignoraturum quid post ipsum mortuum eueniret.

B Quinetiam cùm ipse mecum cogitarem de liberorum amissione:quererem; quid causæ esset,cur Gentibus,qui liberis abundarent,idem ipsum neutiquam accideret:Simeones, quamuis hanc cogitationem nemini patefecissem,scripsit ad me, vt ab huiusmodi cogitationibus,vtpote Deo minimè probatis, desisterem. Porrò autem hoc factum cum vxore scribæ mei : quoniá lac illi postquam pepererat ita obstructum fuit,vt infans in maximum vitæ veniret periculum.Simeones vbi manum dexteram viri eius tetigerat,iussit vt ad vxoris vbera inniteret:quo facto,extemplo lac veluti ex fonte erupit, adeò vt vestem mulieris totam madefaceret.His accedit,quòd puerũ à viatoribus, quibuscum iter faceret Simeones,intempesta nocte à tergo relictum leo dorso imposuit,& ad monasterium Simeonis adduxit.Itaque ministri Simeonis iussu ingressi,puerum à Leone apportatum introduxerunt. Multa alia præterea gessit admirabilia, quæ linguam disertam & vacuum tempus & sepa-

C ratam tractationem desiderant : quæ certè crebro hominum ore sunt atque sermonibus decãtata.Nam cuiusque nationis homines, non Romani solùm, sed etiam barbari ad eum aduentarunt, rerumque postulatarum compotes facti sunt. Huic Simeoni rami quidam fruticis in monte crescentis & cibi & potionis loco fuere.] Hæc Euagrius de Simeone obiter,alia occasione ad ea de ipso scribenda perductus.Porrò hic Iunior Simeon cognomento Stylita senioris respectu dictus reperitur: diuersum enim ab illo seniore Stylita fuisse, tempora distincta, actionesque atque demum ætas cum pluribus aliis, quibus alter ab altero discriminatur,ostendunt.

Sic igitur tum Oriens tum Occidens eodem tempore,cùm plurima ingruerent vndique mala,viris sanctissimis illustrantur,tantam noctem non sine facibus Deo relinquente.Nam in Occidente hoc eodem anno S. Euphronius Episcopus Turonensis ex hac vita cùm mi-

D grasset,Gregorius eque sanctus ipsi successit.Porrò ipsum Euphronium virum quidem sanctitate conspicuum inter Sanctos cooptatum habent ecclesiasticæ tabulæ,honore imperrito anniuersariæ commemorationis. Quod verò ad tempus Euphronij obitus spectat (ne quid perfunctoriè astruere videamur) ex Gregorio eius successore optimè colliges asserti tẽporis rationẽ.Cùm enim ipse de se testetur[a], vigesimum primum habuisse in Episcopatu Turonẽsi annũ,cùm S.Gregorius Papa ageret in Pontificatu annũ quintum (ipse est annus Domini quingẽtesimus nonagesimusquintus) ab hoc numero si viginti & vnum detrahas, hoc anno ipsum reperies Euphronio successisse. Rursum verò cùm alibi[b] dicat, se ordinatum anno centesimo septuagesimo secundo à transitu S.Martini,quem anno quadringentesimo secundo ex hac vita migrasse sæpe superiùs demonstrauimus: vtique reperies hoc anno ipsum fuisse Euphronio subrogatum.Verùm dum ibidem addit id factum anno duo-

E decimo Sigeberti Regis; ne ipse sibi contrarius esse appareat, dicendum pro anno nono. Regis illius errore esse positum duodecimum,cùm alibi anno secundo Sigeberti Regis habuisse Euphronium annum septimum tradat; qua etiam ratione dicendum est ipsum sedi Turonensi præfuisse annis quatuordecim:cũ tamen habeat alibi, dũ de eius morte agit, sedisse annos decẽ & septẽ.vnde opus est,vt ex Gregorio ipsiusmet Gregorij textum emẽdes.

DE OBITV S. EVPHRONII EPISC. TVRONENSIS.

[a] *Greg. Turõ. hist. Franc. lib. 3. in fin.*

[b] *Greg. Turon. de mirac. S. Martini lib. 1. c. 31. & lib. 2. c. 1.*

Quoniam verò egregiæ sanctitatis virum ipsum appellat eius in sede successor Gregorius[c], par est vt ex iis quæ sunt reliqua de monumentis à maioribus traditis, quibus ipsius virtutes prædicantur, reddamus posteris notiorem. Extant in primis eius æqualis Venantij Fortunati duæ datæ ad eum diuersis temporibus epistolæ,quas hic tibi describere haud putauimus superuacuum:solent enim legentibus esse iucunda, quamuis etiam corrosa carie, quæ è suo penu fragmenta pauper & pannosa sed fidelis antiquitas prodit. Est autem eiusmodi prioris inscriptio:

[c] *Greg. Turõ. hist. lib. 10. cap. vlt.*

FORTVNATI EPIST. AD EVPHRONIVM.

Domino ſancto & meritis Apoſtolico domno & dulci patri Euphronio Papę Fortunatus. A Ante paucorum dierum volubilitatem tranſcurſam, deferente litterarum portitore, venerabilis oris veſtri colloquium à me cæleſti pro munere ſignifico fuiſſe perceptum: quod ea auiditate, teſte rerum creatore, complexus ſum, qua & veſtrum piiſſimum animum circa meam humilitatem iugiter approbaui profuſum, & me ſupplicē multis copioſum * beneficiis agnoſco deuotum. Qui quamuis in altera commorer ciuitate, nouit Deus, quia à vobis abſens ſum tantummodo loco, non animo, & quocumque fuero, intra me vos clauſos habeo. Verè dico: non eſt illud cor carneum, vbi veſtræ animæ non recipitur miranda dulcedo, ſed marmore durius, ſi tantæ charitatis non amplectitur blandimētum: nam quis de te tam congrua prædicet, quàm mens verè ſancta depoſcit? aut quis ſuo ſic ſatisfaciat animo, vt veſtrum ſicut decet dignè prodat affectum, qui interea ſic humilis habetur erectus in cælis, vt inclinando ad infima, te ſubleuari faciat ad excelſa: vt iam cognoſcas, qui B Chriſti humilitatem libenter amplecteris, de eius regni munere quid habebis.

* repletum

Quoniam (ſicut ipſius mandata ſunt) qui ſe paruulum inter homines vult videri, magnificū ſe elatumq; reſpiciet in ſupernis. vnuſquiſq; qualiter deſiderat, exponat. Ego verò gratulor, in corde domni Euphronij, dilectionē domni mei ſediſſe Martini. Quapropter multiplici me prece Apoſtolatui & ſanctæ charitati veſtræ cōmendās, rogo per ipſum domnum Martinum, cuius frueris participato conſortio, vt apud eum memorari præcipias me famulum & deuotū; quatenus quid apud eum meritis præuales, in meæ humilitatis protectione iugiter oſtendas. Ora pro me, domne ſancte & Apoſtolice, peculiaris domne & Pater.] ita ſe habet prior quæ reperitur epiſtola, facta collatione duorum exemplarium. Poſterior autem eſt huiuſmodi, vt expreſſas in ea videas præcipuas illas virtutes non in Epiſcopo tantum, ſed in quolibet Chriſtiano homine commendatas, charitatem videlicet cum humili- C tate atque manſuetudine:

Domno ſancto, mihiq́ue in Domino peculiari patrono Euphronio Papæ Fortunatus.

Copioſam & ſuperabundantem pectoris veſtri dulcedinem, quam circa deuotionem perſonæ meæ veſtram beatitudinem, Pater amantiſſime, fateor impēdiſſe: quis illam (vt dignum eſt) vel corde poſſit concipere, vel ſermone valeat explicare? quæ tanto me ſibi vinculo admirandæ charitatis adſtrinxit, vt ne vnius horæ ſpatio ab illo mihi videar ſeparari conſpectu, quem etſi præſentem non video, attamen intra pectoris habitaculum retineo conditum & recluſum. Quis enim tuæ charitati peculiaris non redditur, in qua tantæ bonitatis beneficia continentur? aut quem ad tuam dulcedinem non inducas inuitum, cuius probauimus animum ineffabili charitate profuſum? Qua autem illud admiratione complectat, cùm te ſic video cunctos diligere, ac ſi vnumquemque viſus ſis proprio latere gene- D raſſe? Quis verò filiorum ſuperbus eſſe deſideret, vbi te patrem & doctorem tantæ humilitatis agnoſcit? Aut quis ſummo nobilitatis deſcendens de culmine, cùm te hic reſpicit ſupplicem, non ſe tuis veſtigiis in terra prouolutum oſtendet * ? Verè dico. Si tumidum ſuperbia deiicit: multum eſt laudabilis humilitas, quæ vos erigit *. Quis denique illic poſſet eſſe iracundus aut turbidus, vbi ſacerdos & Pontifex tam placidus es * inuentus? Scit enim totus ſine rapacitate grex viuere, vbi viuendi tranquillitas diſcitur à paſtore.

* oſtendit
* erexit
* inuenitur

Quid de rebus reliquis referam, in quibus ſic impendis ſingulis, vt lauderis à cunctis? quæ tamen etſi imitari non poſſumus, vel vidiſſe quod imitari deceat, congaudemus. Quapropter dominationi & ſanctitati veſtræ peculiariter me commendans, rogo & obteſtor, ſic ille domnus meus Martinus ſua interceſſione obtineat vt cum ipſo iuxta merita veſtra in luce perpetua vos collocet diuina miſericordia, vt pro me humili filio & ſeruo veſtro ad E eius beatum ſepulchrum orare dignetur, vt pro peccatorum meorum remiſſione pius interceſſor accedat. Eos verò qui veſtri ſunt, omnes domnos & dulces * reuerenter ſaluto. Domnum meum filium veſtrum Euentium pro me multipliciter ſupplico ſalutari. Domno meo Felici Epiſcopo, ſi per vos venit, me benigno animo commendari depòſco. Ora pro me.] hactenus Fortunatus ad S. Euphronium.

* duces

Quem Felicem hic nominat Fortunatus Epiſcopum, fuiſſe Namnetēſis Eccleſiæ Præſulem ex ſequēti ad ipſum data epiſtola poſſumus intelligere, de quo pauca paulo pòſt dicturi ſumus: nunc autem eiuſdem Fortunati de laude Euphronij carmina, aliqua ex parte ſuperiùs recitata, velut epitaphium hic ad ſepulchrum eius appoſitum, integra audiamus [a]:

[a] Fortū. carm. lib. 3.

Quamuis pigra mihi iaceat ſine fomite lingua,
Nec valeam dignis reddere digna viris:

Attamen

A *Attamen, alme Pater, Christi venarande sacerdos*
Euphroni, cupio soluere parua tibi.
Debeo multa quidem, sed suscipe pauca libenter.
Sit veniale precor, quod tuus edit amor.
Ecclesiæ lampas sub te radiante coruscat,
Lumine Pontificis fulget vbique fides.
Gratia præcellens sincero in pectore vernat,
Quo nullus dolus est, Israëlita vir es.
Immaculata tibi feliciter actio currit:
Vt penetres cælos, hæc via pandit iter.
Dulcia colloquij sine fuco dicta refundis.
B *Non sic mella mihi, quàm tua verba placent.*
Quicquid habet sensus, hoc lingua serena relaxat:
Pectore sub vestro fraus loca nulla tenet.
Qui sine felle manens in simplicitate columbæ,
Nec serpens in te dira venena fouet.
Aduena si veniat, patriam tu reddis amatam,
Et per te proprias hic habet hospes opes.* hexul
Si quis iniqua gemit, tristis hinc nemo recedit,
Sed lacrymas remouens lætificare facis.
Martinus meritis hac vos in sede locauit:
Dignus eras heres, qui sua iussa colis.
C *Ille tenet cælum, largo dans omnia voto.*
Christo iunctus eris hunc imitando virum.
Non perit hic vestrum qui grex ad ouile recurrit,
Candida nec spinis vellera perdit ouis.
Non lupus ore rapit prædam, pastore vigente,
Sed fugit exclusus non lacerando greges.
Hæc tibi lux maneat longos, venerande, per annos,
Atque futura dies lucidiora ferat.] hæc de S. Euphronio Fortunatus.

Quod verò ad Felicem pertinet, de quo in dicta epistola ad S. Euphronium Fortunatus agit: meminisse debes de eiusdem genere ex Consularibus viris deducto nos egisse superiori tomo, anno videlicet Domini quingentesimo vndecimo, ibique Felicis Consulatus D occasione de huius nobili familia, ex qua oriundus erat, recitasse carmina Venantij Fortunati, qui hunc ipsum Felicem antiquæ nobilitatis Romanæ decus & ornamentum, clarum doctrina, Pontificia dignitate decorum, auctum summis cum sæculari potentia atque diuitiis animi dotibus, nempe virtutibus omnibus plurimùm celebrat, scriptis de eo epigrammatibus & elegiis[a]; ex quibus, ne ieiunus penitus abeas, vel hoc vnum accipe: DE FELICE EPISCOPO NAMNET.

Fida salus patriæ, Felix, spe, nomine, corde,
Ordo sacerdotum, quo radiante, micat.
Restituis terris quod publica iura petebant,
Temporibus nostris gaudia prisca ferens:
Vox procerum, lumen generis, defensio plebis,
Naufragium prohibes hic, vbi portus ades.
E *Auctor Apostolicus, qui iura Britannica vincens,*
Totus in aduersis spe Crucis arma fugas.
Viue decus patriæ, fidei lux, auctor honoris,
Splendor Pontificum, noster & orbis amor.]

[a] Fortũ. carm. lib. 3.

Celebrauit idem Fortunatus carmine sacra Encænia, cùm erecta in honorem sanctorum Apostolorum Petri & Pauli ab eodem Felice basilica, vocatis Episcopis, & inter alios S. Euphronio Turonẽsi, de cuius obitu ac sanctitate agimus, ab eisdem est dedicata, collocatis in ea eorumdem Principum Apostolorum sacris pignoribus ab Vrbe acceptis: in quorum laudem hæc idem egregiè Fortunatus, cuiuslibet ipsorum distinguens peculiare munus & gradum: DE BASILICAE APOSTOLORVM DEDICATIONE.

Siderei montes speciosa cacumina Sion,
A Libano gemini flore comante cedri,

Cælorum portæ, lati duo lumina mundi, A
Ore tonat Paulus, fulgurat arce Petrus.
Inter Apostolicas radianti luce coronas
Doctior hic monitu, celsior ille gradu.
Hunc per corda hominum referantur, & astra per illum:
Quos docet iste stylo, suscipit ille polo.
Pandit iter cæli hic cum dogmate, clauibus alter:
Est via cui Paulus, ianua fide Petrus.
Hic Petra firma manens, ille architectus habetur:
Surgit in his templum, quo placet ara Deo.
Vno fonte pares medicata fluenta rigantes,
Restinguunt auidam dulce liquore sitim. B
Fortia bella geret quisquis cupit astra tenere,
Rex dedit hos proceres militis esse duces.
Gallia plaude libens: mittit tibi Roma salutem,
Fulgor Apostolicus visitat Allobroges.
A facie hostili duo propugnacula præsunt:
Quos fidei turres Vrbs caput Orbis habet.] &c. Cùm autem in honorem Apostolorum omnium atque martyrum erigerẽtur à maioribus nostris vbique memoriæ, quas siue ecclesias, siue templa atque Basilicas nominamus: nomine tamen ipsorum Principum Apostolorum Petri & Pauli vbique locorum Christiani orbis frequentiora atque celebriora excitari consueuisse monumenta, præsertim in Galliis, quæ diuersis in locis à nobis sunt superiùs dicta fidem faciunt: quibus & addendum de ecclesia à Trisarico C in honorem eorumdem Apostolorum eo in loco ædificata, vbi sanctus Martinus se spolians vestiuit egentem: de qua extat etiam eiusdem Fortunati epigramma, ex quo hæc satis retulisse [a]:

Hæc est aula Petri, cælos qui claue catenat,
Substitit & pelagi, quo gradiente, lacus.
Sedibus his habitat Paulus, tuba Gentibus vna:
Et qui prædo priùs, hic modò præco manet.] &c. Iam de his satis.

Inter alias nobiles Galliarum Ecclesias illustrata est hoc sæculo sanctissimis viris Ecclesia Turonẽsis, aucta nimirum egregiæ sanctitatis Episcopis felici propagatione sibi inuicem succedentibus: præter alios enim, quos superiùs recensuimus, defuncto proximè dicto sancto Euphronio, S. Gregorium successisse in locum eius diximus: Huius quidem egregiam cum sanctitate nobilitatem generis Fortunatus [b] versibus celebrauit, quem matre natum maximè pia femina, nomine Armentaria, affirmat [c]: patruum verò habuisse sanctum Gallum Episcopum Aruernensem, ex ipsiusmet Gregorij testificatione [d] dictum est. Post obitum igitur Euphronij, vbi vacasset sedes eius (vt idem ipse ait [e]) diebus decem & nouem, Episcopus creatus est Turonensis. Cecinit eius ingressum Fortunatus his versibus [f]:

Plaudite felices populi noua vota tenentes,
Præsulis aduentu reddite vota Deo.
Hoc puer exortus celebret, hoc curua senectus,
Hoc commune bonum prædicet omnis homo.
Spes gregis ecce venit, plebis pater, vrbis amator: E
Munere pastoris lætificentur oues.
Sollicitis oculis, quem prospera vota petebant,
Venisse aspiciant, gaudia festa colant.
Iura sacerdotis merito reuerenter adeptus
Nomine Gregorius pastor in vrbe gregis.] &c.

Quid autem ei contigerit mense secundo à die ordinationis ipsius notatu dignissimum, hic descripsisse haud pœnitebit. ait ergo ipse [g]: Anno centesimo septuagesimo secundo post transitum S. Martini Antistitis, Sigeberto glorioßissimo Rege duodecimo anno regnante, post excessum sancti Euphronij Episcopi, non meo merito, cùm sim conscientia teterrimus & peccatis obuolutus, sed tribuente fideli Deo, qui vocat ea quæ non sunt tamquam ea quæ sunt, onus Episcopale indignus accepi. Mense autem secundo ordinationis meæ, cùm

*Fortũ. carm lib. 2.

DE ORDINATIONE GREGORII TVRON. EPISC.

[b] *Fortun. carm lib. 3. in princ.*
[c] *Fortũ. carm. lib. 5 in fin.*
[d] *Greg. Turõ. hist. lib. 10. cap. vlt.*
[e] *Gregor. Turon. de Glor. mart. lib. 2. cap. 23.*
[f] *Fortũ. carm. lib 3. in prin.*
[g] *Gregor. Turon de mirac. S. Martini li. 2. c. 1.*

PETRI ET PAVLI ECCLESIAE FREQVENTES.

A cùm issem in vrbem,incurri dysenteriam cùm febre valida,& taliter angi cœpi, vt imminente morte,viuere omnino desperarem.] & inferiùs, vbi ipsam descripsit infirmitatem, mox subdit:

Cumque sic ageretur mecum,vt non remãsisset spes vitæ,sed cuncta deportarem in funere, nec valeret penitus medici antidotum, quem mors mancipauerat ad perdendum: ego ipse me desperans vocaui Armentarium architarum,& dico ei: Omne ingenium artificij tui impendisti,pigmentorum omnium vim probasti,sed nihil proficit. Perituro ex sæculo vnum restat quod facias; magnam tibi thiriacam ostendam: puluerem de sacratissimi domini Martini sepulchro exhibe,& exinde inibi facito potionem:quòd si hoc non valuerit,amissa sunt omnia euadẽdi præsidia. Tunc misso diacono ad antedictum beati Præsulis tumulum,de sacrosancto puluere exhibuit; dilutumq; mihi porrigunt ad bibendum. PVLVERIS HAVSTV REVOCATVR AD VITAM GREG.

B Quo hausto, mox omni dolore sedato, sanitatem recepi de tumulo: in quo tam præsens fuit beneficium,vt cùm datum fuerit hora tertia,incolumis procederem ad conuiuium ipsa die hora sexta.] hæc ipse de puluere sacro: idemque inferiùs ex puluere eodem alios curatos tradit,sicut ex cereolis ad sepulchrum Sancti incendi solitis. Audi verò quæ de velo, lignoque cancelli sepulchri eiusdem Sancti se miracula sensisse testatur[a]:

[a] *Gregor. Turon.miracul. S. Martini li.4.c.1.&2.*

Nuperrimo autem tempore (inquit) ventris dolorem incurri:& licet non vsquequaque dabat solutionem, tamen doloris malum in illis intrancorum flexuosis recessibus bacchabatur. Adhibui, fateor, sæpiùs balnea, atque res calidas super ipsas alui torturas: ligari faciebam,sed nihil mederi poterant infirmitati. Sexta etenim dies illuxerat, quòd magis ac magis dolor inualescebat: cùm mihi venit in mentem,ante paucos annos (sicut in libro secundo huius operis continetur scriptum) me ab hoc dolore Sancti virtute fuisse sanatum. Acceßi haud temerarius ad locum sepulchri,proiectusque solo orationem fudi,atque secretius à pendentibus velis vno sub vestimento iniecto filo, crucis ab hoc signaculum depinxi. Protinus dolore sedato,sanus abscessi.] addit his hæc de se itidem:

C

Quodam verò tempore lingua mihi grauiter obriguerat,ita vt plerumq. dum loqui vellem,balbutire me faceret:quod non mihi sine improperio erat. Acceßi autem ad tumulum Sancti,ac per lignum cancelli linguam impeditam traxi. Protinus tumore composito, conualui. Intumuerat enim valde, & totum palati impleuerat antrum. Deinde post diem tertium labium mihi exilire grauiter cœpit. Acceßi iterum quærere sanitatem ad tumulum: tactusque à dependentibus velis,protinus stetit venæ pulsus.] hæc Gregorius, quæ ipse expertus testatur: Quibus quis non magnopere Dei potentiam prædicet in Sanctis suis, dum non ex anima tantum in cælo beata, & ex corpore humi sepulto, sed

D & ex puluere circa sepulchra Sanctorum consperso, exque velorum contactu, ligniſque cancelli Fideles hauriant sanitatem? At de his modò satis: iam ad res gestas anni sequentis migremus.

IESV CHRISTI BENEDICTI PAP. IVSTINI IVN. IMP.

ANNVS 575. ANNVS 3. ANNVS 10.

E QVingentesimus & septuagesimusquintus Christi voluitur annus, Indictionis octauæ: quo non Italis tantùm Longobardorum incursio (vt dictum est) sed Gallis etiam molesta fuit,aliquot Ducibus ad eos infestandos immissis: licet enim antea eos frustra tentassent, atque cum ignominia repulsi fuissent; visi iam sibi Italiæ dominatione redditi fortiores,ne à Francis victi fuisse aliquando dicerentur, certamen instaurantes, aditum sibi per Alpes Cotias parant[b], Nicæamq; deuastant & alias obuias ciuitates. Sed quomodo populi peccatis id factum sit, audiamus Gregorium Turonensem, ex quo Paulus diaconus quæ narrat accepit:nam licet stylus rudior, veritas tamen ipsa securior atque purior hauritur è fonte: Cùm enim S. Hospitij recluſi voluntariè ad pœnitentiam res præclarè gestas narrat de præuisa ab eo Longobardorum incursione in Gallias æquè narrationem instituit. Quæ quidem dum Gregorius post Regis Alboini obitum sub eius successore contigisse tradit, vtique ad hæc sunt tempora referenda: quod præmonuisse voluimus, ne quis hunc Longobardorum in Gallias aduentum cum superiori confundat. LONGOBARDI GALLIAS INVADVNT.

[b] *Paul.diac. de gest.Longobard.lib.3. c.1.*

Accidit

Accidit planè tunc quidem, quod ſicut euenire ſæpè videmus,cùm tumentes maris fluctus ventorum impulſibus ſurſum elati exitium ſinguli nauigantibus minitentur, iidem vilis obice arenæ colliſi,fracti retrò reſilire cogantur:ita cùm exæſtuantes Longobardorum furores in Francorum damna effunderentur in Gallias, homuncionis vnius (ſi tantùm ſpectes quæ foris ſunt) eiuſdemque vincti atque ergaſtulo clauſi virtute ſint victi, ſecundùm illud Sapientis[a]: Fugat vmbra iuſti impium,& fugit impius,nemine perſequente: iuſtus autem quaſi leo confidens abſque terrore erit.] Sic planè Deus eoſdem primò voluit homuncionis vnius virtute vinci, quo diſcerent ad plectenda populorum peccata accipere gentes à Domino fortitudinem, adeò vt ſi quis iuſtus inueniatur, omnibus ipſe potentior efficiatur:vt cunctis innoteſcat,ad hoſtes vincendos magis pietatem conferre, quàm arma. Sed audiamus Gregorium, qui hæc ait de S.Hoſpitio[b]:

[a] *Prou.* 28.

[b] *Greg. hiſt. lib.6.cap.6.*

5. HOSPITII DE CLADE LONGOBARDORVM PRAEDICTIO.

Quodam tempore,reuelante ſibi Spiritu ſancto, aduentum Longobardorum in Gallias hoc modo prædixit: Venient, inquit, Longobardi in Gallias, & deuaſtabunt ciuitates ſeptem,eo quòd increuerit malitia earum in conſpectu Domini: quia nullus eſt intelligens, nullus qui faciat bonum, quo ira Dei placatur:eſt enim omnis populus infidelis, periuriis deditus, furtis obnoxius,in homicidiis promptus,à quibus nullus iuſtitiæ fructus vllatenus gliſcit: non decimæ dantur,non pauper alitur,non nudus tegitur, non peregrinus hoſpitio recipitur, aut cibo ſufficienti ſatiatur. ideo hæc plaga ſuperuenit. Nunc autem dico vobis, congerite omnem ſubſtantiam veſtram intra murorum ſepta,ne à Longobardis diripiatur. Hæc eo loquente,omnes obſtupefacti, & vale dicentes, cum magna admiratione ad propria ſunt regreſſi.

Monachis quoque dixit: Abſcedite & vos à loco, auferentes vobiſcum quæ habetis: ecce enim appropinquat gens,quam prædixi.Dicentibus autem illis:Non relinquemus te, ſanctiſſime Pater.ait: Nolite timere pro me: futurum eſt enim vt inferant mihi iniurias, ſed non nocebunt vſque ad mortem. Diſcedentibus autem monachis,venit gens illa,& dum cuncta quæ reperit vaſtat,peruenit ad locum vbi Sanctus Dei clauſus erat. At ille per feneſtram turris oſtendit ſe eis.Illi verò circumeuntes turrem, aditum,per quem ingrederentur ad eum,inuenire non poterant.Tunc duo aſcendentes detexerunt tectum,& videntes eum vinctum catenis, indutumque cilicio, dicunt: Hic malefactor eſt,& homicidium fecit: ideo in his ligaminibus vinctus tenetur. Vocatoque interprete, ſciſcitantur ab eo quid mali fecerit,vt tali ſupplicio arctaretur. At ille fatetur ſe homicidam eſſe, omniſque criminis reum] vtpote quia peccatum quodlibet perpetrare minimè prætermiſiſſet, niſi Deus ſua gratia muniuiſſet.Sed pergit:

PERCVSSOR AB IECTA IMPIETATE FIT MONACHVS.

Tunc vnus extracto gladio, vt in eius caput vibraret, dextera in ipſo ictu ſuſpenſa diriguit,nec eam ad ſe potuit reuocare:tunc gladium laxans,terræ deiecit. Hæc videntes ſocij eius,clamorem in cælum dederunt, flagitantes à Sancto, vt quid agi oporteret, clementer inſinuaret.Ipſe verò impoſito ſalutis ſigno,brachium ſanitati reſtituit. Ille autem in eodem loco conuerſus, tonſurato capite, fideliſſimus monachus nunc habetur. Duo verò Duces, qui eum adierunt, incolumes patriæ redditi ſunt: qui verò contempſerunt præceptum eius,miſerabiliter in ipſa prouincia ſunt defuncti. Multi autem ex ipſis à dæmoniis correpti clamabant: Cur nos,ſancte & beatiſſime, ſic crucias & incendis? Sed impoſita eis manu,mundabat eos.] hæc de his Gregorius: quibus videas non Longobardos tantùm ab Hoſpitio Dei ſeruo victos fuiſſe, ſed & vltores dæmones ad vindictam à Deo miſſos nullo negotio expulſos. Hæc tunc tranſacta fuere cum Longobardis ſecundum Propheticum illud oraculum[c]: Erunt capientes eos qui ſe ceperant.] Pergit autem idem Gregorius alia eiuſdem Hoſpitij miracula recenſere,quibus Deus voluit innoteſcere quanta eſſet in homine ſanctitas.

[c] *Iſaiæ* 14.

Ex quibus illud vnum ſatis in medium adduxiſſe,quo perſeuerans priſtinus ille vſus declaratur,quo Fideles conſueuerunt Romam ad Apoſtolorum limina, vt ibi à diuerſis languoribus ſanarentur,ſe conferre. ait enim Gregorius[d]: Homo erat Andegauenſis incola, qui per nimiam febrem eloquium pariter auditumque perdiderat; & cùm de febre conualuiſſet,ſurdus permanebat ac mutus. Igitur diaconus ex prouincia illa Romam directus eſt, vt beatorum Apoſtolorum pignora,vel reliquorum Sanctorum, qui illam vrbem muniunt,exhiberet.Qui cùm ad parentes infirmi illius peruenisſet:rogant eum, vt eũ ſibi comitem itineris ſumere dignaretur,confiſi,quòd ſi beatiſſimorũ Apoſtolorum adiret ſepulchra,protinus poſſet aſſequi medicinam. Euntibus autem illis, venerunt ad locum vbi beatus

[d] *Greg lib.6. cap.6.*

PEREGRINATIO AD LIMINA APOSTOLORVM.

A beatus Hospitius habitabat. Quo salutato ac deosculato, causas itineris diaconus pandit, ac proficisci se Romam indicat; ipseque his qui sancto viro de naucleris amici essent, commendari deposcit.

Cumque ibi adhuc moraretur, sensit vir per spiritum Domini adesse virtutem, & ait diacono: Infirmum qui comes tui nunc est itineris, rogo, vt meis aspectibus repræsentes. At ille nihil moratus, velociter ad metatum vadit, inuenitque infirmum febre plenum, qui per nutum aures suas dare tinnitum indicabat: apprehensumque ducit ad Sanctum Dei. At ille apprehensa manu cæsarie, attraxit caput illius ad fenestram, assumptoque oleo benedictione sanctificato, tenens manu sinistra linguam eius, ori, verticique capitis infudit, dicens: In nomine Domini mei Iesu Christi, aperiantur aures tuæ, reseretque os tuum virtus illa, quæ quodam ab homine surdo & muto noxium eiecit dæmonium. Et hæc dicens, B interrogat nomen. Ille verò clara voce ait: Sic dicor. Cumque hæc vidisset diaconus, ait: Gratias tibi immensas refero, Christe, qui talia per seruum tuum dignaris ostendere. Quærebam Petrum, quærebam Paulum, Laurentiumque, vel reliquos, qui proprio cruore Romam illustrant. hic omnes reperi, hic cunctos inueni. Hæc eo cum maximo fletu & admiratione dicente, vir Dei omni intentione vanam vitans gloriam, ait: Sile, sile, dilectissime frater: non hæc ego facio, sed ille qui mundum ex nihilo condidit; qui pro nobis hominem suscipiens, cæcis visum, surdis auditum, mutis præstat eloquium; qui leprosis cutem pristinam, mortuis vitam; omnibusque infirmis affluentem medicinam indulget. Tune diaconus gaudens abscessit cum comitibus suis, &c.] hæc Gregorius: ex quibus etiam vetus illa in Ecclesia Catholica consuetudo perseuerans ostenditur, cuius Tertullianus ad Scapulam meminit, qua videlicet oleum benedictum adhibere consueuerunt Fideles ad C morborum curationem.

OLEO BENEDICTO CVRATVR INFIRMVS.

Quod rursus pertinet ad Longobardos, idem Gregorius superiùs de aliis eorumdem in Gallias eruptionibus diuersis temporibus repetitis hæc ait[a]: Prorumpentibus Longobardis in Gallias, armatur Pericius nuper Celsi successor: concurruntque ibi, tantamque tunc stragem Longobardi feruntur fecisse de Burgundionibus, vt non possit colligi numerus occisorum; oneratique præda, ascenderunt iterum in Italiam. Quibus ascendentibus, Eunius, qui & Mummolus, accersitus à Rege Guntheramno Patriciatus culmen meruit. Irruentibus iterum Longobardis in Gallias, & vsque Muscias Calmes accedentibus, quod adiacet ciuitati Ebredunensi, Mummolus exercitum mouet, & cum Burgundionibus illuc proficiscitur: circumdatisque Longobardis cum exercitu, actisque concædibus, per diuortia siluarum irruit super eos, multosque interfecit, nonnullos cepit, & Regi direxit: D quos ille per loca dispersos custodire præcepit, paucis quodammodo per fugam elapsis, qui patriæ nunciarent.

[a] Greg. Turō. hist. lib. 4. cap 36.

TENTANT ITERVM GALLIAS LONGOBARDI.

Fueruntque [b] in hoc prœlio Salonius & Sagittarius fratres, atque Episcopi, non cruce cælesti muniti, sed galea & lorica sæculari armati: multos manibus propriis (quod peius est) interfeciisse reperiuntur. hæc prima Mummoli certaminis victoria fuit.] Meminisse debes, lector, hos Episcopos iam tempore Ioannis Papæ (vt dictum est superiùs) fuisse Episcopali dignitate diminutos, sed Rege intercedente, per ipsum Romanum Pontificem restitutos: verùm licet specimen aliquod ad breue tempus ediderint modestioris vitæ; quia tamen quodcumque fictum durabile non est, in pristinos relapsi mores, se ipsis sunt deteriores effecti. de quibus hæc rursum ipse Gregorius [c]:

[b] Greg. Turon. hist. lib. 4 c. 37.

SALVINVS ET SAGITTARIVS EPISCOPI BELLATORES.

Hi verò in maioribus sceleribus quotidie miscebantur, & in prœlijs illis (sicut iam supra meminimus) quæ Mummolus cum Longobardis gessit, tamquam vnus ex laicis accincti arma plurimos proprijs manibus interfecerunt: in ciues verò suos nonnullos commoti felle, verberantes fustibus vsque ad effusionem sanguinis sæuiebant. Vnde factum E est, vt clamor populi ad Regem denuo procederet, eosdemque Rex accersiri præceperit. Quibus aduenientibus, noluit suis obtutibus præsentari; scilicet vt prius habita audientia, si idonei inuenirentur, sic Regis præsidium mererentur. Sed Sagittarius felle commotus, vt erat leuis ac vanus, & in sermonibus irrationabilibus profusus, declamare plurima de Rege cœpit, ac dicere, quòd filij eius regnum capere non possent, eo quòd mater eorum ex familia Magnacharij quondam ascita Regis torum adiisset; ignorans, quòd prætermissis nunc generibus feminarum, Regis vocarentur liberi, qui de Regibus fuerint procreati. His auditis Rex commotus valde, tam equos, quàm pueros, vel quæcumque habere poterant, abstulit, ipsosque in monasteriis à se longiori accessu dimotis, in quibus pœnitentiam agerent,

[c] Greg. Turō. hist. Franc. lib. 5 cap. 20.

agerent, includi præcepit, non ampliùs quàm singulos eis clericos relinquens, Iudices locorum terribiliter commonens, vt ipsos cum armatis custodire debeant, ne cui ad eos visitandos vllus pateat aditus. A

Superstites autem erant his diebus filij Regis, ex quibus senior ægrotare cœpit. Accedentes autem ad Regem familiares eius dixerunt: Si propitius audire dignaretur Rex verba seruorum suorum, loquerentur in auribus suis. Qui ait: Loquimini quæ libet. Dixeruntq; : Ne fortè innocentes hi Episcopi exilio condemnati fuissent, & peccatum Regis augeatur in aliquo, & ideo filius domini nostri pereat.] non quidem innocentes ex dictis superiùs comprobati, sed iniustè ab eo damnati dici poterant, cùm Regum hoc non sit, sed tyrannorum, Episcopos condemnare: Summorum enim Pontificum sententia, vel Synodali decreto more maiorum id fuit solitum agi. Subdit verò de Rege: Quòd rex hac ex parte suam culpam sentiens, ait ad eos: Ite quantocyus, & relaxate eos, deprecantes vt orent pro paruulis nostris.] Vides quantum tribuat Rex Christianissimus Episcopatui ob sacramentum, vt licet sciret deterrimos esse homines, eos tamen vinctos absoluerit, & preces ad Deum ab eisdem efflagitarit. Intelligis pariter, quãti Deus ipse fieri voluerit à Principibus quoscumque licet improbos sacerdotes, pro quibus aduersus eos quos non decet insequentes eorum scelera festinè vindex insurgat. Sed quid de illis? pergit auctor dicere:

GVNTHERAMNI REGIS PIETAS COMMENDATA.

B

Quibus abeuntibus, dimissi sunt. Egressi igitur de monasteriis, cõiuncti sunt pariter, & se osculantes, eo quòd olim se visi non fuerant, ad ciuitates suas regressi sunt: & in tantum compuncti sunt, vt viderentur numquam à psallentio cessare, celebrare ieiunia, eleemosynas exercere, librum Dauidici carminis explere per diem, nocteśque in hymnis & lectionibus meditando deducere. Sed non diu hæc sanctitas illibata permansit: conuersiq́ue sunt iterum retrorsum: & ita plerumque noctes epulando atque bibendo ducebant, vt clericis matutinas in ecclesia celebrantibus, hi pocula poscerent, & vina libarent: nulla prorsus de Deo erat mentio, nullus omnino versus memoriæ habebatur. renidente aurora, surgentes à cœna, mollibus se indumentis operientes, somno vinoq́ue sepulti vsque ad horam diei tertiam dormiebant: sed nec mulieres deerant, cum quibus polluerentur. Exurgentes igitur, abluti balneis, ad conuiuium discumbebant, ex quo vespere surgentes, cœnæ inhiabant vsque ad illud lucis tempus, quòd superiùs diximus. sic faciebant singulis diebus, donec ira Dei diruit super eos: quod in posterum memoraturi sumus.] hucusque de his modò Gregorius. Quomodo autem hi in Episcoporum Concilio ab Episcopatu electi sunt, & alij in locum eorum subrogati, atque demum licet correcti; sed inemendati malè periere, inferiùs eodem anno quo ista fieri contigerunt, dicturi sumus.

EPISCOPI IN DETERIVS ITERVM LAPSI.

C

Quod verò ad statum pertinet rerum Orientalium, additum est ad calamitatem, vt post grassationem Persarum, deuastationemq́ue Syriæ, & expugnationem, quam diximus, Daræ, Iustinus Imperator ob mærorem nimium, quem ex tot acceptis cladibus hausit, in phrenesim inciderit, deliquiumq́ue mentis sit passus, dilucidis interdum interuallis ad modicum temporis spatium resipiscens. Cùm interea Sophia Augusta vt corruenti omni ex parte Reipublicæ consuleret, consilium iniit vt precibus à Cosrhoe Rege pacem redimeret: quomodo autem id factum sit, ab Euagrio ita accipe[a]:

IVSTIN. LABORAT MENTIS DELIQVIO.

D

[a] *Euagr lib. 5. c. 12.*

Initum est (inquit) maturè consilium rebus Romanis oportunum & accommodatum, quo illud quod temeritate peccatum erat, in integrum restitutum est. Nam mittitur ad Cosrhoen Traianus vir eximius ex ordine Senatorio, magno in honore ab omnibus tum ob canos, tum ob singularem prudentiam habitus, non ex persona Imperatoris aut Reipublicæ, sed pro Sophia dumtaxat Imperatrice verba facturus. Nam scripsit illa litteras ad Cosrhoen, quibus apud illum de viri calamitate, deq́ue Republica Principe orbata conqueśta est, & quod non oportet illum in mulierem viduam, in Imperatorem iacentem & afflictum, in Rempublicam desertam, opeq́ue destitutam impetum facere: Nam olim ei morbo diuexato non modò parem benignitatẽ declaratam, verùm etiam optimos quoq. medicos à Republica Romana ad ipsum missos, qui eum morbo curarent. Quibus verbis persuasus fuit Cosrhoes; & quamquam in res Romanorum extemplo erat incursionem facturus, tamen ad triennium paciscitur inducias pro partibus versus Orientem; simulq́ue decretum fuit, vt Armenia simili frueretur conditione, nullumq́ue bellum ibi gereretur, neque quisquam partibus ad Oriẽtem vergentibus quicquam faceſſeret molestiæ.] hæc de fœdere inito Euagrius, quod hoc anno esse sancitum inde ducimus argumentum, quòd cùm illud ad triennium pactum seruatum integrũ fuerit, post tres annos à Tiberio aduer-

SOPHIA AVG. PACEM A REG. PERSARVM OBTINET.

E

sus

CHRISTI	BENEDICTI PAP.	IVSTINI IVN. IMP.
575. 576.	3. 4.	10. 11.

A sus eum pugnatum constat. Corrigendi [a] verò videntur, qui id nono anno eiusdem Imperatoris factum putarunt, quo tempore (vt dictum est) nondum eam cladem acceperat à Persis Romanum Imperium: sicuti etiam errant, dum eodem anno nono creatum Tiberium Cæsarem tradunt, refragante Euagrio, qui ea ipsa quæ oculis vidisse potuit, scripsit.

[a] Cedren. & Miscel. an. 9 Iustin.

Quod rursus ad eumdem Iustinum pertinet: quomodo magicas incantationes passus, diuino præsidio curatus sit, à Gregorio Turonensi eiusmodi accipe narrationem [b], vbi agit de clauis quibus Christus in Cruce confixus est, deque freno Constantini, in quo ex illis vnus connexus fuit: Magnam (inquit) asserunt virtutem esse huius freni; quod ambigi nequaquam potest: quod Iustinus Imperator publicè expertus est, ac suis omnibus patefecit. Illusus enim à quodam mago propter pecuniam, emissas sibi à dæmonis vmbra intolerabiles per duarum curricula noctium sustinuit insidias: sed dum tertia nocte frenum capiti

[b] Gregor. de Glor. mart. lib. 1. c. 6.

A MAGICIS LARVIS LIBERATVR IVSTINVS.

B collocasset, locum insidiandi inimicus vltrà non habuit, repertumque auctorem insidiarum gladio perculit.] hæc Gregorius: qui licet de seniori vel de iuniori an hæc dicat non exprimat, de iuniori potiùs Iustino, qui eius tempore vixit, accipiendum putamus, quem deliquium mentis passum diximus. Quo tempore idem ipse Imperator illud stulto homine dignum facinus edidit, quod in Miscella, non tamen congruo tempore ita narratur [c]: Iustinus infirmatus & contristatus aduersus Biduarium fratrem suum, & hunc iniuriis lacerauit: nouissimè verò præcepit cubiculariis pugnis cæsum educere illum in conspectu Concilij Senatorum: erat enim Comes Imperialium stabulorum. Quo comperto, Sophia tristata est, & conquesta Imperatori: Qui se pœnituit, & descendens ad eum in stabulum, introiuit subitò cum Præposito cubiculariorum. Biduarius autem, viso Imperatore, fugit è loco in locum per superiora præsepis præ timore Imperatoris. At Imperator clamabat:

IVSTINI FACINVS IMPERATORE INDIGNVM.

[c] Miscel. li. 16 anno 8. Iustini.

C Adiuro te per Deum, frater mi, expecta me. Et cùm cucurrisset, tenuit eum, & amplexatus osculatus est eum, dicens: Peccaui tibi, frater mi: sed suscipe vt fratrem tuum primum & Imperatorem: ex diabolica enim operatione noui quod factum sit hoc. Qui cecidit ad pedes eius, & flens ait: Veraciter, domine, potestatem habes; verumtamen in præsentia Senatus deformasti seruum tuum: modò, domine, his rationem redde. & ostendit ei equos. At verò Imperator rogauit eum secum manducare, & pacificati sunt.] hucusque auctor, sed interuerso (vt dictum est) ordine temporum. At de fatuitate Iustini satis.

IESV CHRISTI	BENEDICTI PAP.	IVSTINI IVN. IMP.
ANNVS	ANNVS	ANNVS
576.	4.	11.

D

SEquitur Christi annus quingentesimus septuagesimus sextus, nonæ Indictionis: quo ciuili bello in Galliis recrudescente inter Guntheramnum atque Sigebertum & Chilpericum in societatem vocatum Francorum Reges [d], celebrata est prouincialis Synodus Parisiis, ea de causa ab eodem Rege Guntheramno procurata, vt sanctissimi qui tũc in Galliis florebant Episcopi causam cognoscerent, contentionemque obortam sedarent, litesque antequam deueniretur ad arma, componerent. Verùm vbi semel res armis cœpta est agi, siluerunt Ecclesiasticæ leges. Accidisse namque ait Gregorius inter hæc, vt Chilpericus per filium suum Theodobertum magnam intulerit cladem, superato Gundebalo Duce, Turonensibus, Pictauiensibus, atque aliarum ciuitatum Ecclesiis: quam paucis his Gregorius ipse

[d] Gregor. Turon. de Gest. Franc. lib. 4. cap. 47. 48.

SYNODVS PARISIENSIS.

E Turonensis Antistes ita perstringit: Vastat, euertit, ecclesias incendit, ministeria detrahit, clericos interficit, monasteria virorum deiicit, puellas deludit, & cuncta deuastat, fuitque illo in tempore peior in Ecclesiis gemitus, quàm tempore persecutoris Diocletiani.] ista sic deplorans Gregorius, mox exclamat in deprauatos corruptosque moribus Francorum Reges, à maioribus ipsorum valdè degeneres: excipitur verò ab his Guntheramnus, qui ab eo sanctissimus prædicatur: Recurramus (inquit) ad illud quod parentes eorum egerunt, & isti perpetrant. Illi post prædicationem sacerdotum de fanis ad ecclesias sunt conuersi: isti quotidie de ecclesiis prædas detrahunt. Illi sacerdotes Domini ex toto corde venerati sunt & audierunt: isti non solùm non audiunt, sed etiam persequuntur. Illi ecclesias & monasteria ditauerunt: isti eas diruunt & subuertunt.

Quid de Latra monasterio referam, in quo beati Martini habentur reliquiæ? Cùm ad eum vnus currens hostium aduentaret, & fluuium qui propinquus est, transire disponeret,

ret, vt monasterium spoliaret: clamauerunt monachi, dicentes: Nolite barbari, nolite huc A
transire: beati enim Martini est monasterium. Hæc audientes eorum multi, compuncti à Dei timore regressi sunt. Viginti tamen ex ipsis, qui non metuebant Deum, neque beatum confessorem honorabant, ascendentes nauem, illuc transgrediũtur, & inimico stimulante, monachos cædunt, monasterium euertunt, resque diripiunt, de quibus facientes sarcinas, naui imponunt. Ingressique fluuium, protinus vibrante carina, huc illucq; feruntur. Cumque amisso auxilio remorum, hastilibus lancearum in fundo aluei defixis, remeare conarentur, nauis sub pedibus eorum dehiscit, & vnusquisque ferrum quod contra se tenebat, pectori defigit; transuerberatique cuncti à propriis iaculis interimuntur. Vnus tantùm ex ipsis, qui eos increpabat ne ista committerent, remansit illæsus. Quòd si quis hoc fortuitu euenisse dicat; cernat vnum insontem plurimis euasisse de noxiis. Quibus interfectis, mo- B
nachi ipsi res suas alueo detrahentes, & illos sepelientes, res domi restituunt.] hæc Gregorius, res gestas sui temporis, suæq; pariter regionis describens: quæ autem his subiicit, annis potius sequentibus facta noscuntur, si res singulas exactè pensemus.

Vidisti sacrilegorum diuinitus immissam vindictam, vt suis ipsorum singuli armis confossi perirent: quò discant impij, passuros se vindicem Deum, cùm in res ipsi dicatas insurgunt. Nec glorientur, si qui eiusmodi scelera perpetrantes, non eamdem confestim vindi-
Luc. 13. ctam experiantur: sed meminisse debent sententiæ Domini [a] de occisis à Pilato Iudæis, atque necatis ruina turris Siloë, asserentis de aliis diriora patrantibus facinora, nec statim pœnas dantibus, eos ad pœnitentiam reseruari; quam si agere prætermittant, durius esse iudicium subituros. Quàm malè autem cesserit Sigeberto Regi, sacerdotes Dei sanctissimos Episcopos, quæ sunt pacis curantes, non expectasse, vt secundùm sacras ciuilesque C
leges sententiam ferrent, exitus patefaciet, de quo sequenti anno dicturi sumus. Demum, vt vno verbo rem absoluam, pluribus fuit semper declaratum exemplis, regna tunc optimè gubernari, cùm sanctæ religioni fuerint veluti fundamento solido superposita; quo si careant (nutare sit necesse, & quolibet licet leui terræmotu prosterni: eo quòd nemo possit aliud ponere fundamentum quo firmè quid permaneat, præter id quod à Deo positum est, Christus, scilicet Deus noster.

Quid præterea eiusdem Regis furore grassantis tẽpore acciderit militibus qui basilicam S. Vincentij martyris in eadem regione positam inuaserunt, audi eundem Gregorium ista narrantem his verbis [b]: Tempore autem illo, quo contra Gundibaldum commotus exercitus ad Conueniẽsem vrbem directus est, ab huius hostilitatis multitudine basilica S. Vincentij martyris vallatur tota: erat enim in ea plebs omnia rerum suarum præsidia confi-
[b] Gregor. de glor. mart. lib. 1. c. 105.
INVASORES ECCLESIAE S. VINCENTII MISERE PERIERE.
dens de reuerentia martyris, quòd nullus ea præsumptione temeraria auderet attingere; & D
obseratis ostiis, se ab intus cum rebus incluserat. Circumdantes autem hostes, cùm aditum per quem ingrederentur, inuenire non possent, ignem ostiis ædis subiiciunt: quem diu multumque succendentes, non apprehẽdebant valuæ, donec impulsu securium comminutis, ingressi sunt, diripientes res, populumque incluſum in ore gladij trucidantes. Sed non diu hæc remanserunt inulta: nam alij à dæmone correpti, nonnulli in flumine Garumnæ necati, multi etiam à frigore occupati diuersis in partibus diuersorum morborum genere vexabantur. Nam vidi ex eis multos in Turonico territorio, qui in hoc fuerant mixti scelere, grauiter cruciari, & vsque ad vitæ præsentis amissionem intolerabilium dolorum cruciatu torqueri. Multi enim ex his confitebantur se iudicio Dei ob iniuriam martyris fuisse morti pessimæ destinatos. Ecce quantum Deus præstet martyribus suis: Ecce qualibus eosdem laudibus Christus Dominus bellorum fidelium inspector honorat: Ecce quantum præstet E
ipsius nominis dignitas Christiani, si non Gentilium more aut inhiemus cupiditati, aut luxuriæ seruiamus.] hucusque de his ibi Gregorius: quomodo autem ex insperato inter Francorum Reges pax sancita fuerit, dicetur anno sequenti.

IESV CHRISTI 577. BENEDICTI PAP. ANNVS 5. IVSTINI IVN. IMP. ANNVS 12.

QVingentesimo septuagesimoseptimo Domini anno, decimæ Indictionis, vltima die Iulij Benedictus Papa cùm sedisset annos quatuor, mensem vnum & dies viginti octo, moritur, vt colligitur ex Anastasio, qui de eodem ista subdit: In istis laboribus *ex incursionibus*

A *nibus Longobardorum illatis* & afflictionibus positus sanctissimus Benedictus Papa mortuus est: qui sepultus est in basilica B. Petri Apostoli, in secretario, pridie Kal. Augusti. Hic fecit ordinationem vnam per mensem Decembrem, presbyteros quindecim, diaconos tres, Episcopos per diuersa loca numero viginti vnum.] hæc Anastasius. Habetur nomine ipsius notata epistola ad Dauid Episcopum in Hispania Bætica de mysterio sanctissimæ Trinitatis ex diuinis Scripturis depromto. Quòd autem Ioannes diaconus dicat à Benedicto creatum fuisse diaconum S. Gregorium: id quantum à veritate aberret, dicemus suo loco inferiùs, cùm de Gregorio agemus pluribus.

Vbi verò post obitũ Benedicti sedes vacasset menses tres & dies decem, vndecima mẽsis Nouembris creatus est Pelagius iunior eiusque nominis secundus Rom. Pontifex, natus ex patre Vuinigildo, ex quo quidem nomine eum potiùs genere Gothum quàm Romanum B putamus. Hic (inquit Anastasius) ordinatur absque iussione Principis, eo quòd Longobardi obsiderent ciuitatem Romanam, & multa vastatio ab eis in Italia fieret.] hæc de eius ordinatione, quæ quidé in calamitosissima planè tempora incidit, cùm gladio Longobardorum vniuersa vastaretur Italia, idemque in ipsam Vrbem immineret exercitus. Addebatur ad mala hæc tanta dirum schisma orbis Occidentalis, separatis quamplurimis Ecclesiis, ipsisque prouinciis vsque ad Hibernos (vt dictum est) ab Ecclesiæ Romanæ communicatione ob damnationem Trium capitulorum: cùm idem Pontifex istis consulturus, adhibito in consilium & auxilium S. Gregorio, qui ipsi in sede successit, librum edidit pro Quinta Synodo quam defendit, probeque factam ostendit Trium capitulorum damnationem. meminit eiusdem scriptionis ipse S. Gregorius in reddita epistola ad Hibernos. Sed de his modò hactenus: reliqua verò suis locis inferiùs.

PELAGIVS II. PAPA CREATVS.

C Eodem tempore inter Reges Francorum inter se mutuo (vt dictum est) prœliis decertantes pax ex insperato composita est: Nec hoc (inquit Gregorius[a]) Martini virtute factum ambigitur, vt hi inter se sine bello pacificarentur: nam ipsa die qua hi pacem fecerũt, tres paralytici ad beati basilicam sunt directi: quod sequentibus libris, Domino iuuante, differemus] in commentario videlicet de miraculis S. Martini, vbi hæc de his habet[b]: Quidam ex Antisiodorensi oppido, Manlulfus nomine, deferentium manibus ad B. Martini sepulchrum iactatus est. Qui iugi orationi & ieiunio incumbens, pedes quos intortos exhibuit, reddita subitò sanitate, retulit in vsu consueto directos, & ita Sancti virtute reformatus est, vt qui aliorum manibus deportatus est, propriis firmatus vestigiis, præsentibus nobis consurgeret sospes.

[a] *Greg. lib. 4. cap. 49. in fin.*

[b] *Greg. de mirac. S. Martin. lib. 2. c. 5. 6. 7.*

Alius autem paralyticus ex Aurelianensi territorio carruca deuectus venit in sanctam D basilicam: qui diebus multis iacẽs ad ostium illud, quod secus baptisterũ ad medium diem pandit egressum, B. Antistitis implorabat auxilium: factum est autem vt vna die iacens grauius extra solitum torqueretur, ita vt vicini de proximo ad eius voces concurrerent (dissoluebantur autẽ ligaturæ neruorum eius, & dirigebantur, propterea erat dolor intolerabilis) & sic tribuente patrono, erectus super plantas, flens præ gaudio, populo teste, surrexit: qui continuò clericus factus, & in sospitate firmatus, ad domum regressus est. Sed & alius gressu debilis, nomine Leubouius, iam clericus, aduenies, sed per terram se trahens, quia paupertate faciente, nõ habebat qui eum ferret, de die in diem B. Martini limina requirebat. Qui dum quadam die ad Sancti pedes fleret, directis genibus atque pedibus, spectante populo sanitatem recepit. Tres virtutes ipsas ista die facta fuisse constat, qua Sigebertus glorioss- simus Rex Sequanam transiens sine collisione exercitus pacem cum fratribus fecit. Quod E nullus ambigat hanc tertiam beati Antistitis fuisse victoriam.] hucusque Gregorius, cùm de inita inter Francorum Reges pace testatur, quæ tamen anni vnius terminum non excessit: siquidem post sequentem annum iterum Chilpericus Guntheramnum excitauit aduersus Sigebertum, vt idem Gregorius[c] tradit: sed de his suo loco dicendum erit.

MIRACVLA ALIA AD SEPVLCHRVM S. MARTINI.

[c] *Greg. lib. 4. cap. 50.*

Quod ad rerum Orientalium statũ pertinet, nihil præterea nobis veteres reddunt Annales, nisi quòd Iustinus Imp. cùm vastari à Persis audiret Imperiũ, ad conciliandum sibi diuinum numen, Dei genitrici Mariæ templum erigendũ curauit, de quo ita hoc anno eiusdem Imperij duodecimo in Miscella: Iustinus Imp. synagogam Iudæorum, quæ erat Constantinopoli in Chalco, pretiis ablatam ab eis, fecit ecclesiam dominæ nostræ sanctæ Dei genitricis, quæ proxima est magnæ ecclesiæ.] Quænam autem sit Iustinus à Deo ob pie factum beneficia consecutus, idem auctor mox addit. nimirum, quòd cùm deliquio mentis laboraret, ob idque res Imperij in summo essent discrimine positæ, tãtum ei Dei genitrix præstitit

ECCLESIA DEI GENITRICI ABDIFICATVM AB IMPERATORE.

sanitatis, vt dilucido interuallo potitus, cunctis rectè dispositis, statum Reipublicæ in tuto collocaret, ascito sibi Tiberio in collegam: quod quomodo anno sequenti contigit, paulo pòst dicturi sumus. A

IESV CHRISTI ANNVS 578. PELAGII PAP. II. ANNVS I. IVSTINI IVN. IMP. ANNVS 13.

QVingentesimo septuagesimooctauo Christi anno, Indictionis vndecimæ, cùm Iustinus Imperator decimumtertium ageret in Imperio, asciuit sibi collegam Tiberium.

[a] *Euagr. lib. 5. cap. 23.* TIBERIVS SIMVL CVM IVSTINO IMPERAT.

[a] Ita quidem Euagrius rerum præsentium inspector, cùm hæc ait[a]: Vt autem ordinem temporum accuratissimè complectamur; intelligẽdum est, Iustinum Iuniorem per se solum ad annos duodecim & menses decem cum dimidio regnasse, atque vnà cum Tiberio ad annos tres, & vndecim menses.] hæc ipse: ex quibus corrigas alios, qui Tiberij cooptationem ante quatuor vel quinque annos collocant in suis Annalibus. Causam autem allegendi sibi collegam, idem auctor superiùs refert huiusmodi[b]: His rebus auditis, *nempe Persarum felicibus Progressibus*, Iustinus præ nimia insolentia ac superbia, sanitate animi & prudentia ex mẽtis domicilio exturbata, casum qui acciderat, multò acerbiùs quàm humana fert consuetudo, tulit, atque in morbum, quem Græci φρενῖτιδα vocant, id est, mentis alienationem & insaniam incidit: adeò vt de cetero, rerum quæ gereret, nullum omnino sensum haberet. Itaque Tiberius genere Thrax, qui facilè primas apud Iustinum obtinuit, Reipublicæ capessit administrationem.] hucusque Euagrius. B

[b] *Euag. lib. 5. cap. 11.*

Hæc autẽ quomodo eidẽ Tiberio prænunciata fuerint à S. Eutychio Episcopo Constantinopolitano cùm in exilio degeret, Eustathius[c] eius comes ita scripsit: Quid porrò de piæ memoriæ Tiberio prædixerit, videamus. Primum quidẽ ipsum Tiberium Notarium apud Iustinum, antequam esset Imperator collocauit. Deinde cùm apud Syrmium Abarici belli causa ageret, scripsit ad eũ vir admirabilis. scribendi autem hæc fuit occasio: Tribunus quidam militum Amaseæ commorantium cupidus apud Tiberium gratiam inire, acceptis à sancto viro litteris cõmendatitiis, ad eum alacri animo Syrmium profectus est. Atque illius quidem epistolæ argumentum erat huiusmodi, sed tamen Imperij quoque prænunciationem continebat. post procœmium enim epistolæ sequebantur hæc verba: Nunc quidem in partem Reipublicæ gubernacula tibi commisit Deus, mox autem & finem concedet. Hoc nemo nostrum tunc animaduertit, sed vbi Cæsar creatus est, tunc intelleximus. Epistolam autem ille (vt audiuimus postea) seruauit.] hæc Eustathius. C

[c] *Eustath in Vit. S. Eutych. apud Sur. to. 3. die 6. April.*

PRAEDICTIO DE TIBERII IMPERIO.

Porrò Tiberius vbi administrationem accepit Imperij, horum memor, opportunè oblata occasione mortis Ioannis intrusi in sedem Cõstantinopolitanam, mox eumdẽ Eutychium summo cum honore restituit. hæc autem quomodo se habuerint, paulo pòst dicturi sumus. D

TIBERII MORES LAVDATI.

Versemur modò in his quæ de Tiberio scripta narrantur, de cuius laudatissimis moribus accipe Suidæ verba: Tiberius Romanorum Cõstantinop. Imp. quem Iustinus cõmendat vt virũ clementissimum & humanum, hominem alienũ ab auaritia, qui felicitatem in vno eo reponat, vt floreat populus & omnibus rebus abundet, communem hominum felicitatem præclarum & inuiolatum thesaurũ existimans; quiq́ue tyrannicam insolentiam perosus, & humanitatem amplectens, & regi à suis, quàm illos à se crudeliùs tractari, pateriq́; à suis dici maluerit, quàm dominus.] hæc Suidas. Sed maiora de eo ab Euagrio sunt præconia decãta, cùm primùm de iis quæ acciderunt in eius promotione eiusmodi orationem instituit[d]: E

[d] *Euagr. li. 5. cap. 13.*

Interea temporis Iustinus de consilio Sophiæ Tiberium Cæsarem declarat, taliaq́ue verba in eo declarando locutus est, qualia nulla historia vel vetere vel recentiore sunt omnino commemorata, Deo videlicet propitio ei tempus largiente tum ad sua peccata confitenda, tum ad explenda ea quæ ex vsu Reipublicæ forent. Nam cùm Ioannes Episcopus vnà cum suis, cumq́ue principes & magistratus, cùm denique milites prætoriani in atrio sub dio, vbi eiusmodi negotia de more inueterato agi solent, in vnum cogerentur, sic clara voce Iustinus allocutus est Tiberium, tunica induens Imperatoria, & læna circumuestiens:

ADMONITIO IVSTINI AD TIBERIVM.

Ne te in errorem inducat vestis splendor, neque illustris ornatus istarum rerum, quæ sub aspectu cadunt, decipiat, quibus ipse in fraudem impulsus, imprudens me ipsum grauissimis suppliciis obnoxium reddidi. Itaque tu in Republica summa cum mansuetudine & animi

A animi lenitate regenda vitia mea præstato. Atque digito magistratus demonstrans: Non oportet, inquit, horum consiliis morem gerere: nam hi me ad istas quas cernis miserias deduxerunt. Aliaque eius generis protulit verba, quæ omnes in maximam adduxere admirationem, tum ad immensam lacrymarum vim profundendam impulere.

TIBERII FORMA ATQVE VIRTVTES.

Erat iste Tiberius corpore maximè procero & robusto, & pulchritudinis excellentia omnium opinione maiore: adeò vt non Regibus solùm & Imperatoribus, sed omnibus etiam hominibus facilè præstaret. At primum quod ad corporis formam attinet, ea principatu planè digna fuit. Quod autem spectat ad animum: illum mansuetudo & benignitas exornarunt: primo enim aspectu omnes videbatur ad se diligendum inuitare: diuitias eas putauit, quæ cuique satis essent ad largiendum non solùm ad necessitatem, verùm etiam ad
B affluentiam. Nam non istud modò considerabat, quòd qui opis indigeant, illis beneficia accipienda sint, sed quòd Imperatorem Romanum deceat liberaliter dare: aurum verò adulterinum existimauit quod cum subiectorum lacrymis collectum est: qua re inductus, tributum vnius integri anni vectigalibus condonat: quinetiam prædia quæ Adaarmanes tributis impositis fere labefactauerat, quasi in libertatem vendicauit, & non modò damnum pro eius magnitudine, sed etiam cum fœnore sarciuit; atque iniquas largitiones, pro quibus alij Imperatores suos subiectos magistratibus pro sua libidine abutendos exponere & quodammodo diuendere consueuerant, remisit, cauitque per leges, ne quid huiusmodi in posterum committeretur.] hæc Euagrius de Tiberio. Quomodo autem hoc anno defuncto Ioanne Episcopo intruso, reuocatus à Tiberio est Eutychius exul tertia die Octobris, Eustathius, qui interfuit, rem gestam ita describit[a]:

[a] *Apud Sur. die 6. April. tom. 2.*

Cùm ex hac vita decessisset is quem Deus arcanis quibusdam de causis, quas ipse nouit,
C in sedem huius ærumnosi magnique viri irrepere permiserat, cumque pius populus pastorem doctoremque suum flagitaret: ad piæ memoriæ Imperatores Iustinum & Tiberium, in primisque ad Imperatorem & Regum Dominum nostrũ exclamant, vt fidei custos & Trinitatis buccinator redderetur. Suscipientes illi diuinum populi fidelissimi studiũ, & charitatis ardorem, quo ipsi quoque iampridem erga sanctum virum flagrabant, pio populo id quod petebat, concesserunt. Illud enim semper optauerant cùm multis aliis de causis, tum ob eam præcipuè, quòd eos Imperatores futuros prædixerat.] & inferiùs: Cùm igitur Christi amantissimi populi clamores exaudissent Iustinus & Tiberius Imperatores, statim magna cum celeritate ingentique gaudio Scribas generosissimos miserunt ad sanctissimum virum, vt eum vel inuitum ac recusantem ad regiam ciuitatem reducerent. Hi cùm ad eum
D peruenissent, reddiderunt litteras Imperatorum: quas cùm ille perlegisset, suspiciens in cælum & lacrymans, egit gratias Deo: Ecce, inquiens, Domine, labia mea non prohibebo: quoniam tu cognouisti cogitationes meas de longè, semitam meam & funiculum meum inuestigasti, & omnes vias meas præuidisti: Mirabilis facta est scientia tua ad me: confirmata est, & non potero ad eam. Quis nouit mentem Domini, & quis consiliarius eius fuit? Quis ea quæ Deus altissimus decreuit, dissipabit? Num dicet figmentum ei qui se fecit: Cur me fecisti sic? Audiui auditionem tuam, & timui: cogitaui opera tua, & expaui.

EVTYCHII REDITVS.

His & aliis multis verbis cùm gratias egisset, & in sancto monasterio diuinũ sacrificium obtulisset in sede constitutus (dies tunc erat Dominica) postquam salutiferæ etiam Crucis memoriam die quartadecima mensis Septembris splendidè celebrauimus, monasterio & omnibus in eo habitantibus benedixit, vniuersæque ciuitati; omnesque Deo commendans, iter suscepit. Comitatus est autem eum vsque ad regiam ciuitatem Archiepiscopus Apa-
E meæ ciuitatis. Videre licuit nouum planè spectaculum & diuina etiam anima dignum: mixta inter se contraria, dolorem & gaudium, luctum & lætitiam, cùm alij quidem ob eius discessum dolerent, alij propter eius reuocationem lætarentur.] & paulo pòst.

Quis (inquit) ea quæ tunc admirabilia contigerunt pro dignitate valeat explicare? Quæ lingua narrare queat assiduos & varios concursus & congressus, & faustas acclamationes, cùm omnes vnà clara voce dicerent: Benedictus qui venit in nomine Domini. &, Gloria in excelsis Deo, & in terra pax. Sciebant enim qui ita clamabant, à Domino esse dictum: Qui vos accipit, me accipit: & qui accipit iustum in nomine iusti, mercedem iusti accipiet.] hæc quo ad acclamationes: quo verò ad miracula, accipe quæ mox subdit de populorum ipsi occurrentium magna fide, Sanctique virtutibus.

MIRACVLA IN VIA.

Infirmos autem iuxta viam efferebant, vt vel vmbra fortasse viri eos attingeret: qui pro ratione fidei à Deo auxiliũ accipiebant. Accidit & res admirabilis. Nam cũ ab Euchaitis vir

ſanctus diſcederet,mulier quædam cũm filio ægrotante progrediens, ſic eſt à multitudine A
conculcata,vt de ipſius filiiq. ſalute omnes deſperarent: quæ tamen euaſit incolumis,mor-
buſq. diſceſſit:atque ita totum iter noſtrũ perfecimus.Cùm autẽ in Nicomedienſium me-
tropolim peruenìſſemus,videbamur nobis in aliũ mundum veniſſe(ſicut accidit Petro,qui
cũ liberaretur ab Angelo,putabat ea per viſum fieri)ſic cùm Nicomediam peruenìſſemus,
verè cognouimus Deũ miſiſſe Angelum ſuũ,& Petri imitatorẽ eripuiſſe de manu omnium
qui illi ſtruxiſſent inſidias. Non ſolus enim fidelis & Chriſti ſtudioſus populus,regale ſacer-
dotium,gens ſancta cõgruentes acclamationes edebat, & gratias agebat Deo: ſed & incre-
dulus etiam & à grege noſtro alienus populus Hebræorum,propemodum pueros illos imi-
tans,clamabat: Benedictus qui venit in nomine Domini. &, Creſcet fides Chriſtianorum.

LAETITIA PVBLICA CONSTANTINOPOLIS. Cùm hoc igitur honore ex honeſta peregrinatione in vrbium reginam ingreſſus eſt pro-
pugnator,vt fortis olim Magnus Athanaſius Alexandriam (talia enim de ipſo S.Gregorius B
ſcripſit)neque enim aliquis arrogantiam ei tribuat. Pullus enim aſinæ virum illũ portabat:
ramuli ac ſtragulæ veſtes variæ illum excipiebant:alij præcinebant & præſultabant. Neque
enim ſolùm multitudo puerorum, ſed omnium linguæ certatim fauſtis acclamationibus
vtebantur.Prætereo varios plauſus & thura quæ incendebantur, & ignes qui ita vbique fie-
bant,vt tota vrbs ardere videretur. Mitto conuiuia publica, & noua ædificia, & quæcum-
que ſolent ciuitates efficere,vt gaudium lætitiamque ſignificent:quæ quidem omnia abun-
dè fuerunt exhibita. Tanta profectò vir admirandus & magnus Eutychius exceptus eſt ce-
lebritate, vt cùm honorificæ multæ iam fuerint, nulla poſt hominum memoriam ſplen-
didior extiterit.Illud Iſaiæ[a] Prophetæ eximij huic meritò congruè dixeris: Adducent fra- C
tres ipſorum,id eſt,viri fideles & pij, Leuitas & ſacerdotes in ſplendidis mulis cum vehicu-
lis in ſanctam ciuitatem munus Domino. An non ita fuit? Immo verò patrem ac paſto-
rem, magiſtrumque ſuum fidelis populus duxit in ſanctam ciuitatem nouam Hieruſalem
ac reginam vrbium.

[a] *Iſaiæ 66.*

Quis dicendo aſſequi poſſet res admirandas,quæ tunc in terra mariq́ue geſta ſunt? quo
modo mare conſtratum ſit, tergaq. ſua nauibus ſubiiciens terræ factum fuerit ſimile, adeò
vt ſine impedimẽto poſſent omnes ſuper ipſum incedere? Nemo enim præ hominum mul-
titudine poterat aquam à terra diſcernere, & erat terra omnis atque mare labium vnum;
voxq́. diuina & cæleſtis omnium ſimul Domini & creatoris ſui Dei gloriam celebrantium.
Hæc dicta ſunt,vt qui ſciunt recordentur,& qui neſciunt diſcant. Quid porrò? prætermit-
timus ne reliqua? minimè verò. Quænam iſta ſunt? Diuino conſilio factum eſt,vt vnde diſ-
ceſſus principium fuit,inde reditus etiam initium habuerit. Cùm enim dies feſtus S. Ti-
mothei in Hormiſda(vt antè diximus)celebraretur,illinc pius vir ſacrificium faciens ſubla- D
tus eſt,& ea pertulit quæ paſſus eſt. Cùm autem curſum expleſſet tamquam Sol, exultauit
vt gigas,currens etiam à ſummo cæli,& occurſus eius vſque ad ſummum eius.Rurſus enim
in Hormiſda reſtitutus eſt, tamquam ſponſus ingrediens in thalamum ſuum, & non fuit
qui ſe abſconderet, aut calore eius non frueretur. Omnes enim Fideles ſanctitatis & gra-
tiæ eius participes extiterunt vel per viſum, vel per tactum: multi enim per ſalutationem
& dulcem congreſſum delectabantur;alij per auditum vehementer gaudebant: fama enim
eius paulo pòſt per omnem terram eſt peruagata.Cùm igitur noctem ibi tranſegiſſet,manè
ſumpto ſuperhumerali, quod ſecum ipſe ſemper geſtabat, cum ſancto clero ſuo in augu-
ſtam ædem ſanctæ & immaculatæ dominæ noſtræ Dei genitricis & ſemper Virginis Ma-

IMPERATORES SVSCIPIVNT EVTYCHIVM. riæ,quæ in Blanchernis ſita eſt, conceſſit. Illic erant pij Imperatores Iuſtinus & Tiberius:
qui hilari vultu & magno cum honore ſanctum virum excipientes, quæ tempori conue- E
niebant,collocuti ſunt; & quia dies erat Dominica, & diuinum ipſe ſacrificium erat factu-
rus,eum dimiſerunt. Quis non commemoret hic opportunè verba pſalmi[b]: Dies diei eru-
ctat verbum, & nox nocti indicat ſcientiam? Si quis illam tempeſtatis & tentationis ſeu
perſecutionis diem ac noctem cũ hac reuocationis & reditus eius ſummæque pacis & tran-
quillitatis die nocteq. comparet, magnam ſapientiam atque ſcientiam in vtroque tempo-
re negotioque reperiet. Nam in perſecutionis tempore ſabbatum & hiems erat.

[b] *Pſalm. 18.*

Vigeſimoſecundo menſis Ianuarij die vir ſanctus tentus & eiectus fuit, reuocatus au-
tem eſt die tertia menſis Octobris,quæ erat Dominica: qua quidem die & illi qui viro ſan-
cto inſidias ſtruxerant atque eum in exilium eiecerant, Aetherius & Addæus, quorum hic
quidem Vrbis Præfectus erat, ille autem Antiochiæ Curator, mortui ſunt: & quemadmo-
dum ambo virum ſanctum eiiciendum curarunt, ita meritam ambo mercedem accepe-
runt.

A runt. In hac igitur die vir optimus & sedem recepit atque Ecclesiam suam, & ipsi priuati sunt vita multis annis antequam ipse reuocaretur.] & post multa de Ætherij persecutoris confessione, quæ & superiùs alia occasione dicta sunt, hæc subdit:

Cùm vir sanctus (vt dictum est) cùm Imperatoribus congressus esset, & vix tandem ab eo diuelli potuissent; videns populũ Christi pastoris sui studiosum sine interpellatione gratias agentem Deo, precatus est eum, vt bonis ipsius esset remunerator. Atque ita cum vniuerso populo fideli in sanctam Dei magnam Ecclesiam ingressus est, non sine labore tamen, tamquam in regnum Dei, cùm magnâ premeret multitudo, quæ diuinũ templum occuparat. Cumque in locum editum, vt Moses olim in monte Sinai, ascendisset: sublatis ad Deum manibus, populi preces & supplicationes cælesti Deo & Patri offerre, Deiq; misericordiam ad populum deducere videbatur: neque enim aliud propter populi multitudinem fieri po- EVTYCHIVS INGRESSVS IN ECCLESIAM COMMVNICAT POPVLVM ET BENEDICIT.

B terat. Tonitruus enim & buccinæ progredientes, id est, aptæ diuinorum oraculorum lectiones clariùs & vehementiùs pronunciatæ cum timore & magna compunctione peragebantur. Quid tum? Diuina caligo sanctum operuit altare, super quo cùm incruentum sacrificium obtulisset, fideli populo distribuit: quæ quidem distributio ab hora tertia ad nonam vsque perducta est, cùm omnes ab ipso accipere vellent communionem. Quoties enim distribuebat, omnes ad eum sine cessatione concurrebant. Nam qui rectè sentire soliti erant, nulla visendi eum satietate afficiebantur: sed quanto quis illi magis hærebat, tanto magis attrahebatur, eodem erga illum affectus modo, quo erga magnetem lapidem ferrum, quod arcana quadam illius vi naturali pertrahitur: ita vir admirabilis omnes qui videndi ipsum studio tenebantur, amanter attrahebat.] & post multa de virtutibus eius dicta, hæc etiam de reditu populo admodum proficuo addit:

C Vos qui reditum eius memoria tenetis, non ignoratis magnam & diuturnam, antequam reuerteretur, pestem extitisse: quæ quidem ita sæuiebat, vt nisi hic à Deo electus tamquam alter Phinees obstitisset, omne genus hominum atque omnis ætas interiisset. Quomodo autem placatus est Deus? Supplicationibus, quas ipse cum Christi studioso populo adhibuit, à sanctissima magna ecclesia incipiés, vsque ad ædem sanctæ & immaculatæ dominæ nostræ Dei genitricis semperque Virginis Mariæ, quæ in Blachernis colitur. Dum igitur supplicationes ad Christum Deum nostrum, quem ipsa Virgo de Spiritu sancto concepit, fierent: pepercit ille populo, Angelumq, cohibuit, qui ciuitatẽ sine intermissione percutiebat.] & paulo pòst. Ab eo igitur die vsque ad beati viri vitæ finẽ Christus Deus noster à populo prouocatus iram cohibuit. Ac reditus quidem ipsius primum opus hoc fecit, quo salutem omnibus communem impetrauit, &c.] pergit Eustathius enarrare complura mi- EVTYCHIVS PESTEM PRECIBVS AVERTIT.

D racula ab eodem Eutychio Constantinopoli post reditum suum edita, quæ breuitatis causa prætermittimus: cetera autem de ipso opportuniùs suo loco dicemus inferiùs. Ecce sufferentiam [a] Sancti audistis, & finem Domini vidistis, quoniam misericors Dominus est & miserator, qui non dat in æternum fluctuationem iusto, secundum illud [b]: Vsque ad tempus sustinebit patiens, & postea redditio iucunditatis.] At de his satis.

[a] *Iac. 5.* [b] *Psalm. 54. Eccli. 1.*

IESV CHRISTI ANNVS 579. PELAGII PAP. ANNVS 2. IVSTINI IVN. IMP. ANNVS 14.

E SEquitur ordine temporis Christi Redemptoris annus quingentesimus septuagesimus-nonus, Indictionis duodecimæ: quo Tiberius Imperator Cosrhoen Persarum Regem, euoluto iam triennio icti fœderis, arma mouentem aduersus Romanum Imperium vicit, coque mæroris adegit superbum hominem crebris victoriis elatum, vt mori cogeret.

Antequam autem rem gestam hic describamus, de annis eiusdem Persarum Regis ratio exquirenda est. Constat ipsum, ex sententia Agathiæ [c] huius quoque temporis scriptoris, regnasse annos quadraginta octo: hoc verò anno secundo Tiberij Imp. ab eodem superatum, esse morte sublatum, quem testatur inchoasse regnum anno quinto Iustiniani Imp. (est is annus Domini quingentesimus trigesimus primus) licet Procopius tradat [d] ipsum non ante septimum eiusdem Iustiniani annum regnare cœpisse: quo anno ait perenne illud inter Romanos & Persas fœdus decretum fuisse, cùm statim Cosrhoes regnum inuasit. Verùm Agathias [c] nobis sequendus res Persicas accuratiùs prosecutus, cuius sententia dicimus Cosrhoen hoc anno victum esse atque defunctum

[c] *Agath. hist. lib. 4.* [d] *Procop. de bello Persic. lib. 1.* [c] *Agath. li. 2.*

Sed corrigendus est locus Agathiæ, vbi coniungit quintum annum Cosrhois Regis cum Iustiniani Imp. anno vigesimooctauo: qua ratione dicendum foret, ipsum cœpisse regnare anno eiusdem Imperatoris vigesimotertio, peruenisseque ad annum Domini quingentesimum nonagesimum septimum; quod vtrumque pro monstro esset habēdum. Nam quomodo dicto anno vigesimo tertio potuit inchoasse regnum, cum inferiùs tradat anno quinto defunctum Cadabem, & regnum cœpisse Cosrhoen? Rursus verò cùm constet sub Tiberio mortuum esse; quomodo ad annum Domini nonagesimum septimum post quingētesimum peruenit, cùm tunc Mauritius imperaret? Liquet igitur apud Agathiam in annorum numerum mendum irrepsisse, ne accuratum in sui temporis rebus gestis scriptorem hallucinatum dicere quis cogatur, stabili manente eiusdem sententia Agathiæ testantis hoc anno Cosrhoen victum atque defunctum finem imposuisse regnandi. Quę verò ante obitum Cosrhois præcesserint prœlia, hic ex Euagrio breuiter ea prosequente narremus[a]:

DE ANNIS COSRHOIS AGATHIAE LOCVS EMENDANDVS.

[a] *Euag. lib. 5. ca 14. 15.*

BELLVM A TIBERIO GESTVM CONTRA COSRHOEN.

Idem Tiberius cùm pecuniam malè & iniquè partam ita collocasset, sicut ratio & æquitas postulabat, res ad bellum faciendum necessarias parare, ingentem cogere exercitum virorum facilè præstantissimorum tam ex gentibus Transalpinis circiter Rhenum incolentibus, quàm ex Cisalpinis, quinetiam ex Massagetis, aliisque ex genere Scytharum, ex Pæonia præterea, Mysia, Illyria, Isauria collectorum: adeò vt propè centum quinquaginta turmas equitum lectissimorum instructas haberet: quorum subsidio Cosrhoen, qui statim post Daram expugnatam tempore æstiuo Armeniam inuaserat, indeque iter versus Cæsaream vrbem Cappadociæ primariam susceperat, penitus profligauit. Iste Cosrhoes tam insolenter se gessit aduersus Romanum Imperatorem, vti cùm Imperator Legatos ad eum misisset, illis ne quidem adeundi potestatem facere dignaretur, sed iuberet eos Cæsaream vsque sequi: ibi namque se consilium de eorum legatione initurum dixit. Postquam verò exercitum Romanum ex aduerso sibi occurrentem, & à Iustiniano fratre Iustini, qui tam miserabiliter interfectus fuit, gubernatum & armis firmè munitum, & tubas classicum canentes, & signa ad pugnam sublata & milites acutè vociferantes & in acie pulchro ordine locatos, iram & furorem anhelantes, & tantum & tam egregium equitatum, quantum nemo aliquando ex Imperatorum numero vel ipsa cogitatione conceperit, animaduertit: vehementer obstupefactus præ re tam insperata inexspectataque, ex intimo pectore ingemuit, & prœlium exordiri noluit.

PERSAE A ROMANIS VICTI.

Eum igitur pugnam differentem, cunctantem, terentem tempus, & callidè ludificantem, Curs Scytha, qui dextero cornu exercitus Romani præfuit, adortus est: & cùm Persæ impetum eius ferre non possent, sed aciem penitus desererent, Curs magnam cædem hostium fecit. Postremum agmen à tergo inuadit, vbi apparatus tum Cosrhois, tum totius exercitus locatus fuit. Caput thesaurum Regis vniuersum, & omnem præterea apparatum bellicum, idque Cosrhoe spectante, toleranteque, atque hoc potiùs perpetiendum arbitrante, quàm Curs impetu facto in ipsum irrueret. Curs igitur cum suis magna pecuniæ vi & multis spoliis potitus est: iumenta cum sarcinis, inter quas ignis fuit, quem pro Deo coluit Cosrhoes, abducit: atque Persarum exercitu repulso, lætum pæana canens, sub crepusculum redit ad suos, qui iam stationes, in quibus ordine locabantur, reliquerant. Et adhuc neque Cosrhoes, neque illi prœliari cœperant, sed quædam dumtaxat velitares pugnæ factæ sunt, sicubi singuli ex vtroque exercitu (vt fieri solet) cum singulis congrederentur. Cosrhoes autem ingenti rogo accenso, nocturnum prœlium instituit. Ac cùm Romani duos haberent exercitus, illum qui versus Septentrionem erat, intempesta nocte adoritur, Melitinam vrbem sitam in proximo præsidiis nudatam ac prorsus desertam à ciuibus inuadit: qua igne absumpta, parat se ad flumen Euphratem traiiciendum.

Vbi verò copiæ Romanorum in vnum coactæ eum sequi cœperunt, ipse metuens de salute sua, conscenso elephanto, fluuium transmittit: magna autem pars exercitus sui, tranando flumine, vndis obruta est; quam submersam cùm accepisset, maturè discessit. Itaque Cosrhoes hoc postremum supplicium pro insana temeritate contra Romanos admissa luens, vnà cum suis qui supererant, in Orientem reuertit. Ibi autem pactas habuit inducias, ne quis eum inuaderet. Iustinianus verò incursione cum toto exercitu in fines ditionis Persarum facta, tota hieme ibi commoratus est, nemine quicquam omnino ei exhibente molestiarum: circiter verò solstitium æstiuum rediit, nulla parte exercitus amissa; atque in finibus, quibus Romanorum & Persarum Imperium terminatur, cum magna vitæ prosperitate & rerum gestarum gloria totum æstatis tempus contriuit. Cosrhoes autem

ingenti

A ingenti doloris cumulo oppressus, animo fracto & ancipiti cura debilitato languens, crebris denique & variis ægritudinis fluctibus demersus, miserandum in modum interiit; aè legem quam scripsit, ne Rex Persarum in posterum contra Romanos arma ferret, velut sempiternum suæ fugæ monimentum post se reliquit. Quo extincto, Hormisdes eius filius regnum capessit.] hucusque Euagrius de Romanorum bello cum Persis, quod biennij temporis spatio confectum est. COSRHOES MAERORE CONSVMPTVS MORITVR.

At quod spectat ad interitum Cosrhois, aliqua habet Agathias, quæ in ipso Euagrio desiderari videntur: cuius res præ oculis habentis atque puro stylo easdem prosequentis haud est auctoritas contemnenda. Admiratus verò ipse mirabilem Dei potentiam, quomodo post tot annorum curricula ipsi Cosrhoi quàm felicissimè euoluta, respexit Deus tandem in mentem illam magnam, in Regem Assyriorum, eumque è solio detraxit, in ter-
B ramque prostrauit, eiusmodi de eodem Cosrhoe habet ad calcem orationem[a]: Illud (inquit) in præsentia dixerim; per octo & quadraginta annos, quibus potitus Imperio est, quàm multas hunc retulisse victorias; & eò magnitudinis euasisse, vt nullus priorum apud Persas Regum fuisse huic similis comperiatur: vel si cum singulis eum quis conferat, ne Cyrum dicam Cambysi huic patrem facturus sit: sed ne Xersem quidem ipsum, quem mare ferunt contabulasse, equitabileque id reddidisse, & nauigabiles montes. Cosrhoes igitur etsi magnitudine ceteros anteiuit, vitæ tamen est exitum vt calamitosum & inglorium nactus, ita & alienissimum à sui temporis Principum fine.] De ipsius verò Cosrhois obitu eiusmodi habet historiam: [a] *Agath. lib. 4.*

Is namque cùm interea circa Carduchios montes æstiuo tempore, in Thamanorum vico quodam, vitandi æstus ob gratiam, & ob locorum temperiem secedendo diuersare-
C tur: Mauritius Pauli per Tiberium Constantinũ Romanorum Imperatorem Orientalibus copiis præesse iussus, in Araxanum agrum incursionem de improuiso fecit, qui vtique contiguus erat circumiectis vico, vbi Rex erat Persarum, castellis & agris protinus & intrepidè deuastatis, Zirma flumine traiecto, in anteriora processit, & proxima quæque depopulatus, igne demum succendit. Cùm is itaque armis igneque omnia peruastaret, Cosrhoes ipse (non enim longè aberat, quàm vt in altum euectam lateque diffusam flammam intueretur) hostilibus perinde incendiis insuetus, haudquaquam eius prospectum tulit: vnde pudore simul ac formidine percitus, nec hostibus obuiam iuit, nec quoquam pacto iniuriam vindicauit: sed præter modum ex ea clade ingenti dolore perculsus, ac sui prorsus desperans, morbo statim insanabili quodam corripitur: vnde quàm celerrimè ac per manus elatus, ad Seleuciam Ctesiphontem regiam fertur: & in fugæ morem facta discessione, non longè pòst vitam finiuit.] hæc Agathias. Ita Deus tumentes fluctus exiguæ are-
D næ obice in gracilem spumam conuertit, cùm dispergit[b] superbos in furore suo, & respiciens, omnem arrogantem humiliat. Hæc in Oriente. Iam verò quæ memoria digna facta sint in Occidente, videamus. DE OBITV COSRHOIS EX ANIMI MAERORE AGATH. SENTENTIA. [b] *Iob 40.*

Hoc eodem anno (vt ex S. Gregorio possumus intelligere) contigit octoginta martyrum coronis Ecclesiam illustrari. Ad hunc enim annum referenda sunt, quæ idem S. Gregorius de his scribit[c] in Dialogis tertio sui Pontificatus anno, dum ante annos quindecim eadem contigisse affirmat, vbi hæc ait: Ante hos fermè annos quindecim (sicut hi testantur qui interesse potuerunt) quadraginta rustici à Longobardis capti carnes immolatitias comedere compellebantur. Qui cùm validè resisterent, & contingere cibum sacrilegum nollent: cœpere Longobardi qui eos tenuerant, nisi immolata comederent, mortem eis mi-
E nari. At illi æternam potiùs vitam quàm præsentem ac temporariam diligentes, firmiter perstiterunt, atque in sua constantia simul omnes occisi sunt. Quid itaque isti, nisi veritatis martyres fuerunt, qui ne vetitum comedendo, conditorem suum offenderent, elegerunt gladiis vitam finire? [c] *Gregor. dialog. lib. 3. ca. 27. 28.* MARTYRES NECATI A LONGOBARDIS.

Eodem quoque tempore, dum ferè quadraginta captiuos alios Longobardi tenuissent, more suo immolauerunt caput capræ diabolo, hoc ei per circuitum currentes, & carmine nefario dedicantes. Cumque illud ipsi submissis ceruicibus adorarent, eos quoque quos ceperant, hoc pariter adorare compellebant. Sed ex eisdem captiuis maxima multitudo, magis eligens moriendo ad vitam immortalem tendere, obtemperare iussis sacrilegis noluit; & ceruicem quam semper Creatori flexerat, creaturæ inclinare contempsit. Vnde factum est, vt hostes qui eos ceperant, graui iracundia accensi, cunctos gladiis interficerent, quos in errore suo participes non haberent. ALII MARTYRES SVB LONGOBARDIS.

Quid

Quid ergo mirum, si erumpente persecutionis tempore illi martyres esse potuissent, qui in ipsa quoque pace Ecclesiæ semetipsos semper affligendo, angustam martyrij tenuerunt viam; quando ingruente persecutionis tempore, hi etiam meruerunt martyrij palmam accipere, qui in pace Ecclesiæ latas huius sæculi vias sequi videbantur?] hæc quidem tunc facta. Postea verò licet Longobardi esse hostes perseuerarint, nullum tamen fidei causa negotium facessere consueuere: nam paulò pòst Petrus diaconus hæc interloquitur: Super indignos nos diuinæ misericordiæ dispensationem miror, qui Longobardorum sæuitiam ita moderatur, vt eorum sacerdotes sacrilegos, qui esse se Fidelium quasi victores vident, Orthodoxorum fidem persequi minimè permittat.] Ad hæc Gregorius: Hoc, Petre, facere plerumque conati sunt, sed eorum sæuitiæ miracula superna restitere.] hæc verò quæ inculcat, idem demonstrat exemplis, de quibus nos aliàs.

LONGOBARDORVM SVPERSTITIO.

Quod autem spectat ad huiusmodi aliquot Longobardorum idololatriam, qua caput capræ immolantes venerarentur: est de his eiusdem Gregorij Papæ querela ad Reginam Francorum Brunichildem de quibusdam licet Christianis in eodem tamen errore perseuerantibus. sed audi eius verba[a]: Hoc quoque pariter hortamur, vt ceteros subiectos vestros sub disciplinæ debeatis moderatione restringere, vt idolis non immolent, cultores arborum non existant, animalium capitibus sacrificia sacrilega non exhibeant: quia peruenit ad nos, quod multi Christianorum & ad ecclesias occurrant, & quod dici nefas est, à culturis dæmonum non discedant.] hæc Gregorius Papa.

[a] *Greg. lib. 7. epist. 7.*

THEODOBERTI ET SIGEBERTI INTERITVS.

Hoc ipso anno, cùm pax inita inter Francorum Reges, post anni vnius elapsum curriculum, noui belli obice turbaretur, conspirantibus in Sigebertum Chilperico ac Guntheramno, prœlio Theodobertus filius Chilperici victus occiditur. Victor verò Sigebertus Rex Francorum hoc eodem anno, cùm in regno decimumquartum annum ageret, dolo impiæ Fredegundis, dum aduersus Chilpericum germanũ suum Regem iterum certamen parat, per sicarios necatur annos ætatis agens quadraginta. Hæc ex Gregorio, qui fusiùs rem gestam prosequitur[b]: atque vbi primùm de nece Theodoberti pœnas luentis nefandorum scelerum, quæ (vt vidimus) à militibus sibi subditis in Dei Ecclesias Ecclesiasticasque personas sunt perpetrata, narrauit, hæc de nece habet Sigeberti, quã incurrit, quòd audire noluerit S. Germanum Parisiensem Episcopũ[c]: Misit Sigebertus, qui fratrem suum Chilpericum in suprà memorata ciuitate Rothomagensi obsiderent, ipse illuc properare deliberans. Cui S. Germanus Episcopus dixit: Si abieris, & fratrem tuum interficere nolueris, viuus & victor redibis: si aliud cogitabis, morieris, sic enim Dominus per Salomonem dixit[d]: Foueam quam fratri tuo parabis, in eam corrues. Quod ille, peccatis facientibus, audire neglexit. Veniente autem illo ad villam, cui nomen erat Victoriacum, collectus est ad eum omnis exercitus, impositumque super clypeum sibi Regem statuunt.

[b] *Greg. lib. 4. cap. 50.*

[c] *Greg lib. 4. cap. 51.*

[d] *Prou. 16.*

SIGEBERTI REGIS OBITVS.

Tunc duo pueri cum cultris validis, quos vulgò scramasaxos vocant, infecti veneno maleficati à Fredegunde Regina, cùm aliam causam se gerere simularent, vtraque ei latera feriunt. At ille vociferans atque corruens, non pòst multo spatio emisit spiritum.] hic finis Sigeberti Dei sacerdotem non audientis, cùm alioqui optimi Regis & verè Christianissimi sæpè antea egregium specimen ediderit: vt planè inter maximè pios Principes collocandus fuisset, nisi furor ille belli ciuilis eius animum inuasisset: quamuis enim sæpè prouocatus illud inuitus visus sit suscepisse; vbi tamen semel atque iterum excitaretur, eo impetu ferri se siuit, vt Dei contemnens monita sacerdotis, in eam insidiarum foueam præceps incurrerit.

Commendatur inter alia eiusdem pietas Regis in colendis Dei seruis, monasteriisque construendis à Iona ea scriptione qua prosecutus est res gestas[e] sancti Columbani Hiberni egregiæ sanctitatis viri, cuius opera magnopere in Galliis atque etiam in Italia propagatus est monachismus, vt eiusdem viri sancti Acta demonstrant.

[e] *Sigebert de Script. Eccl. c. 41. extat apud Bed. tom. 3. Sur. to 6. die 22. Nouemb.*

Sed quidnam memoria dignum acciderit huius Sigeberti Regis tempore (quoto autem anno eius regni, nescitur) cuidam Childerico qui apud eumdẽ Regem primum locum obtinebat, hic tibi historiam perpetuis dignam monumentis intexendã putamus. narrat eam Gregorius istis verbis[f]: Aquensibus concessus est inclytus athleta Metrias, vir in corpore iuxta historiam actionis magnificæ sanctitatis, & licet ditione seruus, liber tamen iustitia: qui (vt ferunt legentes certaminis eius textum) peracto cursu boni operis, à sæculo victor abscedit, sæpiùs se in cælis degere virtutibus manifestis ostendens. Tempore igitur quodam, cùm Franco Episcopus huius municipij Ecclesiam gubernaret: Childericus, qui tunc primus

[f] *Gregor. Turon. de Glor. confes. cap. 71*

FRANCO AQVENSIS EPISC. TVETVR IVRA ECCLESIAE.

A primus apud Sigebertum Regem habebatur, villam eius competit, dicens, quia iniustè ab Ecclesia Aquensi retineretur. Ac dicto citiùs conuenitur Episcopus, datisque fideiussoribus, in præsentia Regis adsistit, clamans & obsecrans, vt Rex ad huius causæ audientiam præsentiam suam auerteret, ne cælesti iudicio condemnetur; addens: Scio enim virtutem Metri viri beati, quòd velociter in peruasorem suum irrogat vltionem. Denique coniuncti Auditores causam discutiunt. Insurgit Childericus, & improperans criminibus exacerbatum Episcopum, quòd res fisci ditionibus debitas iniquo ordine retineret: extrahi eum à iudicio iubet; & eumdem ablata per iudicium præsentium villa trecentis aureis condemnauit. Fauebant ei omnes, nec quisquam contra voluntatem eius audebat decernere, nisi quod eidem libuisset.

Denique condemnatus, spoliatusque sacerdos ad vrbem rediit, atque prostratus in ora-
B tione coram sepulchro Sancti, dicto psalmi capitello, ait: Non hic accedetur lumen, neque psalmorum modulatio cauetur, glorioßissime Sancte, nisi priùs vlciscaris seruos tuos de inimicis suis, resque tibi violenter ablatas Ecclesiæ sanctæ restituas. Hæc cum lacrymis effatus, sentes cum acutis aculeis super tumulum proiecit. Egressusque clausis ostiis, similiter in ingressu alias collocauit: *typus is erat derelicti penitus loci.* Nec mora, corripitur peruasor à febre, decumbit in lectulo, exhorret cibum, fastidit & potum; profert æstuans iuge suspirium: cui etiam si interdum ab ardore febris sitis accederet, aquam tantùm, nihil aliud hauriebat. Quid plura? in hac ægrotatione integrum ducit annum, sed mens praua non flectitur. Interea labitur cæsaries cuncta cum barba, & ita omne caput remansit nudum, vt putares eum olim sepultum, nuper eiectum fuisse post funera de sepulchro.

CHILDERICVS DAT POENAS PATRATI SCELERIS.

His & talibus miser afflictus malis, serò recogitat, dicens: Peccaui, eo quòd expoliauerim
C Ecclesiam Dei, atque Episcopo sancto intulerim iniuriam. Nunc autem ite quantocyus, & reddita villa, sexcentos aureos super tumulum Sancti deponite: est enim mihi spes, quòd res reddita tribuat ægrotanti medelam. Quod audientes homines eius, accepta pecunia, fecerunt sicut eis fuerat imperatum. Reddiderunt agrum, solidosque super sepulchrum serui Dei posuerunt. Sed cum hoc fecissent, statim ille in loco quo erat, spiritum exhalauit, lucratusque est detrimentum animæ per adeptionem acquisitionis iniquæ. Episcopus autem obtinuit vltionem de inimico Ecclesiæ, quam promiserat futuram per athletæ Dei virtutem.] hucusque Gregorius, ostendens renouatum Antiochi exemplum, qui licet in extremis positus violati templi Dei pœnitentiam præsetulerit, ablataque restitui præcepis-
set, ab ægritudine tamen qua detinebatur, haud valuit conualescere. Hæc tempore Sigeberti, quem hoc anno vita functum diximus.

D Sed quid insuper statim post obitum eiusdem Regis acciderit violatori Ecclesiasticæ immunitatis, ab eodem Gregorio accipe res ob oculos positas enarrante[a]: Cùm verò (inquit) interempto Sigeberto Rege, Chilpericus regnum exemptus ab imminenti morte cepisset: Ruccolenus cum Cenomanicis grauiter ciuitatem Turonensem opprimebat, ita vt cuncta deuastans, nullam spem alimoniæ in domos Ecclesiæ vel pauperum hospitiola relinqueret. Postera autem die legatos ad ciuitatem mittit, vt homines qui propter culpam minimè nobis incognitam ad Sancti Basilicam residebant *(quòd illic confugissent Guntheramnus Dux, qui dicebatur occidisse Theodobertum)* extraherentur à clericis. Quod si differretur fieri, vniuersa promittit incendio concremari. Et nos hæc audientes, mæsti valde basilicam sanctam adimus, & beati auxilia flagitamus: statimque paralytica, quæ per duodecim annos fuerat contracta, dirigitur. Ipse verò Ruccolenus vlteriorem ripam aggres-
E sus, morbo confestim regio sauciatur, atque ab infirmitatibus Herodianis (quas enarrare longum videtur) allisus, & sicut cera à facie ignis guttatim defluens, quinquagesima die ab hydrope conflatus interiit.] hæc Gregorius, qui Herodianum appellat morbum, quo nefandus Herodes interiit. Subdit verò his ista: Sed nec hoc silebo, quòd illo tempore alueus fluuij nutu Dei, vel virtute beati viri absque pluuiarum inundationibus repletus, hostem, ne ciuitatem læderet, transire prohibuit.] hæc ipse: qui de superbia Ruccoleni & de eius miserando interitu alibi[b] pluribus agit. vbi post multa, rursus ad ea quæ hoc anno facta sunt, reuocat orationem, sic dicens[c]:

RVCCOLENVS SACRILEGVS DAT POENAS.

[a] *Gregor. Turon. mirac. S. Martini lib. 2. c. 17.*

[b] *Gregor. Turon. histor. Franc. lib. 5. cap. 1. & 4.*

Anno verò quo suprà, id est, quo mortuo Sigeberto, Childebertus eius filius regnare
[c] *Gregor. Turon. lib. 5. c. 8.* cœpit, multæ virtutes ad sepulchrum beati Martini apparuerunt, quas in illis libellis scripsi, quos de ipsius miraculis componere tentaui: & licet sermone rustico, tamen celari passus non sum, quæ aut ipse vidi, aut à Fidelibus relata cognoui. Hic tantùm quid negli-

MIRACVLA AD SEPVLCHRVM S. MARTINI.

gentibus

gentibus euenerit, qui post virtutem cælestem terrena medicamenta quæsierunt, exoluam: A
quia sicut per gratiam sanitatum, ita & per castigationem stultorum virtus eius ostenditur. Leonastes Biturigis Archidiaconus, decidentibus cataractis, lumine caruit oculorum. Qui cùm per multos medicos ambulans nihil omnino visionis recipere posset, accessit ad basilicam beati Martini, vbi per duos aut tres menses consistens, & ieiunans assiduè, lumen vt reciperet, flagitabat. Adueniente autem festiuitate, clarificatis oculis, cernere cœpit. Regressus verò domum, vocato quodam Iudæo, ventosas, quo earum beneficio oculis lumen augeret, humeris superponit: decidente verò sanguine, rursus in recidiuam cæcitatem redigitur. Quod cùm factum fuisset, rursus ad templum sanctum regressus est: ibique iterum longo spatio commoratus, lumen recipere commeruit.] ita antè punitus, dum à Iudæo petiisset suppleri, quod à sancto Martino videri poterat prætermissum. Et inferiùs de
[a] *Gregor. Turon. hist. lib. 5. c. 7.* sanctis viris hoc anno defunctis ista subiicit[a]: B

SENOCH PRESBYTERI OBITVS.

Sed & illud commemorare libet, qui vel quales viri hoc anno à Domino sunt vocati] nempe Senoch presbyter virtutibus clarus, de quo ait: Benedictus Senoch presbyter, qui apud Turonos morabatur, hic migrauit è sæculo. fuit genere Theisalus, & in Turonico clericus factus, in cellulam, quam ipse inter parietes antiquos composuerat, se remouit, collectisque monachis, oratorium, quod multo tempore dirutum fuerat, reparauit. Idem super infirmos multas virtutes fecit, quas in libro vitæ eius scripsimus.] hæc ipse. Subdit de transi-
[b] *Greg. ibid. c. 8.* tu sancti Germani Episcopi Parisiensis his verbis[b]:

TRANSITVS S. GERMANI EPISC. PARISIENSIS.

Eodem anno & beatus Germanus Parisiorum Episcopus transiit: in cuius exequiis multis virtutibus, quas in corpore gesserat, hoc miraculum confirmationem fecit. Nam carceratis acclamantibus, corpus in platea aggrauatum est, solutisque iisdem, rursum sine labore leuatur. Ipsi quoque qui soluti fuerant, in obsequium funeris vsque ad basilicam, in C
qua sepultus est, liberi peruenerunt. Ad sepulchrum autem eius multas virtutes, Domino tribuente, credentes experiuntur: ita vt quisque, si iusta petierit, velociter exoptata reportet. Si quis autem strenuas virtutes illius, quas in corpore fecit, solicitè vult inquirere; librum vitæ illius, qui à Fortunato presbytero compositus est, legens, cuncta reperiet.] hæc sanctus Gregorius.

Porrò epitaphium eius à Chilperico Rege fuisse conscriptum, Aimoinus affirmat his
[c] *Aimoin. lib. 3. c. 16.* verbis[c]: Ingrediente autem postmodum Chilperico Rege in vrbem Parisiacam, sequenti die postquam Rex ingressus est ciuitatem, paralyticus qui in porticu basilicæ sancti Vincentij (in qua beatus Germanus requiescit in corpore) residebat, dirigitur: manè autem facto, spectante populo, beato Antistiti gratias referebat. Quod cùm Regi nunciatum foret, magna cum deuotione illuc adueniens, & tanto gauisus miraculo, eius epitaphium his D
distychis rhythmicè composuit:

EPITAPHIVM S. GERMANI.

Ecclesiæ speculum, patriæ vigor, ara reorum,
Et pater & medicus, pastor, amorq; gregis,
Germanus virtute, fide, corde, ore beatus
Carne tenet tumulum, mentis honore polum.
Vir cui dura nihil nocuerunt fata sepulchri:
Viuit enim: nam mors quem tulit, ipsa timet.
Creuit adhuc potiùs iustus post funera: Nam qui
Fictile vas fuerat, gemma superba micat.
Huius opem ac meritum mutis data verba loquuntur,
Redditus & cæcis prædicat ore dies. E
Nunc vir Apostolicus rapiens de carne trophæum,
Iure triumphali considet arce throni.] hactenus à Rege scriptũ epitaphium. Excultum quidem fuisse ipsum Regem poëticis litteris, testatur Venantius Fortunatus, atque Gregorius Turonensis. Subdit verò idem scriptor: Factaque illi prædictus Rex oblatione solemni, munificentia regali, ad propria rediit.]

Delegisse potissimùm visus est ad sepulturam S. Germanus Ecclesiam S. Vincentij,
[d] *Aim. lib. 3. c. 9.* quòd sacras reliquias ab Imperatore Iustiniano acceptas, cùm rediit Hierosolymis, illic (vt idem testatur[d] auctor) collocauerat, nempe spineæ coronæ Domini nostri Iesu Christi partem, sanctorumq. Innocentiũ reliquias, necnon S. Georgij martyris celeberrimi brachium. At qui viuens miraculorum virtute resplenduit S. Germanus, in cælum scandens maioribus fulgoribus coruscauit, vt quæ à Gregorio & Fortunato & aliis de ipso sunt scripta testan-

A testantur. Dies verò natalis eius anniuersaria veneratione celebris ab Ecclesia Catholica custoditur. Successit autem S. Germano Ragnemodus, siue Regnamundus; de quo, cùm esset diaconus, Gregorius narrat[a], liberatum à morbo, hausto diluto puluere collecto è sepulchro S. Martini. Subdit his etiam idem Gregorius, hoc item anno migrasse è vita Caluppam reclusum, cuius res gestas alibi scriptis mandauit, agitque de Patroclo eiusdem vitæ instituto ad magnum sanctitatis culmen euecto: quos omnes anniuersaria commemoratione Dei Ecclesia colere consueuit.

[a] *Gregor. mirac. S. Martini lib. 2. c. 12.*

Ad postremum verò quæ de Iudæorum conuersione Aruerni per eius ciuitatis Episcopum S. Auitum facta hoc itidem anno narrat, ipsius hic verbis reddenda putamus. ait enim[b]: Et quia semper Deus noster sacerdotes suos glorificare dignatur: quid Aruerni de Iudæis hoc anno contigerit, pandam. Cùm eosdem plerumque beatus Auitus Episcopus
B commoneret, vt relicto velamine legis Mosaicæ spiritaliter lecta intelligerent, & Christum Filium viuentis Dei prophetica & legali auctoritate promissum corde purissimo in sacris litteris contemplarentur: manebat in pectoribus eorum iam non dicam velamen illud, quo facies Moysi obumbrabatur, sed paries. Sacerdote quoque orante, vt conuersi ad Dominum, velamen ab eis litteræ rumperetur: quidam ex eis ad sanctum Pascha, vt baptizaretur, expetiit; renatusque Deo per baptismi sacramentum, cum albatis reliquis in albis & ipse procedit. Ingredientibus autem populis portas ciuitatis, vnus Iudæorum super caput conuersi Iudæi oleum fœtidum, diabolo instigante, diffudit. Quod cùm cunctus abhorrens populus voluisset eum vrgere lapidibus, Pontifex vt fieret non permisit.] fuisse quidem in Gallis frequentem Iudæorum populum, eosque superbia elatos in religionis Christianæ contemptum quamplurima perpetrare consueuisse, quæ habentur de iisdem in Concilio Matisconensi demonstrant. sed pergit Gregorius:

[b] *Gregor. hist. Franc. lib. 5. cap. 11.*

DE IVDAEORVM CONVERSIONE.

C Die autem beato, quo Dominus ad cælos post redemptum hominem ascendit glorioſus, cùm sacerdos de ecclesia ad basilicam psallendo procederet: irruit super synagogam Iudæorum multitudo tota sequentium, destruens eam à fundamentis, vt campi planicies locus assimilaretur. Alia autem die sacerdos eis legatos mittit, dicens: Vi ego vos confiteri Dei Filium non impello, sed tamen prædico, & salem scientiæ vestris pectoribus trado: pastor sum enim Dominicis ouibus superpositus; & de vobis ille verus pastor, qui pro nobis passus est, dixit habere se alias oues quæ non sunt ex ouili suo, quas eum oporteat adducere, vt fiat vnus grex & vnus pastor. Ideo, si vultis credere vt ego, estote vnus grex, custode me posito: Sin verò aliud, abscedite à loco. Illi autem diu æstuantes atque dubitantes, tertia die (vt credo) obtentu Pontificis coniuncti in vnum, ad eum mandata remit-
D tunt, dicentes: Credimus Iesum Filium Dei viui, nobis Prophetarum vocibus repromissum: & ideo petimus vt abluamur baptismo, ne in hoc delicto permaneamus.

SYNAGOGA IVDAEORVM DESTRVCTA.

Gauisus autem nuncio Pontifex, nocte sancta Pentecostes, vigiliis celebratis, ad baptisterium foras muraneum egressus est: ibique omnis multitudo coram eo prostrata baptismum flagitauit. At ille præ gaudio lacrymans, cunctos aqua abluens, & chrismate liniens, in sinu matris Ecclesiæ congregauit. Flagrabant cerei, lampades refulgebant, albicabat tota ciuitas de grege candido; nec minus fuit vrbi gaudium, quàm quondam Spiritu sancto descendente super Apostolos Hierusalem videre promeruit. Fuerunt autem qui baptizati sunt, amplius quingenti. Hi verò qui baptismum recipere noluerunt, discedentes ab illa vrbe, Massiliæ redditi sunt.] hucusque Gregorius de Iudæorum conuersione à sancto Auito diuino Spiritu administrata, ex Euangelij (vt putauit) præscripto, quo Dominus monuit
E compellendos vi aliqua intrare in Ecclesiam remorantes: licet à S. Gregorio[d] Papa incensio synagogarum minimè comprobetur; sed nec à recentioribus scholasticis scriptoribus, qui eamdem quæstionem diffusissimè pertractarunt, vi extorquendam conuersionem, conceditur: quamuis non desint qui ex aduerso obnixè repugnent, & contrariam sententiam tueri conentur. In Auito autem quis id audeat condemnare, viro præsertim cuncta sua sancti Spiritus arbitrio moderantis, itidemque miraculis coruscantis?

IVDAEI BAPTIZANTVR A S. AVITO EPISCOPO.

[c] *Luc. 14.*

[d] *Gregor. li. 1. epist. 34. & li. 11. epist. 15*

Cecinit carmine Fortunatus eiusmodi Iudæorum conuersionem atque baptismum, id ipso expetente Gregorio Turonensi, ad quem illud misit, cui & epistolam dedit, quę eidem præfixa legitur: de quibus post alia quæ præclarè cecinit, de abstersо ex sacro lauacro Iudaico fœtore ista habet[e]:

[e] *Fort. carm. lib. 5.*

FOETOR IVDAICVS ABSTERSVS BAPTISMATE.

Abluitur Iudæus odor baptismate diuo,
Et noua progenies reddita surgit aquis.

Vincens

Vincens ambrosios suaui spiramine rores
Vertice perfuso chrismatis efflat odor.] Deq; vsu illo pristino, quo baptizati candidis indui vestibus, & accensos ferre cereos solerent, ista subdit admodum præclarè: A

Vndique rapta manu lux cerea prouocat astra,
Credas vt stellas ire trahendo comas.
Lacteus hinc vestis color est, hinc lampade fulgor
Ducitur, & vario lumine picta dies.] &c. Qui verò ista de Iudæorum conuersione cecinit Fortunatus, eiusdem ad eumdem Auitum tria extant epigrammata, quibus & ipsius insignes celebrantur virtutes.

Quod rursus spectat ad Iudæorum in Gallia commorantium conuersionem: opera quoque S. Germani Episcopi Parisiensis constat complures ex eis esse conuersos: cuius obitum cùm hoc eodem anno contigisse dixerimus, aspergatur floribus istis eius sepulchrũ, hicque reddamus quæ de his miranda recitat Fortunatus in Vita ipsius[a]: Cunctorum (inquit) saluti semper instans solicitus, cùm Bituricas accessisset pro ordinatione Felicis Episcopi, prædicante illo, Sigericus quidam Iudæus, fidei sacramento percepto, conuersus est: habebat enim in Iudaismo coniugem Mammonam nomine. Hęc de sui cõuersione, dum nec mentionem quidem reciperet sæpiùs per missos beati admonita, sed cùm magis refugeret, facta ad eam vigilia, doctor ipse profectus est. Quæ cùm beatum virum nec visu vellet intendere, decantato cursu tertiæ, manum suam Pontifex ad mulieris frontem dignanter admouit pietatis ex opere. Statim à circumstantibus de mulieris naribus, quasi scintillante igne, fumus egredi visus est: vt cunctis clarum fieret, eiecto insidiatore, mulierem vsque tunc repugnasse saluti suæ per obsidentem. Tunc exonerata inimici fasce, respirans confessa est, numquam se priùs faciem beati viri potuisse conspicere. Inde petens ac humiliter supplicans cum propria domo meruit effici Christiana. Nam & exinde quasi capite subdito, exemplo eorum ad fidem conuersi sunt.] hæc Fortunatus. B C

[a] *Fortun. in Vit. S. Germ. c. 64.*

DE FEMINAE IVDAEAE CONVERSIONE.

DE CHILPERICO E MORTE IN REGNVM EVECTO.

Sed iam ad Chilpericum Regem ob repentinam Sigeberti necem è periculo erutum redeamus. Magna quidem momento temporis facta est rerum mutatio, vt qui obsidione vallatus quæreretur ad necem, iam regno integro ferme deperdito, idem mox surgens vnà cum vita recuperaret & regnum. Tribuit id Venantius Fortunatus eiusdem Regis pietati, ceterisque virtutibus, quas hoc tempore carmine laudationis edito celebrauit, in pristinum statum præter spem restitutionem eius his versibus concinens[b]:

[b] *Fortun. car. lib. 9.*

Sed meritis tantis subitò sors inuida rerum
Perturbare parans regna quieta tibi,
Concutiens animos populorum & fœdera fratrum,
Lædere dum voluit, prosperitate fauet. D
Denique iam capiti valido pendente periclo,
Quando ferire habuit, reppulit hora necem.
Cùm retinereris mortis circumdatus armis,
Eripuit gladio sors, operante Deo.
Ductus ad extremum, remeas de funere vitæ:
Vltima quæ fuerat, fit tibi prima dies.
Noxia dum cuperent hostes tibi bella parare,
Pro te pugnauit fortis in arma fides.
Prospera iudicium sine te tua causa peregit,
Et rediit proprio celsa cathedra suo.
Rex bone, ne doleas: nam te fortuna querelis E
Vnde fatigauit, hinc meliora dedit.
Aspera tot toleranda diu modò læta sequuntur,
Et per mœrores gaudia nata metus.
Multimodis per opes seminans, tua regna resumis:
Namque labore graui crescere magna solent.
Aspera non nocuit, sed sors te dura probauit:
Vnde grauabaris, celsior inde redis.] &c.

LVPICINVS TREMENDVS CHILPERICO REDDITVR.

Vt autem tot tantaque à Deo obtinere meruerit Chilpericus, S. Lupicini insignis sanctitatis viri preces interceſſisse videntur: de eo enim in Vita ipsius ista habet Gregorius Turonensis: Lupicinus iam senex factus accessit ad Chilpericum Regem, qui tunc Burgundiæ

A gundiæ præerat. Audierat enim eum habitare apud vrbem Ianubam: cuius cùm ingressus est portam, tremuit cathedra Regis, qui ea hora ad conuiuium residebat. Exterritusque ait suis: Terræmotus factus est. Responderunt qui aderant, nihil se sensisse commotionis. At ille: Occurrite quantocyus ad portam, ne fortè aliquis aduersari cupiens regno nostro adsit quasi nociturus nobis: non enim sine causa hæc sella contremuit. Qui protinus occurrentes, offenderunt senem in veste pellicea,& dixerunt de eo Regi. Qui ait: Ite & adducite eum in conspectu meo, vt intelligam cuius ordinis sit homo. Et adductus stetit coram Rege, sicut quondam Iacob coram Pharaone. Cui ille ait: Quis es,& vnde venisti,& quod est opus tuum, vel quid necessitatis habes vt venias ad nos?

Cui ille: Pater sum (inquit) Dominicarum ouium, quas cùm Dominus spiritualibus cibis iugi administratione reficiat, corporalia eis interdum alimenta deficiunt. Ideo pètimus B potentiam vestram, vt ad victus vestitusque necessaria aliquid tribuatis. Rex verò hæc audiens, ait: Accipite agros vineasque, de quibus possitis viuere, ac necessitates vestras explere. Qui respondit: Agros & vineas non accipiemus; sed si placet potestati vestræ,aliquid de fructibus delegate: quia non decet monachos facultatibus mundanis extolli, sed in humilitate cordis Dei regnum iustitiamque eius exquirere. At Rex cùm audisset hæc verba, dedit præceptionem, vt annis singulis trecentos modios tritici, eiusdemque mensuræ numero vinum accipiant, & centum aureos ad comparanda fratrum indumenta:quod vsque nunc à fisci ditionibus capere referuntur.] hucusque Gregorius. Sic igitur seminans Rex ista carnalia, messuit iugi prouentu spiritualia, nempe preces assiduas tantorum monachorum, ex quibus etiam ditatus est rerum temporalium copia, nouo auctus regno, qui iam propè casurus erat è suo.

MVNIFICENTIA REGIS ERGA LVPICINVM.

C Sed quæ læta hæc sint tristia subsecuta, iam ex Gregorio[a] nobis dicendum erit. Accidit enim, vt maior natu ex alia coniuge filius Chilperici Moroueus nomine aduersus patrē insurrexerit occasione incestuosi contracti coniugij, cùm videlicet copulauit sibi in matrimonium Brunichildem Sigeberti Regis sui patrui relictam vxorem, quam apud Rhotomagum idem Rex Chilpericus iusserat exulare. cuius rei gratia contra filium indignans pater insurgens, ipsum armis rem agentem superatum, captumque in custodia detineri mandauit: Qui (inquit Gregorius) ibi tonsuratus est, & mutata veste,qua clericis vti mos est, presbyter ordinatur, & in monasterium Cænomanicum, quod vocatur Aninsula,dirigitur, vt ibi sacerdotali erudiretur regula.] Subdit autem Gregorius,eumdem Moroueum patrem eludere conatum, inde aufugisse, confugisseque ad basilicam sancti Martini Turonos, vbi ipsum tunc Gregorium adesse contingeret, qui de re gesta eiusmodi historiam D texit[b]: Operto capite, indutus veste sæculari, beati Martini templum expetiit. Nobis autem Missas celebrantibus, in sanctam basilicam, aperta reperiens ostia,ingressus est. Post Missas autem petiit vt ei eulogias dare deberemus (erat autem tunc nobiscum Ragnemodus Parisiacæ sedis Episcopus, qui S.Germano successerat) Quod cùm refutaremus, ipse cœpit clamare, & dicere, quod non rectè eum à communione sine fratrum conniuentia suspenderemus. Illo autem hæc dicente, cum consensu fratris qui præsens erat, contestata causa canonica, eulogias à nobis accepit. Veritus autem sum, ne dum vnum à communione suspendebam, in multos exisserem homicida: minabatur enim aliquos de populo nostro interficere,si communionem nostram non meruisset. Multas tamen pro hac causa Turonica regio sustinuit clades.] & quænam fuerint, hæc paulo inferius: Igitur Chilpericus Rex nuncios ad nos direxit, dicens: Eiicite apostatam illum de basilica: sin autem, totam E regionem illam igne succendam. Cumque nos rescripsissemus, Impossibile esse vt quod tempore hæreticorum non fuerat, Christianorum tunc temporibus fieri, *nempe vt confugientes ad ecclesiam vi expellerentur:* ipse exercitum commouet & illuc dirigit.] Quæ autem post hæc facta sint, dicemus postea.

[a] *Greg. Turon. hist. li. 5. c. 2. 14.*

DE MOROVEO INCESTVOSO IN CLERICVM MVTATO.

[b] *Greg. hist. Fran. lib. 5. c. 14.*

GREGORIVS LEVITER NIMIS COMMVNIONEM IMPERTIT MOROVEO.

Verùm haud perfunctorie factum huiusmodi Gregorij prætereundum putamus,ne imitandum posteris factum perperam relinquatur. Laudandus mihi semper in reliquis Gregorius fuit multis de causis,potissimum verò ob pietatem, quo nomine etiam ab eius temporis scriptore Venantio Fortunato plurimum commendatur: in hoc autem minimè mihi probandus, cùm communionem impertiit apostatæ transfugæ, qui præsertim eam minis expeteret. Esto, purgatum fuerit per pœnitentiam vtcumque prætensum delictum illud incestus; tamen vt habitus clericalis desertori, ad hominumque cædes parato impertierit communionem,non (vt decebat) constantiam sacerdotalem exhibuit, sed eneruatum ani-

mum, tantoque muneri imparem demonstrauit, cùm non satis sibi inesse virium docuit, A
vt minacem repelleret peccatorem, cùm ipse maiori polleret auxilio, nempe patrocinio S. Martini, qui ad vlciscendas iniurias illatas personis vel loco, continuò soleret assurgere. Sed missa istæc.

IESV CHRISTI ANNVS 580. PELAGII PAP. II. ANNVS 3. IVSTINI IVN. IMP. ANNVS 15.

OCtogesimus supra quingentesimum Christi annus adest, Indictionis decimætertiæ, idemque tertius Tiberij cum Iustino regnantis: quo [a] Antiochia Syriæ iterum terræ- B
motu quassata, magna ex parte vastatur. Vnde autem tantorum malorum fluxerit causa, Euagrium in primis illorum temporum scriptorem audiamus, qui ait [b]: Antiochiæ porrò & Daphne, quæ est illi finitima, ad tertium annum Imperij Tiberij Cæsaris tam ingens terræmotus in ipso meridie extitit, vt Daphne tota eius vi impetu concideret, & Antiochiæ ædificia tam publica, quàm priuata ad terram vsque dirumperentur illa quidem, sed non ita tamen, vt ad solum ruerent. Acciderunt præterea tum Antiochiæ, tum Constantinopoli alia nonnulla, quæ longum sermonem requirunt: quæ quidem certè vtramque vrbem grauiter exagitarunt, & in maximas turbas coniecerunt, atque vt ex diuino quodam zelo orta sunt, sic exitum habuere planè admirabilem; de quibus deinceps verba facturus sum.

[a] *Euag lib. 5. c. 1. & Niceph. hist. lib. 18. c. 3.*
[b] *Euag hist. lib. 5. c. 17. & 18.*

ANTIOCHIA TERRAEMOTV CONCVSSA.

DE ANATOLIO IMPIO.

Anatolius quidam, vir primum quidem plebeius & mollis, postea verò ad magistratus & alia munera obeunda subdolè (nescio quo modo) arrepsit, & Antiochiæ ætatem tradu- C
xit: quo in loco res, quas habebat in manibus, sedulò executus est. Vnde cùm Gregorio eius vrbis Antistite maximam conflauit familiaritatem, persæpeque illum adiit, partim gratia de negotiis suis colloquèdi, partim vt maiorem auctoritatem ex crebra eius consuetudine sibi conciliaret. Iste Anatolius hostias simulacris immolasse, forte deprehensus est, qui cùm vocaretur in quæstionem, homo impius, præstigiator, & infinitis inuolutus sceleribus repertus fuit. Et tamen parum aberat, quin & ipse & sui omnes (habuit namque alios sui similes, qui dolis itidem sacrificasse manifesto tenebantur) liberi dimissi fuissent, nisi populus, excitato tumultu, omnia turba ita miscuisset, vt consilium de illis impiis initum eo pacto diremptum esset. Quinetiam contra Gregorium Episcopum clamores tolluntur, eum consilij Anatolij participem fuisse palàm prædicatum. Porrò autem execrabilis dæ- D
mon, humanæ vitæ perturbator, nonnullos induxerat, vt victimis immolandis cum Anatolio se socios adiungerent. Hinc Gregorius in maximum venit discrimen, populo eum grauissimè exagitante, insectanteque: hinc etiam in illum tam vehemens mouebatur suspicio, vt Imperator ipse Tiberius coram ex ore Anatolij veritatem expiscari laboraret.

DEIPARAE IMAGO ANATOLIVM IMPIVM AVERSATA.

Mandatum igitur dat, vti Anatolius & sui omnes quàm celerrimè aduentarent. Quibus rebus cognitis, Anatolius ad imaginem quamdã Mariæ Deiparæ fune in carcere sublimem appensam accurrens, manibus à tergo complicatis se ei supplicare, precesq; adhibere ostendit. Illa autem eum veluti sacrilegum detestata, & vt Deo inuisum coarguens, penitus ab se auertit: spectaculum planè horribile & sempiternæ memoriæ prodendum: quod quidem à præsidiariis militibus, & ab his quibus illius custodia commissa fuit, visum est, & ab his omnibus aliis diuulgatum. Apparuit item Deipara re ipsa nonnullis aliis Fidelibus, eosque contra scelestum illum incitauit, inquiens, Anatolium filium suum contumeliis afficere. E

ZELVS POPVLI CONSTANTINOPOLITANI ADVERSVS IMPIOS.

Vbi verò Anatolius ad vrbem Constantinopolitanam ductus fuit, & ibi verberibus supra modum cæsus, nihil contra Episcopum potuit dicere, ipse cum suis maioris tumultus & seditionis planè popularis ciuitati auctor & causa extitit. Nam cùm quidam illorum sententiam haberent de se pronunciatam, vt nõ morte, sed exilio dumtaxat mulctarentur: populus diuino quodam zelo succensus, omnia turbare, bile & iracundia exardescere, exilioque damnatos rapere cœpit: qui in nauem piscatoriam impositi, totius populi suffragiis viui ignis tradebantur incendio. Contra Imperatorem porrò & Eutychium Episcopum suum tamquam fidei proditores grauiter vociferari. Nec dubium, quin & Eutychium, & eos quibus potestas in Anatolium cum suis inquirendi permissa fuit (istos namque in singulis locis inquirere & vndique circumsidere cœperunt) prorsus è medio sustulissent, nisi Dei prouidentia, quæ omnium saluti prospicit, illos è quærentium manibus eripuisset, &

tam

A tam ingentis multitudinis furorem pedetentim sedauisset. Siquidem ita factum est, vt neque vllum atrox facinus eorum manibus ederetur, & Anatolius primùm in amphitheatro bestiis expositus, ab iisdem dilaniaretur, deinde ageretur in crucem. ANATOLIVS EXPOSITVS BESTIIS.

Neque tamen ita finem suppliciorum sibi inflictorum reperit. Nam lupi corpus eius in terram disturbantes (quod antè numquam visum fuisset) pastu crudeli membratim deuorarunt. Erat autem quidam è nostris hominibus, qui, priusquam res istæ confectæ essent, dixerat, se secundùm quietem vidisse sententiam contra Anatolium ac suos à populo latam. Quinetiam vir illustris, qui Imperatoris Palatio præfuit, quique Anatolij causam acriter admodum tuebatur, dixerat, se quoque vidisse Deiparam Mariam, eamque sic ipsi locutam: Quousque defendis causam Anatolij, qui tum me, tum filium meum tantis onerat contumeliis? Sed de his hoc modo.] hactenus Euagrius de rebus in Oriente gestis.

B Quod ad res Occidentalis Ecclesiæ spectat, de Ecclesia Gallicana nonnulla à Gregorio, cùm prosequitur res Francorum, suppeditantur, ex quibus complura obseruatione digna de rebus Ecclesiasticis elici possunt. Dum igitur stylo prosequitur Morouei filij Chilperici Regis confugium in ecclesiam, quæ potissimùm hoc anno facta sint, quo Childeberti filij Sigeberti annus secundus regni incipit numerari, ita narrare pergit[a]: Anno autem secundo Childeberti Regis, cùm videret Moroueus patrem suum in hac deliberatione intentum, assumpto secum Guntheramno Duce, ad Brunichildem pergere cogitat, dicens: Absit vt propter meam personam basilica domini Martini violentiam perferat, aut regio eius propter me captiuitati subdatur. Et ingressus basilicam, dum vigilias ageret, res quas secum habebat ad sepulchrum B. Martini exhibuit, orans vt sibi sanctus succurreret, atque ei concederet gratiam suam, vt regnum accipere posset.] Vides hominem quantumlibet C improbum, haud tamen Sanctorum cultum despexisse, sed eo ampliùs propensiusq; Martini auxilium expetiisse precibus atque muneribus, quo magis angustiis premeretur. Subdit autem Gregorius: Moroueus verò de patre atque nouerca multa crimina loquebatur; quæ cùm ex parte vera essent, credo acceptum non fuisse Deo vt hæc per filium vulgarentur, sicut in sequentibus cognoui. [a] *Greg. Turon. lib. 5. c. 14.* MOROVEI AD BRVNICHILDEM FVGA.

Quadam enim die ad conuiuium eius accitus cùm pariter sederemus, suppliciter expetiit aliqua ad instructionem animæ legi. Ego verò reserato Salomonis libro, versiculum qui primus occurrit, arripui, qui hæc continebat[b]: Oculum qui aduersus respexerit patrem, effodiant eum corui de conuallibus. Illo quoque non intelligente, considerani hunc versiculum à Domino præparatum.] animus enim semel imbutus ambitione regnandi aliud non admittit ad salutem oblatum remedium. In deteriora igitur infelix lapsus, Saulem imiD tatur, ad pythonissam confugiens, cùm se à Deo desertum esse cognouit. nam audi quæ mox subdit Gregorius: [b] *Prou. 30.*

Tunc direxit Guntheramnum puerum ad mulierem quamdam habentem spiritum pythonis, vt ei quæ erant euentura narraret. Asserebat præterea, ipsam sibi ante hoc tempus non solum annum, sed & diem & horam in qua Rex Charibertus obiret, denunciasse. Quæ hæc ei per pueros mandata remisit: Futurum est enim, vt Rex Chilpericus hoc anno deficiat; & Moroueus, inclusis fratribus, omne capiat regnum. Tu verò ducatum totius regni eius annis quinque tenebis; sexto verò anno in vna ciuitate, quæ super Ligeris alueum sita est in dextera eius parte, fauente populo, Episcopatus gratiam adipiscceris, ac senex plenus dierum ab hoc mundo migrabis. Cumque hęc pueri redeuntes omnino nunciassent, statim ille vanitate elatus, tamquam si iam in cathedra Turonicæ Ecclesiæ resideret, ad me hæc E detulit verba. Cuius ego irridens stultitiam, dixi: A Deo hæc poscenda sunt: nam credi non debent quæ diabolus repromittit: ille autem ab initio mendax est, & in veritate numquam stetit. Illoque cum confusione discedente, valde irridebam hominem qui talia credi debere putabat.] ita planè hac punitione curiosi plectuntur, vt in hunc modum à dæmone illudantur atque traducantur falsis promissionibus, quibus aliquid verum immiscet. ludus iste est sapientiæ, vt illudat hominibus huiuscemodi vana sectantibus, sicut cùm talia quærentem decipi voluit Achab, dicens[c]: Quid ibit nobis ad decipiendum Achab?] Vix credi potest, quàm amplum sit rete istud, quod super Orbem, vt decipiat curiosos, diabolus tendere consueuit. Pergit verò Gregorius de se ipso: MOROVEVS CONSVLIT PYTHONISSAM. [c] *3. Reg. 22.*

Denique quadam nocte, vigiliis in basilica S. Martini celebratis, dum lectulo decumbens obdormissem, vidi Angelum per aëra volantem: cumque super sanctam basilicam præteriret, voce magna ait: Heu heu, percussit Deus Chilpericum & omnes filios eius, nec

superersit de his qui processerunt de lumbis eius, qui regat regnum illius in æternum. Erant A ei eodem tempore de diuersis vxoribus filij quatuor, exceptis filiabus. Cùm autem hæc in posterum impleta fuissent, tunc ad liquidum cognoui falsa esse quæ promiserant harioli.] Cùm verò admonitione Gregorij Moroueus Regis filius oraculum pythonissæ suspectum haberet, quid præterea ad prænoscenda ventura idem excogitarit, ab eodem Gregorio ita accipe:

MOROVEVS QVAERIT VENTVRA EX SACRIS CODICIBVS.

Moroeus non credens pythonissæ, tres libros super Sancti sepulchrum posuit, id est, Psalterij, Regum, Euangeliorum: & vigilans tota nocte, petiit vt sibi beatus confessor, quid eueniret, ostenderet; & vtrum posset regnum capere, an non, vt Domino indicante, cognosceret. Post hæc continuato triduo in ieiuniis, vigiliis, atque orationibus, ad beatum tumulum iterum accedens, reuoluit librum qui erat Regum. Versus autem primus pagi- B
[a] 2. Par. 7. Hier. 2. næ, quam reserauit, hic erat[a]: Pro eo quòd reliquistis Dominum Deum vestrum, & ambulastis post deos alienos, nec feciſtis rectum ante conspectum eius, ideo tradidit vos Dominus Deus vester in manibus inimicorum vestrorum. Psalterij autem versus hic est inuen-
[b] Psal. 72. tus[b]: Verumtamen propter dolos posuisti eis mala: deiecisti eos, dum alleuarentur. Quomodo facti sunt in desolationem? subitò defecerunt: perierunt propter iniquitates suas.
[c] Matth. 26. In Euangeliis autem hoc est repertum[c]: Scitis quia post biduum Pascha fiet, & Filius hominis tradetur vt crucifigatur. In his responsionibus ille confusus, flens diutissimè ad sepulchrum beati Antistitis, assumpto secum Guntheramno Duce, cum quingentis aut eo amplius viris discessit.] hæc quidem Turonis, quò ad S. Martini basilicam antè confugerat. Sic homo toties admonitus, plurimorum peccatorum pondere prægrauatus, resipiscendi haud obtinuit facultatem.

Sed & Chilpericus Dei beneficiorum oblitus, odio plus æquo indulgens, dum furit in C filium, religionem lædit: nam de eo hæc paulo pòst Gregorius: Exercitus autem Chilperici Regis vsque Turonos accedens, regionem illam in prædas mittit, succendit, atque deuastat, nec rebus sancti Martini pepercit; sed quod manu tetigit, sine vllo Dei intuitu aut timore diripuit. Moroeus propè duos menses ad antedictam basilicam residens, fugam iniit, & ad Brunichildem Reginam vsque peruenit: sed ab Austrasiis non est collectus.] At de bellis turbisque hactenus.

ERRATVM IN HISPANIA IN DIE PASCHATIS.

Post hæc autem recensita Gregorius de controuersia oborta diei Paschatis causa inter Gallicanam & Hispanicam Ecclesiam ista habet: Eo anno dubietas Paschæ fuit. In Galliis verò nos cum multis ciuitatibus XIIII. Kal. Maias sanctum Pascha celebrauimus, alij verò cum Hispanis XII. Kal. Aprilis solemnitatem hanc tenuerunt. Tamen (vt ferunt) fontes illi, qui in Hispaniis nutu Dei complentur, in nostro Pascha repleti sunt.] hæc Gregorius: D deque his fontibus dictum est superiùs. Iam verò ad nobilem Episcoporum conuentum hoc eodem tempore Parisiis celebratum, à Gregorio verò descriptum stylum admoueamus. Interfuit ei ipse, & pars magna fuit.

CONCILIVM PARISIENSE.

Hoc ipso enim anno, agente Chilperico Rege Francorum, conuocatur Synodus Parisiensis in ecclesia S. Petri ob causam Prætextati Episcopi Rhotomagensis. Datum est enim illi crimini à Rege, quòd manus eius fuerit cum ipsius filio, qui rebellauerat, Moroeo, coniurassetque cum illo aduersus Regem. Agit de his pluribus Gregorius Turonensis, atque ait[d]: Adductus est igitur in Synodum Prætextatus Episcopus. Rex aduersus eum causam agens, sic est locutus: Quid tibi visum est, ô Episcope, vt inimicum meum Moroeum, qui filius esse debuerat, cum amica sua, id est, patrui sui vxore coniungeres? An ignarus eras, quæ pro hac causa canonum statuta sanxissent? Etiam non hic solum excessisse E probaris: sed etiam cum illo egisti, datis muneribus, vt ego interficerer, hostem autem filium patri feciſti, seduxisti pecunia plebem, vt nullus mecum fidem habitam custodiret; voluistique regnum meum in manus alterius tradere. Hæc eo dicente, infremuit multitudo Francorum, voluitque ostia basilicæ rumpere, quasi vt extractum sacerdotem lapidibus vrgeret: sed Rex prohibuit fieri.

[d] Greg. Turon. histor. Franc. lib. 5. cap. 18.

PRAETEXTATVS ACCVSATVS A REGE SVAM CAVSAM AGIT.

Cumque Prætextatus Episcopus ea quæ Rex dixerat, facta negaret: aduenerunt falsi testes, qui ostendebant species aliquas, dicentes: Hæc & hæc nobis dedisti, vt Moroeo fidem promittere deberemus. Ad hæc ille dicebat: Verum enim dicitis, vos à me sæpiùs muneratos; sed non ex hac causa extitit, vt Rex eiiceretur è regno. Nam & cùm vos mihi & equos optimos & res alias præberetis: numquid poteram aliud facere, nisi & ego vos simili sorte remunerarem? Recedente verò Rege ad metatum suum, nos collecti in vnum

sedebamus

A sedebamus in secretario basilicæ beati Petri. Confabulantibusque nobis, subitò aduenit Aetius Archidiaconus Ecclesiæ Parisiacæ, salutatisque nobis ait: Audite me, ô sacerdotes Domini, qui in vnum collecti estis. Aut enim hoc tempore exaltabitis nomen vestrum, & bonæ famæ gratia refulgebitis: aut certè nullus vos amodo pro Dei sacerdotibus est habiturus, si personas vestras sagaciter non erigitis, aut fratrem perire permittitis. Hæc eo dicente, nullus sacerdotum ei quicquam respondit: timebant enim Reginæ, *Fredegundis scilicet,* furorem, cuius instinctu hæc agebantur. Quibus intentis, & ora digito comprimentibus, ego aio: Attenti estote, quæso, sermonibus meis, ô sanctissimi sacerdotes Dei, & præsertim vos qui familiares Regi esse videmini. Adhibete ei consilium sanctũ & sacerdotale, ne exardescens in ministrum Dei, pereat ab ira eius, & regnum perdat & gloriam. AETII ARCHIDIACONI INSTIGATIO.

Illis verò silentibus, adieci: Mementote, domini mei sacerdotes, verbi Prophetici, B quod ait[a]: Si viderit speculator iniquitatem hominis, & non dixerit; reus erit animæ perditi. Ergo nolite silere, sed prædicate, & ponite ante oculos Regis peccata eius, ne fortè ei aliquid mali contingat, & vos rei sitis pro anima eius. An ignoratis quid nouo gestum fuerit tempore? quomodo apprehensum Sigismundum Clodomeris retrusit in carcerem, dixitque ei Auitus Dei sacerdos: Ne eijcias manum in eum, & cùm Burgundiam petieris, victoriam obtinebis. Ille verò abnuens quæ ei à sacerdote dicta fuerant, abiit, ipsumque cum vxore & filijs interemit; petiitque Burgundiam, ibique oppressus ab exercitu, interemptus est. Quid Maximus Imperator? nónne cùm beatum Martinum compulisset communicare cuidam homicidæ Episcopo: & ille quo facilius addictos morti liberaret, Regi impio consensisset: prosequente Regis æterni iudicio, ab Imperio depulsus Maximus, morte pessima condemnatus est? Hæc me dicente, non respondit vllus quicquam, sed erant C omnes intenti & stupentes. GREGORII GRAVIS SENTENTIA. [a] Ezech. 3.

Duo autem adulatores ex ipsis (quod de Episcopis dici, dolendum est) nunciauerunt Regi, dicentes, quia nullum maiorem inimicum, quàm me haberet. Illico vnus ex aulicis cursu rapido ad me repræsentandum dirigitur. Cuiq; venissem, stabat Rex iuxta tabernaculum ex ramis factum, & ad dexteram eius Bertheramnus Episcopus, ad læuam verò Ragnemodus stabat (*hic erat Episcopus Parisiensis successor S. Germani*) & erat ante nos scamnum pane desuper plenum cum diuersis ferculis. Visoq; me, Rex ait: O Episcope iustitiam cunctis largiri debes: & ecce ego iustitiam à te non accipio, sed (vt video) consentis iniquitati, & impletur in te prouerbium illud, quod Coruus oculum corui non eruet. Ad hæc ego: Si quis de nobis, ô Rex, iustitiæ tramitem transcendere voluerit, à te corrigi potest: Si verò tu excesseris, quis te corripiet? Loquimur enim tibi: sed si volueris, audis: si autem D nolueris, quis te condemnabit, nisi is qui se pronunciat esse iustitiam? Ad hæc ille (vt erat ab adulatoribus contra me accensus) ait: Cum omnibus enim inueni iustitiam, & tecum inuenire non possum. Sed scio quid faciam, vt noteris in populis, & iniustum te esse omnibus perpatescat. Conuocabo enim populum Turonicum, & dicam eis: Vociferamini contra Gregorium, quòd sit iniustus, & nulli hominum iustitiã præstet. Illis quoque hæc clamantibus respondebo: Ego qui Rex sum, iustitiam cum eodem inuenire non possum: & vos qui minores estis, inuenietis? Ad hæc ego: Quòd sim iniustus, tu nescis: scit enim ille conscientiam meam, cui occulta cordis sunt manifesta. Quod verò falso clamore populus, te insultante, vociferatur, nihil est: quia sciunt omnes à te hæc emissa; ideoq; non ego, sed potius tu in acclamatione notaberis. Sed quid plura? habes leges & canones: hæc te diligenter rimari oportet: & tunc quæ præceperint, si non obseruaueris, noueris, tibi Dei iu- E dicium imminere. At ille quasi me demulcens (quod dolosè faciens putabat me non intelligere) conuersus ad iuscellum, quod coram me erat positum, ait: Propter te hæc iuscella paraui, in quibus nihil aliud præter volatilia & parumper ciceris continetur. Ad hæc ego, cognoscens adulationem eius, dixi: Noster cibus esse debet, facere voluntatem Dei, & non his delicijs delectari; vt ea quæ præcepit, nullo casu prætermittamus. Tu verò qui alios de iustitia culpas, pollicere prius quod leges & canones non omittas, & tunc credimus quòd iustitiam prosequaris. Ille verò porrecta dextra, iurauit per omnipotentem Deum, quòd ea quæ lex & canones edoceant, nullo prætermitteret pacto: Post hæc accepto pane, & hausto vino, discessi.] hactenus Gregorius de prima Synodi Actione: quæ autem post hæc facta sint, antequam iterum Synodus cogeretur, sic narrat: QVAE REX ADVERSVS GREGORIVM INGERIT.

Ea verò nocte decantatis nocturnalibus hymnis, ostium mansionis nostræ grauibus audio cogi verberibus: missosque pueros nuncios Fredegundis Reginæ adstare cognosco. quibus introductis TENTATVR GREGORIVS A FREDEGVNDE REGINA.

introductis, salutationem Reginæ suscipio. Deinde precantur pueri, vt in eius causis contrarius non existam: simulq; ducentas argenti promittunt libras, si Prætextatus, me impugnante, opprimeretur. dicebant enim: Iam omnium Episcoporum promissionem habemus: tantum tu aduersus non incedas. Quibus ego: Si mihi mille libras auri argentiq; donetis, numquid aliud facere possum, nisi quod Dominus agi præcepit? Vnum tantùm polliceor, quòd ea quæ ceteri secundum canonum statuta consenserint, sequar. At illi non intelligentes quæ dicebam, gratias agentes discesserunt. Mane autem facto aliqui de Episcopis ad me venerunt, simile mandatum ferentes: quibus ego similia respondi, &c.] sequitur modò Actio eiusdem Synodi secunda, quæ sic se habet: A

ACTIO PARISIENSIS SYNODI SECVNDA.

Conuenientibus autem nobis ad basilicam S. Petri, mane Rex affuit, dixitque: Episcopus enim in furtis deprehensus ab Episcopali officio vt auellatur, canonum auctoritas sanxit. Nobis quoq; respondentibus, quis ille sacerdos esset, cui furti crimen irrogaretur, respondit Rex: Vidistis enim species, quas nobis furto abstulit (ostenderat enim nobis ante diem tertiam Rex duo volucra speciebus & diuersis ornamentis referta, quæ pretiabantur amplius quàm tria millia solidorum, sed & sacculum cum numismatis auri pondere tenentem quasi millia duo) hæc enim dicebat Rex sibi ab Episcopo Prætextato fuisse furata. Qui respondit: Recolere vos credo, discedente à Rhotomagensi vrbe Brunichilde Regina, quòd venerim ad vos: dixiq; vobis, quia res eius, id est, quinque sarcinas, commendatas haberem; & frequentiùs aduenire pueros eius ad me, vt ea redderem, & nolui sine consensu vestro. Tu autem dixisti mihi, ô Rex: Eijce hæc à te, & reuertantur ad mulierem suæ res; ne inimicitiæ inter me & Childebertum nepotem meũ pro his rebus debeant pullulare. Reuersus ergo ego ad vrbem, vnum volucrũ tradidi pueris: non enim volebant amplius ferre. Reuersi iterum requirebant alia: Iterum consului magnificentiam vestram: tu autem præcepisti, dicens: Eijce, eijce hæc à te, ô sacerdos, ne faciat scandalum hæc causa. Iterum tradidi eis duo ex his, duo autem alia remanserunt mecum. Tu autem quid nunc me calumniaris, & me furti arguis, cùm hæc causa non ad furtum, sed ad custodiam debeat deputari? B C

FVRTI ARGVITVR PRAETEXTATVS.

Adhæc Rex: Si hoc depositum penes te habebatur ad custodiendum, cur soluisti vnum ex his, & limbum aureis contextum filis in partes desecasti, & dedisti per viros, qui me à regno deijcerent? Prætextatus Episcopus respondit: Iam dixi tibi superiùs, quia munera eorum acceperam: ideoque cùm non haberem quod de præsenti darem, hinc præsumpsi, & eis vicissitudinem munerum tribui, proprium mihi esse videbatur, quod filio meo Moroueo erat, quem de lauacro regenerationis excepi. Videns autem Rex Chilpericus, quòd eum his calumnijs superare nequiret, attonitus valde ac conscientia confusus discessit à nobis: vocauitque quosdam de adulatoribus suis, & ait: Victum me verbis Episcopi fateor, & vera esse quæ dicit, scio. quid nunc faciam, vt Reginæ de eo voluntas adimpleatur? Et ait: Ite, & accedentes ad eum dicite, quasi consilium ex vobismetipsis dantes: Nosti quòd sit Rex Chilpericus pius atque compunctus, & citò flectatur ad misericordiam. humiliare sub eo, & dicito ab eo obiecta à te perpetrata fuisse: tunc nos prostrati omnes coram pedibus eius, dari tibi veniam impetramus. His seductus Prætextatus Episcopus, pollicitus est se ita facturum.] hactenus secunda Actio Synodi. Sequitur rursus tertia & vltima: D

ACTIO TERTIA SYNODI PARISIENSIS.

Mane autem facto, conuenimus ad consuetum locum: aduenienśque & Rex, ait ad Episcopum: Si munera pro muneribus his hominibus es largitus, cur sacramenta postulasti, vt fidem Moroueo seruarent? Respondit Episcopus: Petij, fateor, amicitias eorum haberi cum eo: & non solum hominem, sed si fas fuisset, Angelum de cælo euocassem, qui esset aditutor eius; filius enim mihi erat (vt sæpè dixi) spiritualis ex lauacro. Cumque hæc altercatio altiùs tolleretur, Prætextatus Episcopus prostratus solo, ait: Peccaui in cælum & coram te, ô Rex misericordissime: ego sum homicida nefandus, ego te interficere volui, & filium tuum in solio tuo erigere. Hæc eo dicente, prosternitur Rex coram pedibus sacerdotum, dicens: Audite, ô piissimi sacerdotes reum crimen execrabile confitentem. Cumque nos flentes Regem eleuassemus à solo, iussit eum basilica egredi. Ipse verò ad metatum discessit, transmittens librum canonum, in quo erat quaternio nouus annexus, habens canones quasi Apostolicos, continens hæc: Episcopus in homicidio, adulterio, & periurio deprehensus, à sacerdotio diuellatur. E

His ita lectis, cùm Prætextatus staret, stupens Bertheramnus Episcopus ait: Audi, ô frater & coepiscope, quia Regis gratiam non habes, ideoque nec nostra charitate vti poteris, priusquam Regis indulgentiam merearis. His ita gestis, petiit Rex, vt aut ei tunica scinderetur;

A deretur, aut centesimus octauus psalmus, qui maledictiones Ischarioticas continet, super caput eius recitaretur, aut certè iudicium contra eum scriberetur, ne in perpetuum communicaret. quibus conditionibus ego restiti, iuxta promissum Regis, vt nihil extra canones gereretur. Tunc Prætextatus à nostris raptus oculis, in custodiam positus est: de qua fugere tentans, nocte grauissimè cæsus, in insulam maris, quæ adiacet ciuitati Constantinæ, in exilium est detrusus.] hactenus Gregorius de Synodo Parisiensi, & causa Prætextati; qui etsi turpiter nimisque animo fracto calumnias in se latas confessus est; tamen maioribus sumptis animi viribus aduersus Fredegundem, alteram Iezabelem, strenuè agens, mortem subire non timuit, de qua agemus suo loco inferius. Porrò hoc eodem anno artibus Fredegundis Moroueum Regis filium fuisse spontanea nece defunctum id ipso exposcente à Gaileno familiari, ne in manus inimicorum veniret, idem auctor testatur [a]. Quo

PRAETEXTATVS DETRVDITVR IN CARCEREM.

B item anno eiusdem Regis filium iuniorem Samsonem nomine ex humanis sublatum esse, idem affirmat [b].

[a] *Gre. Turon. hist. Franc l. 5. c. 18 in fin.*

[b] *Idem c. 22.*

Quid autem hoc eodem anno Turonis apud sancti Martini sepulchrum fieri contigit, ex eodem ipsius ciuitatis Episcopo Gregorio haud erit inutile recitare: Tunc (inquit [c]) Vinnocus Brito in summa abstinentia à Britannijs venit Turonos, Hierosolymam accedere cupiens, nullum aliud vestimentum nisi de pellibus lana priuatis habens: quem nos quo faciliùs teneremus (quia nobis religiosus valde videbatur) presbyterij gratia honorauimus. Ingetrudis autem religiosa consuetudinem habebat aquam de sepulchro sancti Martini colligere. Qua aqua deficiente, rogat vas cum vino ad beati tumulum deportari: transacta autem nocte, id exinde, hoc presbytero præsente, assumi mandauit. Et ad se delato, ait presbytero: Aufer hinc vinum, & vnam tantùm guttam de aqua benedicta, vnde

[c] *Idem c. 21.*

VINVM S. MARTINI.

C parum supereſt funde. Quod cùm fecisset (mirum dictu) vasculum quod semiplenum erat, ad vnius guttæ descensum impletum est: idem bis impletum. Quod non ambigitur, & in hoc beati Martini fuisse virtutem.] Ex huiusmodi miraculo longè lateque vulgato, alijsque eiusdem generis accidisse videtur, vt super vinum sancti Martini nomen inuocaretur, illudque pariter eo modo sancti viri nomine benedictum, vnaque simul mutuæ symbolo charitatis inuicem propinatum in honorem eiusdem Sancti potarent. Sed quod tum pietas docuit, prauus vsus labefactauit, vt eius inuocatione non ex vino miracula, vt olim, sed ebrietates ex luxu soleant prouenire.

IESV CHRISTI ANNVS 581. | PELAGII PAP. II. ANNVS 4. | IVSTINI IVN. IMP. ANNVS 16.

D SEquitur annus Christi quingentesimus octogesimus primus, decimæquartæ Indictionis: quo consultus Pelagius Papa scripsit ad Benignum Archiepiscopum epistolam decretalem die decimatertia Augusti de translatione Episcoporum, an & quando Episcopum è sede in sedem transire deceat. quæ incipit [d]: Lectis fraternitatis tuæ litteris, &c.] an autem & ipsa ex Isidori sit mercibus, tu videto.

[d] *Extat tom. 2. Concil.*

Hoc eodem anno Laurentius Iunior post Frontonem creatur Episcopus Mediolanensis Ecclesiæ; moxq; ad Pelagium Papam, vt in communionem Catholicam reciperetur, scripsit libellum (quem cautionem Gregorius Papa appellat) quo se auersari schismaticos, &

LAVRENTIVS IVN. EPISC. MEDIOL.

E in causa Trium capitulorum Romanæ inhærere Ecclesiæ profitebatur. cui quidem libello cùm complures nobiles Senatores subscripserint, etiam Gregorius, qui postea fuit Romanus Pontifex, dum hoc tempore Vrbanam gereret Præfecturam, suum apposuit chirographum, vt ipse testatur in epistola [e] ad Laurentij successorem Constantium. Subscripsere autem Senatores, ipseque Præfectus Vrbis Gregorius tamquam fideiussores Laurentij ipsius Mediolanensis Episcopi: ex quo intelligas, cur idem Gregorius ipsum Laurentij libellum fidei nominat cautionem. Cùm igitur hæc ipsius Gregorij Papæ testificatione adeò manifesta sint, vides quàm longè ab historica veritate aberret Ioannes diaconus, dum in Vita S. Gregorij Papæ tradit ab eodem Benedicto Papa ipsum Gregorium ex monacho, inuitum licet & renitentem, creatum fuisse diaconum Cardinalem S.R.E. Ait insuper, quòd antequam hoc Benedictus Papa aggrederetur, ipsum adhuc monachum Gregorium miserit in Britanniam insulam ad conuersionem gentis Anglorum, sed tumultuantibus ciuibus, ab

[e] *Greg. lib. 3. epist. 11.*

DE TEMPORE DIACONATVS GREGORII PAPAE.

eodem

eodem reuocatum, & inter diaconos cooptatum. hæc quidem Ioannes[a] diaconus tradit, sed quàm fabulosè, tu ex citatis ipsius Gregorij scriptis iudex eris. A

[a] *Ioannes dia. in Vit. S. Gre. lib. 1. cap. 22. 23. 24. 25. tom. 2. Sur.*

DE TEMPORE IOANNIS DIACONI.

Aggressuri itaque iam nos ordine temporum res mirificè gestas eiusdem S. Gregorij recensere: quoniam continget interdum à Ioannis diaconi, qui Vitam eius scripsit, sententia discrepare: ne hoc nimium audax alicui videri possit, cùm auctor absque reprehensione hactenus lectus fuerit: hic primùm de ipsius auctoris tempore, quo scripsit, paucis agendum putamus. Cùm ipse in eadem scriptione meminerit[b] Leonis Quarti, Nicolai, atque Hadriani Romanorum Pontificum, inscribatq; opus illud ad Ioannem Romanum Pontificem eius nominis octauum ordine, qui sedere cœpit anno Domini octingentesimo septuagesimosecundo: iam liquet post hæc trecentis fermè annis eos libros elaborasse. Ex quibus pariter erroris redarguas Sigibertum, qui non ad Ioannem Octauum, sed Septimum illud affirmat[c] ab ipso opus inscriptum: etenim cùm dictorũ Pontificum, qui vixerunt post Ioannem Septimum, auctor ipse in eo meminerit, nulla de his dubitatio reliqua esse potest. mortuus est autem Ioannes Papa Septimus anno domini septingentesimo septimo, post quod tempus ijdem nominati Pontifices vixisse reperiuntur Hadrianus, Leo Quartus, & Nicolaus. Sic igitur haud quisque prudens in verba auctoris dixerit esse iurandum, qui post annos (vt dixi) fermè trecentos ea de S. Gregorio scriptorum monumentis posteris commendauit: cùm alioqui etiamsi eodem tempore cum S. Gregorio ipse vixisset, à perspicua veritate refelli, siue ipse, siue alius minimè refugere iure possit, eoque magis, si ex ipsiusmet Gregorij scriptis auctor redarguendus erit.

[b] *Ioan. diac. ibid. lib. 4. c. 86. 93. 94. 97.*

[c] *Sigibert. de Scrip. Eccles. cap. 117.*

B

Acturi igitur de Gregorij Papæ primordijs, de genere priùs aliqua veluti præludia præmittenda putamus. Scimus ipsius Gregorij[d] testificatione, fuisse ipsi atauum Felicem Romanum Pontificem, non quidem quartum eius nominis (vt vult Ioannes diaconus) cùm non Romanus ille, sed Samnita fuerit: Gregorij enim progenitores & antecessores liquet fuisse Romanos. sed de his superiùs. Fuisse autem illi patrem nomine Gordianum, matrem verò Siluiam appellatam, eosdemque pietatis cultores, omnes æquè consentiunt: sed excelluisse Siluiam sanctitate, meruisseque inter sanctos adnumerari, Ecclesiasticæ tabulæ fidem faciunt, sicut eadem claritudine illustratæ fuere eius amitæ Tarsilla atque huius soror Æmiliana Deo dicatæ virgines, quas sui patris[e] affirmat fuisse sorores, sicut & Gordianam, sed à sanctis sororibus valde degenerem. Quòd si adhuc ipsius Gregorij cunabula perscruteris, inuenies & nutricem eius, eamdemq; adhuc superstitem tẽpore ipsius Pontificatus, cuius meminit in epistola ad Rusticianam Patriciam[f]. Institutum verò fuisse optimis moribus, & in domo sancta inter sanctos sanctitudine æquè imbutum coaluisse, par est credere; excultumque bonis litteris (quantum illud ferebat sæculum ob diuturna bella eruginatum) certum est: iuris quoque fuisse consultissimum, suis postea litteris declarauit[g]. De ipsius eruditione Gregorius Turonensis æqualis ipsius Romani Gregorij hæc habet[h]: Litteris grammaticis, dialecticis, atque rhetoricis ita erat institutus, vt nulli in Vrbe ipsa videretur esse secundus.] Porrò inter Senatores militasse, in eaque forensi militia primos ordines duxisse, Præfecturamque Vrbanam administrasse, ex suis ipsius scriptis postea litteris satis constat.

[d] *Gregor. dialog. lib 4. c. 16.*

DE S. GREGORII PAPAE VITAE PRIMORDIIS.

[e] *Gregor. homil. 38.*

[f] *Grego lib. 4. epist. 44.*

[g] *Gregor. lib 11. epi. 54.*

[h] *Gregor. Turon. hist. lib. 10. c. 1.*

C

D

Sed quo tempore id acciderit, ex iisdem eius scriptis est perscrutandum. Sanè quidem diuersis verbis ipse sanctus Gregorius testatur, se tunc in eo magistratu fuisse, cùm Laurentius adhuc esset Mediolanensis Episcopus: id enim ipse habet in epistola ad eius successorem Constantium, vbi sunt hæc verba[i]: Quamuis decessor fraternitatis tuæ Laurentius districtissimam cautionem sedi Apostolicæ remiserit, in qua viri nobilissimi ex legitimo numero subscripserunt, inter quos ego quoque tunc Vrbanam Præfecturam gerens pariter subscripsi.] Cùm igitur eius testificatione satis liqueat, superstite adhuc Laurentio Mediolanensi Episcopo, ipsum Gregorium in ea functione fuisse: quærendum modò de tempore ipsius Laurentij Episcopatus. Fuit iste (vt diximus) Laurentius Iunior: Senior enim, ad quem sæpè & de quo plura Ennodius Ticinensis, vixit Symmachi Papæ temporibus (vt Conciliorum Acta declarant) ante annos sexaginta; Iunior verò his Longobardorum temporibus vixit, quem diem obiisse liquet, cùm iam ipse Gregorius Romanus Pontifex creatus esset, ageretq; in sede annum tertium: tunc enim de eius obitu & in eius locum subrogatione Constantij extant ipsius Gregorij datæ litteræ ad Exarchum[k] Italiæ Romanum, nec non aliæ[l] ad Ioannem subdiaconum de eiusdem Laurentij obitu, & electione Constantij. est is annus Domini quingentesimus nonagesimustertius.

DE TEMPORE PRAEFECTVRAE VRBANAE GREGORII.

[i] *Greg lib. 3. epist. 1.*

E

[k] *Grego lib. 2. epist. 31. Ind 11.*

[l] *Gregor. li. 2. epist. 30. Ind. 11.*

Cùm

A Cùm igitur constet de anno quo Laurentius defunctus est, appareatque eum sedisse annos duodecim, sedereque cœpisse anno Domini quingentesimo octogesimoprimo (vt omnes qui res Ecclesiæ Mediolanensis prosecuti sunt, & ex eiusdem Ecclesiæ monumentis seriem Episcoporum texuerunt, affirmant[a]) nihil est vt dici possit à Benedicto Papa Gregorium creatum esse diaconum, siue monasticam vitam excoluisse, cùm hoc ipso Laurentij tempore adhuc laicum Præfecturam Vrbanam administrasse pateat. Porrò quòd eodem hoc anno initium Episcopatus Laurentij contigerit, cum Gregorius ipse Præfectus Vrbis vnà cum aliis nobilissimis viris subscripsit Laurentij de communione cum Romana Ecclesia scriptæ cautioni, colligi satis potest ex veteri instituto, quòd esset in more, vt simul ac quis creatus esset Episcopus, fidei professionem mitteret ad Apostolicam sedem, prout & ab eius successore Constantio in sua electione factum apparet ex eadem epistola[b] ad eum B data, cùm eumdem tradit scripsisse similem cautionem de Trium capitulorum damnatione, cuius causa tres Episcopi ab eius se communione diuiserant. At verò ante Laurentium Fronto, & ante Frontonem Honorius rexit Mediolanensem Ecclesiam, qui & eo quidem tempore fuisse Episcopus reperitur (teste Paulo diacono) cùm Alboinus inuasit Italiam, Indictione tertia, anno Domini quingentesimo septuagesimo; vt appareat ipsum cum successore Frontone vsque ad Laurentium implesse decennium.

[a] *Panuinus in Fast. & Galesin.*

[b] *Greg. lib. 3. epist. 1.*

Gregorius autem cùm negotiis sæcularibus foris inseruiret, intus anhelasse ad solitudinem, ipsemet testatur scribens postea ad sanctum Leandrum Episcopum Hispalensem his verbis[c]: Omne tuis auribus, quod mihi de me displicebat, exposui; quoniam diu longeque conuersionis gratiam distuli: & postquam cælesti sum desiderio afflatus, sæcularem habitum contemnere melius putaui. Aperiebatur mihi tunc de æternitatis amore C quod quærerem; sed inolita me consuetudo deuinxerat, ne exteriorem cultum mutarem. Cumque adhuc me cogeret animus præsenti mundo quasi specie tenus deseruire: cœperunt multa contra me ex eiusdem mundi cura succrescere, vt in eo iam non specie, sed (quod est grauius) mente retinerer. Quæ tandem cuncta solicitè fugiens, portam monasterij petij, & relictis quæ mundi sunt (vt frustra tunc credidi) ex huiusmodi naufragio nudus euasi.] hæc de se ipse vsque ad ingressum in monasterium. Quòd igitur ipse adhuc sæcularis specie tenus (vt ait) sic Reipublicæ ministrabat, vt tamen animo Deo intrinsecus militaret: vtique ea illa putamus fuisse tempora, quibus ipse Gregorius in erigendis in Sicilia monasteriis totus erat, post quæ & aliud erexit Romæ in Cliuo Scauri. De his autem, vsque ad munus diaconatus susceptum, Gregorius Turonensis huius temporis inspector & scriptor ista habet[d]: Hic de Senatoribus primis, ab adolescentia deuotus Deo, ex rebus D propriis sex in Sicilia monasteria congregauit, septimum verò intra Vrbis muros instituit: quibus tantam delegans terrarum copiam, quanta ad victum quotidianum præbendum sufficeret, reliqua venumdedit cum omni præsidio domus, ac pauperibus erogauit. Et qui antè serico contextu ac gemmis micantibus solitus erat per vrbem procedere trabeatus, nunc vili contectus vestitu ad altaris Dominici ministerium consecratur, septimusque Leuita in adiutorium Papæ adsciscitur. Tantaque ei abstinentia in cibis, vigilantia in orationibus, strenuitas in ieiuniis erat, vt infirmato stomacho vix consistere posset.] hæc Turonensis Gregorius de Gregorij Romani primordiis.

[c] *Gregor. in præfat. Moral. ad Leandrum.*

QVAE ADHVC SAECVLARIS GREGORIVS EGERIT.

[d] *Greg. Turon. histor. lib. 10. c. 1.*

Sed & in eo etiam redarguendus est Ioannes diaconus, dum ait ipsum Gregorium vitam excoluisse monasticam primò sub Hilarione Abbate, inde verò sub Maximiano. Nam ipse Gregorius his diuersa ponit, dum ait[e]: Vitæ venerabilis Valentius, *vel Valentio, siue* E *Valentinus*, qui pòst in hac Romana vrbe mihi (sicut nosti) meoque monasterio præfuit, priùs in Valeria prouincia suum monasterium rexit, &c.] Qui igitur haud diu permissus est degere in monasterio, sed inde euulsus in diaconum ipse Gregorius est assumptus, haud alium Abbatem post Valentium habuisse institutorem putamus. Nam quod ad Maximianum spectat, licet ipse Gregorius[f] testetur eum eidem suo monasterio præfuisse, non tamen addit & sibi, sicut de Valentio dixerat. Post Maximianum verò præfuit eidem ipsius monasterio Pretiosus, cuius idem Gregorius[g] meminit: inde autem Probus, adhuc viuente Gregorio, qui de eo in Constituto[h] ad ipsum dato mentionem habet: monasteriumque illud titulo sanctorum Andreæ Apostoli, atque Luciæ, seu potiùs Lucæ, cuius reliquias, sicut & Andreæ, acceperat Constantinopoli, nominatum fuisse, publica intexta Constituto Acta referant. Quo extructo, in ipsum cùm est ingressus monasterium, contigisse sanctam Romulam virginem ex hac vita migrare, idem affirmat[i].

[e] *Greg. dialog. li. 4. c. 21.*

[f] *Greg dialog lib. 4. c. 32. & homil. in Euang 34.*

[g] *Greg. dialog. li. 4. c. 55.*

[h] *Greg. lib. 9. epist. 22.*

[i] *Gregor. in Euag homil. 40. & dialog. lib. 4. c. 13.*

Porrò

DE INSTITVTIONE MONASTICA S. GREGORII.

Porrò instituto ab ipso in Vrbe eodem sancti Andreæ monasterio, non ex proximè positis Cassinatibus monachis (vt multi putant) quibus Longobardos fugientibus apud Lateranensem basilicam datum fuerat monasterium, sed ex prouincia Valeria monasterio sancti Equitij, in quo vigebant monastica instituta, petitum primum Abbatem apparet, idque non ex ipsius Gregorij loco citato tantùm, sed & alio eiusdem, dum sancti Equitij post obitum edita miracula recenset, dumque ex relatione eiusdem Valentij, siue Valentini sui Abbatis, quæ narrat se accepisse testatur, vbi ait[a]: Silere non debeo, quod de hoc viro Abbate quondam meo reuerendissimo Valentio cognoui, &c.] suum enim illum Abbatem dum iterum appellat, haud alium ab eo de quo dictum est, fuisse cognosce. Porrò nullum aliud celebre eo tempore in prouincia Valeria monasterium fuisse reperitur, nisi sancti Equitij, ex quo primus petendus esset Abbas monasterij ab ipso in Vrbe erecti, à quo & habitum ipse Gregorius monasticæ conuersionis accepit, & ab eo monachorum institutus est regulis. A B

[a] *Idem dialog. lib. 1 c. 4. prope fin.*

Videant hinc ergo, quo iure nonnulli tradant, fuisse Gregorium institutionis sancti Benedicti professorem, cùm sanctus Equitius ante sanctum Benedictũ in dicta prouincia monasterium erexerit, & monachis in eo positis præfuerit: congregauerat iam ille monachos, cùm sanctus Benedictus petiit eremum. nec est enim, cui magis quàm ipsi Gregorio credi possit de se testanti: sed neque est vt quis Valentium hunc, quem sibi præfuisse Abbatem fatetur iterum ipse Gregorius, illum existimet fuisse Valentinianum, secundum numeratum post S. Benedictum Abbatem, primum verò Lateranensis cœnobij. Nam constat diuersum fuisse monasterium sancti Andreæ ab illo Lateranensi, vt ex diuersa etiam Abbatum serie intelligere potes. Lateranensi enim primùm Valentinianus Abbas, inde Simplicius, & post eum præfuit Honoratus, vt idem ipse Gregorius[b] docet: In monasterio autem S. Andreæ primò (vt eiusdem Gregorij testificatione diximus) Valentius, siue Valentinus, inde Maximianus, tertio loco Pretiosus, atque postea substitutus est Probus. C

[b] *Idem dialog. lib. 2. in princ.*

Qui indignè ferunt, S. Gregorium alterius instituti quàm S. Benedicti monachum asseri, eosdem S. Equitij monachos sub eodem Patriarcha S. Benedicto redigere laborant, quasi monasterium S. Equitij vnum ex eis fuerit duodecim monasteriis, quæ S. Benedictũ erexisse, ipse S. Gregorius tradit[c]. Verùm an his annuere, vel contradicere idem Gregorius inueniatur, ex eius verbis exactissimè disquiramus. Qui dum agit de duodecim à S. Benedicto erectis monasteriis, ait non in diuersa prouincia, sed, illic, inquit, duodecim monasteria construxit. & paulo post[d] de iisdem agens, eadem in eodem loco circumquaque fuisse constructa ait. & sequenti capite[e]: Ex his autem monasteriis, inquit, quæ in eodem loco construxerat, tria sursum in rupibus montis erant, &c. Sicque repetita tertiò eiusdem Gregorij testificatione, vbinam eadem essent à S. Benedicto erecta monasteria, vnicuique exploratum absque dubitatione redditur: parua enim ea fuisse, ex numero monachorum duodenario in singulis (vt idem ait Gregorius) collocato, possumus intelligere. Hæc autem ex dictis cùm perspicua reddita sint: adhuc ista manifestiora redduntur, si de S. Equitij monastica præfectura quæ ab eodem S. Gregorio descripta sunt, videamus. D

[c] *Greg. Dialog. lib. 2 c. 3.*

[d] *Greg. lib. 2. c. 4.*

[e] *Greg. lib. 2. cap. 5.*

Ipse enim superiùs in secundo Dialogorum[f] libro, non vnius tantum monasterij, sed multorum S. Equitium fuisse Abbatem affirmat. sunt enim hæc ipsius verba: Equitius præ suæ magnitudine sanctitatis multorum in ea prouincia, *Valeriæ scilicet*, monasteriorum, pater extitit.] hæc cùm ita sint, quomodo sub S. Benedicto Abbate (si temporis ratio ferret) redigendus Equitius est, qui in diuersa prouincia iam Abbas multorum monasteriorum esset, nemini subiectus præterquam summo Pontifici, cùm constet duodecim illis monasteriis à S. Benedicto ædificatis (vt idem testatur[g] S. Gregorius) singulis singulos esse præfectos Abbates, nec alium quempiam nisi ipsum Benedictum vniuersalem curam omnium habuisse? Sic igitur tot eiusdem S. Gregorij assertionibus (quibus non acquiescere nefas) non est qui negare iure possit, S. Benedicti & S. Equitij diuersas inter se atque distinctas fuisse collectiones monachorum; ex S. Equitij verò classe propagatos fuisse S. Gregorij monasterij monachos, ex sancti verò Benedicti, quos diximus, Lateranenses. Vincat veritas, priuata faceſſat affectio. Sed de his modò satis ad explodendam Ioannis diaconi sententiam de sancti Gregorij diaconatu sub Benedicto Papa, quem contigisse potiùs sub eius successore Pelagio Iuniore, certis assertionibus suo loco dicturi sumus. E

[f] *Greg. Dialog. lib. 2. c. 3. in fin.*

[g] *Greg. Dialog lib. 1. c. 4.*

Eodem quoque anno, defuncto Ioanne Episcopo Alexandrino, cùm sedisset annos vndecim,

CHRISTI 581. | PELAGII PAP. II. 4. | IVSTINI IVN. IMP. 16.

A decim, in locum eius suffectus est sanctus Eulogius, qui sedit annis vigintiseptem. hæc ex Nicephori Chronico: de eodem Euagrius[a], & alij. Hic ille Eulogius, de quo sæpè in epistolis suis meminit sanctus Gregorius Papa: sed de eo plura inferius pro temporis ratione dicturi sumus. Illuxit Deus tandem, vt Ægypti tenebras ab hæreticis eam inuadentibus sedem olim offusas, tanti electi Episcopi splendore fugaret, qui cùm Orthodoxa fide polleret, sanctæ vitæ quoque meritis coruscaret.

[a] *Euag. lib. 5. cap. 16.*

Sed iam res Francorum, quæ ad Ecclesiasticam spectant historiam, prosequamur. languescerent planè his temporibus Annales inopia, nisi ex rebus Francicis suppeditaretur annis fermè singulis argumentum. Hoc igitur anno, qui Childeberti filij Sigeberti Regis numeratur tertius, Guntheramni verò Regis ipsius patrui decimusseptimus, inquit Gregorius Turonensis: Dacco nobilis Dux insidiis Dracoleni Ducis captus, cùm occidendus esset, vo-

B cato presbytero, ab eodem pœnitentiam petiit, qua accepta interfectus est.] vigebat in Ecclesia pius vsus, vt absque peccatorum remissione à Deo per sacerdotem accepta, nemo ex hac vita migraret. At homicida ipse est passus quod fecit: superbus enim & arrogans à Guntheramno Bosone, inuocato nomine Domini & virtute S. Martini, occisus est. rem gestam narrat Gregorius[b], qui de eodem Guntheramno iterum ope S. Martini à naufragio liberato hæc ait[c]: Quodam die dum Guntheramnus Boso contra vicum Ambianensem Ligerim fluuium transmearet, ac irruentibus tenebris, mundum nox horribilis retineret: subitò aduersante vento nautæ turbantur in pelago, separatisque nauibus quæ pontem illum sustinebant, & aqua vsque ad summum repletis, descendunt cuncti vsque ad cingu-

[b] *Greg. Turon. hist. li. 5. c. 25.*

[c] *Greg. Turon. mirac. S. Mart. li. 2. cap. 17.*

lum cum ipsis nauibus in profundum; nequaquam tamen nauibus subductis à pedibus. Exterritisque omnibus Boso non raucè vociferans, B. Martini auxilium implorabat, & vt

C eis ad liberandum festinus occurreret, precabatur, dicens fidenter suis: Nolite timere: scio enim quòd dextera sancti viri ad auxilium porrigendum maximè in necessitatibus sit parata. Hæc eo dicente, directis ab eo nauibus, mutatoque vento contrario in secundum, nullo pereunte peruenit ad littus, vbi tam præsens occurrit beati confessoris suffragium, vt etiam argentum quod rapiente fluuio perdiderant, denuò fluuio in littus restituente, reciperent.] hæc de Bosone Gregorius. Ad eumdem Bosonem extat Venantij Fortunati carmen[d], quod incipit:

[d] *Fortun. carm. lib. 7.*

Sic tegat omnipotens radiantia culmina Regis,
Atque eius causas arma superna regant.] & inferiùs illud, cùm ipsi bene precatur his versibus:

Sic placido Regi summus pius auctor ab alto,

D *Qui dedit antè Petro, porrigat ipse manum.*] exauditum fuisse vidisti.

IESV CHRISTI ANNVS 582. | PELAGII PAP. II. ANNVS 5. | TIBERII IMP. ANNVS 1.

QVingentesimo octogesimosecundo Redemptoris anno, Indictionis decimæquintę, Iustinus Imp. post annos in Imperio sexdecim, mensesque nouem cum dimidio exactos ex hac vita recedit mense Augusto, vt testatur Euagrius; Tiberiusq; solus imperat, tenuitq; annos quatuor. Quid autem proximè obiturus Iustinus Imp. ad Tiberium conuersus dixe-

MORITVR IVSTINVS, TIBERIVS IMPERAT.

E rit, astante Senatu & Eutychio Patriarcha, à Cedreno atque Miscella[e] recitatur his verbis:

[e] *Miscel. l. 16.*

QVAE IVSTINVS PROXIME MORITVRVS AD TIBERIVM.

Ecce Deus qui bene facit tibi, hunc habitum dedit tibi, non ego. Honora illum, vt tu quoque honoreris ab illo. Honora matrem tuam (Sophiam Augustam intelligens) quæ aliquando domina tua fuit. Nosti quòd primùm seruus eius fueris, nunc autem filius. Non gratuleris in sanguinibus, nec communices homicidio, nec malum pro malo reddas, ne in malo inimicitiæ similis mihi efficiaris. Ego enim vt homo culpaui: etenim culpabilis factus sum, & recepi secundùm peccata mea; sed causam habeo cum his qui hoc mihi fecerunt, ante tribunal Christi. Ne eleuet te habitus, quemadmodum me. Sic attende omnibus, sicut tibi. Scito quis fueris, & quis modò existas. Ne superbias, & non peccabis. Nosti quis fuerim & quis factus sim, extiterim & existam. Omnes isti filij tui sunt & serui. Scis quod pro visceribus meis honorauerim te. Hos tu cùm videas omnes, quæ Reipublicæ sunt vides. Exercitus curam geras: molles & imprudentes ne præficias, neque

neque eo tibi persuadeant, quòd priores te tales Imperatores fuisse dicent. Hæc tibi præcipio, meoque edoctus malo, hortor vt iis stes. Qui habent substantias, fruantur eis: his verò qui non habent, dona. Et facta oratione à Patriarcha, cùm dixissent omnes, Amen: cecidit Cæsar ad pedes Imperatoris, & dixit ei: Si vis, sum; si non vis, non viuam. Et Imperator: Deus, ait, qui fecit cælum & terram, ipse omnia, quæ dicere oblitus sum, in cor tuum mittat. Porrò dum hæc prosequeretur Imperator, replebat lacrymis totum collegium.] hæc ibi: eadem ferè cuncta Cedrenus, ex quo & aliqua emendanda sunt; qui & hæc his addit: Ceterùm morbo ingraueſcente, haud multo pòst vitam concluſit. Corpus verò in Heroo Iustiniani depositum est in arca Proconnesia, iuxtaque Sophia vxor eius.] at hæc postea. Quod spectat ad Iustini mores, hæc item in Miscella: Hic Iustinus in initio Imperij sui bonus fuit, pòst in omnem auaritiam incidit, contemptor pauperum, Senatorum spoliator: cui tanta cupiditatis fuit rabies, vt arcas iuberet ferreas fieri, in quibus quæcumque rapiebat, auri talenta congregaret.] Porrò ipsum etiam in hæresim Pelagianam dilapsum tradit Gregorius; quod tamen minimè receptum esse videtur.

[a] *Greg. hist. Franc. lib. 5. cap. 30.*

DE CORONATIONE TIBERII IMP.

De coronatione Tiberij Augusti hæc idem Gregorius Turonensis[a]: Cùm eum secundùm consuetudinem loci ad spectaculum Circi præstolaretur populus processurum, parare ei cogitans pro parte Iustiniani insidias, qui tunc nepos Iustini habebatur: ille per loca sancta processit: completaque oratione, vocato ad se vrbis Papa cum Consulibus ac Præfectis, Palatium est ingressus. Dehinc indutus purpura, diademate coronatus, throno Imperiali impositus, cum immensis laudibus Imperium confirmauit. Factionarij quoque opperientes ad Circum, cùm cognouissent quæ facta fuerant, pudore confusi, sine effectu regressi sunt, nihil homini qui in Deo spem posuerat, aduersari valentes. Transactis autem paucis diebus, adueniens Iustinianus, pedibus se proiecit Imperatoris, quindecim ei centenaria deferens ob meritum gratiæ: quem ille secundum patientiæ suæ ritum colligens, in Palatium iussit assistere.]

SOPHIA INSIDIATA TIBERIO.

At quid post hæc? subdit auctor: Sophia verò immemor promissionis, quam quondam in Tiberium habuerat, insidias ei tentauit intendere. Procedente autem eo ad villam, vt iuxta ritum Imperialem triginta diebus iocundaretur ad vindemiam: vocato clàm Iustiniano Sophia, voluit eum erigere in Imperium. Quo comperto, Tiberius cursu veloci ad Constantinopolitanam regreditur vrbem, apprehensamque Augustam omnibus thesauris spoliauit, solùm ei victus quotidiani alimentum relinquens. Segregatisq; pueris eius ab ea, alios posuit de fidelibus suis: mandans prorsus, vt nullus de anterioribus ad eam haberet accessum. Iustinianum verò obiurgatum tãto in posterum amore dilexit, vt filio eius filiam suam promitteret, rursumq; filio suo filiam eius expeteret; sed res non est sortita effectum. Exercitus eius Persas debellauit, victorq; regressus, tantam molem prædæ detulit, vt crederetur cupiditati humanæ posse sufficere: viginti elephanti capti ad Imperatorem deducti sunt.] hæc Gregorius: eadem & Paulus diaconus[b]; quæ & in Miscella[c] leguntur. Sed eos puto errare in his quæ scribunt de victoria Iustiniani Ducis contra Persas obtenta; quæ (vt vidimus ex Euagrio) facta sunt, cùm Tiberius, viuente adhuc Iustino, ante tres annos regnare cœpisset. Ceterùm eo defuncto, Iustinianum Ducem honore fuisse spoliatum, scribit Euagrius[d], eo quòd non tam feliciter atque antea contra barbaros depugnasset: inque eius locum subrogatum tradit Mauritium, qui & genus & nomen traxerat ab antiqua Roma, licet Arabisso Cappadociæ ciuitate oriundus esset; de quo paulo inferiùs plura sumus dicturi.

[b] *Paul. diac. de gest. Longobard. lib. 3. cap. 6.*
[c] *Hist. Miscel. lib. 17.*
[d] *Euag. lib. 5. cap. 19.*

Sed manifestemus causam, cur Sophia Augusta Tiberium post viri obitum auersata est: primumque audiamus quæ de ea Zonaras ita habet[e]: Tiberius ab Eutychio Patriarcha coronatus, vxorem quoque suam Anastasiam Augustam salutauit, quæ duas ei filias peperit Charitonem & Constantinam, Sophia verò Iustini vidua, relicta aula, in regiam sibi cognominem migrauit, regio comitatu ei à Tiberio tanquam matri attributo.] hæc Zonaras. Subdit his Cedrenus, indignatam nonnihil Sophiam fuisse noua manifestatione Anastasiæ coniugis: nam cùm ignorasset illa fuisse Tiberio vxorem, quo post obitum ei nuberet, virum fuerat cohortata vt Tiberium Cæsarem diceret. Addit insuper de Tiberio hæc verba: Huic in somnis Angelus prædixit nomine sanctæ Trinitatis, tyrannos, ipso imperante, Imperium non inuasuros.] hæc ille. Missos autem à diuersis regionibus legatos ad Tiberium, & inter alios Chilpericum Francorum Regem id officij præstitisse, Gregorius narrat[f]; & quæ ab eodem dona acceperint reddenda Chilperico, idem recenset.

[e] *Zonar. Annal. par. 3.*

CVR SOPHIA AVERSATA EST TIBERIVM.

[f] *Gregor. hist. lib. 6. c. 2.*

His addimus quæ idem Gregorius Turonensis de thesauro à Tiberio inuento sic scribit:

Abit[a]: Cùm Tiberius multa de thesauris, quos Iustinus aggregauit, pauperibus erogaret, & Augusta illa eum frequentiùs increparet, quòd Rempublicam redegisset in paupertatem, diceretque: Quod ego multis annis congregaui, tu infra paruum tempus prodigè dispergis. Aiebat ille: Non deerit fisco nostro: tantùm pauperes eleemosynam accipiant, & captiui redimantur. hic est enim magnus thesaurus, dicente Domino: Thesaurizate vobis thesauros in cælo, vbi neque ærugo, neque tinea corrumpit, & vbi fures non effodiunt, nec furantur. Ergo de quo Deus dedit, congregemus per pauperes in cælo, vt Dominus nobis augere dignetur in sæcula. Et qui (vt diximus) Tiberius magnus & verus Christianus erat, dum hilari distributione pauperibus opem præstat, magis ac magis Dominus ei subministrat. Nam deambulans per Palatium, vidit in pauimento domus tabulam marmoream, in qua crux Dominica erat sculpta; & ait: Cruce tua, Domine, frontem nostram munimus
B & pectora, & ecce crucem sub pedibus conculcamus. Et dicto citiùs iussit eam auferri: defossáque tabula atque erecta, inueniunt subtus & aliam hoc signum habentem; nunciantesque iussit auferri: qua amota, reperiunt & tertiam, iussuque eius & hæc aufertur. qua ablata, inueniunt magnum thesaurum habentem supra mille auri centenaria, sublatumq; aurum pauperibus adhuc abundantiùs (vt consueuerat) subministrat, nec Dominus aliquid deficere permittebat pro bona voluntate sua.

THESAVRVS INVENTVS.

Quid ei Dominus in posterum transmiserit, non omittam. Narses ille Dux Italiæ, cùm in quadam ciuitate domum magnam haberet, in Italiam * cum multis thesauris egressus ad supramemoratam vrbem aduenit: ibique in domo sua occultam cisternam magnam fodit, in qua multa millia centenariorum auri argentique reposuit, ibique interfectis conscijs, vni tantummodo seni per iuramentum condita commendauit. Defunctoque
C Narsete, hæc sub terra latebant. Cumque supradictus senex huius eleemosynas assiduè cerneret, pergit ad eum, dicens: Si (inquit) mihi aliquid prodest, magnam rem tibi Cæsar edicam. Cui ille: Dic, ait, quod volueris: proderit enim tibi, si quiddam nobis profuturum sciens narraueris. Thesaurum (inquit) Narsetis reconditum habeo: quod in extremo vitæ positus celare non possum. Tunc Tiberius Cæsar gauisus, mittit vsque ad locum pueros suos. Præcedente verò sene, hi sequuntur attoniti: peruenientesque ad cisternam, deopertamque ingrediuntur: in qua tantum aurum argentumque reperiunt, vt per multos dies vix euacuaretur à portantibus. Ex hoc ille amplius hilari erogatione dispensauit egenis.] hactenus Gregorius Turonensis: eademque de his duobus ingentibus thesauris inuentis historia Miscella[b], Paulus diaconus[c], & alij recentiores. Miramur tamen hi-
D storiam ore Latinorum tantopere decantatam, nullum (quod inuenerim) ex Græcis auctoribus habere astipulatorem. Sed de his consule quæ superiùs, cùm de obitu Narsetis actum est, dicta sunt.

* Italia DE NARSETIS THESAVRO INVENTO.

Quod ad res Pontificias spectat, data reperitur à Pelagio Papa epistola ad omnes Episcopos, præcipuè ad Campaniæ atque totius Italiæ sacerdotes. Quòd enim bello vigente Longobardorum, quo vniuersa flagrabat Italia, cultus Episcopis deferri solitus nonnihil diminutus esse videretur, ex quo quamplurima mala manarent, nempe vt qui minimè suos reuererentur Antistites, contemnentes personas, nequaquam parcerent bonis Ecclesiasticis, persuasi nimirum bellorum tempore silere iura: hinc Pelagius Papa hoc ipso anno Kalendis Decembris decretalem dedit epistolam de accusationibus ac iudiciis Episcoporum. Euenire enim frequenter solet, vt cùm Episcopi bona Ecclesiarum à laicis vsurpata repetere, atque ad vsum pristinum vindicare studeant, in se illorum linguas prouocent, qui ne
E quod abstulerunt reddant, criminosis primùm omnium Episcopos accusationibus impetunt. quæ omnia Pelagius ea edita constitutione correxit. Incipit verò epistola: Solicitudinem omnium Ecclesiarum iuxta Apostolum circumferentes, &c.]

Hoc item anno, qui quartus Childeberti Regis, decimus verò octauus Guntheramni habetur, celebrata est prima Synodus Cabilonensis in causa Sagittarij & Salonij Episcoporum, vt Gregorius Turonensis testatur his verbis[d]: Anno quoque quarto Childeberti Regis, qui fuit decimus octauus Guntheramni & Chilperici Regum, apud Cabilonum ciuitatem Synodus facta est ex iussu Principis Guntheramni: discursisque diuersis cáusis, contra Salonium & Sagittarium Episcopos iteratur vetus iudicium, obiiciunturque eis crimina; & non solùm de adulteriis, verùm etiam de homicidiis accusantur. Sed hæc per pœnitentiam purgari censentes Episcopi, illud est additum, vt constituerentur rei maiestatis, & patriæ proditores. qua de causa ab Episcopatu diiecti, in Basilicam B. Marcelli sub cu-

SYNODVS CABILONENSIS.

[a] *Greg. hist. lib. 5. cap. 19.* TIBERII ERGA PAVPERES LIBERALITAS.

[b] *Miscel. l. 17.* [c] *Paul. diac. de gest. Longob. lib. 3 c. 5. & 6.*

[d] *Gregor. Turon. histor. Franc. lib. 5. c. 27.*

ſtodia detruduntur; ex qua per fugam lapſi, diſceſſerunt per diuerſa vagantes, donec in ciuitatibus eorum alij ſubrogati ſunt.] hæc Gregorius. A

CONCILIVM MATISCON.

Eodem anno Indictionis itidem decimæquintæ, Kalendis Nouembris, euocatione eiuſdem Guntheramni Francorum Regis in Gallia celebrata eſt prima Synodus Matiſconenſis, vt eius Acta [a] teſtantur in fine eiuſdem Concilij, licet illic numerus annorum ipſius Regis deprauatus habeatur, dum coacta dicitur Synodus anno duodecimo dicti Regis: nam ſi (vt illic legitur) decimaquinta Indictione eam Synodum celebratam habent ipſius Acta, non duodecimo, ſed decimooctauo habitam eſſe, dicere oportet. Nec eſt quòd quis eam reuocet ad præcedentis Indictionis periodi itidem decimamquintam Indictionem: nam illis temporibus Nicetius præerat Eccleſiæ Lugdunenſi, hoc autem tempore & Indictione regebat eam Eccleſiam Priſcus, qui eidem Synodo ſubſcriptus reperitur.

[a] *Conc. Matiſc. tom 2. Concil.*

Ado Viennenſis huius Synodi cùm meminit, hæc ait [b]: Poſt Philippum Euantius vir ſanctus Epiſcopus Viennæ leuatus eſt. hic cum ſancto Priſco, & Artemio Senonico, & Remigio Bituricenſi, & cum aliis ſanctis Epiſcopis viginti capitula Eccleſiaſtica perfectè roborauit, quibus conſenſit * quoque Syagrius Eduenſis Epiſcopus, vir ſummæ ſanctitatis.] hæc Ado. Syagrius autem iſte, cuius meminit, haud pridem creatus fuit Epiſcopus Eduenſis; cuius ordinationi interfuiſſe ſanctum Germanum Epiſcopum Pariſienſem, auctor eſt Fortunatus in ipſius Vita. B

[b] *Ado in Chron.*

* conſedit

Quod verò ad eiuſdem Synodi canones ſpectat: cùm viginti in Concilio ſancitos canones Ado teſtetur, nonniſi decem & nouem reperiuntur, iidemque omnes ad morum emendationem, Eccleſiaſticamque diſciplinam ſpectantes, complures verò ad Iudæorum petulantiam coercendam. Inter alia & illud etiam cauerunt Patres, ne ad ſæculare forum Epiſcoporum cauſæ traherentur. Sed & cùm vetuerunt [c] ne clerici ſæculari habitu incederent, vel armati: ad prauum illum vſum, qui factione dictorum Epiſcoporum Salonij & Sagittarij irrepſerat, reſpectum habuiſſe Patres videntur. Actum [d] ibidem de Quadrageſima dicta S. Martini ante Natalem Domini trium dierum in hebdomada ieiuniis obſeruanda: quo tempore canones publicè recitari mandarunt. Sed accipe verba eiuſmodi Eccleſiaſticæ ſanctionis: C

[c] *Ead. Synod. can. 5.*

[d] *Ead. Synod. can. 9.*

DE IEIVNIIS QVAE PRAECEDVNT NATALEM DOMINI.

Vt à feria ſancti Martini vſque ad Natalem Domini, ſecunda, quarta, & ſexta ſabbati ieiunetur, & ſacrificia quadrageſimali debeant ordine celebrari. In quibus diebus canones legendos eſſe, ſpeciali definitione ſancimus, vt nullus ſe fateatur per ignorantiam deliquiſſe.] hæc Patres. Fuiſſe autem in Galliis huiuſmodi ieiunia primùm inſtituta à ſancto Perpetuo Turonenſi Epiſcopo, Gregorius eiuſdem Eccleſiæ Antiſtes docet, vbi inter alia ieiunia [e]: A depoſitione (inquit) S. Martini vſque ad Natalem Domini terna in ſeptimana ieiunia. Fluxit inde, vt nonnulli Fidelium ipſum integrum tempus Aduentus, quod Natalem Domini diem præcedit, ieiunio continuato tranſigerent. At de Synodo hactenus: iam ad ſequentis anni res geſtas tranſeamus. D

[e] *Gregor. Turon. hiſtor. lib. 10. c. 31.*

IESV CHRISTI ANNVS 583. PELAGII PAP. II. ANNVS 6. TIBERII IMP. ANNVS 2.

STATVS REIPVB. A TIBERIO PROBE DISPONITVR.

SEquitur annus Chriſti quingenteſimus octogeſimustertius, Indictionis primæ; quo Tiberius Imperator in ordinem redacto Iuſtiniano exercitus Duce ob conſpirationem initam cum Sophia, Mauritium in bello Perſico ſatis ſpectatum virum Magiſtrum militum creat, quieti Reipublicæ conſulturus: cognatione enim Iuſtiniani cum Iuſtino Auguſto intercedente, eidem regnandi parta cupido fuit: quæ vbi ſemel cor humanum inuaſerit, haud facilè quibuſcumque remediis ab animo penitus extrahi poteſt, radicitusque conuelli, cùm ſæpe reciſa, vberiori germine, oborta occaſione, ſoleat pullulare. Sed cùm tanta hæc nonniſi conſulto numine Tiberius ſit aggreſſus, omnia quàm feliciſſimum ſortita ſunt exitum: etenim bellum ciuile ipſo eſt eius ortu compreſſum, paxque vbique parta, atque cultus religionis viridem retinuit obſeruantiam; ex quibus factum eſt, vt ex bello Perſico quàm plures ſint relatæ victoriæ. Vtinam ſicut florentiſſimum extitit Imperij Tiberij tempus, ita fuiſſet & diuturnum. E

Cùm igitur (vt ex Euagrio dictum eſt) Mauritio cum præfectura Orientis bellum aduerſus Per-

A sus Persas à Tiberio Imp. creditum esset: fauente numine, aduersus eos sæpe bello decernens, diuina fultus ope, semper egregias de illis victorias retulit: quæ cùm haud facilè breuitate perstringi possint (res enim gestas peculiari scriptione cùm se scriptis prosecuturum Euagrius spem dederit; quòd ea careamus, nec si præstiterit scimus) ex multis pauca dicemus, quæ idem auctor in Ecclesiastica digessit historia, vbi primùm de Mauritij moribus eiusmodi orationem instituit[a]:

[a] *Euag hist. li.5.c.19.20.*

MAVRITIVS DVX QVALIS.

Vir erat Mauritius prudens, ingeniosus, in rebus quidem diligens, animo constans & stabilis, ipsa vitæ ratione & moribus compositus, beneque cultus: ventris etiam cupiditates sic coercuit, vt non modò rebus necessariis & facilè parabilibus, verùm etiam aliis omnibus, quibus vita intemperans se insolenter efferre solet, abstinuerit: vulgus hominum non facilè admisit ad colloquium, neque aures cuiusque sermonibus patefecit; quippe qui
B sciret, alterum contemptum, alterum assentationem parere: rarò se adeundi concessit potestatem, eamque nonnisi vehementer oratus largitus est: aures sermoni superuacaneo obturauit, non cera (vt est apud poetam) sed ratione, vt illa pro claui existeret, quæ eas hominum sermonibus commodè tum aperiret, tum clauderet. Insciti am autem matrem audaciæ, quæ ei vicina & finitima est, sic ab se depulit, vt in temeritate periculum, in cunctatione securitatem esse censeret: quippe fortitudo & prudentia, quæ in eius animo insidebant, sic ferebantur ad res gerendas, sicut temporum momenta postulabant, habenasque appetitionis ita direxerunt, vti vsus rerum requirebat: adeò vt in ea tum remittenda, tum intendenda modus quidam & moderatio conseruaretur. Sed de hac re postea accuratiùs disputabimus. Nam quàm egregius quisque sit, & qualem naturam moresque habeat, ex eius Imperio considerandum est: quæ vna res hominem solet perspicuè, qualis sit, osten-
C dere: quandoquidem cùm libera ei sit viuendi potestas, ea quæ sunt in animi domicilio recondita, omnium oculis subiicit ad contemplandum.] hæc de Mauritij moribus. sed pergit reliqua enarrare, cùm ait:

RES PRAECLARE GESTAE A MAVRITIO DVCE.

Iste Mauritius cùm bellum in exteris regionibus gereret, ciuitates & arces Persis accommodatissimas cepit, tantamq; prædam inde euexit, vt insulas, vrbes, agrosq; diu ab hominibus desertos captiuis, quos abduxerat, compleret: terramq; quæ antè cultura diu caruerat, iam sedulò coli efficeret, atque adeò ex illis hominibus ingentem cogeret exercitum, qui contra alias gentes validè, viriliter, & excelso animo dimicarent: denique quamque familiam domesticis ministeriis impleret, quoniam captiui quàm minimo comparari poterant. Porrò autem idem Mauritius cum præstantissimis quibusque Persarum, vtpote cum Tamocosrhoe, & Adaarmane, qui copias ingentes ad bellum faciendum ducebant, præ-
D liis decertauit. Verùm quo modo, quæso, quóve tempore, & qua fortuna res istæ ab eo gestæ sint, vel alij litteris persequantur, vel nos in alio opere separato (præsertim cùm in opere quod in manibus est, aliarum rerum explicationem simus polliciti) fortasse exponemus.

VICTORIAE MAVRITII DVCIS.

Tantum tamen hoc loco dicam, Tamocosrhoen in acie non exercitus Romani fortitudine, sed sola Ducis pietate & in Deum fide cecidisse: Adaarmanem autem viribus in prælio profligatum, ac multis amissis copiis, versum in fugam; idque cùm non solùm Alemandurus barbarorum Scenitarum Dux Mauritium propterea prodiderat, quòd fluuium Euphratem traiicere, & contra Scenitas barbaros, qui ex aduersis partibus militabant, ei subsidio venire noluit (isti enim Scenitæ ab aliis propter equorum velocitatem vinci non possunt, neque sicubi intercluſi sint, capi: sed hostes, dum fuga sit ipsis facienda, longè præuertunt) verùm etiam Theodoricus Dux Scytharum, qui intra teli iactum consistere non
E audebat, sese cum suis illico fugæ mandauit.] hæc summatim complexus est Euagrius de prœliis Mauritij aduersus Persas, quæ hoc anno cœpta in sequentes sunt propagata: nequaquam enim esse potuit anni vnius opus inita aduersus Persas tot diuersis locis temporibusq; certamina, licet in Miscella[b] omnia referantur anno sequenti, tertio videlicet Tiberij Imperatoris: nos autem quæ certis singulorum annorum limitibus distingui non possunt, sub ipsorum ortu, quo narrari sunt cœpta, collegimus. Sed & iis quæ sunt de eius reditu scripta pariter coniungamus, ex quibus mirificus ipsius Mauritij religionis cultus, quo potissimùm vicit hostes, cognoscatur.

[b] *Miscel. hist. anno 2. & 3. Tiber. Imp. lib.17.*

Gregorius enim presbyter in Actis quæ scripsit S. Theodori Sicæotæ, cuius fuit discipulus, hæc de reditu Mauritij ad Imperatorem scribit his verbis[c]: Eo tempore piæ memoriæ Tiberius Imperio potiebatur: qui cùm Mauritium sibi à secretis Comitem fecisset, misit eum aduersus Persas: cumque vicisset illos, in vrbem ab Imp. reuocatus est. Hic igitur

[c] *Apud Metaph. die 22. April. Sur. tom.2.*

AD PEDES SANCTI VIRI ACCIDIT MAVRITIVS VICTOR.

cùm per Galatiam iter faceret, auditis quæ de Christi seruo S. Theodoro cognomento Sicæota Archimandrita dicebãtur, ad eum, qui tunc in spelunca quiescebat, cum fratre Petro & sociis accessit: & ad pedes eius prostratus, orabat, vt pro se Deum precaretur, vt iter suum ad Imperatorem fortunaret. Beatus autẽ vir, cùm, vt surgeret, præcepisset, & pro illo Deum obsecrauit, & Deo sibi patefaciente, dixit ei: Fili, si sancti martyris Georgij memor extiteris; haud ita multo pòst cognosces, qua in gloria Imperij collocaberis. Quòd cùm euenerit, memento vt pauperes alas atque sustentes. Et cùm Mauritius hæsitaret, qua in Imperij gloria se collocandum fore diceret, seorsum duxit eum, & amotis sociis apertè significauit, ipsum futurum Imperatorem. Mauritius igitur cum sociis accepta benedictione, lætus discessit, & Constantinopolim peruenit.] hactenus de his Gregorius, quæ quando, quóve modo impleta sint, dicturi sumus postea suo loco. At de Mauritij Imperio longè antè his similia prædicta fuerant ab Eutychio Constantinopolitano Episcopo, cùm exul ageret in Ponto: quæ ab Eustathio, qui præsens erat, ita describuntur [a]:

[a] *Eust. in Vita S. Eutychij.*

DE IMPERIO MAVRITII EVTYCHII PRAEDICTIO.

Cùm ageret vir sanctus in monasterio, in ea rerum perturbatione contigit, vt qui prouinciam Ponti incolebant, venirent ad sanctum hunc virum, magnam ex illius sermone vtilitatem percepturi. Cumque (vt in colloquiis fit) alij alias prouincias laudarent: magnus Dei vir, cùm de Arabissenorum ciuitate mentio fieret, venustè dicebat ad Principes, qui inde venerant: Magna est ciuitas vestra, & de illa meritò dici potest: E Nazareth potest aliquid boni esse? Id autem ita prænunciabat, vt non diceret se id affirmare, ne se sublimem, sed humilem ostenderet.] hoc quidem verborum inuolucro clausit mysterium, nempe ex Arabisso futurum qui Orbi dominaretur. Sed de patentiori vaticinio, quod hoc anno, biennio videlicet ante Tiberij obitum ab eo prænunciatum est, hæc subdit idem Eustathius:

PATEFACIT VATICINIVM EVTYCHIVS.

Cùm autem (inquit) Deo placuisset, vt in suam sedem restitueretur sanctus Eutychius, biennio ante obitum Tiberij Imperatoris contigit vt ipse Tiberius in morbum incideret: & inuisit eum Dei seruus Eutychius, atque conualuit. Per visum enim intellexerat, tunc eum non esse moriturum. Cùm igitur multa dicerentur de successore, si quid humanitus ei contigisset: Non morietur, dicebat vir magnus. Et cùm diuersi nominarentur, beatus nihil respondebat. Sed cùm piissimus hic Imperator Mauritius nominatus esset: se colligens, ea quæ antea cognouerat atque prædixerat, aperuit: Verè non est alius, inquiens. idque iuramento asseruit. Tunc igitur ea quæ Amaseæ dicta fuerant, meminimus.] hæc Eustathius, quæ hoc anno contigisse demonstrat. Sed & quod in huiusmodi rebus versatur oratio, reliqua quæ eiusdem sunt argumenti his contexamus, ea videlicet, quæ de prodigiis diuinitus ostensis eiusdem præsignantibus Imperium ab Euagrio sunt enarratà, qui ait [b]:

[b] *Euag. lib. 5. c. 21.*

DE FVTVRO MAVRITII IMPERIO PRAENVNCIA.

Signa quoque diuinitus ostentata antegressa sunt, quæ Mauritium Imperatorem fore præsignificarunt. Nam ad multam noctem ei intra sanctuarium templi sanctæ & castissimæ Virginis & Deiparæ Mariæ dedicati (quod quidem ab Antiochenis templum Iustiniani nuncupatur) thus incensum offerenti, aulæum sacræ mensæ ignæ conflagrare visum est, adeò vt ingens admiratio ac stupor illum incesserit, visionemque magnopere extimuerit. Cui astans Gregorius illius vrbis Episcopus, dixit: Visionem cælitus dimissam esse, & summum ei splendorem atque eximium portendere. Apparuit præterea versus Orientem re ipsa Christus Deus vltionem de hostibus requirens: qua quidem visione Imperium Mauritij perspicuè demonstratum est. Nam à quo, quæso, nisi ab Imperatore, & ab illo homine qui ipsum piè colebat, rem huiusmodi postularet?

QVAE PARENTIBVS DE MAVRITIO OSTENSA.

Quinetiam mihi de his rebus percontanti, aliæ res sanè memorabiles & dignæ historia à parentibus suis narratæ sunt. Nam pater eius memorauit, se eo tempore quo Mauritius conceptus fuit, in somnio vidisse vitem maximam ex suo cubili pullulascere, & botros fere innumerabiles & maturos ex ea pendere. Mater verò narrauit, terram tempore partus sui suaue olentem odorem, peregrinum, & alternis vicibus variatum ex se efflasse, ac sæpè laruam, quam Græci ἔμπουσαν vocant, infantem de loco in locum mouisse, tàmquam illum voraturam, minimè autem ei nocere potuisse. Itemque Simeones, qui prope Antiochiam in columna habitauit, vir ad res quascumque prudenter ac studiosè exquirendas aptissimus, & omnibus diuinis virtutibus eximiè ornatus, multa cùm verbis tum factis expressit, quæ Mauritium fore Imperatorem planè indicarunt.] hucusque Euagrius. Post hæc verò Tiberius Imperator, cùm expertus esset Mauritium pium, prudentem-

A dentemque, eumdem sibi generum cooptauit, tradens illi filiam Constantinam in matrimonium. Sed de his satis.

Hoc eodem anno, quo post primum Tiberij Imp. à mense Augusti secundus incipit numerari: Pelagius Papa, vbi opportunum nauigandi tempus aduenit, ordinato Gregorio ex monacho diacono, eumdem mittit Constantinopolim Apocrisarium. Quoniam verò quod asseritur id factum à Benedicto Papa Pelagij prædecessore testificatione Ioannis diaconi, ex ipsius S. Gregorij scriptis confutauimus suo loco superiùs: cur in hunc ipsum annum potiùs ordinationem Gregorij & legationem eius Constantinopolim referamus, ratio lectori reddenda est: qui primùm meminisse debet, demonstratum esse, perseuerasse Gregorium adhuc laicum, licet maximè pium, in functione Vrbanæ Præfecturæ vsque ad annum quingentesimum octogesimumprimum, cùm creatus est Laurentius Mediolanen-
B sis Episcopus, prout ex ipsis Gregorij litteris est plenissimè declaratum. Quomodo verò nuncium remittens sæculo, factus est in monasterio monachus, & statim inde auulsus à Pelagio Papa & diaconus ordinatus, missus est Constantinopolim Apocrisarius ad Tiberium nouum Imperatorem, hæc apertiùs insinuanda sunt.

GREGORIVS EX MONACHO DIACONVS ET LEGATVS.

Cùm igitur Gregorius monasterium ingressus esset, ne ibi diu permaneret, oborta occasio fecit, qua Pelagius Papa benè vsus, eum è monasterio inuitum ac nolentem abstraxit: vt ipsum videlicet ad recens creatum Tiberium Imperatorem mitteret Apocrisarium: sciebat enim tanti viri in rebus gerendis prudentiam, diligentiam, atque dexteritatem, quas omnes animi eius dotes satis perspectas habuerat in functione Vrbanæ Præfecturæ; nec ignorabat quanti esset momenti apud Imperatorem ad negotia Ecclesiastica obeunda astare virum nobilitate insignem, virtutibusque conspicuum, qui & peritiam rerum
C gerendarum calleret, tantæque essent præstantiæ, vt si opus foret, aduersus hæreticos atque schismaticos non tantùm staret intrepidus, sed & Catholicos coerceret, atque in officio contineret, ipsumque Imperatorem (si res exigeret) redargueret. Quoniam verò moris erat, nonnisi sanctæ Romanæ Ecclesiæ diaconis Cardinalibus eiusmodi munus obeundum fideliter credi: ob id Pelagius addit, vt ipsum Gregorium, renitentem licet, crearet diaconum Cardinalem.

DELIGITVR GREGORIVS APOCRISARIVS.

Hæc autem omnia à nemine fideliùs quàm ab ipso Gregorio relata percipias, qui in præfatione ad S. Leandrum Episcopum Hispalensem hæc de se habet, vbi primùm de tarda à se facta ad monasterium conuersione agit: Quia enim (inquit) plerumque nauem incautè religatam etiam de sinu tutissimo littoris vnda excutit, cùm tempestas excrescit: repentè me sub prætextu Ecclesiastici ordinis in causarum sæcularium pelago reperi; & quietem
D monasterij, quam habendo non fortiter tenui, quàm strictè tenenda fuerit, perdendo cognoui. Nam cùm mihi ad percipiendum sacri altaris ministerium obedientiæ virtus opponit, hoc sub Ecclesiæ colore susceptum est, quod si inultè liceat, iterum fugiendo deflectatur.] & paulo pòst: Eo quoque tempore, quo ad ministerium altaris accessi, hoc de me, ignorante me, actum est, vt sacri ordinis pondus acciperem; quatenus in terreno Palatio licentiùs excubarem.] Sic itaque vides, tum auulsum à monasterio creatum esse diaconum, cùm Apocrisarius Constantinopolim mittendus esset, & non antè. Nam nonnisi diaconis eiusmodi munus credi consueuisse, idem Gregorius in epistola ad Focam Augustum docet his verbis[a]: Quod permanere in Palatio iuxta antiquam consuetudinem Apostolicæ sedis diaconem vestra serenitas non inuenit: non hoc meæ negligentiæ, sed grauissimæ necessitatis fuit. Quia dum ministri omnes huius nostræ Ecclesiæ contrita asperaque
E tempora cum formidine declinarent atque refugerent, nulli eorum poterat imponi, vt ad vrbem regiam in Palatio permansurus accederet.] subdit verò, se tunc Ecclesiæ Defensorem ordinasse diaconum, quem Apocrisarium mitteret Constantinopolim.

QVOMODO GREGORIVS MONASTERIO EVVLSVS.

[a] *Greg lib. 11 epist. 43.*

At quid Gregorius ordinatus iam diaconus, cùm profecturus Constantinopolim esset? Illud quidem admiratione dignum præstitit, vt qui non permissus esset in suo monasterio permanere, miro quodam modo ipsum monasterium secum veheret, cùm videlicet complures ex eodem ipse inde duceret secum monachos, quo vbicumque locorum esset, siue in diuersorio, siue in naui, siue Constantinopoli, iidem nobile redderent monasterium florentissimum monasticis institutis. Id quidem ex eisdem ad Leandrum scriptis in præfatione ad libros Moralium facilè possumus intelligere, vbi ait: Me scilicet multi ex monasterio fratres mei germana charitate secuti sunt. Quod diuina factum dispensatione conspicio, vt eorum exemplo ad orationis placidum littus quasi anchoræ fune restringerer, cùm

SVOS SECVM DVCIT MONACHOS GREGORIVS.

cauſarum ſæcularium inceſſabili impetu fluctuarem. Ad illorum quippe conſortium, velut ad tutiſſimi portus ſinum, poſt terreni actus volumina fluctuſque fugiebam. Et licet illud me miniſterium ex monaſterio abſtractum à priſtinæ quietis vita mucrone ſuæ occupationis extinxerat, inter eos tamen per ſtudioſæ lectionis alloquium, quotidianæ me adſpiratio compunctionis animabat.] hæc Gregorius de ſe ipſo. Inter alios autem monachos ſecutus eſt Gregorium Maximianus, qui numeratur ab ipſo ſui monaſterij ſecundus Abbas, primus poſt Valentium. Porrò res geſtæ ab eodem Gregorio Conſtantinopoli inferiùs pro temporis ordine dicentur. A

SYNODVS BRENNACENSIS IN GALLIA.

Hoc eodem anno, qui & quintus numeratur Childeberti Iunioris Regis filij Sigeberti, habita eſt in Gallia Synodus Brennacenſis, cuius aliquot apud Gregorium [a] Turonenſem Epiſcopum, qui interfuit, monumenta extant: nam celebrata ipſa eſt in cauſa ipſius Gregorij, cùm reus factus eſſet, quòd in Reginam Fredegundem vxorem Chilperici & in Bertheramnum Burdegalenſem Epiſcopum crimen nefarium compoſuiſſet & euulgaſſet. Res autem ita ſe habuit. Leudaſtes Præfectus ſiue Comes Turonenſis, cùm iniuſtè admodum ſe geſſiſſet Eccleſiiſque damna plurima dediſſet, ob idque è præfectura opera Gregorij amotus eſſet, aduerſus eum vnà cum Riculfo Turonenſi preſbytero coniurans, calumniam ambo ſimul ſtruunt, accuſantes ipſum tradere machinatum Turonenſem ciuitatem Childeberto Regi. quod cùm minimè crederetur, adiecerunt calumniam aliam, qua Rex commoueri facilè potuiſſet, nempe dixiſſe Gregorium, Fredegundem Reginam commiſceri ſolitam cum Bertheramno Epiſcopo Burdegalenſi: eius rei teſtes eſſe Platonem Archidiaconum, & Gallienum eiuſdem Eccleſiæ æquè diaconum. Acceperat autem à Leudaſte Riculfus de Epiſcopatu Turonenſi promiſſionem, cùm Gregorius damnaretur. Qui quaſi iam eius poſſeſſor multas interea in Gregorium irrogabat iniurias, neque à ſputis temperans; qui & accuſatorem ad Regem miſit eiuſdem nominis Riculfum clericum, promiſſo illi Archidiaconatu. Cùm verò vincti catenis teſtes ducerentur ad Reginam, quid tunc Gregorius egerit, ab ipſo accipe: Hæc ego (inquit) audiens, dum in domo eccleſiæ reſiderem, mæſtus turbatuſque ingreſſus oratorium, Dauidici carminis ſumo librum, vt ſcilicet apertus aliquem conſolationis verſiculum daret. In quo ita repertum eſt: Eduxit eos in ſpe, & non timuerunt, & inimicos eorum operuit mare.] Interim verò iuſſus eſt ipſe Gregorius cuſtodiri vſque ad futurum conuentum Epiſcoporum in villa Brennaco colligendum. B C

[a] *Greg. lib. 5. c. 47. 48. 49.*

CALVMNIAE ADVERSVS GREGORIVM.

DE MODESTO FABRO MIRACVLVM.

Sed quid interea mirandum acciderit, audi. Modeſtus quidam faber lignarius cùm zelo iuſtitiæ redarguiſſet iſthæc patrantem, falſoque obiicientem Riculfum clericum accuſatorem: iſte eum auxilio Eunomij Comitis retrudi fecit in carcerem, vbi iuſſu Reginæ mandatur ſubdi tormentis. Apprehenditur (inquit Gregorius) Modeſtus, torquetur, flagellatur, & in vincula compactus, cuſtodiæ deputatur. Cumq; inter duos cuſtodes carceris & cippo teneretur vinctus, media nocte dormientibus cuſtodibus, orationem fudit ad Dominum, vt dignaretur eius potentia miſerum viſitare, & qui innocens illigatus fuerat, viſitatione Martini Præſulis & Medardi abſolueretur. Mox diſruptis vinculis, diffracto cippo, ſancti Medardi baſilicam, nocte nobis vigilantibus, introiuit.] hæc Synodum præceſſerunt: quæ ſatis fuiſſe poterant ad Gregorij innocentiam conteſtandam, cuius cauſa vinctus Modeſtus diuinitus fuerat liberatus. D

GREGORIVS SE PVRGAT IVRAMENTO.

Vbi autem Brennaci Synodus Epiſcoporum eam ob cauſam collecta eſt: quid actum ſit, Gregorius ita narrat: Congregati igitur apud Brennacum villam Epiſcopi, in vnam domum reſidere iuſſi ſunt. Deinde, adueniente Rege, data omnibus ſalutatione ac benedictione, reſedit. Tunc Bertheramnus Burdegalenſis ciuitatis Epiſcopus, cui hoc cum Regina crimen impactum fuit, cauſam proponit, meque interpellat, dicens à me ſibi ac Reginæ crimen obiectum. Negaui ego in veritate me hæc locutum, & audiſſe quidem hæc alios, me non excogitaſſe. Nam extra domum rumor in populo magnus erat dicentium: Cur hæc ſuper ſacerdotem Dei obiiciuntur? Cur talia Rex proſequitur? Numquid potuit Epiſcopus talia dicere vel de ſeruo? Heu, heu, Domine Deus, largire auxilium ſeruo tuo. Rex autem dicebat: Crimen vxoris meæ meum habetur opprobrium. Si ergo cenſetis vt ſuper Epiſcopum teſtes adhibeantur: ecce adſunt. Certè ſi videtur vt hæc non fiant, ſed in fidem Epiſcopi committuntur, dicite: libenter audiam quæ iubetis. Mirati ſunt omnes Regis prudentiam, vel patientiam ſimul. Tunc cunctis dicentibus: Non poteſt perſona inferior ſuper ſacerdotem cædi*: reſtitit ad hoc cauſa, vt dictis Miſſis in tribus E

* credi

alta-

altaribus, me de his verbis exuerem sacramento: & licet canonibus essent contraria, pro causa tamen Regis impleta sunt.

Sed nec hoc silebo, quòd Rigunthis Regina condolens doloribus meis, ieiunium cum omni domo sua celebrauit, quousque puer nunciaret, me omnia sic implesse, vt fuerant instituta. Igitur regressi sacerdotes ad Regem, aiunt: Impleta sunt omnia ab Episcopo quæ imperata sunt, ô Rex. Quid nunc ad te, nisi vt cum Bertheramno accusatore fratris communione priueris. Et ille: Non ego nisi audita narraui. Quærentibus illis, quis hæc dixerit? respondit se hæc à Leudaste audisse. Ille autem secundum infirmitatem vel consilij vel propositionis suæ fugam inierat. Tunc placuit omnibus sacerdotibus, vt sator scandali, infamator Reginæ, accusator Episcopi ab omnibus arceretur Ecclesiis, eo quòd se ab audientia subtraxisset: vnde & epistolam subscriptam aliis Episcopis qui non adfuerant transmiserunt, & sic vnusquisque ad locum suum regressus est.] hactenus Acta Synodi Brennacensis. RIGVNTHIS REGINAE CHARITAS.

Quid autem factum fuerit aduersus Riculfum clericum accusatorem qui aderat, idem sic tradit: At Riculfus clericus ad interficiendum deputatur; pro cuius vita vix obtinui: tamen de tormentis excusare non potui: nam nulla res, nullum metallum tanta verbera potuerit sustinere, sicut hic miserrimus. Ab hora tertia diei, reuinctis post tergum manibus, suspensus ad arborem dependebat: ad horam verò nonam depositus, extensus ad trochleas, cedebatur fustibus, virgis & loris duplicibus, & non ab vno vel duobus, sed quot accedere circa miseros potuissent artus, tot cæsores erant. Cum autem in discrimine esset, tunc aperuit veritatem, & arcana doli publicè patefecit. Dicebat enim, ob hoc Reginæ crimen obiectum, vt eiecta de regno, interfectis fratribus & patre, Clodoueus regnum acciperet, Leudastes ducatum.] hæc de falso teste. Porrò Leudastem instar Cain vndique pulsum, vndique profugum super terram vagasse tradit. RICVLFVS CLERICVS ACCVSATOR LVIT POENAS, ET CVNCTA PATEFACIT.

Non prætermittendum, de hac Synodo scripsisse carmen Venantium Fortunatum, quo & cecinit laudes Chilperici, necnon Fredegundis Reginæ. Quòd enim aduersus Fredegundem tanta calumnia sparsa est, & cùm ignominia ad iudicium vsque causa deducta; placuit Fortunato (quem puto eidem Synodo cum Gregorio interfuisse) eam scripto carmine celebrare, atque eius canere laudes, cuius opprobria fuerant adeò turpiter diuulgata. est verò eiusmodi præfixa inscripto carmini[a]:

Ad Chilpericum Regem, quando Synodus in Brennaco habita est.] incipit autem: [a] Fortun. carm. lib. 9.

Ordo sacerdotum, venerandaq; culmina Christi,
Quos dedit alma fides relligione patres:
Paruulus opto loqui Regis præconia celsi:
Subleuet exigui carmina vester amor.] & post multa habet ista de Fredegunde Regina appositè quidem:

Coniuge cum propria, quæ regnum moribus ornat
Principis, & culmen participata regit,
Prouida consiliis, sollers, cauta, vtilis aulæ,
Ingenio pollens, munere larga placens,
Omnibus excellens meritis Fredegundis opima,
Atque serena suo fulget ab ore dies,
Regia magnanimis curarum pondera portas,
Te bonitate colens, vtilitate iuuans.
Qua pariter tecum moderante palatia crescunt,
Cuius & auxilio floret honore domus.
Quærens vnde viro duplicentur vota salutis,
Et tibi mercedem de Fredegunde facit:
Quæ meritis propriis effulget gloria Regis,
Et Regina suo facta corona viro.
Tempore sub longo hæc te fructu prolis honoret,
Surgat & inde nepos, vt renoueris auus.
Ergo Creatori referatur gratia dignè,
Et cole Rex Regem qui tibi præbet opem.] ista & alia Fortunatus ad Chilpericum, & quidem puto intuitu charitatis, vt è domo regia manantem ex impudica Regina fœtorem veluti plurimo effuso balsamo effugaret.

Verùm

Verùm qui Regibus dominatur, & solus verax est, nec secundùm faciem iudicat, aduersus Chilpericum & Fredegundem sententiam & quidem durissimam protulit, nulla penitus interposita mora: acciditq; nutu Dei, vt idem qui cecinit glorioſa Fortunatus, paulo pòst lugubri carmine occinerit luctuosa: quæ S. Saluio, qui eidem Synodo interfuit, quomodo fuerint antea demonstrata, proximè dicturi sumus: modò verò accipe, quæ antea ibidem transacta sunt cum differente de fide Iudæo, & quæ idem habet de Chilperico Rege ipsi Gregorio conciliato, & ab ipso benedictionem petente, cùm inde recedens esset Parisios rediturus. Cùm enim moraretur adhuc apud Chilpericum Gregorius Turonensis (vt ipse testatur) data occasione Iudæi nomine Prisci, cum eo de veritate Christianæ fidei contulit: sed in obstinatione ille sua perseuerans, nihil profecit: scripsit tamen eam ipse disputationem Gregorius [a], ad cuius finem, vbi agit de Rege inde Parisios profecturo, hæc habet: Ad me (inquit) conuersus, postulat vt accepta benedictione discederet. ait enim: Dicam (inquit) tibi, ô sacerdos, quod dixit Iacob ad Angelum, qui ei loquebatur: Non dimittam te, nisi benedixeris mihi. Et hæc dicens, aquam manibus porrigi iubet; quibus ablutis, facta oratione, accepto pane, gratias Deo agentes, & ipsi accepimus, & regi porreximus, haustoque mero, Vale dicentes discessimus.] hæc de Rege accipiente eulogias ab ipso Gregorio, vt his pacis symbolis ipsi reconciliatum se ostenderet. Sic igitur qui ad Regem reus maiestatis aduenerat, à regia maiestate eo modo maximo affectus honore recessit. sed ad S. Saluij vaticinium redeamus.

[a] *Greg. Turon. histor. Franc. lib. 6. cap. 5.*

GREGORIVS IMPERTIT BENEDICTIONEM REGI.

Quid enim post hæc ibi contigerit memoratu dignum, idem Gregorius narrat his verbis [b]: Igitur cùm, Vale post Synodum memoratam Regi iam dicto, ad propria redire vellemus: non antè discedere placuit, nisi hunc virum, *Saluium Episcopum scilicet*, libatis osculis, linqueremus. Quem quæsitum in atriis Brennacensis domus reperi. Cui dixi, quia iam eram ad propria rediturus. Tunc remoti paululum, dum hinc inde sermocinaremur, ait mihi: Vides ne super hoc tectum quæ ego suspicio? Cui ego: Video enim supertegulum, quod nuper Rex poni præcepit. At ille: Aliud, inquit, non aspicis? Cui ego: Nihil aliud, inquam, video (suspicabar enim quòd aliquid ioculariter loqueretur) & adieci: Si tu aliquid magis cernis, enarra. At ille vltra trahens suspiria, ait: Video ego euaginatum iræ diuinæ gladium super domum hanc dependentem. Verumtamen non fefellit dictio sacerdotem: nam post dies viginti, duo filij Regis (quos superiùs mortuos diximus) obierunt.] hæc Gregorius: quomodo verò mortui sint, inferiùs docet.

[b] *Greg. lib. 5. cap. 50.*

DEI VINDICTA SVPER REGIS DOMVM PARATA.

Nam idem Gregorius eodem hoc anno, qui numeratur (vt dictum est) quintus Childeberti Iunioris, pestem ingentem depastam esse Gallias tradit, qua tacti iidem duo filij Regis Chilperici & Fredegundis extincti sunt. Porrò rem gestam ita idem auctor enarrat [c]: Igitur in his diebus Chilpericus Rex grauiter ægrotauit. Quo conualescente, filius eius iunior necdum ex aqua & Spiritu sancto renatus ægrotare cœpit: quem in extremis videntes, baptismo abluerunt. Quo parumper meliùs agente, frater eius senior nomine Clodobertus ab hoc morbo corripitur. Ipsumque in periculo mortis Fredegundis mater cernens, serò pœnitens ait ad Regem: Diu nos malè agentes pietas diuina sustentat: nam sæpe nos febribus & aliis malis corripuit, & emendatio non successit: Ecce iam perdimus filios: Ecce iam nos lacrymæ pauperum, lamenta viduarum, suspiria orphanorum interimunt, nec spes remanet cui aliquid congregemus. Thesaurizamus, nescientes cui congregemus ea: Ecce thesauri remanent possessore vacui, rapinis ac maledictionibus pleni. Nunquid non exundabant promptuaria vino? Numquid non horrea abundabant frumento? Numquid non erant thesauri referti auro, argento, lapidibus pretiosis, monilibus, vel reliquis Imperialibus ornamentis? Ecce quod pulchrius habebamus, perdimus.

DE PESTE QVAE GALLIAS INVASIT.

[c] *Greg. lib. 5. cap. 34.*

POENITENTIA REGINAE FREDEGVNDIS, ET REGIS.

Nunc si placet, venite, incendamus omnes descriptiones iniquas. Sufficiat fisco nostro, quod suffecit patri Regique Clotario. Hæc effata Regina, pugnis verberans pectus, iussit libros exhiberi qui de ciuitatibus suis per Marcum venerant: proiectisque in ignem, iterum ad Regem conuersa: Quid tu, inquit, moraris? Fac quod vides à me fieri: vt etsi dulces natos perdimus, vel pœnam perpetuam euadamus. Tunc Rex compunctus corde tradidit omnes libros descriptionum igni, conflagratisque illis, misit qui futuras prohiberet descriptiones. Post hæc infantulus iunior, dum nimio labore tabescit, extinguitur; quem cum maximo dolore ducentes è villa Brennaco Parisios, ad basilicam S. Dionysij sepeliri mandauerunt. Clodobertum verò componentes in feretro, Sueſſionas ad basilicam S. Medardi duxerunt, proiicientesque eum ad sanctum sepulchrum vota vouerunt pro eo: sed me-

A sed media nocte anhelans iam & tenuis spiritum exhalauit: quem in basilica sanctorum Crispi & Crispiniani martyrum sepelierunt. Magnus vsque huc planctus omni populo fuit: nam viri lugentes, mulieresque lugubribus vestimentis indutæ (vt solet in coniugum exequiis fieri) ita hoc funus sunt prosecutæ. Multa postea Chilpericus Rex ecclesiis, siue basilicis, vel pauperibus est largitus.] hæc de funere duorum filiorum Regis, & de Rege ipso in meliorem frugem mutato Gregorius.

Scripsit iisdem Regis filiis epitaphia Venantius Fortunatus, atque primùm maiori natu filio Clodoberto his versibus[a]:

[a] *Fortun. lib. 10. carm.* EPITAPH. CLODOBERTI REGIS FILII.

Flere monet populum crudelia funera Regum,
Cùm caput Orbis humo mœsta sepulchra tegunt.
Hoc igitur tumulo recubans Clodobertus habetur,
B *Qui tria lustra gerens raptus ab Orbe fuit,*
De proauo veniens Clodoueo celsa propago,
Clotariiq; nepos, Chilpericiq; genus:
Quem de Regina sumpsit Fredegunde venusta:
Auxerat & nascens Francica vota puer:
*Quem patriæ dum spes * adolescceret ampla,*
Accelerante die, sors inimica tulit.
Sed cui nulla nocent queruli contagia mundi,
Non fleat vllus amor, quem modò cingit honor.
Nam puer innocuus viuens sine crimine lapsus
Perpetui regni se fauet arce frui.] Sed & eius germano infanti Dagoberto
C æquè epitaphium elaborauit, ex quo nomen eius à Gregorio prætermissum edisces, vocatum nempe Dagobertum: sic enim se habet:

EPITAPH. DAGOBERTI REGIS FILII.

Dulce caput populi, Dagoberte, perennis amore,
*Auxilium patria spes puerilis obis *.*
Germine regali nascens generosus, & infans,
Ostensus terris mox quoque rapte polis.
Belligeri veniens Clodouei gente potenti
Egregio proaui germine, honore pari.
Regibus antiquis resplendens nobilis infans,
Chilpericiq; patris, vel Fredegunde genus.
Te veneranda tamen mox abluit vnda lauacri,
D *Hinc licet abreptum lux tenet alta throno.*
Viuis honore ergo, & cùm Iudex venerit Orbis,
Surrecturus eris fulgidus, ore nitens.] ista Venantius, qui (vt diximus) cùm paulo antè læta ceciniisset, scribere mox coactus est Regum funeribus epitaphia. sed & tunc etiam ad ipsum Regem cõsolationem de filiorũ obitu carmine scripsit, cuius est exordium:

Aspera conditio & sors irreuocabilis horæ,
Quam generi humano tristis origo dedit.] & inferiùs alludens ad luctum vniuersi populi, ista subdit:

Talis erit populus, qualem te viderit omnis,
Deq; tua facie plebs tua vota metit.] innatum est enim Francis, eisdemque illud peculiare, vt cùm præ ceteris gentibus suum diligant Regem, sese in Regis vultum,
E mores animi, corporis habitum, atque alia denique omnia (quantum fas est) transformare, similesque reddere cupiant.

At nec finis hic filiorum Chilperici Regis funerũ: etenim Fredegundis amatis carens filiis nouercali odio in priuignum Clodoueum commouetur, quem in suspicionem adductum, quòd aliquid in eam moliretur, eumdem detrusum in carcerem ibi gladio feriri præcepit, de ipso illud euulgans, quòd se ipsum obnoxiũ culpæ necasset. Rem gestam narrat ipse Gregorius[b]. Erat Clodoueus iste filius Chilperici ex Audouera vxore sua, ex qua pariter Theobertum & Moroueum susceperat. Ipsa autem Audouera velata, quanam arte se Fredegundis coniunxerit Chilperico, ab Adone Viennensi sic accipe: Absente Chilperico, Fredegundis Audoueram Reginam tali fraude decepit, vt filiam quam ex Chilperico habebat Audouera ex sacro fonte ipsa per se non per aliam susciperet: quod & ipsa seducta quidem fecit. Ac idcirco postmodum à marito suo Chilperico dimissa: sicque Fredegundis in connubium transiit:

CLODOVEVS NECATVR.

[b] *Greg. lib. 5. cap. 39.* FRAVS FREDEGVNDIS.

transiit: Audouera verò velata villas & prædia tantum ad sustentationem sui accepit. Episcopus, qui filium baptizauit, & matri eum tenere non prohibuit, exilio damnatus est.] hæc Ado, quibus pleniùs Fredegundis perfidia innotescat, quam in priuignum Clodoueum filium Audoueræ ad postremum Phædræ instar expleuit. A

IMPIAE AVSTREGILDIS REGINAE OBITVS.

Sed funeribus Regum tristiora Reginæ funera coniungamus. Gregorius enim his de obitu filiorum Chilperici narratis, de alia Regina Francorum coniuge Guntheramni germani Chilperici hac eadem peste defuncta mox ista funesta subiungit: His diebus Austregildis Guntheramni Principis Regina ab hoc morbo consumpta est. Sed priusquam nequam spiritum exhalaret, cernens quòd euadere non posset, alta trahens suspiria, voluit leti sui habere participes, agens vt in exequiis eius aliorum funera plangerentur. Fertur enim Herodiano more Regem petiisse, dicens: Adhuc spes viuendi fuerat, si non inter iniquorum medicorum manus incidissem: nam potiones ab illis acceptæ mihi vi abstulerunt vitam, & fecerunt me hanc lucem velociter perdere. Et ideo ne mors mea inulta prætereat: quæso, & cum iuramenti interpositione coniuro, vt cùm ab hac luce discessero, statim ipsi gladio trucidentur; vt sicut ego ampliùs viuere non queo, ita nec illi post meum obitum glorientur, sed sit vnus dolor nostris pariter & eorum amicis. Hæc effata, infelicem animam tradidit. Rex verò peracto ex more iustitio, oppressus iniquæ coniugis iuramento, impleuit præceptum iniquitatis: nam duos medicos, qui ei studium adhibuerant, gladio feriri præcepit.] hæc Gregorius. B

NANTINI OBITVS ET SVPPLICIVM.

Eadem quoque lue tactum abreptumque ex hac vita Nantinum Comitem Engolismensem, idem subdit: qui cùm in sancta loca Deique ministros mala multa patrasset, vltimo ipse elogio, quid pateretur ob scelera perpetrata, testatus est: ait enim Gregorius[a]: Post paucos menses à supradicto morbo Nantinus Comes corripitur. Qui nimia exustus febre, clamauit, dicens: Heu, heu, ab Heraclio Antistite exuror: ab illo crucior: ab illo ad iudicium vocor. Cognosco facinus; reminiscor iniustè iniurias me intulisse Pontifici: mortem deprecor, ne diutiùs crucier hoc tormento. Hæc cùm maxima in febre clamaret, deficiente robore corporis, infelicem animam fudit, indubia relinquens vestigia hoc ei ad vltionem beati viri venisse: nam exanimum corpus ita nigredinem duxit, vt putares eum prunis superpositum fuisse combustum. Ergo omnes hæc obstupescant, admirentur, & metuant, ne inferant iniurias sacerdotibus: quia vltor est Dominus seruorum suorum sperantium in se.] Quæ autem aduersus Heraclium Burdegalensem Episcopum Nantinus egisset, idem Gregorius paulo superiùs narrat, cùm tradit ab eo ob immensa scelera perpetrata ipsum Nantinum fuisse excommunicatum. At de his hactenus: iam verò è Galliis in Galliciam transeamus, Gregoriumque sectemur, qui ait[b]: C

[a] *Greg lib. 5. c. 36. in fine.*

[b] *Greg. Turon. histor. Franc. lib. 5. cap. 37.*

DE OBITV S. MARTINI GALLICIENSIS.

Hoc eodem tempore *(nempe anno quinto Childeberti Iunioris, qui hoc Christi anno incipit numerari)* & beatus Martinus Gallicienſis Episcopus obiit, magnum populo illi faciente planctum. Nam hic Pannoniæ ortus fuit *(sicuti nomen & patriam, ita etiam sanctitatem Martini Turonensis adeptus)* & exinde ad visitanda loca sancta in Orientem properans, intantum se litteris imbuit, vt nulli secundus suis temporibus haberetur: & exinde Galliciam venit, vbi cùm beati Martini reliquiæ portarentur, Episcopus ordinatur: in quo sacerdotio impletus plus minus triginta annis, plenus virtutum migrauit ad Dominum. Versiculos qui ad ostium sunt à parte meridiana in basilica S. Martini, ipse composuit.] hæc Gregorius. D

DE TEMPORE SEDIS EIVS.

Porrò quod pertinet ad annos eius Episcopatus: dum numerat triginta circiter annos eius sedis Gregorius, scias ipsum deducere numerum ab eo tempore quo illatæ sunt sancti Martini Turonensis reliquiæ in Galliciam, vt patet ex eiusdem testificatione, dum de eadem à nobis superiùs recitata translatione agit[c]. qua ratione dicendum esset, inchoatum eiusdem Episcopatum circa annum Domini quingentesimum quinquagesimumtertium, cùm alij (vt vidimus) referant ad annum quingentesimum sexagesimum: cui sententiæ magis inhæsimus, quòd ex Actis Concilij Bracharensis secundi tum nota Æræ, tum numero annorum Ariamiri Regis sibi vendicet auctoritatem. Dies autem, quo tantus vir, cui multum debet Hispania, ex hac vita ad cælum migrauit, celebri solemnitate anniuersario cultu refulget ad decimumtertium Kalendas Aprilis. E

[c] *Gregor. Turon. mirac. S. Mart. li. 1. cap. 11.*

Ad postremum verò quod reperimus ipsius sepulchrum, nefas sit præteriisse eum insalutatum: quamobrem ipsum ex prato Venantij collectis floribus aspergamus, versibus illis, inquam, quibus ipse mirifica eius facta tunc temporis cecinit, cùm prouinciam illam, abstersо

Ariano

A Ariano putore, ad Catholicam fidem conuertens grande Deo obtulit sacrificium in odorem suauitatis. sint igitur eiusmodi vetera monumenta, epitaphij loco, sanctissimi viri incisa sepulchro. Editum enim ad ipsum adhuc viuentem carmen ita incipit[a]: [a] Fortun. carm. lib. 5.

Lumen Apostolicum cùm spargeret vna Triados,
Exciperetq́; nouum mundus honore diem.

] pergit dicere de Apostolis ad diuersas gentes missis, ac demum ista de duobus Martinis, seniore ac iuniore, Turonensi videlicet atque Gallicensi Episcopis:

——— Martini Gallia prisci
Excellente fide luminis arma capit.
Martino seruata nouo Gallicia plaude:
Sortis Apostolicæ vir tuus iste fuit.
B *Qui virtute Petrum, præbet tibi dogmate Paulum:*
Hinc Iacobi tribuens, inde Ioannis opem.
Pannoniæ (vt perhibent) veniens è parte Quiritum,
Est magis effectus Gallica vera salus.
In sulcum sterilem vitæ plantaria seuit,
Quo matura seges fertilitate placet.
Eliæ meritis alter redit imber aristis,
Munera roris habens, ne premat arua sitis,
Neu iaceant stupidis arentia iugera sulcis,
Influit irriguo fonte perennis aquæ.

] spectant hæc ad prædicationem Euangelij; & quod subdit, id ipsum insinuat:

C *Hæresis in ramis fidei plantaria fixit:*
Quodq́; oleaster erat, pinguis oliua viret.
Quæ stetit exilis, viduatis frondibus, arbor
Iam paritura cibum floret honore nouo.
Imponenda focis sine quo ficulnea tristis
Præparat ad fructum stercore culta suum.
Palmitis vua tumens auium laceranda rapinis,
Hoc custode bono, non peritura latet.*
Rebus Apostolicis ouantes viuere monstrat,*
Arua ligone mouens, falce flagella premens.
Ex agro Domini lappas excidit inertes,
D *Atque racemus adest, qui fuit antè frutex.*
De satione Dei Zizania vulsit amara:
Surgit & æqualis lætificata seges.

* patet
* orantes

] vt planè dicendus fuerit Galliciæ restitutor Ecclesiæ. hinc idem Fortunatus subiicit:

Martino seruata nouo Gallicia plaude:
Sortis Apostolicæ vir tuus iste fuit.
Pastoris studio circum sua septa recurrens,
Ne lupus intret, oues seruat amore gregis.
Et portante manu trahit ipse ad pabula Christi,
Montibus instabilem ne voret error ouem.
Cuius vox refluens plebi de fonte salubri,
E *Vt bibat ore fidem, porrigit ore salem.*
Hosti damna quidem, Domino pia vota parauit,
Et commissa sibi dupla talenta refert.

] & de æterno præmio, quod esset à Deo consecuturus, mox addit hæc ipsa:

Vocem Euangelicam spectans operarius almus,
Vt tibi dicatur, Seruule perge bone:
Quando fidelis enim mihi supra pauca fuisti,
Supra multa nimis constituendus eris.
Ecce tu Domine modò gaudia lætior intra,
Proq́; labore breui magna parata tibi.
Auditurus enim vocem, Martine, beatam:
Sed Fortunati sis memor ipse tui.

Quæso,

Quæso, precare Pater, videam tua gaudia tecum: A
Sic placeas Regi postulet ante Petrus.] &c. Commendat eidem sanctam Radegendem adhuc viuentem in monasterio Pictauiensi Reginam, cum ea quæ præerat eidem Agnete Abbatissa, de qua sæpe Gregorius.

PERSECVTIO EXCITATA A LEVVIGILDO.

Hoc item anno, teste Gregorio, qui (vt numerat) annus quintus est Sigeberti Regis, dira persecutio in Hispania excitata est à Leuuigildo Rege Ariano aduersus Catholicos: ait enim[a]: Magnà eo anno in Hispania Christianis persecutio fuit, multíque exilijs damnati, facultatibus priuati, facie decocti, carceri mancipati, verberibus affecti, ac diuersis supplicijs trucidati sunt.] hæc summatim de persecutione Gregorius. His consentiens S. Isidorus, vbi narrauit res ab eodem Rege in bello fortiter gestas, ista subiungit[b]: Sed obfuscauit (inquit) error impietatis gloriam tantæ virtutis. Denique perfidiæ furore repletus, in Catholicos persecutione commota, plurimos Episcoporum exilio relegauit, & Ecclesia B
rum redditus & priuilegia tulit: multosque terroribus suis in Arianam hæresim & pestilentiam impulit: plerosque sine persecutione illectos auro, rebusque decepit. Ausus quinetiam inter cetera hæresis suæ contagia rebaptizare Catholicos, & non solùm ex plebe, sed etiam ex sacerdotalis ordinis dignitate, sicut Vincentium Cæsaraugustum de Episcopo apostatam factum, & tamquam è cælo in inferna proiectum.] hucusque de persecutione Isidorus, breui quidem compendio quamplurima perstringens, ex quibus magnum planè fuisset implendum volumen.

[a] *Greg. Turon. eod. lib. 5. c. 38.*
[b] *Isidor. in Chronic. Goth.*

Sed quæ recentior causa persecutionis huius indicendæ præcesserit, Gregorius ita recenset[c]: Caput autem, *nempe origo*, huius sceleris Goisuintha fuit, quam post Athanagildi Regis connubium Rex Leuuigildus* acceperat. Sed quæ Dei seruis notam humilitatis inflixerat, prosequente vltione diuina, ipsa quoque omnibus populis est facta notabilis: nam vnum C
oculum nube alba contegens, lumen quod mens non habebat pepulit à palpebris. Erant autem Leuuigildo Regi ex alia vxore duo filij, *nempe Hermenegildus & Reccaredus*, quorum senior Sigeberti, iunior Chilperici Regis filiam desponsauerat. Sed Ingundis Sigeberti Regis filia cum magno apparatu in Hispanias directa, ab auia Goisuintha cum magno gaudio

INGVNDIS VXOR HERMENEGILDI QVAE SIT PASSA FIDEI CAVSA.

suscipitur (*erat enim Ingundis filia Brunichildis, quæ filia fuit ipsius Goisuinthæ, vt superiùs ex Fortunato & Gregorio diximus*) quam nec passa est in religione Catholica diu commorari, sed vt rebaptizaretur in Ariana hæresi, blandis cœpit sermonibus illicere. Sed illa viriliter reluctans, cœpit dicere: Sufficit satis me ab originali peccato baptismo salutari semel ablutam esse, & sanctam Trinitatem in vna æqualitate confessam: Hæc me credere ex toto corde confiteor, neque vmquam ab hac fide ibo retrorsum.

[c] *Greg. Turon. eod. lib. 5. c. 38.*
* Leuuichildus

HERMENEGILDVS REX CONVERTITVR AB INGVNDE CONIVGE.

Hæc illa audiens, iracundiæ furore succensa apprehensam per comam capitis puellam in D
terram collidit, & diu calcibus verberatam ac sanguine cruentatam iussit spoliari, & piscinæ immergi; sed (vt asserunt multi) numquam animum suum à fide nostra reflexit. Leuuigildus autem dedit eis, nempe ipsi Ingundi, & viro suo Hermenegildo, vnam de ciuitatibus, in qua residentes regnarent. Ad quam cùm abiissent cœpit, Ingundis prædicare viro suo, vt relicta hæresis fallacia, Catholicæ fidei veritatem agnosceret. Quod ille diu refutans, tandem commotus ad eius prædicationem, conuersus est ad legem Catholicam, ac dum chrismaretur, Ioannes est vocitatus.] sed tamen nomine, quo cognitus erat ab omnibus, perseuerauit dici Hermenegildus. Leandrum quoque Hispalensem Episcopum doctrina & pietate clarum plurimum contulisse, vt Hermenegildus fieret Catholicus Christianus, qui prosecuti sunt res Hispaniarum tradunt, in primis verò S. Gregorius Papa, vt suo loco dicemus.

LEGATIO S. LEANDRI EPISC. HISPAL. CONSTANTINOP.

Ceterùm cùm pater perfidiæ argueret filium, filius verò eum hæresis insimularet: factum E
est vt bellum ingens inter ipsos conflaretur, altera ex parte cum Leuuigildo pugnantibus Arianis, quorum maior numerus, fortiorq; potentia, ex altera verò resistentibus cum Hermenegildo Catholicis. Hic sentiens se imparem viribus, etsi iustiorem causam foueret, legat in Orientem ad Tiberium Orthodoxum Imperatorem S. Leandrum Hispalensem Episcopum, vt laborantibus sub gladio Ariano Catholicis suppetias ferret. De hac Leandri honorifica legatione meminit S. Gregorius, cùm de amicitiæ vsu qui interceserat cum eo dum esset Constantinopoli agit; ait enim[d]: Dudum te, frater beatissime, in Constantinopolitana vrbe cognoscens, cùm me illic sedis Apostolicæ responsa constringerent, & te illuc iniuncta pro causis fidei Regis Vuisigothorum legatio perduxisset, omne tuis auribus, quod de me displicebat, exposui, &c.] repetens suæ conuersionis initia, & quomodo è monasterio abstractus ac diaconus ordinatus compulsus sit à Pontifice Romano Pelagio

[d] *Gregor in præfat. Moral.*

lega-

A legationis pondus subire, seu potiùs Apocrisarij munus obire Constantinopoli.

Quomodo autem tunc monachis suis petentibus, quos secum Roma duxerat, ipsoque adnitente S. Leandro, aggressus sit expositionem sacri voluminis Iob, ita subdit: Tunc eisdem fratribus, etiam te cogente, placuit (sicut ipse meministi) vt librum beati Iob exponere, importuna me petitione compellerent, &c.] cœptum verò hoc anno opus illud Gregorius absolutum primo sui Pontificatus anno ad Leandrum id expetentem misit, vt litteræ ipsius tunc ad eum scriptæ significant[a], necnon quæ in eumdem in Iob commentarium ipse præfatus est. [a] *Greg. lib. 1. epist. 41.*

Quod verò ad Leandri legationem spectat, quæ obtinuerit apud Tiberium Imp. haud satis liquet. Qui enim his temporibus rebus Persicis occupatus erat, haud eo statu positus fuisse videtur, vt aduersus Gothos Arianos tam longè positos dirigeret vires Romani exer-
B citus: tamen quod Gregorius Turonensis tradit Græcorum copias præstò fuisse Hermenegildo, putandum Tiberium quibus potuit auxiliaribus copiis eidem adiumento fuisse. Quæ autem post hæc gesta sint, & quomodo proditione perfidi parentis tentus Hermenegildus, & in carcere occisus consecutus fuerit coronam martyrij, dicemus anno sequenti, quo tantum nefas contigit perpetrari.

Quæ verò memoratu digna acciderint, dum eiusmodi ciuile bellum in Hispaniis exardesceret, ex diuersis locis petita narremus, atque hæc in primis ex Gregorio Turonensi[b]: In Hispaniis (inquit) nuper factum cognoui, cùm Leuuigildus Rex contra filium suum ambularet, atque exercitus eius (vt assolet) grauiter loca sancta concuteret: monasterium erat S. Martini inter Seguntum atq; Carthaginem Spartariam. Audiētes autem monachi, quòd hic exercitus ad locum illum deberet accedere, fugam ineunt, & se, relicto Abbate sene, in
C insulam maris abscondunt. Aduenientibus autem Gothis, ac diripientibus res monasterij, quę sine custode remanserant, Abbatem senio incuruatum, sed sanctitate erectū offendunt: extractoque vnus gladio, quasi amputaturus ceruicem eius, resupinus ruit, ac spiritum exhalauit. reliqui verò hæc videntes, timore perterriti fugerunt. Quod cùm Regi nunciatum fuisset, cum testificatione præcepit, omnia quæ ablata fuerant, monasterio restaurari. [b] *Greg. Turon. de Glor. confess. c. 122.* ARIANVS DAT POENAS PERFIDIAE.

Cernens autem præfatus Rex tanta miracula per seruos Dei, qui nostræ religionis erant, fieri; vocauit vnum Episcoporum suorum: dixitque secretiùs ad eum: Quamobrem vos, vt isti, qui se Christianos dicunt, non ostenditis signa in populos secundùm fidem vestram? Dicit ei Episcopus: Sæpius ego cæcis lumen reddidi, & surdis auditum, nunc autem hæc possum facere quæ dicis. Et vocato ad se vno de hæreticis, clanculò ait ad eum: Accipe quadraginta aureos, & clausis oculis reside in loco, vnde nobis est transitus: & prætereunte
D mecum Rege, exclama in virtute, vt perditum lumen mea tibi credulitate restituam. Cumque hic accepta pecunia fecisset quod sibi fuerat imperatum, procedit nouus Cyrola ad dexteram constipatus hæreticorum caterua. Exclamat & iste cæcatus pecunia, vt fide Episcopi reciperet oculos suos. At iste cum non minima arrogantia imponens manus super oculos eius, ait: Secundùm fidem meam fiat tibi. Hæc eo dicente, ita obserati sunt oculi hominis cum dolore, vt non solùm visum perderet, verùm etiam dolum, quem auaritia impellente finxerat, publicaret.] hactenus Gregorius, qui idcirco Episcopum hunc, cuius non refert nomen, nouum appellat Cyrolam, quòd eiusdem nominis Episcopus istiusmodi facinus tempore Vuandalico in Africa perpetrasset, vt superiùs est dictum. Eiusmodi planè esse consueuere hæreticorum miracula, vt impostoris affectent agere, quod omnino denegat ipsis gratia Spiritus sancti in operatione virtutum, quæ tanquam certa atque legitima
E dos cum aliis charismatibus Ecclesiæ Catholicæ tantummodo impertita cognoscitur, veluti euidens signum, quo Catholici ab Hæreticis internosci possint, nempe in ostensione signorum, quæ verè proprieque miracula dici queant. DE ARIANI EPISCI IMPOSTVRA IN CAECOSANANDO.

Sed audi ab eodem auctore egregiam confessionem hominis Orthodoxi, quem ipse nouit. describit rem gestam his verbis[c]: Sed & nostro tempore, cùm incredulitas atque iniqua hæreticorum secta in locis Hispaniæ per malorum pessimas assertiones disseminata fuisset: quidam clericus apprehensus, Christianum se esse confessus est, asserens æqualem Patri Filium & Spiritum sanctum. Cui Rex qui præerat, oblatis muneribus, tamquam maiorem se suppliciter deprecabatur, vt scilicet compressa confessione de sanctæ Trinitatis æqualitate, minorem Patre Filium cum sancto Spiritu fateretur. Quod si faceret, facultatibus ditaretur, & magnus haberetur in populis. Quod illo consilium tanquam morsum viperæ fugiente, ac iniqui virus mortiferum respuente anguis: adiecit Rex: Video, in- [c] *Gregor. de Glor. mart. cap. 82.* DE CLERICI EGREGIA CONFESSIONE.

quit, duram intentionem mentis insanæ; sed noui temperamentum tuum, vt quem mune- A
ra non deflectunt, facilè tormenta subiiciant. At ille: Vtinam dignus haberer, ait, in hac iu-
gulari confessione: nam munera tua tamquam stercus exhorreo. Tunc iratus Rex iussit
eum ad trochleas extendi, & fortiter cædi, interrogans: Quid credis? Respondit: Iam tibi
dixi: Credo Deum Patrem omnipotentem, & Filium eius Iesum Christum. Post hæc cæsus
est valde (sed semper durabat in confessione, neque vmquam eum à fidei linea potuit hæc
NON SENTIT VERBERA CATHOLICVS. tortura deflectere. Nam in primordio cùm cæderetur, tres tantùm verberis ictus sensit, qui
(vt postea referebat) ipsam animam penetrarunt: reliqua verò flagella nequaquam, tam-
quam si aliquod velamentum dorso superpositum fuisset. Ita non sentiens, magis fidem
quam cœperat, inter tormenta positus prædicabat. Itaque cum Regi satisfactum de eius
cæde fuisset, dimissus est, obtestante eo, ne in terminis Hispaniæ vmquam inueniretur. At
ille lætus discedens, in Gallias est regressus. Sed vt dictis fides adhibeatur: ego hominem B
vidi, qui hæc ab ipsius clerici ore audita narraui.] hactenus de ipso Gregorius. Quid verò
de conflictu Orthodoxi tunc temporis inito cum hæretico, alibi idem auctor scribat, his at-
texere, congruum existimamus: ait enim [a]:

[a] *Gregor. Tu. de glor confess. c. 14.*

IGNE PROBATA FIDES CATHOLICA.

Retulit alius vir fidelis, spectasse se Christianum cum hæretico pro fide nostra certan-
tem. Altercantibusq; diu de diuinis Scripturis, cùm flecti non posset hæreticus, vt agnosce-
ret veritatem, ait: Si nostræ religionis, si Scripturarum testimonia te ad credendum minimè
mouent: vel virtutem indiuiduæ Trinitatis experire. Est digito meo annulus aureus: ego
eum in ignem iacio: tu candentem collige. Proiectumque inter prunas annulum ita igniri
permisit, vt eis similis cerneretur. Conuersusque ad hæreticum ait: Si vera est prosecutio
tua, sume eum ab igne. Illo autem resistente, ait: Immensa Trinitas Deus, si quid indignum
te credo, ostende: certè si recta est fides mea, nihil mihi prævalebunt hæc incendia sæua. Et C
ablatum ab igne annulum diutissimè palma sustinuit, & nihil est nocitus; sed magis confu-
so hæretico, Catholicos reliquos feruore suæ fidei roborauit.] hucusque Gregorius.

Sed non tacendum de Agilane Ariano homine misso legato ab eodem Leuuigildo
Rege hoc tempore ad Chilpericum, qui in via ad disputandum ipsum Gregorium prouo-
cauit. Quæ autem inter vtrumque transacta fuerint, idem auctor [b] enarrat, recensetque
disputationem tunc inter se habitam, perbreuem illam quidem, ac non vt exigebat ratio
argumenti, sed humilem atque pedestrem, si conferas cum illis quæ ab aliis sanctis Patri-
bus aduersus hæreticos copiosiùs atque neruosiùs allata sunt. sed audiamus ipsam ab ipso-
met Gregorio descriptam his verbis:

[b] *Greg Turon. histor. Franc. lib. 5. c. 43.*

DISPVTATIO GREGORII CVM AGILANE LEGATO ARIANO.

Leuuigildus * verò Rex Agilanem legatum ad Chilpericum mittit, virum nullius in-
genij aut dispositionis ratione peritum, sed tantùm voluntate in Catholica lege peruer- D
sum. Quem cùm via Turonos detulisset, lacessire nos de fide & impugnare Ecclesiastica
dogmata cœpit: Iniqua enim (inquit) fuit antiquorum Episcoporum lata sententia, quæ
æqualem asseruit Filium Patri. Nam qualiter (inquit) poterit esse Patri æqualis in potesta-
ARGVMENTATVR ARIANVS. te, qui ait: Pater maior me est? Non est ergo æquum, vt ei similis æstimetur, quo se mino-
rem dicit, qui tristitia mortis ingemuit, cui postremò moriens spiritum quasi nulla prædi-
tus potestate commendat. Vide Patre eum & ætate & potestate paterna minorem. Ad hæc
ego interrogo: Si crederet Iesum Christum Filium Dei esse, si eumdemque esse Dei sa-
pientiam, si lumen, si veritatem, si vitam, si iustitiam fateretur. Qui ait: Credo hæc omnia
esse Filium Dei. Et ego: Dic ergo mihi: Quando Pater sine sapientia? Quando sine lumi-
ne? Quando sine vita? Quando sine veritate? Quando sine iustitia fuerit? Sicut enim Pater
sine istis esse non potuit, ita & sine Filio esse non potuit, quæ maximè & Dominici nomi- E
nis mysterio coaptantur. sed nec Pater esset vbique, si filium non haberet. Quod autem
eum dixisse ais: Pater maior me est: Scias eum hoc ex assumptæ carnis humilitate dixisse, vt
cognoscas, non potestate, sed humilitate te fuisse redemptum. Nam tu, qui dicis, Pater
maior me est, oportet meminisse quòd alibi ait: Ego & Pater vnum sumus. Nam & mortis
timor & commendatio spiritus ad infirmitatem corporis est referenda, vt sicut verus Deus,
ita & verus homo credatur.

RVRSVS ARIANVS INTERROGAT. Et ille: Cuius quis implet voluntatem, eo & minor est: semper Filius minor est Patre,
quia ille facit voluntatem Patris, nec Pater illius voluntatem facere comprobatur. Ad hæc
ego: Intellige quia Pater in Filio, & Filius in Patre in vna semper Deitate subsistit. Nam
vt cognoscas Patrem Filij facere voluntatem: si in te fides Euangelica manet: audi quid
ipse Iesus Deus noster, cùm ad resuscitatum venit Lazarum, ait: Pater, gratias ago tibi,

quo-

* Leuuieldus

A quoniam audisti me. & ego sciebam quia semper me audis : sed propter turbam quæ circumstat, dixi, vt credant, quia tu me misisti. Sed & cùm ad passionem venit, ait: Pater, clarifica me claritate, quam habui apud temetipsum, priusquam mundus fieret. Cui Pater de cælo respondit: Et clarificaui, & iterum clarificabo. Æqualis est ergo Filius in Deitate, non minor, sed neque aliquid minus habens: nam si Deum confiteris, necesse est integrum fatearis, & nihil egentem : Si verò integrum esse negas, Deum esse non credis. Et ille : Ex assumpto homine cœpit Filius Dei vocitari : nam erat, quando non erat. Et ego : Audi Dauid dicentem : Ex vtero ante Luciferum genui te. Et Ioannes Euangelista ait : In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum : Et hoc Verbum caro factum est, & habitauit in nobis : per quem facta sunt omnia. Nam vos cæcati veneno persuasionis nihil dignum de Deo sentitis.

B Et ille : Numquid & sanctum Spiritum Deum dicitis, aut æqualem Patri, Filioque decernitis? Cui ego : Vna in tribus est voluntas, potestas, & operatio: Vnus Deus in Trinitate, & vnus in vnitate : tres personæ, sed vnum regnum, vna maiestas, vna potentia, omnipotentiaque. Et ille : Spiritus sanctus, inquit, quem æqualem Patri profertis ac Filio, vtrinque minor accipitur : quia & à Filio promissus, & à Patre legitur missus : nemo enim promittit, nisi quod suæ dominationi subsistit : & nemo mittit nisi inferiorem se, sicut ipse ait in Euangelio : Nisi abiero, paracletus ille non veniet : si autem abiero, mittam illum ad vos. Ad hæc ego respondi: Bene Filius ante passionem ait: quia nisi ille ad Patrem victor remeauerit, ac proprio sanguine redempto mundo dignum Deo ex homine præparet habitaculum, non potest sanctus Spiritus idem Deus in pectore fanatico & originalis criminis labe infecto descendere: Spiritus enim sanctus (ait Salomon) effugiet fictum. Tu

C autem si spem aliquam resurrectionis habes, noli loqui aduersus Spiritum sanctum : quia iuxta sententiam Domini, Spiritum sanctum blasphemanti non remittetur neque in hoc sæculo, neque in futuro. Et ille: Deus est qui mittit: non est Deus qui mittitur. Ad hæc interrogo, si crederet doctrinam Petri & Pauli Apostolorum? Respondente eo : Credo. Adieci : Cùm argueret Petrus Apostolus Ananiam pro fraude fundi, vide quid dicat: Quid enim tibi visum est mentiri Spiritui sancto? non es mentitus hominibus, sed Deo. Et Paulus, cùm gratiarum spiritualium distingueret gradus : Hæc omnia, inquit, operatur vnus atque idem Spiritus diuidens vnicuique, sicut vult. Qui enim quod voluerit facit, in nullius redigitur potestatem. Nam & vos (vt superiùs dixi) nihil rectè de Trinitate sancta sentitis: & quàm iniqua sit huius sectæ peruersitas, ipsius auctoris vestri, id est, Arij expressit interitus.

D Ad hæc ille : Legem quam non colis, blasphemare noli: Nos verò quæ creditis, etsi non credimus, non tamen blasphemamus: quia non deputatur crimini, si & illa & illa colantur: sic enim vulgato sermone dicimus : Non esse noxium si inter Gentilium aras & Dei Ecclesiam quis transiens, vtraque veneretur.] Vides in quam iam Ariani fuerint lapsi dementiam, vt qui semel à vero cultu religionis exciderint, omnem impietatem putarent esse colendam. Sed pergit Gregorius: Cuius ego stultitiam cernens, aio : Vt video, & Gentilium defensorem & hæreticorum assertorem te esse manifestas, cùm & Ecclesiastica dogmata maculas, & Paganorum spurcitias prædicas adorari. Satius, iniquio, faceres, si ea te armaret fides, quam Abraham ad ilicẽ, Isaac in ariete, Iacob in lapide, Moyses vidit in sente: quam Aaron portauit in Logio, Dauid exultauit in tympano, Salomon prædicauit in intellectu: quam omnes Patriarchæ, Prophetæ, siue lex ipsa vel oraculis cecinit, vel sacrificiis figura-

E uit : quam & nunc præsens suffragator Martinus noster vel possedit in pectore, vel ostendit in opere : vt & tu conuersus crederes inseparabilem Trinitatem, & accepta à nobis benedictione, purgatoque à malæ credulitatis veneno pectore, delerentur iniquitates tuæ. At ille furore commotus, nescio quid quasi insanus frendens, ait : Antè anima ab huius corporis vinculis emicet, quàm ab vllo religionis vestræ sacerdote benedictionem accipiam. Et ego: Nec nostram Dominus religionem siue fidem ita tepescere faciat, vt destribuamus sanctum eius canibus, ac pretiosarum margaritarum sacra porcis squallentibus exponamus. Ad hæc ille, relicta altercatione, surrexit & abiit. Sed post hæc cùm in Hispanias reuersus fuisset, infirmitate debilitatus, ad nostram religionem, necessitate cogente, conuersus est.] hactenus Gregorius : qui diuersis in locis quæ hoc tempore intercesserunt inter Catholicos & Arianos facta recensèt, & quidem scitu dignissima, vt memorabile illud de Leone Episcopo Agathensi aduersus Gomacharium Comitem, qui administrabat prouin-

ARIANORVM EXTREMA DEMENTIA.

ciam à Leuuigildo Rege Ariano præfectus. sub Gothorum namque ditione eam fuisse ci- A
uitatem, idem Gregorius alibi[a] tradit. narrat autem rem gestam his verbis[b]:

[a] *Greg hist. lib. 6 c. 2.*
[b] *Gregor. de glor. mart. lib. 1 c. 9.*

LEO EPISC. AGATH. SANAT GOMACHARIVM ARIANVM.

Ecclesia quoque Agathensis vrbis, quæ S. Andreæ reliquiis plaudit, plerumque glorioſis illustratur miraculis: peruasores rerum suarum sæpiùs arguit. Denique Gomacharius Comes agrum Ecclesiæ ipsius peruadit. Tunc Leo Episcopus huius Ecclesiæ valde mœstus concurrit ad eum, dicens: Relinque, fili, res pauperum, quas ordinationi nostræ Dominus commendauit; ne sit tibi noxium, & à lacrymis egentium, qui de fructibus eius ali consueuerunt, eneceris. Ille verò quia hæreticus erat, paruipendens quæ de his ab Episcopo dicebantur, rem in sua dominatione retinuit. Interim procedente die, arripitur à febre. Cumq; non modò ardore corporeo, verùm etiam animæ vexaretur incommodo: misit ad Episcopum nuncios, dicens: Dignetur pro me sacerdos orationem ad Dominum fundere, & ego dimittam agrum eius. Quo orante, hic à valetudine qua grauabatur conualuit: factusque B
sanus, ait suis: Quid putatis quòd isti nunc Romani dicant? Aiunt enim, me ob hoc fuisse febre grauatum, quòd tulerim agrum eorum: quod mihi iuxta consuetudinem humani corporis accidit. verumtamen non habebunt eum, me viuente.] Sed antequam vlteriùs progrediamur, attende nomenclaturam: appellat Romanos Catholicos, licet Gallos, quod idem apud Arianos esset dicere Romanos ac Catholicos, vt obseruauimus in Victore Vticensi & aliis, ob prærogatiuam videlicet Romanæ Ecclesiæ; quod & alio quoque exemplo ex eodem Gregorio paulo inferiùs patebit. Pergit verò ipse Gregorius:

QVIBVS PVGNET ARMIS CONTRA ARIANVM S. EPISCOPVS.

Quod cùm Episcopus comperisset, venit ad eum, dicens: Num pœnitet te fecisse bene, quòd hoc iterum conaris euertere? Ne facias, quæso, ne vltioni diuinæ subiaceas. Qui ait ad Episcopum: Sile, sile, decrepite: iam infrenatum te loris circuire vrbem super asinam faciam, vt sis in ridiculo omnibus qui te aspexerint. At ille silens, ad nota recurrit præsidia. C
Prosternitur in oratione, celebrat vigilias, & noctem totam in lacrymis & psallentio ducit. Manè autem facto accedit ad lychnos qui de camera Ecclesiæ dependebant, extendensque virgam, quam tenebat in manu, effregit cunctos, dicens: Non hîc accendetur lumen, donec vlciscatur Deus de inimicis, & restituat res Ecclesiæ suæ.

Hæc eo dicente, protinus hæreticus ille in rediuiuam febrem corruit. Cumque in extremis ageret, misit ad Episcopum, dicens: Oret pro me sacerdos ad Dominum, vt viuam; & restituam agrum, ac similem eius conferam dominationi. Quibus Pontifex respondit: Iam oraui ad Dominum, & exaudiuit me. Misit & alios & tertios ad eum nuncios: sed sacerdos in vno responso persistens non mouebatur ad hæc, vt pro eo orationem daret ad Dominum. Hæc ille hæreticus cernens, iussit se in plaustro componi, atque ad eum euehi, ac per se deprecari Episcopum, dicens: Quia dupla satisfactione restituo agrum, quem iniquè D
peruasi, tantùm vt oret pro me sanctitas tua. Illo quoque recusante, compulit eum vi, vt abiret ad Ecclesiam. Quo discedente, vt Ecclesiam est ingressus, & hic spiritum exhalauit: recepitque confestim Ecclesia rem suam.] hæc Gregorius de Comite Ariano: moxque subiungit de presbytero itidem Ariano presbyterum Catholicum deludente præsentaneum pauendumque Dei iudicium, quod ipse auctor veritatis tantummodo cupidus, simpliciter vt res gesta fuit, enarrat his verbis[c]:

ARIANVS ILLVSOR PERIT.

[c] *Greg. Turon de glor. mart. lib. 5. cap. 80.*

LVDIBRIVM IN DELVSOREM RETORQVETVR.

Mulier quædam erat Catholica habens virum hæreticum: ad quam cùm venisset presbyter nostræ religionis valde Catholicus, ait mulier ad virum suum: Peto charitati tuæ, vt pro aduentu huius sacerdotis, qui me visitare dignatus est, lætitia habeatur in domo nostra, ac præparatum dignis impendiis prandium epulemur cum eo. Promittente autem viro eius, sic se, vt illa flagitabat, facturum: aduenit & alius hæreticorum presbyter. Dixitque E
vir mulieri: Duplicata est lætitia hodie, eo quòd sint sacerdotes vtriusque religionis in domo nostra. Discumbentibus autem ad conuiuium, vir ille cum presbytero dexteræ partis cornu occupat, Catholicum ad sinistram statuens, positaque ad læuam eius sellula, in qua coniunx eius resideret. Dixitque vir ad presbyterum hæreticum: Si consenseris dictionibus meis, exerceamus hodie cachinnum de hoc Romanorum presbytero, vt scilicet deposito ferculo, tu celerius signare festines: cumq; ille manum non posuerit, illo tristante, nos cum lætitia comedamus cibum *(mos enim in ecclesia erat, vt de benedictionibus hæreticorum nemo Catholicus participaret)* Cui ille: Faciam, inquit, quod præcipis.

Demque veniente disco cum oleribus, signauit hæreticus, posuitque primus manum suam. Quod cernens mulier, ait: Ne feceris, quia ingratè fero iniuriam sacerdotis. Et exhibito alio cibo, sumpsit Catholicus. In secundo verò & tertio ferculo similiter fecit hæreticus.

A reticus. quarto autem exhibito, cuius in medium sartago feruens aduenerat, in qua compositus erat cibus ille, qui ex collisis vuis, parum permixta farina, dactylorum partibus, oliuarumque rotunditatibus assolet exornari: festinans hæreticus, priusquam ferculum illud vel mensam tangeret, eleuata in obuiam manu signat: statimque positum coclearium sumit, non intelligens an caleret, feruentemque cibum velociter deglutiuit. Protinus accenso pectore æstuare cœpit, emissoque cum suspirio immenso ventris strepitu, nequam spiritum exhalauit: ablatusque de conuiuio, locatus in tumulo, terrenæ molis congerie est coopertus. Tunc exultans presbyter nostræ religionis, ait: Verè vltus est Deus seruos suos. Et conuersus ad virum cuius erat conuiuium, dixit: Periit huius memoria cum sonitu, & Dominus in æternum permanet. Tu verò appone quod comedam. Tunc homo ille perterritus, expleto conuiuio, prouolutus est ad pedes presbyteri, conuersusque ad fidem Ca-
B tholicam, credidit cum domo sua qui in hac perfidia tenebatur, & multiplicata est lætitia, sicut priùs mulier flagitauerat.] hactenus de re gesta Gregorius, qua terribili iudicio Dominus derisorem derisit, secundùm Scripturæ diuinæ elogium [a]: Erit Moab in derisum & in exemplum omnibus in circuitu suo.]

DERISOR ARIANVS MALE PERIIT.

[a] *Hier.* 48.

Subiicit his controuersiam de fide habitam inter Catholicum diaconum & Arianum presbyterum, quæ miraculo dirempta est. remque tunc gestam sic narrat [b]: Arianorum presbyter cum diacono nostræ religionis altercationem habebat, proferens contra Dei Filium ac Spiritum sanctum (vt mos est genti) venenosas assertiones. At ille cùm diu multumque nonnulla de fidei nostræ ratione disseruisset, & hæreticus perfidiæ obcæcatus caligine, quæ erant vera respueret, iuxta illud, Quia in maleuolam animam non introibit sapientia, adiecit dicens: Quid longis sermocinationum intentionibus fatigamur?
C factis rei veritas approbetur: Succendatur igni æneus, & in feruenti aqua annulus alicuius proiiciatur. Qui verò eum ex feruenti vnda sustulerit, ille iustitiam consequi comprobetur: quo facto pars diuersa ad cognitionem huius iustitiæ conuertatur. Intellige itaque & tu, hæretice, si hæc pars nostra, Spiritu sancto adiuuante, compleuerit: nihil in sancta Trinitate dissonum, nihil esse dissimile fatearis. Consensit hæreticus huic definitioni, & inito vsque manè placito discesserunt.

[b] *Gregor. de glor. mart. lib. 1. c. 81.*

AD MIRACVLVM PROVOCATVR HAERETICVS.

Sed fidei feruor, per quem hæc primùm diaconus protulerat, cœpit, inimico insidiante, tepescere. Diluculo autem surgit, brachium infundit oleo, vnguento conspergit: sed tamen loca sancta circuit, & Dominum deprecatur. Quid plura? Circa horam tertiam in foro conueniunt: concurrit populus ad spectaculum: accenditur ignis, æneus superponitur, feruet valde, annulus in vnda feruente proiicitur. Inuitat primùm diaconus hæreticum, vt ipse
D eum à calore auferat: sed statim recusauit, dicens: Qui hanc sententiam protulisti, debes auferre. Diaconus verò licet trepidus, tamen denudat brachium. Cumque ipsum vidisset vnguentis hæreticus presbyter delibutum, exclamauit dicens: Magicis artibus te elitandum putasti, vt hæc vnguenta diffunderes: nec valebunt ista quæ agis.

TEPESCIT IN CATHOLICO FIDEI FERVOR.

His itaque litigantibus, superuenit diaconus ab vrbe Rauenna, Hyacinthus nomine; sciscitansque quæ esset hæc altercatio, vt veritatem cognouit, nec moratus, extracto à vestimentis brachio, in æneum dexteram mergit. Annulus autem qui eiectus fuerat, erat valde leuis ac paruulus, nec minùs ferebatur ab vnda, quàm vento ferri posset vel palea. Quem diu multumque quæsitum infra vnius horæ spatium reperit. Accendebatur interea vehementer focus ille sub dolio, quo validiùs feruens non facilè assequi posset annulus à manu quærentis: extractusque tandem. Nihil diaconus sensit in carne sua, sed potiùs protestatur,
E in imo quidem frigidum esse æneum, in summitate verò calorem teporis modici continentem. Quod cernens hæreticus, valde confusus iniicit audax manum in æneo, dicens: Præstabit mihi hæc fides mea. Iniecta manu, protinus vsque ad ipsa ossium internodia omnis caro liquefacta defluxit, & sic altercatio finem accepit.] ista Gregorius: sed de miraculis iam satis ad pietatem.

IGNE PROBATA FIDES.

Ad postremum autem quid hoc item anno contigerit de Rege Francorum Chilperico Arianam hæresim infectante, videamus. Accidit enim, vt cùm idem Rex aduersus ipsos pugnans victor regreditur, ab alia his contraria hæreticorum turma fuerit captiuus abductus, vixq; tandem à suis Catholicis liberatus, cùm videlicet expugnans suis etiam scriptis Arianos à Sabellianis tenetur deprehensus erroribus. Nam audi Gregorium [c], qui rem gestam narrat: Per idem (inquit) tempus Chilpericus Rex scripsit indiculum, vt sancta Trinitas non in personarum distinctione, sed tantùm Deus nominaretur, asserens indignum esse vt

CHILPERICVS REX DECLINAT IN SABELLIANISMVM.

[c] *Greg. Turon. lib. 5. cap. 44.*

Deus perſona, ſicut homo carneus nominetur, affirmans etiam ipſum eſſe Patrem qui eſt Filius, idemque ipſum eſſe Spiritum ſanctum qui eſt Pater & Filius: Sic (inquit) Prophetis ac Patriarchis apparuit, ſic eum ipſa lex nunciauit. Cumque hæc mihi recitari iuſſiſſet: Sic, inquit, volo vt tu & reliqui doctores Eccleſiarum credatis. Cui ego reſpondi: Hac credulitate relicta, pie Rex, hoc te oportet ſequi, quod nobis poſt Apoſtolos alij doctores Eccleſiæ reliquerunt, quod Hilarius Euſebiuſque docuerunt, quod & in baptiſmo es confeſſus. Tunc iratus Rex ait: Manifeſtum eſt mihi in hac cauſa Hilarium Euſebiumque validos inimicos haberi. Cui ego reſpondi: Obſeruare te conuenit, neque Deum, neque Sanctos eius habere offenſos. Nam ſcias, quia in perſona aliter Pater, aliter Filius, aliter Spiritus ſanctus: Non Pater aſſumpſit carnem, neque Spiritus ſanctus, ſed Filius: vt qui erat Dei Filius, ipſe ad redemptionem hominis filius haberetur & Virginis. Non Pater paſſus, neque Spiritus ſanctus, ſed Filius, vt qui carnem aſſumpſerat in mundo, ipſe offerretur pro mundo. De perſonis verò quod ais, non corporaliter, ſed ſpiritualiter ſentiendum eſt. In his ergo tribus perſonis vna gloria, vna æternitas, vna poteſtas. A B

REX ACQVIESCIT S. SALVIO EPISCOPO.

At ille commotus ait: Sapientioribus te hoc pandam, qui mihi conſentiant. Et ego: Numquam erit ſapiens, ſed ſtultus, qui hæc quæ proponis, ſequi voluerit. Ad hæc ille frendens ſiluit. Non poſt multos verò dies aduenient Saluio Albigenſi Epiſcopo, hæc ei præcepit recenſeri, deprecans vt ſibi conſentaneus fieret. Quod ille audiens, ita reſpuit, vt ſi chartam, in qua hæc ſcripta tenebantur, potuiſſet attingere, in fruſta diſcerperet. Et ſic Rex ab hac intentione quieuit.] hæc de Regis Sabellianiſmo. addit Gregorius, fuiſſe Chilpericum poëticis facultatibus leuiter excultum, addidiſſeque Græca elementa Latinis. Celebrat eum quidem Fortunatus [a] vt omnium Francorum Regum anteceſſorum & æqualium doctiſſimum, linguaſque in primis varias callentem: vnde ipſe: C

[a] *Fort. carm. lib 9.*

Diſcernens varias, ſed nullo interprete voces,
Et generum linguas vnica lingua refert.] & inferiùs:

CHILPERICVS DOCTRINA POLLENS.

Inter vtrumque ſagax armis & iure probaris:
Belliger hinc radias, legifer inde micas.
De virtute pater reparatur, auunculus ore,
Doctrinæ ſtudio vincis & omne genus.] & de poëtica facultate:
Regibus æqualis, de carmine maior haberis,
Dogmate vel qualis non fuit antè parens.
Te arma ferunt generis ſimilem, ſed littera præfert.
Sic Regum veterum pars ſimul, atque prior.
Admirande mihi nimiùm Rex, cuius optimè D
Prælia robur agit, carmina lima polit.
Legibus arma regis, & leges dirigis armis.
Artis diuerſæ ſic ſimul itur iter.] &c. Humanum fuit deliquiſſe Regem, & excuſatione dignum, quòd dum fertur præceps in pugnam aduerſus Arium, tranſgreſſus limitem, in Sabellianiſmum impegit: at Chriſtianiſſimi Regis præclarum reliquit exemplum, cùm contraria aſtruentibus ſacerdotibus acquieuit. Sed ad felices Sanctorum ad Deum tranſitus veniamus.

Hoc enim anno S. Maurilium Epiſcopum Cadurcenſem miræ ſanctitatis virum ex hac vita migraſſe, idem tradit Gregorius [b], qui eius virtutes recenſet ac celebrat: itemque S. Agricolam Cabilonenſem Antiſtitem euocatum ad ſuperos addit [c]. Fuit hic filius ſenioris Agricolæ æquè ſancti, à quo vnà cum Iuniore Agricola Venantius Fortunatus ſacris litteris inſtructus fuit, vt ipſe epigrammate teſtatum reliquit [d] ad Agricolam Epiſcopum Cabilonenſem, quod alia occaſione ſuperiùs eſt recitatum. E

[b] *Greg. hiſt. Franc. lib. 5. cap. 42.*
[c] *Greg. eod. lib. c. 45.*
[d] *Fort. carm. lib. 6.*

Iungit eidem coronæ Sanctorum Gregorius Dalmatium Ruthenæ ciuitatis Epiſcopum æquè hoc anno ad cæleſtia gaudia euocatum. Quàm autem terribili Dei iudicio pœnas dederit, qui aduerſus eum probra iacere & blaſphemare præſumpſit, à Gregorio ita accipe [e]: Tranſobadus autem preſbyter epulum in ipſa vrbe clericis præparat. Reſidentibus autem illis, vnus preſbyterorum cœpit Antiſtitem memoratum impudicis blaſphemare ſermonibus, & vſque ad hoc erupit, vt eum delirum & fatuum nominaret. Hæc eo dicente, pincerna poculum oblaturus aduenit. At ille acceptum dum ori proximat, tremere cœpit; laxatoque de manu calice, ſuper alium qui ſibi erat proximus caput reclinans, reddidit ſpiritum: ablatuſque ab epulo ad ſepulchrum humo contectus eſt.] hæc Gregorius. Moritur &

[e] *Greg. hiſt. lib. 5. c. 40.*

CHRISTI	PELAGII PAP. II.	TIBERII IMP.
584.	7.	3.

A tur & his Tiberij Imperatoris temporibus in Palæstina Sisinnius ex Episcopo factus anachoreta, itemque eius discipulus magistro sanctitate non impar, vt exitus declarauit [a]. [a] Apud Sophron. prat. spirit. c. 93.

IESV CHRISTI	PELAGII PAP. II.	TIBERII IMP.
ANNVS	ANNVS	ANNVS
584.	7.	3.

QVingentesimus octogesimusquartus Christi annus Indictionis secundæ nota signatur: quo, die decimatertia Aprilis nobile martyrium Hermenegildi Regis Catholici tum Hispanias, tum etiam vniuersum Christianum orbem mirificè illustrauit, Gothorumque B gentem Ariana hactenus infamem hæresi tanta corona nobilitauit, ac reddidit glorioſam. De re hac acturi, primùm omnium, nostro more, rei gestæ tempus certis rationibus confirmemus, quòd sciamus à diuersis eiusmodi insigne martyrium diuersis Domini annis collocatum: alij enim anno octogesimotertio, alij sexto, alij octauo, alij nono id factum affirmant. Verùm cui magis credamus, quàm sancto Isidoro ob oculos hæc habenti, inuenimus neminem. Cùm enim obitum Leuuigildi Regis persecutoris, auctorisq; filij necis, anno sequenti referat contigisse, nempe anno regni ipsius decimooctauo; nihil est penitus, vt post eius obitum martyrium filij ipsius Hermenegildi Regis quis valeat collocare.

DE TEMPORE MARTYRII HERMENEGILDI REGIS.

Et ne quis putet errorem illapsum in numerum apud Chronicon Isidori, accipe id magis exploratum ex Synodalibus Actis, ex quibus pariter anno sequenti habes Leuuigildo defuncto fuisse subrogatum eius filium Reccaredum. Quòd verò his videatur repugnare C nota Æræ ex numero ab annis Iustini Imp. deducto: ne quis dicere possit potiùs in illum, quàm in istum per notam Æræ numerum supputatum irrepsisse mendum, habet ad hęc arguenda Acta Synodalia Toletani Concilij, quod cùm habitum dicatur anno quarto Reccaredi Leuuigildi successoris, & eidem numero iungatur Æra (vt ibi ponitur) sexcentesima vigesimaseptima (qui est annus Domini quingentesimus octogesimus nonus) planè habes vnde intelligas, ipsum auspicatum esse regnum anno sequenti post patris obitum: ex quibus consentientia vides Isidoro Acta Synodalia de obitu Leuuigildi, quòd contigerit anno sequenti. Cùm verò ante annum Filij ipsius martyrium consummatum constet, vtique hoc anno & non alio id factum euidenter apparet.

Quòd autem deducatur hoc ipsum ex tabulis astronomicis ab Ambrosio, eo quòd hoc ipso anno & non sequentibus contigerit celebrari Pascha eo die quo & martyrium subiit: D friuolum videri potest ex eiusmodi tabulis hoc asserere, cùm Ariani, de quorum Paschate agitur, nequaquam Catholicorum legibus subderentur. Firmior stet sententia ex Synodalibus (vt diximus) Actis asserta, hoc anno, nec postea, nec antea contingere potuisse martyrium Hermenegildi. Cùm enim (vt dictum est) anni vnius interlapsum spatium à cæde martyris vsque ad obitum patris etiam Gregorius asseueret, & liqueat pariter sequenti anno ipsum Leuuigildum esse defunctum: necesse est affirmare, hoc anno S. Hermenegildum glorioſum consummasse martyrium. Hæc satis de his quæ spectant ad tempus.

Quæ verò hæc præcesserint, ex Gregorio Turonensi petamus, nimirum proditionem factam à Græcis, qui à Tiberio missi in auxilium venerant Hermenegildi, quē nominat Hermenechildum; cuius rei gratia ipse Rex patri iusta spondenti se dedit: ait enim [b]: At ille; *nempe Leuuigildus parens*, datis Præfecto Imperatoris triginta millibus solidorum, vt se ab E filij solatio reuocaret, commoto exercitu contra eum venit. Hermenegildus verò vocatis Græcis contra partem egreditur, relicta in vrbe coniuge sua. Cumque Leuuigildus ex aduerso veniret, relictus à solatio, *Græcorum scilicet*, Hermenegildus cùm videret nihil se prævalere posse, Ecclesiam quæ erat propinqua expetiit, dicens: Non veniat super me pater meus: nefas est enim aut patrem à filio, aut filium à patre interfici. Hæc audiens Leuuigildus, misit ad eum fratrem eius; qui dato sacramento, ne humiliaretur, ait: Tu ipse accede, & prosternere pedibus patris nostri, & omnia indulgebit tibi. At ille popoſcit vocari patrem suum. Quo ingrediente, prostrauit se ad pedes illius: ille verò apprehensum oſculatus est eum, & blandis sermonibus delinitum duxit ad castra: oblitusque sacramenti, innuit suis, & apprehensum spoliauit eum indumentis suis, induitq; illum veste vili: regressusque ad vrbem Toletum, ablatis pueris eius, misit eum in exilium cum vno tantùm puerulo.] hæc Gregorius. verùm non in exilium, sed in carcerem fuisse detrusum, omnes affirmant.

GRÆCORVM PRODITIO.

[b] Greg. Turon. histor. Franc. lib. 5. cap. 38.

mant. Coniugem verò eius ereptam à Græcis & ductam in Africam, vt perducerent eam ad Imperatorem, ibi defunctam tradit[a]: sed in eo quàm prudens, ipse viderit, dum appellat miserum Hermenegildum iudicio diuino in prœlio derelictum, quòd contra genitorem quantumlibet hereticum talia cogitarit: quasi non monuisset Dominus pietati erga Deum, patrem, matrem, & omnia posthabenda. Sed iam ea quæ de ipso Rege martyre omni fide testata S. Gregorius narrat, hîc reddamus. ait enim[b]:

Sicut multorum qui ab Hispaniarum partibus veniunt, relatione cognouimus, nuper Hermenegildus Rex Leuuigildi Regis Vuisigothorum filius ab Ariana hæresi ad fidem Catholicam, viro reuerendissimo Leandro Hispalitano Episcopo dudum mihi in amicitiis familiariter iuncto prædicante, conuersus est: quem pater Arianus, vt ad eamdem hæresim rediret, & præmiis suadere, & minis terrere conatus est. Cumq; ille constantissimè responderet, numquam se veram fidem posse relinquere, quam semel agnouisset: iratus pater eum priuauit regno, rebusque spoliauit omnibus. Cumque nec sic virtutem mentis illius emollire valuisset, in arctam illum custodiam includens, collum manusque eius ferro ligauit. Cœpit itaque idem Hermenegildus Rex iuuenis terrenum regnum despicere, & forti desiderio cæleste quærens, in ciliciis vinculatus iacens, omnipotenti Deo ad confortandum se preces effundere, tantoque sublimiùs gloriam transeuntis mundi despicere, quanto & religatus agnouerat nihil fuisse quod potuerit auferri.

Superueniente autem Paschalis festiuitatis die, intempestæ noctis silentio, ad eum perfidus pater Arianum Episcopum misit, vt ex eius manu sacrilegæ consecrationis communionem perciperet, ac per hoc ad patris gratiam redire mereretur. Sed vir Deo deditus Ariano Episcopo venienti exprobrauit, vt debuit, eiusque à se perfidiam dignis increpationibus repulit: quia etsi exteriùs iacebat ligatus, apud se tamen in magno mentis culmine stabat securus. Ad se itaque reuerso Episcopo, Arianus pater infremuit: statimque suos apparitores misit, qui constantissimum confessorem Dei illic, vbi iacebat, occiderent. Quod & factum est. Nam mox vt ingressi sunt, securem cerebro eius infligentes, vitam corporis abstulerunt: hocque in eo valuerunt perimere, quod ipsum quoque qui peremptus est, in se constiterat despexisse. Sed pro ostendenda vera eius gloria, superna quoque non defuere miracula. Nam cœpit in nocturno silentio psalmodiæ cantus ad corpus eiusdem Regis & martyris audiri, atque ideo veraciter Regis, quia & martyris. Quidam etiam ferunt, quòd illic nocturno tempore accensæ lampades apparebant: vnde & factum est, quatenus corpus illius vt videlicet martyris iure à cunctis Fidelibus venerari debuisset. Pater verò perfidus & parricida commotus pœnitentia, hoc feciſſe se doluit: nec tamen vsque ad obtinendam salutem pœnituit. Nam quia vera esset Catholica fides cognouit, sed gentis suæ timore perterritus ad hanc peruenire non meruit.] hæc Gregorius: habet eadem Ado Viennensis.

Addidit & illud amplius, vt quamuis visus sit pœnituisse necis illatæ filio, non tantùm non deseruerit perfidiam, cuius impulsu execrandum facinus perpetrauit, sed iracundia ex dolore concepta, exæstuans eam acriùs propagarit, vtpote qui eius causa aduersus Catholicos acerbiorem persecutionem excitauit, relegans Orthodoxos Episcopos in diuersa loca, Ecclesiasq; bonis spolians. Exulasse tunc quidem constat S. Leandrum atque Fulgentium fratres Episcopos, Mausonam Archiepiscopum Emeritensem, Licinianum Carthaginensem Antistitem, Ioannem quoque Gerundensem Episcopum, & alios. Sed vt quorum est ex confessione memoria glorioſa, trophæa erecta prosequamur, dicendum de his singulis, primumque de S. Leandro, de quo hæc habet Isidorus[c]: Hic namque in exilij sui peregrinatione composuit duos aduersus hæreticorum dogmata libros eruditione sanctarum Scripturarum ditissimos, in quibus vehementi stylo Arianæ hæresis *confodit atque detegit impietatem, ostendens scilicet quid contra eosdem habeat Catholica Ecclesia, vel quantum distet ab eis religione, vel fidei sacramentis. Extat & aliud laudabile eius opusculum aduersus instituta Arianorum: in quo propositis eorum dictis, suas responsiones apponit.] hæc de armis, quibus etiam exulans Leander persequentes profligauit inimicos: quibus quoque missilibus perfidum apostatam Vincentium Cæsaraugustanum Episcopum vulnerauit, aduersus quem alij quoque Orthodoxi Episcopi decertarunt. ait enim idem Isidorus[d]: Seuerus Malacitanæ sedis Antistes, collega & socius Liciniani Episcopi, edidit librum vnum aduersus Vincentium Cæsaraugustanæ vrbis Episcopum, qui ex Catholica fide in Arianam prauitatē fuerat deuolutus, &c.] recenset alia eiusdem celebris viri monumenta.

Porrò

[a] *Greg. Turon. l. 6. c. 43. & li. 8. c. 18.*

[b] *Greg. dialog. lib. 3. c. 31.*

CONSTANTIA HERMENEGILDI.

[c] *Isidorus de Script. Eccl. cap. 28.*

* impietatis

[d] *Isid. ibidem cap. 51.*

MARTYRIVM HERMENEGILDI.

SIGNA DIVINITVS OSTENSA POST MARTYRIVM.

LEVVIGILDVS PERSEQVITVR ORTHODOXOS.

A Porrò Licinianum eius collegam Carthaginensem Episcopum exulasse, pariterque peruenisse Constantinopolim, tradit Isidorus, ibique ab æmulis extinctum veneno.

Sed audi de exulante Ioanne Episcopo Gerundensi: Fuit iste (inquit Isidorus [a]) natione Gothus prouinciæ Lusitaniæ Scallabalitanus. Hic cùm esset adolescens, Constantinopolim perrexit, ibique Græca & Latina eruditione nutritus, septimo demum anno in Hispanias reuersus est, eodem tempore, quo incitante Rege Leuuigildo, Ariana feruebat insania. Hunc suprascriptus Rex cùm ad nefandę hæresis credulitatem compelleret, & hic omnino resisteret, exilio trusus, Barchinone relegatus per decem annos multas insidias & persecutiones ab Arianis perpessus est. Qui postea condidit monasterium, quod nunc Biclaro dicitur, vbi congregata monachorum societate, scripsit regulam ipsi monasterio profuturam, sed & cunctis Deum timentibus satis necessariam. Addidit & in libro Chronicorum
B ab anno primo Iustini Iunioris principatus vsque ad annum octauum Mauritij Principis Romanorum, & quartum Reccaredi Regis annum, historico compositoque sermone valde vtilem historiam.] hæc de Ioanne Isidorus, quæ inferiùs addit de Maximo Episcopo Cæsaraugustano in eodem scribendi argumento versato: Scripsit (inquit [b]) & breui stylo historiolam de his quæ à temporibus Gothorum in Hispaniis acta sunt, historico & composito sermone.] at perierunt ista. Sed & inter hos æquè adnumerandus Eutropius Episcopus Valentinus, cuius idem lucubrationes recenset [c].

Floruisse namque visæ sunt diebus istis Hispaniæ viris valdè disertis, aduersus quos certamen Leuuigildum susce pisse diximus: sed nec ipsi satis exagitasse Catholicos in Hispaniis commorantes; verùm & Sueuos haud pridem vnà cum Rege (vt dictum est) ad Catholicam fidem conuersos à recta fide abire coegit: quos ipsos (vt habẽt Acta Concilij tertij Toletani)
C Reccaredus eius in regno successor ad fidem Catholicam reuocauit, vt suo loco dicemus. Quomodo autem Leuuigildus Sueuos subegerit, quáve occasione eorum regnum inuaserit, Isidorus in Chronico Sueuorum ita paucis ostendit: Mironi Euricus filius in regnum succedit, quem adolescentem Audicas assumpta tyrannide regno priuat, & monachum factum in monasterio damnat: pro quo non est dilata sententia. Mox enim Leuuigildus Gothorum Rex Sueuis bellum inferens, obtento eodem regno, Audicam deiecit, atque eodem tonso, post regni honorem presbyteri officio consecrauit. Sic enim oportuit, vt quod Regi suo fecerat, rursum idem ab alio congrua meriti necessitudine pateretur. Regnum autem Sueuorum deletum in Gothos transfertur; quod mansit annis centum viginti sex.] hucusque Isidorus. reliqua de Leuuigildo dicemus anno sequenti.

Non Hermenegildi tantùm sanguine illustrata est Hispaniarum Ecclesia, sed & Vincen-
D tij Abbatis. Cernens enim hic maximam esse irrogatam ignominiam Christiano Catholico nomini per Vincentium Cæsaraugustanum Episcopum (vti superiùs dictum est) nomenque Vincentij in Apostata Vincentio labefactatum, è solitudine prosiliit iste Vincentius, aduersus Arianam blasphemiam vbique pugnare non desinens: qui ab Arianis comprehensus, affectus verberibus, est detrusus in carcerem: dimissus verò tandem ab illis martyrij coronam eidem inuidentibus, vbi maiori spiritus ardore in Arianos inuectus eosdem vnà cum Ariana hæresi exagitasset, ante fores monasterij ab eisdem irruentibus crudelissimè peremptus est Legione, vndecima mensis Septembris, qua die in Ecclesia Occidentali anniuersaria memoria celebratur. Sed ex Hispaniis ad Gallias.

VINCENTII ABBATIS MARTYRIVM.

Eodem anno per Igidium Rhemensem Episcopum & alios collegas legatos compositæ sunt res Francorum, pace stabilita, ea conditione, vt post obitum Chilperici Childebertus
E ei hæres in vniuerso regno succederet. habet ista Gregorius [d]. Tanti boni auctor qui extitit, ipse Igidius pacis conciliator clarus fuit his diebus Antistes: cuius laudes cecinit egregiè Venantius Fortunatus his versibus [e], quos vt dignum gloriæ tanti viri monumentum hîc tibi integrè reddimus:

[a] *Isidorus de Eccl. Script. cap. 31.* DE IOANNE GERVNDENSI CONFESSORE.

[b] *Isid. de Eccles. Script. cap. 33.*

[c] *Isidor. ibid. c. 32.* LEVVIGILDVS SVEVOS A FIDE REVOCAT.

[d] *Gregor. lib. 6. c. 31. & lib. 7. c. 14.*

[e] *Fort. carm. lib. 3.*

Actibus egregiis venerande culmen Igidi,
Ex cuius meritis creuit honore gradus.
Substrahor ingenio, compellor amore parato,
Laudibus in vestris prodere pauca fauens.
Namque reus videor tantis existere causis,
Si solus taceam, quicquid vbique sonat.
Sed quamuis nequeam digno sermone fateri,
Da veniam voto me voluisse loqui.

IGIDII RHEMENSIS EPISC. LAVDES.

Exiit

Exiit in mundum gestorum fama tuorum, A
Et meritis propriis sidus in Orbe micas.
Clarior effulges, quàm Lucifer ore sereno:
Ille suis radiis, tu pietate nites.
Nil lupus insidiis cauto subducit ouili,
Te pastore sacro peruigilante gregem.
Facundo eloquio cælestia dogmata fundis:
Ecclesiæ creuit te monitore domus.
Pontificis studio correctio plebis haberis:
Ne tenebræ noceant, semita lucis ades.
Cunctorum recreas animos dulcedine verbi:
Qui satias epulis, pascis & ore greges. B
Præcepta implentur: non solo pane cibamur:
Delicias capimus, quas tua verba ferunt.
Vt gaudet corpus, cui mitior esca paratur:
Sic animæ gaudent, si tua lingua sonet.
Hæresis ira cadit, forti te milite Christi:
Acquiris Regi quæ dedit arma tibi.
Qui purgas spinis agros sermone colente,
Et mundata Deo surgit vbique seges.
Qui venit huc exul, tristis, defessus, egenus,
Hîc recipit patriam, te refouente, suam.
Quæ doluit tollis, gemitus in gaudia vertens, C
Exilium remouens, reddis amore lares.
Pauper habere cibum, meruit quoque nudus amictum:
Inuenit hîc semper quæ bona quisque cupit.
Consultum tribuis generaliter omnibus vnum,
Qui populi pater es, tot pia ritè geris.*
* regis
Hæc tibi vita diu, Domino tribuente, superstit,
Atque futura micet lucidore die.] hactenus Venantius Fortunatus: ex quibus profecto non laudes tantùm Igidij Episcopi habes expressas, sed & eorum qui bene præsunt suis Ecclesiis Episcoporum partes, quas debent explere, enumeratas. Verùm quod ad ipsum Igidium Rhemensem Episcopum spectat, nouissima ipsius haud adeò fuisse felicia, idem Gregorius Turonensis affirmat: sed de his dicendum inferiùs suo loco. D

PRO FVRIBVS GREGORIVS INTERCEDIT.

Quæ verò his diebus accidisse idem Gregorius tradit, iam dicamus: obortam enim sibi esse occasionem ad Chilpericum Regem scribendi hoc anno, vt fures liberaret à morte, qui ob sacrilegium ingens perpetratum mulctandi ab ipso Rege erant, ipse docet his verbis[a]: His diebus basilica S. Martini à furibus effracta fuit, qui ponentes ad fenestram apsidæ cancellum, qui super tumulum cuiusdam defuncti erat, ascendentes per eum, effracta vitrea sunt ingressi, auferentesque multum auri argentique, & palliorum holosericorum, abierunt, non metuentes super sanctum sepulchrum pedem ponere, vbi vix os applicare præsumimus. Sed virtus Sancti voluit hanc temeritatem etiam cum iudicio manifestare terribili. Nam hi perpetrato scelere ad vrbem Burdegalensem venientes, orto scandalo, vnus alterum interemit: sicque patefacto opere, furtum repertum est, ac de hospitali eorum argentum comminutum & pallia sunt extracta. Quòd cùm Regi Chilperico nunciatum fuisset, iussit eos alligari vinculis, & suo aspectui præsentari. Tunc ego metuens, ne ob illius causam homines morerentur, qui viuens in corpore pro perditorum vita sæpiùs deprecatus est, epistolam Regi precationis transmisi, ne nobis non accusantibus, ad quos prosecutio pertinebat, hi interficerentur. Quod ille benignè suscipiens, vitæ restituit: species verò quæ dissipatæ fuerant, studiosissimè componens, loco sancto reddi præcepit.] hæc Gregorius, specimen egregium edens mansuetissimi sacerdotis. E

[a] *Greg. Turon. histor. lib. 6. c. 10.*

QVI HOC ANNO SANCTI VIRI EX HAC VITA DISCESSERVNT.

Post hæc autem idem auctor diuertit ad illustrium sanctitate virorum ad Deum transitum, quos hoc Childeberti anno sexto diem obiisse contigit, nimirum Ferreolum Episcopum Vcecensem magnæ (vt ait[b]) sanctitatis virum, qui & scriptorum suorum reliquit monumenta, libros videlicet epistolarum Sidonium Apollinarem secutus. Sed & eodem tempore ex humanis desiisse tradit[c] Eparchium Engolismensem, cuius cum sanctitate vitæ admirabili

[b] *Gregor. Turon. histor. lib. 6. c.*
[c] *Ibid. lib. 6. c. 8.*

A mirabili magna enitebat virtus in ostensione signorum: quæ idem auctor recenset, resque ab eo gestas libello conscripsit[a]. His iungit[b] Domnolum Cænomanensem Episcopum æquè sanctitate ac miraculorum virtute conspicuum. Quos omnes sacer sanctorum catalogus, quem appellant Martyrologium, habet certis diebus, quibus ex hoc mundo discesserunt, ascriptos, anniuersarij cultus memoria celebres: Reperitur præterea hoc eodem anno ad cæleste præmium vocatus sanctus Maurus Abbas, anno videlicet ab eius in Gallias aduentu quadragesimo primo: cuius res gestas prosecutus est historico stylo Faustus monachus ipsius discipulus, eas scribens ad Bonifacium tertium eius nominis, qui post sanctum Gregorium Papam secundus Pontifex numeratur.

[a] *Greg. Turon. in vita SS. Patr. apud Surium die 1. Iul.*

[b] *Greg. Turon. histor. lib. 6. c. 9.*

Hoc item anno, iam impleta Indictione secunda, incipiente verò Indictione tertia, quarto Nonas Octobris Pelagius Papa fatigatus admodum Longobardorum assiduis bellis,
B post fœdus cum illis initum, iusiurando perfracto iterum rediuiuis, ab Imperatore Tiberio petiturus auxilium, legat Constantinopolim Honoratum Notarium, cui ad Gregorium diaconum Apocrisarium ibidem apud Imperatorem agentem, has litteras dedit[c]:

[c] *Pelag. epi. 5.*

Pelagius Episcopus dilecto filio Gregorio venerabili diacono.

PELAGII PAP. EPISTOLA AD GREGORIVM DE LONGOBARDIS.

Omnia quidem quæ necessaria fuerunt, per Honoratum Notarium tibi curauimus indicare: quem cum fratre & coepiscopo Sebastiano ad dilectionem tuam direximus: Vt quia in illis partibus ad Rauennam vsque nunc cum viro glorioso domino Decio Patricio fuit, ipse sua relatione studeat te de omnibus informare: vel si necessaria iudicaueris, possis domino Imperatori suggerere, quia tãtæ calamitates ac tribulationes nobis à perfidia Longobardorum illatæ sunt contra proprium iusiurandum, vt nullus possit ad referendum sufficere. Prædictum autem fratrem Sebastianum quomodo susceperimus, vel quali apud nos,
C te suggerente, fuerit charitate, ipsius poteris relatione cognoscere. Qui etiam iam promisit nobis, necessitates vel pericula totius Italiæ piissimo domino Imperatori suggerere.

ROMA IN ANGVSTIA POSITA.

Loquimini ergo & tractate pariter, quomodo nostris celeriter possitis subuenire periculis: quia ita hîc coangustata est Respublica, vt nisi Deus piissimi in corde Principis inspirauerit, vt insitam sibi misericordiam suis famulis largiatur, & super illam diacoposin, vel vnum Magistrum militum, & vnum Ducem dignetur concedere, in omni simus angustia destituti: quia maximè partes Romanæ omni præsidio vacuatæ videntur. Et Exarchus scribit, nullum posse nobis remedium facere: quippe qui nec ad illas partes custodiendas se re-
D stetur posse sufficere. Imperet ergo illi Deus, nostris velociter periculis subuenire, antequam nefandissimę gentis exercitus loca quæ adhuc à Republica detinentur, Deo sibi contrario (quod absit) præualeant occupare. Presbyterum autem ad nos transmittere, Deo iuuante, festina: quia & in monasterio tuo, & in opere, cui eum præposuimus, necessarius esse omnino cognoscitur. Data quarta Nonarum Octobris, Indictione tertia.] At quisnam iste fuerit presbyter monasterio ipsius S. Gregorij adeò necessarius, ex eiusdem Gregorij scriptis & rebus gestis satis possumus intelligere. Etenim quem secum duxerat Maximianum presbyterum, eumdem his puto ex causis à Pelagio inculcatis Gregorius Romam redire præcepit: hunc ipsum namque Constantinopoli ab eo dimissum constat. Cui & quid acciderit Romam redeunti, cùm mare Hadriaticum nauigaret, sic narrat idem ipse Gregorius[d]:

[d] *Gregor. dial. lib. 3. cap. 36.*

Neq; hoc silendum puto, quod omnipotens Deus super Maximianum famulum suum, nunc Syracusanum Episcopum, tunc autem mei monasterij Patrem, dignatus est monstrare miraculum. Nam dum iussione Pontificis mei in Constantinopolitanæ vrbis Palatio responsis Ecclesiasticis deseruirem, illuc ad me idem venerabilis Maximianus, charitate exi-
E gente, cum fratribus venit. Qui cùm ad monasterium meum Romam rediret, in mari Hadriatico nimia tempestate deprehensus, inæstimabili ordine atque inusitato miraculo erga se cunctosque qui aderant, omnipotentis Dei & iram cognouit, & gratiam. Nam cùm in eorum morte, ventorum nimietatibus eleuati fluctus sæuirent, ex naui clauis perditis, arbor abscissa est, vela in vndis proiecta, totumque vas nauis quassatum nimiis fluctibus ab omni fuerat sua compage dissolutum. Rimis itaque patentibus, intrauit mare, atque vsque ad superiores tabulas impleuit nauem, ita vt non tam nauis intra vndas, quàm vndæ iam intra nauem esse viderentur.

MAXIMIANVS REDIT AD MONASTERIVM.

Tunc in eadem naui residentes, non iam ex morte vicina, sed ex ipsa eius præsentia ac visione turbati omnes sibimet pacem dederunt; corpus & sanguinem Redemptoris acceperunt, Deo se singuli commendantes, vt eorum animas benignè susciperet, quorum corpora in tam pauenda morte tradiderat. Sed omnipotens Deus, qui eorum mentes mirabi-

liter

liter terruit, eorum quoque vitam mirabiliùs seruauit. Nam diebus octo nauis eadem vs- A
NAVIS IN PORTV MERGITVR, VEL SALVI FACTI SVNT OMNES.
que ad superiores tabulas aquis plena, iter proprium peragens, enatauit; nono autem die in Cothronensis castri portum deducta est: ex qua exierunt omnes incolumes, qui cum prædicto venerabili viro Maximiano nauigabant: cumq; post eos ipse quoque fuisset egressus, mox in eiusdem portus profundum nauis demersa est; ac si, illis egredientibus, præpondere subleuatione caruisset; & quæ plena hominibus in pelago aquas portauerat atque natauerat, Maximiano cum suis fratribus recedente, aquas sine hominibus in portu non valuit portare. Vt hinc omnipotens Deus ostenderet, quia hanc onustam sua manu tenuerat, quæ ab hominibus vacua & derelicta super aquas non potuit manere.] hactenus Gregorius: Ex quibus intelligis pariter, perseueransse vsum, vt pij Christiani peregrinantes, nauigantesq; secum ferrent sacratissimam Eucharistiam, vt vidimus olim à S. Satyro S. Ambrosij germano factum, atq; ab aliis, vt suis locis habetur expressum. Porrò quod ad Maximia- B
Ioan. diacon. Vit S. Greg. lib. 1. c. 33.
ni reditum spectat, planè errat Ioannes[a] diaconus, cùm & tunc S. Gregorium Constantinopoli Romam rediisse videtur asserere. Quod autem pertinet ad Longobardorum statum, dicemus anno sequenti. Qui igitur à Pelagio monasterio præfectus fuit Maximianus, hunc ipsum secundum ordine eius monasterij Abbatem fuisse, succesisseque Valentio, siue Valentino, superiùs eiusdem Gregorij testificatione diximus: dictum verò Valentium his diebus defunctum esse, ex successoris suffectione possumus intelligere.

IESV CHRISTI ANNVS 585. PELAGII PAP. II. ANNVS 8. TIBERII IMP. ANNVS 4. C

ADest annus Domini quingentesimus octogesimusquintus, Indictionis tertiæ: quo Longobardi cùm per decennium sine Rege sub Ducibus extitissent, regiminis eiusmodi sine capite iam pertæsi, initis vnà comitiis, Regem vt antea creant, delectusque ex
CREATVR REX LONGOB. ANTHARIT.
omnibus Antharit: verùm barbaricum nomen nimis asperum cognominis Flauij lenitate deliniunt. Sed audi Paulum diaconum de Longobardorum Republica hoc modo composita ista narrantem[b]: At verò Longobardi cùm per annos decem sub potestate Ducum fuissent, tandem communi consilio Antharit Clephonis supra memorati Principis filium Regem sibi statuerunt: quem etiam ob dignitatem Flauium appellarunt, quo prænomine omnes qui postea fuere Longobardorum Reges, feliciter vsi sunt.
[b] Paul. diacon. de gest. Longob. lib. 3. cap. 8.

In huius diebus ob restaurationem regni, Duces qui tunc erant, omnis substantiæ suæ D
medietatem regalibus vsibus tribuunt, vt esse posset, vnde Rex ipse & qui ei aderant, eiusq; obsequiis per diuersa officia dediti alerentur: populi tamen aggrauati per Longobardos hospites partiuntur. Erat sanè hoc mirabile in regno Longobardorum, quòd nulla erat violentia, nullæ statuebantur insidiæ, nec aliquem iniustè angariabant, neminem spoliabant, non erant furta, non latrocinia, vnusquisque quolibet securus sine timore pergebat.] hæc Paulus: sed Longobardus & ipse suæ genti nimium fauit: non ita cæteri qui hoc tempore vixere, præsertim verò Gregorius Papa, qui sæpe ob ingentia ab eisdem scelera perpetrata ipsos Longobardos gentem nefandissimam nominat, compluraque de iisdem refert, quæ contraria omnino iis quæ à Paulo narrantur esse noscuntur.

ROMA DEFENSA DIVINITVS.
Sed quo statu res Romanæ hoc tempore fuerint, quas à Pelagio Papa adeò vidimus
deploratas, perquirendum est. Accidit sanè à Deo mirandum prodigium, vt & absque auxi- E
lio Constantinopoli ab Imperatore (vt expectabatur) accepto, tamen Roma subsisteret, non quidem humano fulta præsidio, sed (quod Gregorius liberè profitetur) defensa Apostolico patrocinio. Inter alia admiratione digna quæ acciderunt, virtute Petri humiliata est barbarica vis, atque flexa nouo miraculo noui Regis ferrea ceruix, adeò vt & ad eius limina donum mittere diuinitus cogeretur. Sed audi rem gestam à S. Gregorio in epistola ad
[c] Greg. lib. 6. epist. 3.
Theotistum ita narratam[c]:

DE CLAVE S. PETRI GRANDE MIRACVLVM.
Benedictionem (inquit) sancti Petri Apostoli, clauem à sacratissimo eius corpore transmisi, de qua videlicet claue hoc est gestum, quod narro miraculum. Dum eam quidam Longobardorum, ciuitatem ingressus in Transpadanis partibus, inuenisset: quia sancti Petri clauis esset despiciens: sed pro eo quòd auream vidit, facere sibi ex illa aliquid aliud volens, eduxit cultellum vt eam incideret: qui mox cultellum, cum quo eam per

partes

A partes mittere voluit, arreptus per spiritum, sibi in gutture defixit, eademque hora defunctus cecidit. Et dum illic Rex Longobardorum Antharit atque alij multi eius homines adessent, & is qui se percusserat, seorsum mortuus, clauis verò hæc seorsum iaceret in terra: factus est omnibus vehementissimus timor, vt eamdem clauem de terra leuare nullus præsumeret. Tunc quidam Longobardus Catholicus, qui sciebatur orationibus & eleemosynis deditus (Minulphus nomine) vocatus est, atque ipse hanc eleuauit de terra: Antharit verò pro eodem miraculo aliam auream clauem fecit, atque cum ea pariter ad sanctæ memoriæ prædecessorem meum transmisit, indicans quale per eam miraculum contigisset.] hucusque Gregorius. Sed quòd per clauem possessio designatur, veluti hieroglyphicis quibusdam notis (quas tamen cùm scriberet Rex barbarus non intellexit) illud significatum fuisse, posset ex euentis certò interpres asserere, non tantum à Longobardis Vrbem
B capiendam, sed ipsos omnes cum sua ditione Romano Pontifici parituros. Vnde meritò his diebus Venantius Fortunatus laudes celebrans Apostolorũ Petri & Pauli, inter alia de ipsis magnificè decantata, de ipsorum patrocinio, quo muniunt Vrbẽ, hos habet versus [a]: *Fortũ. carm. lib. 3.*

A facie hostili duo propugnacula præsunt,
Quos fidei turres Vrbs caput Orbis habet.

] testatur id ipsum S. Gregorius, de his quæ ipse experiebatur certam fidem faciens. Sed hæc modò satis. Iam ad res in Hispania gestas enarrandas nobilitas nos prouocat argumenti.

Hoc anno qui sequitur primus à martyrio Hermenegildi, eius pater infelix Leuuigildus, subactis Sueuis, eisdemque in Arianam hæresim reuocatis, post persecutionem Ecclesiæ ex hac vita migrauit, prout ex ijs quæ anno superiori sunt dicta de martyrio Regis expres-
C sum patet in Actis Toletani Concilij, ex quibus constat hoc anno filium eius Reccaredum regnare cœpisse Æra sexcentesima vigesimatertia: nam in ijsdem Actis Æra sexcentesima vigesima septima annus quartus eiusdem Regis numeratur. verùm in Isidori Chronico Æra sexcentesima trigesimaquinta obitus Leuuigildi & Reccaredi ingressus in regnum mendosè legitur: quod nullo penitus modo conuenire potest. LEVVIGIL-DI REG. OBITVS.

Quòd verò ad finem eiusdem Regis pertinet, ambo Gregorij suorum temporum scriptores eumdem facti pœnitẽtem decessisse ex hac vita tradunt: etenim de Leuuigildi obitu & Reccaredi successione habet ista S. Gregorius Papa [b]: Leuuigildus, oborta ægritudine, ad extrema perductus est, & Leandro Episcopo, quem priùs vehementer afflixerat, Reccaredum Regem filium suum, quem in sua hæresi reliquerat, commendare curauit, vt in ipso quoque talia faceret, qualia in fratre eius exhortationibus fecisset. Qua commendatione expleta, defunctus est.] hæc de pœnitentia Regis, sed non satis visa ad salutem Gregorio,
D qui subdit: LEVVIGIL-DI POENITENTIA. *[b] Greg. dial. lib. 3 cap. 31.*

Post eius mortem Reccaredus Rex non patrem perfidum, sed fratrem martyrem secutus, ab Ariana prauitate conuersus, totam quoque Vuisigothorum gentem ita ad veram perduxit fidem, vt nullum in suo regno militare permitteret, qui regno Dei hostis existere per hæreticam prauitatem non timeret. Nec mirum quòd veræ fidei prædicator factus est, qui frater est martyris, cuius hunc quoque merita adiuuant, vt ad omnipotentis Dei gremium tam multos reducat. Qua in re considerandum nobis est, quia totum hoc agi nequaquam posset, si Hermenegildus Rex pro veritate mortuus non fuisset. Nam sicut scriptum est [c]: Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet; si autem mortuum fuerit, multum fructum affert. Hoc fieri videmus in membris, quod factum scimus in capite. In Vuisigothorum enim gente vnus mortuus est, vt multi viuerent;
E & dum vnum granum fideliter cecidit, ad obtinendam fidem seges multa surrexit.] hucusque Gregorius. Sed & alterum Gregorium, Turonensem videlicet, audi, qui aliquid amplius de pœnitentia refert eiusdem Leuuigildi: ait enim [d]: Post hæc Leuuigildus Rex Hispaniarum ægrotare cœpit: sed (vt quidam asserunt) pœnitentiã pro errore hæretico agens, & obtestans ne huic hæresi quisquam reperiretur cõsentaneus, in legem Catholicã transiit, ac per septẽ dies in fletu perdurans pro his quæ contra Deum iniquè molitus est, spiritum exhalauit.] hæc ipse. Verum etsi facti pœnitẽs, quòd tamen Catholicus omnino decesserit, haud satis certis probatur assertionibus. etenim execrabilis eius memoria remansit posteris. *[c] Ioan. 12.* *[d] Greg. Turõ. hist. lib. 8. cap. vlt.*

Quod verò ad eius successorem Reccaredum pertinet, accipe quæ de eo summatim Isidorus habet in Chronico: Leuuigildo defuncto, filius eius Reccaredus regnò est coronatus, cultu præditus religionis, & patris moribus longè dissimilis: namque ille irreligiosus & bello promptissimus, hic fide pius & pace præclarus: ille armorum artibus gentis Imperium RECCARE-DVS REX PIETATE ET FORTITV-DINE IN-SIGNIS.

dilatans; hic glorioſus eamdem gentem fidei trophæo, inſoliti erroris labe deterſa, ad cultum rectæ fidei reuocauit. Synodum etiam ad condemnationem Arianæ hæreſis congregauit: cui Concilio idem glorioſiſſimus Princeps interfuit, ſuaque eum præſentia & ſubſcriptione firmauit.] hæc de pietate Reccaredi Iſidorus: de bellica autem virtute quæ ſubdit, ſuo loco dicemus. A

His iungamus quæ de eorumdem conuerſione Gothorum, & de infelici exitu Epiſcopi Ariani, qui ſe obicem poſuit, Gregorius Turonenſis narrat his verbis[a]: Igitur eo tempore in Hiſpania Reccaredus Rex compunctus miſeratione diuina, conuocatis Epiſcopis religionis ſuæ, ait: Cur inter vos & ſacerdotes illos, qui ſe Catholicos dicunt, iugiter ſcandalum propagatur: & cùm illi per fidem ſuam ſigna multa oſtendant, vos nihil tale agere poteſtis? Qua de re conuenite, quæſo, ſimul, & diſcuſſis vtriuſque partis credulitatibus, quæ vera ſunt cognoſcamus. Et tunc aut accepta illi à vobis ratione, ea credant quæ dicitis: aut certè ab illis veritatem cognoſcentes, quæ prædicauerint, vos credatis. B

[a] Greg. Turon. hiſt. Franc. lib. 9. c. 5.

RECCARED. QVID IN ARIANOS EPISCOPOS DE VIRTVTE MIRAGVLORVM.

Quod cùm factum fuiſſet, congregatis vtriuſque partis Epiſcopis, propoſuerunt hæretici illa quæ ſæpius ab ipſis dicta iam ſcripſimus: ſimiliter reſponderunt Epiſcopi noſtræ religionis ea de quibus hæreticorum partem plerumque victam libris ſuperioribus demonſtrauimus: & præſertim cùm Rex diceret, quòd nullum ſignum ſanitatis ſuper infirmos ab hæreticorum oſtenderetur Epiſcopis, ac in memoria replicaret, qualiter tempore genitoris ſui, Epiſcopus qui ſe iactabat per fidem rectam cæcis reſtituere lumen, tacto cæco & cæcitati perpetuæ damnato, diſceſſiſſet compunctus (quod nos in libro Miraculorum pleniùs declarauimus) vocauit ad ſe ſeorſum ſacerdotes Dei: quibus perſcrutatis, cognouit verum Deum ſub diſtinctione coli perſonarum trium, id eſt, Patris, Filij, & Spiritus ſancti, nec minorem Filium Patre, Spirituque ſancto, neque Spiritum ſanctum minorem Patre, vel Filio, ſed in vna æqualitate atque omnipotentia hanc Trinitatem verum Deum fateri. C

ATHALOCVS ARIANVS EPISC. DESPERATIONE SPERIT.

Tunc intelligens veritatem Reccaredus, poſtpoſita altercatione, ſe Catholicæ legi ſubdidit, & accepto ſignaculo ſanctæ Crucis cum chriſmatis vnctione, credidit Ieſum Chriſtum Filium Dei æqualem cum Patre & Spiritu ſancto regnantem in ſæcula ſæculorum. Amen. Deinde nuncios mittit ad prouinciam Narbonenſem, quibus narrantibus ea quæ ille geſſerat, ſimili credulitate populus ille cõnecteretur. Erat enim tunc ſectæ Arianæ Epiſcopus Athalocus, qui ita per propoſitiones varias & interpretationes falſas Scripturarum Eccleſias Dei conturbabat, vt putaretur quòd ipſe eſſet Arius, quem proieciſſe in ſeceſſum exta, hiſtoriographus narrauit Euſebius: ſed cùm hæc populo ſectæ ſuæ credere non ſineret, & ad conſentiendum ei paucorum faueret adulatio, commotus felle, ingreſſus in cellulam ſuam, inclinato ſuper lectulum capite, nequam ſpiritum exhalauit. Sicque hæreticorum populus in ipſa conſiſtens prouincia, inſeparabilem Trinitatem confeſſus, ab errore diſceſſit.] hucuſq; Gregorius. Egiſſe quidem Reccaredum Regem cum Epiſcopis Arianis non terrore vel imperio vſum, ſed placidis verbis atque blanditiis, ſummam in omnibus præſeferentem manſuetudinem, auctor eſt Ioannes Bicharenſis Abbas, qui his temporibus vixit & ſcripſit. D

Sic igitur ſummo Dei beneficio, cùm per Gothos, Vuandalos, Sueuos, Alanos, aliaſque barbaras nationes Ariana hæreſis exundans impleſſet Italiam, Africam, Hiſpanias, atque Gallias, tamquam torrens in auſtro exiccata decreuit. Sed de his rurſus inferiùs. Porrò Regina Leuuigildi coniux Goiſuintha, nouerca Reccaredi Regis, Arianæ perfidiæ addictiſſima, ſiue rubore compulſa, ſiue timore conuicta, ſimul cum aliis fidem Catholicam profeſſa, abdicare Arianam hæreſim videri voluit, cùm tamen intus Arium haberet incluſum: nam etſi cum aliis Orthodoxis vt Orthodoxa ad Synaxim cõueniret, atque ſicut alij communicaret, ſecretò tamen ſacratiſſimam Euchariſtiam ex ore reiiciebat: quæ & nihil ſolicitiùs procurauit, quàm vt proditione aliqua Reccaredum è medio tolleret: inuenitque eiuſdem ſuæ ſententiæ Arianum itidem hominem, dignitate Epiſcopum, nomine Vdilam, ſiue Vldidam, qui in necem Regis pariter conſpiraret; ſed coniuratione detecta, Arianus Epiſcopus mulctatur exilio; Regina verò, Deo vltore, citiùs ex hac vita luitura pœnas æternas præripitur. Hæc Ioannes Abbas huius temporis ſcriptor narrans, tertio Regis eiuſdem anno accidiſſe tradit. Sed iam ad res Francorum orationem conuertamus. E

CONIVRATIO ARIANORVM.

Hoc anno ſeptimo Childeberri Regis Chilpericus Rex ad Iudæorum conuerſionem addicens animum complures eorum ad fidem conuerſos in baptiſmo ſuſcepit: ſed dum

alios

A alios adigere vellet, multarum cædium occasionem præbuit. habet ista Gregorius[a] pluribus : qui & subdit post alia[b] de obitu Chrodini viri maximè pij de quo paucis magna recenset. Fuit planè iste Chrodinus Dux ille, ad quem extat Venantij Fortunati epigramma, quo eius pariter laudes celebrat. sed primùm audi Gregorium: Eo (inquit) anno Chrodinus obiit, vir magnæ bonitatis & pietatis, eleemosynarius valde, pauperumque refector, profluus ditator ecclesiarum, clericorumque nutriror : nam sæpè à nouo fundans villas, ponens vineas, ædificans domos, culturas erigens, vocatis Episcopis quorum erat parua facultas, dato epulo, ipsas domos cum cultoribus & culturis, cum argento, peristromatibus, vtensilibus, ministris & famulis, benignè distribuebat, dicens: Sint hæc Ecclesiæ data, vt dum de his pauperes reficiuntur, mihi veniam obtineant apud Deum. Multa autem & alia bona de viro audiuimus, quæ insequi longum est. Transiit autem ætatem septuagena-
B ria.] hæc ipse: ex quibus & vides pariter, quo fine bona largiri Fideles solerent ecclesiis, nempe vt eisdem pauperes alerentur. Sed audi Fortunatum viri digniſſimi laudes carminibus hisce prosequentem[c]:

[a] *Gregor Turon. li. 6 c. 17*
[b] *Greg. Turon. lib. 6. cap. 20.*

DE CHRODINI DVCIS OBITV.

[c] *Fortũ. carm. lib. 9 in fin.*

Inclyte Dux meritis totum vulgate per Orbem;
Quem nimis egregium splendida fama refert.
Non ego præteream præconia celsa, Chrodine,
Ne videar solus magna silere bonis.
Itala terra tibi, pariter Germania plaudunt:
Laus tua cunctorum semper in ore sonat.
Clarus ab antiquis digno generosior ortu,
Regibus & patriæ qui placiturus eras.
C *Tutoremq; alij, nutritoremq; fatentur,*
Et sit certamen de pietate tua.
Vt habeant alij, nulli tua bona recusas:
Tu tibi plus auges, quas bene fundis opes.
Cui possis præstare, libens exquiris, & optas:
Vt sis apud cunctos, hos facis esse tuos.
Es generale bonum, nulli grauis, omnibus æquus:
Iustitiæ socium nulla rapina tenet.
Mitis, in alloquio placidus, gratusq;, modestus:
Omnia cui data sunt, vt decus omne geras.
Gentibus astrictus, Romanis charus haberis:
D *Felix qui populis semper in ore manes.*] hactenus Fortunatus. Sic igitur qui tot tantisque laudibus meruit à duobus dignis Episcopis celebrari Chrodinus Dux, hic his elogiis honoratum proponimus eius monumentum post obitum, cuius erga pauperes sanctaque loca munificentia semper enituit.

LAVDES CHRODINI DVCIS.

Sed his subiiciendum putamus alterius pietate insignis viri ab eodem Fortunato epitaphium scriptum, cuius pariter in erogandis diuitiis pauperibus largitas commendatur: qui ex mercatura (quod magis mirandum videtur) ad Deum conuersus, Iulianus dictus est nomine: de quo accipe ex scripto codice carminum Fortunati epitaphium, quod desideratur in codicibus iterum cusis:

Condita sunt tumulo Iuliani membra subisto,
Cuius in æternum viuere nouit honor.
E *Mercator quondam conuersus, fine beato,*
Raptus ab hoc mundo crimine liber homo.
Collegit nimium, sed sparsit egentibus aurum:
Præmisit cunctas quas sequeretur opes.
Sollicitus quemcumque notum prospexit in vrbe,
Hunc meruit veniens exul habere patrem.
Pascere se credens Christum sub paupere forma:
Ante omnes apud hunc sumpsit egenus opes.
Non solùm refouens, sed dona latendo ministrans,
Amplius inde placet, quod sine teste dedit.
Felicem censu qui fratris migrat in aluum,*
Et viuos lapides ædificare potest.

EPITAPH. IVLIANI ELEEMOSYNIS CLARI.

Extulit hanc tumulum genitoris honore Ioannes,
Qui modò diuinis fungitur officiis.
Qualiter hic viuo seruiret amore parenti,
Cùm nati pietas ipsa sepulchra colit.] Id genus est & epitaphium Atoli discipuli S.Remigij, huius planè sæculi viri pietate conspicui, quod Rhemis habetur in ecclesia S.Iuliani martyris: A

Hic pater est Atolus nato natáq; sepultus,
Expectans ſq; diem nunc Domini properam,
Instruxit bis sena suis xenodochia rebus,
Iure fouens plebes, diuitiis inopes.
Sic proprium censum cælum transuexit in altum,
In quo suscepit quod miserando dedit.
Hoc totum sub amore sacri studioq; Remigi:
Ob hoc prærutilum detinet ipse polum.] Florardus autem dum quorumdam S.Remigij discipulorum meminit, inter eos & hunc Atolum recenset. Habes ex his, lector, (ne putes hæc otiosè narrata) quibus consueuerint titulis exornari Christianorum sepulchra non Episcoporum tantùm, sed & laicorum hominum pietate præstantium. B

Sed quòd in his versatur oratio, hic tibi reddendum putamus Andreæ ex presbytero Cardinali Episcopi epitaphium, quod in cathedrali ecclesia Caietæ legitur hoc vtique sæculo positũ sub Consulatu Decij Iunioris, de quo superiùs anno Domini quingentesimo trigesimoquarto. Sed cùm nondum illud accepissemus; ne prætereatur omnino, hic ipsum describi debere, etsi non temporis, argumenti tamen ratio persuasit. sic enim se habet: C

Pande tuas paradise fores, sedemq; beatam,
Andreæ meritum suscipe Pontificis:
Cultor iustitiæ, doctrinæ & pacis amator:
Quem vocat ad summum vita beata bonum.
Plenus amore Dei nesciuit viuere mundo:
At famulo Christi gloria Christus erat.
Quæ meditata fides & credita semper inhæsit,
Hæc te vsque ad cælos & super astra tulit.
Numquam de manibus tibi lex diuina receßit:
Eloquium Domini vixit in ore tuo.
Romanamq; priùs decorauit presbyter vrbem:
Culminis auctus honor hic dedit esse patrem. D
Districtus sub iure pio & moderamine certo,
Vtq; bonus pastor texit ab hoste gregem.
Hospitibus gratus, se ipsum donauit egenis:
Illos eloquio, hos satiabat ope.
Præsule sub tanto florens Ecclesia mater,
Creuit muneribus, creuit & officiis.

VIXIT ANN. PM. LXX. PRESB. ROMANVS VII.
ET IN EP. ANN. XXVII. M. X. D. XX.
REQVIEVIT IN PACE XIIII. KAL. NOV.
CONS. DECI. IVN.

In tabula vbi eiusmodi inscriptio legitur, apposita visuntur insignia nobilis familiæ Colum- E
nensium.

Cuiusnam verò ciuitatis hic Episcopus fuerit, cùm non exprimatur: certum est Caietanum minimè esse potuisse, cùm nondum Caietæ cathedra Episcopalis erecta esset, sed in vicinioribus locis erant hæ, Formiana ac Minturnensis Neapolim versus, altera verò ex parte Romam versus Fundana & Terracinensis, vt constat ex Actis primæ Romanæ Synodi sub Symmacho Rom. Pontifice, & ex epistolis S. Gregorij. Porrò hoc sæculo eiusdem nominis fuisse reperitur Andreas Fundanus Episcopus, cuius est celebris memoria apud S.Gregorium in Dialogis[a]: vixit etiam iisdem ferme diebus Andreas Episcopus Aquinas, de quo idem S.Gregorius meminit[b], sed ignobilis, longeque ab isto de quo agitur diuersus: hic enim ante Episcopatum in Romana Ecclesia functus est honorificè presbyterio. At de his satis.

[a] *Gregor. dialog. l. 3. c. 7.*
[b] *Greg. dial. lib. 3. cap. 8.*

IESV

IESV CHRISTI ANNVS 586. | PELAGII PAP. II. ANNVS 9. | MAVRITII IMP. ANNVS 1.

QVingentesimo octogesimosexto Christi anno, quartæ Indictionis, mense Augusto moritur Tiberius Imperator, atque in locum eius Mauritius subrogatur. Sed antequam de his agamus, quæ Tiberij obitum præcesserunt, sunt recensenda. Constat etiam hoc anno, ante quatuor menses quâ Tiberius moreretur, Eutychium Constantinopolitanum Episcopum ex hac vita migrasse: testatur id quidem is qui præsens fuit Eustathius, qui res ab eo præclarè gestas conscripsit; cùm de ægritudine Eutychij instituens exactam narrationem, hæc ait[a]: Imperator magno desiderio & fide beatum virum inuisit: primùm quidem, vt ab illo benedictionem acciperet: deinde vt intelligeret, quis post illum pastor esset populum gubernaturus. Benedixit ille quidem Imperatori, sed alterum reticuit, non quòd ignoraret, sed propter quasdam causas, quas, Deo sibi aperiente, ipse nouerat. Quare cùm ea quæ res & tempus postulabant, cum Imperatore locutus esset, hilari lætoq; vultu ille discessit. Ego autem à quibusdam Imperatoris familiaribus accepi, ei fuisse à sancto viro prænunciatum, celerem ipsi mortem instare: idq; verum fuisse, euentus docuit: nam quatuor post mensibus à vita discessit Christi amantissimus Imperator.] hæc de tempore. Cùm igitur obitus Imperatoris hoc anno dicto mense contigerit (vt paulo pòst dicturi sumus) vtique necesse est affirmare hoc anno mense Aprili Eutychium ex hac vita migrasse. ex quo corrigenda sunt, quæ superius in eodem auctore vel alijs habentur, sedisse Eutychium, vbi est reuocatus ab exilio, annos quatuor & sex menses; nisi quis Ioannis intrusi sedem vsque ad annum vltimum Iustini perduxerit.

[a] *Extat apud Sur. die 6. April. tom. 2.* EVTYCHII EPISC CONSTANTINOP. ORTVS TEMPVS.

Sed & quæ paulo antè præcesserunt eiusdem Eutychij obitum, hoc eodem anno hic sunt accuratè tractanda, addendaque ab Eustathio prætermissa disputatio illa de resurrectione carnis cum Gregorio diacono Romano Apocrisario habita. Contigit enim vt ipse Eutychius eodem argumento commentarium à se scriptum ediderit, quo cùm firmiter aduersus Gentiles & hæreticos carnis resurrectionem astrueret, ab Origenis tamen erroribus petitam opinionem isdem suis scriptis insereret, nimirum fore eam absque carne palpabili. Cùm autem id accepisset Gregorius, conuenit eum atque redarguit, vtq; ab erronea & prorsus hæretica sententia recederet verbis instans admonuit: atque perfecit tandem, vt damnatus liber incendio cremaretur, ipseq; Eutychius sanioris mentis effectus suum fuerit detestatus errorem. Ita plane humana fors fert, vt sicut illustrans Orbem è cælo Sol rarò contingat ad Occasum absque nubium obice puris radijs deorsum ferri, ita sanctissimi quoque viri virtutum fulgore coruscantes absque aliqua labe rarò vsque ad obitum perseuerent. quod de Eutychio dici potest, qui gloria confessionis ob exilium passum illustris, miraculorumque operatione sublimis, prophetiæ quoque charismate pollens, animarum lucro prædiues, victorijs aduersus hæreticos longè lateq; conspicuus, prope exitum tamen obscuro nimbo contectus penitus obscuratur; sed quàm citissimè flãte diuino Spiritu, nubibus illis procul expulsis, enitescens prioribus fulgoris radijs ad occasum, ascensurus in cælum, descendit.

EVTYCHIVS INCAVTE DELABITVR IN ERROREM ORIGENIS.

Sed quomodo se hæc habuerint, è sancto Gregorio ista narrante petamus: in commentariis enim in Iob illud explicans: Et rursus circumdabor pelle mea] sic exorditur [b]: Dum aperte pellis dicitur, omnis dubitatio veræ resurrectionis aufertur: neque sicut Eutychius Constantinopolitanæ vrbis Episcopus scripsit, corpus nostrum in illa resurrectionis gloria erit impalpabile, ventis aereque subtilius: In illa enim resurrectionis gloria erit corpus nostrum subtile quidem per effectum spiritualis potentiæ, sed palpabile per veritatem naturæ. Vnde etiam Redemptor noster dubitantibus de sua resurrectione discipulis ostendit manus & latus, palpanda ossa, carnemque præbuit, dicens [c]: Palpate & videte, quia spiritus carnem & ossa non habet, sicut me videtis habere. Qui cùm eidem Eutychio in Constantinopolitana vrbe positus hoc Euangelicæ veritatis testimonium protulissem, ait: Idcirco Dominus hoc fecit, vt dubitationem resurrectionis suæ de discipulorum cordibus amoueret. Cui inquam: mira est res valde quam astruis, vt inde nobis dubietas surgat, vnde discipulorum corda à dubietate sanata sunt. Quid enim deterius dici potest, quàm vt hoc nobis de eius vera carne dubium fiat, per quod discipuli eius ad fidem ab omni sunt dubietate separati? Si enim non hoc habuisse astruitur quod

[b] *Gregor. Moral. lib. 14. c. 29.* DISPVTATIO INTER GREGORIVM ET EVTYCH.

[c] *Luc. 24.*

tur quod ostendit ; vnde fides discipulis eius confirmata est , inde nostra destruitur. A
Qui adiungebat etiam , dicens : Corpus palpabile habuit quod ostendit ; sed post confirmata corda palpantium , omne illud in Domino quod palpari potuit , in subtilitatem est aliquam redactum . Ad hæc ipse respondi , dicens : Scriptum est[a] : Christus resurgens à mortuis iam non moritur, mors illi vltrà non dominabitur. Si quid ergo in eius corpore post resurrectionem potuit immutari , contra veridicam Pauli sententiam post resurrectionem Dominus redijt ad mortem : quod quis dicere vel stultus præsumat , nisi qui veram carnis eius resurrectionem denegat ? Tunc mihi obiecit , dicens : Cùm scriptum sit[b], Caro & sanguis regnum Dei possidere non possunt : qua ratione credendum est resurgere veraciter carnem ? Cui inquam : In sacro eloquio aliter caro dicitur iuxta naturam , atque aliter iuxta culpam vel corruptionem . Caro quippe iuxta naturam , sicut scriptum est[c]: Hoc nunc os ex ossibus meis , & caro de carne mea. & , Verbum[d] caro factum est , & habitauit B
in nobis . Caro verò iuxta culpam , sicut scriptum est[e] : Non permanebit in hominibus istis Spiritus meus , eo quòd sunt caro. & sicut psalmus ait[f]: Memoratus est quia caro sunt, spiritus vadens & non rediens. Vnde & discipulus Paulus dicebat[g]: Vos autem in carne non estis , sed in spiritu. Neque enim in carne non erant , quibus epistolas transmittebat, sed quia passiones carnalium desideriorum vicerant , iam liberi per virtutem Spiritus in carne non erant. Quod ergo Paulus Apostolus dicit: Quia caro & sanguis regnum Dei possidere non possunt : carnem vult secundùm culpam intelligi , non carnem secundùm naturam. Vnde & mox quia carnem secundùm culpam diceret , ostendit subdens : Neque corruptio incorruptelam possidebit . In illa ergo cælestis regni gloria caro secundùm naturam erit , sed secundùm passionum desideria non erit : quia deuicto mortis aculeo , in æterna incorruptione regnabit . C

Quibus dictis idem Eutychius consentire se protinus respondit , sed tamen adhuc corpus palpabile resurgere posse denegabat. Qui etiá in libello quem de Resurrectione scripserat , Pauli quoque testimonium indiderat dicentis[h] : Tu quod seminas , non viuificatur, nisi prius moriatur : & quod seminas , non corpus quod futurum est seminas , sed nudum granum . Hoc nimirum ostendere festinans , quia caro vel impalpabilis vel ipsa non erit, dum sanctus Apostolus de resurrectionis agens gloria , non corpus quod futurum est , seminari dixerit . Sed ad hæc citiùs respondetur . Nam Paulus Apostolus dicens : Non corpus quod futurum est seminas , sed nudum granum : hoc insinuat , quod videmus : quia granum cum culmo & folijs nascitur , quod sine culmo & folijs seminatur . Ille itaque in augmento gloriæ resurrectionis non dixit grano seminis deesse quod erat , sed adesse quod non erat . Iste autem dum verum corpus resurgere denegat , nequaquam dicit adesse quod D
deerat , sed deesse quod erat.

Tunc itaque de hac re in longa contentione perducti , grauissima cœpimus à nobis simultate * resilire. Cùm piæ memoriæ Tiberius Constantinus Imperator secretò me & illum suscipiens , quid inter nos discordiæ versaretur , agnouit , & vtriusque partis allegationes pensans , eumdem librum quem de Resurrectione scripserat , suis quoque allegationibus destruens , deliberauit vt flammis cremari debuisset. A quo vt egressi sumus , me ægritudo valida , eumdem verò Eutychium ægritudo & mors protinus est secuta. Quo mortuo , quia pene nullus erat qui eius dicta sequeretur , dissimulaui cœpta persequi , ne in fauillas viderer verba iaculari. Dum tamen adhuc viueret , & ego validissimis febribus ægrotarem : quicumque noti mei ad eum salutationis gratia pergebant (vt eorum relatione cognoui) ante eorum oculos pellem manus suæ tenebat , dicens : Confiteor quia omnes in hac carne re- E
surgemus. quod (sicut ipse fatebatur) omnino priùs negare consueuerat .] hucusque de his Gregorius , quæ inter ipsum & Eutychium transacta sunt. Porrò Eustathius , qui res Eutychij est prosecutus , hæc de controuersia cum S. Gregorio sciens volensque præterijt , leuiterque errorem attingens , culpam reijcit in aduersarium , quasi Eutychij verborum sensum haud assecutus fuisset , cùm ipse (vt ait) minimè carnis resurrectionem negarit : Sed non id crimini dat illi Gregorius , verùm quòd eam non secundùm Catholicam assertionem assereret , sed vt Origenistæ solerent.

Porrò quod ad obitum Eutychij pertinet , idem tradit Eustathius ipsum die Paschatis post officium vespertinum acri febre correptum , sicque depastis eo igne visceribus post dies septem , nempe sequenti Dominica migrasse ex hac vita . Ceterùm haud valuit næuus iste, vel quantauis macula , quam citò abstersit , eius animæ labefactare pulchritudinem : vtpote etsi

[a] Rom. 6.
[b] 1. Cor. 15.
CARC DIVERO MODO ACCEPTA.
[c] Genes. 2.
[d] Ioan. 1.
[e] Genes. 6.
[f] Psal. 77.
[g] Galat. 4.
[h] 1. Cor. 15.
ALIA EVTYCHII OBIECTIO.
*simulatione
LIBER EVTYCHII DAMNATVR FLAMMIS.
EVTYCHIVS PROFITETVR CATHOLICAM VERITATEM.
EVTYCHIVS RESIPISCENS SANCTVS COLITVR.

Ate etsi errauerit, haud tamen hæreticus videri potuit, quippe qui minimè superinduxerit cutem illam compactam squammis, scutis [a] fusilibus duriorem, qua hæretici pertinaces obtegi consueuerunt: nam vbi primùm, doctore & monitore Gregorio, didicit veritatem, eamdem coram omnibus ad se ingredientibus certa confessione professus est: vt non immeritò eum Græci vt sanctum colant, anniuersariaque die eiusdem natale celebrent. [a] *Iob* 41.

Vbi verò sancto viro postrema dignè sunt persoluta, actum de successoris electione: & quia talem requirebat religiosissimus Imperator, qui ceteros antecelleret sanctitate, Ioannes quidam monachus, qui cognomento Ieiunator est appellatus, reliquis præfertur; cui tamen (vt ex Eustathio vidimus) præcessor Eutychius adhuc viuens haud voluit suo elogio suffragari; vtpote qui nihil boni præuiderat de homine, qui ex iugi omnibus noto ieiunio popularem captans auram, eadem inflatus intumuisset. Ne verò quid deesse posset ad perfectam illam quam oculis hominum intuendam exposuerat sanctitatem, illud iste addidit corollarium, vt fugam arripere tentaret, ne eligeretur Episcopus: sed secundùm bucolicum illud, IOANNES IEIVNATOR EPISCOPVS CONSTANTINOP.

Et fugit ad salices, & se cupit ante videri

ita fugere videri voluit, vt ne fugeret detineretur à suis. Quali namque esset tunc animo, mox ipsa sublimis dignitas declarauit. Vt enim in altioribus montibus aer purgatior detegere & foras mittere è visceribus solet latentes morbos, reddereque cunctis perspicuos: ita eminens honor, altum fastigium, sublimis cathedra, celsa potestas mox patefacit, quæ in hominis penetralibus cordis latet hypocrisis, & occultatur ambitio.

Accidit id profectò in Ioanne: qui vbi electus est & ordinatus Constantinopolitanus Antistes, mox sanctam quam in Ecclesia inuenit pacem tot laboribus partá fugauit. Etenim mente sublimi, elatoque corde homini prædito visa est humilis tanta dignitas, qua se imparem antè fuerat fuga professus: quamobrem grande sibi comparans nomen, non Patriarcha tantùm dici, sed & Oecumenicus, affectauit. Sunt de his iustæ querelæ Gregorij tunc diaconi, postea Romani Pontificis, vbi ad ipsum postea scripsit his verbis [b]: Eo tempore, quo fraternitas vestra in sacerdotalem honorem prouecta est, quantam Ecclesiarum pacem atque concordiam inuenerit, recolit. Sed quo ausu, quove tumore, nescio, nouum sibi conata est nomen arripere, vnde omnium fratrum corda potuissent ad scandalum prouenire. Qua in re vehementer admiror: quia ne ad Episcopatum venire potuisses, fugisse velle te memini: quem tamen adeptum ita exercere desideras, ac si ad eum ambitioso desiderio cucurrisses. Qui enim indignũ te esse fatebaris vt Episcopus dici debuisses, ad hoc quandoque perductus es, vt despectis fratribus, Episcopus appetas solus vocari.] hæc ad eum, ad quem rursus superiùs [c] de eius animo quo se abhorrere professus est præfecturâ: Quo enim ardore (inquit) quo studio Episcopatus pondera fugere volueritis, scio.] Planè loco monstri habitum est, vt qui agnus antea apparuit, mox vnà cum infulis Episcopalibus leonis iubas induerit. Quomodo autem Pelagius Papa homini gloriæ aura inani tumenti restiterit, suo loco dicemus. Iam ad Tiberium redeamus. IOANNIS SVPERBIA DETEGITVR. [b] *Grego lib. 4. epist. 38.* [c] *Greg. lib. 1. epist. 4.*

Vbi verò ab obitu Patriarchæ Eurychij (vt ait Eustathius [d]) quatuor fuissent menses elapsi, moritur Tiberius Imp. mense Augusto, cùm imperasset solus annos quatuor, totidemque cum Iustino vno minus mense, prout testatur Euagrius [e], nec non Gregorius Turonensis [f]: dum enim sub octauo Childeberti Regis anno Tiberij Augusti mortem contigisse tradidit, vtiq; eum ad hunc annum referre patet. Cùm igitur ex Græco atque Latino suorum temporum scriptoribus id liquidò constet: coarguas erroris necesse est alios recentiores, qui in aliud tempus Tiberij obitum referunt. Sed audi de Tiberij obitus tempore eiusque virtutibus quæ Gregorius habet [g]: Hoc anno, *octauo scilicet Childeberti Regis Francorum*, Tiberius Imperator migrauit à sæculo, magnum luctum relinquens populis de obitu suo: erat enim summæ bonitatis, in elemosynis promptus, in iudicijs iustus, in iudicando cautissimus, nullum despiciens, sed omnes in bona voluntate complectens: omnes diligens, ipse quoque diligebatur ab omnibus, &c.] pergit narrare de substitutione Mauritij; sed ea petemus à Græcis. [d] *Eustath. in Eutych. apud Sur. die 6. Apr. tom. 2.* [e] *Euagr lib. 5. c. 23.* [f] *Gregor. lib. 6. c. 30.* [g] *Gre. Turon. hist. Franc. lib. 6. cap. 30.*

Quòd autẽ de mense quo obijt nulla sit inter scriptores controuersia, de die tamen haud verum esse reperitur, quod traditur ad quartum Idus Augusti eumdem esse defunctum: siquidem tertio Idus Augusti reperitur data pragmatica sanctio eiusdẽ Tiberij de confirmatione eorum quę statuta essent à Iustino de filijs colonorum & liberorum in Africa, instante Publiano Episcopo Carthaginensi; ad cuius finem hæc leguntur: Data tertio Idus Augusti, Constantinopoli, Imperij D. N. Tiberij PP. Aug. anno octauo (*ex quo videlicet cum Iustino*

MAVRITIVS CÆSAR CREATVS.

stino imperare capit, & post Consulatum eius anno tertio,& R.S.Nob. Tiberij Mauritij felicissimi Cæsaris anno primo.] hæc ibi in editione Iuliani Antecessoris, ex qua corrigas vbi apud alios legitur, loco Mauritij, Marcij. Habes præterea, non Imperatoré à Tiberio Mauritium esse creatũ, sed Cæsarem, nomenq; Imperatoris nonnisi post Tiberij mortem accepisse: Cæsar enim vocatus tantùm dum Tiberius superuixit, licet diademate fuerit coronatus. A

[a] *Niceph. lib. 18. c. 6.*

Interfuisse autem solemnibus istis Ioannem Constantinopolitanum Episcopum, Nicephorus [a] tradit, habitamq; affirmat breuem orationem à Ioanne rhetore Quæstoris munere insignito, nomine Tiberij ad Mauritium, his verbis: Tu verò, Mauriti, pulcherrimum mihi epitaphium Imperium tuum facere perge,& sepulchrum meum virtutibus tuis exorna, neque spem eorum qui tibi concrediti sunt per dedecus fallens,neque virtutes ipse tuas obliuioni tradens, & veluti pristinam animi tui generositatem fugiens. Proinde potestatis insolentiam ratione fac frenes, & philosophiæ artibus sapienter potentiæ scapham B gubernes. Imperium namque res est quædam sublimis & excelsa, in altum qui ei insidet sustollens, & rectè cogitata exutiens. Minimè verò opinionem eam, quòd prudentia omnibus anteeas, concipe: quamuis fortuna, quæ tibi sublimis contigit, omnes superas. Porrò ciuium & subiectorum beneuolentiam potiùs quàm metum fac consecteris: & obiurgationem magis, perinde atque magistratum quemdam, quàm assentationem complectere. Potestas namque res est quædam, quæ admoneri docerique nolit, & castigationem ægrè ferre. Ante oculos tuos assistens iustitia excubet, quæ vitæ nostræ actionum remunerationem pro summa sua potestate constituit.

Purpuram perinde atque vilem pannum tibi iniectam esse per philosophiæ studium existima: coronam autem, qua caput tuum cinctum est, nihil à lapillis qui circa marinum littus fluctibus abluuntur, differre puta. Iste purpuræ flos, qui subtristior est, exhortari C mihi Principes videtur, vt moderationem animi in rebus secundis seruare assuescant, neque nimium lætentur, aut luctuosa ista monarchiæ stola superbiant: Imperij siquidem sceptrũ non immoderatam potestatem, sed splendidam potiùs seruitutem exercere admonet. Iræ imperet humanitas & misericordia, arrogantiæ autem timor. Nam & apibus natura duces dedit, earumq; regem aculeo quasi quadam spontanea & naturali potestate armauit, vt pungere etiam eum possit, qui legitimè non pareat: sed apis minimè tyrannicum, verùm communi vtilitati commodum & iustum aculeum habet. Itaque eius saltem erimus imitatores, si quidem ratio ipsa consilia meliora subiicere non valeat. Ego quidem hæc ad te veluti productor tuus ac parens. Consilij autem nostri iudicem habebis potestatem ab affectione omni & muneribus incorruptam, simul & virtutes ipsas remunerantem; & vitia coercentem. D

Cùm igitur Imperator finem orationis feciſſet,ciues & subditi propter dolorem quo afficiebantur, multam vim lacrymarum profuderunt. Deinde sublatam Imperator coronam & purpuream chlamydem Cæsari circumdedit. Ibi tum subditorum acclamationes,gratulationesq; exorditæ: partim tam commodi consilij auctorem, partim ipsum renunciatum Principem propter eas quibus se dignum Imperio præstiterat virtutes admirari. In primis verò laudibus earum rerum omnium conciliatorem,qui vniuersa commodissimè dispensat, extulerunt. Vbi verò in hunc modum Mauritius Imperatoriis cærimonijs Princeps est de- DE VISIONE OSTENSA TIBERIO. claratus, Imperator ipse in lecto suo repositus, in somnis viri speciem ea forma, quæ neque verbo neque scripto exprimi queat, & veste tam candida vt cubiculum eius illustraret,vidit. Vir is, manu protensa, talia verba ad eum præfatus: Hæc tibi, Tiberi, tersanctum numen renunciat: Tyranni impij Imperij tui *temporibus non extabunt. Postquam autem euigi- E lauit, somnum illud amicis exposuit. Legibus deinde naturæ quamuis Imperator esset obsecutus, terrenam tunicam deposuit, anima autem velut vmbraculum quoddam relinquente ad sedes superas euolante. Imperio Tiberius cum Iustino tribus, solus autem quatuor annis præfuit: qui postquam Imperatorum sepulchro repositus est,homines omnes ad Mauritium perinde atque satellites conuersi, & lacrymæ quibus Tiberij funus prosecuti fuerant, eo ipso die restinctæ sunt. Non enim homines tantum præteritorum meminisse, quantum præsentia curare & colere solent.] hucusque Nicephorus.

Quod autem ad ostensum visum in somnis Tiberio pertinet:non ad Mauritium referri potest, cuius tempore Phocas insurgens in ipsum eiusq; filios tyrannidem diram exercuit: sed dictum existimari debet de Tiberio ipso, eum nimirum fore post obitum consecuturum Imperium pacificum atque perenne, vbi nullus esset timendus, qui illud auferret ty-

A ret tyrannus, cæli videlicet principatum, in quo cum Christo regnant omnes Sancti eius.

Antequam verò ad eius successorem Mauritium veniamus, hic de aliquot sanctis martyribus intexenda narratio est, qui hoc Tiberij Augusti tempore cæsi à barbaris in extremis Ægypti partibus consecuti sunt coronam martyrij. Rem gestam autem apud Sophronium ita habes fideliter enarratam[a]: Temporibus Imperij Tiberij fidelissimi Cæsaris ascendimus Oasim, vidimusque magnum illic in diuinis rebus monachum, genere quidem Cappadocem, nomine autem Leonem. De hoc multi multa digna admiratione narrabant nobis. Nos autem ad illius pertingentes familiare colloquium, magnumque experimentum capientes sancti huius viri, magnificè ædificati sumus, & maximè in humilitate eius & silentio & nuditate rerum omnium, & charitate quam ad omnes habuit. Dicebat ergo semper venerabilis senex: Credite mihi, filij, quia regnare habeo. Nos autem dicebamus

B ei: Crede nobis, Abba Leo, quia nullus ex Cappadocia vnquam regnauit: Importunam ergo habes istam cogitationem. Ille verò rursus dicebat: Veraciter, filij, regnare habeo. Nemo autem poterat eum ab hac cogitatione remouere] vt qui iam diuinitus accepisset se in seruum vendendum, atque corona martyrij coronandum. Pergit auctor:

Cùm autem venisset Mazices, & vniuersam prouinciam illam deuastasset, ac diripuisset, venerunt & in Oasim, & monachos quidem plures occiderunt, plurimosque captiuos duxerunt: inter quos acceperunt & Abbatem Ioannem (fuerat autem hic lector magnæ Constantinopolitanæ Ecclesiæ) & Abbatem Eustathium Romanum, & Abbatem Theodorum Cilicem (erant autem tres infirmantes) Cùm ergo vincti fuissent, ait Abbas Ioannes barbaris: Ducite me in ciuitatem, & faciam vt Episcopus det pro nobis numismata viginti quatuor. Accepit ergo illum vnus ex barbaris, & duxit prope ciuitatem. Ingressusque est Abbas

C Ioannes ad Episcopum: inuentus est autem in vrbe & Abbas Leo & alij quidam Patrum, atque ideo tenti non fuerant. Ingressus igitur Abbas Ioannes cœpit orare Episcopum, vt barbaro numismata daret. Episcopus autem non plura quàm octo numismata habere inuentus est. Voluerunt ergo dare barbaro octo numismata, & noluit accipere, dicens: Aut viginti quatuor numismata præbete mihi, aut monachum date.

Coacti sunt qui erant in ciuitate rursum Abbatem Ioannem dare barbaro flentem & eiulantem. Adduxit autem illum in sua tabernacula barbarus. Post tres autem dies sumptis octo numismatibus Abbas Leo in eremum exiit, vbi erant barbari, orauitque illos, dicens: Accipite me cum octo numismatibus, & tres illos dimittite, qui infirmi sunt, neque pergere per eremum possunt: nam interficietis eos, & detrimentum patiemini: ego verò sanus sum, & seruiam vobis. Tunc barbari acceperunt Abbatem Leonem & octo numismata, &

D dimiserunt illos tres. Abiit ergo Abbas Leo vsque ad quemdá locum: & cùm præ debilitate pergere vltra non posset, barbari decollauerunt eum: impleuitq; Abbas Leo scripturam dicentem[b]: Vt ponat animam suam quis pro amicis suis, maiorem hac dilectionem nemo habet. Tunc nos quoque cognouimus quidnam esset quod dixerat: Quia regnare habeo. Veraciter enim regnauit, quia posuit animam suam pro amicis suis.] hucusque apud Sophronium de martyribus monachis sub Tiberio Imperatore.

Sed de his opportunè adiicimus, quæ itidem paulo pòst, imperante Mauritio, rursum barbarorum incursione contigisse idem auctor tradit his verbis[c]: Dicebat & hoc nobis de Abbate Nicolao Abbas Iordanes: Narrauit (inquit) senex, quia imperante fidelissimo Imperatore Mauritio, quando Namanes Sarracenorum nationis Dux prædam egit: cùm circuirem ego per Arnonem & Aidonem, aspicio Sarracenos tres habentes secum vnum

E adolescentem valde formosum annorum ferme viginti vinctum atque captiuum. Vt ergo vidit me adolescens, flere cœpit, & orare vt ab eis illum acciperem. Ego autem Sarracenos rogare cœpi, vt dimitterent eum. Vnus autem illorum sermone respondit Græco, & ait: Non dimittemus eum. Et ego rursum illis dixi: Accipite me, & hunc dimitte, quia fatigationem non sustinet. Ait mihi & ipse rursum: Non dimittemus eum. Dixit eis tertiò: Vel pretium pro illo non accipitis? Date mihi illum, & quicquid petieritis, ego afferam vobis. Respondit: Non possumus tibi dare illum: sacerdoti enim nostro promisimus, quia si quid pulchrum ceperimus, offeremus illud ei, vt ipsum in sacrificium offerat. sed vade iam: nam si moram feceris, caput tuum in terram proiciam. Tunc prostratus ego humi dixi: Saluator noster Christe Deus, saluum fac seruum tuum. Et cótinuò tres Sarraceni dæmonio repleti euaginatis gladiis se ipsos conciderunt. Assumensque ego adolescentem, in spelunca meam refoui illum: qui noluit discedere à me, sed renuncians sæculo, cùm septem annos

MARTYRES SVB TIBERIO.

[a] *Prat. Spirit. cap. 112.*

BARBARORVM GRASSATIO IN SS. MONACHOS.

LEONIS ABB. MARTYRIVM.

[b] *Ioan. 15.*

[c] *Prat. Spirit. cap. 155.*

SARRACENI MALE PERIERE.

annos impleſſet in habitu monaſtico, requieuit: erat enim genere Tyrius.] hæc ibi. ſed ad Mauritium redeamus. A

Mortuo igitur Tiberio Imperatore, Mauritius liberas regiminis habenas moderatur: de cuius in Imperium progreſſu habet iſta Gregorius[a], perſonam faciens: Reſpondebit (inquit) Chriſtus dicens: Ego te de Notario Comitem excubitorum, de Comite excubitorum Cæſarem, de Cæſare Imperatorem, nec ſolùm hoc, ſed etiam patrem Imperatorum feci.] hæc ipſe: ſed miror quòd nihil de caſtrenſi militia, attingens tantùm qui forenſis militiæ eius fuerint magiſtratus, cùm tamen conſtet ex caſtrenſibus rebus benè geſtis iudicatum eſſe dignum Imperio. Non omittendum de Mauritio illud, ipſi Tiberium filiam ſuam nominatam Conſtantinam, ſiue (vt alij habent) Conſtantiam, in matrimonium collocaſſe eo tempore cùm iam moriturus in lecto decumberet; de quo iſta Euagrius[b]: Cùm autem Tiberius iam propè ad extremum ſpiritum edendum veniret, Mauritio qui ad Imperium gubernandum iam elatus fuit, filiam Auguſtam collocauit in matrimonium, & Imperium pro dote tribuit.] ac paulo pòſt: B

Qui etiam ipſius nomina illis impertiuit: ſiquidem Mauritium Tiberium, Auguſtam Conſtantinam appellauit.] & inferiùs, vbi nuptias ſolemni pompa celebratas deſcripſit, hæc de Mauritij moribus addit[c]: His rebus confectis, Mauritius deinceps non corpus modò, verùm etiam animum eximia purpura & corona veſtiuit. Nam ſolus fere ex Imperatorum numero ſibi ipſi imperare nititur, & Imperator re vera factus, primò popularem perturbationum ſtatum ex animo ſuo exigere: deinde ſtatum optimatum in rationis domicilio conſtituens, viuum ſe virtutum exemplar præbere, quo ſubiectos ad ſe imitandum erudiret. Atque iſta dicuntur à me quidem, non vti eum blanditiis & aſſentatione deliniam (cur enim, amabo, hæc à me ad eum finem dicerentur, cùm ille quæ ipſe litteris prodo penitus ignoret?) ſed quòd tum dona à Deo tam munificè tributa, tum res quæ tam variis modis adeò proſperè & feliciter acciderunt, ea ita ſe habere, liquidò oſtendunt: quæ ſanè omnia ex animo & ingenuè Deo accepta referre debemus.] hæc Euagrius. C

Cùm autem omnium ſententia conſtet Mauritium egregium omnium virtutum fuiſſe cultorem, potiſſimùm verò obſeruantiſſimum ipſius Catholicæ religionis cultus: teſtis eſt de hoc ſanctus Gregorius in epiſtola ad Anaſtaſium Antiochenum, vbi ait[d]: Omnipotenti Deo gratiæ ſine ceſſatione exoluendæ ſunt, & pro vita piiſſimi & Chriſtianiſſimi domini noſtri Imperatoris, & tranquilliſſima eius coniuge, & manſuetiſſima ſobole ſemper orandum eſt, quorum temporibus hæreticorum ora conticeſcunt: quia etſi eorum corda in inſania peruerſi ſenſus ebulliunt, Catholici tamen Imperatoris tempore, praua quæ ſentiunt, eloqui non præſumunt.] hæc Gregorius. D

Quod etiam eiuſdem Mauritij magnam animi demiſſionem cum pietate commendat, illud ab eo ſpecimen hoc anno editum legitur, quòd ad ſanctum Theodorum Archimandritam, à quo de Imperio cùm victor à Perſis rediret oraculum haud dubium acceperat, confeſtim litteras dedit, ab eodem preces expoſcens: Gregorius enim ſanctiſſimi viri diſcipulus, qui res ab eo geſtas omni fide conſcriptas poſteris tradidit, hæc de his habet: Vbi defuncto Tiberio (vt vir ſanctus prædixerat) Imperium obtinuit, & eius verborum memor, epiſtolam ad illum miſit, rogans vt Deum pro ſe deprecaretur, vt Imperium in pace tueri poſſet & ab hoſtibus defendere, addiditque vt peteret ſi quid à ſe vellet. Sanctus autem Theodorus beatum Philumenum miſit, & reſcripſit Imperatori, vt in vſus pauperum aliquid frumenti monaſterio tribueret. Addixit igitur Imperator monaſterio ſingulis annis tritici modios ſexcentos, & poculum illi pro munere miſit.] hucuſque Gregorius. reliquæ autem Mauritij res geſtæ annis ſingulis ordine temporum narrabuntur. E

Cùm verò innotuiſſet Pelagio Romano Pontifici Mauritium Imperatorem poſt Tiberium coronatum, ex more nouum ad eum miſit Apocriſarium diaconum Cardinalem. teſtatur id quidem ſanctus Gregorius in epiſtola ad Eulogium. fuiſſe verò illum ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Archidiaconum nomine Laurentium, idem Gregorius[e] teſtatur in epiſtola ad Ioannem Conſtantinopolitanum Epiſcopum poſtea miſſa: qui, cùm ipſe Gregorius Pontifex creatus eſt, fuit ab eo ob delicta depoſitus, & in locũ eius ſubrogatus Honoratus, vt ex ipſius Gregorij Regiſtro[f] colligi poſſe videtur.

Gregorius igitur tempore Tiberij eo bene functus munere, illo defuncto Romã reuerſus eſt, & quidem magnis donatus muneribus, nempe ſacroſanctis reliquijs Andreæ Apoſtoli, & Lucæ Euangeliſtæ, quas nuper tẽpore Iuſtiniani refoſſas & honorificentiori loco reconditas

[a] *Greg. lib. 2. epiſt. 61. Indict. 11.*

MAVRITIO NVPTVI TRADITA FILIA TIBERII IMP.

[b] *Euag. lib. 5. c. 22.*

[c] *Euag. lib. 6. cap. 1.*

MAVRITIVS DEFENSOR CATHOLICAE FIDEI.

[d] *Greg. lib. 7. epiſt. 47.*

MAVRITIVS LITTERAS SCRIBIT AD S. THEODORVM.

NOVVS MITTITVR APOCRISARIVS CONSTANTINOP.

[e] *Greg. lib. 4. epiſt. 38. Indict. 13.*

[f] *Greg. epiſt. lib. 2. in prin.*

GREG. REDIT ROMAM CVM SS. RELIQ. IIS.

A ditas vidimus. Quòd enim (vt dictum est) erexisset in Vrbe in Cælij montis regione ad cliuum Scauri monasterium Gregorius sub titulo S. Andreæ, eiusdem Sancti reliquias sibi dari petiit ab Imperatore: quas & accepit insignes quidem, nempe brachium S. Andreæ cum capite S. Lucæ. est de his in Vaticanis monumentis vetus assertio in priori pagina codicis signati numero centesimo quinquagesimotertio. Extat adhuc in eodem monasterio S. Andreæ ipsum eiusdem Apostoli brachium argentea theca ornatum, quod certis diebus super altare primarium populo visendum, & venerandum proponitur: caput verò sancti Lucæ in basilica Vaticana reconditum, ibi hactenus honorificè asseruatur.

Reuersus S. Gregorius Romam, hoc otio benè vsus est: nam quos inchoauerat Constantinopoli libros Moralium, perficere laborauit, vt ipse testatur scribens ad Leandrum [a]. Inseruisse postea Gregorium Romæ ipsi Pelagio Papæ in scribendo aduersus schismaticos, B proximè dicturi sumus. Simulac enim Romam rediit, aduersus ingruentes ob capitula illa Tria sciſmaticos iussu Pelagij stylum exeruit. Eorum omnium (vt dictum est) caput fuit Aquileiensis Antistes Paulinus, posteaque eius successor Elias, inde verò Seuerus. Vixisse autem in hunc vsque annum tradunt [b] Eliam, ad quem coarguendum ipse Gregorius diaconus iussu Pelagij epistolam scripsit. testatur id Paulus diaconus, vbi ait [c]: Pelagius Papa Eliæ Aquileiensis Episcopo nolenti Tria capitula Chalcedonensis Synodi susciperc, epistolam satis vtilem misit, quam beatus Gregorius, cùm adhuc esset diaconus, scripsit.] hæc Paulus. Qui dum ait, nolentem Eliam susciperc Tria capitula Chalcedonensis Synodi redargutum à Pelagio Papa, minimè quidem de Trium capitulorum quæstione visus est fuisse consultus: etenim illi se inter schismaticos collocarunt, qui cum vniuersa Catholica C Ecclesia (vt sæpè superiùs dictum est) recipiente Trium capitulorum damnationem ipsi eam ratam habere minimè voluerunt, quos acerrimè propugnarunt cùm ipso Elia alij eiusdem Ecclesiæ Episcopi Aquileienses, qui prærogatiua sedis se duces schismaticorum exhibuerunt. Non ergo Elias schismaticus erat, quòd nollet Tria capitula susciperc, sed quòd damnationi eorum minimè acquiescceret, ac pro illis pugnaret quæ tuenda susceperat. Sed & in eo corrigendus est Paulus [d], dum Eliæ obitum & successionem Seueri ad illa refert tempora quibus S. Gregorius Augustinum in Angliam misit: cùm id non solùm auctoribus omnibus hoc anno ponentibus Eliæ obitum aduersetur, sed & ipsi Gregorio id testanti, dum longè ante Augustini ad Anglos legationem susceptam, immo antequam ipse Gregorius esset Pontifex, Seuerum sediſſe Aquileiæ significat litteris ad eum scriptis anno primo sui Pontificatus [e]: vtpote qui post litteras Pelagij Papæ nomine à Gregorio scriptas ad vnitatem se Catholicæ Ecclesiæ conuerterat; sed iterum se ab ea conscindens, D ad schismaticos transfuga factus est: quo nomine ipso sui Pontificatus exordio idem Gregorius ipsum redarguit.

[a] *Greg. in fin. præfat. lib. Moral.*

GREGORIVS SCRIBIT ADVERSVS SCHISMATICOS, PETENTE PELAGIO.

[b] *Panuin. Hieron. Rub. hist. Rauen. lib. 4.*

[c] *Paul. diac. de gest. Longobard. lib. 3. c. 10.*

[d] *Paul. diac. lib. 3. c. 12.*

[e] *Greg. lib. 1. epist. 16.*

Quod verò ad dictam epistolam à Pelagio Papa missam ad Eliam Episcopum spectat: eiusdem planè generis fuisse visa est, cuius erat epistola S. Leonis ad Flauianum, quæ cùm epistolæ nomine scripta esset, eadem diceretur & tomus ob sui amplitudinem atque tractatum: nam & ipsa Pelagij epistola ab ipso S. Gregorio liber est nuncupata; de quo ad Hiberniæ Episcopos dum scribit, hæc habet [f]: Vt igitur de Tribus capitulis, animis vestris ablata dubietate, possit satisfactio abundanter infundi: librum quem de hac re sanctæ memoriæ decessor meus Pelagius Papa scripserat; vobis vtile iudicaui transmittere: quem si posito voluntariæ defensionis studio, puro vigilantique corde volueritis relegere, eum vos per omnia secuturos, & ad vnitatem vestram * reuersuros nihilominus esse confido.] hæc E Gregorius; cuius modestia commendatur, cùm totum Pelagio tribuat, quod tantùm eius nomine scriptum esset, nihil sibi arrogans laboris à se in eo scribendo suscepti. Quantæ autem esset efficaciæ liber iste, ex his quæ mox idem Gregorius subdit, intelligere possumus, vbi ait: Porrò si post huius libri lectionem, in ea qua estis volueritis deliberatione persistere: sine dubio non rationi operam, sed obstinationi vos dare monstratis.] hæc Gregorius ad Hibernos.

DE EPISTOLA SIVE LIBRO PELAGII PAP. AD ELIAM.

[f] *Greg. lib. 2. epist. 36. Indict. 10.*

* noſtram

Porrò dictam Pelagij epistolam, tomum, siue librum dictam ob sui prolixitatem, ad Episcopos Istriæ à S. Gregorio adhuc diacono scriptã, diu optatam, frustra quæsitam, Dei magno beneficio, post editionem septimi huius & octaui etiam tomi, cùm iam desperassemus omnino, accepimus eam Parisiis missam à viro disertissimo mei amantissimo Nicolao Fabro, vnà cum aliis egregiis antiquitatis monumentis, suis à nobis locis in Annalibus intexendis, simulque duas alias eiusdem Pelagij Papæ, siue dixerimus Gregorij ab auctore

qui

qui scripsit denominando, epistolas breuiores eodem argumẽto ad eosdem Istriæ schismaticos antea datas: quas omnes eodem quo scriptæ sunt ordine, hic tibi reddendas merito existimauimus. Pelagius enim ægreferens tamdiu Istrios populos ab vnitate Catholicæ Ecclesiæ schismate scissos, adhuc remanere disiunctos, Christi Redemptoris admonitione solicitus, qua dixit Petro: Confirma fratres tuos: ad Eliam Aquileiensem Episcopum illorum antesignanum, simulque alios eius collegas, factionis eiusdem complices hanc primam epistolam scripsit, quam missis ad hoc Legatis dedit. A

PELAGII PAP. AD EPISCOPOS ISTRIAE EPIST. PRIMA.

Prima epistola Pelagij Papæ iunioris ad Episcopos Istriæ.

Dilectissimis fratribus Eliæ aliisque Episcopis, vniuersisque filiis in Ecclesiæ Istriæ partibus constitutis Pelagius Episcopus sanctæ Ecclesiæ Catholicæ Vrbis Romæ.

Quod ad dilectionem vestram, fratres, filiique carissimi, nostra tardiùs scripta dirigimus, non maleuolæ voluntatis, aut dissimulationis vel negligentiæ fuisse credatur: sed sicut nostis, temporalis qualitas & hostilis necessitas hactenus impediuit. Nam sicut ait Dominus per Prophetam: [a] Numquid obliuiscetur mulier filium vteri sui? Non ergo credatur, nos viscerum nostrorum diuisionem non cum graui fletu ac gemitu doluisse: sed vtinam, carissimi, illuminet Dominus oculos cordis vestri, vt nostri cordis gemitus pro vobis videre possitis. Quis enim, sicut ait beatus [b] Apostolus, infirmatur, & ego non infirmor? quis scandalizatur, & ego non vror? & alibi: [c] Quia si patitur vnum membrum, compatiuntur omnia membra. Postea ergo quàm Deus omnipotens pro felicitate Christianissimorum Principum, per labores atque solicitudinem filij nostri excellentissimi Smaragdi Exarchi & Chartularij sacri palatij pacem nobis interim vel quietem donare dignatus est: cum omni solicitudine festinamus præsentia ad vos scripta dirigere, hortantes & obsecrantes, ne in diuisione Ecclesiæ vlteriùs quisquam studeat permanere. Nos enim secundum Euangelicam vocem studemus fraternitati ac dilectioni vestræ, in quantum fragilitas nostra sufficit, quæ nobis iussa sunt, cum sinceritate cordis humiliter exhibere. Nostis enim in Euangelio Dominum proclamantem: [d] Simon, Simon, ecce satanas expetiuit vos, vt cribraret sicut triticum, ego autem rogaui pro te Patrem, vt non deficiat fides tua, & tu conuersus confirma fratres tuos. B C

[a] *Isaiæ* 49.
[b] 2. *Cor.* 11.
[c] 1. *Cor.* 12.
[d] *Luc.* 22.

Considerate, carissimi, quia Veritas mentiri nõ potuit, nec Fides Petri in æternum quassari poterit vel mutari: nam cùm omnes Discipulos diabolus ad excribrandum popposcerit, pro solo Petro se Dominus rogasse testatur, & ab eo voluit ceteros confirmari: Cui etiam pro maiori dilectione quam præ ceteris Domino exhibeat, pascendarum ouium [e] solicitudo commissa est, cui & claues [f] Regni cælorum tradidit: & super quem Ecclesiam suam ædificaturum esse promisit, nec portas inferni aduersus eam præualere, testatus est. Sed quia inimicus humani generis vsque in finem sæculi non quiescit in Domini Ecclesiam bono semini superseminare zizania: ideoque ne fortè quisquam maligno studio aliqua de fidei nostræ integritate, diaboli instigatione fingere præsumpserit & argumentari, & ex hoc vestri fortasse videantur animi perturbari: necessarium iudicauimus per præsentem epistolam nostram, & ad viscera vos matris Ecclesiæ vt reuerti debeatis, cum lachrymis exhortari, & de fidei nostræ integritate vobis satisfactionem nostram mittere: quatenus nulla possit in cordibus vestris de nobis remanere suspicio; vt in diuini tremendique Iudicij die de taciturnitate mea reus inueniri non possim. D

[e] *Ioan.* 21.
[f] *Matt.* 16.

Nos enim illam fidem prædictam tenemus, & cum omni puritate conscientiæ vsque ad sanguinis effusionem defendimus, quæ ab Apostolis tradita, & per successores eorum inuiolabiliter custodita, reuerenda Nicæna Synodus trecentorum decem & octo Patrum E
* redegit susceptit atque * reliquit in Symbolum, sed & in Constantinopolitana centum & quinquaginta Patrum sub piæ memoriæ Theodosio seniore Principe factum; etiam Ephesina prima, cui præsedit beatæ recordationis prædecessor noster Cælestinus Romanæ Vrbis Antistes, & Cyrillus Alexandrinæ Episcopus; sed & Chalcedonensis sexcentorum triginta Patrum, quæ sub piæ memoriæ Martiano Imp. conuenit: cuique sanctæ recordationis Papa Leo per Legatos vicarios suos præsedit; & vt diuersarum hæresum damnanda
* clamantes exigebat aduersitas, eamdem Fidem vno eodemque sensu * clamanter latiùs ediderunt. Sed & epistolam prædicti beatæ memoriæ Leonis ad Flauianum Constantinopolitanum Episcopum datam, quæ & Tomus appellatur, per omnia veneramur, tenemus, defendimus, atque secundùm eius tenorem, adiuuante Domino, prædicamus. Et sicut prædecessor noster sæpedictus beatæ memoriæ Papa Leo Synodum Chalcedonensem suscepit

atque

atque firmauit, ita & nos per omnia, operante diuina gratia, veneramur, custodimus, atque defendimus.

Si quis autem contra hanc Fidem aut sapit, aut credit, aut docere præsumit: secundùm eorumdem Patrum sententiam, damnatum atque anathematizatum esse cognoscat. Non ergo patiamini falsis suspicionibus, aut rumoribus denuo agitari, & in diuisione Ecclesiæ malorum hominum persuasionibus (quod auertat Dominus) remanere. Quid enim vos à sanctæ Ecclesiæ vnitate diuiditis? quando nihil noui, nihil (quod absit) contrarium in dicta Ecclesia prædicari cognoscitis vel teneri? Sed vnam eamdemque Fidem, quæ ab Apostolis tradita, & à sanctis Patribus & prædictis quatuor Synodis explanata atque confirmata dignoscitur, sinceriſſimè teneri atque defendi modis omnibus comprobatur. Vbi ergo de Fidei firmitate nulla vobis poterit quæstio vel suspicio generari: in vnitate Fidei, atque in sinu sanctæ matris Catholicæ & Apostolicæ Ecclesiæ permanete. Si quid fortè causæ est, vnde vestri scandalizati animi videantur: manentes in vnitatis caritate, eligite de fratribus ac filiis nostris, quos ad nos, * inquirendo de quibus mouemini, transmittere debeatis: & parati sumus secundùm præceptionem [a] Apostolicam, & cum caritate eos suscipere, & cum humilitate ad placita satisfactionis reddere rationem: Et sine aliquo impedimento cum omni dilectione, quando reuerti voluerint, voluntate sinceriſſima relegare.

* in quærendo

[a] 1. Pet. 3.

Audiamus autem Doctorem [b] Gentium clamantem: Sicut accepistis Christum Iesum Dominum, in ipso ambulate, radicati & superædificati in ipso, & confirmati in fide, sicut didicistis, abundanter in gratiarũ actione. Videte ne quis vos decipiat per philosophiam & inanem fallaciam, nec ad contentionem aut superfluas quæstiones vestra vlteriùs studia conuertantur. Vocem eiusdem Apostoli cum humilitate cordis attendite: sic enim scribens ad Timotheum ait: [c] Stultas autem & sine disciplina quæstiones deuita, sciens quia generant lites: seruum autem Domini non oportet litigare. & iterum ad Corinthios: [d] Si quis autem videtur inter vos contentiosus esse: nos talem consuetudinem non habemus, neque Ecclesia Dei. & iterum post alia: Non est Deus dissensionis, sed pacis.

[b] Colloss. 2.

[c] 2. Tim. 2.

[d] 1. Cor. 11.

Considerate ergo, quia quicumque in pace & vnitate Ecclesiæ non fuerit: Dominum habere non poterit. Item ad Galatas [e] scribens ait: qui ex fide sunt, hi sunt filij Abrahæ. Prouidens autem scriptura, quia ex fide iustificat Gentes Deus, prænuntiauit [f] Abrahæ, quia benedicentur in te omnes Gentes. Igitur qui ex fide sunt, benedicentur cum fideli Abraham. Quam ergo excusationem apud Dominum post præsentem satisfactionem nostram habere vlteriùs potestis, quando nulla vobis de fidei nostræ sinceritate & puritate contraria suspicio remanebit? Audite protestantem & commonentem eumdem Apostolum: [g] Nolite seduci, corrumpunt mores bonos colloquia mala. Non ergo circumueniamur à satana, non enim ignoramus cogitationem eius. Cum dilectione ergo fraterna & humilitate Deo placita, si cuius fortè animi scandalizari videntur in aliquo, manens in vnitatis caritate, perquirat, atque cognoscat. Nam sicut beatus Iacobus Apostolus [h] ait: Vbi zelus & contentio, ibi & inconstantia & omne opus prauum. & iterum Doctor Gentium: [i] Quis vos impediuit, caritati non obedire: persuasio hæc non est ex eo qui vocauit vos, modicum fermentum totam massam corrumpit. & alibi: [k] Ego confido in Domino, quòd nihil aliud sapiatis: qui autem conturbat vos, portabit iudicium quicumque est ille. & in subsequenti ait: Vtinam abscindantur qui vos conturbant. Et rursum admonens dicit: [l] Quòd si inuicẽ mordetis & comeditis, videte ne ab inuicem consumamini. & iterum: [m] Si spiritu viuimus, spiritu & ambulemus: non efficiamur inanis gloriæ cupidi, inuicem prouocantes, inuicem inuidentes: Alter alterius onera portemus, & sic adimplebimus legem Christi. & alibi idem Apostolus ait: [n] Flecto genua mea ad Dominum Patrem Domini nostri Iesu Christi, ex quo omnis paternitas in cælis & in terra nominatur, vt det vobis secundùm diuitias gloriæ suæ virtutem, corroborari per Spiritum eius in interiorem hominem, habitare Christum per fidem in cordibus vestris, in caritate radicati & fundati, vt possitis comprehendere cum omnibus Sanctis. Et post alia: Obsecro itaque vos ego vinctus in Domino, vt dignè ambuletis in vocatione qua vocati estis, cum omni humilitate & mansuetudine, cum patientia supportantes inuicem in caritate, soliciti seruare vnitatem spiritus in vinculo pacis. Vnum corpus & vnus spiritus, sicut vocati estis in vna spe vocationis vestræ. Vnus Dominus, vna fides, vnum baptisma, vnus & Pater omnium, qui super omnia & per omnia, & in omnibus nobis. Et dum tales exhortationes Apostolicas habeamus: quis nos separabit à charitate, quæ est in Christo Iesu Domino nostro?

[e] Galat. 3.

[f] Genes. 22.

[g] 1. Cor. 15.

[h] Iac. 3.

[i] Galat. 5.

[k] Ibid.

[l] Ibid.

[m] Ephes. 3.

[n] Ephes. 4.

Si enim cum humilitate & fletu diligenter intendimus:consideramus & intelligimus quòd A
[a] 1.Pet.5. ille sit insidiator noster, de quo dictum [a] est, quia aduersarius vester diabolus, sicut leo rugiens circuit quærens quem deuoret; cui secundùm eiusdem Apostoli exhortationem, cum omni nos concordia & vnitate in fortitudine fidei resistere atque obuiare necesse est. Exemplo enim omnes didicimus, carissimi fratres ac filij, quanta mala quantaque flagella diuisionem Ecclesiæ fuerint subsecuta. Vnde in ipsius misericordia, licet indigni, confidimus,quia si Ecclesiam suam adunare atque pacificare concesserit, omnia à nobis quæ pro delictis nostris suscepimus flagella,celeriùs remouentur,& vnitas ac firmitas pacis Ecclesiæ pacem nobis & temporalem obtinet & æternam.

Tantummodo rogamus,& obsecramus,& per diuinũ vos tremendumq; Dei iudicium obtestamur, vbi sibi nullus hominum poterit argumentis vel excusationibus subuenire;ne vlteriùs per vos Dei diuidatur Ecclesia, sed hæreditatem Domini communi possideamus B
& teneamus studio. Quæ autem sit eius hęreditas,ipsius verba quæ ad discipulos dicta sunt,
[b] Ioan. 14. audiamus: [b] Pacem meam do vobis,pacem meam relinquo vobis. & iterum: [c] In hoc co-
[c] Ioan. 13. gnoscent omnes; quia mei estis discipuli, si dilectionem habueritis ad inuicem. Idipsum
[d] 1.Cor.1. autem, sicut ait [d] Vas electionis,dicamus omnes, & non sint in vobis schismata: simus autem perfecti in eodem sensu & in eadem scientia, vt in sinum matris Ecclesiæ congregati efficiamur vnus grex, vt vnius Christi pastoris custodia ab omnibus externis internisq; hostis insidiis eius protectione atque defensione seruemur illæsi. Hæc autem ad vos direximus per fratrem & Coepiscopum nostrum Redẽptum & Quodvultdeum Abbam monasterij maioris, basilicæ beati Petri Apostoli. quos vestra dilectio & complacita Deo caritate suscipiat, & ad nos cum vnitatis vestræ gaudio sine mora reuerti dimittat: quatenus cognoscentes dilectionem atque obedientiam caritatis vestræ cum sanctis Angelis communiter C
[e] Lucæ 2. atque veraciter dicere mereamur: [e] Gloria in altissimis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.] hactenus Pelagij Papæ epistola per Legatos missa, qua instar amantissimi Patris perditos filios studuit in domum paternam reuocare,& oues errantes, vt vigilantissimus pastor, ad gregem solicita cura reducere. Sed frustra, siquidem illi obdurato magis corde resilierunt,nihil pacificum,humanúmve,vt par erat, ad Pelagium Pontificem rescribentes, sed aduersaria ac contradictoria potiùs scripta proteruo animo, pertinaci spiritu, superba intentione, atque arroganti fastu misere per suos nuntios ad hoc delectos.

Cùm tamen nec sic quidem Pelagius Papa despexit furentes illos, & multa febre phreneticos delirantes, sed de adhibendis medicamentis ægrotantibus maiori cura solicitus, quàm ineptè, quàm stultè deuiantes à veritate suas illi contradictiones opposuissent,ostensurus,primùm missos ab eis nuntios, voluit proditis ex Apostolicis scriniis rerum gestarum D
exemplaribus reddere certiores, inde per litteras rursum eosdem schismaticos Episcopos admonere,arguere,rogareque demum,vt auersione contentiosa deposita,ad sinum patentem eosque expectantem sanctæ matris Ecclesiæ properarent: inuitans eos ad Concilium siue Romæ,siue potiùs Rauennæ ob maiorem ipsorum commoditatem habendum. Epistola autem sic se habet eb eodem Gregorio diacono (vt idem communis aliis præfefert stilus) conscripta.

Secunda epistola Pelagÿ Papæ ad Episcopos Istriæ.

PELAGII PAP. AD EPISCOP. ISTRIAE EPIST. II.

Dilectissimis fratribus Æliæ vel aliis Episcopis Istriæ Pelagius Episcopus.

Dilectionis vestræ per eos quos direxistis scripta suscepimus. relectisque his,graui sumus mærore & dolore perculsi; cùm neque his, quæ nos vobis scripsimus respondistis,neque vt fraternam decuerat caritatem, fidei nostræ satisfactione suscepta ad vnitatem Ecclesiæ re- E
uertendi obedientiam commodastis; postremò nec eos aliter qui venerunt dirigere pertulistis, vt apertissimam, lucidissimamque satisfactionem se paterentur accipere: sed scripto nobis quasi capitulare, vel interdictum potiùs ostenderunt, nihil iniunctum sibi à vobis aliud asserentes, nisi vt vestræ tantummodo essent portatores epistolæ. In qua tamen nullam rationis satisfactionem quęsisse vos legitur,sed velut iudicatum quid nobis expressisset. quod quàm prauum sit, quàm iniustum, Patrumque regulis inimicum, si voluerit is ad cognitionem veritatis accedere,splendidissimè cum diuino auxilio potestis addiscere. Vn-
[f] Psal.38. de nos cum Propheta lachrymabiliter conuenit exclamare: [f] Obmutui, & humiliatus sum,& silui à bonis, & dolor cordis mei renouatus est. Renouatus est dolor cordis nostri, quando diuturnæ diuisionis scandalum minimè tanto fidei fulgore superatur; maximè quia prauorum hominum persuasione decepti,scripta nobis diuersis infecta contagiis direxistis:

giis direxistis: & quod in epistolis Patrum quædam testimonia non incongrua solùm, sed nec ad causam pertinentia tentastis inserere: ita vt nec ordinem testimoniorum, qui in ipsis epistolis Patrum legitur, seruaretis: quippe vt quod scriptum nomine alterius fuerat, alterius nominis titulo promeretur. In quo euidenter dictum vobis Apostolicum [a] constat, aptari: Nescientes neque de quibus dicunt, neque de quibus affirmant. [a] 1. Tim. 1.

Quod quidem non vestræ malitiæ vel calliditati credimus adscribendum, sed veneno hostis malignissimi perspicimus exquisitum: qui zizania seminare per vasa iræ vsque in finem sæculi, in Dei Ecclesia non quiescit. Ex quo intelligimus, fraternitatem vestram epistolas, de quibus posuistis testimonia, non legisse. neque enim si vobis eorum scriptura constaret, illa quæ apertissimè pro fidei tantummodo causa sunt posita, aliis congruere fingeretis. propter quod ab errore diuisionis, in quem falsis opinionibus incidistis, hortor & opto
B vos celeriùs reuocari. & non (sicut scriptum [b] est) iugum cum infidelibus ducere, sed illi iterum iugo mansueta colla submittere, de quo ipse Dominus dicit: [c] Iugum enim meum suaue est, & onus meum leue est. quod nullo modo poterit quis vel ferre vel discere, nisi eidem iugo caritatis vinculis fuerit subiugatus, ipsi oneri per dilectionem quippe vt spirituali sarcinæ mentes, humeros, vires que subdiderit. Sicut namque animositas abscissionis intellectum facit per superbiam colligare, ita recuperatæ caritatis humilitas mentes in vnitate fidei perseueranter ad cognitionem veritatis illuminat. [b] 2. Cor. 6. [c] Matt. 11.

Propter quod præsentium portatoribus quos fraternitas vestra direxit, & ex codicibus, & ex antiquis polypticis scrinij sanctæ Sedis Apostolicæ relecta sunt aliqua, quibus euidenter apparet, nihil eorum quæ in vestra posuistis epistola causa trium Capitulorum, conue-
C nire vllatenus, aut verisimiliter coaptari. Ideoque necesse est, vos omnes epistolas synodales solicitè vigilanterque percurrere, vt euidentiùs agnoscatis, quia sancti Patres nihil aliud de Chalcedonensi Synodo in suis epistolis firmauerunt, nisi vt inuiolabilis fidei definitio seruaretur. nam ad eamdem Synodum confirmandam beatæ recordationis prædecessor noster Papa Leo scribens, inter alia sic ait: ne ergo per malignos interpretes dubitabile videatur, vtrum quæ in Synodo Chalcedonensi per vnanimitatem vestram de fide statuta sunt, approbarim, hæc ad omnes fratres & Coepiscopos nostros, qui prædicto Concilio interfuerunt, scripta direxi, quæ glorioßissimus & clementissimus Princeps, sicut popposci, in notitiam vestram mittere, pro Catholicæ Fidei amore dignabitur: vt & fraterna vniuersitas & omnium fidelium corda cognoscant, me non solùm per fratres, qui vicem meam executi sunt, sed etiam per probationem gestorum Synodalium, propriam vobiscum muniße sententiam: in sola videlicet fidei causa (quod sæpe dicendum) propter quam gene-
D rale Concilium & ex præcepto Christianissimorum Principum, & ex consensu Apostolicæ Sedis placuit congregari.

Sed ne fortè animis vestris aliqua adhuc videatur quæstio aut dubietas remanere, apertiùs quæ ad maximum Antiochenæ Ecclesiæ Antistitem scripserit, pariter curauimus indicare. Post plurima itaq; sic ait: Si quid sanè ab his fratribus, quos ad sanctam Synodũ vice mea misi, præter id quod ad causam fidei pertinebat, gestum esse perhibetur, nullius erit firmitatis: quia ad hoc tantum ab Apostolica Sede directi sunt, vt exciſis hæresibus, Catholicæ essent Fidei defensores. quicquid enim præter speciales causas synodalium Conciliorum ad examen Episcopale defertur, potest diiudicandi habere rationem, &c. Ecce, sicut superiùs dictum est, cognoscitis, fratres carissimi, nihil aliud sæpefatum prædecessorem nostrum, quàm ea quæ de fidei firmitate definita sunt, confirmasse: quod penè in
E omnibus epistolis eius, si volueritis, pleniùs potestis cognoscere. Nam priuatas causas quæ illic post definitionem fidei actæ sunt, non solum minimè confirmauit, sed & retractari atque diiudicari conceßit. In Encycliis verò (quod est Episcopalium collectio litterarum, ex quibus aliqua in scriptis vestris testimonia incongruè similiter posuistis) vnde mota sit causa, vel quid piæ recordationis Leo Imp. per vniuersas prouincias sacerdotibus scripserit consulendo, aut qualiter ab ipsis responsa susceperit, nobis quoque tacentibus, eorum lectione valebitis pleniùs informari: vt nulla de cetero in vestris cordibus malignæ excogitatio prauitatis locum subreptionis inueniat. Nos enim propter prolixitatem huius epistolæ ordinem causæ ipsius declinauimus indicare. Nam si cum studio caritatis, quæ à nobis scribuntur, cum timore Domini solicitè vigilanterque relegitis: facilè sentietis, quantum sit periculum pro superfluis quæstionibus, & hæreticorum defensione capitulorum, tamdiu ab vniuersali Ecclesia segregari.

Nolite ergo amore iactantiæ quæ ſuperbiæ ſemper eſt proxima, in obſtinationis vitio A
permanere: quando in die Iudicij nullus veſtrum excuſare ſe valeat: & neque Theodorus
Mopſueſtiæ neque Ibæ epiſtola, quæ ab aduerſarijs eſt prolata, ante tribunal tanti Iudicis
vobis valeat ſubuenire. Doctori itaque Gentium pareamus, qui in prima ad Corinthios
[a] 1. Cor. 12. epiſtola dicit: [a] Æmulamini charismata meliora, & adhuc excellentiorem viam vobis de-
monſtro. Quæ ergo maiora ſint, & à ſe demonſtranda promittat, ex ipſius voce audiamus
[b] 1. Cor. 13. intentiùs. [b] Si linguis hominum loquar & Angelorum, caritatem autem non habeam: fa-
ctus ſum ſicut æs ſonans aut cymbalum tinniens. Et ſi habuero prophetiam, & nouerim
omnia myſteria, & ſi habuero omnem fidem, ita vt montes transferam, & ſi diſtribuero in
cibos pauperum omnes facultates meas, & ſi tradidero corpus meum vt ardeat, caritatem
autem non habuero, nihil mihi prodeſt. & iterum: Fides, ſpes, caritas, tria hæc, maior au-
tem his caritas. Quam igitur ante Dominum poteritis habere fiduciam, quando nullum B
ſcandalum generari vobis de fidei noſtræ integritate cernentes: tantis temporibus per
ſuperfluas quæſtiones ab Eccleſia Dei, quæ vna eſt, & à fraterna caritate vos diuidi duratis.
Vbi namque ſit Eccleſia conſtituta, licet ipſius Domini voce in ſancto Euangelio ſit aper-
tum, quid tamen beatus Auguſtinus eiuſdem Dominicæ memor ſententiæ definierit, au-
diamus. In his namque, ait, eſſe Dei Eccleſiam conſtitutam, qui Sedibus Apoſtolicis per
ſucceſſionem Præſulum præſidere noſcũtur. Et quicumque ab earumdem Sedium ſe com-
munione vel auctoritate ſuſpenderit, eſſe in ſchiſmate demonſtratur. & poſt alia. Poſitus
† non numeraueris foris etiam ſi pro Chriſti nomine mortuus fueris, inter membra Chriſti †. Patere pro Chri-
ſto, hærens corpori, pugna pro capite. Sed & beatus Cyprianus egregius Martyr in libro
quem de vnitatis nomine titulauit, inter alia ſic dicit: Exordium ab vnitate proficiſcitur: & C
primatus Petro datur, vt vna Chriſti Eccleſia & cathedra mõſtretur: & paſtores ſunt omnes,
ſed grex vnus oſtenditur, qui ab Apoſtolis vnanimi conſenſione paſcatur. & poſt pauca:
Hanc Eccleſiæ vnitatem qui non tenet, tenere ſe fidem credit? Qui cathedram Petri, ſu-
per quem Eccleſia fundata eſt, deſerit, & reſiſtit: in Eccleſia ſe eſſe confidit? Item poſt
alia: Ad pacis præmium peruenire non poſſunt, quia pacem Domini diſcordiæ furore
ruperunt.

Item ex eodem libro ſic ait: Ad ſacrificium cum diſſenſione venientes reuocat ab altari,
[c] Matt. 5. & iubet [c] priùs concordare cum fratre, tunc cum pace redeuntes Domino munus offerre:
[d] Geneſ. 4. quia nec ad [d] Caim munera reſpexit Deus: neque enim habere Dominum pacatum pote-
rat, qui cum fratre pacem per zeli diſcordiam non habebat. Quam ſibi igitur pacem pro-
mittunt inimici fratrum? Quæ ſacrificia celebrare ſe credunt æmuli ſacerdotum? Secum
eſſe Chriſtum cùm collecti fuerint opinantur, hi qui extra Eccleſiam colliguntur? Tales D
etiam ſi occiſi in confeſſione nominis fuerint, macula iſta nec ſanguine abluitur. Inexpiabi-
lis & grauis culpa diſcordiæ nec paſſione purgatur. Eſſe martyr non poteſt, qui in Eccleſia
non eſt. ad regnum peruenire non poterit, qui eam quæ regnatura eſt derelinquit. &
poſt alia: Cum Deo manere non poſſunt, qui eſſe in Eccleſia Dei vnanimiter noluerunt:
ardeant licet flammis & ignibus traditi, vel obiecti beſtiis animas ſuas ponant: non
erit illa Fidei corona, ſed pœna perfidiæ: nec religioſæ virtutis exitus glorioſus; ſed deſpe-
rationis interitus: occidi talis poteſt, coronari non poteſt. Item eiuſdem: An eſſe ſibi cum
Chriſto videtur, qui aduerſus ſacerdotes Chriſti facit? qui ſe à cleri eius & plebis ſocieta-
te ſecernit? Arma ille contra Deum portat, contra Dei diſpoſitionem repugnat: hoſtis
altaris aduerſus ſacrificium Chriſti rebellis, pro fide perfidus, pro religione ſacrilegus, in-
obſequens ſeruus, filius impius, frater inimicus, contemptis Epiſcopis & Dei ſacerdotibus E
derelictis, conſtituere audet aliud altare. Item cuius ſupra: Peius ſchiſmatis crimen
eſt, quam quod hi qui ſacrificauerunt: qui tamen in pœnitentia criminis conſtituti Do-
minum plenis ſatisfactionibus deprecantur. Hic Eccleſia quæritur & rogatur, illic Ec-
cleſiæ repugnatur. Hic poteſt neceſſitas fuiſſe, illic voluntas tenetur in ſcelere. Hic qui
lapſus eſt, ſibi tantùm nocuit, illic qui hæreſim vel ſchiſma facere conatur, multos ſe-
cum trahendo decepit: Hic animæ vnius eſt damnum, illic periculum plurimorum.
Certè ſe peccaſſe hic intelligit & lamentatur & plangit: ille tumens in peccato ſuo, & ipſis
ſibi delictis placens, à matre filios ſegregat, oues à paſtore ſolicitat, Dei ſacramenta diſtur-
bat; & cùm lapſus ſemel peccauerit, ille quotidie peccat. Poſtremò lapſus martyrium
poſtmodum conſecutus poteſt Regni promiſſa percipere: ille ſi extra Eccleſiam fuerit
occiſus, ad Eccleſiæ non poteſt præmia peruenire. Item qui ſuprà: Quòd ſi in ſcripturis
ſanctis

A sanctis frequenter & vbique disciplina præcipitur, & fundamentum religionis à fidei obseruatione ac timore proficiscitur, quid cupidiùs appetere, quid magis velle ac tenere nos conuenit, quàm vt radicibus fortiùs fixis, & domiciliis nostris super petræ robustæ mole solidatis, inconcussi ad procellas ac turbines sæculi stemus, vt ad Dei munera per diuina præcepta venire possimus?

Et ideo hortamur dilectionem vestram, & obsecramus, vt tam terribilia Patrum testimonia cognoscentes, nullo modo patiamini vlteriùs in diuisione Ecclesiæ persistere; sed in viscera sanctæ matris Catholicæ atque Apostolicæ regredi tota mentis intentione * celerate: vt radicati in caritate vnitatis atque fundati dicere mereamur: [a] Ecce quàm bonum & quàm iucundum habitare fratres in vnum: veraciter exclamantes: [b] Repletum est gaudio os nostrum, & lingua nostra exultatione. Quibus breuiore quidem stilo, abundan-
B ti tamen caritate responsis, & de fraternitatis vestræ mentibus: & de diuinæ misericordiæ virtute confidimus, vos sanctæ citiùs reformari indubitanter Ecclesiæ. Si tamen pro nostris adhuc delictis aliquid inimicus animarum vobis obstinationis (quod absit) aut dubietatis intulerit, secundùm quod interlocutio nostra Gestorum apud nos habitorum suprema complectitur, & sicut excellentissimo domino filio nostro Smaragdo Exarcho Italiæ supplicare curauimus: instructas huc ad nos personas, quibus facilius reddenda, recipiendaque sit ratio, mittere festinate, vt nulla deinceps consensus vestri dubietas superfit, aut tarditas, si eis satisfactio plena reddatur. Vel si hoc pro longinquitate locorum, vel temporum qualitate pauescitis: illic Rauennæ fiat congregatio sacerdotum, quò nos etiam, qui loco nostro interfint, diuinitate propitia, dirigemus, à quibus satisfactionem plenissi-
C mam capiatis; ne ampliùs animæ simplices diuisæ à sancta Ecclesia pro superfluis quæstionibus tam longa obstinatione remaneant, nec per vos, quos Dominici gregis decet esse pastores, oues à septis Ecclesiasticis euagantes rapacis lupi dentibus consumantur.] hucusque secunda Pelagij Papæ epistola. Qua tantum abfuit, vt permouerentur perditissimi illi, quorum corda (vt de magna illa bestia est in [c] Iob) instar incudis fabri constricta obduruissent: vt rursum aduersus Pelagium ipsum atque vniuersam Christi Ecclesiam pro defensione damnatorum in quinta Synodo trium Capitulorum, quorum causa ab Ecclesia se discederant, scripserint prolixam satis apologiam. Ad quam confutandam Pelagius, eiusdem qui suprà Gregorij opera vsus, scriptionem illam refractariam penitus confutauit, scripta ab eo prolixiori epistola, quæ & tomus dicta, qua cuncta pro tribus adducta Capitulis esse vana ostendit & falsa; solida verò ac firma illa, nullaque ex parte nutantia, sed certa veritate constantia, quæ in condemnationem eorumdem trium Capitulorum asse-
D rerentur. Opus quidem dignum Romano Pontifice, & Gregorio qui scripsit, auctore; ipso siquidem tribus capitibus latrantis Cerberi fauces occlusit, vt sic velut offa picea spiritu intercepto, latrare vetuerit, atque tandem exspirare coegerit. Ipsa autem sic se habet.

* accelerate

[a] *Psal.* 132.

[b] *Psal.* 125.

[c] *Iob* 41.

Tertia Pelagij Papæ ad Episcopos Istriæ epistola, eademq; tomus, seu liber dicta.

PELAGII PAP. AD EPISCOP. ISTRIAE EPIST. III.

Dilectissimis fratribus Eliæ vel vniuersis Episcopis in Istriæ partibus constitutis, Pelagius Episcopus.

Virtutum mater caritas, quæ Redemptoris sui lucris seruiens, quæ numquam ea quæ sua sunt quærit, desiderio anhelanti me impulit dudum fraternitati vestræ plena dulcedinis scripta transmittere, quæ disiuncta diu possint suo corpori Christi membra sociare. In quibus plus precibus quàm monitis loquens, affectu quo valui, exhortari curaui, vt
E quos aptos discutiendæ rationi præuiderit, huc dilectio vestra dirigeret, quatenus in trium Capitulorum negocio, vel quæque aperta sunt cognoscerent, vel quæque forsan obscura viderentur, hæc eius collatio pacificæ intentionis aperiret: tandem dilectionis vestræ scripta susceperi, quæ non rationis causas quærerent, sed deliberata apud vos iudicij sententia imperarent. Hoc autem quod vos audere de vestra sapientia video, fateor, dolens miror, & quidem per epistolas, exempla (vt puto) ostendi humilitatis, amoris specimen præbui. Sed dum nihil apud vos reperi admonitionis meæ verba proficere, flens, gemensque cum Propheta cogor exclamare: [d] Curauimus Babylonem, & non est sanata, ignem quantum valui caritatis accendi, & tantæ scissionis exurere rubiginem volui, sed impletam Prophetæ sententiam peccatis exigentibus inueni, qui ait: [e] Frustra conflauit conflator, scoriæ eius non sunt consumptæ, nulla in rescriptis flamma caritatis aspicitur, nullam vel post exemplum dulcedinem redolent in cunctis suis sermonibus, nihil quod ad pacem

[d] *Ierem.* 51

[e] *Ierem.* 6.

perueniat, sonat. Pensate, quæso, hoc (quod dicere nisi singultu interrumpente non A
valeo) longo diuisionis vsu quanto mentis frigore fraternitas vestra torpuerit, quæ nec
confricta recalescit.

Quid igitur inter hæc faciam, nisi vt pro vobis ad lachrymas vertar? Quia enim leo ru-
† deuorandos giens circuit quærens quem deuoret, scio & vos stantes extra caulas ouium †. Non dem-
ptis fructibus palmites attendo, sed abscissas à radice vites aspicio. Et sudantes vos operarios cerno, sed tamen laborare extra vineam, non ignoro, Ecce vrgente fine, cuncta vastantur, ad solitudinem tetra redigitur, atque (vt ita dixerim) procella diluuij mundum subruit,
[a] Ierem. 9. & vestra fraternitas arcam fugit. Cum Ieremia dicam: [a] Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lachrymarum? & rursum: Deducant oculi nostri lachrymas, & palpebræ nostræ defluant aquis. dicam cum illo iterum: Plorabo & requiescam: Quia B
enim quietem concordiæ in vestro corde non inuenio, fessæ menti lachrymas sterno: quæ
enim mei spiritus requies esse potest, si ab occulto hoste inflictum vulnus mederi non po-
test? Ecce in cunctis mundi partibus sancta & vniuersalis Ecclesia vnitatis suæ radiis ful-
get, sed tamen adhuc vmbram vestræ diuisionis sustinet. Vbique in Fidei statu perdurat;
sed gaudere eam de sua salute prohibet vulnus, quod de vestra abscissione tolerat. neque
enim sanum caput brachiis mærentibus gaudet: nec se quasi incolume esse pectus læta-
tur, cùm subiectorum viscerum doloribus tangitur: tota namque corporis compago affi-
citur, si pars eius vel extrema laceratur. Quidquid ergo est quod aliam pati sentit, in
[b] 1. Cor. 12. se harmonia caritatis attrahit, Paulo attestante, qui ait: [b] Et si quid patitur vnum mem-
brum, compatiuntur cetera membra. Nos itaq; sumus, qui vestro dolore transfigimur, nos
qui vestris scissionibus secamur. Tanto igitur damnis vestris festina debemus consolatio- C
ne succurrere, quanto ea per caritatem cogimur vt nostra sentire. Nam etsi differre for-
sitan volumus, supernæ increpationis voce terremur, quæ ignauos pastores increpans, di-
[c] Ezech. 34. cit: [c] Quod fractum erat, non alligastis, & quod abiectum non reduxistis, & quod per-
ditum non quæsistis. Si differre volumus, indiscretæ inuentionis increpamur, qua per
[d] Ierem. 8. Prophetam Dominus dicit: [d] Numquid resina non est in Galaad, aut medicus non est
ibi? Quare ergo non est obducta cicatrix filiæ populi mei? Quid enim per resinam, quæ
fomentum ignis est, quæ & in ornamentum domus marmora dissipata coniungit, nisi
caritas designatur? quæ & in amore corda succendit, & vt sanctam Ecclesiam vnitatis
ornamento componat, discordes hominum mentes per pacis in se studium ligat. Quid
per Galaad, quæ Aceruus testimonij interpretatur, nisi in scripturæ sacræ altitudinem
innumera sententiarum densitas dicit? Quid per medici vocabulum, nisi vnusquisque
prædicator? quid per non obductam filiæ cicatricem, nisi culpa plebis ante Dei oculos D
nuda monstratur? Resina ergo in Galaad defuisse conuincitur, si pro ostendenda veritate,
cùm tanta adsint scripturæ sacræ testimonia, adsociando vos sanctæ Ecclesiæ, nequaquam
dignè ardoris caritas exhibetur; & velut absente medico cicatrix non obducitur, si exhor-
tatione cessante, tantæ scissionis culpa nullo velamine subsequentis pacis operitur. Sed iam
tempus est, ipsa nos suspicionum vestrarum vulnera tangere, eisque auctore Deo medica-
mina patefactæ veritatis adhibere, per ea quæ piæ memoriæ Iustiniani Principis tempori-
bus acta sunt.

Fraternitas vestra suspicatur, sanctam Chalcedonensem Synodum fuisse conuulsam.
Sed absit hoc à Christiano opere, à Christiana cogitatione. In ipsa quippe Nicæna,
Constantinopolitana, ac prima Synodus Ephesina firmata est; & quisquis illam parte
aliqua conuellere nititur, illas nimirum funditus, quæ per hanc firmatæ sunt, destrue E
re conatur. Cui suspicioni in scriptis vestris ex sanctis prædecessoris nostri Leonis epi-
stolis, ac Encycliis testimonia adiungitis, vt præfatam sanctam Chalcedonensem Syn-
odum inlibatam debere obseruari monstretur: Quæ quidem, fratres carissimi, ex pau-
cis epistolis sumptis permixto ordine confusoque posuistis, vt dum interiecta alia epistola, ad alia prioris epistolæ verba recurritur, quasi ex multis epistolis prolata viderentur.
Et valde miramur, cur fraternitas vestra de tam (sicut diximus) paucis epistolis non pau-
ca sumpserit: cùm constet quòd de sanctæ Chalcedonensis Synodi inlibata veneratione
& prædecessorum nostrorum assertio innumera, & multorum Patrum consensus in En-
cycliis, quasi quædam * se mundo, nobis infudit. Sed quia semper dictandi ordo tanta
* sumendo sibimet connexione subiungitur, vt & præcedentia subsequentibus seruiant, & subse-
quentia ex præcedentibus suspendantur: eorum sensum quæ prolata sunt melius pan-
dimus,

A dimus, si infrà suprаque legentes, vel quò tendunt, vel vnde pendeant, demonstremus.

A dilectione igitur vestra primum testimonium sancti prædecessoris nostri Leonis ponitur, quod in eius epistola vltima continetur, quo ait: De rebus apud Nicæam, & apud Chalcedonam, sicut Deo placuit, definitis, nullum audeamus inire tractatum, tamquam dubia vel infima sint, quæ tanta per Spiritum sanctum fixit auctoritas: cui secundum testimonium ex ea epistola à vobis adiungitur, quod illic paulo superiùs habetur, quo dicitur: Quia sicut sanctè, veraciterque dixistis, perfectio incrementum & adiectionem plenitudo non recipit. Interiectis autem duobus testimoniis de Encyclijs assumptis, præfati prædecessoris nostri Leonis item ad Leonem Principem scripto vestro verba replicantur, quibus dicitur: Legitimas & diuinitus inspiratas constitutiones velle mouere, non est pacifici hominis, sed rebellis, dicente Apostolo: [a] verbis contendere; ad nihil est vtile, nisi ad [a] 2 Tim. 2.
B subuersionem audientium. Nam si humanis persuasionibus semper disceptare sit liberum, numquam deesse poterunt, qui veritati audeant resultare. & eius rursus ad eum: Non sinas contra dexteræ omnipotentis Dei triumphos rediuiuis exurgere motibus extincta certamina. Cuius adhuc testimonium post pauca subdidistis: Nihil prorsus de bene compositis retractetur.

Vltimum verò à vobis ponitur testimoniũ, quod in priori eius epistola, de qua multa jam testimonia prolata fuerant, continetur, primum quo dicitur: Quæ iam patefacta sunt quærere, quæ perfecta sunt retractare, & quæ sunt definita conuellere, quid aliud est, quàm de adeptis gratias non referre, & ad interdictæ arboris cibum improbos appetitus mortiferæ cupiditatis extendere? Hæc sunt, fratres dilectissimi, quæ beati Leonis ad Leonem Prin-
C cipem verba posuistis, quæ videlicet ab eo pro custodia inlibatæ fidei, non autem pro causis Episcoporum specialibus, quæ apud Chalcedonam gestæ sunt, proferuntur. Nam quia pro solius fidei intemerata obseruatione dixerit, pensandum est in eadem epistola quid præmisit: ait enim ad eumdem Principem loquens suprà: Cura rerum temporalium religiosè prouidentiæ famulatum diuinis & æternis dispositionibus perseueranter impenditis, vt scilicet Catholica Fides, quæ humanum genus sola viuificat, sola sanctificat, in vna confessione permaneat; & dissentiones quæ de terrenarum opinionum varietate nascuntur, à soliditate illius petræ, supra quam ciuitas Dei ædificatur, abigantur. Si igitur Fidem, fratres carissimi, in cunctis mundi partibus vno ac solido statu vigere non cerneretis: conuulsum quicquam de sancta Chalcedonensi Synodo rectè diceretis. At postquam nihil nunc aliud nisi dè personis agitur, nihil de sancta Chalcedonensis Synodi fide quæritis: auctoritatem Patrum quasi sequendo declinatis. Namque vt iisdem B. Leo osten-
D deret retractari quæ perfecta sunt non deberi: qua hæc intentione dixisset, illico subdidit: Quia ad pacem vniuersalis Ecclesiæ, & ad custodiam Catholicæ Fidei cura dignamini solicitiore viuere. Quid igitur cum prohiberet definita conuelli, admonitionem protinus de custodia Catholicæ Fidei subiunxit, & quia non hoc de retractandis causis specialibus, sed de sola Fidei professione dixisse indicauit? illa namque nunc in vestra quæstione veruntur, quæ ipse quoque prædecessor noster beatus Leo diiudicat: dum nonnisi ea quæ apud Chalcedonam de Fide sunt statuta, confirmat. Ipse quippe ad Anatolium Constantinopolitanæ vrbis Episcopum scribens, dum eum de quodam nouo ausu corriperet, dicit: Vt sanctam Synodum ad extinguendam solùm hæresim, & ad confirmationem Fidei Catholicæ studio Christianissimi Principis congregatam, in occasionẽ ambitus trahas. & rursum: Ita abuti voluit Concilio synodali, vt fratres in Fidei tantummodo ne-
E gocio conuocatos, & definitionis eius causa, quæ erat curanda pertractos, ad consentiendum sibi, aut deprauando traduceret, aut terrendo compélleret. Qui vt nihil se omnimodo de Chalcedonensi Synodo susciperе, nisi quod de sola Fide gestum fuerat, demonstraret, eidem Synodo scribens, ait: Et fraterna vniuersitas, & fidelium corda cognoscant, non solùm per fratres, qui vicem meam exequuti sunt, sed etiam per approbationem gestorum synodalium propriam vobiscum iniisse sententiam, in sola videlicet Fidei causa, quod sæpe dicendum est.

Qui ergo vnit cum Chalcedonensi Synodo in sola Fidei causa conuocata, cuncta quæ illic specialiter gesta sunt: se proculdubio extraneum demonstrat. Hinc est rursum quòd cùm præfato Anatolio de recipiendo Attico presbytero scriberet, dicit, ita vt Chalcedonensis Synodi definitionem de Fide, cui etiam dilectio tua scribendo consensit, & quam Apostolicæ Sedis firmauit auctoritas, profiteatur se per omnia seruaturum. Qui Chalcedonensis

donensis Synodi definitionem dicens, vigilanter etiam, de Fide, non adderet, nisi causas, A
quæ illic specialiter motæ fuerant, reprobasset (solam nihilominus exciperet) quæ ei singulariter displicerent. At postquam nihil aliud Synodi nisi Fidei definitionem recepit: quid est aliud, nisi quòd cetera quæ illic specialiter mota sunt, refutauit? neque enim si vellet, vnam tantummodo causam præfati Anatolij reprehendere vereretur, qui hanc suo iudicio non approbatam & sereniſſimis Principibus, & auctori eius idem Anatolio non est veritus scriptis discurrentibus indicare. Cùm verò & de illa præfato Anatolio priuatè loquitur, & rursum ad Synodum scribens, quod de sola fide gestum fuerat, se recipere confitetur: constat quòd & Anatolium de speciali criminis causa redarguit, & cuncta priuata negocia, quæ mota in Synodo fuerant, retractari concessit.

Rursum in scripto vestro testimonium ac exemplum de Encycliis ponitur, quod multi Episcopi simul dicunt: Neque vnum iota vel apicem possum aut commouere, aut com- B
mutare eorum quæ apud Chalcedonam decreta sunt: cui aliud quoque testimonium, quasi ex eadem epistola subiunxistis, quòd videlicet Anatolij Constantinopolitanæ vrbis Episcopi esse non dubium est, quo ait: De Chalcedonense verò sancta Synodo dico, quoniam ipsum quærere omnino aut reuoluere aliquid eorum quæ ab ipsa finita sunt, hominum est insidiantium tantummodo Ecclesiis, & vniuersali Christi paci. In quo reuolui & conuelli prohibeat, ipse subiungat. ait enim: Quando Apostolica quidem & paterna dogmata olim nobis tradita, in eo roborata sunt atque firmata. Si igitur insidiantium est hominum Apostolica dogmata & paterna conuellere: qui eadem paterna & Apostolica dogmata inlibata recipiunt, constat proculdubio, quia insidiantes non sunt. Eiusdem namque Synodi fidem intemeratam Deo auctore retinemus, & sic priuata negocia quæ illic gesta sunt, cum sancto prædecessore nostro Leone præterimus, vt definitionem fidei illic prola- C
tam, proposita etiam morte, reseruemus. In præcedenti autem testimonio multorum simul Episcoporum vtrum dictator, an scriptor errauerit, ignoramus. neque enim in Encyclis continetur, vt ipsi in scriptis vestris posuistis: Neque enim Iota vnum aut apicem possumus commouere aut violare eorum quæ ab ea rectè sunt & inuiolabiliter definita. At longè est aliud, non posse commoueri ea quæ decreta sunt, & non posse commoueri ea quæ rectè & inculpabiliter sunt decreta. Sciebant enim viri doctissimi ea quæ illic gesta fuerant de causis specialibus à prædecessore nostro Leone recepta omnimodo non fuisse: & idcirco cautissimè scribunt, commoueri aut violari quæ rectè ab ea & inculpabiliter definita sunt, non deberi; ne si cuncta confirmare se dicerent, sententiæ sæpefati prædecessoris nostri Leonis obuiarent: Vnde & illic illico subiungunt: Ita sapiamus semper, sicut sapit Apostolica Romanorum Sedis Ecclesia. D

† Desideratur epistola ista S. Leonis.

Post hæc quoque exempla eiusdem prædecessoris nostri Leonis ad † Basilium Episcopum testimonium posuistis, quo ait: Obsecro dilectionem tuam, vt Chalcedonensis Synodi definitionibus in nullo animum relaxetis. Et quæ ex diuina sunt inspiratione composita, nulla patiamini nouitate temerari. & rursum: Vt autem possit hæc exhortatio ad omnium fratrum & Coepiscoporum notitiam peruenire, diligenti vestræ fraternitatis cura perspiciat. quia (quod sæpe dicendum est) tota religio Christiana turbatur, si quicquam de his quæ apud Chalcedonam constituta sunt, conuellatur. Sed vtrum hæc de causis quarumdam personarum specialibus, an de sanctæ Fidei definitione asserat, inquiratur ipse quid superiùs dicat. ait enim: Hæc scripta direxi quibus dilectionem vestram credidi commonẽdam, vt sceleratis ausibus sancta constantia resistatis, ne in quoquam nostra communis Fides aut trepida inueniatur, aut tepida. Qui igitur admonitionem seruandæ fidei præ- E
misit, vbi custodiri Synodum voluit, indicauit. Si autem in huius epistolæ sermonibus ambigimus, cum ex aliis suis epistolis quo sensu hæc dixerat, requiramus. Martiano namque Augusto scripta sua pro eadem Synodo dirigens, ait: Ad gloriam vestram & ad Constantinopolitanum Antistitem scripta direxi, quæ euidenter ostenderent, me, quæ de Fide Catholica in prædicta Synodo definita fuerant, approbare. Qui si cunctas & speciales causas eiusdem Synodi recepit, cur ea se approbare quæ de Catholica Fide in prædicta Synodo definita sunt, specialiter asserit? Rursum quoque præfato Principi scribens: Quia omnibus modis obediendum est potestati vestræ & religiosissimæ voluntati, constitutionibus synodalium, quæ mihi de confirmatione Fidei Catholicæ placuerunt, libens adieci sententiam. Si ergo confirmationem Fidei Catholicæ sibi placuisse, eique sententiam adiecisse adstruit, in his in quibus confirmatio Fidei non fuit, constat quia sententiam non adiicit.

Adhuc

A Adhuc autem ex eiusdem beati Leonis epistola testimonium scriptis vestris inseritis, quæ ad Basilium dicit: Piè nobis & constanter vtendum est, ne dum talium disputatio admittitur, eorum quæ diuinitus definita sunt, auctoritati derogetur. & infrà: Nec in aliquam disceptationem plenè definita reuocanda sunt, ne ad arbitrium damnatorum ipsi de his videamur ambigere, quæ manifestum est per omnia propheticis & Euangelicis atque Apostolicis auctoritatibus consonare. Quæ autem vel superiùs definita diuinitus, vel inferiùs plenè definita asserat: ex ipsa vel ex aliis eius epistolis vestra fraternitas pensat: In quibus numquam specialia gesta commemorat, sed sola quæ de fide sunt prolata confirmat. Vnde in his quoque verbis vigilanter * imprimitur, & quæ plenè definita dixerit * attenditur, cùm dicit: Ne de his ipsis videamur ambigere, quæ, manifestum est, per omnia propheticis & Euangelicis atque Apostolicis auctoritatibus consonare.

* exprimitur
* ostenditur

B Pensate, quæso, fratres carissimi, si scripta Theodoreti propheticis & Euangelicis atque Apostolicis auctoritatibus consonant, quæ Redemptorem nostrum iniquis ausibus Dominum negant: Pensate si illa epistola propheticis & Euangelicis atque Apostolicis auctoritatibus consonare videatur, in qua & hostis Ecclesiæ Nestorius defenditur, & defensor Ecclesiæ Cyrillus accusatur. Pensate si illa Theodoreti scripta propheticis, Euangelicis atque Apostolicis auctoritatibus consonant, quæ priùs contra rectam Fidem edita, ipse postmodum conuersus damnat. Extremum quoque sæpefati Leonis ad † Aetium presbyterum testimonium ponitis, quo ait: Ne patiatur sopitarum rerum certamen adferri, quarum retractator nonnisi sacrilegus inuenitur: quod de quibus rebus adstruat, ad eumdem Aetium scribens ipse manifestat, dicens: Nihil Apostolicis vmquam potero sentire diuersum, nec
C à mea ipse deuiare sententia: Et quod sancto Spiritu reuelante confessus sum: quodque mecum totius Synodi professione prædicante patefeci, aliqua varietate commutem; cùm facilius mihi sit quibuslibet & suppliciis ab hoc mundo auferri; quam ab ea quam generaliter credidi professione mutari. Si ergo cuncta res quæ retractari non debet, sola est professio fidei: ille retractator rerum erit sacrilegus, qui professioni eius fuerit diuersus. Nam quòd idem beatus Leo solam in Synodo professionem fidei summo ardore custodiat, innumeris epistolis demonstrat, ex quibus pauca breuiter perstringimus, vt in eis certior facta vestra fraternitas colligat quàm multa taceamus.

† Desideratur illa ad Aetiū S. Leonis epist.

Hinc est enim quòd Martianum Augustum scripto suo alloquitur dicens: Fratri autem meo Iuliano Episcopo nouerit vestra clementia hoc me propriè delegasse: vt quicquid illic ad custodiam fidei pertinere probauerit: meo nomine vestræ fiducialiter suggerat potestati. Hinc est quod Pulcheriæ Augustæ scribens ait: Quòd verò piissimus Imperator ad
D omnes Episcopos qui Chalcedonensi Synodo interfuerunt, voluit me scripta dirigere, quibus ea quæ illic de fidei regula sunt definita firmarem, libenter impleui. Hinc est quod Iuliano Episcopo scribens dicit: Quod necessarium credidit clementissimus Imperator, libenter impleui; vt ad omnes fratres qui Chalcedonensi Synodo interfuerunt, scripta dirigerem, quibus placuisse mihi quæ sanctis fratribus nostris de regula fidei confirmata sunt, demonstrarem. Hinc est quod Pulcheriæ Augustæ iterum scribens ait: Circa fratrem autem meum veneratorem vestrum Iulianum Episcopum quantum debeat credere vestra dignatio, Apostolicæ sedis æstimate iudicio: cùm in causa fidei, cui glorioſa pietas vestra famulatur, vicem ipsi meam eatenus delegarem, vt ab ea quæ vobis debetur obseruantia non recedens, me pietati vestræ præsentare non desinat. Causam quippe fidei memorans nequaquam eatenus diceret, nisi quicquid extra fidem ageretur, ex Synodo ex-
E cludi voluisset.

Rursum per epistolam vestram dicitur, A Sede Apostolica vos doctos, atque ab scrinio sanctæ Ecclesiæ, cui Deo auctore præsumus, confirmatos, ne huic rei quæ sub piæ memoriæ Iustiniano Principe gesta est, consentire debeatis. atque hanc opitulationem excusationi vestræ adiungitis dicentes, quòd in causæ principio & Sedes Apostolica per Vigilium Papam & omnes Latinarum prouinciarum Principes damnationi trium Capitulorum fortiter restiterunt. In quibus verbis attendimus, quòd res quæ prouocare vos ad consensum debuit, à consensu vos ipsa diuellit. Latini quippe homines & Græcitatis ignari, dum linguam nesciunt, errorem tardè cognouerunt: & tanto eis celerius credi debuit, quanto eorum constantia, quousque verum cognoscerent, à certamine non quieuit. quorum consensum certè fraternitas vestra despiceret, si ausu præcipiti, priusquam verum cognoscerent, consensissent. at postquam diu ab eis laboratum est, & longo tempore ad

iniurias

iniurias vsque certatum : hinc vestra fraternitas pensèt, quia tot labores repentè non relin- A
querent, nisi quæ vera sint agnouissent. Quid enim diuini consilij fuisse credimus, fratres, quod diu Saulum omnipotens Deus repugnatorem suæ fidei esse permisit, & sic eum suæ fidei prædicatorem fecit? nisi vt cunctis qui per illum fuerat prædicaturus, ostenderet, quia valde verum est Dei Euangelium, quod & tanta duritia inclinata, prædicaret : vt dum ea auditores eius quæ ab illo contra fideles gesta recolerent, repentè eum ad fidem versum non sine euidenti ratione sentirent. Vnde ipse quoque dum prædicationem suam debere
[a] Act. 22. facilè ab infidelibus recipi, Domino diceret, ait : [a] Domine ipsi sciunt quia ego eram concludens in carcere, & cædens per synagogas eos qui credebant in te : & cùm Galatas relicta Euangelij regula, in Iudaismi conspiceret errorem declinasse, suam eis priorem contra
[b] Galat. 1. Euangelium duritiam retulit, & ab intentione perfidiæ eorum mentes retorsit dicens [b]: Audistis conuersationem meam aliquando in Iudaismo, quoniam supra modum perse- B
quebar Ecclesiam Dei, & expugnabam illam : & proficiebam in Iudaismo supra multos coætaneos meos in genere meo, abundantiùs æmulator existens paternarum mearum traditionum : cùm autem placuit ei qui me segregauit de vtero matris meæ, & vocauit per gratiam suam, vt reuelaret Filium suum in me, vt euangelizarẽ illum in Gẽtibus: continuò non acquieui carni & sanguini. Ecce fratres carissimi, Paulus egregius Doctor quia diu veritati restitit, inde ad confirmanda corda audientium in eiusdem prædicatione veritatis adiutorium sumpsit : ostendens profectò, quia fidem, cui tanto priùs labore restiterat, postmodum sine magnæ rationis certitudine non tenebat.

Debet ergo perpendere vestra dilectio, quia prædecessorum nostrorum in hac causa consensus tanto pòst inanis non fuit, quanto priùs duris contradictionum laboribus insudauit. Sed his insuper factum Petri, qui & Paulum superat, vestra fraternitas ad memo- C
riam reducat. Diu quippe restitit, ne ad fidem Gentes sancta Ecclesia sine circumcisione reciperet, diu se à conuersarum Gentium communione subtraxit, Paulo attestante, qui
[c] Galat. 2. ait : [c] Cùm venisset Antiochiam, in faciem ei restiti, quia reprehensibilis erat ; priùs enim quàm venirent quidam ab Iacobo cum Gentibus edebat ; cùm autem venissent, subtrahebat & segregabat se, timens eos, qui ex circumcisione erant. & paulo pòst: Et cùm vidissem quòd non rectè ambularet ad veritatem Euangelij, dixi Petro coram omnibus : Si tu cùm Iudæus sis, Gentiliter & non Iudaicè viuis : quomodo Gentes cogis iudaizare? qui tamen ab eodem Paulo postmodum ratione susceptа, dum quosdam conspiceret, quòd
[d] Act. 15. Gentiles ad Ecclesiam venientes pondere seruandæ circumcisionis onerarent, dicit: [d] Cur tentatis Deum imponentes iugum ceruicibus discipulorum, quod neque patres nostri neque nos portare potuimus ? Numquid fratres dilectissimi Petro Apostolorum principi sibi D
dissimilia docenti debuit ad hæc verba responderi : Hæc quæ dicis, audire non possumus, quia aliud antè prædicasti ? Si igitur in trium Capitulorum negocio, aliud cùm veritas quæreretur, aliud autem inuenta veritate, dictum est : Cur mutatio sententiæ huic Sedi in crimine obiicitur, quæ à cuncta Ecclesia humiliter in eius auctore veneratur ? Non enim mutatio sententiæ, sed inconstantia sensus in culpa est : Quando ergo ad cognitionem recti, intentio incommutabilis permaneat : quid obstat, si ignorantiam suam deserens verba permutet ? De ipso quoque auctore omnium Deo scriptura attestante cognoscimus, quia dum consilium non manet, sæpe sententiam mutat : neque enim inopinatus
[e] 1. Reg. 15. ei prouentus accesserat, cùm de eo quem ipse vngi præceperat, dicebat : [e] Pœnitet me Saulem vnxisse Regem in Israel. Hoc quippe se facturum etiam tunc præsciuit, cùm eum quasi approbando prætulit : nec ad pœnitentiam quasi inopinatus dolor accessit : sed ta- E
men pœnitere se insinuat; quia non mutato consilio, ea quæ dudum dixerat de illo, verba permutat.

In his autem testimoniis quæ ex epistolis Leonis prædecessoris nostri posuistis, præmisistis dicentes : Doctrina vestræ reuerendæ Sedis est, per beatum Leonem, successoresque eius, vnde pauca commemorare præsumpsimus. mortuum ab hominibus damnari nullatenus oportere; & tamen nulla eius testimonia subdidistis, quibus hanc sententiam firmaretis. Etenim quæ à vobis subiuncta sunt, retractationem fidei fieri prohibent, non autem damnari infideles mortuos contradicunt: Sed neque hoc beatum Leonem prædecessorem nostrum quodam loco dixisse meminimus. Quis autem nesciat, quòd in nullo sibi eiusdem Leonis & beati Augustini prædicatio contradicat ? Ipse namque ad Bonifacium Comitem scribens ait: Si vera essent quæ ab eis obiecta sunt Cæciliano, & nobis possent aliquando

A quando monstrari: ipsum iam mortuum anathematizaremus. Sed tamen Ecclesiam Christi, quæ non litigiosis opinionibus fingitur, sed diuinis attestationibus comprobatur, propter quemlibet hominem relinquere non debemus. Ecce mirabilis prædicator & scissionem Ecclesiæ propter hominem vetat, & si qua peruersa deprehendat, eum quem publicè defendebat Cæcilianum, se etiam post mortem anathematizare non abnegat. quia videlicet tunc viuentibus verè consulatur, cùm culpa in fide perpetrata nec morte interueniente laxetur. si verò hoc faciendum, dicere fortasse præsumimus, hoc proculdubio facimus, quod fieri vetamus. Theodorum quippe mortuum sancta Synodus prima Ephesina damnauit: Nam cùm ab eius discipulis dictatum ab illo Symbolum in eadem Synodo fuisset prolatum: illico illic à sanctis Patribus cum auctore damnatum est. Et quidem ipsi sancti Patres in eadem Synodo residentes ad Dominum iam recepti sunt, postquam Theodo-
B rum damnauere: & si damnari mortuum non debuisse dicimus; proculdubio mortuos accusamus, & incipimus committere, quod nitimur prohibere. Sed cur diu, & quæ nostis loquimur? Eiusdem Theodori ex libris illius dicta replicemus.

Et si Iesum Dominum ac Deum nostrum, qui post mortem viuere, immo quia viuere creditur, post mortem Theodorus postposita dubitatione damnauit: neque enim nostra fides patitur, vt qui tot blasphemiis Redemptori nostro hostis extitit, à vobis vlteriùs defendatur. Ipse quippe contra Apollinarem in libro tertio loquens ait: Quomodo igitur, tu, cui super omnes maximè decet dementium regimen, illum qui ex Virgine natus est, Dominum esse, & ex Deo consubstantialē Patri existimari dicis, nisi fortè sancto Spiritui illius creationem imputare non iubes. Sed qui Deus est, & ex Deo, & consubstantialis Patri, & quidem qui ex Virgine natus erat. O mirande, & qui per Spiritum sanctum secundùm di- BLASPHE-
C uinas scripturas plasmatus est, & confectionem in muliebri accepit ventre, inerat forsitan MIAE THEO-
quia mox quàm plasmatus est, & vt templum Dei esset accepit: non tamen existimandum nobis Dominum de Virgine natum esse. & post pauca: Nec secundùm tuam vocem pronunciandum est omnino ex Virgine natum Dominum esse, & ex Deo consubstantialem Patri. & post pauca: Si igitur cum carne eum natum esse dicunt, quod autem natum est, Deus & ex Deo, & consubstantialis Patri est, necesse est & hoc carnem dicere: quòd si non hoc caro est, quoniam nec Deus, nec ex Deo, nec exconsubstantialis Patri, sed ex semine Dauid, & consubstantialis ei cuius semen est, non id quod natum est ex Virgine Deus, & ex Deo, & consubstantialis Patri. & post pauca. Non Deus Verbum ex Maria natum est, natus autem est ex Maria, qui ex semine est Dauid: non Deus Verbum ex muliere natus est. & iterum: Quod enim dictū est, ducebatur à Spiritu, aperte hoc signi-
D ficat, quòd ab eo regebatur, ab eo ad voluntatem propositorum confortabatur; ab eo ad hæc quæ oportebat docebatur, ab eo cogitationibus roborabatur, vt ad tantum certamen sufficeret, sicut & beatus Paulus docet: [a] Quicumque enim Spiritu Dei aguntur, hi sunt [a] Rom. 8.
filij Dei. Idem cuius supra.

Dicant igitur nobis omnium sapientissimi, si pro sensu Domino Iesu Christo qui est secundùm carnem diuinitas facta esset, sicut dicunt: quid sancti Spiritus cooperatione ad hæc Christus indigebat? nec enim Vnigeniti diuinitas Spiritu indigebat ad iustificationem: Spiritu autem indigebat ad vincēdum diabolum, Spiritu indigebat ad operanda miracula, Spiritu indigebat vt doceretur ea quæ docebat peragere, Spiritu indigebat vt immaculatus appareret. Et post pauca, ac si dicat Iesus: Ego quidem, quem videtis, nihil quidem facere possum secundùm meam naturam, cùm homo sim, operor autem quia in me ma-
E nens Pater, omnia facit. Quoniam enim & ego in Patre, & Pater in me, Deus autem Verbum vnigenitus Dei in me est, certum est quòd & Pater cum ipso in me manet, & opera facit. & non est mirandum de Christo hæc existimari, cùm euidenter ipse de ceteris hominibus dicit: [b] Qui diligit me, meum verbum obseruet, & Pater diliget eum, & [b] Ioan. 14.
ad eum veniemus, & mansionem apud ipsum faciemus. & iterum: Sciebat subtiliter vt notam quidem faceret Gentibus pietatem, pateretur autem laborantium infirmitates, & sic ad effectum suam voluntatem educeret: & iustificabatur inde, & immaculatus ostendebatur, siue reparatione, siue custodia meliorum, siue etiam paulatim ad meliora profectibus. Et post pauca eiusdem Theodori ex commento secundùm Ioannem. Dicit ad Thomam: [c] Infer digitum tuum huc, & vide manus meas, & porrige manum tuam, & [c] Ioan. 20.
mitte in latus meum, & noli esse incredulus, sed fidelis: Quoniam, dicit, non credis, & tactum solum sufficere tibi ad credendum putas; hæc enim dicens non me latuisti: tange

manu,

manu,& cape experimentum,& discе credere,& non diffidere. Thomas quidem cùm sic credidisset: Dominus meus, & Deus meus, dicit, non solùm ipsum Dominum & Deum dicens; non enim resurrectionis scientia docebat,& Dominum esse eum qui resurrexit,sed quasi pro miraculo facto Dominum collaudat. A

Eiusdem Theodori ex commento quod est in Actibus Apostolorum libro primo: Ille autem dixit, oportere pœnitentiam agentes eos pro Crucis iniquitate,& agnoscentes Saluatorem & Dominum, & omnium auctorem bonorum Iesum Christum, quoniam per istam peruenit & assumptus est de diuina natura,in Spiritu quidem fidem suscipere & eius discipulos fieri,ante omnia ad baptisma accedentes, quod & ipse tradidit nobis, reformationem quidem habens inspirationis futurorum, nomen autem celebrandum Patris & Filij & sancti Spiritus: Hoc enim quod est: Vt baptizetur vnusquisque in nomine Iesu Christi, vt vocationem quæ in nomine Patris & Filij & sancti Spiritus est, relinquentes, B
[a] Act. 8. Iesum Christum in baptismate[a] vocent. Sed quale est hoc [b] quòd in Moyse baptizati sunt
[b] 1. Cor. 10. in nube & in mari,& diceres quia sub nube & in mari Ægyptiorum separati sunt, liberati eorum seruitute, vt Moysis leges attenderent. tale est, Vt baptizetur vnusquisque in nomine Iesu Christi: vt cùm ad ipsum accessissent tamquam Saluatorem, & omnium bonorum auctorem, & doctorem veritatis,ab ipso vtpote auctore bonorum & doctore veritatis vocarentur: Sicut omnibus hominibus quamcumque sectam sequentibus consuetudo est ab ipso dogmatis inuentore vocari,vt Platonici, & Epicuræi, & Manichæi, & Marcionistæ: & quidem tales dicuntur. Eodem enim modo & nos nominari Christianos, iudicauerunt Apostoli.

Eiusdem Theodori in libris de Incarnatione:, Plus inquietabatur Dominus, & certamen maius habebat ad animæ passiones quàm corporis;& meliori animo libidines vincebat, mediante Deitate ad perfectionem. Vnde & Dominus ad hæc maximè instituere videtur certamen. Item eiusdem in libro contra Synoriastas vel Apollinaristas: Sed si caro erat,inquit, Crucifixi, quomodo sol radios auertit, & tenebræ occupauerunt terram omnem?& terræmotus,& petræ scissæ sunt,& mortui surrexerunt? Quid igitur dicant & de tenebris in Ægypto factis temporibus Moysi non per tres horas, sed per tres dies? Quid autem propter alia per Moysem facta miracula? & quæ per Iesum Naue, qui solem stare fecit. qui sol temporibus Ezechiæ Regis & contra naturam retrouersus est. Et de Elisæi reliquiis quæ mortuum suscitauerunt? C

Eiusdem ex libro octauo de Incarnatione: Manifestum autem est quòd vnitas conuenit:per eam enim collectæ naturæ vnam personam secundùm vnitatem effecerunt. Sicut enim de viro & muliere dicitur, quòd iam non sunt duo, sed vna caro; dicamus & nos rationabiliter secundùm vnitatis rationem, quòd non sunt duæ personæ,sed vna, scilicet naturis discretis. & post pauca: Quomodo igitur homo & Deus vnus per vnitatem esse potest? qui viuificat,& qui viuificatur,qui saluificat,& qui saluificatur, qui ante sæcula est, & qui ex Maria apparuit. D

Eiusdem ex interpretatione Symboli trecentorum decem & octo Patrum: Sed Christum quidem secundùm assumptam serui formam; eum autem qui eum assumpsit, super omnia nominans Dominum:intulit tamen hoc secundùm coniunctionem, vt per significationem nominum, naturarum manifestam diuisionem faciant. Nemo igitur, neque eum qui secundùm carnem ex Iudæis est,dicat Dominum: nec iterum Dominum qui est super omnia secundùm carnem ex Iudæis: Iesum enim dicit à Nazareth, quem vnxit Deus Spiritu sancto & virtute: qui autem de Spiritu vnctus est, omni modo aliquid inde E assumpsit: Quis autem furens dicat, de Spiritu aliquid assumpsisse diuinam naturam? & iterum. Certus quidem & ipse Filium Dei se non secundùm diuinitatis dicens natiuitatem,sed secundùm quod domesticus Dei erat,per quod Filius Dei per voluntatem domestici Domino constituti homines interim vocabantur.

Hæc de innumeris pauca prætulimus, vt quasi per foramen angustum, quàm nimium barathrum intus lateret,monstraremus. Ecce quales plusquam decem millia libros Theodorus scripsisse perhibetur. Pensate quæso, si non tanto acriora tormenta promeruit, quanto pluriora conscripsit? Sed hæc illius dicta quæ prolata sunt,vtrum eius sint, fortasse dubitatur. Patrum si placet scripta proferamus. ita apud vos libros eius, quos de perfidia illius testes deduximus,deductis insuper testibus affirmemus. Armeniæ quippe Episcopi Proclo Constantinopolitanæ vrbis Episcopo libellos contra Theodorum porrigentes, dicunt:

Fuit

A Fuit autem aliquis pestis homo, magis autè fera, hominis habens fotmâ diabolicam, mentito nomine Theodorus, qui schisma & nomen Episcopi habuit, in angulo & ignobili loco orbis terrarum latitans, in Mopsuestano Ciciliæ secundæ vel oppido, verè quidem & principaliter à Paulo Samosateno descendens, licet Photino & ceteris hæresiarchis in libro de Incarnatione Domini nostri Iesu Christi in toto suo proposito ipsis verbis inueniatur vsus. Et si quid peius, iste per machinationem & audaciam & errorem diaboli volebat homines acutæ suæ sicut colubræ linguæ veneno, quod sub lingua aspidis est, deperire. Et interim quidem retinebatur suo latibulo, timens potestatem eorum, qui à magno Deo & Saluatore nostro [a] acceperant Iesu Christo calcare super colubras, scorpios & omnes virtutes inimici. Dico autem sanctos Apostolos, & qui consequenter ab his susceperunt Martyres & Confessores & Episcopos, & ceteros Sanctos. Inuento autem, nescio quomodo, tempo-
B re cœpit repere, & extra fines suos fiduciam gerens, & in parochiam ad eum non pertinentem, tamquam eruditus sermocinator, & in Antiochia Syriæ in Ecclesia alloquens, sic dixit: Homo Iesus, quid est enim homo quòd memor es eius? Apostolus autem de Iesu dictum fuisse hoc, dixit: Dum enim qui paulo minus ab Angelis minoratus est vidimus, inquit Iesus. Quid ergo homo Iesus? similiter omnibus hominibus, nullam habens differentiam ab homine eiusdem generis, præter ea quæ gratia ei dedit.

[a] Luc. 10.

Quibus Proclus Constantinopolitanus vrbis Episcopus rescribens ait: Fugiamus turbulentos & cænosos fallaciæ riuos septa Dei impugnantes, dico Arij furorem diuidentem indiuiduam Trinitatem, Eunomij audaciam circumcludentem scientia incomprehensibilem naturam, Macedonij rabiem separantem à Deitate inseparabiliter procedentem Spiritum, & nouam istam blasphemiam quæ Iudaismi multo amplius superat blasphe-
C miam introducentes: nam illi quidem cùm Filium negant, fraudant ramo radicem: isti verò eum qui est negantes, alterum introducunt, detrahentes sinceram naturam.

Rursus de huius errore Ioannes quoque Antiochenæ Ecclesiæ Antistes ait: multo autem tempore perseuerans Theodorus, persuasit multis *vt Nestorio*, quòd Christus Filius Dei vitii qui de sancta Virgine Maria natus est, non est qui ex Patre natus est Deus Verbum consubstantialis Genitori, sed homo pro qualitate suæ voluntatis ex Deo Verbo cooperationem suscipiens.

Rursus de eius errore Cyrillus ad Lamponem presbyterum scribens, ait: Cùm apud Heliam commorarer, vir aliquis ex his qui nobiliter militant in palatio, epistolam multorum versuum & grandem obtulit mihi signatam, quam se dicebat accepisse ab Antiochenis Orthodoxis; subscriptiones autem erant in ea plurimorum clericorum & monacho-
D rum & laicorum. Accusabant autem Orientales Episcopos, quasi tacentes quidem Nestorij nomen, & dissimulantes ei aduersari: transeuntes autem ad Theodori codices de Incarnatione factos, in quibus multo peiores nefariæ blasphemiæ positæ sunt: pater enim fuit Nestorij perfidi, qui & illius mala locutus, impius & in his factus est.

Rursum de errore illius idem Cyrillus Alexandrinæ vrbis Episcopus ad Acatium Melitinæ vrbis Episcopum scribens, ait: Non oportebat latere sanctitatem vestram, aut forsitan cognouit, quòd omnes Orientales religiosissimi in Antiochiam conuenerunt, cùm transmisisset eis Thomam dominus meus sanctissimus Proclus bonorum plenus intellectu & rectorum dogmatum: Erat enim ei ratio multa & longa de dispensatione Domini nostri Iesu Christi. Suppositit verò capitula quædam collecta è Theodori codicibus, quæ consonantem Theodori perfidiis intellectum habent, & adhortatus eos etiam illa
E anathematizare.

Rursus de errore illius Edessenæ Ecclesiæ Antistes ad beatum Cyrillum scribens, ait: Iam verò quidam vnitatem secundùm subsistentiam omnibus modis abdicant. Morbus enim aliquis sublatens inueterauit Orienti immedicabilis modo vulneris depascens Ecclesiæ corpus apud aliquos quasi studiosos, & supercilia extollentes eruditione latenter.

Honoratus Episcopus enim quidam prouinciæ Ciliciæ: Theodorus vir verisimilis dicendi, & potens suadere, alia quidem supra tribunali de Ecclesiæ statu dicebat ad populi placentiam: alios autem laqueos in scriptis ponebat, qui in principiis quorumdam eius codicum anathemate circumcludebant inspicientem non manifestare. Aliis scripta iste primus exposuit: non esse verè Dei Genitricem sanctam Virginem, tamquam Deo Verbo non suscipiente secundùm nos natiuitatem. & post pauca: Nec enim dicunt secundùm substantiam, vel secundùm subsistentiam vnitum esse Deo Verbo hominem, sed bona

voluntate: quadam tamquam diuina natura non suscipiente alterum modum vnitatis propter non circumscriptibilem. Iste dixit Dominum nostrum Iesum Christum non oportere adorari sicut Dominum, sed relatione Dei honorari sicut imaginem quamdam. magis autem manifestius secundùm eos dicere, sicut, instar, aliquid relatione assidentis dæmonis. Iste & carnem Domini pronunciauit nihil omnino prodesse, dissipãs Domini vocem[a]: Quæ est caro nihil prodest. Iste & Apostolos dicit non cognouisse Christum quod Deus erat, sed supra fidem quæ est in homine ædificatam esse Ecclesiam. A

[a] Ioan. 6.

Rursum de errore illius Hesychius Hierosolymorum presbyter Ecclesiasticæ historiæ scriptor, ait: ita Photinum, in multis & aliis eos esse secutos; Theodorus quidam præcipuè imitatus est, malitiosus quidem loquendi, & in lingua paratissimus, & ipse tamen instabili voluntate, qui huc & illuc inclinans ferebatur: clericatui enim Antiocheno à prima ætate connumeratus, & bene conuersari pollicitus, ad sæculares libidines reuersus iterum delectabatur, in omnibus autem donis * imitabilis. Et beatus vir Ioannes Constantinopolitanus Episcopus scripsit epistolam quæ vsque adhuc in codicibus legitur, & à peiore ad meliorem pœnitentiam eum transferre prævaluit, & iterum bene conuersari, iterum in clericatu esse cœpit. Et Antiochia relicta, in Tharso transmigrauit. In ea Episcopus, nundum Deo volente manifestam impietatis illius prædicationem fieri. Prima autem eleementa suæ doctrinæ ex Iudaico vaniloquio incipens codicem in prophetiam Psalmorum conscripsit, omnes de Domino * prædicationes abnegantem: culpatus verò & periclitatus, contraria sibi dixit, non ex voluntate, sed compulsus omnibus cæremoniis: & codicem ipsum delere pollicitus, latenter conseruabat Iudaicæ impietatis viaticum. & post pauca: Christum enim Iesum generis nostri Saluatorem & Dominum (quem splendorem paternæ gloriæ & imaginem substantiæ Paulus[b] vocat, ferre eum omnia dicens verbo suæ virtutis, qui purificationem nostrorum fecit peccatorum, & ad dexteram paternæ Maiestatis consedit, de quo ad Colossenses scripsit epistolam[c], quòd in eo omnia creata sunt, quæ sunt in cælis, & in terris, visibilia & inuisibilia, quòd per eum in eum creata sunt omnia) hunc non incarnatum Verbum, sicut Euangelicis vocibus docti sumus, sed hominem per vitæ prouectionem & passionum perfectionem coniunctum Deo Verbo scripsit stultus in omnibus. Et hæc in mysticis sermonibus ausus est.

* mutabilis

* prædictiones

[b] Hebr. 1.

[c] Coloss. 1.

B C

Contra errores eiusdem Theodori, piæ recordationis Theodosius & Valentinianus legem promulgantes, inquiunt: Debitam à nobis venerationem piissimæ doctrinæ reddentes, eos qui ausi sunt contra Dominum impiè conscribere debitæ cõdemnationi subiicere, & nominibus dignis vocari oportere existimauimus. Iustum igitur circumdari eos confusione suorum peccatorum, & in tali vocabulo permanere in æternum: quatenus nec viui liberentur, & post mortem permaneant contempti. Igitur doctrina Theodori & Nestorij impiorum & pestiferorum visa nobis abominanda esse, similiter autem & omnes qui sequuntur eorum errorem, & consentiunt eorum impietati, iustum est ipsos eamdem nominationem mereri, & confusionem indui, vt non Christiani, sed Nestoriani nominentur, ne dum nominantur Christiani, ex ipso inueniantur decorati vocabulo, longè constituti à Christianorum proposito, & alienati à recta & immaculata Fide. & post pauca: Si quis præterierit præsentem nostram sanctionem, & Theodoro & Nestorio assenserit, & illorum socios imitatur, post gladij vltionem omnis eius substantia Fisco addicatur. Rursum contra errores illius piæ recordationis Theodosius & Valentinianus legẽ promulgantes, inquiunt: Nemo habeat, aut legat, aut scribat, aut proferat Nestorium, seu illius libros, vel codices omnino inutiles, vel ipsius Nestorij vel alterius, & maximè Nestorij aduersus solos Christianos conscriptos, aut Theodori, sed vnusquisque habens tales codices publicè illos proferat, & in conspectu omnium igni tradat.

D E

Et si adhuc fortasse post tot prolatas Patrum contra illum sententias vestra fraternitas dubitat, Theodoreti libros legat, in quibus dum contra Cyrillum Alexandrinæ vrbis Antistitem eum defendere nititur, verius accusat, dicens: Interpretationem Cyrillus accusat octaui Psalmi, & arguit hæc verba diuini Theodori: Consideremus igitur, quis est homo, de quo stupescit & miratur quòd vnigenitus dignatus est eius memoriam & visitationem facere. Sed quod quidem non dictum est de omni homine, in superioribus demonstratum est; quod autem de vno quolibet, ex hoc certum est. Deductas itaque tot testibus blasphemias has eius esse quis dubitat? Et tantis blasphemiis illius cognitis, eum damnatum iure, quis neget? Discusso ergo primo de Theodori damnatione capitulo,

nunc

A nunc ad dicta epistolæ Theodoreti indaganda transeamus, cuius tota series si solerter aspicitur, sanctæ Chalcedonensi Synodo quàm sit aduersa pensatur. In Gestis namque eiusdem Synodi & scriptis Leonis Cyrillus prædicatur, in epistola verò illa Theodoreti Cyrillus in Apollinaris dogma corruens reprobatur: scriptum quippe in ea est: Cyrillus autem libros Nestorij volens destruere lapsus est, & inuentus est in Apollinaris dogma cadens; in Gestis Nestorius vt Redemptoris nostri aduersarius iure damnatus ostenditur, verbis verò epistolæ damnatus iniustè memoratur. Sic quippe in ea dicitur: Antequam in Synodo aduenirent reuerendissimus ac sanctissimus Archiepiscopus Ioannes, Nestorium ex Episcopatu deposuerunt iudicio & inquisitione non facta. In Gestis Synodi in Dei & Domini nostri vna persona duas naturas Cyrillus confessus ostenditur; in verbis epistolæ vnam naturam tradere dicitur; atque ab hoc sensu correptus vix resipuisse narratur. In
B gestis Synodi anathematizatus Nestorius etiam post mortem dicitur; in verbis verò epistolæ etiam post depositionem suam, pro solo ciuium suorum odio ad ciuitatem suam non rediisse perhibetur, sic quippe illic scriptum est: Nestorius autem quia in suæ erat odio ciuitatis, & virorum qui in ea sunt maximorum, illuc reuerti non potuit. In Gestis ac definitionibus Synodi vnus Filius Iesus Christus dicitur; at iuxta doctrinam Theodori atque Nestorij Deus tacetur. Et in Gestis Synodi nusquam Theodorus veritatis doctor dicitur; in verbis verò epistolæ idem, cuius blasphemias suprà protulimus, veritatis doctor clamatur: qui nimirum si vera dixit, falsa erunt quæ de veritate Synodus protulit: Quisquis igitur qui epistolam quæ Ibæ dicitur, ostendere quod sit de Synodo nititur: quid aliud quàm gesta eiusdem Synodi destruere conatur? Si enim sibimetipsis diuersa sunt, nulla proculdubio auctoritate subsistent: quia quæ se impugnando destruunt, alios ædificare
C non possunt: si sibimetipsis diuersa sunt, nulla firmitate contualescunt, Domino attestante, qui ait: Regnum in se diuisum non stabit. Sed absit hoc, absit ab illo venerando Concilio, vt sibimet contraria sapiat: & vel superiora subsequentibus discordia præferat, vel inferiora præcedentibus impugnatura subiungat. Sancta enim fides, quæ vno illic spiritu accepta est, vno sensu credita, vna est & Fide prædicata. Idcirco in cunctis mundi partibus forma nostræ professionis facta est, quia in precantium vocibus sibimet ipsa dissimilis non est.

Sed cur tantummodo sanctam Chalcedonẽsem Synodum conuelli dicimus, si auctoritatem huic epistolæ reprobemus? Quæ nimirum si vera creditur, etiam tota sanctæ Ephesinæ Synodi fides ac reuerentia dissipatur. Hæc quippe ait, quòd in ea Cyrillus præmiorum medicamine sapientum oculos excæcauit. Quid ergo illic de veritate certum dicitur, vbi
D ipsa veritas sacerdotibus vendita esse perhibetur? Sed quis hoc dicere, quis hoc consentiat patienter audire? Reprobetur ergo vna epistola mentiens, ne vtraque sancta Synodus tantæ falsitatis crimen sustineat. vestræ fidei fundamentum tenemus, ne postquam sancta prima Ephesina Synodus quasi venalis arguitur, Chalcedonensis etiam (quod absit) culpa varietatis notetur: quæ vt in verbis suis quantæ sit concordiæ clareat, necesse est, vt vestra fraternitas vbi sit completa cognoscat. Omnes namque nouimus, quòd in Synodo numquam canones, nisi peractis definitionibus Fidei, nisi perfectis Synodalibus gestis habeantur, vt seruato ordine cùm priùs Synodus ad fidem corda ædificet, tunc per regulas canonum mores Ecclesiæ actusque componat. Vigilanti ergo cura respicite, quæ in sexta illius Actione sanctæ Fidei professio consummatur: moxque in septima ad institutionem iam fidelium regula canonum figitur. Vlterioribus verò Actionibus nihil de causa Fidei, sed sola negocia
E priuata versantur. quod cùm Responsales vestri ita esse ambigerent, curæ nobis fuit ex prolatis multis hoc codicibus demonstrare. Nos tamen hac de re numquam dubitari posse credimus, quia & eadem series sic se insinuat, vt credi aliter contradicat.

Primum quidem quia (sicut dictũ est) dum definita Fidei regula in Actione sexta ostenditur, ordo causæ indicat, vt in Actione subiuncta canonum forma sequeretur. Secundum verò est, quia & in Actionis sextæ terminum iam canonum norma prælibatur, dum illic à principe venerabilibus Episcopis dicitur: Aliqua sunt capitula quæ ad honorem vestræ reuerentiæ vobis reseruauimus, iustum existimantes, hæc à nobis regulariter per singula Synodum * firmari, & cetera. Prælibatione itaque sextæ Actionis ostenditur, quia iure * formari
constitutiones canonum nonnisi in Septima continentur. Quid enim supererat quod perfecta Fidei professione, fieret, nisi vt quorumdam fidelium actiones inlicitas sancta Synodus positis regulis iudicaret? quamuis si solerter aspicimus canonum regulas positas, non

ſicut putatur, in ſeptimæ, ſed intextas ſextæ Actioni inuenimus. Nam cùm in eiſdem A
Conſtitutionibus ſanciendis, non dies, non Imperium ponitur, non qui reſiderent, deſcribuntur: proculdubio cum non conſueto exordio cœptæ ſunt, quia præcedenti Actioni ſubnixæ ſunt demonſtrantur; quia verò in Actione ſexta Fidei cauſa perficitur, ipſa Epiſcoporum omnium generali ſubſcriptione declaratur. Nam qui poſt ſubſcripſerunt ſententiam, cuncta quæ de Fide agenda fuerant, finita teſtati ſunt. Vnde & in cauſis pòſt ſpecialibus nudis tantummodo verbis loquuntur, atque ea quæ decernentes dixerant, nulla ſuppoſita ſubſcriptione, firmauerunt. Quæ reuerendiſſimi Epiſcopi ita in Actione ſexta omnia quæ de Fide agenda fuerant, cognoſcebant: vt, ſicut illic ſcriptum eſt, clamarent: Supplicamus, dimitte nos, pie Imperator, dimitte nos: quodque non pro Fide, ſed pro ſpecialibus cauſis detenti ſunt, principali illic reſponſione monſtratur, B
cùm dicitur: Sacratiſſimus & piiſſimus dominus noſter Martianus Auguſtus ad ſanctam Synodum dixit: Laboraſtis multo ſpacio fatigationem perpeſſi: ſuſtinete autem tres aut quatuor dies adhuc, & præſentibus magnificentiſſimis iudicibus noſtris, ſingula quæcumque vultis mouete, competens adepturi ſolatium. Qui igitur ad ſingula quæque vellent motura retenti ſunt, licet quia nequaquam vltra Actionis ſextæ terminum pro Fidei cauſa reſtiterunt.

Sed cur de his extenſa ratione agimus, qui tanta prædeceſſoris noſtri beati Leonis auctoritate fulcimur? Ipſe namque, ſicut multa ſuperiùs epiſtolarum eius atteſtatione docuimus, Geſta multiplicia cauſarum ſpecialium reprobando, auctoritatem Synodi in ſola Fidei definitione conſtrinxit. Hinc eſt enim, quòd peracta Synodo, cunctas nobis ſuſpicionum nebulas tergens, apertè ad Maximum Antiochenæ ſedis Antiſtitem ſcribit, dicens: Si quid ſanè ab his fratribus quos ad ſanctam Synodum vice mea miſi, præter id quod ad C
cauſam Fidei pertinebat, geſtum eſſe perhibetur: nullius erit penitus firmitatis; quia ad hoc tantum ſunt ab Apoſtolica Sede directi, vt exciſis hæreſibus, Catholicæ eſſent Fidei defenſores: quicquid enim ad examen Epiſcopale defertur, poteſt aliquam diiudicandi habere rationem. Sed ſolent nonnulli dicere, hæc eum pro Anatolij Conſtantinopolitanæ vrbis Epiſcopi præſumptione dixiſſe: qui ſi & res geſtas, & ea quæ nunc protulimus epiſtolæ verba conſiderant, ſuſpicari protinus falſa ceſſant. namque cùm prædictus Conſtantinopolitanæ vrbis Epiſcopus nouum aliquid conatur arripere, conſtat illic ei Legatos Sedis Apoſtolicæ cum ſumma auctoritatis libertate reſtitiſſe. Quod & factum in Synodo legitur, & eiuſdem Synodi ad præfatum prædeceſſorem noſtrum epiſtolis approbatur. à ſæpefato autem eodem prædeceſſore noſtro ad Maximum, ſicut prædiximus, nouimus ſcriptum: Si quid ſanè ab his fratribus, quos ad ſanctam Synodum vice mea miſi, præter id quod ad cauſam D
Fidei pertinebat, geſtum eſſe perhibetur, nullius erit penitus firmitatis: quia ad hoc tantùm ſunt ab Apoſtolica Sede directi, vt exciſis hæreſibus, Catholicæ eſſent Fidei defenſores. Si ergo de Anatolij cauſa loquens, hoc quod à vicariis ſuis actum in Synodo fuerat redarguit: nimirum quia contradixerant, reprehendit.

Et quis hæc vel ſtultus ſentiat? dum conſtet quòd hac de re beatus Leo Anatolio conquerenti multa in vicariorum ſuorum, quia contradixerant, laude, reſcribat: cuius epiſtolæ nunc idcirco verba non ponimus, ne volumen hoc immoderatiùs extendamus: cùm verò & ſubiicitur: Quicquid enim præter ſpeciales cauſas ſynodalium Conciliorum ad examen Epiſcopale defertur, poteſt aliquam diiudicandi habere rationem: apertè nobis licentia tribuitur, vt quicquid illic extra Fidei cauſas de perſonis geſtum eſt, retractetur. Specialis quippe ſynodalium Conciliorum cauſa eſt Fides. quicquid ergo præter Fidem agi- E
tur, Leone docente, oſtenditur, quia nihil obſtat, ſi ad iudicium reuocetur. Quia verò & apud eoſdem Epiſcopos qui in Chalcedona reſiderunt, in veneratione Synodus nonniſi vſque ad Fidei definitionem fuit: per hoc apertè oſtenditur; quòd plerique Græci antiquiores continere Synodum nonniſi in ſex actionibus, ſubiunctis canonibus, demonſtrantur, vt omnino cetera quæ priuato ſtudio fuerant mota, non habeant. Vnde & Encyclia hæc ita eſſe teſtantur. Nam Leoni Auguſto Alipius Epiſcopus Cæſareæ Capadociæ ſcribens ait: Sic ſe habentibus veſtræ pietati ſignifico, quia ea quidem quæ particulariter examinata ſunt, & quæ geſta à ſanctis Epiſcopis in Chalcedonenſi ciuitate collectis, non legi: neque enim à ſanctæ memoriæ tunc Epiſcopo Thalaſſio, qui interfuit ſancto Concilio, hæc delata inſpexi. Atteſtante ergo Alipio Epiſcopo perdocemur, quod non aliquid eſt allatum amplius ex his quæ geſta noſcuntur, ſed tantummodo definitionem expoſitam ab illo

A ab illo sancto Concilio hanc delatam inspexit. Attestante ergo Alipio Episcopo perdocemur, quia præter causam fidei nihil de Synodo in veneratione Thalassius tenuit: qui illic & præter causam fidei Episcoporum negociis priuatis interfuit. Si igitur in Actione sexta professio fidei consummatur, moxque canonum regula figitur; si beatus Leo negociis, quæ illic priuatè mota sunt, contradicit, si hoc quod vltra fidem gestum est, nec is qui fecit Thalassius tenuit: cur nos hæreticam epistolam retractasse reprehendimur, qui hac in re cunctorum nos præcedentium auctoritate roboramur? Et quamuis ab eadem epistola alienum se Iba respondeat; quamuis quia approbata sit, aut difficulter, aut nullatenus demonstretur: licenter tamen vnusquisque eam reprehenderet, etiamsi Episcopi in eodem Concilio residentes suis illam subscriptionibus approbassent: quia postquam, beato Leone scribente, ius retractandi & diiudicandi conceditur, etiam si qua esse poterat eorum qui interfuerant,
B in priuatis negociis auctoritas vacuatur.

Discusso itaque secundo capitulo, tertium supererst: quod tanto debemus in breuitate constringere, quanto & vos nobis hac in re non credimus resultare. neque enim Theodoreti omnia scripta damnamus, sed sola quæ contra duodecim Cyrilli capitula, sola quæ contra rectam fidem aliquando scripsisse monstratur. quæ tamen & ipse damnasse cognoscitur, qui in sancta Chalcedonensi Synodo vera confessus inuenitur. Nam quomodo post errorem rectè sapiat, & ea quæ priùs scripserat, & ea quæ in Chalcedonensi Synodo ab illo sunt gesta, manifestant. Ipse namque Nestorio scribens ait: In his quæ in tuam veneration nem iniustè atque iniquè prolata sunt, nec si mihi quis vtramque manum abscideri, potero præbere consensum. Aemerio quoque Nicomediæ Episcopo scribens ait: Damnationi venerandi sanctissimi Episcopi Nestorij quæ facta dicitur, non debemus præbere consen-
C sum. Ad Alexandrum quoque Hieropolitanum Episcopum scribens ait: Et antè tuæ sanctitati prædixi, quasi domini mei venerabilis & sanctissimi Episcopi Nestorij fuerit dogma damnatum, nec ego, cum his qui faciunt, communicabo. Ad Alexandrum verò Syriæ Palæstinorum Præsulem scribens ait: Existimo præ omnibus maximè satisfactum esse domino meo sanctissimo ac venerando Ioanni Episcopo, quòd nullatenus acquiescam in damnatione domini mei sanctissimi & venerandi Nestorij Episcopi præbere consensum, quæ in Tharso & in Epheso facta est.

Qui postmodum tamen cum resistentium certamine sancto Chalcedonensi Concilio admissus, apertè anathema in Nestorium protulit; seque Orthodoxum ipso hæretico reprobato monstrauit. Dudum namque sanctæ Ecclesiæ diuersa sentiens, & contra beati Cyrilli duodecim capitula scribens ait: Sanctam Virginem Theotocam vocamus, non
D quòd Deum peperit per naturam, sed quòd hominem ediderit coniunctum Deo, quem ipse formauit. & post pauca: Si naturalis coniunctio facta est formæ Dei & formæ seruili, & inuenietur legislator necessitatibus legis seruiens. Et rursum, nomine communicationis vtentes, vt vnum quidem Filium adoramus, & eum qui assumpsit, & eum qui assumptus est; differentiam tamen cognoscimus naturarum. Theophoron autem dicere portans vel Dominum indutus hominem Christum, vt à multis sanctis Patribus dictum est non recusamus. & post alia: Considerate, inquit Apostolus[a], Pontificem confessio- [a] *Hebr. 3.*
nis vestræ Iesum fidelem ei, qui fecit illum, sicut & Moyses in omni domo sua. Facturam autem eum quis esse dixerit recta sentiens: increatum & cum Patre coæternum, & addam, verum: sed eum qui est ex semine Dauid, qui liber ab omni peccato Pontifex noster fuit, & victimam ipse se pro nobis obtulit Deo habens in se certè Dei verbum
E adunatum sibi inseparabiliterque coniunctum. Et rursum, vt eum quasi ostenderet ad Diuinitatem per incrementa creuisse, in eodem opere subiungit dicens: Ait Angelus[b] [b] *Lucæ 1.*
Virgini: Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi: ideoque quòd nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei. Considerate hic etiam, quia cuncta humanitus dicuntur: Erit, inquit, magnus, non dixit, est: & Filius Altissimi vocabitur, non dixit, vocatur: & dabit ei Dominus sedem Dauid patris sui, non dixit, habet, sed dabit ei Dominus. & regnabit, non dixit, regnat. & super quos? super domum Iacob, non dixit, super Angelos & Archangelos. Rursum in eodem libro secundo ait[c]: [c] *Lucæ 4.*
Iesus autem Spiritu sancto regressus est à Iordane. & iterum: Regressus est Iesus in virtute Spiritus in Galilæam, non Dei verbum cooperatione vel auxilio eguisse Spiritus sancti arbitreris, sed visibile templum variis sancti Spiritus donationibus fruebatur. Et post alia: Iesus Christus, inquit, [d] heri & hodie ipse & in sæcula. Quomodo igitur, ô sapientissimi, [d] *Hebr. 13.*

debemus aduertere, quomodo idem ipse heri & hodie & in sæcula, & temporaliter & æternus, & in tempore & super tempora; nam si æternus est, temporalis non est, & si in tempore est, super tempus non est. & rursum: In Domino Deo nostro Iesu Christo deitatis & humanitatis quasi vnitatem adstruens ait: naturas discernimus Dei Verbi. naturam integram dicimus & personam sine dubitatione perfectam: nec enim sine persona fas est asseuerare substantiam, perfectam quoque humanam naturam cum sua persona similiter confitemur. Cùm verò ad coniunctionem respicimus, tunc demum vnam personam meritò nuncupamus. A

Quis hæc, fratres carissimi, plena omni impietate non videat? A quibus tamen constat, quòd si postmodum ipse correxit qui in sancta Chalcedonensi Synodo Nestorium anathematizare consensit. Quis non videat quanta temeritate plenum sit, Theodoreti scripta superbiendo defendere? quæ eumdem ipsum constat, recta pòst profitendo, damnasse? Dum verò eius & personam recipimus, & ea quæ dudum latuerant prauæ scripturæ probamus, in nullo à sanctæ Synodi actione deuiamus: quia sola eius hæretica scripta respuentes, & cum Synodo adhuc Nestorium insequimur, & cum Synodo Theodoretum profitentem recta, veneramur. Alia verò scripta illius non solùm recipimus, sed eis etiam contra aduersarios vtimur. Nam cùm Theodorus Canticorum Canticum vellet exponere, & non ad commenta sed potiùs ad deliramenta laboraret: per hunc librum Æthiopissæ Reginæ blanditum fuisse, professus est. quod Theodoretus reprehendens, nomen quidem eiusdem Theodori supprimit, sed tamen vesaniam patefecit. Eiusdem namque libri commenta conscribens ait: Audio plures Canticũ Canticorum detrahentes, & non credentes spiritalẽ esse librum; fabulas autem quasdam aniculares per vesaniam texẽtes componere, & præsumere dicentes: quia sapiens Salomon ad seipsum & filiam Pharaonis hunc librum conscripsit. Quomodo ergo nulla scripta eiusdem Theodoreti recipimus, qui illum etiam contra Theodorum adsertorem veritatis inuenimus? hæc ad scripta vestra respondemus. B C

Sed opportunum valde iudicamus, vt ea quæ sine scripto à responsalibus vestris audiuimus, breuiter verba replicemus. Dixerunt enim, Theodorum à Ioanne Antiochenæ vrbis Episcopo mira per epistolam attestatione laudatum. quod verum nos nullo modo credimus. Si tamen & tale aliquid fortasse reperitur: plus fidei primæ Ephesinæ Synodo, plus Cyrilli libris, plus Hesychij, quàm aliis quæ innotescere nunc vsque nequiuerunt, epistolis commodamus. Debemus tamen accedere, etiam concedentes aliquid dicere. ita ergo vt Responsales vestri asserunt, esse sentiamus. Vos scitis, fratres dilectissimi, quod res quæ dubietati subiacet, in partem semper est interpretanda meliorem. quid itaque obstat, si dum de eius errore occultum adhuc & dubium fuit, ab vno Patre laudatus est: & innotescente pòst perfidia, penè omnium magnorum Patrum sententiis velut immanis bestia quasi crebrescentibus iaculis est confossus? An non & malos à bonis aliquando laudatos nouimus? nec tamen eisdem laudibus defensos. Quid namque in Hæresiarchis Origene deterius, & quid in Historiographis inueniri Eusebio honorabilius potest? Et quis nostrum nesciat in libris suis quantis Origenem Eusebius præconiis attollat? Sed quia sancta Ecclesia suorum fidelium corda benigniùs quàm verba districtiùs pensat: Et plus in hæreticis sensum proprium, quàm testatio Eusebij absoluere potuit: nec rursum Eusebium laudati Origenis culpa damnauit. D

An non & Gregorius Nyssæ vrbis Episcopus cùm Canticorum Canticum exponit, magnis Origenem laudibus præfert? An non & Hieronymus nostræ Ecclesiæ presbyter & singularis Hebræi sermonis interpres tanto erga Originem fauore intenditur, vt penè discipulus esse videatur? Sed quia plus causa quàm verba pensanda sunt, nec istis sua benignitas nocuit, nec illum à reatu proprio fauor alienæ attestationis excusauit. E

[a] *Rom.* 10. Cogor pòst hæc, fratres carissimi, dolens cum [a] Paulo dicere: Testimonium perhibeo vobis, quod æmulationem Dei habetis, sed non secundum scientiam: cuius erga vnitatem sanctæ Ecclesiæ dum viscera caritatis aspicio, discordes vos intolerabiliùs ingemisco. Pen-

[b] *Philip.* 2. sate, quæso, quo ardore sanctæ vnitatis anhelabat cùm Philippensibus diceret: [b] Si qua consolatio in Christo, si quod solatium caritatis, si qua societatis spes, si qua viscera & miserationes, implete gaudium meum, vt idem sapientes, eamdem caritatem habentes, vnanimes, idipsum sentientes. Qui igitur vnanimitatem locuturus, tot & tales inquisitiones præmisit: quantum esset huius virtutis meritum, non explendo, sed inquirendo monstrauit.

At

A At contrà quàm sit malum discordiæ, loquens Corinthiis ostendit. ait enim [a]: Significatum est mihi de vobis, fratres mei, ab his qui sunt Chloes, quia contentiones sunt inter vos: hoc autem dico, quod vnusquisque vestrum dicit, Ego sum Pauli, ego autem Apollo, ego verò Cephæ, ego autem Christi. Quod cum quanta animaduersione loquatur, agnoscimus, si subiunctæ increpationis verba pensamus. ait enim: Diuisus est Christus? numquid Paulus crucifixus est pro vobis, aut in nomine Pauli baptizati estis? [a] 1. Cor. 3.

Considerate igitur, fratres mei, & dum Deo adhuc expectante, omni incerto vitæ fine permittimur, vigilanti cura perpendite, quia illam scissionem sanctæ Ecclesiæ pro Theodoro facere fraternitas vestra non metuat, quàm pro se vel profiteri Paulus expauit. Cur non ad memoriam pro vnitate seruanda beati Augustini dictum reducitur? qui dum de vnico baptismate loqueretur, idcirco Cyprianum martyrem, qui de iterando baptismate scripse-
B rat, defunctum perhibuit: quia licet prauum quid sensserit, numquam tamen se à totius Ecclesiæ communione suspendit. Sic igitur permanere in sanctitate * seruante constat fratres dilectissimi, quia dum vos ab Ecclesiæ vnitate disiungitis, omne virtutis meritum perdidistis, etiam si rectè teneatis: scriptum quippe est: [b] Pacem sequimini cum omnibus & sanctimoniam, sine qua nemo videbit Dominum. * [b] Hebr. 12.

Multa loquuti sumus, quia & ad multa ratiocinando respondimus: Et cùm testimonia ex Patrum dictis innumera suppeterent, perpauca posuimus: videlicet cupientes vt scripta nostra in causis singulis narratio breuiata succingeret, ne fortasse tædium legenti generarent. Vnum tamen quod iam superiùs diximus, non tædet si etiam crebrò replicemus: Quia fidem sanctæ Chalcedonensis Synodi illibatam per omnia Deo auctore seruamus, eiusque definitiones, sicut Ephesinæ, primæ Constantinopolitanæ, ac Nicænæ Synodi irre-
C tractabiles nunc vsque tenuimus, & vel morte proposita irretractabiles custodimus. Vestra igitur dilectio communionem fidelium Orthodoxorum fratrum non fugiat, ne præsentis vocis nostræ adiutorium si audire neglexerit, contra se in testimonium vertat. Nos autem ad Dominum post verba recurrimus, eumque quantum possumus fletibus exoramus, vt hoc quod vobis ad sequendam concordiam à nobis dicitur, ipse in vestris mentibus manu intimæ inspirationis operetur.] hactenus vltima aduersus schismaticos Gregorij epistola, Pelagij Papæ iussu nomineq; conscripta, nunc primùm edita, quam & vnà cum aliis duabus superiùs recitatis in recentiori, quæ paratur, eiusdem Gregorij Papæ epistolarum editione, cudendam dedimus.

PELAGIVS PER EXARCHVM SCISMATICOS EXAGITAT.

Cùm autem adhibitum benè præparatum à Gregorio aduersus schismaticos pharmacum malè affectis animis schismaticorũ Papa Pelagius minimè profuisse cognouisset; eos-
D dem per secularem potestatem cohibere conatus est, imitatus Pelagium Pontificem Seniorem, qui eosdem (vt vidimus) per Narsetem Ducem compescere laborauit. Itaque aduersus ipsos Smaragdum Italiæ Exarchum Rauennæ degentem excitauit: qui haud impiger eosdem coercere aggressus est, nec cessauit quousque depascentem Ecclesiam morbum illum auferret penitus ex iis regionibus. Rem verò gestam sic narrat Paulus [c]: Smaragdus Patricius veniens de Rauenna in Gradum, per semetipsum è basilica extrahens Seuerum, Rauennam cum iniuria duxit cum aliis tribus ex Istria Episcopis, Ioanne Parentio *, Seuero, atque Vindemio: quibus cõminans exilia, atque violentiam inferens, communicare compulit Ioanni Rauennati Episcopo Trium capitulorum damnatori: qui à tempore Papæ Vigilij & Pelagij à Romanæ Ecclesiæ deciderat societate. Exacto verò anno, è Rauenna ad Gradum reuersi sunt. Quibus nec plebs communicare voluit, nec ceteri Episcopi eos rece-
E perunt.] hæc de conatu Exarchi Smaragdi Paulus. Quòd igitur exacto anno hi permissi sunt ad suas redire Ecclesias, indicatur eos assensum præbuisse Catholicæ veritati, & cõiunxisse se, à qua diuisi schismate erant, Romanæ Ecclesiæ: nam de Seuero id affirmat S. Gregorius Papa [d] in epistola ad ipsum scripta anno primo sui Pontificatus. Sed quomodo (quod idem testatur) ad vomitũ sit reuersus, suo loco dicemus. Hæc autem sub Exarchõ Smaragdo hoc anno cœpta, sequẽti absoluta fuisse oportuit: siquidem Exarchatus Smaragdi exordium ponitur anno quingentesimo octogesimoquarto, ac triennio tantúmodo perdurasse. [c] Paul. diac. de gest. Longob. lib. 3. c. 12. * Parentino [d] Greg. lib. 1. epist. 16.

ERROR PAVLI ET RECENTIORVM HIST.

Sed hic lector attendat, grauissimè in errorem lapsum (quod attigimus) Paulum diaconum, aliis errandi occasionem fuisse, dum putauit damnatores Trium capitulorum eosdem fuisse ab Ecclesiæ communione extorres, vt dum de Ioanne Rauennate asserit, eo quòd Trium capitulorum damnator extiterit, à Romanæ Ecclesiæ communione excidisse: adeò vt planè conuincatur ipse Paulus de Tribus capitulis historiam minimè assecutus fuisse,

fuisse, quæ ex superioribus dictis, & iis quæ S. Gregorius Papa pluribus tradit epistolis, satis A
perspicua inspiciẽtibus redditur: nam penitus contrarium accidit. In quem errorem lapsos
[a] *Sigon. de Reg Ital. lib. 1. & Hieron. Rub. lib. 4. hist.* vidimus recentiores historicos [a] & quidem dissertos viros Paulum errantem secutos:
ex quo factum est, vt in deuium semel immisso pede, iidem implicati teneantur aliis
multis erroribus, vt cùm dicunt Ioannem Rauennatem Episcopum aduersus Romanam
Ecclesiam rebellasse, atque Smaragdum Exarchum aduersus Catholicos Episcopos conci-
tasse, & alia huiusmodi veritati contraria: nam ita in re tanta à vero exorbitantes, vix credi
potest, in quot sint abducti mendacia, nec quidem leuis momenti, dum qui fuerunt Ca-
tholici collocant inter schismaticos, schismaticos verò inter Catholicos numerant, & per-
secutorem vocant Exarchum Smaragdum, qui schismaticos zelo pietatis exagitauit. Sed
ad alia transeamus.

In Galliis hoc anno ex hac vita decessit sancta Disciola virgo sancti Saluij Episcopi Al- B
bigensis neptis, monialis in monasterio sanctæ Radegundis Reginæ Pictauis existentis: in
[b] *Greg. Turõ. hist. Franc. lib. 6. cap. 29.* cuius transitu quæ admiranda effulserunt sanctitudinis signa, narrat pluribus [b] Gregorius
hoc ipso anno, qui est octauus Childeberti Regis.

IESV CHRISTI ANNVS 587. PELAGII PAP. II. ANNVS 10. MAVRITII IMP. ANNVS 2.

ADsunt Ianuarij Kalendæ anni Redemptoris quingentesimi octogesimiseptimi, Indi- C
ctionis quintæ, cùm secundum in Imperio annum Mauritius ageret, quo Consula-
tum absque collega susceperit, vt ita reliqui eius Imperij à primo Consulatu nomen multi-
plicato numero sortirentur: quod factum reperies apud volumen epistolarum S. Gregorij,
in cuius libri secundi exordio septimus numeratur annus à Mauritij Consulatu.

DE TEMPORE SYNODI CONSTANTINOPOLITANAE. Hoc ipso anno à Ioanne Episcopo Constantinopolitano celebrata est Synodus in causa
Gregorij Episcopi Antiocheni. De hac nos acturi, primum omnium, vt ex more rationem
temporis sartam tectam in omnibus relinquamus, plura sunt quæ hoc anno eam habitam
Synodum docent: atque in primis dum S. Gregorius decimatertia Indictione numerat à
tempore huius Synodi annos octo: nam scribens ad Eulogium Episcopum Alexandrinum
[c] *Greg. lib. 4. Indict. 13. epist. 36.* dicta Indictione decimatertia, hæc habet [c]: Ante annos siquidem octo, sanctæ memoriæ
Pelagij prædecessoris mei tempore, frater & coepiscopus noster Ioannes in Constantinopo-
litana vrbe ex causa alia occasionem quærens, Synodũ fecit, in qua se Vniuersalem appella- D
re conatus est. Quod mox idem decessor meus vt agnouit, directis litteris, ex auctoritate
S. Petri Apostoli eiusdem Synodi Acta cassauit: quarum videlicet epistolarum sanctitati
vestræ exemplaria studui destinare. Diaconem verò qui iuxta morem pro responsis Eccle-
siæ faciendis piissimorum dominorum vestigiis adhærebat: cum præfato sacerdote nostro
Missarum solemnia celebrare prohibuit.] hæc Gregorius de tempore Synodi, & rebus in
[d] *Euagr. lib. 6. c. 7.* ea gestis. Idem insuper redditur certum tempus ex sententia Euagrij [d], dum numerat an-
nos sexaginta & vnum à tempore memorabilis illius terræmotus, quo Antiochena ciuitas
prostrata est anno Domini quingentesimo vigesimosexto, vsque in hunc annum, quo post-
quam Gregorius Antiochenus Episcopus è Synodo reuersus est, iterum contigit eamdem
ciuitatem eadem funesta clade vexari. Hæc quo ad tempus satis.

DE CAVSA GREGORII EPISC. ANTIOCHENI. Quod verò pertinet ad Gregorij Episcopi Antiochiæ causam, quam ad suos explendos E
affectus Ioannes Constantinopolitanus Antistes (vt ex Gregorio Papa vidimus) stultè præ-
[e] *Euag. lib. 6. cap. 7.* texuit; hîc recitemus quæ Euagrius de ea habet in hæc verba [e]: Cùm Asterius Orientis ge-
reret Præfecturam, & contentio inter eum & Gregorium orta esset: primùm omnes pri-
mores ciuitatis Asterij partibus se addixerunt: deinde adiuncti sunt etiam ei qui populares
erant & artes exercebant in ciuitate (singuli enim se aliquid damni à Gregorio accepisse
affirmabant) postremò verò plebi, vt conuicia in Gregorium iaceret, permissum erat. Am-
bo igitur & optimates & populares in eamdem cum plebe quasi pedibus iere sententiam;
& cum in plateis, tum in theatro probra & contumelias in Episcopum Gregorium intor-
quere non cessauere. Quinetiam ne à scena quidem talis abfuit petulantia. Quapropter
Asterius abdicatur Præfectura, ad quam administrandam Ioannes eligitur: cui Imperator
dat mandatum, vt de seditione illa accuratè inquireret.

Hic

A Hic Ioannes vir sanè erat nec ad minima quidem negotia procuranda, nedum ad tam grauem susciendam prouinciam idoneus. Itaque cùm ciuitatem tumultu ac seditione refersisset, edictumque publicasset, cuique liberum esse pro arbitratu suo Episcopum insimulare: libellum contra eum ab Argentario quodam accepit, quo accusabatur cum propria sorore alteri viro in matrimonium data rem habuisse. Recepit item ab aliis eius generis hominibus, quòd prosperum ciuitatis statum non semel, sed sæpiùs labefactarat. At Gregorius cùm de eo se purgauit crimine, tum de aliis ad Imperatorem & Concilium pro- GREGORIVS
uocauit. Me igitur cum eo assiduè versante, præsenteque, iter capit Constantinopolim de ABSOLVTVS.
criminibus hisce se purgaturus. At cùm Patriarchæ omnes partim per se, partim per vicinos quæstioni de Gregorio habitæ interessent; ac causa esset coram sacro Senatu & multis sanctissimis primarum vrbium Episcopis cognita: post multas & graues contentiones se-
B cundùm Gregorium sententia promulgata est, vt eius accusator acriùs excruciatus & circum ciuitatem actus, exilio mulctaretur. Itaque Gregorius ad suam reuertitur sedem.] hactenus Euagrius de causa Gregorij Episcopi: sed (vt diximus) hi erant Ioannis Constantinopolitani prætextus cogendæ Synodi, re vera autem vt illud de nomine Oecumenici adimpleret, quod ex animi sententia omnino perfecit.

Cùm hæc autem in Synodo Constantinopoli esse acta Pelagius Pontifex Romanus ac- PELAGIVS
cepisset; cuncta delenda esse præter sententiam pro Gregorio latam, datis ad Ioannem IRRITAM
Constantinopolim litteris scripsit; & Archidiacono suo illic agenti, vt irrita cuncta redde- REDDIT SY-
ret, præcepit. Id quidem tum ad Eusebium Episcopum Thessalonicensem (vt dictum est) NOD. CON-
scribens S. Gregorius testatus est, tum etiam in epistola quam postea ad ipsum Ioannem STANTINO-
dedit, affirmat. sunt in epistola ad Ioannem hæc verba[a], dum exprobrat ipsi quam præse- POLITA-
C tulit hypocrisin: Qui enim (inquit) indignum te esse fatebaris, vt Episcopus dici debuis- NAM.
ses: ad hoc quandoque perductus es, vt despectis fratribus, Episcopus appetas solus vocari. Et quidem hac de re sanctæ memoriæ decessoris mei Pelagij grauia ad sanctitatem vestram scripta transmissa sunt: in quibus Synodi, quæ apud vos de fratris quondam & consacerdotis nostri Gregorij causa congregata est, propter nefandum elationis vocabulum Acta dissoluit; & Archidiaconum, quem iuxta morem ad vestigia dominorum transmiserat, Missarum vobiscum solemnia celebrare prohibuit.] hæc Gregorius de rebus tunc à Pelagio Papa gestis.

[a] *Greg. lib. 4. epist. 38.*

Affirmat hoc ipsum in dicta epistola ad Eusebium Episcopum Thessalonicæ, vbi de Actis eiusdem Synodi ex parte abolitis ab ipso Pelagio, integris remanentibus quæ in causa Gregorij Antiocheni acta fuissent, hæc ait[b]: Cognoscat siquidem fraternitas vestra, Ioan- [b] *Greg. lib. 7.*
D nem quondam Constantinopolitanæ Ecclesiæ Antistitem contra Deum, contra pacem *epist. 69.*
Ecclesiæ, in omnium despectum & iniuriam sacerdotum, modestiæ & mansuetudinis terminos excessisse, & illicitè in Synodo superbum ac pestiferum Oecumenicon, hoc est, Vniuersalis sibi vocabulum vsurpasse. Quod beatæ recordationis Pelagius decessor noster RATA HA-
agnoscens, omnia Gesta eiusdem Synodi, præter illa quæ illic de causa venerandæ memo- BITA LATA
riæ Gregorij Episcopi Antiocheni sunt habita, valida omnino districtione cassauit, distri- SENTENTIA
ctissima illum increpatione corripiens, vt se à nouo & temerario superstitionis nomine co- PRO GRE-
hiberet: adeò vt suum illi diaconem (nisi tantum nefas emendaret) procedere prohi- GORIO AN-
beret.] hæc ibi. Erat magnæ indicium inflictæ pœnæ, prohibere ne diaconus Apocrisa- TIOC. EPI-
rius in sacris cum Ioanne communicaret: significabatur enim his symbolis, ipsum Con- SCOPO.
stantinopolitanum Episcopum reiectum esse à communione Apostolicæ sedis. Sed par
E est hîc ipsas Pelagij litteras recitare.

Cùm igitur Pelagius Papa accepisset in Synodo Constantinopolitana (vt vidimus) hoc anno habita ipsum Ioannem Episcopum Constantinopolitanum Oecumenici nomẽ vsurpasse, continuò aduersus eum datis litteris, quæ in dicta Synodo facta sunt ad eam rem spectantia, irrita reddidit. Extant ipsæ litteræ omni memoria dignissimæ, quæ vt Christiano orbi innotescerent, exemplar ipsarum S. Gregorius[c] Papa successor ipsius Pelagij misit [c] *Greg. lib. 4. Indict. 13. epist. 36.*
ad Eulogium Episcopum Alexandrinum. Datæ illæ quidem habentur ad omnes Episcopos, qui eidem Synodo interfuerunt, vt ipsarum docet inscriptio, quæ est eiusmodi[d]: [d] *Pelag. epist. 1. tom. 1. epist. Rom. Pont.*

Dilectissimis fratribus vniuersis Episcopis, qui illicita vocatione Ioannis Constantinopolitani Episcopi ad Synodum Constantinopolim conuenerunt, Pelagius.] cur autem illicita vocatione conueniisse dicat, ipse in contextu epistolæ declarat, quæ sic se habet:

Manifesto (sicut optauimus) per gratiam Dei, lumine Euangelicæ veritatis, ab vniuersali

Ecclesia

PELAGII PP. EPIST. AD EPISCOPOS AD SYNODVM VOCATOS.

Ecclesia pernicioſiſſimi erroris nocte depulsa, ineffabiliter gaudemus in Domino: sed non modico contriſtamur mœrore, quia ea, quæ olim calcata fuerant & funditus damnata, nec vmquam fieri debuerant, rediuiuis radicibus germinant atque pullulant.] calcata dicit atque damnata, reſpectum habens ad ea quæ S. Leo Papa ſcripſiſſet ad Anatolium Conſtantinopolitanum Epiſcopum, & Gelaſius in Acacium (vt ſuis locis abundè ſuperiùs dictum eſt) cùm ſe ſuper omnes collegas Patriarchas Epiſcopus Conſtantinopolitanus erigeret. Sed pergit: Et quoniam multa quæ pœnitudinem poſſunt generare, prouenium: neceſſe eſt ea caſſare, quæ contra ordinem & omnẽ auctoritatem facta eſſe noſcuntur. Vnde fratres, reiecta penitus audacia, quæ contra Apoſtolicam ſedem, & contra ipſam Domini Saluatoris noſtri vocem, qua dictum eſt: Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam: ſumpta eſt diſputandi contra Domini præcepta, vana errantium corda conquieſcant; nec liceat defendi, quod non liceat agere. A B

TANTVM ESSE ROMANI PONTIFICIS GENERALEM SYNODVM CONGREGARE.

Relatum eſt ad Apoſtolicam ſedem, Ioannem Conſtantinopolitanum Epiſcopum Vniuerſalem ſe ſubſcribere, voſq; ex hac ſua præſumptione ad Synodum conuocare generalem: cùm generalium Synodorum conuocandi auctoritas Apoſtolicæ ſedi beati Petri ſingulari priuilegio ſit tradita: & nulla vmquam Synodus rata legatur, quæ Apoſtolica auctoritate non fuerit fulta. Quapropter quicquid in prædicto veſtro conuenticulo (quia Synodus taliter præſumpta eſſe nõ potuit) ſtatuiſtis ex auctoritate S. Petri Apoſtolorum Principis, & Domini Saluatoris voce, qua beato Petro poteſtatem ligandi atque ſoluendi ipſe Saluator dedit; quæ etiam poteſtas in ſucceſſoribus eius indubitanter tranſiuit: præcipio omnia quæ ibi ſtatuiſtis, & vana & caſſata eſſe; ita vt deinceps numquam appareant, nec ventilentur. Etenim ipſe Saluator beato Apoſtolo Petro, tamquam ipſa per ſe veritas loquitur, dicens[a]: Quæcumque ligaueris ſuper terram, erunt ligata & in cælo: quæcumque ſolueris ſuper terram, erunt ſoluta & in cælo. Multis denuo Apoſtolicis & canonicis atque Eccleſiaſticis inſtruimur regulis, non debere abſque ſententia Romani Pontificis Concilia celebrari. Quapropter (vt iam dictum eſt) rectè non Concilium, ſed veſtrum conuenticulum, vel conciliabulum caſſatur, & quicquid in eo actum eſt, irritum habetur ac vacuum. Vos quoque deinceps, vt nullius hortatu talia præſumatis, ſi Apoſtolicæ ſedis communione carere non vultis. Modò verò ideo ſuſpenditur vltio, vt locum poſſit habere correctio.

[a] *Matt. 16.* C

QVAE PROPRESSI SINT EPISC. CONSTANTIN.

Prædeceſſores verò Ioannis, & ipſe Ioannes non ſemel, ſed ſæpiſſimè epiſtolas atque libellos propria manu ſubſcriptos ſanctis anteceſſoribus noſtris miſerunt, quibus coram Deo proteſtati ſunt, nihil vmquam proteruè contra Apoſtolicam ſedem agere, nec de illius aut aliorum priuilegiis quicquam vſurpare: qui hactenus in archiuo ſanctæ Romanæ Eccleſiæ ſub ſigillis ac chirographis eorum roborati habentur integri. In ipſis enim epiſtolis vel libellis anathematis vinculo ſe & ſucceſſores eorum conſtrinxerunt, ſi vmquam aliquid contra præſumſiſſent, aut contra Apoſtolicam, vel vllius alterius Epiſcopi ſedem quicquam aduerſi quoquo modo eſſent moliti. D

COMMINATIO DE INFERENDO ANATHEMATA.

Idcirco eos non eſt neceſſe excommunicare aut anathematizare: quia ipſi anathematis vinculo, propriis manibus profeſſiones ſuas, ſuaq; ſcripta roborando, conſtrinxerunt. Sciat ſe tamen & ipſe Ioannes, niſi errorem ſuum citò correxerit, à nobis excommunicandum fore, & Apoſtolicæ ſedis, atque omnium ſanctorum Epiſcoporum communione carere.

Vniuerſalitatis quoque nomen, quod ſibi illicitè vſurpauit, nolite attendere, nec vocatione eius ad Synodum abſque auctoritate ſedis Apoſtolicæ vmquam venire; ſi Apoſtolicæ ſedis ac cæterorum Epiſcoporum communione vultis frui. Nullus enim Patriarcharum hoc tam profano vocabulo vmquam vtatur: quia ſi ſummus Patriarcha Vniuerſalis dicitur, Patriarcharum nomen cæteris derogatur. Sed abſit hoc, abſit à fidelis cuiuſquam mente, hoc ſibi vel velle quempiam arripere, vnde honorem fratrum ſuorum imminuere ex qualicumque parte videatur. Quapropter charitas veſtra neminem vmquam ſuis in epiſtolis Vniuerſalem nominet; ne ſibi debitum ſubſtrahat, cùm alteri honorem offert indebitum.] E

† *Molinaum ſugillat auctor, aduerſus quem etiam Remondus Rufus*

Sed hîc, amabo te, ſiſte gradum, lector: ſpectaculum tuis oculis ingeram, vnde rideas. Ecce progreditur è cathedra Iuris profeſſor †, factus vno momento Theologus, atque veluti in ſcena mimus, mutatis veſtibus, ac ſuperinducta perſona, licentia hiſtrionica ſtatim vociferari incipit aduerſus Romanos Pontifices, quòd ſuper vniuerſalem Eccleſiam ſibi auctoritatem arroget ac nomen: ita raucè inclamans & obſtrepens tuba Nouantium, vt dormien-

A dormientes in cunis absterrere posset infantes. Ex recitatis enim modò Pelagij Papæ verbis, quibus ait neminem Patriarcharum vti debere nomine Vniuersalis, ipse mox infert, primatum esse in Ecclesia non debere, ac proinde contra Pelagij assertam sanctissimi Papæ sententiam Romanos Episcopos sibi super omnes Ecclesias vendicare primatum. O Cymmeriis tenebris offusam mentem!

egregium cõmentariũm scripsit, & duplicato scripto eius defensorem exagitat.

Sed ignoscendum misello nonnisi ex illatis in Gratiani [a] arcam fragmentis stipem mendicanti. Si enim ipsam hanc Pelagij integram epistolam perlegisset, in qua tot robustis sententiis elucet primatus Romani Pontificis; erubuisset certè, sensissetque damnum suum, nimirum ex suo egesto stercore instar turdi sibi viscum parasse. Sed accipe quot valida Pelagij Papæ in hac epistola sint de primatu Romani Pontificis prodita argumenta, atque firmatæ sententiæ. Primò quidem, dum habet Romanum Pontificem verum legitimumque

[a] *Cap. Nullus Patriarcharum. dist. 99.*

CONFVTATVR FORTITER NOVATOR IV. C.

B Petri Apostoli successorem; cumque addit à Christo in eum collata priuilegia, eadem in ipsius successorum redundare præstantiam. Secundò, dum firmiter asseuerat ius generalis Synodi conuocandæ, eiusque firmandæ, vnius esse tantùm Romani Pontificis. Tertiò, dum quæ acta ab ipsis essent in eadem Synodo vniuersali, re ipsa Pelagius ipse nullius esse præcipit auctoritatis. Quartò, dum iudicium in Orientis omnes Patriarchas exercet, sententiamque excommunicationis comminatur, si quid eiusmodi incõcessum præsumant. Quintò, dum disertis verbis affirmat, prædecessores eiusdem Ioannis Constantinopolitanos Episcopos sæpissimè (vt ait) epistolis scriptis, datisque libellis propria manu consignatis esse professos Romanorum Pontificum primatum, quem & numquam in posterum sub obtestatione diuinæ sententiæ labefactare polliciti sunt.

Sextò, dum in eumdem ipsum Ioannem Constantinopolitanum Patriarcham fulmen

C excommunicationis interminatur, nisi citò emendaret quod deliquisset. Septimò, dum inferiùs (vt audies) totidem verbis Romanam Ecclesiam à Domino esse institutam caput omnium Ecclesiarum affirmat. Octauò, dum praxis ostenditur de Orientalibus Patriarchis consulere consuetis Apostolicam sedem, atque ab ipsa de ambiguis expectare sententiam. Nonò, dum veteri consuetudine seruatum & Synodali decreto firmatum tradit, vt ex vniuerso Orbe maiores & difficiliores causæ ad sedem Apostolicam deferrentur. Decimò, dum eminentiori solio constitutus, lata sententia infames esse decernit, quicumque aduersus Patres armantur, veluti eorumdem inuasores & occisores. Vndecimò, dum ad calcem ait ipsos Romanos Pontifices in Ecclesia Catholica vindices canonum præsidere, eosdemque instaurare ac renouare quæ prauorum hominum essent labefactata conatu.] hæc ex Pelagij Papæ epistola, ex cuius fragmento abrogationem primatus Romanæ Eccle-

D siæ se elicuisse stultè vaniloquus existimauit.

Sit modò satis tot virgis verberatum è scena fugasse miserum Leguleium in Theologum ex improuiso conflatum, vanè existimantem ex animi libitu atque libidine maiore facilitate quempiam posse profiteri Theologum, quàm euadere Iuris peritum, cùm ad hoc perficiendum triduum sibi satis esse putarit Orator [b]. Quòd verò eadem leuitate atque etiam procacitate, qua Pelagium, Gregorium quoque Papam conatus est hæresis constituere assertorem: nos, quæ ex Gregorio citat, cùm res Gregorij prosequemur, in ipsum pariter retorquebimus. Cùm igitur tot firmissimis assertionibus Pelagius Papa in hac epistola sit promulgator atque assertor primatus Romanorum Pontificum: quis ingenio adeò obtusus non videat, ipsum, dum ait nullum Patriarcharum dici debere Vniuersalem, ad illos Orientales, ad quos scribit, habuisse respectum? Sed iam reliqua eius epistolæ prose-

[b] *Cic. pro Murena.*

E quamur: ait enim:

Aduersarius [c] namque noster diabolus, qui contra humiles sæuiens, sicut leo rugiens circuit quærens quem deuoret, non iam (vt cernimus) caulas circuit, sed ita validè in quibusdam Ecclesiæ necessariis membris dentem figit, vt nulli sit dubium; quia nisi vnanimiter, fauente Domino, cunctorum prouida pastorum turba concurrat, omne (quod absit) citiùs ouile delaniet. Perpenditis, fratres chariissimi, quid è vicino subsequatur, cùm & in sacerdotibus erumpunt tam peruersa primordia. quia enim iuxta est ille, de quo scriptum est [d]: Ipse est Rex super vniuersos filios superbiæ (quod non sine graui dolore dicere compellor, dum frater & coepiscopus noster Ioannes mandata Dominica & Apostolica præcepta, regulasque Patrum despiciens, eum præ elatione præcurrere conatur è nomine) vestræ beatitudini indicet omnipotens Deus, quàm graui considerationis huius gemitu torqueor, quòd ille quondam mihi notissimus, ille omnibus dilectus, qui eleemosynis, orationi-

[c] *1. Pet. 5.*

RELIQVAE EIVSDEM PELAGII EPISTOLAE.

[d] *Iob 41.*

tionibus,atque ieiuniis videbatur occupatus,& ex eo quo fœtebat cinere, ex ea quam præ- A
tendebat humilitate iactantiam tantam sumpsit, ita vt vniuersa sibi tentet ascribere,& om-
nia quæ soli vni capiti cohærent, videlicet Christo, per electionem pompatici sermonis,
eiusdem Christi sibi studeat membra subiugare.

DIABOLVS PER SVPERBIAM TENTAT QVOS QVE OPTIMOS.

Nec mirum, quòd ille tentator, qui initium omnis peccati scit esse superbiam, & tunc
ea in primo homine ante omnia vsus est, & nunc eam in quibusdam hominibus ponit in
fine virtutum: & qui aliquatenus bonis vitæ studiis videbantur crudelissimas manus eius
effugere, eis in ipsis metis boni operis,& in ipsa quodammodo apponat perfectionis con-
clusione tendiculum. Vnde magnopere orandum est, & omnipotens Deus assiduis preci-
bus implorandus,vt hunc à mente illius auertat errorem, hoc ab vnitate atque humilitate
Ecclesiæ malum superbiæ & confusionis amoueat:& fauente Deo, omnibus viribus con-
currendum,atque prouidendum, ne in vnius veneno sermonis viuentia in Christi corpore B
membra moriantur. Si enim dici hoc licenter permittitur, honor Patriarcharum omnium
negatur; & fortasse is in errore perit, qui Vniuersalis dicitur, & nullus iam Episcopus re-
mansisse in statu veritatis inuenitur.

ADMONITIO AD EPISCOPOS.

Oportet ergo,vt constanter ac sine præiudicio seruetis, sicut accepistis, Ecclesias, & ni-
hil sibi in vobis hæc tentatio diabolicæ vsurpationis ascribat. State fortes, state securi. Scri-
pta quæ Vniuersalis nominis falsitate condemnata sunt, nec dare vmquam, nec accipere
præsumatis. Omnes Episcopos curæ vestræ subiectos ab huius adulationis inquinatione
prohibete:vt vniuersa vos Ecclesia Patriarchas non solùm in bonis operibus, sed etiam in
veritatis * auctoritate cognoscat. Si qua autem forsitan aduersa subsequantur: vnanimiter
persistentes, etiam moriendo debemus ostendere, quia in damno generalitatis nostrum
specialiter aliquid non amamus. Dicamus cum Paulo [a]: Mihi viuere Christus est,& mori C
lucrum. Audiamus quod primus omnium Apostolorum dicit [b]: Si quid patimini propter
iustitiam,beati eritis. Mihi enim credite,quia honorem,quem pro prædicanda suscepimus
veritate, si necessitatis causa exigat, securiùs pro eadem veritate relinquimus, quàm tene-
mus. Orate fratres,vt honor Ecclesiasticus nostris diebus non euacuetur, nec vmquam Ro-
mana sedes,quæ, instituente Domino, caput est omnium Ecclesiarum, priuilegiis suis vs-
quam careat, aut expolietur.

* vnitatis

[a] *Philip.* 1.

[b] 1. *Pet.* 3.

Confidimus autem de vobis, charissimi, meliora atque viciniora salutis: quia neque
mors, neque vita,neque Angeli, neque Principatus, neque instantia, neque fortitudo,
neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia (Magistro Gentium [c] docente)
poterit nos separare à charitate Domini nostri Iesu Christi, & quæ in ipso est, recta fi-
de.] & post multa, quibus eos admonuit & cohortatus est sacerdotali constantia agere, D
hæc ad finem habet de consultatione ipsorum: De cætero,fratres, super prouinciæ causa,
vnde sedem Apostolicam dudum consulere voluistis, videtur nobis sufficienter tracta-
tum à sanctis prædecessoribus nostris. Sed quia denuo nostram mediocritatem de eadem
re interrogare, dignum duxistis: scitote, certam prouinciam esse, quæ habet decem vel
vndecim ciuitates, & vnum Regem, & totidem minores potestates sub se, & vnum Epi-
scopum, aliosque suffragatores decem vel vndecim Episcopos Iudices, ad quorum iudi-
cium omnes causæ Episcoporum & reliquorum sacerdotum ac ciuitatum causæ referan-
tur,vt ab his omnibus iustè consona voce discernantur; nisi ad maiorem auctoritatem fue-
rit ab his,qui iudicandi sunt, appellatum. Vnde, non oportet,vt degradetur vel dehono-
retur vnaquæque prouincia, sed apud semetipsam habeat Iudices sacerdotes & Episcopos
singulos, videlicet iuxta ordines suos. Et quicumque causam habuerit, à suis Iudicibus E
iudicetur, & non ab alienis, id est, à suæ iustis Iudicibus prouinciæ, & non ab externis,
nisi (vt iam prælibatum est) à iudicatis fuerit appellatum. Si verò in qualibet prouincia
ortæ fuerint quæstiones, & inter ipsius prouinciæ Episcopos discrepare cœperit ratio, at-
que inter ipsos dissidentes non conueniat; ad maiorem tunc sedem referantur:& si illæ fa-
cilè & iustè non discernuntur, vbi fuerit Synodus regulariter congregata, canonicè & iu-
stè iudicentur. Maiores verò & difficiles quæstiones (vt sancta Synodus statuit, & beata
consuetudo exigit) ad sedem Apostolicam semper referantur.] & post alia nonnulla, hæc
de die qua scripta est: Data Kalendis Martij, Indictione quinta.] Verùm putamus, pro
Martij, Maij, restituendum esse: siquidem non ampliùs quàm quatuor menses numerat
Euagrius à reditu Gregorij Antiochiam vsque ad terræmotum, qui incidit (vt ait) pridie
Kalendas Octobris.

[c] *Hebr.* 6.

DE PROVINCIIS RESPONSIO PELAGII.

Hæc

A Hæc quidem omnia de iudicio vniuersalis Concilij Constantinopoli habiti videtur scripsisse Pelagius aduersus eumdem Ioannem Constantinopolitanum Episcopum, sibi totius Orientis Episcoporum iudicia arrogantem, & causam Antiochenæ Ecclesiæ Episcopi iudicantem: aduersus quam præsumptionem aliàs sæpe proclamatum à Romanis Pontificibus, superiùs vidimus. Ratam tamen habuisse Pelagium Papam absolutionem Gregorij Patriarchæ Antiocheni, ex dicta epistola Gregorij Papæ ad Eusebium Thessalonicensem satis apparet. Quod insuper Pelagius Papa eadem sua epistola tradat, numquam antea aliquem Constantinopolitanorum Antistitum fuisse permissum eo vti nomine Oecumenici, sed omnes ipsorum conatus retusos, penitusque repressos esse à Romanæ Ecclesiæ Pontificibus: vel hinc saltem potes liquidò perspectam habere Græcorum impostu-
B ram (quod superiùs admonuisse meminimus) in Actis Quintæ Synodi, in quibus passim legimus Constantinopolitanum Episcopum Oecumenicum appellari.

POPVLVS ANTIOCHENVS LVIT POENAS DE PERSECVTIONE IN SVVM EPISCOPVM MOTA.

Sed ad Gregorium redeamus. Hic accusatus à suis, & persecutionem passus à Præfecto, reus compulsus in Synodo Constantinopolitana causam dicere, penitus absolutus, liberque cum honore in suam remeauit Antiochenam Ecclesiam. Quàm autem seuerè vltus sit Deus Antiochenos, qui eum direè adeò incessantique studio sunt persecuti, Euagrius testis est: relictumque planè fuit exemplum posteris post multa alia quæ videri poterant exoleuisse, magno periculo insurgere populos in suos Episcopos, & à luporum parte stare oues aduersus pastorem suum. Quòd igitur Antiochiæ habitatores omnes tam nobiles, quàm statu humiles, diuites atque pauperes, æquè conuenerint aduersus Dominum, & aduersus Christum eius: omnes pariter eadem insecuta est vltio diuinitus immissa, nempe terræmotus diruta ciuitate, atque oppressis hominibus: quo & ipse auctor ductorque pra-
C uorum Asterius, quem diximus, miserè periit: euasit verò Episcopus, qui fuerat iam innocens absolutus: vt planè visus sit Dominus præiudicata iterum iudicare, & damnans fontes, innocentem veluti digito demonstrare. Sed hæc quomodo se habuerint, Euagrius exactè describit, quem audi[a]:

[a] *Euagr. lib. 6 cap. 8. 9.*

ASTERIVS POENAS DAT DE MALIS IN EPISCOPVM ILLATIS.

Quatuor mensibus post reditum Gregorij dilapsis, anno sexcentesimo trigesimoseptimo post nomen Antiochiæ vrbi impositum, & anno sexagesimoprimo post terræmotum qui proximus antè in ea ciuitate extitisset: cùm ipse Asterius Gregorij inimicus pridie Kalendas Octobris teneram virginem in vxorem duceret, & ciuitas propterea festum celebraret, & publicos conuentus cum pompa circiter thalamum iugalem ageret, tertia hora post crepusculum turbatio & terræmotus simul cum impetu irruens totam ciuitatem con-
D cutit, multaque loca conquassatis fundamentis, deturbat: adeò vt omnia ædificia circa Ecclesiam sanctissimam ad terram prosternerentur, excepto solo hemisphærio, quod Ephræmio ex lauro construendum curauerat, quodque terræmotu temporibus Iustini facto non parum acceperat incommodi; quod denique terræmotibus, qui deinceps acciderunt, grauiter agitatum, ita inclinabatur versus Septentrionem, vt trabes ligneas eiiceret, quæ cum ingenti fragore ceciderunt, hemisphærio in proprium locum resiliente, & velut perpendiculo quodam directè locato. Multæ verò partes Ostracinæ & Psephium, de quo suprà diximus, & omnia illa loca quæ Brisia vocantur, quinetiam ædificia sanctissimi templi Deiparæ Mariæ corruerunt, media quadam porticu mirum in modum conseruata] secundùm illud lugentis Hieremiæ[b]: Demolitus est tabernaculum suum. &, Repulit Domi-
[b] *Thren. 2.*
nus altare suum, maledixit sanctificationi suæ.] pergit insuper:

MISERANDA CLADES ANTIOCH.

Porrò autem omnes turres, quæ in plano constructæ erant, disiectæ sunt, reliquo ædifi-
E cio, pinnis muri exceptis, integro stante, manenteque: pinnarum autem lapides nonnulli retro pulsi, minimè tamen prolapsi sunt. alia præterea templa, & vtrumque balneum publicum, quod duobus distinctum temporibus inseruit, eadem oppressit calamitas. Multitudo quoque promiscuè est eadem inuoluta clade: & (vt quidam coniecturam ex pane, qui in tota ciuitate consumi solet, faciunt) hæc lues sexaginta hominum millia extinxit. Verùm Episcopus præter omnium expectationem euasit incolumis, toto domicilio, in quo sedebat, ruinam passo, & solis illis, qui eum circumstabant, seruatis, alio præterea nemine: qui illum omni festinatione subleuantes, cùm terræmotus locum secunda concussione patefaceret, per funem demissum è periculo eripuerunt.

Accidit autem in hoc infelici casu res quædam ciuitati persalutaris. Nam clementia Dei propitij furorem suum mitigantis, & virga miserationis & misericordiarum peccata populi corrigentis, nullum incendium factum est, cùm ingens flamma, quæ partim ex foco

& lucernis tam publicè quàm priuatim accensis,partim ex culinis,balneis,& aliis locis pro- A
pè infinitis erumpebat,totam vrbem circuiret. Hoc terræmotu oppressi fuere tum nobiles
& illustres viri quamplurimi,tum Asterius vnà extinctus. Quam cladem vrbi inflictam pe-
cunia sarsit Imperator. Quod autem ad exercitum pertinet: eodem ferè loco fuit : adeò vt
barbari persuasum haberent , neminem eos prohibituros , quo minùs suo more grassaren-
tur,& in fines Romanorum irruerent. Verumtamen Germanus cum suis copiis illis ob-
uiam profectus,vi manuque sic profligauit, vt nec vnus fuerit reliquus, qui cladem cæteris
Persis nunciaret.] hucusque Euagrius. quæ post hæc secutæ sint perturbationes in exercitu,
[a] *Cedren. anno 1. Maurit* dicemus inferiùs suo loco. Cedrenus [a] hoc item anno accidisse tradit, vt Mauritius Impe-
rator sororem suam Gordiam Philippico in matrimonium dans, eumdem Orienti præfe-
cerit : sed quæ ex hoc secutæ sint turbæ, dicemus anno sequenti.

AVARES GRASSANTVR IN ROMAN. IMP. Subdit idem auctor de Cagano , qui cùm esset Dux Auarum , pace violata in Longum B
murum apud Constantinopolim prædando excurrit:quando Commentiolus Dux Roma-
ni exercitus de improuiso barbaros adortus,magna multitudine cæsa,eos abegit : Inde (in-
quit) cùm Hadrianopolim venisset,in Andagastum incidit Sclauinorũ Ducem,qui prędam
agebat;In hunc facto impetu,prædam recepit, insigni potitus victoria.] addit hæc insuper:

BLASPHEMI PVNITI. Eo tempore Græci quidam in domo cuiusdam prandentes, eò prolapsi sunt, vt in Virgi-
nem Deiparam conuicia atque execrationes iacerent. Horum reliqui illico à malis corre-
pti spiritibus,pœnas dederunt. Dominus autem domus illius per somnium vidit astare sibi
Deiparam : quæ alloqui ipsum non dignata , pedes eius virgula veluti notis impressis cir-
cumscripsit. Ille autem præ dolore statim euigilans , pedes suos incisos inuenit : gestatus in
publicum,ibique expositus , iustum Dei iudicium & inculpatæ Virginis Deiparæ contra se
indignationem professus est.] hæc ipse hoc anno Imperatoris secundo. C

SYNODVS LVGDVNENSIS SECVNDA. [b] *Extat tom. 1. Concil.* Quod ad res pertinet Occidentalis Imperij, hoc anno, qui & ab obitu Clotarij Franco-
rum Regis numeratur Guntheramni eius filij regni vigesimus secundus , celebrata est se-
cunda Synodus Lugdunensis [b],cuius extant sex canones, quibus sancitas antea à prædeces-
soribus Ecclesiasticas regulas innouantes, hoc de leprosis Patres addiderunt: Placuit etiam
vniuerso Concilio , vt vniuscuiusque ciuitatis leprosi , qui intra territorium ciuitatis ipsius
aut nascuntur, aut videntur consistere , ab Episcopo Ecclesiæ ipsius sufficientia alimenta &
necessaria vestimenta accipiant ; vt illis per alias ciuitates vagandi licentia denegetur.] hæc
Synodus , cui subscripserunt Episcopi octo , Vicarij verò Episcoporum duodecim . Inter
Episcopos eminebat Syagrius Episcopus Augustudunensis Sanctis adnumeratus , honesta-
tusque ab Ecclesia annuersaria ipsius natalis memoria. extat ad eum Fortunati epistola in
præfatione egregij operis,quod periit. D

RECCARDI CONIVGIVM. Hoc item anno,qui secundus numeratur Reccaredi Hispaniarũ Regis , ipse Rex Catho-
licus nonnisi Catholicam iugalem sibi quærens , quam sciebat bene sanctis dogmatibus in-
stitutam , probeq. educatam Chilperici Francorum Regis filiam sibi in matrimonium da-
ri,missa legatione petiit:quod & est feliciter consecutus , accepta in coniugem Badda virgi-
ne maximè pia , quæ post annum sequentem vnà cum Rege subscripta reperitur Concilio
[c] *Gregor hist. Francor. lib 6. cap. 45.* Toletano,vt suo loco dicemus. Hæc fuit illa legatio, cuius Gregorius Turonensis [c] memi-
nit,magnamque legationem appellat,qua de nuptiis actum est Regis Hispaniarum. At licet
nomen virginis nuptę non prodat:tamen quòd hoc factum anno certum sit ex ipsius asser-
tione,dum res gestas Francorum prosequens , easdem per annos Regis Sigiberti disponit,
collocatque sub anno eiusdem Regis nono,qui est præsens annus Domini quingentesimus
octogesimus septimus ; & cùm reperiatur in Actis Synodi Toletanæ post sequentem an- E
num celebratæ , vxor eiusdem Regis Badda nominata : non aliam ab hac ipsa Regina ex
Francis petita eam fuisse dicere possumus : etenim quam constat in matrimonium duxisse
[d] *Greg. histor. lib. 9. cap. 26. 28.* Clodosuindam filiam Brunichildis & sororem Childeberti Regis,longè pòst accidit,nem-
pe (vt ex eodem Gregorio patet [d]) anno Domini quingentesimo nonagesimosecundo,anno
videlicet (vt ponit) decimoquarto eiusdem Sigeberti Regis.

RADEGVNDIS SERVAT VIRGINEM DEO DICATAM. Verùm non Baddam primùm desponsam à Chilperico Rege Reccaredo fuisse,sed aliam
filiam collocatam apud sanctam Radegundem in celeberrimo illo Pictauiensi monaste-
rio,quam susceperat ex Audouera , testatur [e] ipse Gregorius , quam & Basinam appella-
[e] *Idem lib. 6. cap. 34.* tam inferiùs prodit [f].De hac igitur imprimis ista Gregorius: Voluit enim tunc aliam filiam
[f] *Idem lib. 9. cap. 39.* illuc dirigere,quam de Audouera habebat, & eam in monasterio Pictauiensi posuerat : sed
illa distulit , resistente præcipuè beata Radegunde , ac dicente : Non est enim dignum , vt

puella

A puella Christo dicata iterum ad sæculi voluptates reuertatur.] hæc ipse,qui & eam remansisse in eodem monasterio,ex iis quæ inferiùs tradit [a],ostendit. [a] *Idem lib. 9. cap. 39.*

Sed quæ post hæc in Galliis secuta sint mala, ex eodem auctore narrentur. Tunc enim temporis cùm filius paruulus Chilperici moreretur, Fredegundis Regina existimans à maleficis id factum esse,de iisdem dirissimam exercuit quæstionem;in crimenque vocatus est Dux exercitus Mummolus, de quo superiùs mentionem fecimus : qui post dira tormenta coactus est miserrimè mori. pluribus prosequitur ista Gregorius [b] : qui & quomodo vltus est Dominus quæ reges sibi videntur impunè deliquisse (siquidem hoc anno ipse Chilpericus Rex occiditur) rem gestam sic narrat [c]: [b] *Gregor. hist. lib. 6. c. 35.* [c] *Gregor. lib. 6. c. 46.*

Chilpericus Nero nostri temporis & Herodes ad villam Calensem, quæ distat ab vrbe Parisiaca quasi cētum stadiis,accedit,ibique venationes exercet. Quadam verò die regressus de venatione,iam subobscura nocte, dum de equo susciperetur, & vnam manum super scapulam pueri retineret, aduenies quidam cum cultro percutit sub ascella, iteratoque ictu ventrem eius perforat : statimque profluente copia sanguinis tam per os quàm per aditum vulneris, iniquum fudit spiritum.] & post nonnulla, quibus recenset eius scelera Nerone digna,addit de odio quo flagrabat aduersus sacerdotes & Ecclesias, & inter alia de his quæ spectant ad bona Ecclesiastica,quorum expilator erat: REX CHILPERICVS OCCIDITVR.

Aiebat enim (addit Gregorius) plerumque : Ecce pauper remansit fiscus noster : ecce diuitiæ nostræ ad Ecclesias sunt translatæ. Nulli penitus,nisi soli Episcopi regnant: periit honor noster, & translatus est ad Episcopos ciuitatum. Hæc agens assiduè, testamenta quæ in Ecclesiis conscripta erant,plerumque disrupit.] Vides quales esse soleant homines Neroni atque Herodi similes,qui talia dicerent ac perpetrarent. Sed ac si pauca de eo mala narrasset,hæc addit: Iam de libidine atque luxuria non potest reperiri in cogitatione, quod non perpetrasset in opere. Noua semper ad lædendum populum ingenia perquirebat. Nam si quos hoc tempore culpabiles reperisset, oculos eius iubebat erui,& in præceptionibus quas ad Iudices pro suis vtilitatibus dirigebat,hoc addebat: Si quis præcepta vestra contempserit, oculorum auulsione mulctetur,&c.] NEFANDA SCELERA REG. CHILPERICI.

Sed quid de eo per visum ostensum sit Guntheramno Regi, Gregorius ita narrat [d] : Rex ait : Vidi & ego aliam visionem, quæ huius interitum nunciauit. Adducebatur enim in conspectu meo à tribus Episcopis vinctus catenis, quorum vnus Tetricus, alius Agricola, tertius verò Nicetius Lugdunensis erat. è quibus dicebant duo: Soluite,quæso,eum,& castigatum abire permittite. Quibus è contrario cum amaritudine Tetricus Episcopus respondebat: Non fiet ita,sed igne concremabitur pro sceleribus suis.Et cùm diu multumq. quasi altercantes,hæc inter se verba proferrent : conspicio eminus æneum super ignem positum feruere vehementer.Tunc me flente,apprehensum infelicem Chilpericum, confractis membris, proiiciunt in æneum : nec mora inter vndarum vapores ita dissolutus ac liquefactus est,vt nullum ex eo penitus indicium remaneret.] hæc à Rege Gregorius & alij qui aderant accepere. [d] *Greg. histor. Francor. lib. 8. cap 5.* DE CHILPERICI REGIS DAMNATIONE VISIO.

Reliquit Chilpericus filiolum infantem Clotarium nomine nondùm baptizatum, de quo sæpe Gregorius [e]. Profecit nonnihil tali sibi ostenso viso Rex Guntheramnus, cuius hoc anno clementia refulsit in suscipiendo Ætherio Episcopo calumniis diu multumque circumuento, eumque muneribus exornando, & suis epistolis ad Episcopos comitando. rem gestam pluribus idem Gregorius [f] scribit, eiusdem Regis commendans benignitatem & misericordiam ; quem & ad ambientes Episcopatum Bituricensem hæc eodem tempore respondisse tradit [g]: Non est principatus nostri consuetudo, sacerdotium venumdare sub pretio, sed nec vestrum eum præmiis comparare ; ne & nos turpis lucri infamia notemur, & vos mago Simoni comparemini : sed iuxta Dei præscientiam Sulpitius vobis erit Episcopus. Et sic ad clericatum deductus, Episcopatum Ecclesiæ supradictæ suscepit. Est enim vir valde nobilis, & de primis Senatoribus Galliarum, in litteris bene eruditus rhetoricis, in metricis verò artibus nulli secundus. Hic Synodum illam, cuius suprà meminimus,de parochiis Cadurcinis fieri commonuit.] Sed & quod præstat cæteris, idem electus Sulpitius egregia nituit sanctitate viuens, mortuusque pariter Sanctus est cultus, honestatus ab Ecclesia anniuersaria ipsius diei natalis memoria. Quod verò ad Synodum spectat, fuit ea celebrata Auerni pro sedandis turbis obortis inter Episcopos Rutenorum & Cadurcensium occasione diœcesis vsurpatæ,vt idem Gregorius docet [h]. [e] *Gregor hist. Francor. lib. 8. c. 9. & 31.* [f] *Gregor. lib. 6. c. 36.* [g] *Gregor. lib. 6. c. 39.* [h] *Gregor. lib. 6. c. 38.*

Sed quæ miranda de cæde martyris tunc acciderint, accipe ex eodem Gregorio, vbi ait:

[a] *Gregor. lib. 6. c. 37.* ait[a]: Lupentius verò Abbas basilicæ S. Priuati martyris vrbis Gabalitanæ à Brunichilde Regina accersitus aduenit: incusatus enim (vt ferunt) fuerat ab Innocentio supradictæ vrbis Comite, quòd profanum aliquid effatus de Regina fuisset. Sed discussis causis, cùm nihil de crimine maiestatis conscius esset inuentus, discedere iussus est. Verùm vbi viam carpere cœpit, iterum ab antedicto Comite captus, & ad Ponticonem villam deductus, multis suppliciis est affectus. Dimissusque iterum vt rediret, cùm super Axonam fluuium tentorium tetendisset, iterum irruit super eum inimicus eius. Cuius vi oppressi amputatum caput in culleum oneratum lapidibus posuit, & flumini dedit: reliquum verò corpus vinctum cum saxo immersit gurgiti. pòst verò paucis apparuit quibusdam pastoribus, & sic extractum de flumine sepulturæ mandatum est.

LVPENTII ABB. MARTYRIVM.

MIRO MODO DETECTVM FACINVS.

Sed dum necessitates funeris pararentur, & ignoraretur quis esset de populo, præsertim cùm caput truncati non inueniretur: subitò adueniens aquila leuauit culleum è fundo fluminis, & ripæ deposuit. Admiranteque qui aderant, apprehenso culleo, dum solicitè quid contineret inquirunt, caput truncati reperiunt, & sic cum reliquis artubus est sepultum. Nam ferunt nunc & lumen ibi diuinitus apparere: & si infirmus ad hunc tumulum fideliter deprecatus fuerit, accepta sospitate recedit.] hucusque Gregorius.

SALVII EPISC. OBITVS.

Sed iungamus martyri confessorem. Hoc enim eodem anno, quo Chilpericus occisus est, idem auctor testatur migrasse ex hac vita sanctum Saluium Episcopum Albigensem mirificæ sanctitatis virum, de quo plura præclarè gesta idem Gregorius narrat[b], quem tu consulere poteris.

[b] *Greg. histor. Francor. lib. 7. cap. 1.*

In fine autem præsentis anni hic ea reddamus summa admiratione digna, quæ S. Gregorius Papa in fine Dialogorum suorum accidisse tradit ante septennium: est enim hic ipse annus, numerando à quarto anno eius Pontificatus, quo (vt dicemus) librum illum scribebat. Ait ergo ipse[c]: Ex alia etiam re, quæ nobis ante annos septem gesta est, certissimè confirmatur. Agathus enim Panormitanus Episcopus (sicut fideles mihi ac religiosi viri multi testati sunt atque testantur) cùm beatæ memoriæ antecessoris mei tempore iussus esset vt Romam veniret, vim nimiæ tempestatis pertulit, ita vt se ex tanto vndarum periculo euadere posse diffideret. Nauta verò illius, Baraca nomine, qui nunc eiusdem Ecclesiæ clericatus munere fungitur, post nauem carabum regebat; ruptoque fune, cum eodem carabo quem regebat, inter vndarum cumulos repentè disparuit. Nauis autem, cui Episcopus præerat, tandem post multa pericula ad Vsticam insulam fluctibus quassata peruenit. Cumque die tertio Episcopus nautam, qui ab eo abreptus in carabo fuerat, in nulla maris parte videret apparere, vehementer afflictus mortuum credidit; sed per obsequium charitatis viuo vnum, quod mortuo debebat, impendit, & omnipotenti Deo pro absolutione eius animæ offerri sacrificium victimæ salutaris iubet. Quo oblato, restaurata naue, perrexit ad Italiam. Cumque ad Romanum portum venisset, illic nautam reperit, quem mortuum putabat. Tunc inopinata exultatione gauisus est, & eum qualiter tot diebus in illo tanto maris periculo viuere potuisset, inquisiuit.

[c] *Greg. lib. 4. Dialog. c. 57.*

INGENS MIRACVLVM.

Qui videlicet indicauit, quoties in illius tempestatis fluctibus cum eodem quem regebat fuisset carabo versatus, qualiter cum illo vndis pleno natauerat; & quoties eo à superiori parte deorsum verso, ipse carinæ eius superfederet, adiungens: Cùm diebus ac noctibus hoc incessanter faceret, iamque eius virtus funditus ex fame simul & labore cecidisset, quo eum ordine diuina misericordia seruauerit, indicauit. Etenim quod etiam nunc vsque testatur, dicens: Laborans in fluctibus atque deficiens, subito mentis pondere sum grauatus, ita vt neque vigilare me crederem, neque depressus somno essem: & ecce in eodem medio mari me posito, quidam apparuit, qui mihi panem ad refectionem detulit: quem mox vt comedi, vires recepi. Nec longè pòst nauis transiens affuit, quæ me ab illo vndarum periculo suscepit, atque ad terram deduxit. Quod scilicet Episcopus audiens, requisiuit diem; atque illum fuisse diem reperit, quo pro eo presbyter in Vstica insula Deo omnipotenti hostiam sacræ oblationis immolauit. *Adhæc Petrus:* Ea quæ narras, ipse quoque in Sicilia positus agnoui.] hæc Gregorius. Reliqua verò sequenti anno.

Eiusdem quoque anni nota consignatum repertum est epitaphium Cæsariæ feminæ dignæ memoriæ, quam putauerũt aliqui, illam esse clarissimam feminam S. Cæsariam Abbatissam sororem S. Cæsarij Archiepiscopi Arelatensis, sed temporis ratio id opinãtes erroris arguit: nam ex iis quæ superiùs dicta sunt, certũ habetur, ante annos fermè octoginta ipsam iam fuisse Abbatissam, adeò vt impossibile sit in hunc vsque Christi annum fuisse superstitem;

Aſtitem; ſed & iſta coniugata fuiſſe videtur, illa virgo. Epitaphij autem tantùm quatuor vltimi verſus extant, fracta enim tabula, ſuperiores periere. hi autem ſic ſe habent:

Menſibus & geminis, concludens tempora vitæ
Viuit in æternum nullum moritura per æuum.
Iſta Valens fieri fletu manante rogauit,
Iura ſacerdotij ſeruans, nomenq; iugalis.] Videtur autem Cæſaria iſta coniunx fuiſſe Valentis, qui (vt ſæpe fieri contingebat) ex coniugio tranſierit, conſentiente vxore, in ſacerdotium. poſt verſus hæc ſequebatur inſcriptio:

Obijt bonæ memoriæ Cæſaria medium noctis
Die Dominico illuceſcente VI. ID. decembris
B Quatragies & VI. P. C. Baſilij Iunioris. V. C. C.
Anno * XII. Regni Domini Cheldeberti Regis
Indictione quinta.] Qui autem miſit Romam, iſta de loco, vbi inuenta. Iuxta opidum ſancti Andreæ quod in Gallia Oſcitana ſitum eſt diœceſis Auenionenſis, in ſummitate montis, in capella in ipſa rupe exciſa; in qua ſancta Cæſaria agens pœnitentiam multos annos delituiſſe creditur. Videtur hoc epitaphium litteris Romanis maiuſculis in marmore ſemifracto exaratum. Quod ego fideliter hic reddidi Franciſcus Claret Archidiaconus Arelatenſis.

IESV CHRISTI ANNVS 588. — PELAGII PAP. II. ANNVS 11. — MAVRITII IMP. ANNVS 3.

C

QVingenteſimo octogeſimooctauo Chriſti anno, Indictionis ſextæ, Orientalis orbis ſtatus militum diſſenſione vacillat. Cùm enim Romanus Dux, qui irruētes in Romanum ſolum barbaros vicerat, in ordinem redactus eſſet, & in locum eius Philippicus, cui ſuam ſororem Mauritius in matrimonium collocauerat, Orientalibus rebus præfectus fuiſſet, atq; iuraſſet exercitus huic non obedire, diſceſſionē fecit. Quomodo autem opera Gregorij Epiſcopi Antiocheni redditus eſt obediens Imperatori, Euagrius narrat his verbis[a]: DISSENSIO MILITVM.

Imperator Andream ſuorum ſatellitum facilè principem mittit perſuaſurum exercitui, vt Duces manipulares, & alios Præfectos quos antea habuerant, admitterent. Ac cùm milites Andreæ adhortationem ne audire quidem ſuſtinerent, negotium ad Gregorium Epi-
D ſcopum Antiochenum transfertur, non ſolùm quòd res maximas commodè conficere poterat, ſed quòd multum honoris ei iure debebat exercitus: quippe nonnulli milites ab eo pecunia liberaliter donati erant, alij veſtitu & cibo & alijs rebus adiuti tum cùm in album militum relati & per eum admiſſi fuerunt. Itaq; nuncijs ad loca ſingula miſſis, totius exercitus facilè principes Litarbis (qui locus Antiochia abeſt circiter trecenta ſtadia) in vnum cogendos curat. Ad quos cùm acceſſit, genibus humi poſitis, talem habuit orationem: Iampridem decreueram, ô Romani, &c.] & recitata oratione, Euagrius iſta ſubdit[b]: EXERCITVS RECONCILIATVS A GREGORIO EPISC.

[a] *Euag. lib. 6. c. 10. 11.*

[b] *Euagr. li. 6. cap. 12.*

Hæc cùm dixiſſet Gregorius, magnamq́ue vim lacrymarum profudiſſet, omniū illorum mentes veluti diuina quadam vi ac virtute momento temporis mutatæ ſunt: adeò vt poſtularent poteſtatem è confeſſu exeundi, quo ſeparatim ipſi inter ſe quid agendum eſſet deliberarent. Itaque haud diu poſt veniunt, ſe Epiſcopi voluntati atque arbitrio dedituros. At
E cùm Gregorius Philippicum illis nominaret, quem voluit vt ſibi Ducem peterent: reſpondent, tum ſe, tum vniuerſum exercitum ſanctè iuraſſe, ſe numquam id facturos. Tum ille ſine mora, aut vlla cunctatione: Epiſcopo, inquit, conceſſum eſt & poteſtas data ſoluendi atque ligandi in cælo & in terra. Sententiamq́ue Euangelij illius citauit.

Cùm verò illi etiam in hac re eius arbitrio cederent: Deum idcirco precibus & obſecrationibus placare cœpit, atque immaculato Chriſti corpore eis diſtributo (erat enim ſacro- CONCILIATOS COMMVNICAT MILITES.
ſancta illa dies, quæ ſanctæ Domini paſſioni proxima eſt) cùm omnes qui circiter duo millia erant, toris in herba ad eam rem confectis accumbentes cœna excepiſſet, poſtridie domum rediit, decreuitq; vt illo quo loco vellent, in vnum conuenirent. Itaque Philippicum interim Tarſi Ciliciæ ætatem degentem accerſit, vt Conſtantinopolim maturè contendat; deq́ue his rebus refert ad Imperatorem, eiq; poſtulata exercitus de Philippico per litteras ſignificat. Milites autem Philippico poſtea Antiochiam profecto occurrunt, & hominibus

qui lauacro regenerationis tincti erant, sibi vt pro eis deprecarentur ascitis, ad genua Philippici accidunt. Qui cùm dexteram illis dedisset, se præteritæ culpæ memoriam obliuione penitus deleturum, cum eo denuo in militiam proficiscuntur.] hæc de reconciliatione exercitus per Gregorium facta Euagrius hoc anno, qui sequens fuit à terræmotu. A

Idemque describit bellicos sub Philippico progressus in Persidem, cùm exercitui adesset Imperatoris mandato idem Gregorius Antiochenus Episcopus, qui in tempore iracundiæ factus est reconciliatio: cùm ad persuadendum vsus est illis potissimùm locis ex rhetorica Christiana petitis, nempe humilitate simul & lacrymis. Quis non permouendus erat ac suadendus vel ipso tantùm aspectu, cùm videret genibus flexis perorantem cum lacrymis Patriarcham? Hi sunt, inquam, ad persuadendum Christianæ eloquentiæ loci efficacissimi ab animi demissione, corporisque humiliatione quæsiti. Abeant qui tumido fastu cuncta quæ sunt humilitatis, indigna putant Episcopo, sacrilegiumque existimant vel inclinare ceruicem laico, antequam ab eo sit salutatione præuentus. Cùm enim salus quæritur animarum, cur (si expediat) non se inclinet Episcopus cuiuis homini, cuius causa humiliauit se ipsum vsque ad mortem Deus factus homo? B

COMMENDATVR HVMILITAS IN EPISCOPIS.

[a] Eodem anno Mauritius Imp. auctus filio, eumdem Theodosium appellauit. Misit idem Imperator hoc anno legatos ad Childebertum Francorum Regem cum pecunijs, solicitans eum ad bellum aduersus Longobardos suscipiendum: sed accepta pecunia cùm remoraretur ille, & iste iterata legatione eum vrgeret, Rex legatos illiberaliter tractans inanes dimisit. verùm permotus tandem, cùm ad Italiam inuadendam parasset exercitum, discordia Ducum re infecta reuertitur. narrat pluribus ista Gregorius [b].

[a] *Cedren. Annal. hoc anno*

[b] *Gre. Turon. li. 8. c. 30. 38.*

Infeliciter quoque cessit bellum, quod parauerat Guntheramnus aduersus Gothos illos qui hactenus in Gallia Narbonensi sedes semel fixas tenebant. Hoc illud planè prœlium, de quo Isidorus his meminit verbis, de Reccaredo cùm agit [c]: In belli quoque gloria satis clarus ac præcipuus extitit: De Francis enim cum sexaginta ferè armatorum copijs Gallias irruentibus, misso Claudio Duce aduersus eos, glorioso triumphauit euentu. Nam nulla vmquam in Hispanijs Gothorum vel maior, vel similis extitit victoria: prostrati sunt enim & capti multa millia: residua pars exercitus in fugam versa, Gothisq; post tergum insequentibus vsque ad regni sui fines cæsa est.] hæc de victoria aduersus Francos in Gallia Narbonensi Gothorum ditione accepta Isidorus, quam Gregorius silentio magna ex parte obuolutam reliquit, querelas tantùm Guntheramni Regis, qui expeditionem parauit, prosecutus, cùm rem malè gestam ob militum scelera perpetrata deplorat. C

[c] *Isid. in chronic. Gothor.*

RECCARE-DVS FRANCOS VICIT.

Cæterùm illa potiùs causa iniqua belli illati expendenda fuerat, cùm aduersus Gothos potitos ad longum tẽpus Gallia Narbonensi iam Catholicos redditos bellum mouit: quando abdicata iam Ariana impietate, in vnitatem Catholicam vnà cum Rege ipsorũ coissent; quo nomine ab omnibus Principibus Orthodoxis fuerant amplectendi, muneribusque & alijs pietatis officijs frequentandi. Sed audi ex Gregorio [d], quæ post reditum fugatorum militum egerit Guntheramnus: Quibus (inquit) reuersis, magna Guntheramnum Regem amaritudo cordis obsedit. Duces verò supradicti exercitus basilicã S. Symphoriani martyris expetierunt. Veniente itaque Rege ad eius solemnitatem, repræsentati sunt sub conditione audientiæ in postmodum futuræ. Postea verò quatuor vocatis Episcopis, necnon & maioribus natu laicorũ, Duces discutere cœpit, dicens: Qualiter nos hoc tempore victoriam obtinere possumus, qui ea quæ patres nostri consecuti sunt, non custodimus? Illi verò Ecclesias ædificantes, in Deum spem omnem ponentes, martyres honorãtes, sacerdotes venerantes, victorias obtinuerunt; gentesque aduersas, diuino opitulante adiutorio, in ense & parma sæpiùs subdiderunt. Nos verò non solùm Deum non metuimus, verùm etiam sacra eius vastamus. Non enim potest obtineri victoria, vbi talia perpetrantur. Ideo manus nostræ sunt inualidæ, ensis hebescit, nec clypeus nos (vt erat solitus) defendit ac protegit. D E

[d] *Gre. Turon. hist. Franc. li. 8. c. 30.*

CVR RES BELLICAE INFAVSTVM FINEM SORTIANTVR.

Ergo si hoc meæ culpæ ascribitur, iam id Deus capiti meo restituat. Cæterùm si vos regalia iussa contemnitis, & ea quæ præcipio implere differtis: iam debet securis capiti vestro submergi. Erit enim documentum omni exercitui, cùm vnus de prioribus fuerit interfectus. Verùm iam experiri debemus, quid agi oporteat. Si quis iustitiam sequi destinat, iam sequatur: si quis contemnit, iam vltio publica ceruici eius immineat: satius est enim vt pauci contumaces pereant, quàm ira Dei super omnem regionem dependat innoxiam. Hæc Rege dicente, responderunt Duces: Bonitatis tuæ magnanimitas, Rex optime, enarrari facilè non potest, qui timor tibi in Deum sit, qui amor in Ecclesias, quæ reuerentia in sacerdo-

GVNTHERAMNVS CVLTOR IVSTITIAE.

A sacerdotes, quæ pietas in pauperes, quæve dispensatio in egenos. Sed quia omnia quæ gloria vestra profert, recta veraque esse censentur; quid faciemus, quòd populus omnis in vitium est dilapsus? omnemque hominem agere quæ sunt iniqua delectat: nullus Regem metuit, nullus Ducem, nullus Comitem reueretur. Et si fortassis alicui ista displicent, & ea pro longæuitate vestra emendare conatur; statim seditio in populo, statim tumultus exoritur, & in tantum vnusquisque contra seniorem sæua intentione grassatur, vt vix se credat euadere, si tandem silere nequiuerit. Ad hæc Rex ait: Si quis sequitur iustitiam, viuat: si quis legem mandatumque nostrum respuit, iam pereat, ne diutius hoc blasphemum prosequatur.] hucusque Regis oratio, quæ nouis nunciis de Reccaredo Galliam Arelatensem inuadente intercepta est.

Verum Rex ipse rem altiùs meditatus, vnde malorum omnium fons erumperet, soliciB tiùs perueſtigauit, detexitq; negligẽtiam Episcoporum esse in culpa, cùm populum sibi subiectum non Euangelicis (vt par esset) instituerent disciplinis: ex quo fieret, vt corruptis moribus viuentes populi, nullam iusti rectique rationẽ habentes, nefandissima scelera perpetrarent. Quamobrem in eosdem Episcopos nonnihil cõmotus, Synodum conuocat Matisconе habendã in fine anni huius, quo incipit numerari eiusdẽ Regis vigesimusquartus. Exstat ipsa quidẽ Synodus Matisconensis secunda dicta, eademq; generalis appellata, ad quam omnes Metropolitani Episcopi in prouincijs Guntheramni positi cõuenerunt, interq; alios numeratos primum locum Priscus Lugdunensis obtinuit, idemque nominatus Patriarcha. INDICITVR MATISCONENSE SECVNDVM CONCIL.

Præter illa autem quæ in actis eiusdem Synodi habentur, nonnulla collegimus ex diuersis locis Gregorij Turonensis, quæ ad eamdem Synodum spectare posse videntur. Atque in primis quod pertinet ad diem præscriptum Synodi celebrandæ, constat ex eodem DE TEMPORE SYNODI.
C Gregorio[a] eamdem indictam ad vndecimum Kalendas Nouembris. ita quidẽ Gregorius, dum agit de Palladio Episcopo Santonensi, & Bertheramno Episcopo Burdegalensi iussis ad dictam diem Synodo interesse. Quod insuper ad eum qui ipsam celebrandam curauit, Guntheramnum Regem spectat: constat quidem, etsi zelum Dei habuit, haud tamen in omnibus secundùm scientiam. Etenim leuibus quibusdam suspicionibus ferebatur aduersus nonnullos Episcopos, quos tamen morum sanctitas commendabat, vt inter alios accidit de Theodoro Massilienſi Antistite, quem à sæculari Iudice primùm nonnihil exagitatum huic voluit Synodo interesse; de quo recensetur ista Gregorius[b]:

[a] *Gre. Turon. hist. Franc. lib. 8. cap. 7.*

[b] *Gre. Turon. hist. l. 8. c. 12.*

Denique cùm Rex maxima intentione Theodorum Episcopum iterum persequi conaretur, & Massilia iam in Childeberti Regis dominationem reuocata fuisset, ad discutien- THEODORVS MASSILIENSIS EPISC. EXAGITATVS.
das causas Retharius illuc quasi Dux à parte Regis Childeberti dirigitur. Sed postposita
D actione quæ ei à Rege iniuncta fuerat, Episcopum vallat, fideiussores requirit, & ad præsentiam Regis Guntheramni direxit, vt scilicet ad Synodum quæ Matisconе futura erat, quasi ab Episcopis damnandus adesset. Nec defuit vltio diuina, quæ seruos suos ab ore canum rabidorum seruare consueuit. Nam egrediente Episcopo à ciuitate, statim res Ecclesiæ diripit, & alia quidem sibi vendicat, alia sub sigillorum munitione concludit; cumque DIVINA VLTIO IN SACRILEGOS.
hoc feciſſet, protinus famulos eius sæuissimus inuadit morbus, exhaustosq; febre peremit: filius eius ab hoc incommodo defecit, quem in suburbano Massiliæ ipsius cum graui gemitu sepeliuit: fuitque talis domui eius plaga, vt cùm ab vrbe illa esset digressus, vix ad patriam suam regredi putaretur. Theodorus verò Episcopus à Guntheramno Rege detentus est: sed nihil Rex ei nocuit. Est enim vir egregiæ sanctitatis & in oratione assiduus, de quo mihi Magnericus Treuerensis Episcopus hæc retulit: Ante hos annos cùm ad præ-
E sentiam Childeberti Regis ita sub ardua custodia duceretur, vt quandocumque ad vrbem aliquam veniſſet, neque Episcopum, neque quemquam de ciuibus videre permitteretur: adueniente Treueros, nunciatum est Episcopo, hunc iam in naui positum clam adduci. Surrexitque sacerdos tristis, ac velociter prosecutus, reperit eum ad littus, causatusque custodibus, cur tanta esset impietas, vt non liceret fratri fratrem aspicere. Visoque tandem, osculatus est eum; indulgensque aliquid vestimenti, discessit.

Veniens itaque ad Basilicam S. Maximini, prosternitur sepulchro, illud Apostoli retinens: Orate pro inuicem, vt saluemini. Fusaque diu oratione cum lacrymis, vt fratrem dignaretur Dominus adiuuare, egressus est foras. Et ecce mulier quam spiritus erroris agitabat, clamare sacerdoti cœpit, & dicere: O sceleste & inueterate dierum, qui pro inimico THEODORVS CVM EXVLAT DEMONES TERRET.
nostro Theodoro orationem fundis ad Dominum. Ecce nos quotidie quærimus, qualiter ab his Gallijs extrudatur, qui nos quotidianis incendijs conflagrat; & tu pro eo orare non desinis?

desinis? Satius enim tibi erat res Ecclesiæ tuæ diligenter inquirere, ne pauperibus aliquid deperiret, quàm pro hoc tam intentè deposcere. Et aiebat: Væ nobis, quia eum non possumus expugnare. Et licet dæmoniis credi non debeat: tamen qualis esset sacerdos, de quo hæc dæmon condolens declamabat, apparuit.] hæc Gregorius, qui subdit [a], Childebertum Regem nepotem Guntheramni rogasse patruum per Felicem legatum, ne quid iniuriæ inferretur Theodoro Episcopo, quem colebat vt patrem. Cæterùm ipse Childebertus noluit sui regni Episcopos proficisci, vt antè pollicitus erat. Hæc Synodum præcesserunt: iam ad ipsam Synodum veniamus.

[a] *Gregor. hist. Franc. lib. 8. c. 13.*

Habent in primis eius Acta, hoc eodem anno XXIIII. inchoante Regis Guntheramni, celebratam esse in Gallijs eamdem Synodum Matisconensem secundam dictam [b], in eaq; statutos canones viginti. Inter alios Episcopos sanctitate conspicuos, qui eidem subscripti reperiuntur, sunt Priscus Lugdunensis, Euantius Viennensis, Prætextatus Rhotomagensis, Theodorus Massiliensis, Sulpitius Bituricensis, Veranus Cauallicensis, & alij, omnes numero sexagintaduo præter eos qui per legatos interfuere.

[b] *Tom. 2. Concil.*

DE IMMVNITATE ECCLES. SERVANDA.

Cùm autem illic multa ad œconomiam Ecclesiasticam vtilia sint cõstituta; notatu digna sunt, quæ de veneratione à sæcularibus præstanda clericis sancita fuere. Primùm verò illud magnopere inculcatum, vt præcedentibus vigilijs, singulis diebus Dominicis sanctificarentur, & ab operibus seruilibus cessaretur, eodemq; die à populo oblationes panis & vini Deo in Ecclesia offerrentur, ac decimæ darentur in pauperum vsum. Sed & illud sancitum à Patribus fuit, vt confugientes ad Ecclesiam extrahere nemo auderet. Ad hæc iterum sancienda Patres inducti fuisse videntur ob diuersos casus, quos diuersis in locis accidisse diximus: quibus addita sunt, quæ hoc ipso anno, cùm de nece Chilperici Regis quæstio haberetur, Turonis in Ecclesia sancti Martini fieri plura illicita contigerunt; quæ insuper in basilica S. Vincentij martyris facta sunt, quorum causa plura accidisse miracula Gregorius docet, qui ipsorum omnium narrat historiam. In primis verò agit de his quæ contigerunt Turonis [c] de violato hoc ipso anno atrio Ecclesiæ sancti Martini, in quo occisus est Eberulfus reus maiestatis, quòd necem intulisset Chilperico Regi Francorum, cuius erat cubicularius [d], qui & aliorum quoque scelerum patrator inuentus est, quæ idem Gregorius narrat [e] pluribus; factaq; hæc testatur inuito Rege Guntheramno, qui ad hæc missis mandatum dederat, vt cuncta fierent: salua Ecclesiæ immunitate: quem & his auditis magnopere succensuisse tradit. Sic igitur sacrilegium tantum per legem Ecclesiasticam, ne vlterius fieret, placuit emendari. sed interfectores vltio secuta est, cùm & ipsi interfecti sunt.

[c] *Gregor. hist. lib. 7. c. 29.*
[d] *Greg. hist. Franc. lib. 6. c. 21.*
[e] *Greg. ibid. cap. 22.*

VLTIO DIVINA IN SACRILEGOS.

Erat præterea recens memoria, quanta locis sacris habenda reuerentia esset, de militibus illis qui violassent basilicam S. Vincentij martyris apud Agennensem ciuitatem; de quibus pauca ista Gregorius habet [f]: Multos ibi diuina vltio conterruit: Nam plerisque manus diuinitus vrebantur, emittentes fumum magnum, sicut ex incendio surgere solet: nonnulli arrepti à dæmone per energiam debacchantes, martyrem declamabant: plurimi verò semoti à seditione proprijs se iaculis sauciabant.] his igitur adeo pauendis visis sæpe portentis, permoti sunt cum Rege Episcopi, vt Ecclesiasticam immunitatem iterum nouis sancitis legibus communirent.

[f] *Gregor. hist. lib. 7. cap. 21.*

DE CAVSA EPISCOPORVM ET CLERICORVM.

Sed & quòd plerũque grauiter in Gallijs à Principibus peccatum esset, cùm Iudices sæpe in Episcopos manus violentas iniecissent, eosq; in carcerẽ detrusissent, & iussu Regum etiam exilij pœna damnassent: prohibuit sancta Synodus [g] Episcoporum iudicia agitari per seculi magistratus; sed per suos Metropolitanos, vel si causa esset grauior, apud prouinciale Concilium agi decreuit. Idipsũ de clericis cuiusq; ordinis statuit: quod quidem non recens institutum, sed ab ipso fermè Christianitatis nascentis exordio esse seruatum, Patres asseruerunt.

[g] *Con. Matis. con. c. 9. & 10.*

IN EPISCOPOS VENATORES.

Quòd verò irrepsisset ille prauus vsus in Gallijs, vt Episcopi Reges adeuntes, ipsos etiam negotiorum causa in venationibus sequerentur, atq; iidem mox ex Episcopis in venatores transformarentur, alerentq; canes & accipitres, sicque fieret, vt in Episcoporum quorumdam domibus audirentur eiusmodi aues stridere, canesq; latrare: vetuit Synodus ista fieri, statuto canone, ad cuius finem hæc leguntur [h]: Custodienda est igitur Episcopalis habitatio hymnis, non latratibus, operibus bonis, non morsibus venenosis. Vbi igitur Dei est assiduitas cantilenæ; monstrum est & dedecoris nota, canes ibi vel accipitres habitare.]

[h] *Con. Matis. con. c. 13.*

Sed & illud crimen inemendatum minimè reliquerunt, cùm potentes fulti fauore Regum aliena sibi vendicarent fisci titulo, vel quouis modo vsurparent; quos anathemate Synodus [i] ipsa percelluit.

[i] *Eod. Concil. c. 14.*

Verùm

A Verùm & illud præterea memoria dignum Patres, Rege annuente, constituerunt, vt laici clericos omnino venerari deberent, ista sancientes memoria digna: Statuimus, vt si quis sæcularium quempiam clericorum in itinere obuium habuerit, vsque ad inferiorẽ gradum honoris veneranter (sicut condecet Christianum) illi colla subdat, per cuius officia & obsequia fidelissima Christianitatis iura promeruit. Et si quidem ille sæcularis equo vehitur, clericusque similiter; sæcularis galerum de capite auferat, & clerico sinceræ salutationis munus adhibeat. Si verò clericus pedes graditur, & sæcularis vehitur equo sublimis: illico ad terram defluat, & debitum honorem prædicto clerico sinceræ charitatis exhibeat: vt Deus qui vera charitas est, in vtrisque lætetur, & dilectione sua vtrumque adscisca *. Qui verò hæc, quæ Spiritu sancto dictante sancita sunt, transgredi voluerit, suspendatur.] hæc Patres. QVO CVLTV LAICI VENERARI DEBERENT CLERICOS. * astringat

Rursum verò Ecclesiasticos omnes procul volentes esse à sanguine [a], vetuerunt clericos B interesse examini reorum, & ad locum accedere vbi rei criminum morte mulctarẽtur. hæc & alia salubri concilio à Patribus sunt constituta, vt conditio illorum temporum exigere videbatur: ad postremum q̃. illud additum, vt quolibet triennio generale Concilium ageretur, indicereturque illud ab Archiepiscopo Lugdunensi. Præter hæc autẽ in eadem Synodo diuersorum Episcoporũ ventilatæ sunt causæ, & peracta iudicia, de quibus ita Gregorius [b]: [a] Eod. Concil. c. 19 A SANOVINE PROCVL CLERICI. [b] Gregor. hist. Francor. lib. 8. cap. 10.

Interim (inquit) dies placiti aduenit: & Episcopi ex iussu Regis Guntheramni apud Matisconensem vrbem collecti sunt. Faustinianus autem, qui ex iussu Gundebaldi Aquensis vrbis fuerat Episcopus ordinatus, ea conditione remouetur, vt eum Berthramnus Orestesque siue Palladius, qui eum benedixerant, vicibus pascerent, centenosque ei aureos annis singulis ministrarent. Nicetius autem ex laico, qui primus Chilperico Regi præceptum elicuerat, in ipsa vrbe Episcopatum adeptus est. Vrsicinus Cadurcensis Episcopus excom- C municatur, pro eo quòd Gundebaldum excepisse, publicè est confessus, accepto eiusmodi placito, vt pœnitentiam tribus annis agens, neque capillum neque barbam tonderet, vino & carnibus abstineret; Missas celebrare, clericos ordinare, Ecclesias, chrismaque benedicere non præsumeret, eulogias dare penitus non auderet: vtilitas tamen Ecclesiæ per eius ordinationem, sicut solita erat, omnino exerceretur.] & paulo pòst: Prætextatus verò Rhotomagensis Episcopus, orationes quas in exilio positus scalpsit, coram Episcopis recitauit. quibusdam quidem placuerant: à quibusdam verò quia artem secutus minimè fuerat, reprehendebantur. Stylus autem per loca Ecclesiasticus & rationabilis erat.] & inferiùs. COGNITAE IN SYNODO CAVSAE EPISCOPORVM.

His etiam diebus Guntheramnus Rex grauiter ægrotauit, ita vt putaretur à quibusdam non posse prorsus euadere: quod credo prouidentiam Dei fuisse. Cogitabat multos Episcoporum exilio detrudere. Theodorus itaque Episcopus ad vrbem suam regressus, fauen- D te omni populo, cum laude susceptus est.] hactenus de Actis Synodicis Gregorius. Eorumdem sanctæ Synodi decretorum viginti meminit Ado Viennensis, dum ait de S. Euantio Episcopo Viennensi: Hic cum S. Prisco, & Artemio Senonico, & Remigio Bituricensi, & cum aliis sanctis Episcopis, viginti capitula Ecclesiastica perfectè comprobauit. quibus consedit quoque Syagrius Eduensis Episcopus, vir summæ sanctitatis.] hæc de Synodo, & Sanctis qui interfuerunt, Ado, dum recenset suæ Ecclesiæ Viennensis Episcopos: de quibus non prætereat, quòd ante hunc de quo agit, Euantium successisse ait Namatio, siue Manatio, quem generis nobilitate, vitæ egregia sanctitate, & eloquentia celebrem prædicat. fuerat ipse ex coniugio vocatus ad Ecclesiam: cuius vxor non minori quàm ipse sanctitate resplenduit, sicut & generis nobilitate: fuitque illi nomen Euphrasia, de qua ex scripto codice Fortunati hìc tibi epitaphium legendum exhibeo:

EPITAPH. EVPHRASIAE.

E *Si pietatis opus numquam morietur in æuum:*
Viuis pro merito, femina sancta, tuo.
Inclyta sidereo radians Euphrasia regno,
Nec mihi flenda manes, cùm tibi læta places.
Terram terra edit, sed spiritus astra recepit:
Pars iacet hæc tumulo, pars tenet illa polum.
Corpore depositò leuiori vecta volatu:
Stans melior cælo, quàm priùs esses humo.
Carnis iniqua domans, de te tibi facta triumphans,
Ad patriæ sedes ciuis opima redis.
Ardua nobilitas proauorum luce coruscans,
Plus tamen es meritis glorificanda tuis.

Vir cui Namatius datus Viennæ ſacerdos, A
Coniuge defuncto, conſociata Deo.
Exulibus, viduis, captiuis omnia fundens,
Paupertate pia diues ad aſtra ſubis.
Aeternum mercata diem ſub tempore paruo,
Miſiſti ad cælos quas ſequereris opes.
Sed rogo per Regem paradiſi gaudia dantem,
Pro Fortunato ſupplice funde precem.
Obtineas votis, hæc qui tibi carmina miſi,
Vt merear claudi quandoque claue Petri.] hactenus epitaphium. Iam ad Guntheramnum Regem tantæ Synodi cogendæ auctorem redeamus.

Poſt Synodum peractam Guntheramnus Rex edidit ſanctionem ad Epiſcopos atque Iu- B
dices ſcriptam, qua (vt decet religioſiſſimum Principem) eoſdem hortatur Epiſcopos, Verbi in primis prædicationi inuigilare; ſed & ne munus Epiſcopale per vicarium, ſed per ſe ipſos expleant, admonet. Datum eſt edictum hoc eodem anno, quarto Idus Nouembris; quod cùm memoria dignum ſit, hîc apponimus: ſic enim ſe habet[a]:

[a] *Tom. 1. Concil. poſt Acta Conc. Matiſconen.*

GVNTHERAMNI REGIS EDICTVM.

Gunthramnus * Rex Francorum omnibus Pontificibus, ac vniuerſis ſacerdotibus & cunctis Iudicibus in regione noſtra conſtitutis.

* Guntheramnus

Per hoc ſupernæ maieſtatis auctorem, cuius vniuerſa reguntur imperio, placari credimus, ſi in populo noſtro iuſtitiæ iura ſeruamus: & ille pius Pater & Dominus, qui humanæ fragilitatis ſubſtantiam ſuo ſemper adiuuare conſueuit auxilio, meliùs dignabitur cunctorum neceſſitatibus quæ ſunt opportuna concedere, quos cognoſcit præceptorum ſuorum monita cuſtodire. Dum ergo pro regni noſtri ſtabilitate & ſaluatione regionis, vel po- C
puli ſolicitudine peruigili attentiùs pertractauimus: agnouimus infra regni noſtri ſpatia vniuerſa ſcelera, quæ canonibus & legibus pro diuino timore puniri conſueuerunt, ſuadente aduerſario boni operis, perpetrari. Et ex hoc proculdubio indignatione cæleſti per diuerſas ſæculi tempeſtates homines aut pecora aut morbo conſumi merentur, aut gladio, dum diuina iudicia non timentur: atque ita fit, vt admittendo illicita, per ignorantiam multi depereant, & non ſolùm præſentem vitam celeriùs cogantur amittere, ſed & inferni ſupplicia ſuſtinere.

Ad vos ergo, ſancti Pontifices, quibus diuina clementia poteſtatis paternæ conceſſit officium, in primis ſerenitatis noſtræ ſermo dirigitur, ſperantes quòd ita populum vobis prouidentia diuina commiſſum frequenti prædicatione ſtudeatis corrigere, & paſtorali gladio gubernare, quatenus dum vniuerſi diligendo iuſtitiam conuerſatione præcipua cum omni D
honeſtate ſtuduerint viuere meliùs, cuncta rerum aduerſitate remota, cæleſti beneficio concedatur tranquillitas temporum, & congrua ſaluatio populorum. Et licet abſque noſtra admonitione ad vos ſpecialiter prædicandi cauſa pertineat: attamen reliquorum peccatis vos omnino credimus eſſe participes, ſi filiorum veſtrorum culpas non aſſidua obiurgatione corrigitis, ſed ſilentio præteritis. Nam nec nos, quibus facultatem regnandi ſuperni Regis commiſit auctoritas, iram eius euadere poſſumus, ſi de ſubiecto populo ſolicitudinem non habemus.

DE FESTIS DIEBVS COLENDIS.

Idcirco huius decreti ac definitionis generalis vigore decernimus, vt in omnibus diebus Dominicis, in quibus ſanctæ Reſurrectionis myſterium veneramur, vel in quibuſcumque reliquis ſolemnitatibus, quando ex more ad veneranda templorum oracula vniuerſæ plebis coniunctio deuotionis congregatur ſtudio, præter quod victum præparari conuenit, ab E
omni corporali opere ſuſpendantur, nec vlla cauſarum præcipuè iurgia moueantur.

QVID AGERE DEBEANT SACERDOTES.

Sed vos Apoſtolici Pontifices, iungentes vobiſcum conſacerdotes veſtros & filios ſenioris Eccleſiæ, ac Iudices locorum, quicumque agnoſcitis quòd vitæ qualitas honeſta commendat, ita vniuerſam populi multitudinem conſtanti vel Deo placita iugiter prædicatione corrigite, vt bene viuentes myſticus adhortationis ſermo mulceat, & excedentes ad viam recti itineris correctio paſtoralis adducat: quatenus omnes vnanimi deliberatione laudabiliter ſtudeant viuere, vel æquitatem & iuſtitiam conſeruare, qualiter ab omni peccatorum fæce liberos ſuos ſancta ſuſcipiat Eccleſia Chriſtianos.

DE IVSTITIA SERVANDA.

Enimverò quicumque ſacerdotum aut ſæcularium intentione mortifera perdurantes, crebrius admoniti emendare neglexerint: iuxta quod conditiones cauſarum aut exceſſus perſonarum exegerint, alios canonica ſeueritas corrigat, alios legalis pœna percellat: quoniam

A quoniam nec innocentes potest reddere collata securitas liberos, nisi culparum probatio punierit criminosos: nec minor est pietas proteruos conteri, quàm releuare compressos. Conuenit ergo, vt iustitiæ & æquitatis in omnibus vigore seruato, distringat legalis vltio iudicum, quos non corrigit canonica prædicatio sacerdotum: quo fiat, vt dum præterita resecantur scelera, nullus audeat perpetrare futura, & ita vniuersos excedentes pro disciplinæ tenore seruando correctionis frena constringant, & in vniuersa regione nostra pacis & concordiæ iura proficiant. Cuncti itaque Iudices iusta (sicut Deo placet) studeant dare iudicia: nam non est dubium, quòd acriùs illos condemnabit sententia nostri iudicij, à quibus non tenetur æquitas iudicandi. Non Vicarios aut quoscumque à latere suo per regionem sibi commissam instituere aut destinare præsumant, qui (quod absit) malis operibus consentiendo, venalitatem exerceant, aut iniqua quibuscumque spolia inferB re præsumant.

Clericorum transgressiones, cùm, aduersario instigante, contigerint, quantum illis pro diuino amore reuerentia maior impenditur, tantum conuenit vt acriùs resecentur: quoniam si sancti pastores, aut instituti Iudices (quod nefas est) subditorum suorum scelera potiùs occultare quàm resecare tentauerint: se ex hoc ampliùs reos esse vel noxios, non ignorent. Cuncta ergo quæ huius edicti tenore decreuimus, perpetualiter volumus custodiri: quia in sancta Synodo Matisconensi hæc omnia (sicut nostis) studuimus definire, quæ præsenti auctoritate vulgamus. *Subscriptio domini Guntheramni Regis.* Data sub die quarto Idus Nouembris, vigesimo quarto anno regni supradicti Regis.] hactenus edictum Regis maximè pij à cunctis Christianis Principibus præ oculis habendum, vt cùm siue peste, siue penuria, belló ve affligi suos populos vident, ad populi mores corrigendos C atque Iudices emendandos se conuertant, prout fecisse vidimus Guntheramnum. CLERICORVM PECCATA ACRIVS CORRIGENDA.

Quod verò pertinet ad Reccaredum Regem, ipse (vt Christianum Principem decet) filius pacis, quantumlibet victor, pacem tamen missa legatione à Guntheramno Rege Francorum petiit hoc anno: sed cùm non obtinuerit, sequenti rursus anno alia missa legatione id ipsum enixiùs postulasse constat; verùm eam minimè consecutum esse, idem Gregorius tradit[a]. Porrò tantum Regem pacis cultorem maximè pium eo dono muneratus est Deus, vt eum à maximo liberaret discrimine, à coniuratione nimirum dolis fabricata Reginæ nouercæ conspirantis cum Vdila Episcopo Ariano hoc ipso anno tertio regni eius. RECCAREDVS REX PACIS STVDIOSVS. [a] *Greg histor. Franc. lib. 8. c. 35. & 39.*

Sed redeamus ad Francos, quos præter bellorum infelices exitus hoc pariter anno afflixit non modicum regiæ ciuitatis incensio. hoc enim anno decimo Childeberti Regis Parisiensis ciuitas conflagrauit. Quæ verò admiranda memoria digna tum acciderint, GreD gorius ita narrat[b]: Extitit autem in his diebus apud vrbem Parisiacam mulier, quæ diceret incolis: Fugite ab vrbe, & scitote eam incendio concremandam. Quæ cùm à multis irrideretur, quòd hæc aut sortium præsagio diceret, aut vana aliqua somniasset, aut certè dæmonij meridiani hæc instinctu proferret; respondit: Nequaquam est ita vt dicitis: nam in veritate loquor, quia vidi per somnium à basilica S. Vincentij venientem virum illuminatum tenentem manu cereum, & domos negotiatorum ex ordine succendentem. Denique post tertiam noctem quòd hæc mulier est effata, inchoante crepusculo, quidam è ciuibus accenso lumine in promptuarium est ingressus, assumptoque eo ac cæteris quæ necessaria erant, abscessit, lumine secus cupellam olei derelicto. Erat autem domus hæc prima secus portam quæ ad mediam diem pandit egressum: ex quo lumine apprehensa domus incendio concrematur, de qua & aliæ apprehendi cœperunt. INCENDIVM PARISIACVM. [b] *Greg histor. Franc lib. 8. cap. 33.*

E Tunc diruente igne super vinctos carceris, apparuit eis beatus Germanus, & cóminuens trabem atque catenas quibus vincti tenebantur, reserato carceris ostio, vinctos abire permisit incolumes. Illi verò egressi, se ad basilicam S. Vincentij, in qua sepulchrum habebatur beati Antistitis, contulerunt. Igitur cùm per totam ciuitatem huc atque illuc, flante vento, flamma ferretur, totisque viribus regnaret incendium, appropinquare ad aliam portam cœpit, in qua B. Martini oratorium habebatur, quod ob hoc aliquando factum fuerat, eo quòd ibi lepram maculosi hominis osculo depulisset. Vir autem qui eum intextis virgultis in sublime construxerat, confisus in Domino, nec de beati Martini virtute diffisus, se resque suas intra eius parietes ambiuit*, dicens: Credo enim & fides mea est, quòd repellat ab hoc loco incendium, qui sæpe incendiis imperauit, & in hoc loco leprosi hominis cutem, osculo medente, purgauit. Appropinquante enim illuc incendio, ferebantur varij globi flammarum, qui percutientes parietem oratorij, protinus tepescebant. S. GERMANVS LIBERAT VINCTOS IN CARCERE. * abdidit

Clamabat

Clamabat autem populus viro ac mulieri: Fugite,ô miseri,vt euadere possitis. Ecce iam ignium pondus super vos diruit: ecce fauillæ incendij cum carbonibus tamquam validus imber ad vos vsque distenditur: Egredimini ab oratorio, ne cum eodem incendio concremini. At illi orationem fundentes, nequaquam ab his vocibus mouebantur. Sed nec mulier se vnquam à fenestra, per quam interdum flammæ ingrediebantur, amouit, quæ erat spe firmissima de virtute beati Antistitis præmunita. Tanta itaque fuit virtus beati Pontificis, vt non solùm hoc oratorium cum alumni proprij domo saluaret, verùm etiam nec aliis domibus quæ in circuitu erant nocere flammis dominantibus permisisset: ibique cedit incendium, quod ab vna parte pontis cœperat desæuire. Ab alia verò parte tam validè cuncta conflagrauit, vt amnis finem imponeret: verumtamen Ecclesiæ cum domibus suis non sunt adustæ.] hucusque Gregorius de incendio,in quo Prophetæ ille sermo locum habuit dicentis [a]: Vox Domini intercidentis flammam ignis] cùm videlicet ea potuit ignis comburere, quæ Dei voluntate incendio damnata fuere: in reliquis verò suam vim flamma amisit. Addit his Gregorius [b], hoc anno natum filium Childeberto Regi à Magnerico Treuerensi Episcopo baptizatum appellatum fuisse Theodobertum, de quo sæpe dicendum inferiùs. hic verò annus Childeberti Regis decimus numeratur.

S. MARTINI ORATORIVM A FLAMMIS ILLAESVM.

[a] *Psal.28.*

[b] *Gregor. hist. Francor. lib 8.cap.37.*

Quo pariter anno Smaragdi Exarchatus triennio euoluto, cùm accepisset successorem Romanum Patricium; Seuerus Episcopus Aquileiensis cum tribus collegis Episcopis, qui metu viqué coacti communicauerant cum Ecclesia Catholica per Ioannem Episcopum Rauennatem,ad propria reuersi, ab Episcopis Istriæ non recepti, nec à populo honore habiti, in pristinum schisma dilabuntur, Tria illa propugnantes iam ab Ecclesia Romana damnata capitula. De his verò tantùm hæc breuiter Paulus diaconus [c]: Exacto anno è Rauenna in Gradum reuersi sunt. Quibus nec plebs communicare voluit, nec cæteri Episcopi eos receperunt. Smaragdus autem Patricius successorem Romanum Patricium accipiens, Constantinopolim remeauit.] reliqua verò, nempe de Conciliabulo schismaticorum in Mariano habito, suo loco dicemus.

[c] *Paul. diacon. de gest Long. bard. lib.3. cap.11.*

IESV CHRISTI ANNVS 589. PELAGII PAP. II. ANNVS 12. MAVRITII IMP. ANNVS 4.

DE SYNODO VALENTINA.

QVingentesimus octogesimusnonus incipit annus sub septima Indictione: cùm decimo Kalendas Iulij, anno Guntheramni vigesimoquarto nondum absoluto, celebrata est Synodus Valentina in Gallia decem & septem tantummodo Episcoporum: in qua pauperum causæ sunt cognitæ; sed & donationes factæ ab eodem Rege, siue Regina, atque filiabus eius diuersis Ecclesiis confirmatæ auctoritate Apostolica, subscriptionibus eorumdem munitæ sunt. est de his eiusmodi decretum:

REGIS ET REGINARVM LIBERALITAS.

Cùm in vrbe Valentina iuxta imperium glorioſissimi domini Guntheramni nostra mediocritas pro diuersis pauperum querimoniis conueniisset:id primò, auctore Deo, decreuimus sanciẽdum,quod pro salute & animæ suæ saluatione vel religionis statu censuimus opportunum: id est, vt quia prædictus Rex per virum illustrem Asclepiodotum Referendarium datis ad sanctam Synodum epistolis suis iniunxit, vt quodcumque tam ipse, quàm beatæ memoriæ iugalis sua Austrechildis Regina, vel filiæ eorum Deo sacratæ puellæ, id est,bonæ memoriæ Clodoberga,vel Codeildis locis sanctis contulissent, aut adhuc conferre decreuerint, auctoritate Apostolica deberet sancta Synodus præsenti titulo manuum suarum subscriptione firmare. Et tam laudabili deuotioni non solùm sacerdotalem, sed etiam diuinam credimus posse conniuentiam conspirare.

CONFIRMATIO DONATIONVM PIARVM.

Idcirco præsenti constitutione, vnanimi consensu, Deo medio, Synodus sancta decreuit, vt si quid basilicæ sancti Marcelli, vel sancti Symphoriani, vel quibuscumque locis,vel seruientibus Deo per quascumque auctoritates, aut scripturarum epistolas præfatus dominus Rex, vel suprà nuncupata iugalis sua, filiæque eorum siue in ministerio altariorum, siue in quibuscumque speciebus, quæ ad diuinum cultum pertinere noscuntur, contulisse vel adhuc conferre voluerint, neque Episcopi locorum, neque potestas regia quæcumque tempora successura de eorum voluntate quicquam minorare aut auferre præsumãt. Quod si quis hoc quoque tempore temerare aut auferre præsumpserit, velut necator pauperum, anathemate perpetui iudicij diuini plectatur, & veluti sacrilegij perpetrator, criminis sui reus,

A reus, supplicij æterni teneatur obnoxius.] hucusque Patres, nec de eodem Valentino Concilio quicquam præterea inuenitur. Emendandum verò, dum in titulo inscriptum illud habetur Indictione secunda: multum enim inter se pugnat, vt hæc acta sint vigesimoquarto Guntheramni Regis anno, & facta dicantur Indictione secunda: manifestus enim arguitur error, cùm hic annus (vt dictum est) septimæ sit Indictionis.

Quo pariter anno aucta est Gallia nouo martyre, nempe Prætextato Episcopo Rhotomagensi: qui diu multumque odio perfidæ Fredegundis exiliis fatigatus & afflictatus, nihil remittens sacerdotalis constantiæ in redarguendo perperam facta Principum, potissimùm verò Fredegundem ipsam, quam alteram Iezabelem his temporibus Gallia passa est: ab eadem immisso tandem sicario, in Ecclesia ipsa ferro percutitur, ac paulo pòst spiritum Deo reddidit. Ita planè secundùm S. Ambrosij sententiam, vtiliùs Principes Episcopos B odio persequuntur, quàm illecebris blandiuntur. Ad coronam enim suorum sacerdotum permittit Deus sceleslos Principes insanire, furereque aduersus eos; quo quid in eis intus virtutis lateat, foris appareat; & qui in vasis fictilibus thesaurus occultabatur, in multorum vtilitatem effundatur; & lumen quod reconditur in lagenis militum Gedeonis, iisdem perfractis, foris appareat, quo sancta Dei illustretur Ecclesia. Res autem gesta a Gregorio Turonensi ita describitur [a]:

S. PRAETEXTATI MARTYRIVM.

Dum hæc agerentur, & Fredegundis apud Rothomagensem vrbem commoraretur, verba amaritudinis cum Prætextato Pontifice habuit, dicens, venturum esse tempus, quando exilia, in quibus detentus fuerat, reuiseret. Et ille: Ego semper & in exilio & extra exilium Episcopus fui, sum, & ero. Nam tu non semper regali potentia perfrueris. Nos ab exilio prouehimur, tribuente Deo, in regnum: tu verò ab hoc regno demergeris in abyssum. C Rectius enim erat tibi, vt stultitia relicta atque malitia, qua semper ferues, abstrahereris: vt & tu vitam adipiscereris æternam; & paruulum quem genuisti, adducere ad legitimam posses ætatem. Hæc effatus, cùm verba illius mulier grauiter acciperet, se à conspectu eius felle feruens abstraxit.

[a] *Greg. lib. 8. cap. 31.*

REDARGVIT REGINAM PRAETEXTATVS EPISCOP.

Adueniente autem Dominicæ resurrectionis die, cùm sacerdos ad implenda Ecclesiastica officia ad Ecclesiam maturiùs properasset, antiphonas iuxta consuetudinem incipere per ordinem cœpit. Cumq; inter psallendum Formulæ decumberet: crudelis adfuit homicida, qui Episcopum super Formulam quiescentem, extracto è baltheo cultro, sub ascella percutit. Ille verò vocem emittens, vt clerici qui aderant adiuuarent, nullius auxilio de tantis astantibus est adiutus. At ille plenas sanguine manus super altarium extendens, orationem fundens, & Deo gratias agens, in cubiculum suum inter manus fidelium deportatus, in suum lectulum collocatus est. Statimque Fredegundis cum Beppoleno Duce & Ansoualdo adfuit, dicens: Non oportuerat nobis ac reliquæ plebi tuæ, ô sancte sacerdos, vt ista tuo cultui euenirent. Sed vtinam indicaretur qui talia ausus est perpetrare, vt digna pro hoc scelere supplicia sustineret. Sciens autem eam sacerdos hæc dolosè proferre, ait: Et quis hæc fecit, nisi is quis Reges interemit, qui sæpiùs sanguinem innocentem effudit, qui diuersa in hoc regno mala commisit? Respondit mulier: Sunt apud nos peritissimi medici, qui huic vulneri mederi possunt: permitte vt accedant ad te. Et ille: Iam, inquit, me Deus præcepit de hoc mundo vocari: nam tu, quæ his sceleribus princeps inuenta es, eris maledicta in sæculo, & erit Deus vltor sanguinis mei de capite tuo. Cumque illa discederet, Pontifex ordinata domo sua, spiritum exhalauit. Ad quem sepeliendum Romacharius Constantinæ vrbis Episcopus aduenit.] addit Gregorius de necato ab eadem Regina seniore E quodam eiusdem Ecclesiæ Rhotomagensis, cùm ipse eidem necem sanctissimi Antistitis exprobrasset: agitque demum de successore eidem subrogato Melantio. Porrò quem perfida Fredegundis in Ecclesia occidi fecit, coluit semper Ecclesia Catholica martyrem, eumdemque inter martyres scriptum anniuersaria memoria celebrat. Quomodo autem facinus ab interfectore palàm factum sit, idem Gregorius in rebus gestis Francorum anni huius, qui est decimus Childeberti Regis, refert [b].

A SICARIO PERCVSSVS EPISCOP.

[b] *Greg. hist. Franc. lib. 8. cap. 41.*

Iam verò magna instans causa è Galliis in Hispanias nostram euocat orationẽ. Felix planè hic ille annus, Deo placabilis & acceptabilis ab omnibus prædicandus, quo Dei benignitas respexit tandem propitia Gothorum gentem, cùm è tenebris eam transtulit in regnum lucis. Quæ enim à temporibus Constantij Imperatoris, à prauis doctoribus in transuersum acta gens Gothorum fuit, præceps per deuia ferebatur, eoq; sine metu securior, quo ex beneficiis à Deo acceptis se remunerationem consecutam de impietate putabat. Quòd

DE CONVERSIONE GOTHORVM.

enim ipsa gens Gothica in Italia, Gallia, Hispania, & Africa suum populum propagasset, A
& regna subegisset externa, hæc cuncta rectæ quam putabant religioni ferebant accepta:
nam & quòd Orthodoxorum prouincias suæ ipsorum Deus subiecerat potestati, totum id
Dei iræ vlciscentis impios tribuebant. hæc illis signa fuere pro doctrina atque miraculis,
quibus sè Catholicis religione præstare iactabant, exultabantque veluti de Dei vero cultu
securi, insultabantque piis, veluti à Deo cos ob impietatem affligente reiectis.

Vt igitur tanta erroris offusi caligine, tamq; profundis mersi tenebris ignorantiæ, veritatis lumen agnoscerent, illius tantùm fuit opus, qui de tenebris facit splendescere (quod ait
a 2.Cor.4. Apostolus[a]) lumen suũ, & illius qui vinctis dicit[b], Exite; & his qui in tenebris, Reuelamini.
b Isaiæ 49. Domuit ille fera corda tandem, suoque subegit iugo ceruices ferreas, egitque magno miraculo, vt qui iugum imposuerant Romanis semper indomitis, iidem Romanæ subiicerentur
Ecclesiæ vincti non ferro, sed fide, idq; præcipuè per sanctissimum Leandrum Hispalensem B
Episcopum, aliosque sacros Hispaniarum Antistites, vigiles, forteque fidei Orthodoxæ cul-
c Isaiæ 35. tores: quorum industria atque labore factum est secundùm illud propheticum vaticinium[c],
vt quæ erat arida esset in stagnum, & sitiens in fontes aquarum; & vbi erat cubile draconum, oriretur viror calami & iunci, & semita esset ibi, vocareturque via sancta, vt non transirent per eam polluti] squalensque vepribus Ecclesia Hispana conuersa fuerit in paradisum
Domini, qui gratiarum irriguis fœcundatus redderet fructum centuplum, factus ager plenus benedictionibus eius. Sed narrationem rerum gestarum aggrediamur.

SYNODVS TOLET. III. Vbi coronato feliciter Hermenegildo martyrio, Reccaredus post patris obitum regnans
Catholicam fidem (vt dictum est) profiteri cœpit: ad hoc ipsum hortatus est Gothos Episcopos ac pariter magistratus & populum: factumque Dei gratia, vt perpaucis exceptis, omnes eamdem cum Rege, abdicata hæresi Ariana, Catholicam fidem profiterentur: cuius rei C
causa, vt cuncta solidè stabiliret, vniuersale totius Hispaniæ voluit Concilium celebrari. Sic
igitur hoc anno à Christo Domino quingentesimo octogesimonono, qui est & quartus annus ipsius Reccaredi Regis Vuisigothorum in Hispania, conuersis ipsis ab Ariana perfidia
ad Catholicam veritatem, celebrata est Synodus Toletana, quæ tertia ordine ponitur, cui
interfuerunt Episcopi circiter septuaginta, ex quibus pauci per legatos suam præsentiam
exhibuere, iidemque ex omnibus Hispaniarum prouinciis, immo & Galliæ eius partis
quæ apud Narbonensem prouinciam subiecta erat Gothis, vt ex Episcoporum subscriptione apparet. Non sine scientia atque consensu simulque authoritate Pelagij Papæ gene-
AVCTORITATE ROM. PONT. CONCILIVM HABITVM. rale hoc celebratum esse Concilium, ex eo intelligi potest, dum Lucas Tudensis ait, sanctum
Leandrum huic interfuisse & præfuisse legatione functum pro Romano Pontifice: quod
absque controuersia credi debet, cùm certum sit ex his quæ sæpe superiùs dicta sunt, Ro- D
manos Pontifices tum in aliis, tum in Hispaniarum prouinciis vices suas delegare consueuisse eminentioribus earum Ecclesiarum Episcopis. Certè quidem præter S. Leandrum, qui magis spectatus esset hoc tempore inter Hispanos Episcopos, neminem scimus. Sed ad ipsa Concilij Acta pernoscenda, ex quibus complura sunt quæ Annalibus his inseri debeant,
d Tom 2 Concil. edit. nouæ. veniamus. Est quidem ipsorum istiusmodi exordium[d]:

DE TEMPORE GENERALIS CONCILII TOLETANI. In nomine Domini nostri Iesu Christi, anno quarto regnante glorioſissimo atque piissimo & Deo fidelissimo domino Recaredo Rege, die octauo Iduum Maiarum, Æra sexcentesima vigesimaseptima, hæc Synodus habita est in ciuitate regia Toletana ab Episcopis totius Hispaniæ & Galliciæ numero septuaginta duobus, &c.] De hac eadem Synodo hæc
e Isidor. in Chron. Goth. S. Isidorus[e]: In ipsis regni sui exordiis Catholicam fidem adeptus, totius Gothicæ gentis populos, moliti erroris labe detersa, ad cultum rectæ fidei reuocauit. Synodum etiam ad con- E
demnationem Arianæ hæresis congregauit: cui Concilio idem glorioſissimus Princeps interfuit, suaque eum præsentia & subscriptione firmauit.] hæc Isidorus.

Extat ipsa Synodus, canonesque vigintitres in ea editi, necnon fidei professio sinceriſſima, itemque Regis Reccaredi edictum; de quibus omnibus agemus pei singula. Primùm verò omnium opportunum putamus hîc intexere sermonem à S. Leandro horum omnium præcipuo architecto tunc temporis habitum de eorumdem conuersione Gothorum: quem licet alij ponant in fine Synodi, nos (sicut reperimus in scripto codice bibliothecæ Sfortianæ, ex quo exscripsimus) ante Synodum positum hîc eodem ordine ponendum putamus, quo auctor licet stylo inculto, erudito tamen, veluti rudi rastro vertit aurifodinam: cuius rei gratia putamus ista cariùs accipienda, quo simpliciùs atque fideliùs dicta leguntur, haud probantes eum qui cultiori sermone eamdem orationem illustrandam

putauit,

A putauit[a], minimè hac ex parte de antiquitate (pace ipsius dixerim) bene meritus. Ipse autem sermo sic se habet:

[a] Ioan. Maxim. histor. Hisp. lib. 5. cap. 5.

Festiuitatem hanc omnium esse solemniorem festiuitatum, nouitas ipsa significat. Quoniam sicut noua est conuersio tantarum plebium causa; ita & nobiliora sunt solito Ecclesiæ gaudia. Nam multas solemnitates per anni decursum celebrat Ecclesia; in quibus tamen si habet gaudia consueta, noua verò, sicut in hac, non habet. Aliter enim gaudet de rebus semper possessis, aliter de lucris magnis his nuper inuentis. Pro qua re & nos maioribus gaudiis eleuamur: quia repentè nouos Ecclesiam parturisse populos intuemur; & quorum asperitate quondam gemebamus, de eorum nunc gaudemus credulitate. Ergo materia gaudij nostri, tribulationis præteritæ occasio fuit. Gemebamus, dum grauaremur, dum exprobraremur: sed gemitus illi id egerunt, vt hi, qui per infidelitatem nobis erant sarcina, fierent nostra per suam conuersionem corona. Hoc enim gratulatiuè profert in psalmis sancta Ecclesia, dicens: In tribulatione dilatasti me. Et Sarra dum sæpe à Regibus concupiscitur, nec maculam pudicitiæ sentit, & Abraham causa pulchritudinis suæ diuitem facit; ab ipsis Regibus Abraham ditatur, à quibus Sarra concupiscitur.

ORATIO LEANDRI DE CONVERSIONE GOTHORVM.

B

Condignè ergo Ecclesia Catholica gentes quas simul senserit fidei suæ decore affici, ad sui eas sponsi, hoc est, Christi lucra traducit, vt per ea regna virum suum diuitem reddat, per quæ se inquietari præsenserit. Sic enim, dum ex vitio lacessitur, vel inuidentium dentibus mordetur; dum premitur, eruditur; dum infectatur, dilatatur: quoniam patientia sua æmulatores suos aut superat, aut lucratur. Dicit enim ad eam diuinus sermo[b]: Multæ filiæ congregauerunt sibi diuitias, tu verò supergressa es vniuersas. Sed non mirum, quòd hæreses filiæ dicuntur: sed attendendum, quòd loco spinarum ponuntur. Filiæ sunt, eo quòd ex

CRESCIT ECCLESIA EX PERSECVTIONE.

[b] Prou. 31.

C semine Christiano generantur: spinæ sunt, eo quòd foris Eden è Dei paradiso, hoc est, extra Catholicam Ecclesiam nutriuntur. Et hoc non coniectura sensuum nostrorũ, sed Scripturæ diuinæ auctoritate probatur, dicente Salomone[c]: Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias. Ergo ne magnum vobis videretur, quòd hęresim dixerim filias, continuò eas nominat esse spinas: hæreses, inquam, quæ aut in aliquem angulum mundi, aut in vnam gentem inueniuntur versari: Ecclesia verò Catholica sicut per totum mundum tenditur, ita & omnium gentium societate constituitur. Certè ergo hæreses in cauernis quibus latent, congregant ex parte diuitias: Ecclesia autem Catholica in specula totius mundi locupletata supergreditur vniuersas.

[c] Cant. 11.

Exulta ergo & lætare Ecclesia Dei; gaude & consurge in vnum corpus Christi, induere fortitudine tua, & iubila exultatione: quoniam tui mœrores in gaudium sunt mutati, &

DE GAVDIO ECCLESIAE OB HAERETICORVM CONVERSIONEM.

D tristitiæ habitus in amictum lætitiæ versus est. Ecce repentè oblita sterilitatis & paupertatis tuæ, vno partu populos innumeros genuisti Christo tuo: nam dispendiis tuis proficis, tuoque damno subcrescis: tantus denique est sponsus tuus, cuius imperio regeris, vt dum te patiatur deprædari ad modicum, rursum & prædam tuam ad te reducat, & hostes tuos tibi conquirat. Sic autem agricola, sic piscator dum lucra attendit futura, quæ seminat, & quem hamo ille dat cibum, non imputat damnum. Tu proinde iam ne fleas, ne lugeas, temporaliter quosdam recessisse à te, quos cernis cum magnis lacrymis rediisse ad te. Exulta ergo fidei confidentia, & tui capitis merito fide esto robusta, dum quæ recolis olim repromissa, nunc cernis fuisse completa. Ait enim in Euangelio ipsa veritas[d]: Oportebat Christum mori pro gente, & non tantùm pro gente, sed vt filios Dei, qui erant dispersi, congregaret in vnum. Tu profectò in psalmis clamas[e], odientibus pacem dicens: Magnificate

[d] Ioan. 11.

E Dominum mecum, & exaltemus nomen eius in vnum. Et rursum[f]: In conueniendo populos in vnum, & regna vt seruiant Domino.

[e] Psal. 33.
[f] Psal. 101.

Quàm dulcis sit charitas, quàm delectabilis vnitas, non nescius per Prophetica vaticinia, per Euãgelica oracula, per Apostolica documenta, nonnisi connexionem gentium prædicas, nonnisi vnitatem populorum suspiras, nonnisi pacis & charitatis bona disseminas. Lætare ergo in Domino, eo quòd non sis fraudata à desiderio tuo: nam quos tanto tempore gemitu tristi & oratione continua concepisti, nunc post glacies hiemis, post duritiam frigoris, post austeritatem niuis velut iocunditatem agrorum frugem & lætos verni flores, vel adhærentes* vinearum stipitibus palmites, repentè in gaudio peperisti.

DE LABORE FRVCTVS COLLIGIT.

* adridentes DE CONVERSIONE TOTIVS ORBIS SPES CONCEPTA.

Ergo, fratres, tota hilaritate animi exultemus in Domino, & iubilemus Deo salutari nostro. hæc de cætero pro eis quæ iam oblata sunt, ea quæ adhuc expectantur implenda, vera esse credamus. Quæ enim præfata sunt, Domino dicente[g], Alias oues habeo, quæ non sunt

[g] Ioan. 10.

ex hoc ouili, & illas oportet me adducere, & fiet vnus grex, & vnus pastor: ecce contuemur A
fuisse completa. Pro qua re non dubitemus totum mundum posse in Christum credere, at-
[a] Matt. 24. que ad vnam Ecclesiam conuenire: quoniam rursus ipso testificante didicimus Euangelio[a]:
Et prædicabitur (inquit) hoc Euangelium regni in vniuerso Orbe in testimonio omnibus
gentibus; & tunc (inquit) veniet consummatio. Si ergo remansit pars aliqua mundi, vel gens
barbara, quam fides non irradiauit Christi; profectò credituram, atque in vnam Ecclesiam
esse venturam, nullo modo dubitemus, si ea quæ Dominus dixit, vera esse putamus.

Ergo, fratres, reposita est loco malignitatis bonitas, & errori occurrit veritas: vt quia su-
perbia linguarum diuersitate ab vnione gentes separauerat, eas rursus gremio germanitatis
colligeret charitas: & quemadmodum vnus possessor est mundi Dominus, ita & possessio-
[b] Psal. 2. nis eiusdem vnum cor, & vnus animus. Pete à me (ait[b]) & dabo tibi gentes hæreditatem
tuam & possessionem tuam terminos terræ. Propterea & ex vno homine propagatum est B
omne genus humanum, vt qui ex illo vno procederent, vnam sperarent vnitatem & quæ-
rerent & diligerent. Ordo ergo naturalis exposcit, vt qui ex vno homine trahunt originem,
mutuam retineant charitatem; nec dissentiant à fidei veritate, qui non disiunguntur natu-
rali propagine. hæreses verò vt diuisiones è fonte emanant vitiorum: vnde quicumque ad
vnitatem venit, ex vitio ad naturam redit: quia sicut naturæ est fieri ex pluribus vnitatem,
sic est vitij fraternitatis vitare dulcedinem. Erigamur ergo tota mente in gaudio; vt quæ
gentes studio decertandi perierant, simul & in amicam Christi vnam Ecclesiam percur-
rant, in quam eas rursus reducit & concordia charitatis.

[c] Isaiæ 2. DE ECCLESIA PROPHETICA VATICINIA. De hac profectò Ecclesia vaticinatur Propheta, dicés[c]: Domus mea domus orationis vo-
cabitur omnibus gentibus. Et iterum: Erit (inquit) in nouissimis diebus præparatus mons
domus Domini in vertice montiũ, & eleuabitur super colles, & fluent ad eum omnes gen- C
tes, & ibunt populi multi & dicent: Venite ascendamus ad montem Domini, & ad domum
Dei Iacob. Mons enim Christus est: domus Iacob vna Ecclesia est eius, ad quam & gẽtium
concursus & populorum pronunciat confluere conuentum; de qua rursus in alio loco dicit
[d] Isaiæ 60. prophetia[d]: Surge illuminare Hierusalem, quia venit lumen tuum, & gloria Domini super
te orta est, & ambulabunt gentes in lumine tuo, & Reges in splendore ortus tui. Leua in cir-
cuitu oculos tuos & vide. Omnes isti congregati sunt, & venerunt tibi, & ædificabunt (in-
quit) filij peregrinorum muros tuos, & Reges eorum ministrabunt tibi. Qui vt notesceret
quæ ventura essent genti vel populo, quæ ab vnius Ecclesiæ communione recidissent, secu-
tus est: Gens enim & regnum, quod non seruiet tibi, peribit. Alio denique loco similiter
[e] Isaiæ 55. DE VNITATE ECCLES. ait[e]: Ecce gentem, quam nesciebas, vocabis; & quos non cognoueras, ad te current.

Vnus est enim Christus Dominus, cuius est vna per totum mundum Ecclesia sancta pos- D
sessio: ille igitur caput, & ista corpus; de quibus in principio Geneseos dicitur: Erunt duo in
carne vna. quod Apostolus in Christo intelligit & in Ecclesia. Dum ergo ex omnibus gen-
tibus Christus vnam vult habere Ecclesiam: quicumque extraneus est ab ea, licet Christi
nomine nuncupetur, Christi tamen corporis compage non continetur. Hæresis enim, quæ
respuit Catholicæ Ecclesiæ vnitatem, eo quòd adulterino amore diligat Christum, non
vxoris, sed concubinæ obtinet locum: quoniam re vera duos dixit Scriptura esse in carne
vna, videlicet Christum & Ecclesiam, quo locum meretrix nullum inuenit tertium. Vna
est (ait Christus) amica mea, columba mea, vna est sponsa mea, vna est genitricis suæ filia.
De qua item eadem Ecclesia pronunciat, dicens: Ego dilecto meo, & dilectus meus mihi.
Quærant nunc hæreses à quo constuprentur, vel cuius sint prostibulum factæ: quoniam ab-
immaculato toro recesserunt Christi, à quo quanto pretiosam esse nouimus consutelam E
charitatis, tanto Dominum hac celebritate laudemus, quòd gentes, pro quibus sanguis fu-
sus est vnigeniti sui, non est passus extra vnum ouile diaboli dentibus deuorari.

Lugeat igitur veternosus prædo, suam prædam amisisse: quia impletum videmus, quod
[f] Isaiæ 49. DE GAVDIO ET PACE ECCLESIAE LVGET DIABOLVS. Propheta vaticinante audiuimus: Equidem (inquit[f]) & captiuitas à forti tollitur; & quod
ablatum fuerat à robusto, saluatur. Arietem enim discordiæ, quem fabricauerat diabolus,
pax Christi destruxit: & domus, quæ diuisione in mutuam certabat cædem, vno iam Chri-
sto lapide angulari coniungitur. Dicamus ergo omnes[g]: Gloria in excelsis Deo, & in terra
[g] Luc. 2. pax hominibus bonæ voluntatis. Nullum enim præmium charitati compensatur, inde
omni gaudio præponitur: quia pax & charitas facta est, quæ omnium virtutum obtinet
principatum. Superest autem, vt vnanimiter vnum omnes regnum effecti, tam pro stabi-
litate regni æterni, quàm pro felicitate cælestis Dominum precibus adeamus; vt regnum
& gens,

A & gens, quæ Christum glorificat in terris, glorificetur ab illo non solùm in terris, sed etiam in cælis. Amen.] ita perorauit ante Synodum sanctus Leander simplici & impolito stylo (vt sæculi huius barbarie siluescẽtis conditio ferebat) sed diuina scientia valde referto & sapientia mirificè exornato, instar arboris licet cortice durioris, tamen pomorum pendulorum fœcunditate pulcherrimæ.

Congegatis igitur in vnum sanctis Episcopis, Reccaredus Rex & ipse in eadem Synodo coram Patribus habuit sermonem: nam eiusdem Synodi hæc habent Acta*: Cùm pro fidei sinceritate idem glorioſissimus Princeps omnes regiminis sui Pontifices in vnum conuenire mandasset, vt tam de eius conuersione, quàm de gentis Gothorum innouatione in Domino exultarent, & diuinæ dignationi pro tanto munere gratias agerent: Sanctissimus idem Princeps sic venerandum Concilium alloquitur, dicens:

* Synod. Toler. 3. Tom. 1. Concil.

B Non incognitum reor esse vobis, reuerendissimi sacerdotes, quòd propter instaurandam disciplinæ Ecclesiasticæ formam ad nostræ vos serenitatis præsentiam euocauerim. Et quia decursis retro temporibus hæresis imminens in tota Ecclesia Catholica agere Synodica negotia denegauit: Deus, cui placuit per nos eiusdem hæresis obicem depellere, admonuit instituta de more Ecclesiastica reparare. Ergò sit vobis iucunditatis, sit gaudij, quòd mos canonicus prospectu Dei per nostram gloriam ad paternos reducitur terminos. Prius tamen admoneo pariter & exhortor, ieiuniis vos & vigiliis atque orationibus operam dare, vt oratas nostra se nescire fatetur, diuino vobis dono rursus pateſiat.] hæc Rex Reccaredus est locutus in Synodo. Sed postea Acta: Ad hæc autem gratias Deo agentes, & religiosissimo Principi vniuerso Consilio laudibus acclamante, triduanum est exinde prædicatum ie-

REGIS ORATIO IN SYNODO HABITA.

C iunium. Sed cùm octaua Iduum Maiarum in vnũ cœtum Dei sacerdotes adessent, & oratione præmissa vnusquisque sacerdotum competenti loco resedisset: ecce in medio eorum adfuit serenissimus Princeps, seque cum Dei sacerdotibus orationi communicans, diuinò deinceps flamine plenus sic ad loquendum exorsus est, dicens:

Non credimus vestram latere sanctitatem, quanto tempore in errore Arianorum laborasset Hispania, & non multos post decessum genitoris nostri dies, quibus nos vestra beatitudo fidei sanctæ Catholicæ cognouit esse sociatos, et edimus generaliter magnum & æternum gaudium habuisse. Et ideo, venerandi Patres, ad hanc vos peragendam congregandos decreuimus Synodum, vt de omnibus nuper aduenientibus ad Christum, ipsi æternas Domino gratias deferatis. Quicquid verò verbis apud sacerdotium vestrum nobis agendum erat de fide atque spe nostra, quam gerimus, in hoc tomo conscripta atque allegata noteſci-

REX AD SYNODVM VERBA FACIT.

D mus. Relegatur ergo in medio vestri tomus, vt in iudicio Synodali examinatus, per omne succiduum tempus gloria nostra eiusdem fidei testimonio decorata clarescat.] hæc Princeps. perguut Acta: Susceptus est autem ab omnibus Dei sacerdotibus, offerente Rege, sacrosanctæ fidei tomus, & pronunciante Notario clara voce, recensitus est ita:

Quamus Dominus Deus omnipotens pro vtilitatibus populorum, regni nos culmen subire tribuerit, & moderamen gentium non paucarum regiæ nostræ curæ commiserit: meminimus tamen nos mortalium conditione perstringi, nec posse felicitatem futurę beatitudinis aliter promereri, nisi nos cultui veræ fidei deputemus, & conditori nostro saltem confessione, qua dignus est ipse, placeamus. Pro qua re, quanto subditorum gloria regali extollimur, tanto prouidi esse debemus in his quæ ad Deum sunt, vel nostram spem augere, vel gentibus nobis à Deo creditis consulere.

E Cæterùm quid pro tantis beneficiorum collationibus omnipotentiæ diuinæ valeamus tribuere, quando omnia ipsius sunt, & bonorum nostrorum nihil egeat, nisi vt eum sic tota deuotione credamus, quemadmodum per Scripturas sacras se ipse intelligi voluit & credi præcepit: id est, vt confiteamur Patrem qui genuerit ex substantia sua Filium sibi coæqualem & coæternum, non tamen vt idem sit natus & genitor, sed persona alius sit Pater qui genuit, alius sit Filius qui fuerit generatus; vnius tamen vtrique substantiæ in diuinitate subsistat: Pater ex quo sit Filius, ipse verò ex nullo sit alio: Filius qui habeat Patrem, sed sine initio & sine diminutione in ea qua Patri coæqualis & coæternus est, diuinitate subsistat. Spiritus sanctus à nobis confitendus est & prædicandus à Patre & Filio procedere, & cum Patre & Filio vnius esse substantiæ, tertiam verò in Trinitate Spiritum sanctum esse personam, qui tamen communem habeat cum Patre & Filio diuinitatis essentiam. Hæc enim sancta Trinitas vnus est Deus, Pater & Filius & Spiritus sanctus, cuius bonitate (om-

EXACTA S. TRINITATIS PROFESSIO.

Quicumque in Patre & Filio & Spiritu sancto & personas non distinguit, & vnius diuinitatis substantiam non agnoscit; anathema sit. A

Quicumque Filium Dei Dominum nostrum Iesum Christum, & Spiritum sanctum esse Patre minorem asseruerit, & gradibus separauerit, creaturamq; esse dixerit; anathema sit.

Quicumque Patrem & Filium & Spiritum sanctum vnius substantiæ, & omnipotentiæ, & æternitatis esse non crediderit; anathema sit.

Quicumque nescire Filium Dei, quod Deus Pater sciat, dixerit; anathema sit.

Quicumque initium Filio Dei & Spiritui sancto deputauerit; anathema sit.

Quicumque Filium Dei secundum diuinitatem suam visibilem aut passibilem ausus fuerit proferre; anathema sit.

Quicumque Spiritum sanctum, sicut Patrem & Filium, verum Deum omnipotentem esse non crediderit; anathema sit. B

Quicumque aliam fidem & communionem Catholicam, præter quam in Ecclesia vniuersali, quæ Nicæni, & Constantinopolitani, & primi Ephesini, & Chalcedonensis Concilij decreta tenet pariter & honorat; anathema sit.

Quicumque Patrem & Filium & Spiritum sanctum honore & gloria & diuinitate separat & disiungit; anathema sit.

Quicumque Filium Dei & Spiritum sanctum cum Patre non crediderit esse glorificandum & honorandum; anathema sit.

Quicumque rebaptizandi sacrilegium opus esse bonum credit, aut crediderit, egit, aut egerit, anathema sit.

DAMNATIO LIBELLI EDICTI ET CONCILII ARIMINEN SIS.

Quicumque libellum detestabilem duodecimo anno Leuuigildi Regis à nobis editum, in quo continetur Comanorum ad Arianam Ecclesiam traductio; & Gloria Patri per Filium in Spiritu sancto, & malè à nobis instituta continentur: hunc libellum si quis pro vero habuerit; anathema sit in æternum. C

Quicumque Ariminense Concilium ex toto corde non respuerit & damnauerit; anathema sit.

PLENIOR ET EXVBERANS GOTHORVM EPISCOPORVM PROFESSIO.

Confitemur enim, nos ex hæresi Ariana toto corde, tota anima, & tota mente nostra ad Ecclesiam Catholicam fuisse conuersos. Nulli dubium sit, nos, nostrosque decessores errasse in hæresi Ariana, & fidem Euangelicam atque Apostolicam nunc intra Ecclesiam Catholicam didicisse. Proinde fidem sanctam, quam religiosissimus dominus noster patefecit in medio Concilij & manu sua subscripsit, hanc & nos tenemus, hanc confitemur pariter & suscipimus, hanc in populis prædicare & docere promittimus. Hæc est vera fides, quam omnis Ecclesia dum per totum mundum tenet, Catholica esse creditur & probatur. D Qui hæc fides non placet, aut non placuerit, sit anathema maranatha in aduentu Domini nostri Iesu Christi. Quicumque fidem spernit Nicæni Concilij, anathema sit. Quicumque fidem Concilij Constantinopolitani centum quinquaginta Episcoporum veram esse non dixerit, anathema sit. Qui fidem Ephesinæ Synodi primæ & Chalcedonensis non tenet, & ea non delectatur, anathema sit. Proinde & damnationem hanc perfidiæ communionis Arianæ & omnium Conciliorum hæresim Arianam fouentium cum anathemate eorum manu propria subscripsimus. Constitutiones verò sanctorum Conciliorum Nicæni, Constantinopolitani, Ephesini, vel Chalcedonensis, quas gratissima aure audiuimus, & consensione nostra veras esse probauimus, de toto corde, & de tota anima, & de tota mente nostra subscripsimus, nihil ad cognitionem veritatis lucidius arbitrantes, quàm quæ supradictorum Conciliorum continent auctoritates. E

De Trinitate autem & vnitate Patris & Filij & Spiritus sancti nihil his verius, nihil lucidius vmquam potest vel potérit demonstrari. De mysterio incarnationis vnigeniti Filij Dei pro salute humani generis, quo & vera probatur humanæ naturæ sine peccati contagione susceptio, & permanentis incorruptæ in eo diuinitatis plenitudo, dum & natura vtraquè non deperit, & vna sit ex vtraq; Domini nostri Iesu Christi persona, satis plenè in his Conciliis probatur patefieri veritate, & à nobis creditur, omni dubitatione remota.

POENA IMPIO. PRAEMIVM SEQVITVR ORTHODOXOS.

Qui vnquam hanc fidem sanctam deprauare, corrumpere, mutare tentauerit, aut ab eadem fide, vel communione Catholica, quam nuper sumus Deo miserante adepti, egredi, separari, vel dissociari voluerit; sit Deo & vniuerso mundo crimini infidelitatis in æternum obnoxius. Floreat autem Ecclesia sancta Catholica per omnem mundum pacatissimè, & emineat doctrina, sanctitate, & potestate. Si qui intra eam fuerint, crediderint, communi-

A municauerint: hi audient ad dexteram Patris positi: Venite benedicti Patris mei, percipite regnum quod vobis paratum est ab origine mundi. Si qui autem ab ea recesserint, eiusque detraxerint fidei,& communionem respuerint:hi audient ex ore diuino in die Iudicij: Discedite à me maledicti: nescio vos: ite in ignem æternum,qui paratus est diabolo & angelis eius. Sint ergo damnata & in cælo, & in terra, quæcumque per hanc fidem accipiuntur, regnante Domino nostro Iesu Christo, cui cum Patre & Spiritu sancto est gloria in sæcula sæculorum.] At quid post Gothorum confessionem editam Rex maximè pius?

Rursum sanctam Synodum allocutus, illud inter alia petiit, vt in omnibus Hispaniarum prouinciis, quod in Synodo semel factum esset de Catholicæ fidei assertione, id semper repeti deberet in Ecclesiis,cùm quisque eorum sacram esset sumpturus Eucharistiam. Sed audi verba ipsius:Hoc(inquit)adhuc necessariò pro firmitate fidei Catholicæ nostra Deo sup-
B plex instituere decreuit auctoritas,vt propter roborandam gentis nostræ nouellam conuersionem omnes Hispaniarum & Galliciæ Ecclesiæ hanc regulam seruent, vt omni sacrificij tempore ante communicationem corporis Christi & sanguinis iuxta Orientalium partium morem, vnanimiter clara voce sacratissimum fidei recenseant Symbolum:vt primùm populi,quam credulitatem teneant, fateantur, & sic corda fide purificata ad Christi corpus & sanguinem percipiendum exhibeant.

SYMBOLVM FIDEI ANTE EVCHARISTIAM.

Dum enim hæc constitutio fuerit perenniter conseruata in Dei Ecclesia, & Fidelium ex solido corroboratur credulitas, & perfidia infidelium confutata, ad id quod repetitum sæpiùs recognoscit, facillimè inclinatur: nec se quisquam iam de ignorantia fidei excusabit à culpa, quando vniuersorum ore cognoscit, quid Catholica teneat & credat Ecclesia. Omnibus ergo capitulis,quæ adhuc per vestram sanctitatem regulis Ecclesiasticis adiicien-
C da sunt, hoc pro fidei sanctæ reuerentia & firmitate proponite,quod de proferendo Symbolo nostra Deo docente, decreuit serenitas. De cætero autem, prohibendis insolentium moribus, mea vobis consentiente clementia,sententiis terminate districtioribus: & firmiore disciplina, quæ facienda non sunt, prohibete; & ea quæ fieri debent, immobili constitutione firmate.] hactenus Rex Catholicus ad Patres in Synodo consistentes, in omnibus exemplar religiosissimi Principis præseferens, qui (vt par est) leges accipiat à sacerdotibus. Patuerunt ipsi quidem, leges Ecclesiasticas sancientes, quibus & regnum bene disponi posset. In primis verò ad integrum consequendum conseruandumque splendorem Hispanicarum Ecclesiarum diu denso nubilo hæresis vel superstitionis Gentilicæ obscuratum, satis consultum visum est Patribus,si(quod primo canone statuunt) permaneant(vt aiunt) in suo vigore Conciliorum omnium constituta, simul & Synodicæ sanctorum Præsulum
D Romanorum epistolæ.

DE RETINENDA MORVM DISCIPLINA.

Inter alia verò saluberrima decreta, vt prauus ille vsus aboleretur efficiunt,quo ad sæculare forum clericus clericum traheret, ista sancientes[a]: Diuturna indisciplinatio, & licentiæ inolita præsumptio vsque adeò illicitis ausibus aditum patefecit, vt clerici conclericos suos,relicto Pontifice,ad iudicia publica pertrahant. Proinde statuimus hoc de cætero non præsumi. Si quis hoc præsumpserit facere: & causam perdat, & à communione efficiatur extraneus.] hæc Patres, non recens quippiam in Ecclesia statuentes, sed quod semper antè factum esset, ad legitimam obseruantiam reuocantes, nempe vt nullum aliud tribunal nisi Ecclesiasticum clerici scirent, laicisque inconcessum esset ad sæculare forum clericum trahere, quod conclerico scirent esse vetitum. vnde magis erubescant, qui eam quam inolitam dicunt Patres præsumptionem, & indisciplinationem condemnant atque procul ab-
E iiciunt, impudenter nimis scriptis dictisque satagunt restituere.

[a] *Conc. Tolet. 3. c. 13.*

Quantum autem ista cauenda curarint sanctissimi Patres illi qui Synodo interfuerunt, atque religiosissimus ipse Rex in conuersione Gothorum & Sueuorum Apostoli vice functus vitanda censuerit; qui in eodem Concilio decimusoctauus sancitus est canon hîc nobis recitandus ostendit, qui sic se habet[b]:

[b] *Conc. Tolet. c. 38.*

Præcepit hęc sancta & vniuersalis Synodus,vt stante priorum auctoritate canonum,quæ bis in anno præcepit congregari Concilia,consulta itineris longitudine, & paupertate Ecclesiarum Hispaniæ,semel in anno in loco, quem Metropolitanus elegerit, Episcopi cõgregentur: Iudices verò locorum, aut Actores fiscalium patrimoniorum, ex decreto domini nostri Reccaredi Regis simul cum sacerdotali Concilio, autumnali tempore,die Kalendarum Nouembrium in vnum conueniant: vt discant quàm piè & iustè cum populis agere debeant, nec in angariis aut in operationibus superfluis siue priuatum onerent,siue fiscalem grauent.

grauent. Sint prospectores Episcopi, secundùm regiam admonitionem, qualiter Iudices cum populis agant, vt ipsos prænonitos corrigant, aut insolentiam eorum Principum auribus innotescant. Quòd si correptos emendare nequiuerint: & ab Ecclesia, & à communione suspendant. A sacerdote verò & senioribus deliberetur, quid per prouincias sine detrimento præstare debeant Iudices, si ad Concilium non venerint.] hæc de his canon. A

Ex his quidem non tantùm hæc sancientes sunt commendandi Episcopi, sed ipse Rex summis laudibus celebrandus: vtpote quod nonnisi ipso annuente, volente, atque fortasse etiam præcipiente, aduersus sæculares magistratus quos præficeret ipse prouinciis, voluerit inuigilare sanctos Episcopos, ne quid ab illis præter ius fasque decerneretur; probè sciens, parentum esse, filios quoslibet errantes corripere; esse pastorum, oues quascumque siue arietes eadem disciplina pecuaria coercere. Si verò id prætermittant Episcopi, & quod prædicantur & in Synodo à Patribus nominantur, prospectores desinant esse & monitores; diram illam per Ezechielem [a] annunciatam diu antè sententiam infelices accipient, qua segnis speculator corripiendus erit, qui buccina non insonuerit, vt ab irruente gladio diuinæ vindictæ suos liberent, & periculum anteuertant. Vetus est de his sanctio [b] Ecclesiastica, qua iubentur Episcopi inuigilare super Præsides prouinciarum, ne quid contra disciplinam committant: quod si præsumant, anathemate percelluntur. Sed & antiqua est constitutio Imperatorum Christianorum (vt suo loco diximus) qua Præfectorum tribunalibus præesse debere monentur Episcopi. At de Synodi canonibus satis: quod verò ad reliqua Concilij Acta pertinet, aliquid in eis desiderari posse videtur, cùm alia ab eodem Rege statuta esse tradantur, quæ in eisdem Actis minimè reperiuntur expressa: nam & regio dicitur sancitum edicto, vt libri omnes hæreticorum igni comburendi darentur. testatur id quidem Aimoinus [c]. B C

[a] Ezech. 33.

[b] Conc. Arelat. cap. 7.

[c] Aimon. de rebus Franc. lib. 3. c. 77.

Statutis igitur à sancta Synodo vigintitribus canonibus, Rex Reccaredus edidit sanctionem de firmitate Concilij, cuncta quæ in eo sunt statuta recensens, pœnam ea non seruantibus addens. est eius exordium: Amatores nos sui diuina faciens veritas, &c.] quam sequitur mox ipsius Regis subscriptio, atque omnium qui interfuerunt Episcoporum numero sexagintaseptem, illis computatis qui per legatos subscripserunt. Cæterùm in tomis Conciliorum errore omissus habetur S. Leander Hispalensis Episcopus, qui ex vicaria præfectura, siue (vt Tudensis ait) ex legatione Apostolicæ sedis, primo loco legi debuerat: equidem non omissum oportuit, qui Gothorum conuersione, Gothorum Apostolus dici meruit, de quo S. Isidorus hæc ait in Chronico: Interfuit tunc dignitate Primas ille Catholicus & Orthodoxus Leander Hispalensis Episcopus & Romanæ sedis legatus sanctitate & doctrina perspicuus.] Desideratur in subscriptione & Euprepij * nomen, quem collaborasse cum Leandro testatur Ioannes Abbas Biclarensis idemque Episcopus Gerundensis, qui in hunc vsque annum quod scripsit temporis Chronicon perduxit. Qui autem primo loco subscriptus inuenitur Mausona Emeritæ Archiepiscopus, egregia claruit sanctitate, cuius res præclarè gestæ scriptæ sunt à Paulo diacono Emeritensi, qui & Nuncti Abbatis miræ sanctitatis viri, qui his item temporibus floruit, Acta conscripsit, & aliorum.

S. LEANDER SYNODO INTERFVIT.

* Eutropij

D

Pro tanto pietatis munere Deus Reccaredum Regem hoc anno eripuit à coniuratione Argimundi Ducis exercitus, qui vt Rex fieret, aduersus eum vnà cum pluribus aliis conspirauit: quorum studiis Dei nutu detectis, capti omnes meritas dedere pœnas. Hæc quidem hoc anno post Concilium facta esse, idem qui suprà Ioannes Biclarensis suo Chronico affirmat.

Insuper idem filius pacis Reccaredus Catholicus Princeps hoc item anno, qui à Gregorio numeratur Childeberti Regis vndecimus, legatos rursus misit in Gallias ad Guntheramnum Francorum Regem: sed cùm nihil huiusmodi officio effeciisset, ipse Narbonam veniens, in Francorum ditionem irrupit, prædasque agens regressus est. hæc Gregorius [d]. De eiusmodi incursionibus & aliis visus est locutus Isidorus in Chronico, dum eiusdem Regis prædicans virtutem bellicam hæc addit: Sæpe etiam & lacertos contra Romanas insolentias & irruptionem Vuasconum mouit, vbi non magis bella tractasse, quàm potiùs gentem quasi in palæstra ludis pro vsu vtilitatis videretur exercuisse. Prouincias autem pater pœlio conquisiuit, iste pace seruauit, æquitate dispositi, moderamine rexit. Multi quoque aduersus eum tyrannidem assumere cupientes, detecti sunt, suumque machinationis consilium implere non potuerunt. E

[d] Greg. Turon. histo. Franc. lib. 8. c. 38.

RECCAREDI REGIS FORTITVDO BELLICA.

VIRTVTES RECCAREDI REGIS.

Fuit autem placidus, mitis, egregiæ bonitatis, tantamque in vulgus gratiam habuit, & tan-

A & tantam in animo benignitatem gessit, vt in omnium mentibus influens, etiam malos ad affectum sui amoris attraheret: adeò liberalis, vt opes priuatorum, Ecclesiarum prædia direpta à patre & fisco associata, iuri proprio restitueret: adeò quoque clemens fuit, vt populi tributa sæpe indulgentiæ largitione donaret: multos etiam ditauit rebus; plurimos sublimauit honoribus, opes suas in miseris, thesauros suos in egenis recondens, sciens ad hoc illi collatum regnum, vt eo salubriter vteretur, bonis initiis bonum finem adeptus: fidem enim rectæ gloriæ, quàm primùm percepit, nouissimè publica confessione pœnitentiæ cumulauit.] hæc Isidorus de virtutibus Reccaredi, quas etiam cùm Isidori germanus sanctus Leander postea suis litteris Gregorio Papæ significasset, respondens Gregorius hæc ad Leandrum inter alia habet[a]: Huius dum mihi per scripta vestra mores exprimitis, amare etiam quem nescio feciſtis.] hæc ipse. [a] *Greg. lib. 1. epist. 41.*

B De rebus Italiæ nihil præterea. In Sicilia autem hoc eodem anno, qui tertius numeratur ante illud tẽpus, quo S. Gregorius Papa epistolam[b] scripsit ad Petrum subdiaconum in Sicilia de rebus Siculis, subdiaconi prohibiti sunt cũ vxoribus ante subdiaconatum sibi coniunctis permanere, iussiq; sunt vt Ecclesiæ Romanæ more continentiam seruarent, cùm tamen iisdem antea permissum fuisset vxorem ducere: quod postea Gregorius aboleuit. ait enim: Ante triennium subdiaconi omnium Ecclesiarum Siciliæ prohibiti fuerant, vt more Romanæ Ecclesiæ nullatenus suis vxoribus miscerentur. Quod mihi durum atque incompetens videtur, vt qui vsum eiusdem continentiæ non inuenit, neque castitatem antè promisit, compellatur à sua vxore separari, atque per hoc (quod absit) in deterius cadat. Vnde videtur mihi, vt in præsenti die omnibus Episcopis dicatur, vt nullum subdiaconum facere præsumant, nisi qui victurum castè promiserit.] hæc Gregorius. Non in Sicilia tantùm, sed & C in Hispania continentiam subdiaconis minimè adhuc imperatam fuisse videri potest ex canone quinto Toletani Concilij hoc anno habiti, vbi sacerdotes tantùm atque diaconi absque vxoribus castè viuere admonentur. At de continentia clericorum latè superiùs. [b] *Greg. lib. 1. epist. 42.*

DE SVBDIACONORVM CONTINENTIA.

Quod verò pertinet ad res Orientis, hoc anno quarto Mauritij Imperatoris Philippicum Orientis Præfectum, Ducemq́ue exercitus aduersus Persas admirabilem cõsecutum victoriam tradunt tum Miscellæ[c] auctor, tum Cedrenus[d]. Ad confutandum quidem magorum vaticinium, cùm polliciti essent Regi Persarum omnino vincendos ab ipso esse Romanos, simulq́ue ostendendam ipsorum vanam superstitionem, tanta hæc Deus visus est præstitisse Christiano eidemque Catholico exercitui. Sed audiamus res gestas simplici stylo narratas[e]: Quarto Imperij Mauritij anno Philippicus egressus è regia vrbe, hostili sumpto apparatu, ad ciuitatem Amidam properat. Et collectis armatis, percontabatur eos, si in promptu haD berent properandi ad bellum. At Romanis iuramentis credulum eum reddentibus, se alacriter bellaturos: venit ad Anazarbũ. At verò Cardarigas (*Dux iste erat exercitus Persarum*) hoc comperto, risui auditionem mandauit, somnium esse quod dicebatur, opinans. Accersitisq́ue magis, interrogauit: Quis erit victoriæ dominus? Ast dæmonum placatores, Persas astruebant à diis victoriam laturos. Consultabant igitur Persæ magos, læti promissionibus facti, & parabant continuò compedes ex ligno ferroque quibus Romanos vinciant compeditos. Prætor autem commonet Romanos, ne agrorum exterminent labores; ne iustitia Dei, quæ malum odit, victoriam ad barbaros transferat. [c] *Miscel. l. 17.* [d] *Cedren. Annal. in Maurit.*

BELLVM PERSICVM PROSPERE GESTVM. [e] *Miscel. vbi supra.*

Postera die Prætor duos dirigit Phylarchos Sarracenorum, & capiunt Persas viuos, per quos motus aduersariorum didicerunt. Qui asseruere, Ducem velle quotidie barbaros in Romanos irruere. Porrò Philippicus diluculo vale dicens Romanis, tribus phalangibus occurrit in prœlium: ipseque assumpta Dei hominis facti imagine, quam ἀχειροποίητον, id est, non manu factam Romani prędicant, *eam videlicet quam ad Abagarum à Christo missam produnt veteres*, discurrens per aciem, armatis diuinam impertiebatur virtutem: & stans post aciem hæc retinens arma, lacrymis multis Deum placabat; sicque cælestium ordinum Principes auxiliatores assumpsit. Cùm autem bellum ageretur, Vitalianus Princeps aciei præ omnibus audaciùs motus, phalangem disrupit Persarum, & sarcinam tulit. Romani autem circa spolia cœpere vacare: quos aspiciens Philippicus, ne ad exuuias etiam reliqui reuersi, prœlij obliuiscerentur, conuersique barbari prædarent eos; Theodoro Tribuno galea sua imposita, misit gladio percutere eos, qui circa exuuias vacabant: quem videntes, & existimantes esse Philippicum, dimissis spoliis, properarunt ad bellum. Cùm autem bellum per multas horas ageretur, vox fit à Prætore, Persarum equos lanceis percutere: quo facto, in fugam versus est Persarum exercitus, & triumphõ ingenti potiti sunt Romani, & occiduntur

VENERANDA CHRISTI IMAGO COMITATA ROMANVM EXERCITVM VICTORIAM PARIT.

Persæ

Persæ multi, comprehenduntur etiam viui duo millia, & Byzantium mittuntur. Aufugit A quoque Cardarigas, quem Persæ cum iniuriis respuunt.

PHILIPPICI INCVRIA ROM. EXERCITVS IN DISCRIMEN CONIECTVS.

Porrò Philippicus Heraclium Heraclij patrem, qui postea Imperio præfuit, Subprætorem, exploratoremq; barbarorum transmisit, sumptisq; militibus Babyloniam adiit, & Clomannorum castellum obsidet. At verò Cardarigas elegit milites idiotas cum subiugalibus, & turba collecta, exercitum sese mouere iactabat, & per munita loca obscura nocte in dorsa Romanorum defugiunt, nequaquam fidentes se manus in eos missuros. Timore autem importuno cadente in Philippicum, fuga mirabili vsus est. Quo comperto Romani in fugam vertebantur per loca ad meandum difficilia, incurrentes pericula multa. Cumque Sol ortus esset, à calamitate liberantur, nemine persequente: & peruenientes ad Prætorem, hunc iniuriis pessimis blasphemabant. Verùm Persæ fictam existimantes fugam, persequi ausi non sunt. Porrò Heraclius transmeans Tygrim, quæ Claudiæ regionis erant insignia B præsidia igni tradebat, & sic ad Philippicum rediit cum spoliis multis.] hæc acta sunt hoc anno quarto Mauritij. Ostensum est omnia bene cessisse Romanis, quos in prœlio Saluatoris imago veneranda comitabatur, cùm hostes vinci fecerit, & Ducis incuriam, per quam vniuersus exercitus in maximum discrimen coniectus est, suis non permisit obesse.

Iam verò quæ ad huius anni finem contigerunt, ordine temporis describamus. Cùm enim cuncta felicia, siue in Occidente conuersione Gothorum, siue in Oriente debellatione Persarum acciderint, extrema anni huius Romanæ vrbi funesta admodum extitere, Tiberis in primis portentosa alluuione, & cuncta vastante inde secuta peste. De his acturi, in primis quæ sunt temporis rationis, quo veluti recta deducta linea, quæ dicenda sunt, veritati æquè consona disponantur, accuratiùs disquiramus: à qua aberrantes alij, sequenti, post sequentem verò alij annum, alij vlteriùs nimis absurdè collocant, ex quibus alios deteC riores suboriri errores necesse sit.

DE TEMPORE INVNDATIONIS TIBERINAE.

Cùm autem id de alluuione accidisse constet mense Nouembri Indictionis octauæ, quæ hoc anno incipit mense Septembri: nihil est vt de his dubitari possit. At ne de asserta Indictione octaua possit aliqua dubitatio suboriri, accipe firmitatem ex litteris scriptis à S. Gregorio Papa in fine anni sequentis, cùm Pontifex creatus est, & inuenies eas datas nona Indictione, cùm constet anno ante eius creationem, dicto mense & Tiberim exundasse, & paulo pòst pestilentiam exortam esse. Rursum firmatum id habes etiam ipsius S. Gregorij assertione, cùm scribens Dialogorum libros anno tertio euoluto sui Pontificatus, dum de hac Tiberis excrescentia meminit[a], ante fere quinquennium accidisse testatur. Insuper adde, quòd cùm ipse numeret annum secundum sui Pontificatus cùm Mauritius iam septimum ageret in Imperio, constetq; (vt dicemus) anno sequenti creatum esse ipsum D Gregorium Papam, & ante annum ipsius creationis eiusmodi inundationem accidisse: planè ad huius anni finem (vt dictum est) eam esse referendam, nulla dubitatio reliqua esse potest. Hæc de temporis ratione satis.

[a] *Greg. dialog. lib. 3. cap. 19.*

Res gesta autem etsi à pluribus tum antiquis, tum recentioribus scripta habeatur, à nemine puto fideliùs esse narratam, quàm ab eo qui propè interfuit: is fuit diaconus Turonensis Ecclesiæ tunc ab eius Episcopo Gregorio in Vrbem missus, vt à Romano Pontifice reliquias Sanctorum acciperet, quas, defuncto Pelagio, à Gregorio adhuc diacono accepit: cuius relatione ipse Turonensis Episcopus Gregorius ista scripsit[b]: Anno (inquit) quintodecimo Childeberti Regis, diaconus noster ab vrbe Roma Sanctorum cum pignoribus veniens, sic retulit: Quòd anno superiori, mense nono, tanta inundatione Tiberis fluuius Vrbem obruit, vt ædes antiquæ diruerentur, horrea etiam Ecclesiæ subuersa sint, in quibus E nonnulla tritici modiorum millia periere. Multitudo enim serpentum cum magno dracone in modum trabis validæ per huius fluuij alueum in mare descendit: sed suffocatæ bestiæ inter salsos maris turbidi fluctus littori eiectæ sunt. Subsecuta est eueſtigio clades, quam inguinariam vocant.] hæc de lue. Subdit de obitu Pelagij Papæ; sed de eo inferiùs sequenti anno. Corrigendum in auctore illud putamus, errore in numeri notam illapso, dum ante annum decimumquintum Childeberti Tiberis excrescentiam ponit, cùm nonnisi ante annum decimum id esse factum, ex sua ipsius sententia de numero annorum Childeberti Regis dici necesse sit, hoc ipso scilicet anno. Eadem Paulus[c] atque Ioannes[d] diaconi tradunt.

[b] *Greg. Turon. lib. 10. c. 1.*

TIBERIS INVNDATIONE SERPENTES IN MARE DELATI.

Quod ad draconem pertinet vndis mersum & fluento delatum in mare: certum est minimè esse potuisse id genus serpentium, quos dracones naturalium rerum scriptores appellant, sed vulgò ita appellatas monstruosas illas reptantes bestias quæ magnitudine sua reliquos

[c] *Paul. diac. de Gest. Longob. lib. 3. c. 1.*
[d] *Ioan. diac. in Vit. S. Gregor. lib. 1. c. 34. 36.*

A reliquos serpentes excedunt: eas Plinius [a] boas nominat, quas & aliquando visas in regionibus his prope Tiberim positis tradit. [a] *Plin.lib.8. c.14.*

Porrò quod contingere solet, vt istiusmodi inundationes fluminum non vno in loco, sed in aliis circumcirca prouinciis sint communes: quid mirandum acciderit, cùm hoc eodem anno Athesis fluuius exundauit, alueumque transgressus longè lateque effluit, S. Gregorius Papa his narrat verbis [b]: Nuper Ioannes Tribunus relatione sua me docuit, quòd Pronulphus Comes cùm illic adesset, se cum Rege Antharith eo tempore in loco eodem, vbi mira res contigit, affuisse, eamque rem cognouisse testatus est. Prædictus enim Tribunus narrauit, dicens: Quia ante hoc ferè quinquennium, quando apud hanc Romanam vrbem alueum suum Tiberis egressus est, tantum crescens, vt eius vnda super muros vrbis influeret, atque inde iam maximas regiones occuparet: apud Veronensem vrbem fluuius Athesis B excrescens, ad beati Zenonis martyris atque Pontificis ecclesiam venit, cuius ecclesiæ dum essent ianuæ apertæ, aqua in eam minimè intrauit: quæ paulisper crescens, vsque ad fenestras ecclesiæ, quæ erant tectis proximæ, peruenit. Sicque stans aqua, ecclesiæ ianuam clausit, ac si elementum liquidum in soliditatem parietis fuisset mutatum. Cumque essent multi inuenti inferiùs, sed aquarum multitudine omni ecclesia circumdata, qua possent egredi, non haberent, ibique se fame & siti * deficere formidarent: ad ecclesiæ ianuam veniebant, ad bibendum hauriebant aquam, quæ (vt prædixi) vsque ad fenestras excreuerat, & tamen intra ecclesiam nullo modo diffluebat. Hauriri itaque aqua poterat, sed diffluere (vt aqua) non poterat, stans ante ianuam, ad ostendendum cunctis meritum martyris; & aqua erat ad adiutorium, & quasi aqua non erat ad inuadendum locum.] hucusque Gregorius, atque hactenus de alluuione: pestem autem cùm subsecutam tradat mense Ianuario [c], dicemus C de ea anno sequenti. * non siti [c] *Greg. hist. Franc.lib.10 c.1.*

DE INSIGNI MIRACVLO VERONAE EDITO. DE TEMPORE OBITVS PELAGII.

IESV CHRISTI ANNVS 590. PELAGII PAP. II. ANNVS 13. MAVRITII IMP. ANNVS 5.

NOnagesimus supra quingentesimum voluitur Christi annus, Indictionis octauæ, ipso sui exordio vrbi Romanæ funestissimus, cùm mense Ianuario lues inguinaria (vt auctor est Gregorius Turonensis [d]) inuasit populum, ex ira diuina (vt signa docuerunt) immissa: siquidem testatur Gregorius papa, visas esse sagittas cælitus delapsas in homines, quos D mox pestis improuisa percuteret. ait enim [e]: Ante triennium quoque hæc pestilentia, quæ hanc vrbem clade vehementissima depopulauit, in qua etiam corporali visu sagittæ cælitus venire, & singulos quosque ferire videbantur (sicut nosti) Stephanus itē defunctus est, &c.] de ipso verò Stephano agemus inferiùs. Sed quomodo ipso pestis exordio Pelagius Papa eadem tactus defunctus est, ita paucis Gregorius Turonēsis docet: Subsecuta est (inquit) deuestigio clades, quam inguinariam vocant: nam medio mense vndecimo (*Ianuarius is est*) adueniens, primum omnium (iuxta quod in Ezechiele Propheta legitur, A sanctuario meo incipite) Pelagium Papam perculit. Quo defuncto, magna strages populi facta est.] [d] *Greg. Turon.hist.Frā. lib.10.c.1.* DE PESTILENTIA VRBIS. [e] *Greg.dialo. lib.4.c.36.*

Habet Anastasius, defunctum esse Pelagium sexto Idus Februarias, cùm sedisset annos duodecim, menses duos, & dies vigintiseptem. Sed manifestè labi in errorem certum est eos qui alium deprauatum textum Anastasij secuti, tribuunt eidem Pontifici annos dumE taxat decem, menses duos, & dies decem: multoque magis qui obitum Pelagij, & creationem Gregorij reiiciunt in annum sequentem, vel qui diuerso anno Pelagij obitum, & Gregorij ponunt creationem; cùm eodem anno quo moritur Pelagius, post menses sex & dies vigintiquinque vacantis sedis; æquè certum sit suffectum esse Gregorium, inchoante Indictione nona, vt ex ipsius epistolis colligi potest. Longiùs verò errasse in tempore sedis Pelagij, & creatione Gregorij Beda [f] videtur, dum creationem Gregorij collocat sub anno decimo Mauritij Imperatoris, quam hoc anno quinto eiusdem Imperatoris contigisse certum est testificatione ipsiusmet Gregorij [g], dum (vt dictum est superiùs) sui Pontificatus anno secundo septimum numerat annum Imperij Mauritij. [f] *Bed.de Gest. Ang.lib.1. cap.23.* [g] *Greg.lib.1. in princ.*

His igitur de tempore obitus Pelagij ex sedis Gregorij ratione stabilitis, reliquum est, vt eiusdem Pontificis res gestas illas, quæ certo anno definiri nequeunt, hic simul ponamus, atque in primis quæ habet Anastasius, qui hæc præmittit de aquarum inundatione: Eodem

tempore tantæ pluuiæ fuerunt, vt omnes dicerent, quia aquæ diluuij superinundarent: & talis clades fuit, qualem à sæculo nullus meminit fuisse. Eodem tempore vestiuit corpus beati Petri Apostoli tabulis argenteis deauratis] Confessionem videlicet, vbi corpus erat sancti Petri, eo modo argento contexit. Hic (addit Anastasius) domum suam xenodochium fecit pauperum senum. Hic fecit cœmeterium beati Hermetis martyris. Hic fecit supra corpus beati Laurentij martyris basilicam à fundamentis constructam, & tabulis argenteis exornauit sepulchrum eius.] hæc Anastasius. A

RELIQVAE RES GESTAE PELAGII.

Quid verò mirandum atque pauendum tunc acciderit, cùm eiusdem sancti Laurentij corpus ab operariis quæreretur, audi sanctum Gregorium ista narrantem[a]: Sanctæ memoriæ decessor meus itidem ad corpus S. Laurentij martyris quædam meliorare desiderans, dum nescitur vbi venerabile corpus eius esset collocatum, & effoditur exquirendo, subitò sepulchrum eius ignoranter apertum est; & ij qui præsentes erant atque laborabant monachi & mansionarij, qui corpus eiusdem martyris viderunt, quod quidem minimè tangere præsumpserunt, omnes intra decem dies defuncti sunt, ita vt nullus superesse potuisset, qui sanctum & iustum corpus illius viderat.] hæc Gregorius. B

[a] *Greg. lib. 3. epist. 30.*

Inter alias res gestas ab ipso Pelagio Papa est mentio de Concilio Romano ab eodem habito: id quidem ipse testatur in epistola, quam postea scripsit ad Episcopos Germaniæ & Galliæ his verbis:

DE NOVEM PRAEFATIONIBVS ECCLES. ROM.

Cùm in Dei nomine in Romana Ecclesia Synodum Episcoporum siue ceterorum consacerdotum Dei fidelium congregatam habuissemus, & de Ecclesiasticis statutis, vt sunt ab Apostolis & sanctis Patribus tradita, diligentiùs tractaremus: superuenere litteræ vestræ, & vt magnæ essent auctoritatis, etiam viuæ voces præcesserunt, *nempe legatorum*, rogantes, vt ordinem prefationum, quas sancta Romana Ecclesia hactenus haberet, nostris litteris vobis remandaremus. Tunc de vestra voluntate & studio tam bono multum gauisi sumus, & sacrum Ordinem Romanum, sacraque Constituta nostrorum antecessorum solerter relegentes, inuenimus has nouem præfationes sacro catalogo tantummodo recipiendas, quas longa retro veritas in Romana Ecclesia hactenus seruauit: Vnã in Albis Paschalibus, aliam de Ascensione Domini, tertiam de Pentecoste, quartam de Natali Domini, quintam de Apparitione Domini, sextam de Apostolis, septimam de Trinitate, octauam de Cruce, nonam in ieiunio & Quadragesima tantummodo dicendam. has præfationes tenet & custodit sancta Romana Ecclesia: has tenendas vobis mandamus.] hucusque litteræ Pelagij Papæ de præfationibus in Missis dici solitis. C

DE ORATORIO IOANNIS PRESBYTERI.

Sub eodem Romano Pontifice tunc temporis à Ioanne S. R. E. presbytero erectum est oratorium apud Thermas Agrippinas, quod vsui esset seruis Dei, monachis videlicet; illudque redditibus locupletauit, scripto de his omnibus testamento, quo tradito Pelagio Papæ, è vita decessit. Cumque & post eum æquè Pelagius ex hac vita migrasset; qui postea in locum eius successit Gregorius, mutata voluntate testatoris, in eodem sacras virgines collocauit sub cura religiosæ feminæ Bonæ Abbatissæ. Extant de his omnibus ipsius Gregorij Papæ litteræ[b]: quibus intelligas, arbitrum esse Romanum Pontificem testamentorum ad pias causas conditorum, eaque si ratio persuadeat, in alium æquè pium vsum mutare. Ad postremum de rebus Pelagij hæc Anastasius: Hic fecit ordinationes duas per mensem Decembrem, presbyteros octogintaduos, diaconos octo, Episcopos per diuersa loca numero quadragintaocto. Cessauit Episcopatus eius menses sex, dies vigintiquinque.] hucusque Anastasius de Pelagio Papa. D

[b] *Greg. lib. 7. epist. 48.*

Ad postremum hîc referendum putauimus epistolæ fragmentum eiusdem Pelagij Papę ad Benignum Archiepiscopum, quod ex promptuariis Vaticanis erutum, hic tibi describendum curauimus. sic se habet. E

Epistola Pelagij 2. ad Benignum Archiepiscopum.

PELAGII PAP. AD BENIGNVM ARCHIEPIS. EPIST.

Quod enim in canonibus legitur: Non debere Episcopum de ciuitate transire vel transferri: non de his dicitur, qui aut vi expulsi, aut necessitate coacti, aut auctoritate maiorum hoc agunt; sed de his qui auaritiæ ardore inflammati sponte sua prosiliunt, & potius ambitioni, quàm vtilitati Ecclesiæ seruire, & vt dominationem agant, insistere cupiunt. Vnde & in subiectis canonibus continetur: Si aliquis extiterit temerarius, qui forsitan * accusationem afferat quòd populi litteras acceperit, & ideo migrauerit, dum manifestum sit, præmio & mercede paucos qui sinceram fidem non habent potuisse corrumpi, vt clamarent in Ecclesia, & ipsum * repetere viderentur Episcopum: omnino has fraudes remouen-

* excusationem

* repellere

A mouendas esse censemus. his verbis & aliis multis exemplis liquet non de his dicere, (vt paulo superiùs prælibatum est) qui pulsi, aut non recepti à ciuibus, vel à quibuscumque, aut necessitate cogente, vel auctoritate maiorum transeunt de ciuitate ad ciuitatem; sed de his qui sponte prosiliunt, aut temeritatis, vel ambitionis causa hoc faciunt. Nam aliud est sponte transire, & aliud est coactè aut necessitate venire; vnde non isti mutant ciuitates, sed mutantur, quia non sponte, sed coactè hoc agunt. Quis enim vmquam audet dicere sanctum Petrum Apostolorum principem non bene gessisse, quando mutauit Sedem de Antiochia Romam? aut quis eum negat ob id sanctum non esse; aut dignitatem & meritum Apostolatus tam in cælis quàm in terris perdidisse? aut quis dicat sanctos non esse multos alios Episcopos, qui de ciuitatibus ad ciuitates translati sunt, aut meritum Pontificatus perdidisse, quorum nomina si inciperem enumerare, antè dies transiret, quàm
B omnino transcribere possem, & prolixior fieret epistola, quàm necesse foret. Aut quis vmquam approbare potest, sanctos non esse Alexandrum, qui Hierosolymam de altera ciuitate translatus est, aut sanctum Gregorium Nazianzenum, qui Nazianzo Constantinopoli constitutus est; aut sanctum Proclum qui de Cyzico translatus est, & Constantinopoli est inthronizatus?

Non ergo bene intelligunt Ecclesiasticas regulas qui hoc negant causa vtilitatis aut necessitatis fieri non posse, quotiens communis necessitas, aut vtilitas persuaserit. Nullum enim ex his, aut ex aliis qui meliori consilio mutauerunt ciuitates, necessitate quadam vel vtilitate, Ecclesiastica, aut laica communione carere reperimus, ne vllatenus vmquam fieri debeat. Sententia verò quæ in Antiocheno Concilio habetur: Vt Episcopus ab alia parochia nequaquam migret ad aliam terram, atque omnes sententiæ de eadem re (vt superius comprehensa retinent) nihil prætaxato modo translationibus Episcoporum actis vel
C agendis nocent. Sed magis robur eis à Domini Saluatorisque omnes canonicos * superexaltetur libros auctoritate præstant. Tales autem quæstiones magis ex inuidia, quàm ex caritate, aut vtilitate nasci videntur, cùm ipsa per se Veritas dicat: Si verò persecuti fuerint in vnam ciuitatem, fugite in aliam, & reliqua. Huic ergo sententiæ nullus Catholicorum vsquam contradicere potest, quæ non alterius, sed ipsius proprio Domini ore prolata & confirmata esse dignoscitur, cui si aliquid contradixerit, non solùm extorris, sed etiam anathematizatus ab Ecclesia pellatur.

De eius autem successore S. Gregorio agemus sequenti tomo Annalium, quem octauum ordine ab ipso eiusque auspiciis auspicaturi sumus. Modò autem quæ reliqua sunt anni huius vsque ad mensem Septembrem, quo eiusdem Gregorij ordinatio contigit, enarremus,
D atque in primis quæ in monasterio S. Andreæ ad Cliuum Scauri de monachis quibusdam digna memoria contigerunt, cùm adhuc ipse Gregorius hoc anno in eodem suo degeret monasterio: vbi enim ex Oriente rediit, haud in palatiis vixit, sed in monasterio habitauit cum suis monachis, quibus nec pergens Constantinopolim (vt vidimus) carere voluit. Ad hunc namque annum referenda sunt, quæ post triennium ea scribens ipse accidisse testatur, vt suo loco manifestiùs ostendetur. ait igitur[a]: Neque hoc silendum puto, quod actum in meo monasterio ante triennium reminiscor. Quidam namque monachus, Iustus nomine, medicinali arte fuerat imbutus: qui mihi in eodem monasterio constituto sedulò obsequi atque in assiduis ægritudinibus meis excubare consueuerat. Hic itaque languore corporis præuentus, ad extremum deductus est. Cui in sua molestia frater germanus, nomine Copiosus, seruiebat, qui ipse quoque nunc in hac Vrbe per eamdem medicinæ artem tem-
E poralis vitæ stipendia sectatur. Sed prædictus Iustus, cùm iam se ad extremum peruenisse cognouisset, eidem Copioso fratri suo, quia occultatos tres aureos haberet, innotuit. Quod nimirum fratribus non potuit celari; sed subtiliter indagantes, atque illius omnia medicamenta perscrutantes, eosdem tres aureos inuenerunt absconsos in medicamine.

Quod mox vt mihi nunciatum est tantum malum de fratre qui nobiscum communiter vixerat, æquanimiter ferre non valui: quippe quia eiusdem mei monasterij semper regula fuerat, vt cuncti fratres ita communiter viuerent, quatenus eis singulis nulla habere propria liceret. Tunc nimio mærore percussus, cogitare cœpi, vel quid ad purgationem morientis facerē, vel quid ad exemplum viuentibus fratribus prouiderem. Pretioso igitur eiusdē monasterij Præposito ad me accersito, dixi: Vide vt nullus ex fratribus se ad eum morientē iungat, nec sermonem consolationis ex cuiuslibet eorum ore percipiat: sed cùm in morte constitutus fratres exquisierit, ei suus frater carnalis dicat, quia propter aureos quos occultatos

GREGORIVS DIACONVS DEGIT IN SVO MONASTERIO.

[a] *Greg dialo. lib. 4. cap. 55.*

QVAE HOC ANNO ACCIDERVNT IN MONAST. S. GREGORII.

habuit, à cunctis fratribus abominatus sit: vt saltem in morte de culpa sua mentem ipsius amaritudo transuerberet, atque à peccato quod perpetrauit, purget. Cùm verò mortuus fuerit, corpus illius cum fratrum corporibus non ponatur; sed quolibet in sterquilinio fossam facite, & in eam corpus eius proiicite; ibique super eum tres aureos, quos reliquit, iactate, omnes simul clamantes: Pecunia tua tecum sit in perditione. Et sic eum terra operite. In quibus vtrisque rebus vnam morienti, alteram verò volui prodesse fratribus viuentibus: vt & illum amaritudo mortis à culpa solubilem faceret, & istos auaritiæ tanta damnatio terreret, atque à culpa prohiberet. Nam cùm idem monachus peruenisset ad mortem, atque anxiè se quæreret commendari fratribus, & nullus è fratribus ei applicari & loqui dignaretur: ei carnalis frater, cur ab omnibus fratribus esset abominabilis, indicauit. Qui protinus de reatu suo vehementer ingemuit, atque in ipsa sua tristitia è corpore exiuit. Qui ita est sepultus, vt dixeram. Sed fratres omnes ex eadem eius sententia conturbati, cœperunt singuli extrema quæque & vilia, & quæ eis habere regulariter semper licuerat ad medium proferre, vehementerque formidare ne quid apud eos esset, vnde reprehendi potuissent.

Cùm verò post mortem eius triginta iam essent dies euoluti, cœpit animus meus defuncto fratri compati, eiusque cum dolore graui supplicia pensare, & si quod esset ereptionis eius remedium quærere. Tunc inuocato ad me eodem Pretioso monasterij mei Præposito, tristis dixi: Diu est quòd frater ille qui defunctus est, in igne cruciatur: debemus ei aliquid charitatis impendere, & eum (inquantum possumus) vt eripiatur, adiuuare. Vade itaque, ab hodierna die diebus triginta continuis offerre pro eo sacrificium stude, vt nullus omnino prætermittatur dies, quo pro absolutione illius hostia salutaris non offeratur. Qui protinus abscessit, & dictis paruit. Nobis autem alia curantibus, & dies euolutos non numerantibus, idem frater qui defunctus fuerat, nocte quadam fratri suo germano Copioso per visionem apparuit. Quem ille cùm vidisset, inquisiuit, dicens: Quid est, frater? quomodo es? Cui respondit: Nunc vsque malè fui: sed iam modò bene sum; quia hodie communionem accepi. Quod idem Copiosus pergens, protinus indicauit fratribus in monasterio. Fratres verò solicitè computauerunt dies, & ipse dies exstiterat, quo pro eo tricesima oblatio fuerat impleta. Cumque & Copiosus nesciret quid pro eo fratres agerent, & fratres ignorassent quid de illo Copiosus vidisset: vno eodemque tempore dum cognoscit ille quid isti egerant, & isti cognoscunt quod ille viderat, concordante simul visione & sacrificio, res apertè claruit, quia frater, qui defunctus fuerat, per salutarem hostiam euasit supplicium.] hactenus Gregorius de his quæ hoc anno, dum in suo adhuc degeret monasterio, contigerunt ante triennium quàm libros Dialogorum factus iam Pontifex scriberet. De quo item tempore & loco hæc idem superiùs[a]:

SACRIFICIVM SALVBRE PRO DEFVNCTIS.

[a] *Greg. dial. lib. 4. c. 47.*

Ante hoc autem triennium, cùm quidam frater fuisset mortuus, atque in eiusdem monasterij cœmeterio à nobis sepultus, cunctis nobis ab eodem monasterio exeuntibus, idem Ioannes (sicut nobis pallens & tremens indicauit) illic, nobis discedentibus, inuentus, ab eodem fratre qui mortuus fuerat, de sepulchro vocatus est; quod mox subsequès finis edocuit: nam post dies decem inuasus febribus, carne solutus est.] hæc de Ioanne, cuius virtutes paulò superiùs enarrauit.

DE IOANNE MONACHO.

Sed & quæ etiam hoc anno in eodem suo ipsius monasterio, cùm pestis vrgeret, acciderint memoria digna, ipso narrante audiamus, quæque ipse postea pro concione ad populum [b] in ecclesia dixit, & in Dialogis breuius recitauit his verbis[c]: Is de quo in homiliis coram populo me narrasse iam memini, inquietus valde Theodorus nomine puer fuit, qui in monasterium meum, fratrem suum necessitate magis quàm voluntate secutus est. Cui nimium graue erat, si quis pro salute sua aliquid loqueretur. Bona enim non solùm facere, sed audire non poterat. Numquam se ad sanctæ conuersionis habitum venire, iurando, irascendo, deridendo testabatur. In hac autem pestilentia, quæ nuper huius vrbis populum magna ex parte cõsumpsit, percussus in inguine, est perductus ad mortem. Cumque extremum spiritum ageret, conuenerunt fratres, vt egressum illius orando protegerent. Iam corpus ipsius ab extrema parte fuerat præmortuum; in solo tantùm pectore vitalis adhuc calor anhelabat. Cuncti autem fratres tanto pro eo cœperunt enixiùs exorare, quanto eum iam videbant sub celeritate discedere. Tunc repentè cœpit iisdem fratribus assistentibus clamare, atque cum magnis vocibus orationes eorum interrumpere, dicens: Recedite, recedite: ecce draconi ad deuorandum datus sum, qui propter vestram præsentiam deuorare me non potest: caput meum iam suo ore absorbuit: date locum, vt non me amplius

[b] *Greg. in Euang. homi. 38.*
[c] *Greg. dialo. lib. 4. c. 37.*

DE THEODORO INDISCIPLINATO MONACHO.

A ampliùs cruciet, sed faciat quod facturus est. Si ei ad deuorandum datus sum: quare per vos moras patior? Tunc fratres cœperunt ei dicere: Quid est quod loqueris, frater? signum tibi sanctæ Crucis imprime. Respondit ille, dicens: Volo me signare, sed non possum; quia squammis huius draconis premor.

Cumque fratres audirent, prostrati in terram cum lacrymis cœperunt pro ereptione illius vehementer orare. Et ecce subitò cœpit æger clamare, dicens: Gratias Deo: qui me ad deuorandum acceperat, fugit; orationibus vestris expulsus stare non potuit. Pro peccatis meis modò intercedite: quia conuerti paratus sum, & sæcularem vitam funditus relinquere. Homo ergo, qui (sicut iam dictum est) ab extrema corporis parte fuerat præmortuus, reseruatus ad vitam, toto corde ad Deum conuersus est; & postquam mutata mente diu est flagellis adstrictus, tunc eius anima carne soluta est.] hæc Gregorius.

B Sed nec prætermittenda quæ diuinitus ostensa sunt eodem pestis tempore de diuerso post obitum animarum statu militi cuidam, quæ idem Gregorius ita scribit [a]: Illustris vir Stephanus, quem bene nosti, de semetipso narrare consueuerat, quia in Constantinopolitana vrbe pro quadam causa demoratus, molestia corporis superueniente, defunctus est. Cumque medicus & pigmentarius ad aperiendum eum atque condiendum esset quæsitus, & die eodem minimè inuentus, subsequente nocte corpus iacuit inhumatum. Qui ductus ad inferni loca, vidit multa quæ priùs audita non credidit. Sed cùm præsidenti Iudici præsentatus fuisset, ab eo receptus non est: ita vt diceret: Non hunc adduci, sed Stephanum ferrarium iussi. Qui statim reductus in corpore est: & Stephanus ferrarius, qui iuxta eum habitabat, eadem hora defunctus. Sicq; probatum est, vera fuisse verba, quæ audierat, dum hæc effectus mortis Stephani demonstrauit. Ante triennium quoque in hac pestilentia quæ

C hanc vrbem clade vehementissima depopulauit, in qua etiam corporali visu sagittæ cælitus venire & singulos quosque ferire videbantur (sicut nosti) Stephanus idem defunctus est.] Quid autem acciderit de anima Stephani eiusdem, antequam dicamus, in hac eadem recensita historia paululum immoremur.

[a] *Greg. dialo. lib. 4. cap. 36.* DE STEPHANO VIRO ILLVSTRI.

Cùm hæc quæ scribit Gregorius ab eodem se Stephano audisse testetur, idemque esset Stephanus vir illustris, atque tum Romæ tum etiam Constantinopoli satis notus: omnis procul abesse debet de narrata historia impositurae suspicio. Hæc idcirco dixerimus, quòd eadem prorsus, perpaucis tantùm mutatis, à scriptoribus Gentilibus recensentur, atque in primis à Luciano Samosateno [b], de Cleodemo & Demylo fabro, vel quæ de alio itidem fabro Curina nomine scribuntur: quibus iteratis exemplis magis magisque ostendatur, diuina factum voluntate, vt sæpe aliquibus per species quasdam quæ percipi possint à cun-

D ctis, ostensæ sint pœnæ inferorum, quas ipsi ad vitam reduces viuentibus testarentur: quò homines fierent iustitiæ cultores, & timore saltem abstinerent à malo, vel præmij spe excitarentur ad bonum, ne rerum futuræ vitæ cognitionis penitus expertes mortales dilaberentur in deteriora.

EADEM SAEPE DIVINITVS OSTENSA.

[b] *Lucian. in Philopseud.*

Quæ verò per visum ostensa sint eodem anno militi itidem Romæ ex hac vita subducto, idem Gregorius mox subdit his verbis [c]: Quidam verò miles in hac eadem vrbe nostra percussus, ad extrema peruenit. Qui eductus de corpore, exanimis iacuit; sed citiùs redijt, & quæ cum eo fuerant gesta narrauit. Aiebat enim (sicut tunc res eadem etiam multis innotuit) quia pons erat, sub quo niger atque caliginosus fœtoris intolerabilis nebulam exhalans fluuius decurrebat. Transacto autem ponte, amœna erant prata atque vi-

E rentia odoriferis herbarum floribus exornata, in quibus albatorum hominum conuenticula esse videbantur: tantusque in eodem loco odor suauitatis inerat, vt ipsa suauitatis flagrantia illic deambulantes, habitantesque satiaret. Ibi mansiones erant diuersorum, singulæ magnitudine lucis plenæ. Ibi quædam miræ potentiæ ædificabatur domus, quæ aureis videbatur laterculis construi; sed cuius esset, non potuit agnosci. Erant verò super ripam prædicti fluminis nonnulla habitacula: sed alia exurgentis fœtoris nebula tegebat, alia autem exurgens fœtor è flumine minimè tangebat. Hæc verò erat in prædicto ponte probatio: Vt quisquis per eum vellet iniustorum transire, in tenebrosum fœtentemque fluuium laberetur; iusti verò, quibus culpa non obsisteret, securo per eum gressu ac libero ad loca amœna peruenirent.

[c] *Greg. dialo. lib. 4. c. 36.* DE VISIONE OSTENSA MILITI.

Ibi se etiam Petrum Ecclesiasticæ familiæ Maiorem, qui ante quadriennium est defunctus, deorsum positum in locis teterrimis magno ferri pondere religatum ac depressum vidisse confessus est. Qui dum requireret, cur ita esset: ea se dixit audisse, quæ nos qui eum

DE PETRO MAIORE FAMILIAE ECCL.

in hac Eccleſiaſtica domo nouimus, ſcientes eius acta, recolimus. Dictum namque eſt: A
Hic idcirco patitur: quia ſi quid ei pro facienda vltione videbatur, ad inferendas plagas
plus ex crudelitatis deſiderio quàm obedientiæ ſeruiebat. Quod ſic fuiſſe, nullus qui illum
nouit ignorat.

Ibi ſe etiam quemdam peregrinum preſbyterum vidiſſe fatebatur, qui ad prædictum
pontem veniens, tanta per eum auctoritate tranſijt, quanta & hîc ſinceritate vixit. In
eodem quoque ponte hunc quem diximus Stephanum ſe cognouiſſe teſtatus eſt: qui dum
tranſire voluiſſet, eius pes lapſus eſt, & ex medio corpore iam extra pontem deiectus, à
quibuſdam teterrimis viris ex flumine ſurgentibus per coxam deorſum, atque à quibuſ-
dam albatis & ſpecioſiſſimis viris cœpit per brachia ſurſum trahi. Cumque hoc luctamen
eſſet, vt hunc boni ſpiritus ſurſum, mali deorſum traherent; ipſe qui hæc videbat, ad cor-
PRAVIS MIXTA BONA NON PROSVNT. pus reuerſus eſt; & quid de eo pleniùs geſtum ſit, minimè cognouit. Qua in re de eiuſ- B
dem Stephani vita datur intelligi, quia in eo mala carnis cum eleemoſynarum operatione
certabant. Qui enim per coxas deorſum, per brachia trahebatur ſurſum, patet nimirum
quia & eleemoſynas amauerat, & carnis vitijs perfectè non reſtiterat, quę eum deorſum tra-
hebant. Sed in occulto Arbitri examine quid in eo vicerit, & nos & eum qui vidit & reuo-
catus eſt, latet. Conſtat tamen, quòd Stephanus poſtquam (ſicut priùs narraui) & inferna
loca vidit & ad corpus redijt, perfectè vitam minimè correxit: qui poſt multos annos de
corpore adhuc in certamine vitæ & mortis exijt. Qua de re colligitur, quia ipſa quoque
inferni ſupplicia cùm demonſtrantur, alijs hoc ad adiutorium, alijs verò ad teſtimonium
fiat, vt iſti videant mala quæ caueant, illi verò eo ampliùs puniantur, quoniam inferni ſup-
plicia nec viſa & cognita vitare voluerunt.] Ad hæc interlocutus Petrus diaconus, Grego-
rium compellans ait: C

QVALIS AEDIFICATIO CAELESTIVM MANSIONVM. Quid eſt hoc, quæſo te, quòd in amœnis locis cuiuſdam domus laterculis aureis ædifica-
ri videbatur? Ridiculum eſt valde, ſi credimus quòd in illa vita adhuc metallis egeamus.]
Ad hæc Gregorius: Quis (inquit) hoc ſi ſanum ſapit, intelligat? ſed pro hoc quod illic oſten-
ſum eſt, quiſquis ille eſt, cuius manſio iſta cõſtruebatur, apertè datur intelligi, quid eſt quod
hîc operatur. Nam qui præmia æternæ lucis eleemoſynarum largitate promerebitur, nimi-
rum conſtat, quia auro ædificat manſionem ſuam. Quod enim ſuperiùs memoriam fugit
vt dicerem; idem miles qui hæc viderat, narrabat, quòd eoſdem laterculos aureos ad ædifi-
cationem domus ſenes ac iuuenes, puellę ac pueri ferebant. Qua ex re colligitur, quia ſi qui-
bus hæc pietas facta eſt, ipſi illic operatores eſſe videantur.

DOMVS AVREA DEVS-DEDIT. Hic etiam quidam iuxta nos, Deuſdedit nomine, religioſus habitabat, qui calciamenta
ſolebat operari: de quo alter per reuelationem vidit, quòd eius domus ædificabatur, ſed in D
ea conſtructores ſui ſolo die ſabbati videbantur operari. Qui eiuſdem viri poſtmodum ſub-
tiliter vitâ inquirens, inuenit quia ex his quę diebus ſingulis laborabat, quicquid ex victu at-
que veſtitu ſupereſſe potuiſſet, die ſabbati ad beati Petri eccleſiam deferre conſueuerat, at-
que indigentibus erogare. Qua ex re perpende quia nõ immeritò domus ipſius fabrica cre-
ſcebat.] Sanè quidem quæ per viſum oſtenſa ſunt ſymbola veritatis, ex diuinis quoque Scri-
[a] Pſal. 88. pturis ſibi vendicant teſtimonium. ſi enim de ſtructura agitur, ſcriptum eſt[a]: Miſericordia
ædificabitur in cælis.] Et de lapidibus pretioſis ſiue laterculis aureis, habes præter alia multa
[b] 1. Cor. 3. Apoſtolum iſtud ipſum vberius exprimentem, cùm ait[b]: Si quis autem ſuperædificat ſuper
fundamentum hoc, aurum, argentum, lapides pretioſos, lignum, fœnum, ſtipulam, vniuſcu-
iuſque opus manifeſtum erit: dies enim Domini declarabit, quia in igne reuelabitur, & cu-
iuſque opus quale ſit, ignis probabit: ſi cuius manſerit opus quod ædificauit, mercedem ac- E
cipiet.] hæc & alia plurima id genus in diuinis Scripturis facile eſt inuenire, nõ ad inſinuan-
dum quid ſint, ſed quid ſignificare velint.

VERITAS QVOMODO IN FABVLAS CONVERSA. Qui igitur ea quæ diuinitus per quietem oſtenſa ſunt hominibus, abiectè nimis ac ſtul-
tè, prout dicta vel ſcripta ſunt, intelligit, nec ex ſymbolis veritatem quæ in eis latet elice-
re ſciuerit: ſumit anſam vt ſeria in iocos vertat, veritatem in commenta fabulaſque con-
uertat: vt factum vidimus apud Gentiles, dum quæ hiſtoricè in libris de Republica ſcri-
bit Plato viſa ab homine qui mortuus reuixit, & viſu mira horrendaque narrauit, tranſie-
re, ſuperadditis nonnullis, in poëticas fictiones, quæ à noſtris excuſſo ſuperinducto pulue-
re Gentilicio, altiori percepta ſenſu, veritati conſona retinentur, quæ diuinæ Scripturæ mi-
nimè repugnare noſcuntur, atque ſimilibus exemplis ſæpe oſtenſis pariter fulciuntur. Sed
de his ſatis.

Iam

A Iam verò reliqua videamus, quę hoc eodem anno, eadem lue grassante, contigerunt apud Romanum Portum de Mellito monacho; quæ idem S. Gregorius ita narrat [a]: in ea quoque mortalitate quæ ante triennium hanc vrbem vehementissima clade vastauit, in Portuensis ciuitatis monasterio Mellitus dictus est monachus adhuc in annis iuuenilibus constitutus, sed miræ simplicitatis ac humilitatis vir, qui appropinquante vocationis die, eadem clade percussus ad extrema perductus est. Quod vir vitæ venerabilis Felix eiusdem ciuitatis Episcopus audiens (cuius & hæc relatione cognoui) ad eum accedere studuit, & ne mortem timere debuisset, verbis hunc persuasorijs confortare: cui etiam adhuc de diuina misericordia longiora vitæ spatia polliceri cœpit. Sed ad hæc ille respondit, cursus sui tempora esse completa, dicens, apparuisse sibi iuuenem, atque epistolas detulisse, dicentem: Aperi & lege. Quibus apertis, asseruit, quia se & omnes qui eodem tempore à prædicto Episcopo in Paschali B festiuitate fuerant baptizati, scriptos in ijsdem epistolis litteris aureis inuenisset. Primùm quidem (vt dicebat) suum nomẽ reperit, ac deinde omnium illo in tempore baptizatorum. qua de re certum tenuit, se & illos de hac vita esse sub celeritate migraturos.

[a] *Greg. dialo. lib. 4. cap. 26.*

Factum est vt die eadem ipse moreretur, atque post eum cuncti illi qui baptizati fuerant ita secuti fuerunt, vt intra paucos dies nullus eorum in hac vita remaneret. De quibus nimirum constat, quòd eos prædictus Dei famulus idcirco auro scriptos viderat, quia eorum nomina apud se fixa æterna claritas habebat. Sicut itaque hi reuelationibus potuerunt ventura cognoscere, ita nonnumquam egressuræ animæ possunt etiam mysteria cælestia non per somnium sed vigilando prælibare.] subdit ad hæc demonstranda de his exempla eorum qui migraturi ex hac vita imbuti sunt spiritu prophetiæ. Ex his in mentem reuoco quæ Cicero [b] ait his verbis: Diuinare autem morientes etiam, illo exemplo confirmat Possido- C nius, quo affert Rhodium quemdam morientem sex æquales nominasse, dixisse qui primus eorum, qui secundus, qui deinceps moriturus esset.] quomodo autem id accidere possit, tres affert rationes, duas Gregorius, nimirum siue accidere per reuelationem; siue quòd è materia emergere iam egressuræ animæ inchoantes, prælibare quædam possunt de his quæ vinculis solutæ carnis intelligunt.

DE PRAEDICTIONIBVS PROXIM�æ MORITVRORVM.

[b] *Cicer. de Diuin. lib. 1.*

Hîc verò dum de hac agimus peste, non possumus non confutare errorem qui nulla veterum testificatione vulgò iactatur: ex hoc tempore scilicet, cùm pestis ingrueret, & homines morbo tacti sternutando mortui caderent, piè introductum, vt sternutantem quemlibet salutemus. Inoleuisse enim eiusmodi vsum apud Gentiles longè antè, Plinius [c] testatur: accidisse tamen certum est, vt aliter illi quàm nos eiusmodi salutationem impertirent deos inuocando, nos Deum. Sed de peste iam satis.

SALVTANDI MODVS ET NON VSVS INDVCTVS.

[c] *Plin. Natur. hist. lib. 28.*

D Hoc eodem anno pridie Nonas Nouembris celebrata est Synodus Hispalensis, cui præfuit S. Leander eiusdem ciuitatis Episcopus: ex nota enim Æræ sexcentesimæ vigesimæoctauæ, annoque Regis Reccaredi quinto assertum tempus definitur. Fuit ista Synodus prouincialis, cui interfuerunt octo Episcopi, qui tria in Synodo decreta firmata ad Pelagium, quem viuere putarent, direxerunt: inter quæ illud memorabile, quo statuerunt, sæculares Iudices, permissione tamen Episcopi, separare debere ancillas, aliasque extraneas mulieres à clericis: ita quidem, vt quod frequentissimè legibus Ecclesiasticis frustra vetitum fuisse constaret atque neglectum penitus, obseruaretur, voluit sancta Synodus laicos Iudices insurgere, Episcopis iubentibus, læsæ sæpiùs legis Ecclesiasticæ vindices. Præter autem tres dictos canones, collegit ex diuersis locis Hispalensis Concilij canones vndecim vir insignis Garsias Loaisa in editione, quam summa elucubrauit industria, Hispanorum E Conciliorum.

CONC. HISPALENSE.

Quod verò ad anni huius res Francorum pertinet: quonam modo Rex Guntheramnus in ecclesia à sicario appetitus, Dei ope illæsus remansit, & ipsum sicarium verberatum tantùm dimisit incolumem, dignum Christianissimi Principis exemplũ Gregorius [d] narrat his verbis: Interea (inquit) aduenit festiuitas S. Marcelli, quæ apud vrbem Cabilonensem mense septimo celebratur, & Guntheramnus Rex affuit. Verùm vbi peractis solemnibus, ad sacrosanctum altarium communicandi gratia accessisset: venit quidam quasi aliquid suggesturus: qui dum properaret contra Regem, culter ei de manu delabitur. Apprehensoque repentè, alium cultrum euaginatum in manu eius reperiũt. Nec mora, eductus de basilica sancta, vinctus & tormentis addictus, confitetur, se emissum ad interficiendum Regem, dicens: Sic enim tractauit qui misit me: Quia cognouit Rex multorum in se odia aggregata, & suspectus ne percutiatur, omnino se à suis vallari præcepit, nec reperitur aditus qualiter ad

[d] *Greg. Turo. lib. 9. c. 3.*

GVNTHERAMNVS REX A SICARIO FRVSTRA INVADITVR.

eum cum gladijs quis possit accedere, nisi in ecclesia, in qua securus & nihil metuens stare A
dignoscitur, transuerberetur. Sed & his de quibus locutus fuit, apprehensis, multis interemptis, hunc verberatum plagis dimisit viuum: quia nefas putauit, si is qui ab ecclesia ductus fuerat, truncaretur.] hæc Gregorius.

Sed claudamus tomum præsentem Annalium narratione obitus sanctæ Radegundis Reginæ, quæ hoc anno decimatertia Augusti diem clausit extremũ, de cuius obitu idem Gregorius agit his verbis[a]: Hoc (inquit) anno beatissima Radegundis ab hoc mundo migrauit: quæ magnum planctum in monasterio, quod constituerat, dereliquit. Fui & ego præsens ad eam sepeliendam. Obijt autem mense sexto, tertiadecima die mensis, sepulta post triduum. Quæ autem ibi ipsa die virtutes apparuerũt, & qualiter funerata, in libro miraculorum plenius scribere studui.] hæc paucis Gregorius. Par est autem, vt antequam funus regium prosequamur, quæ ipsa in sui quod erexerat commendationem monasterij ad Episcopos ante B
obitum scripserat, hîc recitemus, egregium monumentum hactenus industria Gregorij conseruatum, licet se habeat deprauatum, rudique stylo ita conscriptum[b]:

[a] Greg. Turo. lib. 9. c. 2.

[b] Greg. Turo. lib 9. c. 42.

LITTERAE SANCTAE RADEG. AD EPISCOPOS.

Dominis sanctis & Apostolica sede dignissimis in Christo Patribus, omnibus Episcopis Radegundis peccatrix.

Congruæ prouisionis tunc roborabiliter ad effectum tendit exordium, cùm generalibus Patribus, medicis, ac pastoribus ouilis sibi commissi causa auribus traditur, cuius sensibus commendatur, quorum participatio de charitate, consilium de potestate, suffragium de oratione ministrare poterit interuentum. Et quoniam olim vinculis laicalibus absoluta, diuina prouidente & inspirante clementia, ad religionis normam visa sum voluntariè, duce Christo, translata: hæc pronæ mentis studio cogitans etiam de aliarum profectibus, vt annunciante Domino, mea desideria efficerentur reliquis profutura, instituente & remunerante præcellentissimo domno Rege Clotario, monasterium puellarum Pictaua in vrbe constitui: conditumque (quantum mihi munificentia regalis est largita) facta donatione dotaui. Insuper congregationi per me, Christo præstante, collectæ, regulam sub qua sancta Cæsaria degit, quam solicitudo beati Cæsarij Antistitis Arelatensis ex institutione sanctorum Patrum conuenienter collegit, adsciui. C

Cui consentientibus beatissimis & huius ciuitatis & reliquis Pontificibus, electione etiam nostræ congregationis domnam & sororem meam Agnetem, quam ab ineunte ætate loco filiæ colui & educaui, Abbatissam institui, ac me post Deum eius ordinationi regulariter obedituram commisi. Cuique formam Apostolicam obseruantes, tam ego, quàm sorores de substantia terrena quæ possidere videbamur, factis chartis tradidimus, metu Ananiæ & Saphiræ, in monasterio positæ, nihil proprium reseruantes. D

Sed quoniam incerta sunt humanæ conditionis momenta vel tempora, quippe mundo in finem currente, cùm aliqui magis propriæ quàm diuinæ cupiant voluntati seruire: zelo ducta Dei, hanc suggestionis meæ paginam Apostolatui vestro in Christi nomine superstes porrigo vel deuota. Et quia præsens non valui, quasi vestris prouoluta vestigijs epistolæ vicarietate prosternor, coniurans per Patrem & Filium & Spiritum sanctum, ac diem tremendi iudicij, sic repræsentatos vos non tyrannus oppugnet, sed legitimus Rex coronet: Vt si casu post meum obitum quæcumque persona, vel loci eiusdem Pontifex, seu potestas Principis, vel alius aliquis (quod nec fieri credimus) congregationem vel suasu maleuolo, vel impulsu iudiciario perturbare tentauerit, aut regulam frangere, seu Abbatissam alteram, quàm sororem meam Agnetem, quam beatissimi Germani, præsentibus suis fratribus, benedictio consecrauit: aut ipsa congregatio (quod fieri non potest) habita murmuratione, mutare contenderit: vel quasdam dominationes in monasterio, vel rebus monasterij quæcumque persona, vel Pontifex loci, præter quas antecessores Episcopi, aut alij me superstite habuerunt nouo priuilegio, quicumque affectare voluerit: aut extra regulam exinde egredi quis tentauerit: seu de rebus, quas in me præcellentissimus domnus Clotarius, vel præcellentissimi domni Regis filij sui contulerunt, & ego ex eius perceptionis permissu monasterio tradidi possidendum, & per auctoritates præcellentissimorum domnorum Regum Chariberti, Guntheramni, Chilperici, & Sigeberti cum sacramenti interpositione, & suarum manuum subscriptionibus obtinui confirmari: aut ex his quæ alij pro animarum suarum remedio, vel sorores ibidem de rebus proprijs contulerunt, aliquis Princeps, aut Pontifex, aut potens, aut de sororibus cuiuslibet personæ ausus minuere, aut sibimet ad proprietatem reuocare sacrilego voto contenderit; iram vestræ sanctitatis, successorumque vestrorum E

A strorum post Deum pro mea supplicatione & Christi voluntate incurrat, vt sicut prædones & spoliatores pauperum extra gratiam vestram habeantur. Numquam de nostra regula vel de rebus monasterij, obsistentibus vobis, imminuere valeat aliquid, aut mutare. Hoc etiam deprecans, vt cùm Deus prædictam domnam sororem nostram Agnetem de sæculo migrare voluerit, illa in loco eius Abbatissa de nostra congregatione debeat ordinari, quæ Deo & ipsi placuerit, custodiens regulam, & nihil de proposito sanctitatis imminuet: quam nunquam propria aut cuiusquam voluntas præcipitet.

Quòd si (quod absit) contra Dei mandatum & auctoritatem Regum aliquis de suprascriptis conditionibus coram Domino & Sanctis eius precabiliter commendatis agere, aut de persona aut substantia minuenda voluerit, aut memoratæ sorori meæ Agneti Abbatissæ molestias aliquas inferre tentauerit: Dei & sanctæ Crucis & beatæ Mariæ incurrat iudi-
B cium, & beatos confessores Hilarium & Martinum, quibus post Deum sorores meas tradidi defendendas, ipsos habeat contradictores & persecutores. Te quoque, beate Pontifex, successoresque vestros, quos Patronos in causa Dei libenter adsciscо, si (quod absit) extiterit, qui contra hęc aliquid moliri tentauerit, pro repellendo & confutando Dei hoste, non pigeat ad Regem, quem eo tempore locus iste respexerit, vel ad Pictauam ciuitatem pro re vobis ante Dominum commendata percurrere, & contra aliorum iniustitiam executores & defensores iustitiæ laborare, vt tale nefas nullo modo suis admitti temporibus Rex patiatur Catholicus, nec conuelli permittat, quod Dei & mea & Regum ipsorum voluntate firmatum est.

Simul etiam Principes, quos Deus pro gubernatione populi post decessum meum superesse præceperit, coniuro per Regem cuius regni non erit finis, & ad cuius nutum regna
C consistunt, qui eis donauit ipsum viuere & regnare, vt monasterium, quod ex permissu & solatio domnorum Regum patris vel aui eorum construxisse visa sum, & ordinasse regulariter & dotasse sub sua tuitione & sermone, vnà cum Agnete Abbatissa studeant gubernare; & à nullo neque sæpe dictam Abbatissam nostram, neque aliquid ad nostrum monasterium pertinens molestari, aut inquietari, vel exinde imminui, aut aliquid mutari permittant: sed magis pro Dei nutu vnà cum domnis Episcopis ipsi, me supplicante coram Redemptore Gentium, sicut eis commendo, defensari iubeant & muniri: vt in cuius honore Dei famulas protegunt, cum defensore pauperum & sponso virginum perpetualiter æterno socientur in regno.

Illud quoque vos sanctos Pontifices, & præcellentissimos domnos Reges, & vniuersum populum Christianum coniuro per fidem Catholicam in qua baptizati estis, & Ecclesias
D quas conseruatis, vt in basilica, quam in sanctæ Mariæ Dominicæ genitricis honorem cœpimus ædificare, vbi etiam multæ sorores nostræ conditæ sunt in requie, siue perfecta, siue imperfecta, cùm me Deus de hac luce migrare præceperit, corpusculum meum ibi debeat sepeliri. Quòd si quis aliud inde voluerit, aut fieri tentauerit, obtinente Cruce Christi, & beata Maria, diuinam vltionem incurrat: & vobis intercurrentibus, in loco ipsius basilicæ merear cum sororũ congregatione obtinere locum sepulturæ. Et vt hæc supplicatio mea, quam manu propria subscripsi, in vniuersalis Ecclesiæ archiuo seruetur, effusis cum lacrymis deprecor: quatenus si contra improbos aliquos necessitas exegerit, vt vestra defensione soror mea Agnes Abbatissa, vel congregatio eius, quo succurri sibi poposcerint, vestræ misericordiæ pia consolatio opem pastorali solicitudine submministret: nec de me destitutas se proclament, quibus Deus præsidium vestræ gratiæ præparauit.

E Illud vobis in omnibus ante oculos reuocantes, per ipsum qui de Cruce glorioſam Virginem suam genitricem beato Ioanni Apostolo cõmendauit, vt qualiter ab illo completum est Domini mandatum, sic sit apud vos indigna & humilis domnis meis Ecclesiæ Patribus & viris Apostolicis quod commendo. Quod cùm dignanter seruaueritis depositum, meritis participes, cuius impletis mandatum Apostolicum, dignè reparetis exemplum.] hactenus epistola sanctæ Radegundis, prophetico (vt puto) impulsæ spiritu, quæ ventura essent prædicentis. biennio enim ab obitu eius regia stirpe exortæ moniales aduersus Abbatissam concitatæ, ab eius obedientia euellentes quamplurimas sorores, extra monasterium egressæ, innumerabilium turbarum causa fuerunt. sed hęc suo loco dicenda. De huiusmodi contestatione ista leguntur in libro secundo vitæ ipsius[a]: Porrò clarissimis Regibus & sereniſsimæ Reginæ, quos haud vulgariter dilexit, atque sanctissimis Ecclesiis & earum Episcopis cum diuina obtestatione suum commendauit monasterium.] hæc ibi.

[a] *Apud Sur. tom. 4 die 13. Aug.*

Sed

Sed iam præuisum ante annum ab ea ipsius transitum, funusque pariter prosequamur. Res ab ea gestæ duobus habentur conscriptæ libris, priori Fortunati Episcopi, posteriori Bandoniniæ monialis eiusdem sanctæ Radegundis alumnæ, quæ ipsius postrema huiusmodi prosecuta est oratione[a]: Sed veniamus nunc ad eius feliciſſimam è corpore migrationem, quam sine lacrymis proferre non possumus. Fluunt lacrymæ ab ipsis intimis medullis, gemitusque prorumpunt, nec tamen percipitur inde consolatio. Sed si sic lacrymis indulgeamus, vt interim de eius deuotione minùs dicamus, maiori sanè culpæ nos obnoxios reddimus. Vsque ad diem illum quo hinc excessit, numquam quicquam de cursu quem susceperat, imminuere voluit, memoria retinens, Non[b] qui cœperit, sed qui perseueraverit vsque in finem, eum saluum fore. Vbi iam ad vitæ finem peruenit, sanctum eius corpusculum longa pro Christi amore ducens martyria, & multiplices perpessum cruciatus: omnes sanctimoniales lugentes & flentes eius lectulo assistebant, eiulantesque ac duris pugnis ac lapidibus pectora verberantes, voces ad cælum dabant, clamantes & dicentes: Domine, ne permittas nos tam graui damno affici: lumen nostrum tollis à nobis: cur nos in tenebris relinquis?] eadem de immenso luctu sanctimonialium habet Gregorius Turonensis, qui interfuit[c]. Pergit verò Bandoninia:

Sed quia illa quicquid facere constituisset, id die natalitio Saluatoris facere solebat, eius quoque beatus decessus ita euenit.] Hic attende, sic dici ab ea, die natalitio Saluatoris esse defunctam, quòd eo migrauerit die, quo natalis Domini dies inciderat: constat enim die decimatertia Augusti diem clausisse extremum: nam subdit: Quarta feria, mane Idibus Augusti clausi sunt eius oculi & nostri obscurati. Væ nobis, quia peccauimus: afflictum est in dolore cor nostrum. Flemus & plangimus, quòd te diutiùs, vita nostra, habere non meruimus. Eo ipso mane, quo nobis tantum mali accidit, vna voce, vno planctu, vno clamore cælos penetrante, lapidicidæ, qui in monte operabantur, in aëre audierunt loquentes, & vnum quidem dicentem ceteris: Quid facitis? dimittite eam adhuc: hæ enim voces ad nostras vsque aures pertingunt. Angeli verò eam ducentes responderunt: Quid iterum faciemus? eam iam paradisus recipit, vt glorietur cum Domino. Credimus non deserturam eam illas, quas ei placere volumus.] cognitum est autem, has fuisse voces Angelorum pacificè altercantium (vti apud Danielem[d] exemplum legitur) illorum videlicet qui monialium præerant custodiæ, ac monasterium in tutelam acceperant, ad Angelos illos qui ad cælum euntem Christi sponsam comitabantur. Subdit verò Bandoninia:

Flenda ergo nobis iam non est, sed reuerenda: amisimus quidem in præsenti sæculo dominam & matrem, sed ad regnum Christi præmisimus intercessorem. Magnum illa gaudium excitauit in cælis, intolerabilem nobis dolorem in terris reliquit. Migrante sancta eius anima à sæculo ad Christum, Episcopus Pictauiensis non erat domi. Abiit ergo nuncius ad virum Apostolicum dominum Gregorium Turonensem Episcopum. Ille mox aduenit, & quantum suis ipse conspexit oculis, antequam eam sepeliret, eius virtutes in libro miraculorum inseruit. Veniens autem ille ad locum, vbi sanctum iacebat corpus, sicut ipse post sacramentum lacrymans dicebat, in forma humana vultum vidit Angelicum: facies enim instar rosæ & lilij nitebat. Vnde haud secus ille contremuit & timuit, atque si ipsam Domini Iesu sanctissimam matrem sibi astantem videret. Expectabatur interim vir deuotus Deo plenus Pictauorum Antistes, vt eam quo par erat honore sepulturæ mandaret.

Sanctimoniales omnes apud eius torum stabant psallentes: si verò psallentium voces vel paululum reticerent, mox planctus audiebatur intolerabilis. Triduo expectatus Præsul, qui tum suam diœcesim visitabat, cùm non veniret; is quem diximus vir Apostolicus Gregorius de eius humanitate præfidens (perfecta enim charitas foras mittit timorem) in basilica sanctæ Mariæ, vbi sacra eius monasterij virginum corpora conduntur, eam in primis honorificè tumulauit. Cumque corpus eius sub muro cum psalmodiis deportaretur (quandoquidem instituerat illa, vt nulla viuens extra monasterij fores egrederetur) tota congregatio in muro lamentans, ita vt planctus eius superaret psallentium voces, pro psalmo lacrymas, pro cantico mugitum, pro Alleluia gemitum reddebant.] Hic, lector, meminisse debes, veterem vsum fuisse, vt in funere fidelium defunctorum vnà cum aliis lætitiæ canticis caneretur Alleluia, vt sanctus Hieronymus admonet in epistola ad Aletium de funere Ruffinæ coniugis. sed pergit Bandoninia:

Orabant moniales supernè, vt sub terra nonnihil quiesceret feretrum, in quo beatæ corpus portabatur, grauiter ferentes eius absentiam. Ibi tum vt Dominus fidelem famulam suam

[a] *Apud Sur. ibid.*

DE TRANSITVS. RADEGVNDIS.

[b] *Matt. 10.*

[c] *Gregor. de glor. confess. c. 106.*

LVCTVS MONIALIVM.

[d] *Dan. 10.*

GREGORIVS SVPREMA PERSOLVIT.

CANTICA LAETITIAE IN FVNERE CHRISTIANORVM.

A ſuam declararet, corpore eius in medio populi depoſito, cæcus quidam lumen recepit: qui multorum annorum paſſus cæcitatem, vbi ad corpus acceſſit, ita ſanatus eſt, vt numquam luminibus orbatus videretur: viuit, hodieque clarè videns. Cùm iam humata eſſet à Gregorio Epiſcopo, operculum tumulo eius non eſt ab illo impoſitum, donec rediret Pictauienſis Antiſtes. Itaque liberè cereos ad eam afferebant omnes ſepulchrum circumſtantes, & ſingulæ ſuis cereis nomina ſua inſcripſerant, dabantque cereos omnes per ordinem vni è famulis: & ecce extitit contentio in populo, aliis dicentibus cereos illos in ſanctum eius ſepulchrum mittendos, aliis id negantibus. Interim è pueri cereos tenentis brachio vnus exiliens, & populum omnem tranſcendens, in ſepulchrum ad pedes beatæ ſe dimiſit, litem omnem eo ipſo dirimens. Inſpecto cereo, inuentum eſt nomen Caluæ inſcriptum. Ea re perſpecta, Epiſcopus & plebs omnis beatæ Radegundis virtutes admirantes, Dominum be-
B nedixerunt. Quæ verò poſt eius deceſſum eo in loco declaratæ ſunt virtutes & edita miracula, quot dæmoniaci liberati, quot pulſis febribus curati, quis numerare ſufficiat?] refert aliqua itidem Fortunatus, atque Gregorius.

Ad hæc tempora referri poſſe videtur Baioariorum ad fidem Chriſti conuerſio, annunciante illis Euangelium viro ſanctiſſimo Ruperto Epiſcopo Vangionenſi in Gallia: qui à Berchario * loci Comite dira paſſus, ſolumq; vertere coactus, Dei nutu ad Borealium conuerſionem populorum accinctus, Boreales ſiluas penetrans, rigeſcentia adhuc impietatis glacie corda Gentilium Chriſtianæ fidei prædicatione calefecit, atque igne diuini Spiritus inflammauit. Iſta quidem tam grandia cœpta Childeberti Regis Francorum anno ſecundo (vt eiuſdē Sancti Acta teſtantur [a]) in hunc annum & vlteriùs propagata noſcuntur. Por-
C rò quod de Childeberto dicitur, non ad primum Childebertum, ſed ad ſecundum potiùs, quem poſt patrem ſuum Sigebertum regnare cœpiſſe diximus anno Domini quingenteſimo ſeptuageſimonono, eſſe referenda, in Notis ad Romanum Martyrologium teſtati ſumus. Quamobrem falli eum certum eſt, qui [b] ad primum Childebertum filium Clodouei, qui regnare cœpit in Galliis anno ſalutis quingenteſimo decimoquarto, iſta retulit haud leui præiudicio hiſtoricæ veritatis.

* Berthario BAIOARIORVM CONVERSIO.

[a] *Apud Sur. tom. 2 die 27. Martij.*

[b] *Valent. li. 3. Annal. Boiorum.*

At non ipſe tantam ſibi ſoli putauit aggrediendam eſſe prouinciam: ſed Chriſti exemplo, duodecim delegit ſacerdotes, quos ad prædicandum Borealibus Euangelium ſecum duxit: apertum verò eſt latè ad fidem capeſſendam Gentilibus illis oſtium, cùm ipſe Baioariæ Princeps Theodo huius nominis tertius Chriſto credidit: etenim reliqui ipſi ſubiecti, Ducem ſecuti, pariter effecti ſunt Chriſtiani: cuius rei gratia factum eſt, vt ipſe Rupertus Baioariorum Apoſtolus ſit meritò nuncupatus, qui ſicut fidei Chriſtianæ fuit plantator in
D Baioaria, ita in Norico rigator extitit: ſiquidem per ſanctum Seuerinum, de quo plura ſuperiori tomo diximus, illi iam acceperant Euangelium, quod prædicatione Ruperti magis magisque excolere didicerunt. Sic igitur infidelitatis exciſis ſiluis, redditoque iam ad culturam agro Dominico, extitit cum ſuis auctor, vt illic complures nobiles ſedes Epiſcopales erigerentur, in quibus ſuos ſocios Epiſcopos ordinandos curauit: ipſe verò remiſſo iam antea nuncio Eccleſiæ Vangionenſi, à qua expulſus fuerat, electa cæleſtibus præuiis ſignis, ſede Saleburgenſi, extructaque ibi baſilica ſancti Petri, quo Apoſtolicæ ſedi obſequentem eſſe eumdem populum commoneret, eiuſdem eſt nominatus primus Epiſcopus, vbi & ſanctæ ſorori Erentrudæ monaſterium Ducis munificentia ædificauit ſub nomine ſanctiſſimæ Virginis Mariæ Deiparæ. Demum verò poſtquam cuncta quę fuiſſet aggreſſus Dei ope ex ſententia confeciſſet, ſexto Kalendas Aprilis ex hac vita migrans, ab Eccleſia inter Sanctos re-
E latus, eadem colitur die.

RVPERTVS APOSTOLVS BAIOARIORVM.

Atque de his ſatis, finemque accipiat ſeptimus tomus: eiuſdem verò præſentis anni res geſtæ, quæ reliquæ ſunt ſpectantes ad Gregorij Papæ electionem, in ſequentem ſunt referēdæ tomum, qui opportunè ab ipſius Gregorij Papæ electione exordium ſumet. Iſta enim Annalium tomi huius ſectio hîc facienda eſt, quòd nimis creſceret in immenſum, ſi Gregorij Papæ res in Pontificatu geſtas comprehendere voluiſſemus, quas nec in diuerſos partiri tomos ratio perſuaſit.



A

AVCTORIS PERORATIO CVM GRATIARVM ACTIONE.

AGe iam,ex more,de absoluto septimo hoc Annalium tomo agamus gratias Deo optimo maximo, offeramusque ipsum pariter Dei genitrici MARIÆ, vt cuius est ope B
cœptus atque perfectus,eiusdem quoque meritis omni labe mundatus reddatur dignus diuino conspectu,qui offerentis auctoris iure posset defectu repelli. Etenim cùm hilarem da-
[a] 2. Cor. 9. torem (vt monet Apostolus [a]) diligat Deus, hac saltem ex parte propè respuendus hic esset, qui non eadem alacritate qua ceteri, sed mærenti animo scriptus, vti luctus partus offertur;
[b] Gen. 35. qui & genitus summo dolore atque morte parentis [b], Benoni, filius doloris mei, sit meritò appellandus, quantumlibet pater eumdem Beniamin filium dexteræ scilicet, nuncuparit: editus enim in lucem sine luce, vsum vitæ pristinæ abstulit parienti; & dum sub honoris specie purpureis fasciis inuoluitur, ferreis nesciens miser vinculis obligatur: vnde sit merito
[c] Iob 3. lamentandum, illudque lugubre dicendum [c]: Quare egressus ex vtero? quare exceptus genibus? cur lactatus vberibus? Nunc enim dormiens silerem, & somno meo requiescerem cum Regibus illis & Consulibus terræ, qui ædificant sibi solitudines.] C

Hæc dum mecum verso, laudare non desino senem sapientissimum illum Berzellaium,
[d] 2. Reg. 19 qui à Rege licet sanctissimo inuitatus in Regiam, ad quietem,ad securitatem, ad gloriam [d]: Non indigeo (inquit) hac vicissitudine; sed obsecro vt reuertar seruus tuus, & moriar in ciuitate mea, & sepeliar iuxta sepulchrum patris mei & matris meæ] iure præferens aulæ regiæ patriam sepulturam, atque regium apparatum posthabens vitæ rusticæ hactenus feliciter ductæ. Sed & quem sapientem prædico, non desino beatum terque felicem dicere, & inuidere, dum quod rogauit, est consecutus, nec fuit iussu Regis retentus inuitus, sed permissus lætus ad propria remeare, atque in pace vitæ cursum absoluere.

Ast cùm à quiete & tranquillitate aliisque bonis abstrahar violenter,atque inuitus abripiar: vnum dumtaxat reliquum est quod petam: vt cùm hæc adeò inquieta,tristia, ærumnosa,metu plena atque periculis,nonnisi te curante,Dei genitrix, mihi contigerint: tu ipsa D
per lubrica gradienti, in summo versanti discrimine,deq; æterna salute ad singula momenta periclitanti feras opem assiduè, & fluctuanti præsidium afferas: alioquin perplexos resoluas laqueos, atque molestæ & inuitæ vitæ fila disrumpas,ne ob inanem gloriolam istâ miser incautè veræ perennis gloriæ dispendium patiar: sicque benedicens tu ipsa nouissimis meis
[e] Iob 22. magis [e] quàm principio, te iuuante, æternam beatitudinem consequar, gratia Domini nostri Iesu Christi, qui cum Patre & Spiritu sancto viuit in sæcula sæculorum. Amen.

ANNALIVM TOMI SEPTIMI

FINIS.

A DE RVTHENIS

AD COMMVNIONEM SEDIS APOSTOLICÆ RECEPTIS MONVMENTVM.

B SANCTISSIMO D.N. CLEMENTI VIII. PONTIFICI MAXIMO

CAESAR BARONIVS S. R. E. PROTONOTARIVS sempiternam felicitatem.

CVM omnes prædeceſſores tuos Pontifices Maximos omni ſtudio, Beatiſſime Pater, imitandos ſuſceperis, eorumdemque inſiſtere ſemper veſtigiis propenſiori ſolicitudine laboraueris: Clementis tamen Petri diſcipuli & ſucceſſoris, tu ipſe Clementis nomen C referens, Petrique doctrinam cum cathedra conſecutus, exempla ſectari, vigilantiùs ſolicitiusque curaſti. Nam vt omittentes alia, illud dumtaxat, cuius cauſa huiuſmodi eſt inſtituta oratio, pertingamus: ſicuti ille Eccleſiæ Catholicæ vtilitati conſulens, ad conſcribendas res geſtas ſanctorum martyrum, & alia Eccleſiæ monumenta ſcriptis conſignanda tradendaque poſteris, Notarios ſeptem primus inſtituit: ita ad hoc ipſum præſtandum tu ipſe inuigilans, inter ceteros eiuſdem primi ordinis præclariſſimos viros eidem operi mancipatos, me licet indignum penitus atque immeritum cooptaſti. At quanto id animi ardore perfeceris, neminem latet: etenim Domini [a] ſententia, quod factum eſt in cubiculo, prædicatum eſt in tectis: ſciunt omnes vim tunc illatam, cùm iuxta Propheticum illud [b], Velociter ſpolia detrahe, aduerſum me magno impetu actum eſt: cùm verò tunc duos vidiſſes vni ſuccumbere renitenti, diuina putaſti ad perficiendum quod volebas opus eſſe potenD tia, nempe Apoſtolica auctoritate, qua tibi datum eſt non terram tantùm, ſed & cælum poſſe ſubigere. Vicisti tandem animum refractarium, atque flexiſti ceruicem ferream, ſed fateor, non domuiſti, vt impoſitum honoris iugum æquo animo ferrem, quod ad ſingula ferme momenta (ſcit Deus) à me excuſſiſſem, ſi licuiſſet.

[a] *Lucæ 12.*

[b] *Iſaiæ 8.*

Vna tamen fuit in his aſperis conſolatio illa, quòd eſſet omnium vna ſententia, Sanctitatem tuam hac actione iam graui antè expenſa iudicio demonſtraſſe, non tam probare qui res Eccleſiaſticas ſcriberet voluiſſe, quàm ea quæ à me ſcripta eſſent, inſigni hac collata dignitate veluti ampliſſimis exarata notis ſubſcriptione & probaſſe, & veluti ſigillo muniſſe. Quis enim operam ab aliquo præſtandam requireret ſolicitudine tanta, ſi eamdem iam diu antè ab eodem exhibitam non grato animo recepiſſet? Quo nomine ſicuti plurimas à me tibi gratiarum actiones ſemper reddendas fore profiteor; ita mihi in E ſuſceptum opus ſolicitiùs incumbendum, neruosque omnes ad illud perficiendum tendendos, intelligo.

Dum autem totus in his eſſem, vt collatæ dignitatis omni ſtudio munus obirem, eiuſque partes omnes quàm diligentiſſimè explere ſatagerem: peropportunè accidit, vt vix elapſo à ſuſcepta eadem dignitate menſe, digna oblata occaſio fuerit, qua eius primitias nobili ſcriptione Domino conſecrarem, legationis videlicet honorificæ Ruthenorum Eccleſiæ ad Apoſtolicam Sedem, qua abolito diro ſchiſmate, ſanctæ Romanæ Eccleſiæ communionem Catholicam eſt feliciter conſecuta. Ad hoc verò præſtandum, non lacinioſa oratione per ambitum ad pompam (vt aſſolet) circumducta mihi vtendum exiſtimaui, ſed more maiorum ſimplici ſtylo & veritatis candore nitente cuncta quæ geſta ſunt referenda, ipſaque edita atque publicè recitata ſcripta, ſuis locis (vt hactenus factum eſt) in Annalibus Eccleſiaſticis intexenda. Tu verò, Sanctiſſime Pater, iucundo lætoque animo ſatis am-

plum ex semente lacrymarum tuarum collectum manipulũ accipe, ac Deo consecra cum multiplici gratiarum actione, qua veluti noua satione conuersionem reliquorũ Borealium populorum suo tempore metas: quod Deus bonorum omnium largitor concedat. Vale. A

Quæ de Ruthenis à diuersis auctoribus, præsertim verò ab iis qui res Polonicas prosecuti sunt, scripta reperiantur.

Ruthenos eosdem antiquo vocabulo dictos esse Russos, in confesso est apud scriptores [a] omnes: sed & quòd Rutheni pariter sint in Gallia Aquitanica populi, visum est recentioribus scriptoribus eos Russos vocare potiùs, quàm Ruthenos. Sed vnde Russi? non aliunde, quàm à veteris vocis vsu, quandidem populi vocati sunt Roxolani. Verùm ex quo asperitas litteræ X, duplici in SS, leniri cœpta est; hinc accidit, vt Roxolani dicti sint Rossolani, siue Rossi (veluti à Græcis sæpe vsurpatum inuenies) vel vnica syllaba Rhos, à Latinis Russi, & prouincia Russia, quæ Roxolania dicebatur, cœpta sit nominari. Meminit & [b] Plinius de Roxolanis in Sarmatia populis, & eos ad latus Mæotidis paludis collocat, qui fines postea dilatarunt. Patentem quidem latamque fuisse Roxolanorum siue Russorum regionem, rerum Polonicarum scriptores produnt, nempe quæ contineret ambitu suo vniuersam illam Sarmatici orbis partem, quæ ab Oriente Mæotide, Taurica Chersoneso & Tanai, à Meridie Carpatiis montibus, ab Occidente Poloniæ, Lituaniæque finibus clauderetur, sic Sarmatiæ Europeæ maximam continens partem: quæ & à Chromerio ita ponitur[c]: Complectitur (inquit) fere quicquid terrarum est inter sinum Venedicum, Liuoniam, Suetiam, Oceanum glacialem, Rha, siue Volgam, Mæotim, mare Ponticum, Sarmaticos montes, Poloniam, Lituaniam, & Samagitiam.] Moschouiam quoque ad Russiam pertinere, eosdemque primùm Russos dictos, Moschos à flumine, siue oppido Mosqua denominatos, æquè fatentur omnes[d], conueniuntque simul pariter in eam sententiam, vt hi populi Euangelium acceperint ab Episcopo Constantinopolitano tempore Basilij & eius filij Constantini, vno omnibus dato Metropolitano Kiouiensi. Quæ autem postea contigerunt de diuisione Moschouitarum Ecclesiæ à Russis, hæc nos ab ipsis legatis Ruthenis Episcopis accepimus verbis istis:

[a] *Matth. Mic. ver. Polon. lib. 1. c. 1. chron. lib. 1. c. 10.*

[b] *Plin. hist. lib. 3. c. 5.*

[c] *Chron. Pol. ver. lib. 1. c. 10. 12. 14.*

[d] *Chron. & Mat. lib. 2. c. 3. & alij.*

B C

Aliquanto pòst autem Moschouiæ Principes siue ob aditum Kiouiensium difficilem, longinquitatemque itineris, siue quòd timerent, ne consuetudine exterorum, qua maximè suos etiam nunc prohibent, Respublica illorum detrimenti aliquid pateretur, alium sibi Metropolitanum institui à Constantinopolitanis Patriarchis petierunt: quin & Patriarcham ante paucos annos, qui in Moschouia assiduus esset, impetrarunt. Solique nunc septem in Russia Polonis subiecta, ex numero viginti & aliquot ampliùs Episcoporum restant, qui Metropolitano Kiouiensi subsunt: reliqui etsi sæpe mittendis ad eum donariis ius & auctoritatem eius recognoscunt, Moschouitico tamen parent Episcopo Patriarchę.] hæc de his illi, quibus ista subiiciunt. D

Isti ergo septem vnà cum Metropolitano suo cupientes iterum vniri Ecclesiæ, à qua multo tempore alieni erant, ablegarunt huc duos ex medio sui reuerendos dominos Hypatium Pociei Protothronium Vulodimirienſem, Brestenſemque, & Cyrillum Terleczki Exarcham, Luceorienſem, Ostrosienſemque Episcopos, primos consilij istius auctores, qui id contenderent à sancta hac Sede, obedientiamque illi suo & ipsorum nomine deferrent. Quo non exigua facta est profectò, & futura adhuc maior ad Ecclesiam Dei speratur accessio. Etsi enim paucæ, latissimè tamen patent diœceses illorum, extenduntur que permixtæ Latinis per aliquas integras prouincias, Podoliam scilicet, Russiam, Voliniam, Podlachiam, & magnum Ducatum Lituaniæ, insignes monasteriorum frequentia & ecclesiarum propè duodecim millium numero. Quin & Moschouitas eiusdem & linguæ & religionis homines, non modica spes est, cogitaturos idem aliquando exemplo ipsorum; præsertim cùm ritus & cærimonias omnes Orientalis Ecclesiæ, quarum sunt tenacissimi, permissas illis esse seruari inuiolatè, à sancta Sede cognouerint.] hactenus ipsorum legatorum scriptio de Russorum Ecclesia. E

Quoniam verò de eadem Russorum Ecclesia aliqua à scriptoribus vidimus prętermissa, vel perperam asserta: hîc de his paulo fusiùs agere, haud putamus lectori fore fastidio: atque in primis quæ rerum Polonicarum scriptor[e] de antiquitate religionis Russorum his verbis habet: Inter Sanctos (inquit) Russi colunt plus Thaddæum Apostolum, asserentes quòd

[e] *Mat. Mic. lib. 2. c. 1.*

eos

A eos conuerterit,& fidem Christi docuerit:deinde & Bartholomæum sanctum Dei Apostolum venerantur, per quem multos articulos (vt asserunt) de fide acceperunt.] hæc ipse ex traditione populi accepta. Cui,fateor, magis assentior,quàm iis qui Ruthenorum Christianitatem cœpisse tradunt circa annum Domini nongentesimum nanagesimum, quos errare omnino, proximè dicturi sumus: etenim reperitur interfuisse generali Concilio Antiocheno sub Iouiano Imperatore Antipater Episcopus Rhossos, seu Rhos,vel Rhossi,translatione Latina (quo sanè nomine à Græcis dictos esse Ruthenos, nuper demonstratum est) idemq; Episcopus cum reliquis subscriptus legitur in Synodali epistola data ad eumdem Iouianum Imperatorem, quæ extat apud Socratem[a].

[a] *Socrat. lib. 3. c. 11.*

Verùm etsi aliquando ea gens Christianam religionem susceperit,sicut ex culturæ defectu silueseit ager, ac si numquam antè cultus fuisset, ita apud ipsos eadem religio penitus esse
B desiit: repastinatam verò ipsam; cultamque fuisse tradunt[b] anno Domini nongentesimo nonagesimo,vel nongentesimo octogesimo,sub Basilio atque Constantino Imperatoribus. Sed & in his iidem auctores hæc asserentes errasse noscuntur: etenim non sub Basilio Iuniore, qui imperauit cum Constantino; sed sub Seniore Basilio Macedone dicto, qui post Michaëlem solus regnare cœpit anno Domini octingentesimo sexagesimo septimo,id contigisse, testificatione Græcorum certum est. Id quidem Ioannes Curopalates, id Zonaras, Nicephorusque testantur; licet Nicephori prolixior de his Narratio desideretur, quam libro vigesimotertio historiarum tractasse,eiusdem libri quod extat compendium docet. Sed audi ex Curopalate[c] nobilissimo historico Russorum conuersionem opera eiusdem Basilij Macedonis Imperatoris factam:

[b] *Mat. Mich. lib. 4. cap. 13. & Chron. lib. 3. in princ.*

[c] *Ioã. Curop. in Basil.*

Rhos: *(ita Russos vocat)* percusso cum illis,*Græcis videlicet*,fœdere, vt salutaris baptismi
C participes essent,auctor fuit Basilius Imperator, misso ad eos Archiepiscopo. Verùm miraculum illud quod accidit, operæpretium est enarrare. Nam cùm adhuc superstitione detinerẽtur & ipse Princeps & proceres illius, atque adeò omnis natio,suumque pristinum cultum examinarent, & Christianorum fidem: Archiepiscopum illum, qui ad eos nuper venerat, accersitum Princeps interrogauit, quænam essent ea quæ ille annunciaret, quæque ipsum docere possent. Qui cùm sacrum diuini Euangelij librum protulisset, & quædã miracula recensseret à Deo, quando humana forma assumpta, apud homines erat, facta: Nisi aliquod,Rhos multitudo respondit,simile nos conspiciamus,& maximè quale asseris trium puerorum in fornace; nequaquam tibi credituri sumus.

Ille verò numquam mentienti fide habita verbo illius,qui dixit: Quodcumque petieritis in nomine meo, accipietis: &, Qui credit in me,opera quæ ego facio & ipse faciet, &
D maiora his faciet. Etsi, inquit, haud licet tentare Dominum Deum: attamen si ex animo decreuistis ad eum accedere, petite quodcũque vultis, & hoc faciet omnino propter fidem vestram Deus,quamuis nos minimi simus & indigni. Ipsi autem petierunt; diuini Euangelij volumen in ignem à se incensum proiici: quod si illæsum seruaretur, ad eum se accessuros Deum, qui ab ipso prædicaretur. Visum est id faciendum. Et cùm sacerdos sublatis ad Deum oculis ac manibus, dixisset: ostende glorioſum sanctum nomen tuum, Iesu Christe Deus noster,in oculis nationis huius: in fornacem proiectus est Euangelij liber: incensaque fornace ad horas aliquot, deinde penitus extincto & consumpto igne, sacrum illud volumen inuentum est permansisse inuiolatum atq; illæsum,nullo ab igne accepto detrimento. Quod conspicati barbari,& miraculi magnitudine perculsi, sine vlla controuersia ad baptismum confugere.] hactenus Curopalates. Recenset eamdem absque aliqua dubitatio-
E ne historiam Zonaras[d]; quosque Curopalates Rhos, ipse Rhossicos nominat, Russos verò Cedrenus,ac Nicephorus Ruthenos,ne quis putet de aliis quàm de Ruthenis eamdem historiam enarratam. At tanta hæc prætermissa ab iis qui in rebus Polonicis sunt prosecuti Russorum historiam,quis non miretur? sicut & illud de iisdem nobile monumentum,cùm Russorum regnum Romanæ est donatum Ecclesiæ, à qua illud Russorum Rex Demetrius voluit accepisse. Extat de his epistola Gregorij Papæ Septimi,quam integram tibi ad tantæ rei fidem declarandam, hic describendam putaui: sic enim se habet[e]:

[d] *Zonar. Annal. tom. 3. in Basil. Maced.*

[e] *Greg. lib. 11 epist. 14.*

Gregorius Episcopus seruus seruorum Dei Demetrio Regi Russorum, & Reginæ vxori eius salutem & Apostolicam benedictionem.

Filius vester limina Apostolorum visitans ad nos venit: & quod regnum illud dono S. Petri per manus nostras vellet obtinere, eidem beato Petro Apostolorum Principi debita debilitate exhibita, deuotis precibus postulauit, indubitanter asseuerans illam suam

petitionem veſtro conſenſu ratam fore ac ſtabilem, ſi Apoſtolicæ auctoritatis gratia ac mu- A
nimine donaretur. Cuius votis & petitionibus, quia iuſta videbantur tum ex conſenſu veſtro, tum ex deuotione poſcentis, tandem aſſenſum præbuimus, & regni veſtri gubernacula tibi ex parte beati Petri tradidimus, ea videlicet intentione atque deſiderio charitatis, vt beatus Petrus vos & regnum veſtrum, omniaque veſtra bona, ſua apud Deum interceſſione cuſtodiat, & cum omni pace, honore quoque & gloria idem regnum vſque ad finem vitæ veſtræ tenere vos faciat, & huius militiæ finito curſu impetret vobis apud ſupernum Regem gloriam ſempiternam.

Quinetiam nos paratiſſimos eſſe, nouerit veſtræ nobilitatis ſerenitas, vt ad quæcumque iuſta negotia huius ſedis auctoritatem pro ſua neceſſitate petierit, proculdubio continuò petitionum ſuarum conſequatur effectum. Præterea vt hæc & alia multa, quæ litteris non continentur, cordibus veſtris arctius infigantur: miſimus hos nuncios noſtros, quorum B
vnus veſter notus eſt & fidus amicus; qui & ea quæ in litteris ſunt, diligenter vobis exponent; & quæ minùs ſunt, viua voce explebunt. Quibus pro reuerentia beati Petri, cuius legati ſunt, vos mites & affabiles præbeatis: & quicquid vobis dixerint ex parte noſtra, patienter audiatis, atque indubitanter credatis. Et quæ ibi ex auctoritate Apoſtolicæ ſedis negotia tractare voluerint & ſtatuere, nullorum malo ingenio turbare permittatis, ſed potiùs eos ſincera charitate fauendo iuuetis. Omnipotens Deus mentes veſtras illuminet, atque per temporalia bona faciat vos tranſire ad gloriam ſempiternam. Data Romæ decimoquinto Kal. Maij, Indictione decimatertia.] hactenus Gregorij Papæ litteræ, datæ (vt appareret) anno eius Pontificatus ſecundo, eodemque Domini milleſimo ſeptuageſimoquarto. Porrò inter hæc qui regno potiebatur Demetrius, expulſus ſtatim fuit à fratre tyranno: quamobrem idem ipſe Rex, vt illud recuperaret, adiit Henricum Imperatorem anno ſe- C
quenti, prout his verbis Lambertus ſui temporis res geſtas ſingulis annis reddens teſtatur anno Domini milleſimo ſeptuageſimoquinto:

Paucis pòſt diebus Imperator Moguntiam venit, ibique occurrit ei Ruthenorum Rex, Demetrius nomine, deferens ei inæſtimabiles diuitias in vaſis aureis & argenteis & veſtibus valde pretioſis, petiitque vt auxilio ſibi foret contra fratrem ſuum, qui ſe per vim regno expuliſſet, & regnum tyrannica immanitate occupaſſet. Miſſus eſt protinus à Rege Burchardus Treuerenſis Eccleſiæ Præpoſitus agere cum illo de iniuriis quas fratri intulerat, & commonere, vt regno quod iniuſtè inuaſiſſet, vltrò decederet: alioquin auctoritatem & arma Theutonici regni propediem experturum fore. Is legationi huic propterea opportunus videbatur, quòd ille ad quem mittebatur, ſororem eius in coniugium habebat, & ipſe hac de cauſa apud Regem, ne quid in illum interim grauiùs decerneretur, ſummis precibus D
obtinuerat. Ruthenorum Rex Dedi Marchioni Saxonico, cuius ductu eò aduenerat, à Rege commiſſus eſt ſeruandus, donec legati reuerterentur.] hucuſque Lambertus. Quid poſt hæc actum ſit, idem auctor inferiùs tradit, nempe miſſum legatum ab inuaſore pretioſiſſima munera detuliſſe ad Imperatorem, quibus animum eius flecteret ne præberet fratri ex regno pulſo auxilium: quod & abſque muneribus Imperator conceſſurus erat, cùm obortis domeſticis bellis, vix ſatis ipſi eſſet vt propria tueri poſſet. Eadem habet Sigebertus & ipſe ſuæ ætatis res geſtas ſcriptis proſecutus. de quibus omnibus altum eſt ſilentium apud eos qui res Ruthenorum cum Polonicis conſcripſere: quæ vel hic ſaltem voluimus in lucem prodidiſſe, vt ex his appareat Ruſſiam aliquando à legitimo Rege oblatam fuiſſe ſancto Petro Apoſtolorum Principi, & eius nomine traditam Regi Demetrio à Gregorio Septimo Pontifice Maximo. E

Porrò etſi donatum Romanæ Eccleſiæ & ab ea acceptum regnum inuaſum & occupatum à tyranno fuit: perſeuerauit tamen eiuſdem populi erga eamdem Romanam Eccleſiam propenſio haud mediocris, quæ Græcis æmulationem mouit: adeò vt omni ſemper ſtudio laborarint eoſdem Ruthenos ab ipſa reuocare, cùm facti ſunt ipſi ſchiſmatici. Ceterùm etſi ad tempus aliquod obtorto collo ab eiſdem in errorem abducti ſunt: in matrem ſemper reſpicere non deſierunt, vt iterum in ſinum maternum accurrerent, eodemq; foueri ſemper optarent. Quàm autem fuerint Rutheni ſemper Romanæ Eccleſiæ cupidiſſimi & Catholicæ communionis amantiſſimi, ipſorum Archiepiſcopus Iſidorus in totius Chriſtianæ religionis theatro, in ipſo œcumenico Concilio Florentino haud vulgare ſed planè egregium ſpecimen dedit, dum vnà cum Beſſarione Trapezunthio Niceno Archiepiſcopo Græcorum omnium cum Latinis concordiæ auctor extitit; cuius rei gratia meruit vnà

cum

A cum eodem memorato collega in S. Romanæ Eccleſiæ Cardinalium ordinem cooptari.

Relabens autem miſerè rurſum Eccleſia Græcorum in ſchiſma, in eamdem ſecum præcipitem traxit ruinam Ruthenorum Eccleſiam: ſed dormientibus illis adhuc, poſt centum & quinquaginta annos ex obliuionis ſopore hæc tandem expergefacta, vigilans ſuam erubeſcẽs ignominiam, non ad conſuenda ficus folia, excuſando excuſationes in peccatis conuerſa eſt, ſed peccati confeſſione & deteſtatione ad reintegrandam ſciſſam ſchiſmate tunicam inconſutilem, quàm citiſſimè miſſa Romam ad Apoſtolicam ſedem legatione cucurrit, quam ſacris comitiis habitis ante biennium, anno videlicet Domini milleſimo quingenteſimo nonageſimoquarto, communibus ſuffragiis, votis paribus eius prouinciæ Epiſcopi decreuerunt, hisque ſcriptis ſignificarunt:

B *Decretum deliberationis & concluſionis reuerendiſſimorum dominorum Archiepiſcopi & Epiſcoporum Ruthenorum de recipienda & ſuſcipiẽda communione ſanctæ Romanæ Eccleſiæ, factum die ſecunda menſis Decembris anno Domini milleſimo quingenteſimo nonageſimoquarto.*

In nomine ſanctæ viuificantis & indiuiduæ Trinitatis Patris & Filij & Spiritus ſancti.

Nos infrà nominatæ perſonæ, qui huic ſcripto noſtro ſubſcripſimus, notũ facimus, quòd introſpicientes diligenter vocationẽ & officium noſtrum, quod eſt huiuſmodi, vt noſmetipſos, & hominum Chriſtianorum gregem ouium Chriſti nobis à Chriſto commiſſum, ad concordiam & vnionem promoueremus, prout nos Saluator noſter Chriſtus Ieſus edocuit, eamq; doctrinam ſanguine ſuo obſignauit: Ac potiſſimum his infeliciſſimis temporibus noſtris, quibus multæ ac variæ hæreſes inter homines graſſantur, ob quas plurimi recedentes à vera & Orthodoxa fide Chriſtiana, legem noſtram deſerunt, & ab Eccleſia Dei, veroq;
C in Trinitate illius cultu ſe ipſos ſeparant. Quod non alia de cauſa accidit, quàm ob diſſenſionẽ noſtram cum dominis Romanis, cum quibus cùm ſimus vnius Dei homines & tamquam vnius matris ſanctæ Eccleſiæ Catholicæ filij, ab iis diuiſi ſumus: vnde mutuo auxilio præſidioq; inuicem nobis prodeſſe nequimus. Et quamuis aſſiduè Deum pro vnione in fide orationibus noſtris precemur: nihilominus quonam pacto hæc vnio inter nos ſtabiliatur, aliquando numquam nobis ſeriò curæ fuit, ſpectando ſemper Superiores noſtros, & expectando ſi de hac ipſa vnione inciperent eſſe ſoliciti.

Verùm cùm noſtra ſpes hac in re, vt hoc eorum cura & ſtudio perfici poſſit, in dies minuatur, non ob aliam rem, quàm quòd iſti ſeruitute Paganorum * oppreſſi, etiamſi fortaſſe * Turcarum
vellent, non poſſunt: Igitur ex inſpiratione Spiritus ſancti, cuius hæc ſunt opera, & non hominum, conſiderantes cum ingenti dolore noſtro quanta impedimenta homines habeant
D ad ſalutem abſque hac vnione Eccleſiarum Dei, in qua incipiendo à Chriſto Saluatore noſtro & ſanctis illius Apoſtolis prædeceſſores noſtri perſtiterunt, ac vnum ſummum Paſtorem, primumq; Antiſtitem in Eccleſia Dei hîc in terris (prout ea de re Concilia & canones manifeſtos habemus) & non quẽpiam alium præter ſanctiſſimum Papam Romanum profitebantur, illiq; parebant in omnibus: ac quamdiu id vniformiter in ſuo robore permanſit, ſemper in Eccleſia Dei ordo, cultusq; diuini incrementum fuit: inde conſecutum eſt, vt difficillimum foret hæreticis ſua diſſeminare praua dogmata. Poſtquam autem multi Superiores eſſe cœperunt, eam ſibi auctoritatem poteſtatemq; arrogantes: nunc clarè cernimus, ad quantas diſcordias & ſchiſmata ob pluralitatem Superiorum Eccleſia Dei deuenit: ex quo fit, vt hæretici tantas ſumant vires.

Itaque nolentes vt conſcientiæ noſtræ tanto pondere aggrauarentur, ſi animarum ſalus
E multarum ob eas in religione diſcordias diutiùs periclitaretur (licet hac ipſa de re nos prædeceſſoresq; noſtri meditati fuerint, idq; tentauerint) videntes inſtitutum conſilium intermiſſum eſſe, propoſuimus, auxiliante Deo, mutuo iſto vinculo nos ipſos ad proſequendum hoc negotium excitare & confirmare, vt quemadmodum antea, eodem labio & eodẽ corde poſſemus laudare & glorificare venerandum & magnificũ nomen Patris & Filij & Spiritus ſancti cum fratribus noſtris chariſſimis dominis Romanis, permanentes ſub eodem Paſtore viſibilis Eccleſiæ Dei, cui hæc præeminentia ſemper debebatur.

Quocirca id nobis mutuo promittentes coram Deo, quantum in nobis fuerit, corde ſincero & candido ac diligentia in huiuſmodi negotio neceſſaria ac debita nos omnem daturos operam, ſpondemus in communi & quilibet per ſe, adhibitis mediis conuenientibus, vt fratribus noſtris Eccleſiaſticis, communiq; plebi ad ineundam vnionem & concordiam ſimus auctores, idque diuina adiuuante gratia perficiamus.

Vt autem maius incitamentum ad finiendum habeamus, quoque maior à nobis cura A
& solicitudo impendatur: scriptum præsens conficimus, quo sinceram promptamque vo-
luntatem nostram ad amplectendam cum Ecclesia Romana vnionem & consensum testa-
mur. Et Deus omnipotens largitor omnium bonorum, auctorque, ad concordiam sit dux,
& protector tam sancti negotij huius, cui vti corda nostra, ita & eam voluntatem præsenti
scripto testantes manu propria subscribimus: saluis tamen & in integrum obseruatis cæri-
moniis & ritibus cultus diuini peragendi & sanctorum sacramentorum iuxta consuetudi-
nem Ecclesiæ Orientalis, correctis tantummodo iis articulis, qui ipsam vnionem impediret,
vt more antiquo fierent omnia, sicut olim, vnione durante, fuerunt. Datum anno Domini
millesimo quingentesimo nonagesimoquarto, die secunda Decembris.

locus sigillorum,

Deinde sequuntur subscriptiones, videlicet: B

Michael Metropolita Kiouiensis, Halicisensis, & totius Russiæ, manu propria.
Ipation Dei gratia Protothronius Episcopus Vulodimirisensis, Brestensisq; manu prop.
Cyrillus Terleczki Exarcha Metropoliæ Kiouien. Episcopus Luceorisensis, Ostrosien-
sisque manu propria.
Gregorius nominatus Archiepiscopus, Vladica Polocensis, Vitebscensisque manu prop.
Dionysius Zbiruiski Episcopus Chelmensis, Belsensisque manu propria.
Leontius Peleziczki Episcopus Pinscensis Turouiensisque manu propria.
Ionas Hohol Archimandrita Kobrinensis ecclesiæ S. Saluatoris, manu propria.
Idem Ionas nominatus Episcopus Pinscensis, Turouiensisque manu propria hanc con-
cordiam fratrum meorum subscripsi.]

Cùm hæc statuissent, in sequentem annum, vbi primùm per temporis opportunitatem C
licuit, honorificam ad Romanum Pontificem decernunt legationem, duobus ad id mune-
ris obeundum delectis legatis Episcopis, quibus ad eumdem eiusmodi litteras dederunt:

*Litteræ dominorum Archiepiscopi Kiouiensis & aliorum Episcoporum Ruthenorum ad San-
ctiss. D.N. Clementem Papam* VIII. *super eorum vnione cum sancta Ecclesia Romana, datæ die
xij. Iunij, anno Domini* M. D. XCV. *Latinè versæ.*

Sanctissime Pater, Domine, & Pastor supreme Ecclesiæ Christi, Domine clemen-
tissime.

Repetentes memoria consensum in omnibus atque vnionem Orientalis, & Occidenta-
lis Ecclesiæ, quam maiores nostri sub obedientia & regimine sanctæ Sedis Apostolicæ Ro-
manæ coluerunt: ex altera verò parte perpendentes animis dissensiones & schismata, quæ D
hodie inualuerunt: non potuimus propterea non maximo dolore affici: deprecabamurq;
assiduè Dominum, vt nos aliquando in vnitatem fidei aggregaret; expectantes si fortè Su-
periores & pastores nostri Orientalis Ecclesiæ, sub quorum obedientia hucusque fuimus,
de ineunda vnitate & concordia, quam in liturgiis quotidie à Deo efflagitant, cogitare se-
riò, atque diligenter in eam rem & curam incumbere vellent. Sed cùm videremus frustra
tale quippiam sperari ab illis, non tam maleuolentia & temeritate fortasse eorum, quàm
quòd sub grauissimo seruitutis iugo crudelissimi tyranni & à religione Christiana alieni ge-
mant, tentare id quod maximè vellent, nullo modo possunt: nos nihilominus, qui in his
partibus sub dominio Sereniss. Poloniæ & Suetiæ Regis & Magni Ducis Lituaniæ con-
stituti sumus, liberisque nobis propterea esse licet, attendentes officium nostrum, neque
nobis ipsis & ouibus gregis Christi, quarum cura ad nos spectat obesse, conscientiasque hac E
in parte nostras tot animarum interitu, qui ex dissensionibus his prouenit, grauare volen-
tes, adiuuante Domino, ad vnionem quæ antea inter Orientalem & Occidentalem Eccle-
siam viguit, inque Florentina Synodo ab antecessoribus nostris constituta est, accedere de-
creuimus: vt vinculo huius vnionis adstricti, sub obedientia atque regimine Sanctitatis ve-
stræ, vno ore & corde glorificemus & laudemus omnes diuinissimum & sanctissimum no-
men Patris & Filij & Spiritus sancti.

Ac proinde sciente volenteque domino nostro Sigismundo Tertio Dei gratia Poloniæ &
Suetiæ Rege, Magnoq; Duce Lituaniæ, cuius etiam singulare ac sapientissimum studium
in hac re enituit: mittimus ad Sanctitatem vestram charissimos fratres nostros reuerendos
in Christo Hypatium Pociei Protothronium atque Episcopum Vulodimirisensem, Bestren-
semque, & Cyrillum Terleczki Exarcham atque Episcopum Luceorisensem, Ostrosien-
semque:

A ſemque: quibus mandauimus, vt Sanctitatem veſtram adeant, ac (ſi quidem Sanctitas veſtra adminiſtrationem ſacramentorum, ritusque & cerimonias Orientalis Eccleſiæ integrè, inuiolabiliter, atque eo modo quo tempore vnionis illis vtebamur, nobis conſeruare, confirmareque pro ſe & ſucceſſoribus ſuis, nihil in hac parte innouaturis vnquam, dignetur) ſuo & omnium noſtrum Archiepiſcopi & Epiſcoporum, totiusque Eccleſiaſtici noſtri ſtatus, & ouium commiſſarum nobis diuinitus nomine Sedi S. Petri & Sanctitati veſtræ vti ſummo Paſtori Eccleſiæ Chriſti debitam obedientiam deferant.

Quæ omnia petita à nobis ſi obtinuerimus, Sanctitati veſtræ cum omnibus ſucceſſoribus ſuis nos & ſucceſſores noſtri dicto audientes, ſubque regimine Sanctitatis veſtræ ſemper eſſe volumus. In quorum maiorem fidem litteras præſentes manibus noſtris ſubſcripſimus atq; muniuimus ſigillis. Data ex Regno Poloniæ & magno Ducatu Lituaniæ die XII.
B Iunij, anno Domini M. D. XCV. iuxta Kalendarium vetus.

Sanctitatis veſtræ,

humillimi apud Deum oratores & ſerui.

ſubſcriptiones cum ſigillis

Michaël Dei gratia Archiepiſcopus Metropolita Kiouienſis, Halicienſisque ac totius Ruſſiæ, manu propria.

Ipation Dei gratia Protothronius Epiſcopus Vlodimirienſis, Breſtenſisq; manu prop.

Cyrillus Terleczki Dei gratia Exarcha Epiſcopus Luceorienſis, Oſtroſienſisque manu propria.

Gregorius nominatus Archiepiſcopus Vladika Polocenſis, Vitebſcenſisq; manu prop.

Michael Kopiſtenski Epiſcopus Præmiſlienſis, Samborenſisque manu propria.

C Gedeon Boloban Epiſcopus Leopolienſis manu propria.

Dionyſius Zbiruiski Epiſcopus Chelmenſis manu propria.

Leontius Pelcziczki Epiſcopus Pinſcenſis, Turouienſisque manu propria.

Ionas Hohol Archimandrita Cobrinenſis eccleſiæ S. Saluatoris manu prop. ſubſcripſit.

Idem Ionas Hohol nominatus Epiſcopus Pinſcenſis, Turouienſisq; manu propria.]

Qui igitur miſſi ſunt Epiſcopi legati, peruenerunt Romam eodem anno, menſe Nouembri, honorificè excepti à Summo Pontifice, à quo domus ad habitandum, & quę ad victum & alia quæ opus eſſent, ipſis munificentiſſimè, quamdiu morari contigit in Vrbe, ſunt exhibita. Statuta autem die, videlicet vigeſimatertia menſis Decembris eiuſdem anni M. D. XCV. Sabbato ieiunij quatuor temporum, in aula Conſtantiniana Palatij Vaticani coram ipſo Summo Pontifice & S.R.E. Cardinalibus, aliisq; diuerſi ordinis diuerſarum-
D que dignitatum inſignibus proceribus in publicum auditorium ſunt admiſſi, legationis munus quod obirent publicè expoſituri. Tum igitur ingreſſi, vt à longè conſpicati ſunt ipſum Romanum Pontificem, venerationis ergo, proſtrauerunt ſe in terram; ſurgereque iuſſi atq; accedere ad thronum Pontificis, ad eiuſdem pedes rurſum eodem humillimo cultu & reuerentia ſtrati eos ſunt deoſculati: hisque peractis, cùm quod peterent ſignificaſſent, litteras quas ferrent ipſi Summo Pontifici legendas obtulerunt, quæ Ruthenicè primùm (vti ſcriptæ erant) perlectæ, eædem rurſus Latinitate donatæ ex ſcripto ſunt repetitæ.

His auditis, Siluius Antonianus Præfectus cubiculi Pontificij, atque inhærens ipſi Summo Pontifici à ſecretis, ad eos conuerſus, eiuſmodi eiuſdem Pontificis iuſſu habuit orationem:

Ad petram fidei ſupra quam Chriſtus Dominus Eccleſiam ſuam ædificauit, ad mon-
E tem ſanctum in quo habitare beneplacitum eſt Deo, ad matrem & magiſtram omnium Eccleſiarum ſanctam Romanam Eccleſiam reditis, Rutheni Epiſcopi, poſt annos centum & quinquaginta, magno quidem & ſingulari Dei beneficio erga vos & gentem veſtram, tanto verò cum gaudio Sanctiſſimi Domini noſtri, quantum nulla orationis copia, nulla dicendi vis exprimere ſatis poteſt. Exultat ſpiritus Sanctitatis ſuæ in Deo, & Sapientiam illam agnoſcit, quæ attingit à fine vſque ad finem fortiter & diſponit omnia ſuauiter. Et vos quoque iure optimo diuitias bonitatis Dei agnoſcitis & prædicatis, qui corda veſtra diuino ſuo lumine colluſtrauit, vt intelligeretis non eſſe in corpore membra illa, quæ capiti non cohærent, diuulſum à vite palmitem fructum nullum afferre poſſe, riuos areſcere qui fonti non ſunt coniuncti, denique Deum patrem non habere, qui Eccleſiam matrem non habet, quæ vna eſt Catholica & Apoſtolica ſub vno viſibili capite Romano Pontifice, qui eſt Pater Patrum, & Paſtor Paſtorum: cui in beato Petro Apoſtolorum principe & agni

& oues

& oues Christi sunt creditæ: & cui à Domino mandatum est, vt fratres suos Episcopos A confirmet.

Rectè igitur & prudenter & piè venerabilis Metropolita vester & vos & collegæ vestri fecistis, qui vnitatem Ecclesiæ Catholicæ, extra quam non est salus, tanto studio appetistis, & ex tam longinquis regionibus huc ad sacra Apostolorum limina venistis, vt beati Petri legitimo successori, vero in terris Christi Vicario debitam obedientiam, præstaretis, & veteribus in fide erroribus reiectis, incorruptæ fidei integritatem ab eo reciperetis. Ergo quia corde creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem: agite venerabiles Episcopi, implete gaudium Sanctitatis suæ & huius sacri atque amplissimi collegij, & fidei Catholicæ professionem iam facite. Paratus est Sanctissimus Dominus noster paterna benignitate vos & Metropolitam vestrum & Coepiscopos vestros & nationem vestram Ruthenam aperto charitatis sinu ad communionem admittere, & obedientiam vestram B vnà cum his venerabilibus fratribus suis S. R. E. Cardinalibus recipere; speratque Sanctitas sua in eo qui potens est, & qui facit mirabilia magna solus à sæculo, quòd exemplum fidei vestræ alios etiam ad salutarem æmulationem prouocabit, vt & ipsi depulsis tenebris, lumen quærant, sectentur vnitatem & pacem, & fiat vnum ouile & vnus pastor.] hactenus Antonianus.

Cui istæc Pontificis nomine peroranti legati parentes, singuli mox fidei Catholicæ professionem scriptis editam, suaque manu subscriptam coram ipso Summo Pontifice recitarunt: quam quidem Hypatius primùm Latinis verbis conceptam, quòd eam linguam calleret, edidit atque emisit in hunc modum:

Sanctissime ac Beatissime Pater.

Ego humilis Hypatius Pociei Dei gratia Protothronius Vulodimirienſis & Brestensis C Episcopus in Russia, nationis Russorum seu Ruthenorum, vnus ex procuratoribus reuerendorum in Christo Patrum dominorum Prælatorum eiusdem nationis, videlicet Michaelis Rahosa Archiepiscopi Metropolitæ Kiouiensis & Halicensis ac totius Russiæ, & Gregorij Archiepiscopi denominati, electi in Episcopum Polocensem & Vitebscensem, & Ionæ Hohol electi in Episcopum Pinscensem & Turouiensem, & Michaelis Kopistenski Episcopi Præmislienſis & Samborensis, & Gedeonis Boloban Episcopi Leopolienſis, & Dionysij Zbituiski Episcopi Chelmensis, ab eis specialiter constitutus & missus vnà cum reuerendo in Christo Patre domino Cyrillo Terleczki Exarcha Episcopo Luceorienſi & Ostrosiensi eiusdem nationis, altero ex procuratoribus dictorum dominorum Prælatorum, & collega meo ad ineundam & suscipiendam vnionem Sanctitatis vestræ & D sanctæ Romanæ Ecclesiæ, atque ad deferendam debitam obedientiam ipsorum omnium & totius Ecclesiastici eorum status & ouium eis commissarum nomine huic sanctæ Sedi beati Petri, & Sanctitati vestræ vti summo Pastori vniuersalis Ecclesiæ, ad pedes eiusdem Sanctitatis vestræ positus, ac infrascriptam sanctæ Orthodoxæ fidei professionem iuxta formam Græcis ad vnitatem dictæ sanctæ Romanæ Ecclesiæ redeuntibus præscriptam facturus & emissurus, tam procuratorio nomine prædictorum dominorum Archiepiscopi & Episcoporum Ruthenorum meorum principalium, quàm etiam meo proprio, simul cum prædicto domino Cyrillo Exarcha Episcopo Luceorienſi & Ostrosiensi procuratore & collega meo, polliceor & promitto, quòd ipsi domini Archiepiscopus & Episcopi illam ratam & gratam habebunt, ac suscipient & acceptabunt, & intra tempus competens ratificabunt & confirmabunt, atque de nouo iuxta prædictam formam de verbo ad verbum facient & emittent, & eorum manu subscriptam & sigillo ob- E signatam ad Sanctitatem vestram & hanc sanctam Apostolicam Sedem transmittent, prout sequitur:

Firma fide credo & profiteor omnia & singula quæ continentur in Symbolo fidei, quo sancta Romana Ecclesia vtitur, videlicet:

Credo in vnum Deum Patrem omnipotentem, factorem cæli & terræ, visibilium omnium & inuisibilium. Et in vnum Dominum Iesum Christum, Filium Dei vnigenitum: Et ex Patre natum ante omnia sæcula: Deum de Deo, lumen de lumine; Deum verum de Deo vero. Genitum, non factum, consubstantialem Patri; per quem omnia facta sunt. Qui propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de cælis. Et incarnatus est de Spiritu sancto ex Maria Virgine; & homo factus est. Crucifixus etiam pro nobis sub Pontio Pilato, passus, & sepultus est. Et resurrexit tertia die secundùm Scriptu-

ras.

A ras. Et aſcendit in cælum: ſedet ad dexteram Patris. Et iterum venturus eſt cum gloria iudicare viuos,& mortuos: cuius regni non erit finis. Et in Spiritum ſanctum Dominum, & viuificantem: qui ex Patre, Filioque procedit. Qui cum Patre & Filio ſimul adoratur, & conglorificatur: qui locutus eſt per Prophetas. Et vnam ſanctam Catholicam & Apoſtolicam Eccleſiam. Confiteor vnum baptiſma in remiſſionem peccatorum. Et expecto reſurrectionem mortuorum. Et vitam venturi ſæculi. Amen.

Credo etiam, ſuſcipio, atque profiteor ea omnia, quæ ſacra Oecumenica Synodus Florentina ſuper vnione Occidentalis & Orientalis Eccleſiæ definiuit & declarauit, videlicet, quòd Spiritus ſanctus à Patre & Filio æternaliter eſt; & eſſentiam ſuam, ſuumque eſſe ſubſiſtens habet ex Patre ſimul & Filio; & ex vtroque æternaliter, tamquam ab vno principio, & vnica ſpiratione procedit. Cùm id quod ſancti Doctores & Patres dicunt, ex Pa-
B tre per Filium procedere Spiritum ſanctum, ad hanc intelligentiam tendat, vt per hoc ſignificetur Filium quoque eſſe, ſecundùm Græcos quidem cauſam, ſecundùm Latinos verò principium ſubſiſtentiæ Spiritus ſancti, ſicut & Patrem. Cumque omnia quæ Patris ſunt, ipſe Pater vnigenito Filio ſuo gignendo dederit, præter eſſe Patrem; hoc ipſum quod Spiritus ſanctus procedit ex Filio, ipſe Filius à Patre æternaliter habet, à quo æternaliter etiam genitus eſt. Illamque verborum illorum, Filioque, explicationem veritatis declarandæ gratia, & imminente tunc neceſſitate, licitè ac rationabiliter Symbolo fuiſſe appoſitam.

Item in azymo ſiue fermentato pane triticeo corpus Chriſti veraciter confici, ſacerdotesque in altero ipſum Domini corpus conficere debere, vnumquemque ſcilicet iuxta ſuæ Eccleſiæ, ſiue Occidentalis, ſiue Orientalis conſuetudinem.

C Item ſi verè pœnitentes in Dei charitate deceſſerint, antequam dignis pœnitentiæ fructibus de commiſſis ſatisfecerint & omiſſis, eorum animas pœnis purgatorij poſt mortem purgari: & vt à pœnis huiuſmodi releuentur, prodeſſe eis Fidelium viuorum ſuffragia, Miſſarum ſcilicet ſacrificia, orationes, & eleemoſynas, & alia pietatis officia, quæ à Fidelibus pro aliis Fidelibus fieri conſueuerunt ſecundùm Eccleſiæ inſtituta. Illorumque animas quæ poſt baptiſma ſuſceptum nullam omnino peccati maculam incurrerunt, illas etiam quæ poſt contractam peccati maculam, vel in ſuis corporibus, vel eiſdem exutæ corporibus (prout ſuperiùs dictum eſt) ſunt purgatæ, in cælum mox recipi, & intueri clarè ipſum Deum trinum & vnum ſicuti eſt, meritorum tamen diuerſitate alium alio perfectiùs. Illorum autem animas, qui in actuali mortali peccato, vel ſolo originali decedunt, mox in infernum deſcendere, pœnis tamen diſparibus puniendas.

D Item ſanctam Apoſtolicam Sedem, & Romanum Pontificem in vniuerſum Orbem tenere primatum; & ipſum Pontificem Romanum ſucceſſorem eſſe beati Petri Principis Apoſtolorum, & verum Chriſti Vicarium, totiusque Eccleſiæ caput, & omnium Chriſtianorum patrem ac doctorem exiſtere; & ipſi in beato Petro paſcendi, regendi, & gubernandi vniuerſalem Eccleſiam à Domino noſtro Ieſu Chriſto plenam poteſtatem traditam eſſe; quemadmodum etiam in Actis Oecumenicorum Conciliorum, & in ſacris canonibus continetur.

Inſuper profiteor ac recipio alia omnia, quæ ex decretis ſacræ Oecumenicæ Generalis Synodi Tridentinæ ſacroſancta Romana & Apoſtolica Eccleſia, etiam vltra contenta in ſupradicto fidei Symbolo, profitenda ac recipienda propoſuit atque præſcripſit, vt ſequitur.

E Apoſtolicas & Eccleſiaſticas traditiones, reliquasque eiuſdem Eccleſiæ obſeruationes & conſtitutiones firmiſſimè admitto & amplector.

Item ſacram Scripturam iuxta eum ſenſum, quem tenuit & tenet ſancta mater Eccleſia, cuius eſt iudicare de vero ſenſu & interpretatione ſacrarum Scripturarum, admitto; nec eam vnquam niſi iuxta vnanimem conſenſum Patrum accipiam & interpretabor.

Profiteor quoque ſeptem eſſe verè & propriè ſacramenta nouæ legis à Ieſu Chriſto Domino noſtro inſtituta, atque ad ſalutem humani generis, licet non omnia ſingulis neceſſaria, ſcilicet Baptiſmum, Confirmationem, Euchariſtiam, Pœnitentiam, Extremam vnctionem, Ordinem, & Matrimonium; illaque gratiam conferre: & ex his Baptiſmum, Confirmationem, & Ordinem ſine ſacrilegio reiterari non poſſe.

Receptos quoque & approbatos Eccleſiæ Catholicæ ritus in ſupradictorum omnium ſacramentorum ſolemni adminiſtratione recipio & admitto.

Omnia

Omnia & singula, quæ de peccato originali, & de iustificatione in sacrosancta Tridentina Synodo definita & declarata fuerunt, amplector & recipio. A

Profiteor pariter in Missa offerri Deo verum, proprium, & propitiatorium sacrificium pro viuis & defunctis, atque in sanctissimo Eucharistiæ sacramento esse verè, realiter, & substantialiter corpus, & sanguinem, vna cum anima & diuinitate Domini nostri Iesu Christi; fieriq́ue conuersionem totius substantiæ panis in corpus, & totius substantiæ vini in sanguinem, quam conuersionem Catholica Ecclesia transubstantiationem appellat.

Fateor etiam sub altera tantùm specie totum atque integrum Christum, verumq́ue sacramentum sumi.

Constanter teneo purgatorium esse, animasq́ue ibi detentas Fidelium suffragiis iuuari. Similiter & Sanctos vnà cum Christo regnantes venerandos atque inuocandos esse, eosq́ue B orationes Deo pro nobis offerre, atque eorum reliquias esse venerandas.

Firmissimè assero, imagines Christi, ac Deiparæ semper Virginis, necnon aliorum Sanctorum habendas & retinendas esse, atque eis debitum honorem ac venerationem impartiendam.

Indulgentiarum etiam potestatem à Christo in Ecclesia relictam fuisse, illarumq́ue vsum Christiano populo maximè salutarem esse affirmo.

Sanctam Catholicam & Apostolicam Romanam Ecclesiam omnium Ecclesiarum matrem & magistram agnosco, Romanoq́ue Pontifici beati Petri Apostolorum Principis successori, ac Iesu Christi Vicario veram obedientiam spondeo ac iuro.

Cetera item omnia à sacris Canonibus & Oecumenicis Conciliis, ac præcipuè à sacrosancta Tridentina Synodo tradita, definita, & declarata, indubitanter recipio atque profi- C teor: simulq́ue contraria omnia, & schismata, atque hæreses quascumque ab Ecclesia damnatas & reiectas & anathematizatas, ego pariter damno, reiicio, & anathematizo.

Hanc veram Catholicam fidem, extra quam nemo saluus esse potest, quam in præsenti sponte profiteor, & veraciter teneo, eamdem integram & inuiolatam vsque ad extremum vitæ spiritum constantissimè, Deo adiuuante, retinere & confiteri, atque à meis subditis, vel illis, quorum cura ad me in munere meo spectabit, teneri, doceri, & prædicari, quantum in me erit, curaturum, Ego idem Hypatius Pociei Protothronius Episcopus Vuladimiriensis & Brestensis, procurator supradictorum dominorum Archiepiscopi & Episcoporum Ruthenorum, procuratorio eorum nomine, & meo proprio, vt suprà, spondeo, voueo, ac iuro: Sic me Deus adiuuet, & hæc sancta Dei Euangelia.]

Hanc à se editam fidei Catholicæ professionem Hypatius Ruthenorum legatus, ritè D sacris Euangeliis tactis, iuramento ac subscriptione firmauit, eamdemq́ue in Ruthenicam linguam fideliter translatam, suoq́ue chirographo consignatam ac publicè recitari factam simili iureiurando comprobauit. Moxq́ue ab altero legato Cyrillo eadem professione tum Ruthenica lingua per se, tum Latina per interpretem publicè ex more facta ac recitata, repetitisq́ue iuramentis ac subscriptionibus confirmata, atque omnibus denique solemni ritu ex sacrorum Canonum præscripto peractis & absolutis (prout publica monumenta, quæ à sanctæ Inquisitionis Officij publicis ministris publicè sunt confecta, significant) iterum ad pedes Sanctissimi accesserunt, eosq́ue deosculati sunt. Tum ipsos Summus Pontifex Clemens, voce submissiore, quæ à propinquis exaudiretur, in hanc ferè sententiam est allocutus:

Gaudium cordis nostri, quod hodierna die capimus ex vestro ad Romanam Catho- E licam Ecclesiam reditu, nullis verbis exprimere satis possumus. Gratias immortali Deo singulares agimus, qui per Spiritum sanctum suum hanc vobis mentem dedit, vt ad vestram & omnium Fidelium matrem, sanctam Ecclesiam Romanam confugeretis, quæ aperto charitatis gremio vos recipit; & nos sincero cordis affectu vos, Metropolitanum vestrum, & Coepiscopos vestros, totamq́ue Ruthenam nationem excipimus, ita planè de vobis persuasi, quòd verè & ex animo coram Deo, qui scrutatur cor, ad nos veniistis, & fidem Catholicam professi estis. Agnoscite, fratres, gratiam Dei, & donum diuinæ misericordiæ conseruate. Estote obedientes huic matri vestræ charissimæ, quæ animarum vestrarum salutem ardenter expetit, & nihil terrenum à vobis quærit. estote humiles, & nolite abundare in sensu vestro. Deus enim (vt scitis) humilibus dat gratiam, superbis autem resistit: & misera Græcia, cuius calamitatem assiduè lugemus, propter superbiam suam,

lucem

A lucem veritatis amiſit, & duriſſimo ſeruitutis iugo opprimitur. Humilitatem igitur colite, & Eccleſiæ Catholicæ firmiter adhærete. Nos veſtris commodis, quantum cum Domino poterimus, nullo loco deerimus; & vos præſentes, ceteroſque abſentes ex veſtris paternè benedicimus.] Impertita igitur à Sanctiſſimo Pontifice eiuſmodi benedictione, facta eſt dimiſſio ſacri conuentus.

Libuit autem hic ad poſtremum formam eorum quæ rei præclarè geſtæ inſignibus aurea & argentea ſunt cuſa numiſmata, & in Apoſtolorum natali die hoc anno, more maiorum, ab ipſo Summo Pontifice diſtributa, hic tibi expreſſam reddere, dignum poſteris monumentum, quod huic noſtræ ſcriptioni veluti ſigillum accedat.












SOLI DEO HONOR ET GLORIA

INDEX
IN TOMVM SEPTIMVM
ANNALIVM ECCLESIASTICORVM.





A.

BARI *prohibentur à Iustino, ne irrumpant in fines Romanorum.* 553.*a*

Abari ad Danubium veniunt, & vincunt Romanos. 588.*e.* 589.*a*

Abbas non poterat ordinari, qui hæreticos & eorum scripta non damnaret. 312.*b.c*

Abbati malè ab Ariano tractato Deus præsto est. 637.*b.c*

Abdala Agarenorum Rex non regnauit in Hispania his temporibus. 337.*a*

Ablauius secutus est Iustinianum errantem, & luit pœnas. 522.*c*

Abrahamius presbyter legatus Iustini ad Saracenos. 94.*c*

Abrahamius vir pius factus est Rex Homeritarum. 101.*c*

Absagi ad fidem conuersi. 155.*b*

Absagus templum Deiparæ Iustinianus Imperator erexit. 155.*b.c*

Absagis interdictum, ne quis eunuchus fieret. 155.*b*

Absolutionis sacerdotum quanta sit vis. 142.*d*

Abstinentiam præ se ferunt Priscillianistæ hæretici. 297.*e*

Acacij nomen è catalogo Orthodoxorum delendum. 20.*c.* 23.*d*

Acacius, quos prius damnauerat, hæreticorum deinde socius factus. 22.*a.b*

Acacius cum suis sequacibus condemnandus. 26.*e.*27.*a*

Acacij nomen è Diptychis deletum. 33.*b.*34.*d*

Acacius vir superbus mittitur à Iustino Imperatore ad Marcianum Ducem exercitus. 589.*e*

Acacius spoliat dignitate Marcianum Ducem exercitus. *ibid.*

Acactum reprehendit Gelasius Papa de audacia. 682.*a*

